Digitized by Google

8
3 b
41

6
12 F
8

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

74.2.55.

74
F
64

8.-3.b.41.

Digitized by Google

Digitized by Google

LAMPAS; SIVE

# AX ARTIVM
# IBERALIVM,

*HOC EST,*

## HESAVRVS CRITICVS,

*O INFINITIS LOCIS THEO-*
*Iuriſconſultorum, Medicorum, Philoſopho-*
*ratorum, Hiſtoricorum, Poetarum, Gram-*
*aticorum, ſcripta ſupplentur, corri-*
*guntur; illuſtrantur, no-*
*tantur.*

## Tomus Sextus.

tioſa Bibliothecarum cuſtodia erutus;

IANO GRVTERO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE




FRANCOFVRTI,
ebat Nicolaus Hoffmannus, Sumptibus
Ionæ Rhoſæ Bibliopolæ.

M. DC. XII.

VOLVMINE ISTO
SEXTO

Duo tantum continentur:

*Nempe*

VALENS ACIDALIVS

&

MARCELLVS DONATVS.

# ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CLARISSImis viris,

IOSEPHO SCALIGERO,
WOLFGANGO FREYMONIO,
IOANNI BARVITIO,
ANDREÆ HANNIWALD,
IOANNI CASELIO,
IANO GRVTERO,
HIERONYMO MERCVRIALI,
DANIELI BVCRETIO,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

S.

MAGNO ego me ſcelere aſtringerem, Illuſtres, Magnifici, Nobiliſſimi, Clariſſimi viri, ſi quæ ante pluſculos iam annos veſtro merito à fratre fuerunt dicata, aliò transfer- voſque gratiſſimis animi vobis dedítiſſionumentis priuarem. Præterquam enim in vos ſummè iniurius, in illius optimos omninò eſſem impius; quorum vtrumq; rte ſeriò deteſtor & abhorreo, nec comn vnquam, vt alterutrius meritò accuſati , quin vel ſic ſatis alterius iam accuſor, nemoriæ & famæ eius apud multos ſenepoſt vndecimum demum annum, cui ciuueram, conſulam & ſuccurram. Sed ex- hoc alibi mihi; & ſpero æquos omnes



Google

fore iudices cauſſæ meæ, quam quidem non admodum iniquam cognouerint; neq, iratos vnquam Germani metuo manes, quos metuere meritò poſſim, ſi vel meâ culpâ quid iis indignũ commiſſum foret, vel ſi tanto, quod dixi, ſcelere nunc illos violarem; cuiùs patrandi quæ mihi cauſſa eſſe queat, non reperio. Ecquem enim tibi, Illuſtris SCALIGER, qui literarum & literatorum omnium Princeps es & Apollo; ecquẽ tibi Magn. FREYMONI, BARVITI, HANNIWALDE, qui ſummum in Auguſtâ Imperatoris Aulâ & auctoritatis & dignitatis locum obtinetis; ecquem tibi CASELI & GRVTERE, qui Philologorum Numina; ecquem denique vobis MERCVRIALIS & BVCRETI, qui Medicorum auditis Coryphæi (taceo priuata quorundam in me merita, taceo quorundam etiam publica, quæ iure ſuo totum me ſibi vendicant, coguntque vt quem priuatim cuique veſtrum honorem habeo, publicè etiam auſim prædicare & parte teſtificari.) ecquem vobis, inquam, omnibus, Virtutis & Eruditionis in vnum conſpirantis egregia lumina anteferam, cuius fauorem tanto flagitio exambire coner? Et quinam cuiuſquam fauor tanti à me fiat, vt veſtrum tot & tantorum poſthabeam? qui vel ſinguli omnium cumulatiſſimè mihi explere poſſitis. Eſſet fortè fauor alicuius boni ſat cauſſæ alii quare tantum committere facinus non erubeſceret; qui nunquam mihi fuit, vt alium; ſed nec poſthabenda tamen, vt paucis hiſce vos ſimul omnes compellarem, & vt particellam ali-

aliquam illius, quo fratrem proſecuti eſtis, eximii fauoris deriuari in me ſuo quiſque loco pateremini, rogarem. Quod ambitioſè tamen facere non ſuſtineo, meæ mihi conſcius tenuitatis, quâ nihil in me, præter obſeruantiam veſtri, quâ nemini conceſſero, deprehendo, quod vel tantillum mereri poſſit. Quod ſi vel hanc, vel alioquin ſolitam illam veſtram promptam atque obuiam erga omnes humanitatem reſpexeritis, meque aliàs indignum planè non repudiaueritis, cum Poeta exclamabo:

*Quid me lætius eſt beatiusve?*

uin imò iam nunc bonę ſpei plenus nullus duco, quin ſi fraterna inſpexeritis, ad me quoque ſitis oculos demiſſuri, lubenteſque acceuri à me reliquam iſtorum Plautinorum partem, ſummis ab ipſo Viris veſtri ordinis, &, od præcipuum eſt, veſtris quoque amicis, aut riſque aut ſingulis inſcriptum. Hoc præfeò ſibi ereptos (quantum ex famâ mihi liet) vt Reſpubl. literaria æternum & meritiſo luget, ſic ipſe verè doleo, & ad ſingulorum nina & fata altè ingemiſco: qui ipſi, licet erni iſtâ cultus & amoris arrha priuati in fuerint, non debuerunt tamen vel poſt faud vos amicos aut poſteros ceteros priuauod ſi qui in Libitinæ cenſum nondum runt, vobis eos aſſcriptos volo, qui defunm vicem ſubibitis, nunc in cenſendo, & in idendo quoque, ſi merebuntur, non deſequin & illorum mihi fauorem ſupplebiquæ perierunt in iis Reip. literariæ bona

farcietis. Quod vt poſſitis, veſtris DEVS Opt. Max. illorum qui defuerunt annos addat, vosq; valetudine firma, iugi & perenni felicitate donet. Bene Valete Viri illuſtres, Magnifici, Nobiles, Clariſſimi, & veſtri cultum in ACIDALIIS ne deſpicite.

V.

*Omni cultu & obſeruantia*

CHRISTIAN. ACIDALIVS.

IN-

# INDEX CAPITVM OMNIVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

## AMPHITR.

CAPVT I. *Plauti, Neuij, Pacuvij epigrammata epitaphia apud Gellium: itemq; Volcatij Sedigiti cenſura in Comicos apud eundē emendata.* pag.3

[C]AP. II. *Flocco, an fruſtra habere. Fruſtrari. Lætus, hilaris; triſtis, [...]ace. Periocha & Prologo, leuiter Plautus, pariter apud Gelliū Ennius correctus.* 6

[CA]P. III. *Παρηχήσεις in Plauto crebra & continua multa. Adhuc in Prologo quadam emendata ſimul & explicata.* 8

[CAP]. IV. *Excitare. Implere, an Impluere aliquem telis ſiue flagris. Ho[...]itium pugneum. Fragmentum in ipſa fabula oſtenſum. Ad ſcenam [...]mam aliquot cenſura. Turpilij verſus in Priſciano concinnati.* 10

[CAP]. V. *Locus prima ſcena errore vario turbatus & turpatus, in nu[me]ros, ordinem, nitoremq; ſuum, quantum potuit, reſtitutus.* 12

[CAP.] VI. *Detexere, an extexere pallio. Igitur, tum igitur, igitur tū, igi[tur] demum, demū igitur, tum igitur demū, poſt igitur demum: harū [par]ticularum vſus exemplis oſtenſus. Hu, olfacientis geſtus. Laſſus è [...]i. Neſcio-quis, iocosè fictum nomen. Scin' quomodo? minātis. Qui, vocaris? Similis 'ſt, Simileſt. Multa Plauti correcta, illuſtrata: [quor]undam cenſura caſtigata. Fruteriana Catulli emendatio com[prob]ata.* 13

[CAP.] VII. *Tis, Timidus, Tumidus. Percutere. Illi. Parcere. Paſcere, [...]eſcere. Polla, paulla. Plauti verſus vnus è fragmentis exemtus: [...]nis duo in integrum reſtituti. Scena ordine ſequens variè corre[cta, ...]m interpretatione & aliorum auctorum collatione illuſtrata: [...] à quorundam emendatione defenſa.* 17

[CAP. V]III. *Quid hoc hominis, an ominis? Expetere alicui in aliquē. [...] hoſtes ſedere; hoſtes vel hoſtibus aſſidere. Domi de me ſcio, cō[...], παξίλλοι. Sarrire, Sartor in obſcœnis. Terentius & Cicero ten[...] [M]artialis & Varro emendati. Plauti Amphitruo pluries corre[cta, ex]plicata.* 20

[CAP. I]X. *Quam, i. priuſquam. Haud vidi magis. Iſtic. Intus foràs.*

*Cetero,i.ceterùm. Ad Amphitruonem multa variaque notæ,in vnum ſtipata.* 23

¶ Cap. X. *Cœli cœnaculum. Alcmena verecunda. Abſtinere ſe facto. Madidus ſobrius. Atque. Plautus nonè pluribus locis emendatus, explicatus,eiuſdem Enniana imitatio.* 26

¶ Cap. XI. *Fores increpare digito. Magna mira. Quod Dij faciant. Stomachum decoquere. Quin,pro quidni? Pugnis ſatur,plagis ebrius. Scena in hac fabula ſuppoſititia examinatæ in ijs multa ſuperiorum imitationes,turba etiam in Oeconomia notata. Correcta ibidem & explicata ſimilium collatione loca plura; tum emendationes & notæ quorundam refutata.* 29

¶ Cap. XII. *Reliquæ in hanc fabulam pauca leueſq; notæ, fragmentum indidem in Nonio diuulſum, compluti uatum.* 33

## ASINARIA.

¶ Cap. I. *Præconum & aliorum,gratis neque tacentium, duplex merces. Vota coniugum alteris ſuperuiuendi. In prologo & ſcena prima vera quædam lectiones confirmata, illuſtrata, falſa alia refutata: & inſignis locus inſigni verſus vnius deletione, alterius traductione emendatus.* 37

¶ Cap. II. *Eadem ſcenâ iterum verſus vnus eiectus, alter tranſpoſitus: tum leviora quædam ibidem etiam notata vel correcta.* 40

¶ Cap. III. *Impannus,inopia,voces hic nihili: Capſis, verbum probum. Modus rei,dandi caſu. Piſces patinarij, aſſi; hi verſantur,illi condiuntur. Vt à Plauto, Græca fide mercari: ſic Græca mercede curare, ab alio non fictum aut ſcriptum prouerbium. Verſus continui aliquot in numeros repoſiti: vnius alibi, alibi forte plurium defectus indicatus. Præter hæc,alia in Plauto multa, quiddam & in Pomponio emendatum: in vtroq; virorum doctorum vana correctiones reprobata.* 43

¶ Cap. IV. *O & au mutant inter ſe. Pelleus pro Pellæus an dici poſſit,vt quidam in Catullo volunt Dioneus,pro Dionæus. Edere,exedere: vorare. deuorare; commanducare, comeſſe; edere, cacare; omnia obſceni intellectus. Quoniam. Calide. Multa huius fabula, quà verborum, vt verſibus; quà verſuum,&t ſenſibus conſuleretur, traductione; tum alijs modis correcta paſſim & ſcriptorum aliorum collationibus illuſtrata.* 44

¶ Cap. V. *Perrectum in hac Comœdia,pluſculis & varij generis indidem ſublatis mendis. Improbata quorundam explicationes; correctiones aliorum probata in parte, ſed ſimul adiuta.* 47

¶ Cap. VI. *Iuſſim,iuſſo. Crura,talos, ceruices diffringere,an defringere. Ciere, perciere. Secundas agere, non facere. Loca pluria,tentata partim ab alijs,quædam aliter correcta,quædam explicata rectius, omnia à maculis ac tenebris ſimul vindicata.* 49

¶ Cap. VII. *Hortat. Caſſus. Conſiſtere, conſtare: Conſtitus. Aduoſtes an Adſoſtes,pro hoſtibus. Inductores, duces. Vi,aduerbialiter. Tamen,*

vt

ut ſpaus, eleganter orationi additum. Prater Plauti multa, & difficilia quadam loca, extricata, emaculata, illuſtrata: Feſtus etiam poſt alios ſemel, iterumq́ nunc primò tentatus. 52
AP. VIII. Flocci habere, an Defloccare. Argyrippo nomen amatori adoleſcenti, non Agyrippo. Abi. Ambo. Noua & multigeneres emendationes allata: veteres aliorum quadam exacta. Verba tranſpoſita, perſona commutata. Verſus praterea vnus, poſt alterum à Lambino reſtitutum, è fragmentis Caſina in hanc Aſinariam cum Gulielmio reductus: idem ſedu & numerorum incertus ab illo relictus, in vtriuſque nunc primùm ius, neq; certum tamen ipſum, ſed arbitrarium, aſſertus. 55.56
P. IX. Homines per excellentiam ſexus tantum mares Plauto, vt Gracis interdum ἄνθρωποι. Æpol quin. At polquin. Quaſi ſi. Quaſi t. Quaſi ſi vt. Aliquāta alia in Aſinariam cenſura. Nonius & Lambinus reiecti. 59
P. X. Mecaſtor, muliebre; mehercule, virile; edepol commune iurandum. Sine. Vitium alicui dicere. Fundit are. In iactis talorum amici inuocandi mos. Locus vnus à verſuum ordine grauiter turbatus, atq; leuius in verbis corrupti ſua, quod potuit, integritati reſtituti; ſimul, quod debuit, explicati. 61

AVLVLARIA.

I. Emiſſitij oculi, Ædes plena inanijs. Effertus fame. Congrediri. Id nunc Aulularia pluries correcta, ſimul declarata. 68
II. Purare. Properàm. Malus mœror. Diſpartire, diuidere, ne... ſenſus, Pompa: ornatus. Domi, Dimidium diuidere. Lacuna ... vnius, ſi forte, monſtratur. Multa fabula huius emaculantur, ...tantur. 70
III. Hoc mitte, mitte ridicularia: & forma ſermonis ſimiles. De... Lux & medicina ſapius Aulularia facta. Emendatio quadam ...item q; explicatio aberrans in viam reducta. 73
... Scalpturire. Peraceſco, Inaceſco. Peracuo Verba facere ad par...tem, ad virtutem. Grauia quadam, & alia leuiora huiuſdem ...menda ſublata. Locus traiectus, Fragmenti ab alio inſerti ſe...modior oſtenſa. Symmachus etiam emendatus. 75
Corrigitur adhuc Aulularia multis locis. Verſus vnius ab ...ſtitutio confirmatur. Alia notantur, haud magna admodum.

Dare. Conſuetus. Eſpectare. Prater alia correcta, in verſus ...nius ab exilio reſtitutione viris doctis aſſenſum; in emenda...dem ab iiſdem diſſenſum. Hic, & alij diligentius explicati, ...s inſuper emaculatus. 79
Locus Aulularia magis eximius, à confuſo verſuum & ſen...grauiter laborans, leui traductione perſanatus. 80
I. Apud, ob. Onerare gaudijs. Modo quod. Traiectionis in

*Plauto frequentis exemplum aliud inſigne. Plures ad hanc fabulam emendationes cum locorum ipſorum explicationibus.* 82

CAPTIVI

CAP. I. *Alius & alter ſibi inuicem ſuppoſita. Mutare quid aliqua re. Ad Captiuos ventum. Ii pluſculis medis liberati. Traiectio mira verſuum aliquot ex ſcena prima in ſequentem. Ordo legitimus ex Oeconomia fabulæ reſtitutus.* 87

CAP. II. *Emin' tu? Commetare. Locus difficilis unus, alij leniores emendati & illuſtrati.* 90

CAP. III. *Seruitus herili imperio aut ingenio fera. Coaddere. Fuga officium ſeruile. Fugam fingere. Commentis quibuſdam aliorum refutatis, aliquoties hac fabula Plautus cum locorum illuſtratione corrigitur: ſemel item Lucillius. Rurſum in Plauto turbæ ac tenebræ à perſonarum mutatione, forſan & lacuna, ſine emendationis ope, ſaltem indicata* 91

CAP. IV. *Compos aliqua re. Vino cupidus, auidus. Tanta inceptu res. Neſcibo. Attinere. Quando, Ferias ſedere, non Ferias aut Serias poſſidere, Plautus & hac fabula ſæpius, & extra ordinem Epidico ſemel; tum Varro Seſquiulyſſe, emendati.* 93

CAP. V. *Prænorti. Inepta duo contra fabulæ Oeconomiã additamenta in vna eademq; ſcenã monſtrata primùm, deinde & ſublata, cum ratione certâ vtraq;, alterum ex auctoritate etiam vett. editionum.* 95

CAP. VI. *Exitium exitio eſt. Ciſpellere. Nugas. Confidentiam in ventrẽ ſumere. Voraces in ventre cor habẽt. Maculas exigere, an eximere. Plauti multa correcta, quædam aliunde illuſtrata.* 97

CAP. VII. *Nunc places: non places. Ain' tu? Inſpeponere. Facere, fieri, in obſcenis. Virtus, pro merito & dignitate. Præter honeſtiores alios, obſceni quoq; duo loci & ioci in Plauto, tum ſimilis etiam vnus in Petronio, correcti declaratiq;. Martialis denique & Catullus indidem, prætereà Iuuenalis & Seneca pater illuſtrati.* 99

CVRCVLIO.

CAP. I. *Lautus. Ita vti occœpi dicere. Eij. Quipiam. Vt eam cenſes? Vt eum credis? Locus initio Curculionis difficilis viſus, facillimus oſtenſus. Alij deinde hinc, & è Bacchidibus vnus, correcti ſimul & ex ſe inuicem illuſtrati.* 105

CAP. II. *Effligere. Odos, amos, lepos. Hæreditates veniunt & eueniunt. Præmiũ. Strenæ vnde: origo vocis & rei. Plautus Curculione ſæpe, Corniculariâ ſemel; tum Pomponius Piſtoribus, & Symmachus Epiſtolis, emendantur omnes, ac mutuò quidam illuſtrantur.* 106

CAP. III. *Minimò. Quædam in Curculione leuiora facilè; alia magis intricata & obſcura vix emendantur vel explicantur.* 109

CAP. IV. *Te, tibi cui. Græci leues, bibaces ac furaces Plauto: à poſtremo crimine hic defenſi, iubet es ſunt thermopolio, ibi calidum ſorbent, inde operto capitulo bitunt. Vitare infortunio. Certum & Aliquid,*

*Velle*

*velle gratiam alicuius. Exefficere. Multa Curculionis emaculata, declarata.*

AP. V. *Inſtare, impendere, ſeruire, inſeruire, cum accuſandi caſu. Multa Plauti corrupta in verbis & ſententijs, multa confuſa in perſonarũ vicibus reſtituuntur. Etiam Turpilius emendatur.* 113

AP. VI. *Iterum perſonæ turbatæ digeruntur, aliaq́; ſimul corrigũtur, explicantur.* 115

AP. VII. *Hodie, Comica additio. Promiſtin'. Liberali ſcilic. cauſſa. Tum. Pluſculæ notæ: quibus alia in verbis, alia in perſonarum ſitu, alia in ipſo verſuum ordine turbata & turpata concinnantur ad locorum lucem ac fabulæ nitorem.* 117

## CASINA.

. I. *Plautus, latrans nomen ex ſententia Douſiana. Poſtidea. Au... Ratione vti. Ad Caſinæ prologum explicationes & emendatio... aliquot; vna etiam in Appuleium.* 124

. II. *Perſonæ errantes in prima ſcena iuſto ordine diſponuntur: & ...tentia laborantium locorum exponuntur.* 126

. III. *Præſepe, ſtabulum flagitij. Nihil, omnia cum illo mihi ſunt. ...dam in verbis, alia in perſonis emendata: tum verſus traiectio ...gnis oſtenſa. hæc reſtituta, & reliqua omnia explicata.* 127

IV. *Sortitus. Emſim. Aſſulas cit. In aliquot ſcenas pluſcula le... inſigniore vna diuinationes.* 130

V. *Sortes diribere. Euge, catè! Ominis vituperatio. Præter emen...nes alias multa in perſonis turba compoſita, & ſententiæ locorum ...lorum explicata. In Aſinariam coniectura extra ordinem.* 132

VI. *A me, à nobis. Nuptiæ, nuptias facere, nubere, intellectus ob...ris. Hallucinatio Lambini exploſa: Gulielmij correctiones Plau... & Arnobiana pariter accepta firmataq́;: tum hæc & alia è ſcri... alijs illuſtrata.* 135

II. *Ceterùm. Plauti locus vnus è fragmento Feſti, alij aliunde ...ati: præterea in alterius cuiuſdam explicatione diuerſa magno...rorum ſententia cum noſtra opinione.* 137

III. *Factis. Dolum procudere. Variè correcta multa verſuum, ...em, perſonarumq́; errata: loca quædam adverſus alios expli...* 139

*Incanis. Ilicet. Haud ex merito. In plures ſcenas plurium lo... multigeneres emendationes, interpretationibus, vbi opus eſt, ...* 141

## CISTELLARIA.

*...ſtellaria ancillæ nomẽ & Comœdia. Si, ſi: ſi, ſiue. Verſus qui... ...enſus antehac turbati, nunc conſtituti. Præter Plautũ emen... ...liosq́; ſimul illuſtratos, Catullus leuiſſimè tentatus.* 147

*...oc opere. En vnquam. Et quiſquam. Iniurium, iniurius. ...ne fabulæ ſapiculè correctus item explicatus loco difficili cõ-*

*tra aliorum varias opiniones. In Terentium etiam & Ouidium & Næuium ſingula correctiones.* 150

CAP. III. *Nubila mens, an nulla in amore. Parentheſis inepta commodiore verſuum traductione mutata: quædam alia inſuper emendata.* 152

CAP. IV. *Non? hem. Pedatu. Verſus aliquot in pedes ſuos repoſiti: perſona ad ſententiam verborum aptata. Poſt minuta quædam, quædem grauiora in Plautum; Nonius leui manu purgatus. In Aſinariâ quoq; & Pœnulum leues cenſura.* 154

CAP. V. *Blanditÿs ſubagitare. Coniectura in hanc fabulam vna: tum alterius loci fracti mutiliq; ex antiquis libris reſtitutio tentata.* 156

CAP. VI. *Conquiniſcere. Puerile officium, corollarium. Terminus. Cenere. Interpuncta, verba, verſus in melius mutata. Dein liberiores aliquot loci non hic tantùm Plauti, ſed & Pſeudolo extra ordinē, neq; ſolius Plauti, verum Apuleÿ quoq; & Pomponÿ correcti, ſimul, quod fit pace ſeueriorum lectorum, enarrati.* 158

CAP. VII. *Euenire. De verſuum aliquot & verborum menſura, tum locorum integrorum ſententia & emendatione diſputatum.* 162

EPIDICVS.

CAP. I. *Conſſolet Eugepæ. Dixis. Vt vel vtcunque, exin. Emendata multa nouiter, aliorum quædam confirmata, quædā refutata. Plautina aliquot argutia ac ioci declarati.* 167

CAP. II. *Puppis pereunda eſt. Depolire, pectere, exornare, exſincerare. Degere, an detegere, an delegere. Vulgata lectiones quædā defendūtur, de aliÿs nouis diſputatur. Aſſertio Nonÿ & fides in dubiū vocatur.* 170

CAP. III. *Piſtor. Aſinus. Huic homini. Elocare, conducere: occupatū, otioſum argentum. Plurium locorum in verbis, perſonis, verſibusq; corruptorum emendationes & explicationes.* 172

CAP. IV. *Fœminæ impluuium & fundos induta. Deſtinare, quid? diligenter excuſſum contra Nonium. Plauti multis & inſignibus locis, vni etiam Lucilliano, lux & medicina facta.* 175

CAP. V. *Qui, tibi cui. Hoſtium potiri. Pluries correctus Plautus & declaratus, eiuſdem negligentia notata, error vix excuſatus.* 178

CAP. VI. *Igitur, noua vſurpatione. Verſuum traiectiones in Epidico oſtenſæ binæ, vna leuior, altera grauiſſima: tum legitimus ordo reſtitutus. Etiam Nonÿ leuiculus error tactus & detectus.* 180

CAP. VII. *Quemne, Vterne, Quantane, Qualine? Verſus vnus iteratus temerè, deletus: aliÿ plures concinnati. Loca integra emendata, illuſtrata.* 182

CAP. VIII. *Compos miſeriarum, culpa. Animus domum remigrat. Lenocinium facere. Correcta & explicata ſæpe Epidicus. In Symmachum leuis nota.* 185

CAP. IX. *Plus duodecim dÿs: plus decem minis. Ei, i. Beneficÿ aut mali ſeges & meſſis. Tranſpoſitio verſus vnius, alterius iteratio oſtenſa. hac*

*ſa. hac tiecta, illa correcta. Plures deinde verſus emendati, locaque difficilia contra & prater alios explicata.* 187

BACCHIDES.

AP. I. *Benè: rectè. Plenus ſanguinis. Locus latentior aperitur. Verſus uteratus expungitur. Alia corriguntur.* 193

AP. II. *Verſus plures in vno loco variè diſtecti, in ordinem redacti. Ordo explicatione comprobatus.* 195

AP. III. *Quámne. Strigo. Trico. Pluſculi verſus in numeros repoſiti: quidam aliter emendati explicatiq; : vnus pracipuè contra virum doctum correctus & aliò traiectus.* 197

P. IV. *Multa variaq; ad Bacchides noua cenſura: tum emendata quadam aduerſus alios: in quibuſdá aliorum ſententia firmata.* 200

P. V. *Fruſtrari. Inimicus in aliquem. Extentare. Ducere ſe aliquò. Prater alias correctiones miſcellas, ſimilia loca Plauti collata inuicē & illuſtrata. Inibi noſcitationis apud eum formula notata.* 203

. VI. *Ius & mos. Ingenio, non Genio tali aut tali natus. Eia, quin. ...ſſiere. Mendacis prehendere, & ſimilia an dicantur. Animus ſpe... ...t, ſuperat. Corruptela aliquot à Plauto diſenſa, reiectis emenda... ...nibus alienis. Noua plures emendationes allata; quadam aliorum ...mata. Multa inſuper in Plauto & aliis illuſtrata.* 205

. VII. *Ceterùm. Reliquùm. Eſtne, pro Sitne. Pluries corriguntur ...cchides: locus vnus diligentius contra alios explicatur. Reſtitu... ...r item Captiuorum pratermiſſus locus.* 208

VIII. *Belli. Laertius. Illicdem. Tetuli Congreditor. Prater verbo... ...a correctiones, in verſibus concinnandis pracipuè laboratum. Si... ... etiam leuiter interpolatus.* 211

IX *Neq; haud. De ſede verſus vnius, de alterius lectione & ſenſu ...utatū. Alii lenius correcti. Scenula tota in numeros repoſita.* 214

X. *It, abit dies, ſol. Veſper hic eſt. Ingens in animo cohibile. Reli... in Bacchides cenſura multa. Scena integra verſus conſtituti. Poſt... ...verſuum, ſenſuum, perſonarum errata remota. Pleraq; explica... ...ibus aduerſus alios illuſtrata. Fragmentum deniq; Bacchidum ...a alium emendatum.*

MOSTELLARIA.

*Tradere in piſtrinū. Obolere alliū. Arbitrē. In vſu, in ſpetiē. Mo... ...ria moſtella pluſcula correctione & interpretatione domita.* 223

. *Euge, Tum. St. Varia loca & inſignia quadam variè inſigni... correcta, declarata. Verſus alienus, ſi fortè, monſtratus vnus: ...tiecti. Nonius reprehenſus.* 226

. *Anni ſexaginta pro multis. Plurimis locis hac fabula contra ...mendata, explicata. Verſus vnus eiectus, plures concinnati.* 229

*Niſi quid. Negry quidē. Calida cōſilia deos ſubiicere. Vulnera ...mu'ta ſanata. De verſuū plurīū lectione, ſenſu, loco diſputatū. ...or omnino eiecti, vnus tranſpoſitus. Alia cōtra alios dicta.* 232

CAP. V. *Priuum. Iuerit, iuuerit. Cibo iuuari. Ratis an pars nauis? Nauis confertur. Auſpiciò. Correcta pluries moſtellaria, & contra varios explicata, illuſtrata.* 235

CAP. VI. *Peculiũ, as, opes de ſuo, à male, de vetito. Theſauri è pauxillo, quaſi paxillo. Ferocem facere. Puere. Eii. vitia verborũ, verſuũ, ordinis, perſonarũ variis modis quam plurima tolluntur. Loca ambigua & ioca nouiter declarantur. Aſſenſũ aliis, ab aliis diſſenſum.* 238

CAP. VII. *Fores, quod oſtium. Illi. Captare cum aliquo. Captatio in gladiatoriâ: inde aliò traducta. Tranius. Plautus ſæpiſſimè, locis etiam difficillimis aliquot, correctus, illuſtratus. Lacuna in eodem ſuſpicio. Quadrigarii apud Gellium emendatio. Aliorum hinc inde correctiones atq; interpretationes reiecta.* 241

MENÆCHMI.

CAP. I. *Epidamnus an & Epidamniũ De ianua cõpeditorum admonitiuncula. Cari paraſitici. Menæchmorũ prologus & principiũ nouiter; itemq; cũ aliis, & cõtra alios porrigitur aliquoties atq; explicatur* 249

CAP. II. *Egere aliquid. Scortum ducere: ad cœnam condicere. Ob induſtriam. Mille paſſuum mora. Expeditè fabulari. Variè multa emendantur, & quædam inſigniora. Refutantur aliorum ſuperuacuæ correctiones, ineptæ explicationes: noſtra firmantur.* 252

CAP. III. *Iuſſo, iuſſim. Obſonatoris officiũ ac diſciplina. In verbis pauca, multa in perſonis & ſenſu nouãtur. Omnia explicantur, illuſtrãtur. Viri docti ſententia contra Lambinũ reprehenſa; Lambini defenſa, cum noua ibidem additione: huiuſdem alibi vltrò damnata.* 254

CAP. IV. *Certũ facere. De verbis alicuius metuere, cauere ſibi. Au tergo! Scio, vt me dices. Cenſura noua in loca tacta aliis & intacta: cõtra illos emendata quædã & explicata. Plauto verſus olim fugitiuus nunc recens reſtitutus. Eadem totidemq; verba Plauti & Varronis in inuitatione ad diſcumbendum oſtenſa, forſan ei rei ſolennia.* 257

CAP. V. *In dies ſingulas eſcas edere. Au, iterum. Argutia in particulis Huic, Mihi, Tibi, cum verbo auferendi & eſuriendi. Leues aliquot emendationes in verbis: grauiores hæ deinde in verſu iterato, qui eiectus: tum interpretationes in obſcurioribus, qui correcti contra interpretem & illuſtrati.* 260

CAP. VI. *Nõ audes? Degerere. Se tenere. Pluriũ locorũ noua, nec paucorũ cõtra alios nouatæ emendationes cũ explicationibus aliis noſtris.* 272

CAP. VII. *Pugnorũ ſatio & meſſis. Cuſi. Traducti aliquot verſus: plures à diuerſis vitiis pũrgati, & luce explicationum illuſtrati.* 265

CAP. VIII. *Satin hoc pro ſano? Sedatè ſeruire Ora comentare. Noſcito. Reſtitutio ordinis in verſu traiecto vno; in plurib. corruptis aliis, verborum, ſententia, numerorum; firmata vbiq; & declarata.* 266

MILES.

CAP. I. *Vt qui. Quin vt. Inſanum & inſanè quomodo vſurpentur. Multæ Militis labes initio deterſæ, pleriſq; interpretamenti fax adhibita.*

*Verſus*

Verſus vnus maximè controuerſus,penſiculatius examinatus, & rẽ ſcriptus è Varrone. 273
[C]AP.II. Oppida ſcenica. Deridiculo eſſe. Labiorum ductatio, & vulga ſuauia poſt alios plenius explicata. Interibi. Quod Dii volunt, vt Dii voluerunt, formulæ excuſſa. Atq;. In vicem. Verſus traiectus vnus: plures variè correcti aduerſus alios & illuſtrati. 276
[C]AP.III. Curas, an rugas cogitare. Cōſilia, facinora coquere, decoquere. Inaudire. In maximū malū cruciatū inſilire. Iſti. iſti. De ſublatione adiū in crucē, & adiū metaphorā ad hominē ſeruū, opinionei aliorū [re]futata. Ædes, vt domus, pro familia. Pede, capite ſiſtere. Scena Mi[l]itis duæ examinantur: multis locis contra viros doctos, pluribus a[l]iàs emendantur, explicantur. Locus Truculento illuſtratur. 279
[CAP]. IV. Multa variaq; in vnam ſcenam diuinationes, interpretationes [...]ua, veteribus quibuſdam aliorum probatis & improbatis. 284
[CAP]. V. Commeatus parietem tranſtinet, vtroq; continet, quomodo hic [...] Sticho accipienda. Scena iterum integra diligenter expenſa. Multi [...]ea verſus concinnati, mutata interpuncta, verba emendata, perſo[næ] diſtincta, ſententia explicata. Locus vnus confuſior, eximiè corre[ctu]s & enarratus. 286
[CAP. V]I. Perrectum in Milite emendanda. Correctiones quædam nouiter [...]ta: veteribus aliorum detractum, vel additum. Traiectio vna [...]ata: altera timidè tentata. 289
[CAP. V]II. Quis homo ſit magis? Vt. Autem. Merces, i. merx. Quiduu[m] [...]eſt. Scena tota recenſita. In ea traiectio oſtenſa; verſus concin[nati], verba, perſonæ, interpuncta, alia atq; alia variè, nec pauca cō[tra a]lios, correcta, explicata. loci quidam etiam enarrati. Etiam [...]ilii locus defenſus.
[CAP. VI]II. Niſi quia. Eapſe, bis. Aures merum orationis adbibunt. Re[...]ſilii. Fundare nauem, non profundare. Rogare? Quin? pro [...]? Aliæ locutiones. Binæ ſcenæ coacta in vnum caput. Earum [...]a omnis generis, vt vno verbo comprehendantur, emendatio[nes, i]n interpretationibus neceſſariis. Aliorum commenta ibidem [...]ta ſparſim aut in melius flexa. 295
[...] Liberi per impoſitionem feſtucæ, non & ingenui ſtatim per [...]. Ius ingenuitatis aliud, præter libertatem. De quibus incau[to]rum aſſeueratio & confuſio notata, correcta. Plautinis ali[...]ſibus lux medicinaq; facta. 301
[...] Circus ad ludos. Sermo cinerem non quæritans. Vileſt. Siſti. [P]orrò in Militem emendationes locorum variorum, vt res & [...]s. Defenſa quædam contra alios, quædam aliter mutata. [O]mnia dilucidè expoſita, & firmata. 303
[...]uod exercitus. Ordine ire. Tamen-etſi, in tmeſi. Deos teque [...]eri alicuius. Alia loquendi formula, quas non eſt minuta[...]ſere. Correctiones aliorum veteres aſſerta quædam, aliæ re[...]oſita noſtra plures varii generis, allata. Loca ipſa diligenter

*excuſſa & interpretationibus illuſtrata.* 307

CAP. XII. *De loci inſignis emendatione Gulielmiana diſputatum : ea reprobata : ipſe conſtitutus aliter, eiectis vocibus inſititiis è repetitione, verſibuſq; compoſitis ad ſuam legem. Alia deinde correctiones, in quibus & tranſpoſitio, ſed ambigua.* 312

CAP. XIII. *Labra labellis artè ferruminare. Inueſtigando opera parcere. Diſpennere, Diſtennere, tennere, tenus. Plurima adhuc in Milite variè correcta, ſimul explicata.* 313

## MERCATOR.

CAP. I. *Cenſura in Mercatoris initium. Loca quadam dubia poſt alios tentata, atq; alio modo, ſi fortè, conſtituta.* 319

CAP. II. *Balnea veterum à via & aliàs, laſſitudini eximenda. Lubet ſcire me. Traiectiones verſuum, duæ oſtenſa : alia multa variè correcta, explicata. locus etiam tenuior interpretatus.* 321

CAP. III. *Porro-ſcena examinata : Multa in iis emendata verborum perſonarumq; mutationibus : numeri refecti : verſus etiam vnus traductus. Expoſita quibus opus fuit, & declarata.* 324

CAP. IV. *Vnum hoc. Deferre, dare, ſpondere dotis. Aliorum quadam refutata. Terentii locus defenſus. Plautus ſapiculè correctus, illuſtratus : in eodem repetitio importuna duorum verſuum oſtenſa.* 327

CAP. V. *Plauti multa, magna minuta, vulnera obligata. Loca turbata, conſtituta : fracta & mutila, de ingenio expleta & refecta. Verſus dubia ſodis, vix tandem in certá conſtitutus. Pſeudolus etiam correcta. Explicationes addita, vbi & quantum opus fuit.* 329

CAP. VI. *Scenula paucorum verſuum, multis grauibuſq; traiectionum & interpunctionum mendis liberata : tota enarrata.* 333

CAP. VII. *Iterum traiectio verſus, aliaq; turpes interpolationes remota. Correcta alia quamplurima variis modis. Quadam loca diligentius excuſſa, & dilucidè explicata.* 334

## PSEVDOLVS.

CAP. I. *Pſeudoli initio verſus concinnati : Lacuna oſtẽſa. Terentii imitatio. Verſus idem Bacchidibus. Horridula papilla. Macrobii inde locus reiectus. Neparcus. Flere drachmis, plorare lacrumis. Perſona eiecta. Pubi. Intus egredi. Loca plurima correcta & interpretata.* 339

CAP. II. *Habere edictionẽ, expurgationẽ, conuentionẽ : facere aſcenſionẽ, reuorſionẽ. ἐξ ἀνϑρώπων ῥιπτεῖν. Praſterga quid vocis ? ea emendata. Hedyliũ amica nomen, non Sedulsiũ. Malo, à vel de malo rem quarere. Deuinxe, & ſimilia. Quorundã correctiones approbata, quadã reiecta : multa noſtra variorũ locorũ firmata, locis ipſis diligenter expẽſis & explicatis. Inſuper Cornicularia noſtri leuiter emaculata.* 343

CAP. III. *Animo aliquid auſcultare. Licetne viuere ? Lutro pietate non obſiſti poteſt. Porcere. Neplacet. Amatores; dũ dãt, lenonib. & amicis viuunt : mortui ſunt, cum iiſdẽ non placent. Explicationes aliorũ & coniectura adiuta quadam, quadã abiecta. Locus mutilus depoſitus. Perſo-*

rſonæ ſæpius mutatæ. Pluria loca emendata, declarata. 346
.IV. Parum fides, plurimum malefacta, ſatis inſomnia, affatim
parum miſeria, abundè libertas, ſatis præſidia: & ſimiles locutio-
s. Criminaret, Compecti. Chlamis viatoris. Mutatæ diſtinctiones,
rſonæ, verba multa. Concinnati non pauci verſus. Aliorum corre-
ones, interpretationes improbatæ. Nouiter emendata quam pluri-
a, ſimul explicata. 349
P. V. Aliquid & alicui prauorti. Conſilium bene accidit Eugepæ.
rater alias emendationes varias, perſonæ variantes multoties con-
ſtitutæ. Loca quædam poſt alios aliter tentata. Pleraque interpretata.
53
P. VI. Miniſterijs, negotijs præfulciri. Si eras coquus, Si homo eſſes.
Drachmâ, nummo, aſſe, gratuitò eſſe. Numerus ſingularis pro plurali,
& contrà. Cũ aliquo cauere, captare, orare, obſecrare. Prouerſus, prorſus,
& cognatæ voces. De traiectione loci vnius, plurium alia corre-
ctione, dubiâ quorundam ſententia, & loci explicatione variè diſce-
ptatum. Verſus vnius in Varrone diuerſa ſcriptura monſtrata. 356
AP. VII. Scenæ aliquot percurſa; correctionibus, explicationibus il-
luſtratæ. Binæ præterea traiectiones in vna, ſed dubiæ propoſitæ.
360
AP. VIII. Niſi quid. Bilinguium. Bilinguij inter ſe prehendere. Par-
cipromus. Commemorare. Irci aliquot explicati: perſonæ plures paſſim
inuerſæ: continui tres verſus eiecti: verba quædam traiecta. Multa
alia aliter emendata, ſubinde interpretata. 362

POENVLVS.

CAP. I. Pœnuli Periochâ & Prologo variè correcta quædam. Verſus
alij aucti, in numeros alij digeſti, alij traiecti. Nonnulla & explica-
ta. 369
CAP. II. Domi doctus. Macerare. Mala malitia. Verùm, verò, pro Imò,
multis exemplis. Scenæ primores duæ tota emaculatæ. In ijs plures ver-
ſus vel longiores, vel turbatiores concinnati; vnus dubiæ ſedis, tamen
in ſua-nunc relictus & conſtitutus; duo ſpurij locis diuerſis eiecti: di-
ſtinctiones & perſonæ ſæpius mutatæ; vna etiam noua pediſſequa in-
ſerta: locus, in quo quidam nugati, parentheſi explicatus: alia poſt
alios aliter correcta, quædam & interpretata. 372
CAP. III. Periurium & inceſtus, pro ſimplici mendacio & ſtupro. Con-
uiuia in ædibus ſacris. Loci inſignis vnius, à multis tentati iam olim,
ſententia genuina declarata, falſis aliorum & variis reiectis: plures
nouiter, & quidam contra alios, emendati, explicati. Voces aliquot
mutatæ, nonnulla traiecta. 378
CAP. IV. Locus Pœnuli variè iactatus emendatione & explicatione
certâ conſtitutus: cum eodem comparati ſimiles alij multi, in quibus
duplices ſententiæ & tectæ imprecationes: earumq; formulæ hinc inde
è pleriſq; Comœdiis auctoris, Captiuis, Caſina, Epidico, Milite, Pſeu-
dolo, Aulularia, Menæchmis, Perſa, Mercatore, Rudẽte, Amphitruo-

*ne collecta omnes, & hic ſimul illuſtrata. ad finem de Amphitruoiſt ambiguo loco contra quendam diſputatum. is ipſe poſtremò aliter correctus, & explicatus.* 381

CAP. V. *Comici & Tragici condocti & meditati. Attate. Vacillantes diſtinctiones aliquoties firmatæ: perſonæ ſuppoſititiæ ſæpiſſimè mutatæ. Verſus qui bis poſitus, poſteriore loco deletus. Occultior loci eximij ſenſus patefactus, alioque ſimili illuſtratus. Interpretũ nunc ſupinæ, nunc ridiculæ explicationes exploſæ. Numeri verſuum tranſpoſitis & diſpoſitis verbis pluries concinnati. Iterum alterius verſus e proxima ſcena in priorem tralati repetitio abſurda confutata, atq; ipſe hinc extruſus* 384

CAP. VI. *Meditari, pro loqui. Corium aut tergum ſufferre. Tectius tacitius. Surptus. Perdeam verbum non acceptum, aliud ſubſtitutum. Locus Plautinus per vnius voculæ tranſpoſitionem effectus & declaratus. Verſus traiectus. Verba in numeros digeſta. Multa ex antiquis aliter lecta: quædam indidem aucta. Perſonæ, quæ vel omiſſæ, reſtitutæ; vel quæ turbatæ, aliter diſpoſitæ. Interpunctiones mutatæ. Quæ emendata paſſim, ſimul explicata. Denique locus integer vitiatus in perſonis & interpunctis verborumq; ordine, reſcriptus* 388

CAP. VII. *Impetrare, pro patrare, non probatum. Ficulæ, fabulæ, nuculæ. Surptus. Neuis. In Pœnulo emendandâ explicandaq; proceditur. Verſus in pedes ſuos reponuntur. Iocus tectior in ſeruos ſarcinatos, quos ideò veteres & antiquos Plautus appellet, detegitur. Voces pluſculæ verſibus aliquot ex antiquis libris adduntur: nouitiis vna detrahitur. Verſus vnius dubia traductio monſtratur. Solœciſmus, ſi forte, notatur. Alia contra alios corriguntur, explicantur.* 392

CAP. VIII. *Clarius clamor ſine modo. Inter vias, dies, annos &c. Mutatæ diſtinctiones & verba: hæc etiam aliter alicubi digeſta. Turbæ perſonarum mirificæ locis pluribus compoſitæ. Locus vnus perturbatiſſimus in ordinem ex vero ſenſu reductus: tum aliquot continui verſus è ſcena media reiecti in eius finem.* 394

CAP. IX. *Quæ res? Tenere, tenax, Venerea: item Dirumpere. In memoriam habere. Allex. Allium Vlpicum. Multa adhuc in Pœnulo variè emendata. Mutata verba, verſus concinnati. Fœdæ perſonarum confuſiones iterum quamplurimæ ſublatæ. Quædam vt correcta, ſic & explicata aduerſus alios.* 397

PERSA.

CAP. I. *Quadruplari. Albo ariete oppugnare. Perſæ principium à maculis pluribus expurgatum Diſtinctiones, perſonæ, verba mutata: locus totus intricatiſſimus ope lib. vet. extricatus, & interpretatione clara enarratus, Album rete de oppugnatione remotum: albus aries ſubſtitutus. Locutio ipſa hæc eleganter explicata: altera cum explicationibus aliorum refutata & damnata.* 407

CAP. II. *Surpta. Interibi. Herilis fides, pro ſeruo, qui hero fidelis. Plinij ad Plautum adſpectus notatus, & in vtroq; adubitatum. Alterius*

error,

r, *alterius defectus emendatione leui fortaſſean ſublatus. Alia*
*a diuerſi generis menda correcta.* 411
III. *Largiri bobus, dictis. Abidum. Reijcere. Perennitare, Super-*
*are. Quæ hæc res ſunt? Cuiuſmodi. Plautina aliquot loca conten-*
*tur. Traducitur ambiguè verſus. Scenæ aliquot corriguntur, nu-*
*ris, perſonis, diſtinctionibus mutatis.* 413
IV. *Logi dotis, nummi præſidij, dies ſpatij, & talia quâ formâ di-*
*tur. Traloqui, Tralegere, & ſimilia. Mirum quin. Schema pro*
*uis habitu, non tantum penula ſeruili. Dos filiarum Homeri &*
*raſiti. Dubia verſus vnius traiectio: alterius admodum contro-*
*ſi conſtitutio. Locorum plurium variæ & miſcellæ collationes,*
*ndationes, explicationes in aliquot ſcenas ordine percurſas.* 416
V. *Ais & agis ſibi ſæpe ſuppoſita. Prægnauiter. Copiſſimus. Ca-*
*e, Labi, in obſcenū ſenſum poſt alios adſtructa. Locus intricatiſſi-*
*us, in quo aut ſuperfluit, aut deſit verſus vnus, explicatus. Numeri*
*pecule cōcinnati. Correcta multa in verbis & perſonis, quà malè diſ-*
*ſitis, quà omiſſis. Tibulli carmē emendatū, & totum enarratū.* 420
P. VI. *Quis. Triginta minæ ſolenne pretium mulierculærum. Pror-*
*m. Re præpoſitio producta. Verò. Fruſtum verſus alteri agglutina-*
*am. Ordinata ſæpe verba. Perſona digeſta alibi, alibi exemta. Lam-*
*iniana verſus inſertio probata, argutatio Gulielmiana improbata.*
*Duplex loci diſtinctio, de elegantia inter ſe certans. Alia ad lucem &*
*nceritatem Plautini textus dicta.* 423
P. VII. *Aquula in initio conuiuiorum. Me, particula antiquè ab-*
*ndat. Bene nobis omnibus, formula in Plauto hactenus fallens, luce*
*iſtinctionis iam protracta. Eijcere vehiculum. Manum adire. Hem,*
*verberantis. Staticulum dare. Promiſcè.* κηλαφίζειν. *Nummi ſciunt.*
*Multæ in reliquas ſcenas emendationes. ibi verba, interpuncta, per-*
*ſonæ, variè omnia traiecta, abiecta, mutata: Verſus ipſi concinnati:*
*horum vnus traductus. Lambini abſurda gloſſa ſæpius exploſa. Loca*
*nonnulla declarata.* 425

## RVDENS.

AP. I. *Rudens inchoata. Ibi Arcturi ortus & occaſus nouo ſenſu. Quæ-*
*ſtus meretricibus.* βωμολόχοι. *Varijs modis oratio ſæpe complanata.*
*Contra Lambinum locus vnus atque alter correctus, explicatus: qui-*
*dam traductione ordinatus: alij cum alijs collati. Plutarchus etiam*
*emendatus.* 433
AP. II. *Loca Rudentis aliquot collata: quædam emendata. Verſus*
*concinnati. dimenſio indicata. Lambini interpretatio reiecta. Impre-*
*catio occultior in ambiguitate verbi, eruta & illuſtrata.* 436
AP. III. *Deripere, Venire, Euenire. Mœnia hūc. Aridū argentū pro v-*
*dis mulierculis. Eſcit. Quine. Medicina pluriū porrò verſuū. Loci v-*
*nius* ἀλογία *cōfudata, & ad rectā rationē emendatione reducta.* 438.
CAP. IV. *Amplectitur crura fuſtibus. Ampectere. Totum cum pulviſculo:*
*Proficiſci: Profectus ire. Pariter qualis. Nequi. Inuentuſt, mentituſt,*

*communeſt,qualia. Exurgeri. Exſugebo. Mutata interpuncta, verba, numeri ad concinnitatem. Carrionis argutia reiecta. Locus rationi aduerſus ad ſanitatem correctus. Multa, nec exiles omnes, emendationes, explicationibus paſſim annexis.* 441

CAP. V. *Primarius vir: rem faceſſens. Abs te, contra te. Ab re. Cibit. Solutuſt. Hoc habet. Properè. Placidè, Promiſcàm. Promiſcus. Locus vnus intricatior, expeditus: alij multi variè correcti. Lambini interpretationes & cenſura quædam ventilata. Verba traiecta: verſus compoſiti. Perſonæ ſæpius errantes ſub legitima ſua ſigna reuocatæ & in ordines rurſum diſtributæ.* 445

CAP. VI. *Tamen. Infelicito. Licet. Præda prædatum irier. Or vltimæ verborum ſyllaba Plauto interdum longa. Numeri verſuum, & interpuncta aliquoties aptata. Lambini quædam ineptæ explicationes damnatæ: aliæ cum emendationibus ſubſtitutæ.* 449

CAP. VII. *Cenſionem facere. Os calens frigefactare. Git. Quid iſtuc? Ni, niue. Promiſti. Mirum quin. In correctione & ſenſu loci vitiati Lipſio ſubſcriptum. Verſus quidam expleti. Contra Lambinum & alios multa emendata & explicata. Pœnuli locus ad exemplum Rudentis reſtitutus. Iuramentum malæ fidei & defectus argutum, Eius formula de nouo concepta & præita ex conſilio magni amici.* 451

STICHVS.

CAP. I. *Saluéne amabo? Saluè agere: & de eius formula ſcriptura. Exangeri. Animum augere. Augeri, Creſcere, Foueri, Expleri, noua ſignificatione. Implere apud IC. Mureti verſificatio in prima Stichi ſcenæ non cum alijs approbata. Ibidem vnus alterq; locus excuſſus, & recens emendatus. Firmata vetus Palmerij in Terentium alibi, & his in Plautum correctio: noua à nobis Panegyrico Nazarij imputata.* 458

CAP. II. *Voluntate. Igitur deinde. Poſtidea igitur deinde. Illico, quot modis accipiatur. Penſior conditio. Alia quædam verborum nota. Multa verò loca, & quædam contra Lambinum, emendata, explanata: interpunctis, verbis, numeris mutatis. Præter hoc perſonis ſæpius ſui verſus redditi, & ipſi aliter conſtituti. Plauti etiam inconſtantia notata. Et Nonius caſtigatus & expletus.* 460

CAP. III. *Inter. Ex vero, facili. Ex pictura. Paupertas ridicularia. Supellex paraſitica. Locus ab additamentis inquinatiſſimus, expurgatus. Mox verſus vnus tranſpoſitus: plures in numeros repoſiti. Iuuenalis cum Plauto compoſitus. Mutata diſtinctiones. Alius integer locus de paraſiticæ auctionis præconio diligenter examinatus, mirificè traiectis aliquot verſibus correctus, perſpicuè explicatus. Aliorum quædam approbata, quædam refutata.* 464

CAP. IV. *Confundere, an contundere alicuius facta. Contemnere, pro contemni facere: & ad eum modum pluſcula, Intermittere, Reſultare, Decipere, Deſidere, Cohærere, Decidere, Recidere, ex noſtro & aliis. Inter, Intercidere, Interbibere, Intertrahere, Interſtringere, cum ſimilibus,*

, *ex noſtro. Contumelia, vnde. Contemtim conterere. Spatium curriculo. In Plauto traiectio verborum, atque alia plura in bus & verbis correcta. Contra alios quædam dicta, & explicata. uleius, Petronius, Manilius, Neuius emendati, aut illuſtrati.* 469

V. *Multo tanto vanius, impenſius. Nimio tanto plus. Nimio to tanto plus. Nimio minus multo parum, Perbibere & percipere. a & Genius paraſitorum, rex eorum. Ridiculiſſimus. Ilicet. Perſo- um crebri ac turpes errores pluribus & inſignibus quibuſdam lo- caſtigati: Alia præter id multa correcta: & in iis verſus traductio ſpicua. Sæpius alij refutati. Pluſcula interpretata & illuſtrata, ex is etiã fabulis, Curcul. Menæchm. Captiu. Epid. Appuleius deniq; oſſemate liberatus: & Seneca contra alium, non eiectione, ſed traie- ione emendatus.* 473

P. VI. *Plautus ſibi collatus. Reiectæ aliquot aliorum coniecturæ & xplicationes, melioribus ſubſtitutis. Præterea multa variè emenda- ta. Augurium & auſpicium muſtela fecit. Quenè? Obnoxius, Obno- xioſus, & quæ alia inde omnia, quid ſint, quomodo vſurpentur. Di- ſputatum de ijs ad Gellij caput, quod totum illuſtratur, & in parte emendatur. De iiſdem ibidem exemplum Ennij correctum: reliquo- rum auctorũ pleraq; explicata: maximè alia Plauti plura, & vnum eximium in Trinumi loco difficili aliàs & intricato, qui ſimul expla- natur.* 477

CAP. VII. *Apologum agere. Cibum contruncare, an contrucidare. Hercle quin. Habere rem factam, pactam. Ducere ſe eſſe pro adoleſcẽte, pro libero: facere ſe eſſe venuſtum, & ſimilia, in Plauto & Catullo. Perdere & dare interdum æquiparata. Ita vt occœpi dicere. Suſtentare ſedulo. Stas, pro ſtans. Obſtrudere. Contra Lambinũ & alios correcta multa & explicata. Loci aliquot integri numeris & diſtinctionibus conſtituti. Scenæ cuidam principium deeſſe oſtenditur. Perſonæ mul- toties permutantur. Tragœd. Hercul. Oet. emendatur. Alia ſparſim, vt res tulit, addita.* 482

CAP. VIII. *Nimiè liquidò. Facetia. Satis eſſe alicui, Polluctum, pol- luctura. Verſus aliquot in numeris, plurimi interpunctis correcti. Ver- ba quædam tranſpoſita, quædam inſerta. Somnia multorum diſcuſſa. Contra Lambinũ & alios plura emendata, interpretata, Perſonæ locĩ totius ordinata. Verſus vnus traiectus, alter eiectus. Spectatores à Grege hiſtrionio ſub finem fabulæ huius ad cœnam ipſorum feſtiuè re- miſſi: alibi ad ſuam vltrò ridiculè vocati. Quæ reliqua in Stichum erant, diligenter emaculata, & ſi fas ita dicere, extenebrata.* 487

## TRINVMVS.

CAP. I. *Notum malum, optimum. Vt bene viuitur, diu viuitur. Vt diu viuitur, benè viuitur. Diſputatũ accuratius de loci prolixioris initio Trinumi lectione, ſed magis diſtinctione in perſonas: quæ aliter ex or- dine rei in ordinẽ digeſtæ. In verbis tamẽ etiam q̃dam immutata.* 496

**Cap. II.** *Ægrotant artes, mores, fama. Quoniam. Aduerſum quod: præter quod: præ quod. Quidquid, pro quidq;. Similia Plauti loca. Eiuſdem oſcitantia notata in contrarijs ijdem Perſonæ tribuendis. Perſonarum aberratio non ſemel & hic in viam reducta. Non pauci verſus fracti ſarciũtur, conſtituuntur: plurimi paſſim rectius interpunguntur ad verum ſenſum. Sententiæ contra Lambinum aliquoties, & ſæpe vltrò declaratæ. Multa loca contra alios, plura nouiter emendata, traductio inibi verſus vnius vſurpata.* 499

**Cap. III.** *Ars & pars. Pendentem ferire. Pendens habena. Pendere in verbera. Munire, numerari. Nox ducitur. Abbibere, procul habere. Expetere. Per pietatem, obteſtatio. Confident. Vtrum itant, tmeſis. Hŏmo familiariter prædicatus. Neiuuare. Plauti quædam gemina. Interpunctiones ſæpius redditæ. Palmeriana loci vnius atq; alterius emendatio firmata, ſed & amplius adiuta. Contra alios nonnulla correcta, explicata. Pleraq; alia recens obſeruata.* 504

**Cap. IV.** *Ne multa. Poſt Muretum locus Trinummi valde eximius aliâ adhuc traiectione verſus alterius nunc demum integratus & totus conſtitutus: eiuſdem ſententia inſignior hactenus Interpretes fallens, de Sapientia condimento & ætatis cibo, perſpicuè enarrata.* 508

**Cap. V.** *Quaſi, pro quamſi. Quaſi ſi. Quaſi vt. Tamquam ſi. Ibidem vnà trahere. Eodem & iuxtà ponere. Opino. Exigi rem aliquam. Conuenit me, vt decet me. Trinummo verſus aliquot expleti, diſtincti: verba etiam nonnulla mutata. Simul alia leues emendationes, in Mercatorem & Militem noſtri, tum & in Martialem, ſingula.* 510

**Cap. VI.** *Celeri, grandi, vegrandi gradu eſſe. Exignauero verbum nihili, interpolatum. Facileſt, pro facilis eſt. Grauis & leuis. Acer ad ſummos bellatores, Grammaticus ad Scaurum, Rhetor ad Probum & ſimilia. Mutatæ ſæpius perſonæ in illuſtribus alicubi locis, de quorum ſententia & diſputatum. Verba interdum tranſpoſita: diſtinctiones item concinnatæ. Fragmentum corruptum integrum in ipſa comœdia monſtratum. Collatus Plautus ſibi, & Auſonio: qui eadem opera emendatur.* 513.514

**Cap. VII.** *Iurator, pro Cenſore. Multa in verbis mutata, neq; pauca in explicationibus aliorum, quæ reiectæ, Perſonæ aliter alicubi diſtributæ. De locorum aliquot inſignium emendatione, tum illuſtratione, ſedulò agitatum & decretum.* 518

**Cap. VIII.** *Poſtquàm poſt. Memoriâ oblitus. Probare, pro æſtimare. Tutelam tergo aut foribus gerere. Ab re. Dignus cum giguendi caſu. Ius orare. Subitum eſt. Recte: reſponſio ad interrogationem de ſalute. Vxores iuuentuti incontinentiori in pœnam aut caſtigationem datæ. Verſus plures variè corriguntur, numeris, interpunctis, verbis ipſis ſæpius interpolatis: ab vno mutilo Lambini additamentum reiectum. Difficilis locus facili emendatione reſtitutus. Perſonæ ordinatius digeſtæ. Contra alios quædam, plura nouiter vltrò dicta. Leuiter & Auſonius interpolatus.* 522

TRV-

## CAPITVM.

## TRVCVLENTVS.


*Parſimonia, res comparſa: Frugalitas, item. Potior, in amori-
Alteri. Damnoſus. Accepti, nō expenſi ratio apud meretrices: iri-
ns inſignes correctus. Senium ac odium. Verſus nuperis editioni-
c ſtitutus. Interpuncta mutata, verba eiecta. Alia diuerſimodè
: data, explicata. Curculio & Epidicus illuſtrata.* 530

I I. *In voce Publicani latens obſcenitas. Alter pro alius. Longè al-
Obſecro, an & affirmantis. Recipiſſis. Proficiſci. Vrbicum pecus.
:a tibin'. Suaſum. Ar, ad. Sanus ſi videare; Herus ſi domi ſit, di-
a: Plautinæ locutionum formulæ contra alios deſenſa. Ne, pro non-
Viuere, pro eſſe. Mutatæ diſtinctiones: verba ablata alia, alia addi-
quædam traiecta. Verſus concinnati. Diuerſa præterea correctio-
:. Militis locus retractatus. Corruptiſſimus hac fabula verſus poſt
os variè tentatus.* 534

. III. *Varronis ad hanc fabulam obſcurus & corruptus locus,
endatus, explicatus. Illud, hoc vide. Bene ambulare. Dan'. Geſti.
rater alias correctiunculas va . . s, locus in ſe pugnans permutatione
rſonarum extricatus.* 538

P. IV. *Male, pro aſtutè. Argutus. Muneriguli. Frictio genuum in
umili & blanda ſupplicatione. Quid eſt negotij? Manceris, pro man-
ris. Comparatus aliquoties ſibi Plautus. Diſtinctiones mutatæ. Ver-
us vnus traiectus: plures aliter conſtituti. Perſona reddita. Corruptiſ-
ſimus locus emaculatus. Aliorum commenta quædam reiecta. Petro-
nius à mala correctione defenſus.* 542

AP. V. *Poſt illuc veni quam. Exponere ictu, cubito. Metuuere. Inter-
bitere & Interbitare. Diſtinctiones concinnatæ. Lambini aliorumq́;
hallucinationes remotæ. Verſus tranſpoſitus. De Cyamo ſeruo quæſi-
tum. Plures aliæ correctiones.* 546

AP. VI. *Secundare. Præſidere. Ne oblitus, oblituſne. Manum inijcere
aliquem Hillum penſi. Calces ciere. Pectus acculeo aut ſtimulo pun-
ctum. In perſona erratum. In verſibus quibuſdam ordinandis diuerſi
concurrerunt: vnus à nobis in locum multo ſuperiorem retractus: mul-
ti alij aduerſus alios emendati & explicati.* 549

AP. VII. *Audere, pro velle, item poſſe, nouè. Paries, homo interme-
dius alios diſtinens. Vino carere, ſcatere. Manſtutor reiectus. Confe-
xim. Nugæ interpretis ſpreta. Loca plura præterquam quod correcta
poſt alios, etiam expoſita. Verſus quidam traductus. Numeri refecti.
Perſonæ variata. Alia notata.* 551

CAP. VIII. *Potene eſt. Magno. Pecua in crumena. Muretus, Turnebus,
Lambinus refutati. De lectione & explicatione plurium locorum con-
tra hos ipſos diſputatum. Perſonæ exacta. Verſus aliquot exemti, alioq́;
ordine alibi collocati. Finis Comœdiæ totus traductione verſuum in-
terpolatus, & enarratione illuſtratus. Inſignes quædam in extremo
emendationes.* 554

CAP. IX. Extraordinarium. *Quæ ſuis paſſim locis in Plauto nos fu-*

*gerant, item de quibus aliter poſteà ſtatuimus, hîc velut per Saturam plenaq; eorum aut potiſſima retractata. De fundis & cenſibus in muliebrem mundum abſumtis loca elegantia diuerſorum ad Epidicum inſigni acceſſione aucta. Supremam dicere in Aſinaria, poſt omnes contra pleroſque, enarratum. De Mulis in Aulularia locus Tertulliani, item Martialis, ſtabilitus. Emiſſitius, Demiſſitius, Perpeſſitius. Tertulliani ad Plautum adſpectus. Seneca correctione tentatus. Offrenatus dolis, illecebris, offâ. Rugare. Detegere, Detergere in Plauto & Appuleio an permutanda. Turpilij verſus concinnati. Occupare, Locare ſuis cõtrariis permutata. Species, pro ſpecimine. Lucillius correctus. Medicari morbum. Prauelle. In Simplicitus oſcitantia Nonij detecta. Habere coctum cibum, coquere. Epeus fumificus, pro coquo. De eo Varronis locus: & ibi Fragmentum nouum Plauti repertum. Genere, contumelius cadere. Reuorſionem facere. Neu, pro Niue. Plauti Querulus & Aulularia, item Rudens & Vidularia argumenti ſimilis aut eiuſdem Comœdia. Fragmenta alia duo rariora, emendata & explicata. His omnibus alia quoque nonnulla inſperſa.* 558

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI AMPHITRVONEM *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD

Illuſtrem & ampliſſimum virum

CAMILLVM PALEOTTVM

incl.Reip.Bononienſis Senatorem primarium.

I TALIÆ *veſtræ quoties recordor, Illuſtris & Ampliſſime* PALEOTTE, *cuius quidem recordari me neſcio, ſi rectè dico, quando non ex internallo recurrit eius mihi tam recens adhuc memoria, verùm ipſa perpetuò ante oculos ipſos obuerſatur: ſed tamen quoties & illius, & in illa veſtræ præcipuè vrbis, in qua maximam ferè partem egi, memoriam repeto mecum, & vitam illic retexo meam viris cum doctis & magnis; toties, id eſt aſſiduò tu mihi in mente præter alios, fruorq; iucundiſſima contemplatione maximarũ virtutum, eruditionis, prudentiæ, auctoritatis, meritorum deniq; in patriam Remp. & alteram quaſi Remp. ibidem ſcholam, remq; literariã vniuerſam; & verò ſuper alia cuncta beneuolentiæ incredibilis in me & humanitatis, etiamq; beneficiorum tuorum: quæ omnia neque cogitatione tantùm vſurpo tacitus intra me, ſed oratione interdum & ſermonibus ad amicos: qui vel eadem antè iuxtà mecum docti libenter recognoſcũt, tui memores cultores; vel ex mea prædicatione diſcen-*

*tes primùm cupidè cognoſcunt, his etiam in locis tam procul à te diſſiti tui admiratores. Quod ita fieri teſtis ipſe mihi ſum primũ, dein amici, quos laudare nihil opus eſt, plures hic mei: meritò fieri, ſunt & arbitri communes amici noſtri e veſtra gente non pauci, & es ipſe tu religioſiſſimus vnus optimuſque index. Etenim nec illi magnam partem neſciunt, & tu conſcius es maximè tibi ſolus, quãtopere me quibus modis deuinxeris, & obnoxium tibi feceris exterum hominem: in quẽ cum magna quadam contuliſſes dictis & factis benè, quoad vobiſcum eram, maiora obtuliſti ſub abitum, quæ accipere verecũda tenuitas mea non audebat, vetabat etiam ratio temporum iſtorum & mearum rerum: etſi tu fortaſſis & hæc & alia pro magnitudine animi tui non adeò computas, nec imputas mihi, quæ tamquam ſi imputentur, ſic à me computantur: atque ita ſanè par eſt, eo maioris à me fieri ſingula & ſollicitius æſtimari, quo tu minoris eadem & cura minori habes. In quo ita me gero, vt facilius tibi, quàm mihi ſatisfaciam, qui ſatago iam diu modis omnibus, hunc gratum, ſi poſſim, aliquo modo animum probare. Et egi quidem hoc in ipſa etiam Italia, cum literarũ neſcio quid monumenti pararem illuſtris auſpicio nominis tui vulgare: quod impeditum ſubitò illic fuit & alijs interuenientibus rebus & abitu meo properatiore. Poſtquam autem in Germaniam redij, nondum licuit etiam huic voluntati meæ morem gerere, neque dum licet planè, niſi quòd occaſionem arripui ex horum, quæ in Plautum nuper fui commentatus, editione, partem inde tibi aliquam, & quam niſi primam? inſcribendi. Id quidquid eſt, accipere non dedignaberis interea, dum maius & te dignius aliquid, perque profectum in literis vberiorem meum, perque temporis deinceps opportunitatem meliorem, queam. Hoc enim profectò tenue nimis eſt, & minimè tale, quo ſoluere debiti mei partem aliquantillam poſſe ſperem, aut debiti ipſius adeò magnitudinem rectè putem in publicum profiteri. Quod tamen ita paruum à ſe, fiet ab animo tuo benignè interpretantis ſatis magnum: & qualecumq;, non ingratum certè erit à meo offerentis animo grato. Sic enim ab humanitate tua ſpero, de qua non*

*niſi*

*niſi optimè debeo ſperare. Quòd ſi quando otium à perpetuis in Rep. maximarumq; tractatione rerum occupationibus tuis nactus in* ARGENTINAM *villam tuam, villarum pulcherrimam, tibi recreando natam & cultam, ab vrbe diuertes, vti ſolere te memini crebriuſculè; non grauaberis hunc tibi libellum eò comitem, hoſpitemque non dedignaberis, illum non cibi multi, ſed ioci, eiuſque Plautini, nec epulis accipiendum, ſed fabulis vltrò accepturum: quibus haud inuitus attendas, vt animum remittas; atque vt viciſſim leuiter intendas, iudicio acerrimo tuo cenſuram facies, an auctoris ſui genium aliquem ſpirent, & ecquod operæ pretium fecerim ijs concinnandis. Hæc in illum ſola comitas oro ſit, eritque ſcio tua, cuius omne genus in me ibidem olim hoſpitem acceptiſſimum benigniſſimè effudiſti. Viue, vale, immortalitate digne ſenex, & memoriam mei cum beneuolentia, quarum vtramque ſic in abſentem ſeruas hactenus, vt non ſalutem modò nunties in amicorum literis aliquoties, ſed ad reditum inuites etiam humaniſſimè, porrò mihi ſplendidiſſimi tui nominis æternùm obſeruantiſſimo conſerua.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI AMPHITRVONEM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Plauti, Næuij, Pacuuij epigrammata, epitaphia apud Gellium: itemque Volcatij Sedigiti cenſura in Comicos apud eundem emendata.*

Φθέγξομαι, οἷς θέμις ἐστί. θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις
Πᾶσιν ὁμῶς.

IVuat enim cum Orpheo ſic ordiri, vt iam nunc ab his Diuinationum initiis arceam profanum vulgus, & excludam quicumque à Plautinis ſacris alieni. Diuinamus, ſed non niſi myſtis eiuſ-

dem Decimæ Muſæ, vel certè candidatis. In his quotquot eſtis, adite & audite. Nec alia præfabor ante rem præter ipſam rem: ne huius auidum lectorem otioſa & odioſa verborum pompa moret. Vnde tamen initium potiſſimum capiemus? Detur hoc primum Plauti noſtri manibus, vt epigramma ipſius de ſe ipſo, quod incidendum ſepulcro ſuo reliquiſſe fertur, ante omnia corrigamus. Id a Varrone fruſtra nobis primò traditum, a Gellio deinde vix conſeruatum, non agnoſcat, opinor, ipſe nunc ſi redeat paullisper ab inferis auctor. Eſt enim eius adeò tota facies immutata, vix vt lineam vllam retineat aut veſtigium priſtini coloris. In verbis enim primò quæ varietas? quæ deinde, quod maximum eſt, confuſio in numeris? Hos quidem cùm alios alii, tum qui rectius aliis omnibus ſibi facere videntur, Hexametros faciunt: & illa verò mirificè interpolata ſic iidem conſtituunt:

*Poſtquam eſt mortem aptus Plautus, Comœdia luget:*
*Scena eſt deſerta. hinc ludus, riſuſque iocuſque,*
*Et numeri innumeri ſimul omnes collacrumarunt.*

Sed egon' vt vnquã credam verſibus longis & heroicis vſum Plautum? non poſſum: neque magis hoc, iſtud ab eo loquendi genus, *mortem aptus*: quod mihi tantum abeſt ut Plauto linguæ atq; elegantiæ Latinæ principe, vt nec inſubidiſſimo alio ſcriptore dignũ videatur. Equidem quiduis potius admiſerim, ac vel ipſam Stephanicæ ſcripturam editionis, *morte datus*. Ita namque illo adhuc ſeculo, pro *morti datus*: quod neq; poſteriore planè reprobatum. Alias aliorum ineptiores lectiones nec attingam: ſimpliciter quid ipſe ſentiam, exponam, & planè

——— μαντεύσομαι, ὡς ἐνὶ θυμῷ
Ἀθάνατοι βάλλουσι.

Numeros, tam miſerè diſtractos & coactos, ego ſenarios fuiſſe conijcio, & ipſos numero quatuor; in verbis, tam variè mutatis, ipſum prænomen & nomen latere Plauti. E *mortis* enim vocabulo, & huius quocunque flexu, *Marcus* elicio: ex illis, ſiue *aptus*, ſiue *datus*, ſiue *captus*, ſiue *raptus*, ſiue quouis alio ſimili, *Attius*. His feliciter eductis & reductis, verſum iam primum quomodo redintegrabimus? Hic, non diffitebor, hæreo ſtatim: ſed non abeſt, quin verbum abſit, quod vix aliud fuerit, niſi *demortuus*:

*Poſtquam Marcu' Attius Plautus eſt demortuus.*

vel *demortuuſt*. Vtrumque enim menſura patitur: quam vel aure vel digitis facilè percipiet, qui conſimilem verſum meminerit ex Aſinariæ Prologo:

*Diphilus ſcripſit, Marcu' Attius vortit barbarè.*

Nam ſic hunc ipſum ibi reſcribendum è ſcriptis libris docuit ante decennium, & quod excurrit, optimè, ſi quis alius, de Plauto meritus, Ianus Gulielmius noſter: cuius a tanto interuallo veſtigia non æmulandi (quamquam ô!) ſed imitandi ſtudio nos ſequimur,

& illius

& illius exemplo maximè ad benè de eodem ſcriptore merendum incitari palàm fatemur. Vt ſecundum verſum reſingam, traiectione verborum opus habeo:

*Deſerta ſcena eſt & luget Comœdia.*

Tertio non ego medicus. defectus enim aliquot membris eſt: quippe cuius ferè nihil ſuperſit nobis, præter has voculas, *Ludus, Riſus, Iocus.* Vltimum leuiſſima facillimaq; mutatione vocis vltimæ reſtituo:

*Et numeri innumeri ſimul omnes collacrumant.*

Atque de hoc quidem epigrammate ita cenſeo: quam cenſuram tamen vltrò cenſendam doctioribus ſubmitto. Quid aũt vetat eodem hoc loco, reliquorum etiam, quos Plauto comites & ſodales fecit Gellius, item de ſe ipſis ab ipſis facta epigrammata leuiter emendare? Lubet hercle, vel in Gellii, cui debemus; vel Plauti, & ipſorum, quibus æquè volumus, gratiam. Næuii ergo ſic legendum puto:

*Mortaleis immortaleis flere ſi foret fas;*
*Flerent diuæ Camœnæ Næuiom poetam.*
*Ita qui poſtquam eſt Orcino traditus theſauro,*
*Obliti ſunt Romæ loquei lingua Latina.*

Parum à vulgata ſcriptura hîc demutamus: neque multò magis in Pacuuii:

*Adoleſcens, tametſi properas, te hoc ſaxum rogat,*
*Vt ad ſe aſpiciens endo quod ſcriptum eſt legas.*
*Heic ſunt poetæ Marcei Pacuuiei ſita*
*Oſſa. hoc volebam neſcius ne eſſes. abei.*

In vtroq; rationes reddere mutationis nihil attinet: ipſæ per ſe apparent facilè, quæ potiſſimæ numerorũ, fuerunt tamẽ & expeditæ conſtructionis. Iam antequam caput primum claudamus, etiam Plauti noſtri cenſorem cẽſuræ noſtræ ſubiiciamus. Volcatium Sedigitum dico: cuius non ſententiam tamen culpo, qua Plautum in luſtro Comicorum ſecundo collocauit ordine, ſed verba quædam vitii arguo, quę fuerit operę pretium hîc quoque repurgare. Nam Cæcilio quod palmam ex omnibꝰ Comicis vni tribuit, eò facilius ferimus, quia & Varronẽ videmus eidem eandem, ſed in argumentis, aſſignaſſe. Et hoc ipſo iudice quoniam in ſermonibus Plautus princeps; non ineptè Volcatius ab illo ſecundum huic locum dat: vt rerum argumentorumque ſcilicet omnium prima, verborum deinde & ſermonis proxima ratio ducatur. Neq; parum hoc Plauto: cui nimio hercle ſatis, in eo iudicio ſecundum ſine controuerſia & dubitatione omni ſtatui, in quo & certatu ambiguè diu fuerat, & difficillimũ huic Cenſori erat inuenire, cui iure tandẽ principatus deferretur. Atq; ita eſt ꝓfectò: quicumq; primus à quocũque legi poterat, ſecũdus ab eodẽ Plautus legendus fuit. Iam Volcatio credamus, & Cæcilio cedamus. Sit penes hunc iudicio illius

palma, dum omniũ conſenſu reliquorũ, gloria penes noſtrũ Plautum. Quo alii deinceps ordine eſſent, & minus retuliſſe arbitror, & facilius potuiſſe definiri. Næuiũ tamen idẽ ille tertium facit, apertâ quidẽ omninò ſentẽtiâ, ſed verbis in parte ſubobſcuris. Ait,

*Dein Næuius, qui ſeruet, pretio in tertio eſt.*

Quid autem hoc vult ſibi, *qui ſeruet?* nihil in meis auribus ſonat. Et video nec aliis placuiſſe, qui reſcripſerunt, *qui ſeruet pretiom tertiuſt*. Ita enim Stephanici libri: non multò tamen rectius. Nam *pretium ſeruare* nemo quiſquam alius dixerit, hoc quidem ſignificatu. Me ſi audias, ita ſcribas:

*Dein Næuius, ſi quis erit, pretio in tertio eſt.*

Quod mutamus *ſi quis erit*, ex illo *qui ſeruit*, exiſtit facillimè: tum vt vulgatum, *in pretio eſſe*, ita nec inuſitatum & elegans, *in primo, ſecundo*, & deinceps pretio eſſe. Luſit in eo pulcrè ipſe Plautus Pœnulo, Scenâ, *Negoti*:

*——primùm prima ſalua ſis,*
*Et ſecunda tu ſecundo ſalue in pretio, tertia*
*Salue extra pretium.*

Qui ſequitur apud Sedigitum verſus, nec ipſe ſine menda: quã vel ipſa diuerſitas arguat lectionum. Pleriq; ſic ſcribunt, non malè:

*At ſi quid quarto detur, dabitur Licinio.*

H. Stephanus, omiſſo etiam verbo, peſſimè:

*Si erit, quod quarto; dabitur Licinio.*

Mihi coniectura, ſi fortè melior:

*Si quid quarto debetur, dabitur Licinio.*

quamquam & acquieſcere poſſim vel ei, quã primò dedi, vel Stephanicæ, reſtituto verbo *detur* in ſuum locum, ſcripturæ. In ſequẽtibus turbæ etiam & mutatiunculæ: ſed quæ lõgius nos abducant à noſtra re, nec mihi ſanè tanti, vt de iis curioſius diſputetur.

## CAPVT II.

*Flocco, an fruſtra habere. Fruſtrari. Lætus, hilaris, triſtis. Pace. Periocha & Prologo leuiter Plautus, pariter apud Gellium Ennius correctus.*

ARgumenta quæ Comœdiis pleriſq; ſingula, nonnullis etiam bina præfiguntur, eorum ego nullũ à Plauto cenſuerim: nec vidi qui eſſe auderet affirmare. Studioſè ex ipſo Plauto ad exemplũ eius efficta video: neque rarò vel ipſos integros verſus, vel imitatione paullùm immutatos, vel certè de iis leuiter adumbratos vbique deprehendo. Velut hîc in Acroſtichide penultimus iſte:

*Vter ſit, non quit, Amphitruo, decernere:*

factus omninò eſt ex illo, qui in fragmentis diu fefellit, donec à Gulielmio noſtro velut iniecta manu ex iure Quiritium vindicaretur in ſuum locum, legendus porrò continue cum hoc, Scenâ, *Vos inter vos:*

Quid

*Quid opuſt me aduocato? qui utri ſim aduocatus neſcio,*
*Qui nequeo, voſtrorum vter ſit Amphitruo, decernere.*
ic auctorẽ, quiſquis is eſt, reſpexiſſe nemo negarit: ꝙ idem
nis demonſtrare poteram, ſi vel operæ pretium putarẽ, vel
o loco facere prorſus inſtituiſſem. Nunc hac ſaltem cauſſa
breuiter hic hoc volui, vt oſtenderem, aut *decernere* in pe-
etinẽdum contra eos, qui *diſcernere* ſupponunt, aut in ipſa
urſum contra Nonium *diſcernere* mutandum. Quorũ qui-
potius cenſeã, quia & ad ſententiã paullò aptius vtrobiq;
, & Nonius hîc etiã Plautum oſcitãter legiſſe poteſt, quẽ
ltis & huius & aliorũ auctorũ locis per ſupinã negligentiã
tiã pænè plus q̃ barbaram à mente pariter & ſcriptura ſci-
rraſſe. Deinceps aũt hîc ibidem aliud interpolari non pa-
in quo diſſentiendũ nobis ab eo, cũ quo libentiſſimè ſem-
ſentimus. Ægrè mihi eſt aduerſus illum: ſed res poſcit, vt
n condonem veritati. Is eſt, quem paullò iam antè nomi-
pularis olim noſter, nunc μακαρίτης, ſanctus & carus apud
iam meam doctorumq; omnium & bonorum. In verſu:
*s aduenientes ſeruum & dominum fruſtra habet.*
ribi voluit ex Baptiſtę Pii mẽbranis, *flocco habet.* nõ malè, ſi
is loci ſententia de cõtẽmtu & deſpectu ſaltẽ eſſet, aut eius
nis vis etiã ludibrium ac ludificationem ſignaret. Et valere
le in hanc partẽ cenſuit, idoneo tamen nõ ꝓbauit exẽplo:
llum poterit ſatis idoneũ vſquam reperiri. Nam Plauti id-
affert, nõ ita capiendum planè, de quo ſuo loco nos etiã
im illò erimus ꝓgreſſi. Senſus hic irriſionẽ & fruſtrationẽ
poſcit, cui vnicè aptũ hoc *fruſtra habere*, ꝙ vno verbo alias
i. Hac occaſione non prętermittã inſignẽ Ennii locum, in
õ ſatis emẽdatè ſcriptũ: quo venuſtiſſimè luditur in varia
bi ſignificatione, verſib⁹ ipſis vno eodẽ iſto multifariã ver-
ellius inquit, cõcinniter implicatis. Eorũ exemplum hoc
*Nam qui lepidè poſtulat alterum fruſtrat;*
*Quem fruſtratur, fruſtra eum dicit fruſtra eſſe.*
*Nam qui ſeſe fruſtrari quem fruſtra ſentit,*
*Qui fruſtratur, is fruſtra eſt, ſi non ille eſt fruſtra.*
io recentiſſima & optima. Nos in primo verſu *Nam* alienũ
is, & ex tertio inſcitè repetitum: excidiſſe autem voculam
ione literarum ſimilium in capite ſequentis vocis. Requi-
non tam ſenſus, quàm loquendi in eum ſenſum conſuetu-
a. Etiam *fruſtrat* ibidem malè pro quo vetuſtiores libri re-
*rari.* In poſtremo *ſi* abundat, turbatque non ſententiam
quam verſum. Et illa tota clara, & hi omnes expediti, ſi in
odum iam reſcribantur:
*Qui ſe lepidè poſtulat alterum fruſtrari,*
*Quem fruſtratur, fruſtra eum dicit fuſtra eſſe.*

*Nam qui ſeſe fruſtrari quem fruſtra ſentit,*
*Qui fruſtratur, is fruſtra eſt, non ille eſt fruſtra.*

Non difficile, aut obſcurum ita nimis acumē loci, quod eludit ac fruſtratur hebetiores tātum, nec tum potuit, cum emendatū haberetur, vel Gelliū, vel eius ſodales valdè pro ſoluēdo nodo quæſtionis exercere. Mercurius apud Plautū, ut illuc redeamus, nō tam flocci facit aut nihili pendit, etſi hoc etiam ſanè, quàm ludos & fruſtrationes facit heru pariter ac ſeruum. quod argumenti ſatis, in argumento *fruſtra habere* retinēdum. Vt hoc autem ille, quē dico, non ſatis bene: ſic illud in Prologo deinceps optimè, cum *Lætum* primus explicauit propitium ac fauentem, quomodo poſt eum ferè & Centurio nobiliſſimus: eiq; oppoſuit *Triſtem*, pro irato. Quorū hoc ſic uſus etiā præter infinitos alios Cæcilius, ſed idem è diuerſo nouiter, ac, quod ſciam, ſolus, in vicem *τοῦ lætus*, collocauit *Hilarus:* & utraque ſic elegantiſſimè coniunxit ac diſparauit in contrariam mentem:

*Hi ſunt inimici peſſimi, fronte hilaro, corde triſti,*
*Quos neque tu apprehendas, neque vitare ſcias.*

Amicos inimicos deſcribit, qui vultu beneuolentiam ac prothymiam ſimulant, animo maleuoli interim & auerſi. Porrò in Prologo, locum inter ſe mutare poſſunt iſti verſus:

*Bonoq; atq; amplo auctare perpetuo lucro*
*Quaſq; incepiſtis res quaſque inceptabitis.*

quorum nihil intereſt vtrum priorem habeas aut poſteriorem. Inferius:

*Propterea pace aduenio, & pacem ad vos affero:*

numeri ſimplex *fero* requirunt: niſi in vos extrito ſibilo vocalem elidi à ſequenti facias, quod aliquoties vſu venire in Plauto ſcio, nec aliter eſt in Periochæ, de qua egimus, vltimo:

*Omnem rem noſcunt: geminos Alcmena enititur.*

Non enim niſi hoc pacto verſum excuſabis. Ceterùm quòd & *pace* quidam mutare nuper in *pacem* conati; nihil agunt. Non ait ſe aduenire ad pacem, ſed per pacem, vt loquitur ſcena illa prima & ordine & prolixitate:

*Obſecro vt per pacem liceat te alloqui, vt ne vapulem.*

Et hoc ipſum eſt *pace*, aduerbiali forma: qua multa conſimilia ubique, in noſtro quidem, *Salute oria*, & *Noſtrûm ſalute ociûm:* in Tullio etiam & aliis *ſilentio*, prorſus vt Græci *σιγῇ*, neque minus iidem *εἰρήνῃ*.

## CAPVT III.

*Παρηχήσεις in Plauto crebra & continua multa. Adhuc in Prologo quædam emendata ſimul & explicata.*

LEpidè Plautus, & ſuas planè ſuatim delitias facit in totmoda iteratione vocum earundē, quas multifariā, vt Gellius ſuprà de Ennio dicebat, aliquot iſtis Prologi verſibus conciuniter implicauit: *Inſtam*

*Iuſtam rem & facilem eſſe oratum à vobis volo.*
*Nam iuſtè ab iuſtis iuſtus ſum orator datus.*
*Nam iniuſta ab iuſtis impetrare non decet:*
*Iuſta autem ab iniuſtis petere inſipientia eſt.*

Quod hac comœdia deinceps frequens, ſed breuius, vt Scena principe: *Optumè optumo optumam operam das.* Et vbique in aliis creberrimum, vix prolixè tamen ita vſquam, certè nuſquam copioſius & elegantius, quam Pſeudoli, & ipſo Prologo, cuius illam totam partem non poſſum quin hîc adſcribam:

*Studete hodie mihi, bona in ſcenam affero.*
*Nam bona bonis ferri reor æquum maxumè,*
*Vt mala malis. vt qui mali ſunt, habeant mala,*
*Qui boni, bona. bonos quòd oderint mali,*
*Sunt mali: malos quòd oderint boni, bonos*
*Eſſe oportet. voſq; ideo eſtis boni, quandoquidem*
*Semper odiſtis malos, & lege & legionibus*
*Hos fugitaſtis, Quirites, ſucceſſis bonis.*
*Huic vos nunc pariter bonam boni operam date gregi,*
*Qui bonus eſt, & hodie ad bonos affert bona.*

In noſtro hîc Prologo tamen iſtum verſum:

*Nam iuſtè ab iuſtis iuſtus ſum orator datus:*

lubentius ita legerim, vt conuenientius omnia ſibi reſpondeant inter ſe:

*Nam iuſtè ad iuſtos iuſti ſum orator datus.*

Id enim dicit: iuſtè ſe à iuſtis iuſtum oratum venire. Quamquam è vulgato idem ferè ſenſus efficietur, ſi iūgas, *Orator ab iuſtis*, non, *datus ab iuſtis.* Ita tamen nihilominus *iuſti* ſcribendum ſit. Nam *iuſtum oratorem*, pro rei iuſtæ oratore accipere, videtur inſolentius. ſed & illud certè duriuſculum etiam, verba ſic iungere, vt monſtraui, ne *datum ab iuſtis*, ſed *oratorem ab iuſtis* interpretemur. Omninò igitur mutandum potius exiſtimarim. Deinceps quod eſt:

*Sed mos illic nunquam fuit patri meo,*
*Vt exprobraret quod bonis faceret boni.*
*Gratum arbitratur eſſe id à vobis ſibi,*
*Meritoq; vobis bona ſe facere quæ facit.*

Non concoquo vel hoc *Gratum*, vel Lambini *Gnatum:* quorum neutrum ſenſui accommodatum. Quod veteres editiones habent, *Datum*, facilius interpreteris in hanc non ineptam mentem, vt Iuppiter in bonos beneficia conferens ipſe ſibi ab illis accipere videatur, iuxta Mimi verſum:

*Beneficium dando accepit, qui digno dedit.*

Neſcio tamen quid aliud latet, quod nec alii dum, nec ipſe potui hactenus exputare. Viſum aliquando mihi fuit:

*Graue arbitratur eſſe id vobis ac ſibi,*

nimirum exprobrare, quæ benè fecerit. Haud tamen acquieſco, & aliorum maneo feliciorem medicinam. Ibidem mox:

*Quid contraxiſtis frontem? quian' tragœdiam*
*Dixi futuram hanc? Deus ſum: commutauero.*
*Eandem hanc, ſi voltis: faciam ex tragœdia*
*Comœdia vt ſit, omnibus iiſdem verſibus.*

Qui Plautinum dictum probius nouit, ſic libentius diſtinguet mecum: ——— *Deus ſum, commutauero.*

*Eandem hanc, ſi voltis, faciam ex Tragœdia*
*Comœdia vt ſit.*

Et ſtatim: *Vtrum ſic, an non, vultis?*
quantumuis Lambinus *ſic* prætulerit, elegantius eſt tamen *ſit* in veteribus libris. Ait: vtrum vultis, ſit, an non ſit Tragœdia? Illud aliquanto inferius:

*Quàm liber harum rerum multarum ſiet:*

neque Lambinus in commentariis, neq; nuperi editores ad marginem librorum ſuorum rectè ſatis interpretantur. Res multæ vtriſque ſunt, quæ vulgò fieri ſolent; Lambino etiam, quę impunè. Satis id equidem & nobis acceptum, adulteria & ſtupra intelligi: verba tamen ita ſimpliciter accipies, vt multarum huiuſmodi rerum liberum Iouem interpreteris, qui liberè, imò licenter multa talia faciat. Denique non tacebo & illud hic in Prologo, quamquam æquè leue: verſum,

*Dum ille qua cum volt voluptatem capit,*

vt ſententia pariter ac numeri pleniores ſint, ita legendū videri:

*Dum illic quam qua cum volt voluptatem capit.*

Neq; tamen id neceſſe, nec opꝰ quidem valde ipſe fateor: quando & ſenſus ita quoque perfectus, & numeris nihil deeſt, ſi vocem ſyllabamq; primam non elidas.

## CAPVT IV.

*Excitare. Implere, an Impluere aliquem telis ſiue flagris. Hoſpitium pugneum. Fragmentum in ipſa fabula oſtenſum. Ad ſcenam primam aliquot cenſura. Turpilij verſus in Priſciano concinnati.*

Aggrediamur primam huius fabulæ, eandem & huius, & omnium fabularum longiſſimam ſcenam: in qua primò rectè illud emendauit Gulielmius noſter:

*Hæc heri immodeſtia coegit, me qui hoc*
*Noctis à portu ingratiis excitauit.*

idemq; vltimum verbum venuſtè explicauit: cuius exempla dabo ego pauca, quando ille dedit nulla. Sic Turpilius igitur Epiclero, cuius hos elegantes verſus apud Priſcianum de Metris Comicis laxatos eâdem hic concinno:

*S. Quæſo edepol, quò ante lucem te ſubitò rapis*
*Here, cum vno puero? H. nequeo eſſe intus Stephanio.*
*S. Quid ita? H. vt ſolent me cura ſomno ſegregant,*

Forma

*Foraſq; noctis excitant ſilentio.*

*Excitant* enim & hîc valet, exigunt, pellunt. Facit vir magnus id theatrale ſaltem verbum, quod communiter alibi tamen vſu creberrimo frequentatum. Sanè Martialis in theatro propriè vſurpauit aliquoties, vt lib. 5.

*Sedere primo ſolitus in gradu ſemper,*
*Tunc cum licebat occupare, Manneius,*
*Bis excitatus terq;, tranſtulit caſtra.*

Nec alii impropriè tamen alibi, vt Turpilius, & hîc Plautus, iterumque Rudente:

*Nam vox precantum me huc foras excitauit.*

Ciceronis etiam iſta non diſſimilia. De Oratore lib. 2. *Qui in cauſſa peroranda non dubitauit excitare reum conſularem, & eius diloricare tunicam.* Ad Att. ep. 1. lib. 2. *Ac nunc quidem otium eſt: ſed ſi paullò plus furor Pulchelli progredi poſſet, valdè ego te iſthinc excitarem.* Q. Curti lib. 6. *Non contentus muſica artificum, quos è Graecia excitauerat.* ſed exemplorum iam horum ſatis. Porrò iſtâ ſcenâ iſtius verſus:

*Prius ipſe mecum etiam volo hic meditari. ſic hoc proloquar.*

prior pars in fragmentis adhuc malè recenſetur, eximenda inde vel noſtro indicio, ſi detulit alius nemo. Deinceps:

*Vertentibus Teleboiis telis complebantur corpora.*

quis auſit mutare? Vide tamen, quàm facile poſſis, *compluebantur* vt acutiſſimus Palmerius Aululariâ iam olim legit:

*Tempori, poſtquam impluiſti fuſtibus iſtorum caput.*

Nam & ibi vulgò *impleuiſti*: pro quo ſtat equidem ille locus Caſinâ:

*Quae niſi erunt ſemper plena, ego te implebo flagris.*

Sed & pro illo alius Moſtellariâ:

*Malum enim impluit ceteris, mihi ne impluat.*

Et hic Epidico:

*Quem quidem hominem irrigatum plagis piſtori dabo.*

Tueri igitur vtrumque pariter poſſis: niſi quòd aliquo genere melior illius cauſſa, qui receptam lectionem defendit, quam qui nouam ſine magna neceſſitate quantumuis aptam confingit. Quod & hîc opponi nobis poſſe ſentio, itemque inferius ibi:

*Certè aduenientem hic me hoſpitio pugnae accepturus eſt.*

Nam & illud teneri poteſt, quamquam ego ſanè malo leuiſſima mutatione, *hoſpitio pugneo.* Mirum hoc quanto elegantius: & profectò non aliter ſcripſiſſe Plautum adiurarim, maximè quia ſimiliter in eadem voce ludit Rudente:

——*ſi attigeris oſtium,*
*Iam hercle tibi meſſis in ore fiet mergis pugneis.*

Nec autem vel propriè pugnam hîc dixeris, vel cum aliqua gratia pugnae hoſpitium: pugneum, venuſtiſſimè, & eò, quod pugnis accipiebatur poſtea non ſanè nimis hoſpitali comitate. De his ipſis pugnis egregius infrà locus, vbi ſe expedit Mercurius, & inſtituit manus ad feriendum:

——*MER. peſſimum eſt*
*Facinus, nequiter ferire malam male diſcis manus.*
*Alia forma eſſe oportet quem tu pugne legeris.*

Quem alii aliter legunt, & ferè ſinguli rectius alteris, nemo dum mea ſententia planè rectè. Nos ita de eo ſtatuimus:

——*MER. peſſimum eſt*
*Facinus! nequiter ferire malam mala diſcit manus.*
*Alia forma oportet eſſe, quem tu pugne legeris.*

Nam & ſic verſus cauſſa traiicimus in poſtremo verba, & eius eorum poſtremum ipſum ex antiqua ſcriptura corrigimus, niſi tamen verius fortaſſe *tetigeris*, aut ferri etiam debet ipſum *legeris*: de quo nihil definimus.

## CAPVT V.

*Locus primæ ſcenæ errore vario turbatus & turpatus, in numeros, ordinem, nitoremq́ ſuum, quantum potuit, reſtitutus.*

NON iiſdem numeris ſcena, in qua ſumus, procedit, certis tamen & expeditis, niſi ea parte, qua prælii narratio abſoluitur. Eam ego ſenariis conceptam omninò iudico, quibus ſolent pleræque narrationes: ſed magnæ inibi turbæ, verbis his laceris, illis traiectis, toto denique loco ſic turbato & confuſo, vt interfuiſſe ipſi prælio, de quo agit, videatur, & vulnera tam varia accepiſſe. Quæ fuit aliquando cùm ſanare meditarer, & per tentamentum verſus iſtos omnes in ſenariorum legem reponerem; ſimul quæ traiecta, in locum ſuum reducerem: ad hoc non genuina etiam quædam de aliorum partim exemplo eiicerem. Si veniam ſperare poſſim non audaciſſimi conatus, ſubiiciam adeò modum ipſum, quo tum reſtitui, nec adhuc me pœnitet attentaſſe. Et confido, beneuolè accipient operam noſtram omnes, qui cogitabunt, melius ita tandem compoſitos, quam diuulſos; rectius illigatos certis carminum legibus, quam exleges perpetuò verſus legi. Et ad hoc exemplum olim refinxeramus.

*Poſtquam exitum eſt vtrinq́ copiâ maximâ,*
*Nos noſtras more modoq́ noſtro inſtruximus*
(Vel, *Nos noſtras more noſtro inſtruximus & modo*)
*Legiones: contrà item hoſtes ſuas ſuo inſtruunt.*
*Diſpertiti viri, diſpertiti ordines.*
*Deinde imperatores vtriq́ in medium exeunt,*
*Simul extra turbam colloquuntur ordinum.*
*Conuenit, vtri victi ſient eo prælio,*
*Vrbem, agrum, aras, focos, ſeſeq́ vti dederent.*
*Poſtquam actum id eſt, vtrinq́ canunt tubæ, efferunt*
*Clamorem vtrinq́: terra contrà conſonat.*
*Induperatores vtriq́ hinc illinc Ioui*
*Suſcipere vota: hortari vtrinq́ exercitum*

Pro

*Pro ſe quiſq; ibi cadit, ferit: tela fragunt,*
*Boat cœlum fremitu virum, eq; ſpiritu*
*Anhelituq; nebula conſtat: vulnerum*
*Vi crebri hoſtes cadunt, noſtri contrà ingruunt.*
*Sed enim fugam in ſe nemo tamen conuortitur.*
*Nec decedit loco, quin ſtatim rem gerat.*
*Animum amittunt priuſquam demigrent loco.*
*Vti quiſq; ſteterat, tacet, atq; ordinem obtinet.*
*Hoc vbi Amphitruo herus conſpicatus eſt meus,*
*Dextrà illico iubet equites inundare.*
*Equites citi parent: ab dextra maxumo*
*Cum clamore inuolant, alacriq; impetu*
*Fœdant & proterunt ita hoſtium copias*
*Iure iniuſtas: noſtra, vt voluimus, deniq;*
*Superat manus: feroces vi, vi vincimus.*
*MER. Nunquam etiam quidquam, &c.*

Non hæc natiua omnium, fateor, facies eſt: ſed & medici membris aliquãdo fractis cùm priſtinam reparare figuram nequeunt, reparant quam minimè indecentem poſſunt: & cum multis gratiis laudamus eos, adeò non vituperamus. Liceat & mihi in hoc medicinæ genere eodem iure frui.

## CAPVT VI.

*Detexere, an extexere pallio. Igitur, tũ igitur, igitur tum, igitur demum, demum igitur, tum igitur demum, poſt igitur demum: harum particularum vſus exemplis oſtenſus. Hu, olfacientis geſtus. Laſſus è naſi. Neſcio-quis, iocosè fictum nomen. Scin' quomodo? minantis. Qui, qua vocaris? Simili' ſt, ſimileſt. Multa Plauti correcta, illuſtrata: quorundam cenſura caſtigata. Fruteriana Catulli emendatio comprobata.*

PRÆTERIIMVS in ordine verſum:

*Illic hoc homo denuò volt pallium detexere:*

quem & Lambinus commodè ſatis, & commodius explicat Douſa pater: idem hic tamen incommodiſſimè poſteà ipſum mutat, auctoritate Seruii motus, qui conſimile tale dicendi Plautinum genus ex incerta fabula laudet:

*Ego hunc hominem detexam pallio:* hoc eſt, exuam & ſpoliabo. Quæ mihi quidem auctoritas dubia: ac neſcio an in hac phraſi non *extexendi* potius verbum vſurpaturus fuerit noſter, quam *detexendi*. Illo enim, eo ſignificatu, vſus Bacchidib:

*Extexam ego illum pulcrè iam, ſi Dij volunt.*

Vt hoc igitur ambiguum, ſic illud mihi certum, retinendum planè verſum, vt vulgò ſcribitur: in quo pulcra tralatio à textrina, illis, quos dixi, pridem explicata. Iam pergimus ordine:

*Igitur magis modum in maiorem in ſeſe concipiet metum.*

Miror hoc tam diu ita legi: quamquam non eſt ineptiſſimum. Sed certè aptius ego:

*Igitur demum magis maiorem in ſeſe concipiet metum.*

Qui in Plauto leuiter verſati, ſciunt quam ſæpe vices inter ſe mutent, *modum* & *domum*, aliaque his cognata: quorum aliqua nos & infra ſuis locis oſtendemus. *Igitur demum* autem prorſus Plautina dictio. Scenâ, *Bene proſpereq;:*

*Igitur demum omnes ſcient.*

Moſtellar: *——miſerum eſt opus,*

*Igitur demum fodere puteum, vbi ſit is fauces tenet.*

Iungit aliquando, *poſt igitur demum*. Infrà ſcenâ, *Ego ille ſum:*

*Poſt igitur demum faciam res fiat palàm.*

Etiam, *tum igitur demum*. Trinummo:

*Tum igitur demum id adoleſcenti aurum dabis,*
*Vbi erit locata virgo in matrimonium.*

Moſtellaria, *igitur tum*, habes, quod alii mutant:

*Vnum vbi emeritum eſt ſtipendium, igitur tum*
*Specimen ſpecitur, quò eueniat ædificatio.*

Nam vel abiiciunt *tum*, vel reponunt *demum:* vtrumq; fruſtrà. Anaſtrophe eſt pro *tum igitur:* vt contra Mercatore *demum igitur* legis, quod alias *igitur demum*. ſcenâ, *Tandem impetr: Demum igitur cum ſenex ſis, tunc in otium, &c.* Quamquam nec opus ad anaſtrophen confugere: quando ſic plane eadem Moſtellariâ iterum:

*Igitur tum accedam hunc, quando quid agam inuenero.*

Deniq; ſimpliciter etiam *igitur*, pro *tum* reperies. Caſinâ:

*Mox magis cum otium mihi & tibi erit,*
*Igitur tecum loquar. nunc vale.*

Milite: *Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo.* Atque ad id exemplum non ineptè Fruterius Catullum emendabat iſto loco:

*Cui faueam potius? Cœli, tibi. nam tua nobis*
*Perſpecta eſt igitur vnica amicitia,*
*Cum veſana meas torreret flamma medullas.*

Quæ omnia volui ſub vnum aſpectum ponere, magis vt innoteſcat hæ formulæ, neu quid in iis temerè dehinc quisquã auſit immutare. Nõ longè hinc ſincer' verſus non eſt, vt maximè videatur:

*ME. Exoſſatum os eſſe oportet, quem probè percuſſeris.*

Editiones veteres *os* non habent, & rectè non habent. Non os enim, ſed totum hominem vult exoſſari. Patet ex Soſiæ ſubſequis verbis. At verſus ita labat. Fulcrum ei dabo à tranſpoſitione:

*Exoſſatum oportet eſſe, quem probè percuſſeris.*

Porrò hac ſcena:

*ME. Olet homo quidam malo ſuo. S. hei! numnam ego obolui?*

Suſpicor leuiter, ſcribendum ſic potius & diſtinguendum:

*ME. Olet homo quidam malo ſuo. hui! S. numnam ego obolui?*

Nota

Nota particula *hu*, in geſtu venaturam naribus facientis, vel ex Ariſtophane. Nec adfirmo tamen hîc poſitam, etſi potuiſſe poni tam aptè aio, nihil vt potuerit aptius. Sed neque *hei* ineptum, in metu Soſiæ ſibi trepidantis. Mox ibidem poſſunt hi verſus, ſi lubeat, tranſponi: *SO. Laſſus ſum hercle è naui vt vectus huc ſum. etiam nunc nauſeo.*

*Vix incedo inanis, ne ire poſſe cum onere exiſtimes.*

Mihi quidem placeat; ſed aliis relinquo. Priorem autem qui nunc eſt verſum puto aliter diſtinguendum, ſi è debeat retineri:

*Laſſus ſum hercle è naui: vt vectus huc ſum, etiam nunc nauſeo.*

Sic alibi *laſſum de via* dicit. Quamquam deleri ſanè cum Lambino malim: ſed amplius, cum alia nihilominus diſtinctione: *Laſſus ſum hercle: naui vt vectus huc ſum, etiamnunc nauſeo.* Alibi *in* præpoſitionem addit. Bacchidib: *Nam vt in naui vecta es, credo timida es.*

[illegible]roximè ſequitur: ——*SO. ſaluos ſum, non me videt,*

*Neſcio quem loqui autumat: mihi certò nomen Soſia eſt.*

[illegible]îc argutari mihi non libeat, referendum ad nominis mutatio[illegible]m, de qua ſupra: ——*S. formido malè,*

*Ne ego hic nomen commutem meum, & Quintus fiam è Soſia.*

[illegible] reſpici ad ἔτυμον nominis ipſius Soſiæ. quaſi dicat, ſum quod [illegible]nen cluit, id eſt, ſaluus. Soſia enim ἀπὸ τοῦ σώζειν vel σώειν apud [illegible]ecos, vt ſerui apud Latinos communi opinione à ſeruando. [illegible] nec ita tenuiter cum Lambino explicem illud *Neſcio quem*, [illegible]homine ignoto & quaſi ſine nomine. Quid enim? an ſi de ho[illegible]e non noto loquitur Mercurius, ſequitur non loqui de Soſia? [illegible] neceſſe fuit, nec potuit adeò ille notus eſſe. Mihi iocus ſub[illegible]idetur, ſed is non magnæ rei, in illo ipſo *Neſcio quem.* Accepit [illegible] hoc, tanquam eſſet ipſum illius nomen, quem loqui diceret [illegible]urius. Aiebat ille, *Neſcio quis loquitur.* Iam hic inde infert, [illegible]rgo de me ſentit, nec me loqui dicit. nam ego non *Neſcio* [illegible]d *Soſia* vocor. Ludit ſe ſciens fictitio nomine, vt imprudens [illegible]omericus Cyclops, cui οὔτις ridiculè imponebat. Et arguta [illegible] particula etiam *certò*, quam repetit ex Mercurii ſermone. [illegible]nt alii, ſi poterunt hoc probare.

[illegible]iquam multos verſus hi ſunt:

*[illegible]c, inquā, habito ego, atq; horum ſum ſeruus. M. at ſcin' quomodo [illegible]n ego hodie te ſuperbum, ni hinc abis?*

[illegible]è accipiuntur, quam diu hæc obtinet diſtinctio. Sic illam

——*M. at ſcin' quomodo?*

*[illegible]aciam ego hodie te ſuperbum, ni hinc abis.*

[illegible]edit occaſionem ſequens *quonam modo?* At non idem illud *quomodo*, formula minandi eſt, crebra Plauto. Rudente, *[illegible]um tu leno.*

*[illegible]A. Tangam hercle verò. D Æ. tange, ſed ſcin quomodo?*

Pecu-

Pœnulo, ſcenâ *Negotij ſibi:*

*A D. Abſcede hinc ſis ſycophanta. M I. pareo. A D. ſcin quomodo?*

Aulularia, ſcenæ vltimæ ipſo fine:

*S T R. Soleo hercle ego garrire nugas, ita loquor. L Y. at ſcin' Quomodo? S T R. vel hercle enica &c.*

Eadem integra exprimitur Aulularia, primâ ſcenâ:

*At ſcin' quomodo tibi res ſe habet?*

Nec tamen eadem hæc eſt planè. Nam aliud alibi ſubintelligendum, de proximis vbique verbis. Hîc ita expleas, At ſcin' quomodo horum ſeruus ſis? Plenum eſt Bacchidibus, ſcena *Quid iſtuc?*

*P. Nimis iracunde. P I. At ſcin' quàm iracundus ſiem?*
*Ne tibi hercle haud longè eſt os ab infortunio.*

Tot igitur his exemplis, Amphitruone ne aliter accipiatur. Iam illic:

*M E. Quid igitur? qui nunc vocare? S O. nemo, niſi quem iuſſeris.*

tolle apicem de particula *qui*, ue aduerbiali forma capias, ſed ipſa pronominali. Semper ita Plautus: apertiſſimè Bacchidibus, ſcenâ *Nunc experiar:*

*M N. Vbi ea mulier habitat? LY. hic. MN. vnde eam eſſe aiunt?*
*L Y. ex Samo.*
*MN. Quæ vocatur? LY. Bacchis.*

Terent. Adelphis Act. 5. ſc. 6. *D. oh, qui vocare? G. Geta.* Propius finem:

*Nonne hac noctu noſtra nauis ex portu Perſico*
*Venit, quæ me aduexit?*

Syllaba verſui deeſt: nec expleas commodius, niſi vt apponam:

*Nonne noſtra nauis hacce noctu ex portu Perſico.*

Vel potius: *Nonne hac noctu noſtra nauis huc ex portu Perſico.*

Etiam propius:

*M E. Cadus erat vini: inde impleui cirneam. SO. ingreſſu'ſt viam.*
*M E. Eam ego vt matre fuerat natum, vini eduxi meri.*

Notæ hîc argutiæ noſtri Gulielmii; quas præter ipſius morem nimias docti omnes libenter ferimus, probare nec ego poſſum, qui maximè velim. Simplex in apertis verbis ſententia: qua vult id omninò Mercurius tantùm, non infuſatum vinum, ſed merum ſe obduxiſſe. Nam quòd ille ait, & à ſententia vocem, & à verſu fulcimentum requiri; neutrum concedo. Intelliges enim *Eam*, cirneam, vel, vt alii ſcribunt, hirneam vini; vt poculum vini: deinde verſui conſulitur, ſi non elidatur in *vini* vltima. quod qui nolit, ei facile reſcribere ex MSto. *eduxi clam meri.* Sed porrò etiam nunc propius:

*Itidem habet petaſum, ac veſtitum: tam conſimile'ſt atque ego.*

Malunt & in hoc & præcedenti verſu quidam ſcribi, *ſimiliſt*, & *conſimiliſt*, vel *conſimil' eſt*: quaſi quidquam interſit. Fungus Nonius magis turbat, qui in his talibus generis ſomniat mutatio-

nem. *Simileſt*, *Qualeſt*, aliaque neutrorum flexu ait eſſe, pro *ſimilis*, *qualis eſt*. Bona venia Magiſter: non generis, ſed ſcriptionis hæc ratione diſtant. Veteres ſyllabam vocis præcedentis integram, nos huius extremum ſaltem ſibilum, & ſequentis vocalem exterimus primam: quod in iis videre eſt clarius, in quibus extrema *us* ſyllaba & *eſt* vel *es* concurrunt. Veluti *probus es*, & *optimus eſt*, quæ illis ſcribebantur *prob' es* & *optum' eſt*: nobis multò dilucidius hodie *probu's* & *optumu'ſt*. Atque de his & huiuſmodi omnibus in vniverſum ita cenſeo.

## CAPVT VII.

*Tu. Timidus, Tumidus. Percutere. Illi. Parcere. Paſcere, compeſcere. Polla, paulla. Plauti verſus vnus e fragmentis exemtus: Varronis duo in integrum reſtituti. Scena ordine ſequens variè correcta, tum interpretatione & aliorum auctorum collatione illuſtrata: deniq; à quorundam emendatione defenſa.*

VIx aliquando nos expediuimus à prima ſcena, quamquam necdum expediuimus: & inſunt nonnulla etiam de quibus ipſi ampliamus, neque pauca, quæ temerè ab aliis mutata. Eorum neutra perſequi nunc operæ eſt: nec operæ omninò noſtræ, aliorum omnia, in quibus diſſentimus, refutare. Longum id nimis, & nobis inuidioſum, neque cum vllo ferè lectorum fructu: quamquam requirunt hæ tam variæ & diſſentaneæ ſæpè in toto Plauto vndique ab omnibus collatæ Emendationes Cenſorem aliquem induſtrium, qui lineâ albâ ſignet, & diſcriminet à veris aut veriſimilibus falſas, à certis aut quæ pro certis incertas, à tolerabilibus apertè improbandas. Sed quis hoc ſibi regnum in eruditos ſumat, aut cui vltrò ipſi permiſerint? in tali quippe re, in qua neque conueniunt vnquam ferè ſententiæ diuerſorum, & quiſque ſuo ipſius omninò iudicio vult vbique ſtare, vt alteri nec de ſua, nec de aliena, ſi quæ arriſerit, opinione concedat. Et Dii melius igitur, quàm vt hoc nobis hac ætate, hac eruditione arrogemus: qui ſi quid alicubi tale tamen inſpergimus, ferri poſſe remur, quando & modeſtè facimus, & iudiciũ illud ipſum noſtrum vltrò in iudicium aliorũ mittimus, deq; noſtris cenſeri æquè volumus, ac ipſimet de alienis. Nunc pergam⁹ ad ſequentẽ ſcenam, in qua nihil video poſt alios, niſi è fragmentis tollendũ iſtũ verſ.

*Vno vt labore abſoluat ærumnas duas:*

qui liquidò in ipſa fabula hîc comparet. Et tamen primo verſu,

*Bene proſperèq; hoc hodie operis proceſſit mihi:*

neſcio ſi rectè alii viderunt, *hodie* delendum, numerorum ſcilicet cauſâ. Mihi potius ſit, hoc relicto, copulam eiicere, & *Bene proſperè* interpretari valdè proſperè, vti ſolet aduerbium id ſæpè intendendi quoq; ſignificatu, vt vocant, poni. quod qui non cogitarent, eos veriſimile eſt τὸ que intruſiſſe. Legas ergò,

*Bene proſperè hoc hodie operis proceſſit mihi.*

Scenâ, quæ huic deinceps proxima:

*IVP. Edepol haud quòd tui me, neq; domi diſtædeat:*

vacillant quidam veteres in particula *neq;*: vt ſuſpiceris, an non fuerit *meæq;*. Sed cùm ſcripturarum varietatem etiam reputo diligentius, labor vt dubitem, ſi fortè ſic ſcribendum:

*IVP. Edepol haud quòd me domi, neq; quòd tu tædeat.*

Vt turbas eas dederit hoc *tis*, pro tui. de quo tanti habui monere, qui non neſcio pridem aliter hic noſtrum Guilielmium.

Ibidem:

*ME. Edepol ne illa ſi iſtis rebus te ſciat operam dare,*
*Ego faxim te Amphitruonem eſſe malis, quàm Iouem.*

Fallit adhuc acumen, quod Lambinus non expedit, imò malè ad Iunonem torquet, ad quam non pertinet hilum. De Alcumena prorſus interpretandum, quod neque commodè poterit ſine emendatione. Particula enim excidit, meo animo, quæ excidere potuit facillimè, *ne*, ſic inſerenda denuò poſteriori verſu:

*Ego faxim Amphitruonem ne eſſe malis, quàm Iouem.*

Hoc ait: ſi te talem Alcumena norit, ita profectò te accipiat, vt ſimulationis huius pœniteas, ac malis Iuppiter manſiſſe, quam falſus Amphitruo veniſſe. Oppidò pulcrè, nec in quo putem vllum mihi aduerſaturum. Eadem ſcenâ Mercurius iterum ad ſpectatores:

*ME. facitne vt dixi? timidam palpo percutit.*

Quomodo *timidam*? imò *tumidam*, id eſt iratam. Placat enim palpando, quam præpropero abitu ſibi inconciliabat. Et antè dixerat,

*Verùm quod tu dicis mea vxor, non te mihi iraſci decet.*

*Tumere* autem Plauto millies iratum eſſe, æquè ac turgere, itéq; in fermento eſſe. Statius etiam Papinius ita 2. Siluar. in Glauc. Melior.

*Accenſum quis bile feret, famuliſq; tumentem*
*Leniet?*

Nam quòd aliter hic in Plauto interpreteris, & conſimile quid habere putes alterius Statii iſtum in Synephebis locum, quem Cicero habet 3. de Nat. Deor.

*Aut tu illum fructu fallas aut per literas*
*Auertas aliquod nomen: aut per ſeruulum*
*Percutias pauidum:*

nugas egeris. Alia ibi percuſſio, in fallaciis & circumuentione: quomodo & ferire, & tangere, & circumducere, & alia multa vſurpantur. Nec illud *pauidum* facit ad hoc *timidam*: quod ipſum iam vereor ne non mutandum, ſed explicandum potius aliter, vt apud Donatum memini, qui *timidum* aliquando ægrum exponit

& per-

& perturbatum. Et hoc hîc certè verum eſt. Turbatur & dolet abitu viri coniux: & eò mox ſubiicit,

*Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam vxorem.*

ſolatutq; Iuppiter: *tace. ne corrumpe oculos: redibo actutum.* Quod vt magis credas, ſæpe Plautus eam vocem ea mente capit. Bacchidib. ſcena principe:

*Nam vt in naui vecta es, credo timida es.*

Curculione:

*Ego pertimeſco: tum ibi me neſcio quis arripit*
*Timidam atq; pauidam, nec viuam nec mortuam.*

Rudentis prologo:

*De naui timida deſiluerunt in ſcapham.*

Et ibidem, alibiq; exempla multò plura. Hac adhuc ſcenâ:

*Nunc tibi hanc pateram, quæ dono mi illic ob virtutem data eſt.*

Videtur flagitare verſus *illi*, quod ſæpe Plauto illic, nec eget probatione.

Mox etiam:

*IVP. Pergin' autem? nonne ego poſſum furcifer te perdere?*

Sollicitat extremum verbum ſuſpicione vir doctiſſimus, & tentat *parcere*, id eſt compeſcere. Primùm nihil hîc mutari debet. Ita enim planè Aſinaria, Scen. *Quid hoc eſt negotij:*

*Abſcede, & ſine me hunc perdere, qui me ſemper incendit irâ.*

Et hîc infra: *Certum eſt mihi hunc ſceleſtum perdere.*

Deinde nec ſcio, ſi probanda omnia, quæ de *paſcendi* & *parcendi* vicibus ex Feſto ille notat. Paſcere pro parcere dictum conceſſerim facilè, non contra. Nam oderant caninam literam antiqui, vt pro ea ſibilum ſerpentinum vterentur: non eandem ſic amabant, vt ipſam ſupponerent huius loco. Inde adeò iſta, *Valeſius, Fuſius, Quæſere*, & ſimilia innumera: vix è diuerſo quidquam. Iam viderit etiam Feſtus, quam rectè *compeſcere* a paſcendo & paſcuis ducat. A parco & hoc & eius cognata mihi videntur, quod veteres ſtruebant & cum caſu accuſandi, cui præter noſtrum Curculione,

*Qui homo maturè quæſiuit pecuniam,*
*Niſi eam maturè parſit, maturè eſurit.*

iunxit Virgilius etiam & Symmachus. Ille, ——*talenta*
*Gnatis parce tuis.*

Hic lib. 1. ep. 33. ad finem: *Ego tamen, quantum per commeantes licebit, iſtius muneris operam non reparcam.* Et huc omnia commodè accommodes Feſti loca: etiam ipſum illud *Paſcito linguam*, quod acceperis, parce linguæ: prorſus vt Plautus, *parce voci, parce muliebri ſupellectili.* Sed nolim tamen in his pugnare. *Paſco*, pro compeſco apud Varronem inuenio, ſed corrupto loco, Seſquiulyſſe: *Vbi nitidi ephebi, veſte pulla candidi, modeſte amictus paſcunt pecto. ea* quem operæ pretium fuerit hîc ſimul emendare. Nam *cana-*

*di*, & *pulla veſte* qui cohærent? Neque Nonium quis mihi dicat, in quem nihil dici tam acerbum aut contumelioſum poteſt, quin hominis inſcitia & ignauia omne id exſuperet. Legam *veſte pura*: niſi *pulla* eſt pro *polla*, id eſt paulla ſiue paruula, quod ſequentia innuant de modico amictu, corrupta & ipſa, meoq; iudicio ſic reſtituenda cum reliquis, vt ſenarii verſus exeant, quibus vnus tamen pes deſit ad integram dimenſionem. Sed & hunc addere non inepte liceat:

*Vbi nitidi ephebi veſte polla candidi*
*Modico & modeſto amictu paſcunt pectora.*

Paſcunt hîc eſt indubiè compeſcunt, continent, coercent, contegunt. Verùm ad Plautum redeamus, & ipſam eius adhuc ſcenam, vnde digrediebamur. Inibi leue eſt, ſed tamen nota dignum. Verſu,

IVP. *Nunquid vis?* AL. *vt quum abſim, me ames, me tuam abſentem tamen.*

fruſtra mutant *abſis*: quod ſi Plautus voluiſſet, maluiſſet porrò *abſens*. nunc quando *abſentem* voluit, maluiſſe credamus *abſim*. Eſt & aliud ibidem, quod non fero:

*Nunc te nox, quæ me manſiſti, mitto, vt concedas die,*
*Vt mortalibus illuceſcas luce clara & candida.*

Duriuſculum enim, imò ineptum, noctem illuceſcere, & quidem clara & candida luce. quin potius ſcribis *illuceſcat*, dies ſcilicet. Vltimos verſus:

*Atq; quanto nox fuiſti longior hac proxuma,*
*Tanto breuior dies vt fiat, faciam æquè diſparet.*
*Et dies è nocte accedat. ibo & Mercurium ſubſequar.*

ſic malui ſcribere aliquando, cum ſententiæ, tum numerorum cauſsâ:

*Atq; quanto nox fuiſti longior hacce proxuma,*
*Tanto breuior dies vt fiat; faciam vtraq; æquè diſparent.*
*Sed dies è nocte accedit. ibo & Mercurium ſequar.*

Vbi *dies è nocte accedit*, eſſet, luceſcit iam. Ferè ſimiliter Apuleius lib. I. Aſin. *Et nox ibat in diem.* Idem lib. II. *Diem, qui dies ex iſta nocte naſcetur, æterna mihi nuncupauit religio.* Sed minus nunc placet omnis illa mutatio: malimque priſtina manente ſcriptura, paulliſper aptata diſtinctione, ſaltem in poſtremo *diei* ſcribi pro *dies*: niſi quòd ſimplex etiam *ſequar* in fine numeri malunt. Locum obſcuriorem dicebat Lambinus: non eſt amplius. Vt dies, inquit, tanto fiat breuior, quanto longior nox fuit, æquam faciam hanc diſparilitatem, atque ita, vt quod nocti ſupereſt, diei accenſeatur.

## CAPVT VIII.

*Quid hoc hominis, an ominis? Expetere alicui, in aliquem. Apud hoſtes ſedere; hoſtes, vel hoſtibus aſſidere. Domi de me ſcio, coniicio. Se, παρέλκει. Sar-*

*xxi. Sarrire, Sartor in obſcenis. Terentius & Cicero tentati; Martialis & Varro emendati. Plauti Amphitruo pluries correcta, explicata.*

SCenâ, *Age, i tu ſecundum*, leue peccatum eſt, nec pænè videtur, eſt tamen peccatum.

*A M. Rogas me improbe etiam, qui ludificas me?*
*SO. Meritò maledicas mihi, ſi id ita factum eſt.*

Nam capere poſſis, ſed inficetè, ſi ita factum eſt, ſi te ludifico. Quanto autem verius ſcribes? *niſi id ita factum eſt.* & capies, niſi geſta omnia ſic ſunt, vti narro. Vult hoc omnino ſequens verſus:

*Verùm haud mentior, reſq; vti facta, dico.*

Ibidem mox hæreo:

*S O. Nuſquam equidem bibi. A M. quid hoc ſit hominis?*

hæreo, inquam, an *ominis* potius hîc, itemq; ſcenâ quæ huic proxima:

*S O. Neq; edepol ego dixi, neq; iſtam vidi, niſi tecum ſimul.*
*A M. Quid hoc ſit hominis? A L. vin' proferri pateram?*

Sed & apud Terentium in ſimili affectu perturbationis, itidem *hominis* legitur Eunuch. Act. 3. ſc. 4.

*Is eſt, an non eſt? ipſus eſt. quid hoc hominis? qui eſt hic ornatus?*
*Quid illud mali eſt? nequeo ſatis mirari neq; conücere.*

In illo autem iam deinceps non hæreo cum Lambino:

*Quoius ego hodie in tergo faxo iſta expetant mendacia.*

Dubitauit ille, an planè *tergum* reponeret. Ego planè aut hoc ſcribo, aut *in* deleo. Duplex enim tantum phraſeos iſtius forma, nec extulit quiſquam aliter, niſi vt vel in aliquem, vel alicui expetere aliquid diceret. Exẽpla in mũdo plurima: ſed ſingula vtriuſq; modi contenti erimus afferre, & ex hac ipſa quidem Comœdia:

*Suamq; culpam in mortalem expetere vt ſinat.*

Item: *Nam mea ſit culpa, quod egomet contraxerim*
*Id Alcumena ſi innocenti huic expetat.*

Tertii illius exemplum nullum reperias. Sed noua facie primum extuliſſe Cicero videtur Oratione de prouinciis Conſularibus, ſi Gulielmii quidem noſtri ſatis vera correctio, q̃ ad Mercatorem Plauti dedit è libris partim, partim ex ingenio, & corruptiſſimum locum feliciter inſtaurauit: niſi tamen, quòd noua, vt dixi, facies ibi ſimilis locutionis: *Miſerandum in modum milites pop. R. capti, necati, deſerti, diſſipati ſunt; incuria, fame, morbo, vaſtitate conſumti: vt, quod eſt indigniſſimum, ſcelus imperatoris in pœnam exercitus expetiſſe videatur.* Nam inſolitum, vt *pœna* vox addatur, cuius eſt in ipſo *expetendi* verbo incluſa ſignificatio. Itaq; veritus aliquando ſum, ne gloſſema eſſet, quod & eiici non incommodè, ſententiâ tamen integrâ, poſſe videretur. Sed non tam audax ego nunc, vt affirmem: neq; illud tamen affirmare non auſim, vix vnquam id vocabuli additum, cum alia nihilominus addantur, in caput, in tergum alicuius, & ſimilia. In Plauto quod ſequitur:



BIBLIOTECA NAZ. VIT. EM. ROMA

*Ordine omne vti quidq; actum eſt, apud hoſtes dum ſedimus,*
*Ediſſertauit.*

Valet *apud hoſtes edere*, hoſtes vel hoſtibus aſſidere, vt Plinius loquitur Panegyr: *Qui ſciant te aſſediſſe ferociſſimis populis eo ipſo tempore*. Cum quibus paria faciunt iſta. Virgil. Ciri:

*Ille vides noſtris qui mœnibus aſſidet hoſtis.*

Val. Max. lib. 7. cap. 4. *Ad vltimam ei ſenectutem apud mœnia Cantabriæ armato ſedendum foret.* Silius lib. 9.

*———Vt qui caſtella per altos*
*Oppugnat munita locos, atq; aſſidet arces.*

Idem lib. 12. *Aſſeſſos Capuæ muros.*

Sed hinc iam ad ſcenam ſequetem: vbi primò nobis occurrit verſ.

*Nam ego id nunc experior de me, atq; ipſa de me ſcio, cui voluptas*
*Parumper data eſt.*

in quo Muretus iampridem *de me* prius mutauit in *domo*, quaſi ſit οἴκοθεν. Ego alterutrum mutandum quidem cenſeo, non vt *domo* tamen, ſed *domi* reponatur. Ita. n. porius noſter: & frequentia ſunt exempla, quoru nunc duo ſubueniut. Caſina, ſcen. *Omnibus rebus*

*Hanc ego de me coniecturam domi facio magis quam ex auditu.*

Ciſtellar: ſcen. *Credo ego:*

*Hanc ego de me coniecturam domi facio, ne foris quaram.*

Deinceps ibidem:

*Atq; id ſi vult experiri, ſuum abitum vt deſiderem,*
*Ecaſtor med haud inuita ſe domum recipit ſuam.*

Dicam, quod ſentio: non hi mihi continenter ſic legendi verſus ſub vna diſtinctione videntur, ſed eorum prior cũ proxime ſuperiore nectendus, vt alter ſententiã per ſe abſoluat. Eleganter id ita ſit, non ſine leni correctione poſſit tamen, particulã *ſi*, in *ſe* mutatã, & interpunctis aliter concinnaris, ad hoc exemplum:

*———Al Quam quid ille reuertitur,*
*Qui dudum properare ſe aiebat? an ille me tentat ſciens,*
*Atq; id ſe vult experiri, ſuum abitum vt deſiderem?*

Abundat veterum more *ſe*, cuius hic creberrimus vſus neq; pueros iam latet ingenii & profectus mediocris. Sed pretium eſt, eandem locutionem in Martiali adhuc fallentem, geminaq; planè mendâ obſcuratã, in lucem hîc protrahere, non quæſita, ſed ſponte oblatã occaſione. Lib. 3. epigr. 93. in Vetuſtinam: cuius, vt modeſtè dicam, inuenuſtum ſenium & alienum iam prorſus Veneris rebus cùm prolixè deſcripſiſſet, ita porrò vitoſitatem eiuſdem adeò pruriginoſam & vriginoſam exagitat:

*Gaudes ducentas nupturire poſt mortes,*
*Virumq; demens cineribus tuis quæris*
*Prurire. quid ſarrire ſi velit ſaxum?*

At hîc quoq; *ſi*, in *ſe* mutandum, paritetq; non *quid*, ſed *quis* legendum: *quis ſarrire ſe velit ſaxum?* qua figura interrogationis ſtatim ſubiicit:

*Quis coniugem, quis te vocabit vxorem?*

Et *ſarrire* in obſceno intellectu, vti poſtea & *ſcalpere*:

*Quòd ſi cadauer exigis tuum ſcalpi.*

atq; alia huius generis in Martiali aliiſq; multa, quæ aceruare pudor meus non permittit. Hunc tamen vincam, vt egregium Varronis locum non tam exempli vice, quàm ipſi⁹ etiam emendandi cauſsâ, addam. Apud Nonium in *Sartores*. Varro Vinalibus, an Iuuenalibus, περὶ ἀφροδισίων: *Etenim ſic vide vtrum mercedem accipit is, qui meas venit ſegetes vt ſarriat, an ego ab illo. Sic ego centuſſim ſartor, ſi tu plus laboras, quam ego do.* In numeris verbiſq; corruptis lepidiſſima latet & planè Aphrodiſia ſententia, quam oſtendam cum bona Catonum venia, & ſic verſus, qui octonarii fuerunt, antè conſtituam:

*——Etenim hoc vide: vtrum mercedem accipit*
*Is, qui meas venit ſegetes vt ſarriat, an ab illo ego?*
*Sic age, cùm tuus ſim ſartor: ni tu plus laboras, quam de ego.*

Vel, *Sic, ego cum tuus ſim ſartor.* Cum amica queritur: iniquè comparatum, ipſam mercedem capere aut poſcere, quæ ſibi potius debeatur. Id ſimilitudine docet ab agricultura petita. Non, inquit, ego à ſartore, ſed à me mercedem ille fert. Ita fit inter nos etiam, quorum eadem eſt ratio. Tuus enim ego ſartor. Niſi fortè obiicias plus in opere communi te laborare, quàm me: quod minimè tibi conceſſerim. Tu quidem enim criſſas: at ego: ſed non vltra te violo Pudor. Ouidius in Arte & alibi querelam ſimillimam inſtituit: ſed & hanc verecundius diſſimulauero.

## CAPVT IX.

*Quàm, i. priuſquam. Haud vidi magis. Iſtic. Intus foràs. Ceterò, i. ceterè. Ad Amphitruonem multa variaq; nota, in vnum ſtipata.*

QVam ſuperiore capite ſcenam orſi ſumus, hoc porrò detexemus. Sequitur ergo:

*A M. Grauidam ego illanc hic reliqui quom abeo.*

Mutat Gulielmius noſter *quàm*, vt *prius* ſit omiſſum. Non abnuo: tamen ita ad extremum fabulæ:

*——Tu grauidam item feciſti, quum in exercitum*
*Profectus.*

Niſi & illic *quàm* reſcribendum, quod non ſit abſque ratione. Et ſic omninò Prologo:

*Is priuſquam hinc abijt ipſemet in exercitum*
*Grauidam Alcumenam fecit vxorem ſuam.*

Vtrobiq; ergò idem pariter mutetur. Hîc deinceps:

*A M. Valuiſtin' vſq;? exſpectatusne aduenio. S O. Haud vidi magis*
*Exſpectatum. Eum ſalutat magis haud quiſquam, quàm canem.*

Benè Muretus eam formulam, *Haud vidi magis*, & explicat, & illuſtrat exemplis: id oblitus eſt tamen, ſeparare eandem à pro-

xima voce *Exſpectatum*. Nam abſolutè, vt cum Grammaticis loquamur, amat poni: neq; aliter vſquam in Plauto, nec in ipſis Captiuis & Pœnulo, quos adducit. Interpunctio ergo ſic aptanda:

*——Exſpectatumne aduenio? S O. Haud vidi magis.*

*Exſpectatum eum ſalutat magis haud quiſquam, quàm canem.*

Et acerbior irriſio eſt: Qui ſe tam exſpectatum putat venire, ne ſalute quidem excipitur a quoquam. Non procul hoc loco:

*A M. Quamdudum iſtuc factum eſt? A L. tentas. iamdudum, pridem, modo.*

Legendum videtur: *A L. tentas. dudum, iam, pridem, modo*. Cui vel illud argumento eſſe poteſt, quòd infrà, Scenâ, *Dij veſtram fidem*, ſic perſcriptum:

*—— A M. quis te miſit*

*Furcifer? S O. qui me rogat. A M. quando gentium? S O. dudum, iam, pridem, modo.*

Imitatum enim hoc & tralatum inde, vti pleraq; alia è ſuperioribus his in ſubdititiis illis ſcenis. Etiam ſequens hîc verſus:

*A M. Qui iſtuc potis eſt fieri quæſo, vt dicis, iam dudum, modò?*

vt reſpondeat iſti priori, ſic pariter reſcribendus:

*A M. Qui iſtuc pote fieri, quæſo, vt dicis, dudum, iam, pridem, modo?*

Repetit enim eadem omnia coniugis verba mirabundus Amphitruo. nec numeros mihi quis dicet, intelligens ſaltem Comicam eorum rationem. Longo hinc interuallo:

*A L. Imo mecum cœnauiſti, & mecum cubuiſti. A M. quid eſt?*

*A L. Vera dico. A M. non quidem hercle de hac re, de aliis neſcio.*

Languet priori verſu, *quid eſt?* in tam graui plaga, quam è mentione concubitus accipit Amphitruo: nec erigit, imò deiicit magis, quod è manuſcripto, ſi Diis placet, vir doctus ſupponit, *quid id eſt?* quod neque numeri ferunt. Lego, *A M. quid? hem.* Inopinatò percutitur, & hem, quid ais? inquit. egone tecum cubui? Poſteriore, ſic eiuſdem verba interpretabere: non quidem hercle de hac re, ſcilicet vera dicis: de aliis neſcio, ſupple, an vera dicas. Id quoque monui, ne aliter, & malè caperetur: de aliis, at non de hac re, neſcio: quaſi dicat, vtcunque de aliis ſit, hoc certò ſcio minimè ita ſe habere. Pergo:

*A M. Egone iſtuc dixi? A L. tute iſtic, etiam aſtante hoc Soſia.*

Non interpreter *iſtic*, iſto in loco: ſed accentu demto habeã idem cum *iſte*: vt eadem *illic* & *ille*. Scenâ, *Age, i tu:*

*A M. Optas quæ facta. S O. egone? A M. tu iſtic, vbi bibiſti?*

Pergo vlterius:

*A M. Quin nunc mulier audin' illum? A L. ego verò, ac falſum dicere.*

Literulâ vnâ minus hoc ſanum eſt. Scribo, *Quid* vel *Qui nunc mulier? audin' illum?* Elegans autem ἔλλειψις, *Ego verò*, ſcilicet audio: quæ & paullò poſt:

*A M. Tun' me heri aduenisſe dicis? A L. tun' te abiiſſe hodie hinc negas?*

A M. Ego

*AM. Ego enimuerò, & me aduenire nunc primum aio ad te domum.*

Etſi veteres hîc non minus eleganter, *Nego enimuerò:* quod iſti penè prætulerim hoc in loco. nam fortius eſt in contentione. Etiam vlterius:

*AL. Fiat. tu Theſſala intus pateram proferto foras.*

Hiant numeri, niſi tale quid inſeras: *Fiat. heus tu Theſſala:* vel potius, *Fiat. i tu.* Nam adfuit ei ſine dubio ancilla. Sed ibidem non iunxerim *intus pateram*, τὸ ἐντὸς ποτήριον, vt quidam volunt: verius eſt, *proferto intus foras.* Habet enim *intus* etiam motum de loco: quod aliis pridem dictum, nos & infra iterum tangemus. Hic vnū Plauti ſuffecerit exemplum. Bacchidib.

*Ego tibi argentum iam iubebo intus efferri foras.*

Cui Varronis addo: Epitaph.

*Donec foras nos intus euallauerunt.*

Porrò etiam vlterius:

*AM. Vbi tu cubuiſti? AL. in eodem lecto tecum vnà in cubiculo.*

Melius *vno* fuerit: quando & infra ſic:

*Meus Amphitruo vno cubiculo Alcmenam complexus tenet.*

Parum tamen hoc retulerit: nec illud multò plus, quod mox ſequitur:

*AL. Quid iam? amabo. AM. ne me appella. SO. quid tibi eſt? AM. perij miſer.*

ſi legatur, *Quid ita?* etſi & ipſum melius puto. A paucis verſib⁹ ille:

*AM. Tute edictas facta tua, ex me quæris quid deliqueris?*

rectius ſine interrogatione legetur. Et qui continuò hunc ſequitur: *AL. Quid ego tibi deliqui, ſi cui nupta ſum, tecum fui?*

Venuſtè in eo *tibi* παρέλκει: neque inuenuſtius tamen aliquot veteres legunt *ibi.* Et ab hoc alter:

*Saltem tute, ſi pudoris egeas, ſumas mutuum:*

ſic diſtinguendus: *Saltem, tute ſi pudoris egeas, ſumas mutuum.* Euaneſcit alioqui vis illius *tute.* Etiam ab iſto alter:

*Tu ſi me impudicitiæ captas, non potes capere:*

benè à Mureto verbis tranſpoſitis correctus, *capere non potes:* ſed non optimè. Deeſt enim vna numeris adhuc ſyllaba, quam abſorpſit vltima verbi *captas.* Ego redono:

*Tu ſi me impudicitiæ captas, at capere non potes.*

Gradum hîc nobis Muretus ad verum fecerat, non item in eo, qui poſt paucos:

*Namq; de illo ſubditiuo Soſia mirum nimis eſt.*

Voluit idem, *mirum eſt minus:* fruſtrà. verbum tamen *eſt* præpoſuit non fruſtrà maluit, etſi poteſt ſuo etiā loco ferri, ſi per apoſtrophū ſcribatur *nimi'ſt.* De quo vtcunq; ſtatues, *nimis* accipies Comico more pro valdè: ſed vt ſenſus ipſe totus eluceſcat, nectes verſum hunc ſequenti, cuius initio corrigendum etiam *cetero*, pro *certò*:

*Namq; de illo ſubditiuo Soſia mirum eſt nimis:*
*Ceterò de iſto Amphitruone iam alterum mirum eſt magis.*

De Soſia, inquit, eſt ſanè valdè mirum: ſed multò magis de Amphitruone. *Ceterùm* autem & *Ceterò* promiſcua veteribus, vt hodieque nobis *primùm* & *primò*, taliaq; infinita. Porrò in illo:

*AM. Satis audacter. AL. vt pudicam decet. AM. tu verbis probas.*

amplecterer eruditiſſimi Gruteri coniecturam *proba es*, niſi neque ſententiam admodum, & verſum prorſus non iuuari ſic viderem. Claudicat hic etiam: qua cauſſa malo: *vt te verbis probas.* Oratio contentioſa eſt & præſenti litigio aptiſſima: vt pudicam decet; vt te verbis ſaltem probas. Iam ille quidem integer:

*Quid ſi adduco tuum cognatum huc à naui Naucratem?*

tamen plenior, inuerſo duûm verborum ordine, *cognatum tuum*. Nec in illis ſanè quidquam vitioſum:

*——— atque is ſi denegat.*
*Facta quæ tu facta dicis, quid tibi æquum eſt fieri?*

paullò tamen aliter editio quædam vetus; *te ibi*, pro *tibi*: quod nō verius dixero, ſed eiuſmodi, vt dubiam facere poſſit alterius veritatem. Familiaris enim locutio iſta quoq; Plauto, Terentioque, & aliis, *Quid me fiet? quid te factum? quid illo futurum eſt?* quæ tam nota omnibus, vt exemplis mihi nullis aſtruenda. *Ibi* autem æquiualere ſæpe τὸ *tum*, neque pueri ſunt docendi. Atque ita ſcenam hāc percurrimus, cuius è ſuperiore capite reliqua omnia in hoc congeſſimus, leuia maximam partem, & eò potiſſimum iuncta ſic & ſtipata, vt quæ ſingula ponderis habent nihil, aliquid haberent multa ſimul.

## CAPVT X.

*Cœli cœnaculum. Alcmena verecunda. Abſtinere ſe facto. Madidus ſobrius. Atque. Plautus nouè pluribus locis emendatus, explicatus. eiuſdem Enniana imitatio.*

CVm nouo Actu caput iam nouum ordiamur. Hîc ſcenâ primâ de ſe Iuppiter:

*In ſuperiore qui habito cœnaculo.*

quod vt accipiant Turnebus & Lambinus, eſt in commentariis eorum promtum: nec ego negauerim, ambiguitate ſententię captatum quem alter vult iocum: tamen quia tam conſtanter in multis editionibus priſcis, inter has Aldina & Colonienſi, mirificè ſæpe bonis, eſt vox *cœli*; videri hæc ipſa poſſit iniuriâ neglecta. Mei quidem, vt fatear, mouit quaſi quædam eius miſeratio, nec patior amplius ſic deſtitutam. Reſcribo:

*Qui in ſuperiore habito cœli cœnaculo.*

Perit ita iocus, inquies: pereat potius (etſi non omnis perit) ille, quam hæc venuſtas dictionis. Equidē nihil dubitādum puto, quin

Plauti

Plauti ſit hæc compoſitio *cœli cœnaculi*, quem ſonum antiquitas omnis in deliciis habuit, & noſter maximè: qui, ni fallor, aut hoc ipſum ab Ennio habet. Illius enim hemiſtichium tale laudat aduerſus Valentinianos Tertullianus,

——— *cœnacula maxima cœli.*

vbi conſimilis quidam ſcriptoris eius iocus in Deum neſcio quem ad ſummas tegulas in cœlorũ tabulatis, id eſt, Plautinis hiſce verbis, in ſuperiore vel ſupremo cœli cœnaculo habitantem. In eo, quod ſequitur, vix audeo a viris doctis diſſentire:

*Huc autem quom extemplo aduentum apporto, illico*
*Amphitruo fio, & veſtitum immuto meum.*

Iam enim recepta locutio *aduentum apporto*, & approbata exemplo ſimilis Lucretianæ. Durior illa mihi tamen & crudior, quam vt concoquam, nec adiuuat hunc tam debilem ſtomachum iſta ſimilitudo, quam à ſe non ſperno. Quin omninò cupiam in Plauto mutari: quod videor ipſe non ineptè facturus:

*Huc autem quem extempulo aduento, à portâ illico*
*Amphitruo fio,*

Ait, huc aduenientem ſe, ſimul ac limen egrediatur cœli, mutari in Amphitruonem. Licuerit hoc verecundè poſuiſſe, non confidenter adfirmaſſe. Proxima huic ſcena pendet ſententia iſtius verſus:

*Quando ego quod feci, id factum Amphitruoni obſuit.*

& deeſſe videtur alter, qui abſoluat: niſi tamen ipſe cum ſequenti, mutata vulgari interpunctione, iungendus. ꝙ commodè poterat, ſi porrò, vbi *autem* eſt, *adeò* legeretur. Sed nec *autem* illud impedit omninò. Ceterùm *illi* cum veteribus in ſequenti, quam *ille* malim:

*Atque illi dudum meus amor &c.*

Deinceps pulcrè nugatur Nonius, cùm iſto verſu:

*IVP. Nimis verecunda es. AL. potin' vt abſtineas manum?*

*verecundam*, audacem & cõfidentem interpretatur: quod ei nemo credit, & interpolare quidam in Plauto maluerunt, *iracunda*: ſiue quòd in hoc ſenſus clarior, ſiue quòd illud excludere numeri viderentur. Nos etiam tentauimus aliquando, *Nimis vero tumida es*: quod eſſet, ſuperba vel irata. Et alium ſcio, qui *Nimis ferocula es*, exemplo Turpilii apud Nonium in *Attigas*:

*Ne me attigas, atque aufer manum. Eia, quàm ferocula es!*

Qui ſanè verſus huc mirificè facit. At omnes falſi ſunt. Et numeri *verecunda* ferunt, extrito *s* in præcedenti *Nimis*: & ſententia non repudiat. Inuerecunda fuiſſet Alcumena, ſi aduerſus illum humana: nunc per inhumanitatem verecunda, vt matronam decet: etſi nimiam ille verecundiam ait, qui maiorem in ſe velit comitatem. Neſcio quid ſimile habet huic loco Senecæ patris in Controuerſ. vlt. lib. 2. *Feras iacentes in terram oculos: aduerſus officioſum ſalutatorem inhumana potius quàm inuerecunda ſit.*

Mox ibidem. . .

*IVP. Si dixi, nihilo magis es, neque eſſe arbitror.*

verſui conſulas, ſi *te* inſeras, *neq; te eſſe arbitror.* Cui proximè hærentem Colonienſis liber ſic plenius, quàm vulgò, legit:

*Et id huc reuorti, vt me de hoc purgarem tibi.*

Quod porrò iſthìc:

*Nunc quando factis me impudicis abſtines,*
*Ab impudicis dictis auorti volo.*

ita interpretantur *abſtines*, alienam ab iis ipſe conſiteris: neſcio ſi voluit hoc Alcumena. Senſus certè melior ſit, *abſtineo* ſi reſcribas. Nam quod verſus hic ſupra mẽſuram trahet, abſorbebit ſequens, vt ſolet in noſtro ſæpè. Vita mea, inquit, criminationes tuas refutat: & quando à factis impudicis procul abſum, abeſſe pariter à dictis volo. Taceo, quòd inuſitatum prorſus *abſtinere* ſignificatu, quem illi faciunt: vulgatiſſimum eo, quem & quo nos reddimus. Ibidem ſtatim:

*Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero:*

numeri vacillant, & trochæus contra leges ingreditur iambum. Mutato verborum ordine vites, *comitem duxero pudicitiam:* vt tamen extremæ ſyllabæ in vnam coaleſcant. Ad finem eiuſdem ſcenæ mutilum verſum,

*Is adeò impranſus ludificabitur:*

Gulielmius noſter expleuit pridem adiectione voculæ *dolis:* aptè ſanè, niſi mihi veriſimilius hoc incidit, in verbo *ludificabitur* latere coalita tria, *ludis hic ſatiabitur.* Sentẽtia venuſtior ſit: at verba neſcio ſi pro germanis habenda. Scenâ deincipe, *Amphitruo aſſum:* tranſpoſitionem videre videor iſto verſu:

*SO. Iam hic ero, quum illic cenſebis eſſe me. IVP. actutum huc redi.*

Nam prius oporteat mandare Iouem, *Actutum huc redi*, quàm ille reſpondeat. Scribo igitur:

*IVP. Tu gubernatorem à naui huc euoca verbis meis*
*Blepharonem, vt re diuina facta mecum prandeat.*
*Actutum huc redi. SO. iam hic ero, quum illic cenſebis eſſe me.*
*AL. Numquid vis.*

Verſui nulla iniuria fit, & ſententiæ verò quàm optimè conſulitur. Scenæ, quæ hanc ſequitur, eo verſu:

*Ille aut nauem ſaluam nuntiat, aut irati aduentum ſenis.*

Argumenta fabularum ſuadent, *ingrati* potius ſcribamus, quàm *irati*. Ingratus enim plerumque aduentus ſenum, non ipſi ſemper irati: quod in medio tamen ſic relinquo. Eadem ſcenâ:

*De ſupero quum huc acceſſerit faciam vt ſit madidus ſobrius.*

Elegans ambiguitas in voce *madidus*, quæ & ebrium aliquando ſignat, vti contra *ebrius* madidum: atque ita Caſinâ cœnam ebriam legimus pro madida & benè cocta. Sed quòd ſobriam ebrietate hic Mercurius minatur, inde eſt, quia effudit in Amphitruonem

oſteà matellam aquæ: quod ex fragmento colligitur apud
um in *Matella:*

*Ne tu poſtules matellam vnam tibi aquæ inſundi in caput.*

m adeò verſum miror inſerere quoſdam voluiſſe inferius in
a dubia: cùm neque ſtructurâ hæreat, etſi ſententiâ quidem
ieneric, iſti loco; & ſtultum ſit, germana Plauti fictitiis aſſue-
Claudam hoc caput leuiore notatiuncula in ſequentem ſce-
: cuius verſu,

*Apud emporium, atq; in macello, in palaſtra atq; in foro:*

atò repetenda fortè particula *atque*, & ibi inſerenda etiam, *at-
in palæſtra.* Cùm numeri ſic pleniores, tum ipſa per ſe venuſta
quam iteratio: quam eiuſdem particulæ videntur in deliciis
buiſſe priſci. Cato certè Cenſorius apud Gell. lib. 7. c. 3. in O-
tione pro Rhodienſib. *Scio pleriſque hominibus rebus ſecundis at-
e prolixis atque proſperis animum excellere, ſuperbiam atq; ferociam
geſcere atq; creſcere.*

## CAPVT XI.

*Fores increpare digito. Magna mira. Quod Dii faciant. Stomachum decoquere. Quin, pro quidni? Pugnis ſatur, plagis ebrius. Scena in hac fabula ſuppoſititia examinata: in iis multa ſuperiorum imitationes, turba etiam in Oeconomia notata. Correcta ibidem & explicata ſimilium collatione loca plura; tum emendationes & nota quorundam refutata.*

VEnio nunc ad ea, quæ non immeritò diuerſis characteribus excuſa, vt magis à Plautinis dinoſcerentur. Nec tamen adhuc repertus, qui damnare penitus ſuſtineret: nec is ego verò, qui tantum mihi ſumere præ ceteris auſim aut velim. Plauti quidem pleraque non eſſe, non dubitem affirmare: tam inſunt multa inepta, languida, putida: quorum aliqua turbant Oeconomiam fabulæ, plurima de ſuperioribus inſcitè adumbrata ſunt, vt imitatio falſitaſque ipſa manifeſtò appareat. E diuerſo nō ſunt nulla Plauto digna, quædam etiam Plauti germana, ſcilicet è fragmentis, vt fucum quiſquis auctor eſt facilius faceret, non nimis tamen diligenter collecta & inſerta. Ceterùm qualia ſunt cunque tandem, non nuper nata cenſeo, ſed benè vetera: quibus & ipſis multum nocuerunt iniuria temporis & inſcitia negligentiaque deſcriptorū. Ea partim & nos aliorum exemplo conabimur emendare, vt aliquanto cùm ipſa putiora ſint, tum minus Plautina reliqua deuenuſtent. Primùm ergo vbi legitur:

*Si minuſculo digito increpuerint fores, hac tegula*
*Tuum deminuam caput.*

rectius putem ſcribi *increpueris*: nec id deſiderat probari. Statim:

*AM. Tun' furcifer meis me procul prohibeſtis adibus?*
*Tun' meas pultare fores? hasce illico tota demoliar cardine.*

dubito an potius:

*Tun' vetes pultare? foras haſce ill. t. d. card.*

Iam illic:

*AM. Num formam perdidi? mirum quin me norit Soſia.*

vides apertam imitationem: quam interpolare ſic malim tamene

*AM. Ni formam perdidi, mirum quin me norit Soſia.*

Illo verſu:

*AM. Soſia. ME. quid (malum) Soſia? AM. num me noniſti verbero?*

certò ſcribendum, *AM. non me noniſti, verbero?* Deinceps obſcurus adhuc ſenſus & dubia lectio illorum:

*AM. Cupio accerſi. vtinam pro benefactis, dij, patriam,*
*Ædes, vxorem, familiam, cum forma vna perduam:*

etſi Douſa iamnunc patri certans filius haud incommodè ſanè parua mutatione explicat, *perduant*. Sed nec imprecatio talis cõuenire videtur, & verſus prior vno pede mancus eſt. Igitur mihi viſum ſcribere:

*AM. Cupio accerſi. Vtinam ne pro benefactis hodie patriam,*
*Ædes, vxorem, familiam, cum forma vnà perduam.*

Vouet & deprecatur, ne pro benefactis hoc ſibi pretium reddatur, vt vna cum formâ reliqua ſua perdat omnia. Mox ille penultimus:

*Credo iam quæ volebat ſacrificia ad epulum conduxit.*

inter alios, de quibus dicere longum foret, maximè turbat Oeconomiam. De ſacrificiis enim ad epulum conducendis ſupra, ſcenâ, *Amphitruo aſſum*, Iuppiter ad verum Soſiam dixerat: hic de iiſdem Mercurius agit, cui nihil horum conſtabat. Niſi ſi ſcire vltrò putabimus, quia Deus eſt: quod mihi quidem nimis dilutum videatur. Et hercle ſi vel ſcierit, an hoc adeò loco dicere debuit? Nihil ad ſententiam: quam & ipſam turbat: ſiquidem cohærent præcedens hunc & ſequẽs verſus, quos intermedius importunè diuellit. Cui adde, quòd nec iiſdem pedibus incedit: vt alienus omninò ſit habendus. Ego audacter eijciam: ſed quorſum reijciam, non inuenio. Scenæ proximæ ſecundo verſu:

*——Nam verum eſt quod olim eſt auditum Fabularier.*

melius, *Iam verum eſt.* Nunc, inquit, facilè vera credam, quæ olim facta incredibiliter mira memorātur, poſtquam hoc video in mea familia exemplum. Mox in eadem ſequitur:

*—BL. quid illuc Soſia? magna ſunt, quæ mira prædicas,*

ſed alio ordine verba collocāda: *magna mira ſunt, quæ prædicas.* Sic vbique, & hic ſæpe, *tanta, nimia, maxima mira.* Huic illud hæret:

*Ain' tu alterum te reperiſſe domi conſimilem Soſiam?*

vbi veteres quidam adiiciunt in fine alterum *domi*. Scias, heic quoque, vt ſolent, voculas has turbaſſe, quarum altera mutanda in *modo*:

*Ain' tu alterum te reperiſſe modò conſimilem Soſiam domi?*

quod & verſus flagitat, alias defectus iuſto ſpatio ſyllabarum. Ab hoc ipſo ſtatim:

*SO. Aio. ſed heus tu, quum ego Soſiam, Amphitruonem Amphitruo, quid ſcis an*

*Tu forte alium Blepharonem parias? ô Dij faciant, vt tu quoque*

*Conciſus pugnis, & eliſis dentibus, id impranſus creduas.*

Manifeſtò etiam id adumbratum de illo loco ſcenæ, *Satin parua?*

*Tu peperiſti Amphitruonem, ego alium peperi Soſiam:*

*Nunc ſi patera pateram peperit, omnes congeminauimus.*

Sed hic legendum primò, vt Plautinum videri poſſit, *quod Dij faciant*. Fine primæ ſcenæ:

*Nij & is quoque me ignorabit. quod ille faciat Iuppiter,*

*Vt ego hodie raſo capite caluos capiam pileum.*

Horat. lib. 1. ep. 7.

*Quod te per Genium dextramq; Deoſq; penates*

*Obſecro & obteſtor, vitæ me redde priori.*

Deinde nec *iliſis* ſanum: pro quo ſit *eliſus*, vel *eliſis*. Porrò habetur:

*——A M. ecquid aliena*

*Fabulor? in noſtro olim &c.*

Diſpeſce & *quid*. Pendet à ſuperiore Amphitruonis ſermone, quo exemplum μεγαλορρημόνως peregrinum recenſuerat: quo nunc omiſſo, Et quid aliena, inquit, perſequar? cùm domi noſtroque in genere nimis quam mira euenerint, ne foris quæram. Si *ecquid* retines, inconcinnior eſt & ſenſus & ſtructura. Deinceps illa, quæ Soſiæ continenter aſſcribunt libri:

*Si me audias, obſerues. neſcio quid ſecum ſolus, puto*

*Rationes colligit.*

verius fortè tribueris Blepharoni, qui ſeruum inquietum & garrulum compeſcat. Vlterius ibidem:

*Hominem ne congrediamur quæſo, priuſquam ſtomachum detexerit.*

Nihili verbum *detexerit*, pro quo meditabar ipſe *deiecerit*, vel *reiecerit*, cùm multo melius vidi, quod I. Douſa F. coniecit, *decoxerit*: quod Græcis tamen exemplis firmare facilius poſſis, quam Latinis. Apud illos enim frequens πέψαι ὀργὴν: & Homerus multis locis, χόλον θυμαλγέα πέσσει. Eadem adhuc ſcena:

*SO. Qua de re? num ſatis tempori? non ocius quiui.*

Malè hic quoque *num* pro *non*: quod hoc ipſo capite emendauimus in ſuperiore ſcena. Denique hic ibidem etiam:

*Negas ſceleſte? SO: quin negem? en teſtis ampliter, qui cum venio.*

Mutat princeps noſtræ iuuentutis, quem plus ſemel hîc antè nominaui, *Quid ni negem?* paullò inconſideratius, qui non cogitauerit, id ipſum *Quin* a Plauto pro altero *Quidni* quandoque poni. Sic certè Mil. Glor. Scena *Inde ignem*.

*SC. Men rogas, hem, qui ſim? PH. quin ego hoc rogem, quid neſciam?*

Iterumque eadem fabula: ſed de quo iterum ad ipſam. Progredior ad conſequentem hîc ſcenam, vt vno capite ſuppoſititia ſiue dubia iſta omnia comprehendam. In ea vereor, ne fruſtra ſit Gulielmius noſter, poſt duos iſtos,

*AM. Imò ego hunc Thebani ciues, qui domi vxorem meam*
*Impudicitia impediuit, (per quem) teneo theſaurum ſtupri:*

tertium hunc è fragmentis inculcans:

*Cuique med abſente corpus vxor vulgauit ſuum.*

Licenti enim nimis additione ſeptenarium verſum facit è ſenario: qui neque nimis facit ad plenam iam antè ſententiam priorum. Vereor item, ne fruſtra item nobiliſſ. Douſa in noua verbi *impediui* explicatione, cuius ἔτυμον neſcio rectène duci poſſit a *Pædore*. Nonius quidē quòd *ſordidauit* explicat, nihil me mouet, quin ſimpliciter hic æquè accipiā, ac alibi, inuoluit, implicauit. Loquitur enim tanquam de venefico & præſtigiatore, ſimul ipſo mœcho. Supra *impliciſci* pæne in re ſimili vſurpabat:

*AM. Vbi primum tibi ſenſiſti mulier impliciſcier?*

Quod niſi ita eſt, malim etiam contra Nonii auctoritatem inuertere:

——*qui domi* (vel, *modò*) *vxorem meam*
*Impudicitia impleuit, quem teneo theſaurum ſtupri.*

Phraſis noſtro familiariſſima, qui vbique plenū ſtupri, adulterii, faſtidii, gloriæ dicit. Abſtineo tamen, neque tam veterem lectionem temerè damnarim, in verſu præcipuè, quē Plauti germanum ferè agnoſco: vti ſequentem etiam hunc:

*SO. Here, ſi tu nunc eſuris, ego ſatur pugnis ad te volito.*

in quo elegans iſtud *ſatur pugnis*, quia ſupra de cœna & hoſpitio pugneo actum. Loquendi autem ſimili genere Theocritus Idyll. 22. *plagis ebrium* dicit Amycum:

ἵστη δὲ πληγαῖς μεθύων, ἐκ δ' ἔπτυσεν αἷμα.

vbi venuſtè ſupra modum de ſputo & quaſi vomitu ſanguinis adiectum. Porrò hîc Plautus, ſiue Pſeudoplautus:

——*AM. proh ſumme Iuppiter! vbi hodie*
*Mihi formam adimis? pergo quærere: tun' Amphitruo? IVP. tu negas?*

Vbi cum anteà *perge* foret, *pergo* nunc fecerunt commodius, vt ipſis viſum. At illud melius, ſub perſonatum tamen alio poſitu, quas ita vario: ——*AM. prò ſumme Iuppiter! vbi hodie*
*Mihi formam adimis? IVP. perge quærere. AM. tun' Amphitruo? IVP. tu negas?*

In Iouis præſentis inuocatione iocus eſt. Hunc cum Amphitruo cieret, ille coram pergere iubet interrogando. Sed & deinceps in perſona erratum puto:

——*SO. vterque*

*Rem tenent probè. intus in crumena clauſum alterum eſſe oportuit.*
Nam Blepharoni arbitro magis ea conueniunt, cui & tribuit vetus editio Florentina. Sanè poſcere ſic videtur etiam verbum ſtatim Iouis, *Attende ſis:* quo non ſeruum, ſed Blepharonem compellat, & auerſum forte, cum ad ſpectatores, vel ſecum iſta loqueretur, reuocat & attendere porrò iubet. De cetero, & hîc imitatio non obſcura, quando ſanè liquet paria ſibi inuicem & hoc, *intus in crumena clauſum alterum eſſe oportuit*, & illud primâ ſcenâ, *Mira ſunt, niſi latuit intus illic in illa cirnea:* ſiue iam ipſe noſter, quod placuerat ſemel, iterum vti voluit, ſiue alius de eo ſic expreſſit.

## CAPVT XII.

*Reliqua in hanc fabulam pauca leueſq; nota: fragmentum indidem in Nonio diuulſum, conglutinatum.*

GAudeo euaſiſſe tandem ſuſpecta iſta & ſubleſta, nec minus lætor proſpicere iam portum in hac fabula: cuius extremam oram leui velificatione percurremus. Scenâ, *Vos inter vos:*

*Seu patrem, ſiue auum videbo, obtruncabo in adibus:*

Obſeruemus numeros, & traductim verba ſic ordinemus:

*Seu patrem videbo, ſiue auum, obtruncabo in adibus.*

Ipſi ibidem vltimi cum hac interpunctione ſcribendi:

*Neq; me Iuppiter, neq; Dij omnes id prohibebunt, ſi volent,*
*Quin ſic faciam vti conſtitui. Pergam in ades nunc iam.*

Nec enim *Quin* ſententiam velut nouam orditur, vt ſit corrigendi particula vel hortandi: ſed hæret priori, pro *quominus* accipienda. Iam quæ ſcena ſequitur, eius iſto verſu:

*Ibi me inclamat Alcumena, tam ea res me horrore afficit,*

pro *tam*, alii *tum* faciunt; ego *iam* malo. Senſus enim: Cum Alcumena me inclamaret, iam inde ſtatim inhorreſcebam. Ibidem eſt: *Ibo & cognoſcam quiſquis eſt:* ſed veteres leuiter demutant, *Ibo vt cognoſcam:* itemque alio verſu,

*Sed puer ille quem ego laui, vt magnus eſt, vt multum valet!*

non *& multum.* Sed hoc notare non fuerat tanti. Forte nec illud, vbi legitur:

*AM. Hac ſola ſanam mentem geſtat mearum familiarium:*

legendum *meorum:* quo tamen nihil certius. De omnibus enim familiaribus ſentit, tam ſeruo, quàm ancilla & vxore. Qui in voce *ſanam* hîc turbant, & *ſagam* vel *ſartam* præferunt, non videre videntur, quæ proximo verſu repetatur:

*BRO. Imò omnes ſani ſunt profectò. AM. at me vxor inſanum facit.*

Satin' hinc liquet, eandem ipſam præceſſiſſe? Iam in Amphitruonem quæ habuimus, exhibuimus omnia: niſi antequam hunc libellum componamus, fragmẽtum indidem, fœdè apud Nonium

diuulſum, lubet etiam componere, ſi fortè Fortuna conatum adiuuabit. Nonius in *Ceriti. Ceriti & laruati malè ſani, aut Cereris ira, aut laruarum incurſatione animo vexati. Plautus Amphitr. Laruatus edepol hominem miſerum medicum quaritat. Idem qui ſuprà: Quaſi adueniente morbo medicati iuuenem, tu certè aut laruatus es aut ceritus.* Idem in *Aduenire. Aduenire, incipere. Plaut. Amphitr. Quæſo aduenienti morbo iure medicabis.* Vides, quam turpiter hæc & luxata & deformata, vix vt eadem diuerſis in locis agnoſcas. In priore primùm illud Nonii *Idem qui ſuprà*, mutandum, *Idemque ſupra.* Vnde paret, quæ poſterius citat, præceſſiſſe. Quo dato, non difficulter ordinem reliquorum inueniam & nexum vniuerſi. Concinno:

*Quaſe adueniente morbo nunc medicum tibi.*
*Enim tu certè aut laruatus aut ceritus es.*
*Edepol hominem te miſerum! medicum quarita.*

Varietatem ſcripturæ variè ſecutus ſum, & collatis diligenter locis, nunc hinc, nunc inde ſumſi, quod magis conueniret. Ac ſpero nec audacem me fuiſſe nimis vlla parte, vel in toto ſi fui, tamen ita fortunam adſpiraſſe, vt temeritas in laudem ſit ceſſura.

* *
*

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI ASINARIAM

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

IO. VINCENTIVM PINELLVM virum genere, virtute, doctrinâ verè Illuſtrem.

ITA *eſt: ſum in eo, quod aggreſſurum me primis à reditu in Germaniam literis ſignificabam, quodque tu non ſemel hortatus es præſentem, ac nuper etiam abſentem admonuiſti* PINELLE *præſtantiſſime, vir vſquequaque virtute, doctrinâ, genere, famâ Illuſtris. Acceſſi, inquam, ad ea conſcribenda vulgandaq; ſuo, aut quo tempus fert, ordine, quæ molitum apud vos etiam me & in manibus habuiſſe noſti. Factum autem initium eſt, vnde minimè olim deſtinaram, à Q. Curtio: in quem Animaduerſiones noſtras vidiſſe iam te opinor, & iudiciũ de ijs quotidie tuum exſpecto, cum religioſo ſanè horrore quodã & arcano metu. Iure enim vereor & revereor cenſuram tuam viri in omni literarum genere ſic præſtãtis, vt quod tu iudicium de quocunq; ſcripto tuleris, id non ab homine, ſed Deo profectum, nec ſententia, ſed oraculum videatur ac debeat videri. Noſtra quidem illa ſcriptio tenuis, & quæ non multum oſtendat profeciſſe me poſt Velleianam apud vos leuiſſimam editionem: quod ipſe ſentio, nec refugio fateri. Quid enim vel ego negem, quod alij tamen ſciant; vel ipſe tribuam meis, quod præter me nemo ſit tributurus? Atqui ſic ſtatuo, modeſtiâ maximè & ingenuitate mea poſſe ſuſtineri à me iudicia aliena: ſicque facio, vt quo minus*

*ipſe arrogo mihi, tanto alij plus aſſignare vltrò tantoque libentius velint. Nunc in Plauto fui, quem mihi cordi & curæ fuiſſe vobiſcum ſcis, & agitatum inter nos iam tum de Diuinationibus edendis meminiſti: quarum & ſpecimen aliquando Bononiâ ad te tranſmiſi pauculas Notas, cum velles in anteceſſum videre, quid poſt tam multos ſcriptoris huius emendatores præſtitiſſem. Ac illa probata tum quidem tibi ſunt: editio autem earum cum differretur, quòd nec occaſio commoda ſatis eſſet, & alijs ibi ſtudijs attinerer, ab eo tempore creuerunt ſemper, inque iuſtam voluminis magnitudinem exceſſerunt. & quamquam augeri porrò etiam poterant, vt in hoc genere fit, aſſidua lectione plurium ſcriptorum & meditatione frequentiore: viſæ mihi tamen ſunt non diutius continendæ, vt his emiſſis & planè tandem miſſis ad alia me libero magis animo curaque ſecuriore darem. Quando igitur nunc prodeunt vniuerſæ, quarum particellam olim cupidiſſimè vidiſti, vide libenter etiam reliquam turbam: & tamen ne in his te nimis occupem in grauioribus & pluribus occupatum, vide iterum partem aliquam ſaltem, & hanc eò diligentius, quòd illuſtri præſcripta nomine tuo venit in publicum, teque tutorem ſibi quærit, ſi inuenerit approbatorem. Et inueniet illum te ſpero: qui ſi non poteris eius omnia tuo puncto dignari, dignabere tamen patrocinio, quo potes omnia tueri. Mihi quidem, qui nomen ei ſtatim præſcripſerim tuum, vt commendatior in vulgus exiret, non iraſcêre. Quid autem, iraſcêre, dico? non cadit in humanitatem tuam & amorem erga me verbum hoc, neque rem deprecari neceſſe habeo, cui non cauſſa, non locus in iſta re. Quid enim iram nunc metuam, qui beneuolentiam initio captabam? Sic enim animus erat, gratum hac inſcriptiunculâ tibi facere, quem confidebam omninò gratum habiturum, quidquid à me proueniſſet. Et tu quidem non ſpernes fortaſſis officium tenue, qui maioribus me beneficiis demeruiſti: mihi verò ſit etiam voluntas digniore te ratione percolendi, ſi facultas adeò non deſit. Nunc quando & debeo grati animi tibi quandam ſignificationem, & hanc neq; potui aliter, &*

*ter, &*

*ter, & ita ſperaui oſtendere qualemcunq; poſſe, quam tu agniturus eſſes non inuitus; fac quaſo, ne vel ſpem meam refutaſſe, vel ſtudium contemſiſſe, vel ipſum debitum reſpuiſſe videaris. Id quod tu certè non committes, meque amabis etiam amplius hoc nomine, tuamque augebis in me beneuolentiam: quam ego maximam coràm expertus vt tantam modò retineas opto, atque iſti veteri humanitati tuæ perpetuam ſemperque nouam tui obſeruantiam meam commendatam eſſe patiaris oro.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI ASINARIAM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Præconum & aliorum, gratis neque tacentium, duplex merces. Vota coniugum alterius ſuperuiuendi. In prologo & ſcena prima veræ quædam lectiones confirmatæ, illuſtratæ; falſæ aliæ refutatæ: & inſignis locus inſigni verſus unius deletione, alterius traductione emendatus.*

VAriæ olim & diſſentientes eruditorum ſententiæ fuerunt ſuper huius in Prologo loci vera lectione:

*Face iam tu præco nunc omnem auritum poplum:*
*Age nunc reſide, caue modò ne gratiis.*

Nunc quin hæc ſit vera dubitari quidem amplius non puto: meritò non poteſt ſanè, quando validiſſimè firmat ſimilis Pœnuli locus, quem ab aliis laudatum nihil tamen vetat etiam hîc adſcribere:

*Exſurge præco, fac populo audientiam.*
*Iam dudum exſpecto, ſi tuum officium ſcias.*
*Exerce vocem, per quam viuis & colis.*
*Nam niſi clamabis tacitum te obrepet fames.*
*Age nunc reſide, duplicem vt mercedem feras.*

Sed & alii probant aliorum dicteria: vel quale Martialis iacit in magiſtrum ludi: lib. 9.

*——Vis garrule, quantum*
*Accipis, vt clames; accipere vt taceas?*

Idemque lib. 1. ad Helium:

*Quod clamas ſemper, quod agentibus obſtrepis, Heli,*
*Non facis hoc gratis: accipis, vt taceas.*

Præ ceteris autem, quod de tibicine Arabio Græcorum verſus ait:

Δερχυνῆς μὲν αὐλεῖ, πέπερδεν δὲ πάντοτε.

Deſinant igitur vlterius hoc ſollicitare, quib[9] vbique manus prurit ad nouationes. Primore primâ ſcenâ iſte locus:

*Si quid med erga tu hodie ſalſum dixeris,*
*Vt tibi ſuperſtes vxor ætatem ſiet,*
*Atque illa viua viuus vt peſtem oppetas:*

docere nos poteſt, votum apud veteres fuiſſe maritorum, vxoribus ſuperuiuere: vti contrà & vxorum, maritis. Ita enim accipiendum videtur hoc Caſinâ:

*Senſim ſuperattolle limen pedes noua nupta: ſoſpes*
*Iter incipe hoc, vt viro tuo ſemper ſis ſuperſtes.*

Viri quidem in Comœdiis ſæpe citam mortem vxoribus optant, nec quidquam magis auerſantur, quàm vna conſeneſcere. Inde apud Terentium Hecyr. Act. 2. ſc. 1.

*——SO. Non ita me Dij bene amant, mi Laches,*
*Itaque vnà inter nos agere ætatem liceat. LA. Dij mala prohibeant.*

Sed in eam rem non illuſtrior locus eſt illo, qui Trinummo noſtri, vbi certant inter ſe duo ſenes imprecationibus & ominibus malis.

*CA. Quid agit tua vxor? vt valet? ME. plus quam ego volo,*
*CA. Bene hercle eſt, illam tibi bene valere & viuere.*
*ME. Credo hercle te gaudere, ſi quid mihi mali eſt,*
*CA. Omnibus amicis, quod mihi eſt, cupio eſſe idem.*
*ME. Ehò, tua vxor quid agit? CA. immortalis eſt:*
*Viuit victuraque eſt. ME. bene hercle nuntias,*
*Deosque oro, vt vitæ tuæ ſuperſtes ſuppetat.*
*CA. Dum quidem hercle tecum nupta ſit, ſanè velim.*

Eódem Epidico reſpicitur:

*At pol ego te credidi vxorem, quam tu extuliſti, pudore exſequi,*
*Cuius quoties ſepulcrum vides, ſacrificas ilico Orco hoſtijs:*
*Neque adeò iniuria, quia licitum eſt eam tibi viuendo vincere.*

Et Ciſtellariâ:

*Ea diem ſuum obijt: facta morigera eſt viro.*

Iam audax facinus porrò molior eiuſdem ſcenæ verſibus continuis aliquot, ſanis quidem illis, ſed turbatis, vt ego iudico, nec ordine ſuo ſcriptis, eorum etiam vno bis ibidem male ſcripto. Ponam ipſos prius, vt vulgò vulgantur:

*LI. Num me illuc ducis, vbi lapis lapidem terit?*
*DE. Quid iſtuc eſt? aut vbi eſt iſtuc terrarum loci?*

*LI. Vbi*

*LI. Vbi flent nequam homines, qui polentam pinſitant.*
*DE. Quid iſtuc ſit, aut vbi iſtuc ſit, nequeo noſcere.*
*Vbi flent nequam homines, qui polentam pinſitant.*
*LI. Apud ſuſtitudinas, ferricrepinas inſulas,*
*Vbi viuos homines mortui incurſant boues.*
*DE. Modo pol percepi, Libane, quid iſtuc ſit loci.*
*Vbi ſit polenta te fortaſſe dicere. LI. ah.*
*Neque hercle ego iſtud dico, nec dictum volo.*
*Teque obſecro hercle, vt quæ locutus deſpuas.*

Sentio & ſcio, non incommodè prorſus ita legi: ſed commodius multò legi poſſe, vix equidem auſim dicere, ſcio; certè quidem ſentio: nec aliorum iudiciis ſic diffido, quin huius ſententiæ meæ aliquos mihi ſperem ſuffragatores. Nam vt de repetito verſu nihil dicam, qui non ſine gratia ſanè omni, vt nunc eſt, iteratur: illud vrgeo præcipuè, quod & vnum me mouet, & in quo ratio maxima eſt, continenter inſequi iungique oportere eum Libani verſum,

*Vbi flent nequam homines qui polentam pinſitant;*

& iſtos Demæneti,

*Modo pol percepi, Libane, quid iſtuc ſit loci.*
*Vbi ſit polenta te fortaſſe dicere.*

De illis enim Libani ſolis verbis, in quib⁹ polentę mentio, coniicit tandem ſenex, de piſtrino eum loqui, vbi polenta fiat. Qui niſi coniungantur, omnis argumentorum ratio iacet & venuſtas ſenſuum perit. Nec verò tã Oedipus hic ſenex, vt ænigma ſerui de viuis hominib⁹ & bobus mortuis interpretatione tam liquida trahere poſſit ad piſtrinum: non hercle magis, quàm idem Dauus cœcutiuit ad argutias priores. Ergo, quod ſine mea, ſine Plauti fraude, ſine præiudicio denique cuiuſquam eruditioris fiat, hoc ordine digeſtum locum integrum reſcribam.

*LI. Num me illuc ducis, vbi lapis lapidem terit?*
*DE. Quid iſtuc eſt, aut vbi eſt iſtuc terrarum loci?*
*LI. Apud ſuſtitudinas, ferricrepinas inſulas,*
*Vbi viuos homines mortui incurſant boues.*
*DE. Quid iſtuc ſit, aut vbi iſtuc ſit, nequeo noſcere.*
*LI. Vbi flent nequam homines, qui polentam pinſitant.*
*DE. Modo pol percepi, Libane, quid iſtuc ſit loci.*
*Vbi ſit polenta, te fortaſſe dicere. LI. ah. &c.*

Dixi, quod ſentirem: neque fallor, niſi tota fallit hæc coniectandi ratio, fallere quidem alios neutiquam volui, qui conſiderabunt ipſi diligenter etiam antequam probent, ne omnes fallamur. De cetero, quòd hîc ibidem verſu,

*Apud ſuſtitudinas ferricrepinas inſulas:*

vir doctus mutat, *ſuſtitundinas*; factum & ipſius & Plauti cauſſâ nollem. Reſpuunt enim numeri; & antiqui *tudo* dixerunt

omiſſo *n*, vt in multis aliis, *tago, frago*, quæque longum ſit & minimè neceſſum omnia recẽſere. Sed nec cauſſa vlla coegit eundem, vt mutaret etiam *ferricrepidas*: quod magis admittam tamen illâ patronymicâ formâ, qua & in ſimilibus alibi multis, & hoc ipſo verbo memini vſum noſtrum infra Trinummo:

*O culicrepida, crurícrepida, ferriteri, maſtigia.*

Ceterùm hîc vno eodemque flexu procudiſſe videtur Plautus vt à *tudo, tudinas*; ſic à *crepo, crepinas*.

## CAPVT II.

*Eadem ſcenâ iterum verſus vnus eiectus, alter tranſpoſitus: tum leuicra quædam ibidem etiam notata vel correcta.*

FVi ſemel hîc audacior, ſed ero ſæpius idem in toto deinceps Plauto, nec in hac ipſa fabula mutabo: quin idem eâdem hac iterum ſcenâ ſum, ne pœnitere facto vix initio videar ſtatim. Me verò neque nunc, nec vnquam pœnitebit, qui tot vbique traiectiones deprehenderim, quas vt miror ab aliis non animaduerſas, ita per me non ſtare patiar, vt diutius ignorentur. In iis licet audax ſanè videar, & eſſe planè cogar: temerario nuſquam eſſe mihi ipſe permittam, nec tentare quid niſi cum ratione ſuſtinebo. Hîc quidem in iſtis verſibus:

*Cupio eſſe amica quod det argentum ſuæ.*
*LI. Demiror quid ſit, & quò euadat ſum in metu.*
*DE. Equidem ſcio iam filium, quòd amet, meum.*
*LI. Cupis id quod cupere te nequidquam intelligo.*

mouendi cauſſam habeo manifeſtam. Quid liquidius enim poteſt eſſe, quam primum horum & poſtremum ita cohærere, vt diuelli nullo pacto debeant? Nec igitur inſeri duo alii debuerunt: quorũ poſterior omninò delẽdus videtur mihi, qui quidem repetitus ſit, & idem antè legatur hac ipſa ſcena ſuperius:

*Equidem ſcio iam filium, quòd amet, meum*
*Iſthanc meretricem è proximo Philenium.*

Quàm autem ineptum, eundem tanto pòſt interuallo iterari, videre omnes puto, qui proceſſum colloquii inter herum & ſeruum reſpiciunt. Iam quidem illi eò deuenerant, vt in hanc ſententiam nihil ſeni amplius dicendum. Conſenſerat enim, & ſine tergiuerſatione iam dudum faſſus erat ſeruus de filii familiaris amore. Quamobrem eiiciatur hinc iſte, & penitus obteratur: alter ille verò pariter hinc remoueatur, ſed in alium locum ſaluus reſeruetur. Hunc ei dum quæro, non commodiorem inuenio, quam ſuperius poſt verſum LVII. vt illis inſeratur:

*Neque puduit eum id ætatis ſycophantias*
*Struere, & beneficiis me emere gnatum ſuum ſibi.*
*LI. Demiror quid ſit, & quò euadat ſum in metu.*

*DE. Eos me decretum eſt perſequi mores patris.*
*Nam me hodie.*

Nihil aptius. Dum narrat ſenex, ſuſpenſus interim ſeruus miratur apud ſe, quò tandem euaſura ſit hæc tam inopinata oratio, metuitque paternum iſtud exemplum quid velit. Prorſus inquam nihil aptius: & quouis pignore cum quouis contenderim, veram eam verſus eius ſedem, certè nullam totâ ſcenâ aptiorem. Vbi nunc eſt, putidè hæreat. Nam ſatis iam ſe explicauerat ſenex, & apertè ſciebat Libanus heri mentem, vt nihil planè dubitaret. Ita igitur de hoc quoque turbato loco cenſemus, in quo momenti plurimum eſſe nemo neget. Ibidem leuius eſt, quod non negligam notare. Nam quo loco legitur:

*DE. Omnes parentes, Libane, liberis ſuis,*
*Qui mihi auſcultabunt, facient obſequelam iam:*

malim legi *obſequelam eam*, etſi neque *iam* vel numeri vel ſenſus refutat. Sed certe, vt dico, malim *eam:* nempe in amationibus, vt indulgeant & ſumtus ſubminiſtrent. Niſi forſan *tan'* alii malint, perſonis etiam variatis:

*——facient obſequelam. LI. a*

*DE. Quippe qui mage amico vtantur gnato & beneuolo.*

Etiam leuius ibidem iſto verſu,

*LI. Vbicunque libitum fuerit animo meo:*

Vocali geminatâ *fuuerit* ſcribendum, vt prima producatur. Id frequens in Plauto: quod ſemel monitum vbique obſeruetur, nec hac tantum in voce, ſed & in *fieri, fieret* aliiſq; ſimilibus nonnullis. Illorum vtrumq; ſic Amphitruone poſitum. Scenâ, *Bene proſp.*

*Pater curauit vno vt fœtu fieret.*

Scenâ, *Satin' parua.*

*Facta quæ tu facta dicis, quid tibi æquum eſt fieri?*

## CAPVT III.

*Impannis, inopia, voces hîc nihili: Capſis, verbum probum. Modus rei, dandi caſu. Piſces patinarii, aſſi; hi verſantur, illi condiuntur. Vt à Plauto, Græca fide mercari: ſic Græca mercede curare, ab alio non fictum aut ſcriptum prouerbium. Verſus continui aliquot in numeros repoſiti: vnius alibi, alibi forte plurium defectus indicatus. Præter hæc, alia in Plauto multa, quiddam & in Pomponio emendatum: in vtroque virorum doctorum vanæ correctiones reprobatæ:*

SCenæ ſecundæ principium excidit è numeris ſuis, quos fuiſſe generis eiuſdem cum ſequentibus apparet: neque difficile ſit eos recolligere & cogere in antiquas leges. Sumam adeò id ego mihi, & effectum dabo, nihil addendo temere, nihil detrahendo. Vt diſtracti vulgò ſint verſus, in libris vulgatis promtum eſt, nec hîc opus adſcribi: ſatis exhibere noſtræ reſtitutionis exemplum, quod iſtud:

*Siccine hoc fit? ædibus eijci me? promerenti optumè*
*Hoccine pretij reddi? benemerenti mala, male merenti bona es.*
*At malo cum tuo. nam iam ex hoc loco ibo ad tres viros: ibi*
*Veſtra nomina ſaxo erunt. capitis te perdam & filiam.*
*Perlecebræ, pernicies, adoleſcentum exitium. Nam mare haud*
*Eſt mare, vos mare eſtis, atq; acerrumum. namq; in mari*
*Reperi, hic elaui bonis. Ingrata atq; irrita omnia*
*Eſſe intelligo, quæ dedi, & quod beneſeci. at poſthac tibi*
*Male quod potero facere faciam, meritoq; id faciam tuo.*

Sanè vtramque ſtili partem, & ſcriptoriam dico & deletoriam alicubi, ſed leuiter adhibui, nec niſi cum numeris ſententia pariter cogente. Et hæc iam apertior, ſat aperta tamen antè omnibus; & illi verò nunc primùm ex impeditiſſimis expeditiſſimi, ſed iis tantum, qui dimetiendi comicam rationem probè tenent: quam qui non percalluerint, nolim in his iudicium ſibi vſurpare. Verſu eiuſdem ſcenæ, qui ſtatim ſequitur:

*Ego pol te redigam eodem vnde orta es, ad egeſtatis terminos,*

vetus editio ſcribit *eoſdem*, non male. Ad eoſdem egeſtatis terminos, vnde orta es. Mox autem illic:

*Quæ priuſquam iſtam adij, atq; amans ego animum meum iſti dedi,*
*Sordido vitam oblectabas pane, in pannis, inopia.*
*Atq; ea ſi erant, magnas habebas omnibus Diis gratias.*

nihil proficit vir magnus iſta correctione, *impannis, inopias* quin officit vel ipſi ſententiæ plurimum. Nam qui ſic reſcribat, quomodo quod ſequitur, *Atq; ea ſi erant, &c.* iis ipſis verbis aptet, vt ſenſus vllus exeat? Ad hoc ſine exemplo eſt, *inopiam* dici *inopem*: vt *impannem* ſanè admittamus. Ego verò defectum hic odoror, neſcio ſi plurium, certè vnius verſus. Nam poſt hæc verba, quæ ſic ſcribenda, *in panis inopiâ*, vt habent libri veteres, ſequi aliud omninò debet, quod cœptam ſententiam abſoluat. Ait, ante ſuam conſuetudinem atro pane vitam eam toleraſſe, in cuius inopia neſcio quibus aliis pro cibo vſam, quæ tamen ipſa ſi eſſent, magnas Diis gratias habuiſſe. Deinceps leuiſſimè peccatis verſus:

*Nam iſti quid ſuccenſeam ipſi nihil eſt, nihil quidquam meret.*

Non *quid* enim, ſed *quod* ſcribendum. In extremo etiam illi:

*Atq; eccam, illecebra exit tandem, opinor hic ante oſtium.*
*Meo modo loquar quæ volam, quoniam intus non licitum eſt mihi.*

ſic interpungendi, quomodo & in editione veteri memini me videre:

*Atq; eccam, illecebra exit tandem. Opinor hic ante oſtium*
*Meo modo loquar quæ volam, quoniam intus non licitum eſt mihi.*

Scenâ proximâ non male vulgatur illud:

*Remigio veloq; quantum poteris feſtina & fuge:*
*Quam magis te in altum capeſſis, tam æſtus te in portum refert.*

neque ſcio tamen an non melius *capſis*, id eſt, ceperis, antiquo flexu, ſcri-

tu, ſcribatur, quo Bacchidibus etiam noſter vſus:

*Si id capſo, geritot e amicis voſtris aurum cordibus.*

Et Rudente: *Niſi quid concharum capſimus, incœnati ſumus profectò,* Niſi quia Nonius diſertim *capeſſis* hîc laudat: quem potius audiamus. Non longè deinde:

*L E. Quid modi eſt? ductando, amando nunquamne expleri potes?*

Quòd diſtinctionem mutat Gulielmius noſter; rectè: quòd & ipſa verba, *ductandi, amandi*; non rectè. Lectio vera eſt:

*Quid modi eſt ductando, amando? nunquamne expleri potes?*

Atqui non reſpondent hæc iam illis:

*A R. Qui modus dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes.*

Scilicet ibi quoque *dando* ſcribendum: nec aliter infra ad fabulæ huiuſdem finem:

*A R. Quid modi pater amplexando facies?*

Non enim, vt vulgò, *amplexandi*; quod vnus ſatis probat locus, qui ſolus integer emendatorum manus euaſit, Milit. Glor.

*P A. Quid modi flendo quæſo hodie facies? P H. quid ego ni fleam?*

Nam etiam Rudente non abſtinuerunt, vbi rectè vulgò:

*Aliquando oſculando melius'ſt, vxor, pauſam fieri,*

Qua eadem forma & Pœnulo:

*Neq; vnquam lauando & fricando ſcimus*
*Facere pauſam.*

ſiquidem poſtrema hæc vocula prorſus addenda, vt alii pridē cenſuerūt. Aliquāto inferi⁹ interpūctio ſentētiæ venuſtatē obſcurat:

*Is habet ſuccum, is ſuauitatem, eum quouis pacto condias:*
*Vel patinarium, vel aſſum, vorſes quo pacto lubet.*

Confunditur enim obſeruata diligenter à Plauto diuerſitas rationis in patinariis piſcibus & aſſis. Nec enim patinarii verſantur, vel aſſi condiuntur. Illorum hoc proprium eſt, vt illud horum. Diſtingue igitur ad hunc modum:

*Is habet ſuccum, is ſuauitatem: eum quo vis pacto condias*
*Vel patinarium, vel aſſum vorſes quo pacto lubet.*

Sed quod oblitus ſum antè dicere, cum de amiſſo prioris ſcenæ verſu agerem, eſt etiam hîc meo animo, quamquam multo min⁹ conſpicua lacuna: de qua non temerè ſuſpicari videor, cum attentius rem ipſam puto. Nam vbi continuā oratione lena:

*——nam ſi ea durarent mihi,*
*Mulier mitteretur ad te, nunquam quidquam poſcerem.*
*Diem, aquam, ſolem, lunam, noctem, hæc argento non emo:*
*Cetera, quæq; volumus vti, græca mercamur fide.*

ſententiarum ἀκολουθία poſtulat, vt interlocutus ſit aliquid Argyrippus ante iſta verba, *Diem, aquā, ſolē, &c.* Vide mihi ſeriē ſermonis, & aſſentieris. Poſcebat argentū lena: non habere ſe, reſpōdet adoleſcens. Ne habeas igitur, inquit illa: dabūt alii, qui habet. At vbi illa, q̄rit hic, q̄ antè dedi? Abuſa pridē, ait. nā ſi durarent, gratis mitterē, nihil poſcerē. Iam ille in hanc ſententiā debet: Age verò,

neque gratis ego cupio: conficiam aliquid, & dabo: tu interea indulge illam mihi, & mercedem certam mane. Hic propudium feminæ præſentarium argentum poſcit, & ſuo exemplo, quæ Græca fide cogatur omnia mercari, negat illi niſi eâdem vendere. Non credi ſibi mercem ait, niſi æs habeat: item ſuas manus oculatas eſſe, quæ quod videant ſolum credant. Hoc filo texi ſermonis hanc telam oportet, quæ interrupta alias & hiulca. Ceterùm quod hîc prouerbium eſt, *Græca fide mercari*, id in alterius me ſimilis inducit memoriam, *Græca mercede curare*: quod veriſimilibus eâdem monetâ procudit olim Gulielmius noſter in Afranio, vt ipſe quidem laudat, etſi Pomponius eſt apud Nonium in *Occupare*. Sed ille prorſus hîc infelix, nec quidquam vnquam magis auerſis Muſis omnibus tentauit. Nonius ſic refert: *Occupare, collocare. Pomp. Piſtorib. Quæ tuleram mecum, nulla deinde victoria tam Græca mercede ilico curaui, vt occuparem.* Quæ vitioſiſſima leuiter ille ſic ait à ſe emendata:

*——quæ tuleram mecum millia decem*
*Victoriatûm Græca mercede illico*
*Curaui, vt occuparem.*

Verè leuiter. quid enim hoc eſt emendationis? & vbi ſententia vel illa, quam voluiſſe videtur, vel vlla adeò, quæ poſſit eſſe? Non inſulto caris & ſanctis mihi manibus: ſed ſiue ſingula verba, ſiue totum orationis corpus expendis, nihil ibi quod prouerbii eius aliquam ſpeciem; nihil, quod boni ſenſus habeat vllum ſuccum. Emendabimus aliter nos, & ſic reſcribemus.

*Quæ tuleram mecum militiæ ſtipendia,*
*Victoriæ cum relica mercede, illicò*
*Curaui vt occuparem.*

Verba ſunt alicuius, qui cum è bello victoriâ partâ domum cum bona præda rediiſſet, ait & militiæ ſtipendia & reliqua victoriæ præmia ſe fœnori ſtatim collocaſſe. Id enim eſt occupare, quomodo & Nonius exponit, & præter hoc Ciceronis èt exemplo mox confirmat. In mutando vim nos verbis nullam fecimus, & nimis quam facilè *militiæ* exit è *nulla* vel *multa* vel *millia*; paullò difficilius *ſtipendia* ex *deinde*, ſed tamen apparent omninò contracti illius & mutilati in eo veſtigia: de *græca* autem, procliue ſatis formare *relica*, quod ita pro *reliqua* veteres ſcribebant.

## CAPVT IV.

*O & au mutant inter ſe. Pelleus pro Pellæus an dici poſſit, vt quidam in Catullo volunt Dioneus, pro Dionæus. Edere, exedere; vorare, deuorare; commanducare. comeſſe, edere, cacare; omnia obſceni intellectus. Quoniam. Callide. Multa huius fabulæ, quà verborum, vt verſibus; quà verſuum, vt ſenſibus conſuleretur, traductione; tum aliis modis correcta paſſim & ſcriptorum aliorum collationibus illuſtrata.*

Si nu-

SI numerorum vbique nobis diligenter habenda, quæ nuſquam certè prorſus inſuper habenda ratio; ſcenæ eiuſdem mox ſequente verſu:

*Semper oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt quod vident.*

transponenda leniter vna vocula, vt vel hic fiat ordo, *noſtræ manus ſunt*, vel ille, *manus noſtræ ſunt*. Sed aliud ibidem forte mendum etiam, maiuſculo interuallo, quamquam in hunc diem pro mendo, quod ſciam, nemo habuit, nec habebunt fortè quidam vel poſt indicium meum. Tamen ſincerum vix illud ego credo:

*Oſculando, oratione vinnula, venuſtula.*

Nam de oſculo cur hîc interſerat, de quo pòſt demum ſequitur?

*Suauium ſi ſumſit, &c.*

Igitur mutabam *oſculando* in *oſcultando*, quod antiqua vice ꝟ *o* & *au* ſcriptum fuerit pro *auſcultando*, legebamq; porrò:

*Auſcultando orationi vinnulæ, venuſtulæ.*

quomodò poſtulare vel gradus huius illicii videtur: ſalutari, compellari, auſcultare, tractare, denique oſculari. Sed ad ſcenam, *Vbi ego nunc*, veniamus: in qua primò malè interpunctum illud:

*Non placet. metuo in commune, ne quam fraudem frauſus ſit.*

Nam non in commune metuit Libanus, ſed ne quam fraudem alter frauſus ſit in commune, cuius ſcilicet ad plures & ipſum quoq; forſan periculum pertineat & pœna. Mutabis ergo iam per te facile: itemq; porrò ibi:

*L E. Perij ego oppidò, niſi Libanum inuenio, iam vbi vbi eſt gentium.*

Pertinet enim particula *iam* ad verbum *inuenio*, non ad *eſt*. De illo deinceps loco:

*Quid iſtuc negotii eſt? L E. certum eſt credere. L I. audacter licet.*

*L E. Si vis amanti ſubuenire familiari filio.*

quidquid alii laborent, vt concinnent; ego ita ſentio, vt fractum mutilumque audeam pronuntiare. Tam enim ſenſus ipſe, quam ſermo coactus nimis exit, vtcunq; conſtituatur. Vt autem ordine pergo, verſus is laborat à menſura quoq;:

*Ariolari quæ occeperunt ſibi eſſe in mundò malum.*

Rectè traduxeris, *eſſe ſibi.* Quin & iſtorum prior ab eadem laborat.

*Meminiſtin' aſinos Arcadicos mercatori Pellæo*

*Noſtrum vendere atrienſem? L I. memini. quid tum poſtea?*

Quî feras enim in hoc genere penultimam ſyllabam longam? quam nimis inconſideratè intruſit etiam vltrò Gulielmius noſter hic infrà, cum illum locum ſine vlla cauſſa interpolat:

*Hercle verò tu cauebis, me attigas: ſi me taxis*

*Ne hodie malo cum auſpicio nomen commutaueris:*

qui verſus vt vulgò ſcribuntur, rectiſſimè ſcribuntur. Illic pedem eum non admitto, hîc non fero. Et traducendæ igitur etiam nobis voces, niſi *Pelleo* ſcribi poteſt, exemplo Catulli, qui *Dioneus* pro

*Dionæus* poſuiſſe creditur à nonnullis: *Vt albulus columbulus Dionæus.*
Sed & in Catullo nimis hoc dubium, in quo ſummo Scaligero emendanti potius fortè ſit accedere: & diphtongus ipſa *æ* vereor vt huiuſmodi correptionem ablationemq; vocalis alterius ferat, quam *e* ſanè fert, ſed alia & certa probaq; ratione. Quin tranſponimus ergo in Plauto, quod commodiſſimè fieri poteſt:
*Meminiſtine aſinos Arcadicos mercatori vendere*
*Pellæo noſtrum Atrienſem?*
Iam in illo, qui mox ſequitur:
*L I. Vbi is homo eſt? L E. iam deuorandum cenſes, ſi conſpexeris.*
Malè Lambinus interpretatur *deuorandum.* Nulla hîc tralatio à feris, nec vllius ſæuitiæ intellectus. Nequius id & obſcenius verbum, ea notione, qua *Exedere* Apuleius vſurpauit 8. Metamorph. *Et heus, aiunt, caue ne ſolus exedas tam bellum ſcilicet pullum: ſed nobis quoque tuis palumbulis nonnunquam impertias.* Et *commanducare* & *comeſſe* Lucillius:
*Commanducatur totum complexa comeſtq;.*
Simplex etiam fortaſſis *edere* Nonius:
*Quod editis nihil eſt, ſi vultis quod cæteris copia eſt.*
Item Pomponius Proſtibulo:
*Ego quæro quod edim: has quærere quod tacent contrà ius eſt.*
*Vorare* quidem omninò ter Catullus:
*Neſcio quid certè eſt: an verè fama ſuſurrat,*
*Grandia te medij tenta vorare viri.*
Item: *Non ſi demiſſo ſe ipſe voret capite.*
Item: *Nam dextrà pater inquinatiore,*
*Culo filius eſt voraciore.*
Iocus ergo Plauti turpiculus eſt. Adoleſcentem veniſſe Leonida dicebat: quærit mox Libanus, vbi ille ſit: quod alter accipit, quaſi conditionem eius ambiat, & deſideret vnà eſſe: ſimul eâ formâ eum innuit, vt viſus experti poſſit. Eadem adhuc ſcenâ manifeſtiſſimus eſt vnius verſiculi traiectus in iſtis:
*L E. Ait ſe ob aſinos ferre argentum atrienſi Saureæ.*
*Viginti minas, ſed eum ſeſe non nouiſſe hominem, qui ſiet,*
*Quoniam ille elocutus hæc ſit. L I. quid tum? L E. auſculta ergo, ſcies.*
*Ipſum verò ſe nouiſſe callidè Demænetum.*
Quis enim non videat, quod nemo tamen omnium vidit hactenus, ordinem germanum hunc eſſe, quem apponam?
*L E. Ait ob aſinos ferre ſe argentum atrienſi Saureæ,*
*Viginti minas: ſed eum ſe non nouiſſe hominem qui ſiet,*
*Ipſum verò ſe nouiſſe callidè Demænetum.*
*Quoniam ille elocutus hæc eſt. L I. quid tum? L E. auſculta ergo, ſcies.*
*Extemplò facio facetum me atq; magnificum virum,*
*Dico med eſſe atrienſem.*

ſimul alia momenti leuioris emendaui, quæ in numeris & interpunctione peccabant. Sed tranſpoſitionis ratio maxima eſt in ſtructura verborum iſtorum, *Quoniam ille elocutus hæc eſt, extemplo facio facetum me.* Sic enim ſenſus poſcit, vt ſe conſequantur. Et *quoniam* valet hic *poſtquam*, vti ſæpius apud Plautum: quod nec alibi infrequens eſſe Feſtus etiam annotauit. Continui autem huius ſermonis interruptio, cum Libanus præ nimia cupiditate & feſtinatione vltrò narrantem interrogando vrgeret, occaſionem dediſſe poteſt illi turbæ. Ibidem *callidè nouiſſe*, eſt pernouiſſe, quaſi percallere. Sic Terentius *callidè intelligere*, Andr. Act. 1. ſc. 2.

*Quid hoc? intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem? D. imò callidè.*

Et rurſum Plautus *callidè facundum* dixit Mercat. Prologo:

*Quia nullus vnquam amator adeò eſt callide*
*Facundus, quæ in rem ſint ſuam vt poſſit loqui.*

Idemq; *catè nouiſſe* Menæchmis:

*Num iſthæc mulier illinc venit, quæ te nouit tam catè?*

Sed *callidus* etiam apud alios pro ſciente, perito, prudente. Tacitus 4. Annal. *Senatuſq; & optimatium ingenia qui maximè perdiderant, callidi temporum & ſapientes credebantur.* Idem 2. Hiſtor. *Quo nemo illa tempeſtate militaris rei callidior habebatur.* Salluſt. in Fragmentis: *Neq; de futuro quiſquam ſatis callidus ſatiſq; prudens ſit.*

## CAPVT V.

*Perrectum in hac Comœdia, pluſculis & varij generis indidem ſublatis mendis. Improbatæ quorundam explicationes; correctiones aliorum probatæ in parte, ſed ſimul adiutæ.*

FRequens vbiq; mendarum genus, vt binæ in vnam coaleſcant voces, cuius eadē iſtâ ſcenâ nō dubium exemplū hoc occurrit.

*Ego me dixeram adducturum, & me domi præſto fore.*

Nam præſto legendum pro *dixeram*, *dixi herum.* Vel tempus, quod vocant, verbi ſuſpicionem poterat mouere: quod inconueniens prorſus huic narrationi. *Dixi* res poſcit, & *herum* præcedentia firmant:

*ſi herum vis Demænetum,*
*Quem ego noui, adducere, argentum non morabor quin feras.*

Ibidem adhuc alia ex alio genere menda, ſatis etiam ipſo vulgato. Nam quod legitur:

*Iam hoc opus eſt exaſciatum, nam ſi ille argentum prius*
*Hoſpes huc adfert, continuò nos ambo excluſi ſumus.*

ſententia vult vt legatur *exaſciandum.* Scio, vt Lambinus alterum torqueat, ſed verè torqueat: cui quidem explicationi apertè repugnent conſequentia ſtatim verba. Nec vis illa verbi propria, quam facit. Videbis ipſe, lector, Senſus germanus eſt: iam iam ſine mora dedolandum eſſe dolum, ne ab hoſpite præueniantur. Sed an omninò tamen *exaſciandum* ſcribi debet? Vereor, ne

*exaſciato* potius ſit, in eandem planè mentem. Opus eſt,inquit,*vt* iam ſtatim hoc ſit exaſciatum: neceſſe eſt hanc hoc ipſo momento fabricam paratam eſſe. Deinceps leuiſſimus error in interpuncto:

*Nunc tu abi ad forum atque herum, & narra hæc,vt acturi ſumus.*

Verius enim, *& narra hæc,vt acturi ſumus.* Ad finem ſcenæ:

*L E.Ego abeo.tu iam ſcio patiere.ſed quis hic eſt? is eſt,*
*Ille eſt ipſus.*

apicem faſtigiatum à particula *hic* tolle, quæ prouocabulum, non aduerbium. Proximâ dehinc ſcenâ, *vt demonſtrata ſunt*,rectè pridem Gulielmius noſter docuit ſuperuacuam vocem illic:

——*nolo ego fores conſeruas meas*
*A te verberarier.ſanè ego ſum amicus noſtris ædibus.*

Nihil certius enim, quàm *ædibus* expungendum:quod apertum gloſſema,verſus etiam ratio refellit. Verùm cùm præſente eo numeri laborant, tum laborant pariter abſente, ſed in initio verſus nunc, vt prius fine. Laborat autem etiam verſus præcedens ipſe, cui in extremo vocula ſupereſt, quæ huic commodiſſimè præfigi poteſt. Mirum,non eundem id animaduertiſſe. Nos cœptum ab illo opus ita perficiemus:

——*L I.at cenſebam attigiſſe,*
*Propterea,huc quia habebas iter.nolo ego fores conſeruas*
*Meas à te verberarier.ſanè ego ſum amicus noſtris.*
*M E.Pol haud periclum eſt.*

Qua emendatione nihil prorſus verius. Vt ſuperfuit hic autem vocula,ſic paullò inferius alia deeſt.

*M E.Quum iuiſſet,poſt non rediit? L I.non edepol. quid volebas?*

Nam & hic numeri flagitant fulcrum, quod mirum quàm eriget etiam ipſum ſenſum. Omiſſa præpoſitio *non*, quam admirabund⁹ vel iratus repetere debet Mercator,in hunc modum:

*M E. Quum iuiſſet,poſt non rediit? L I.non edepol. ME.non? LI.quid volebas?*

Similis ferè locus ſequentis ſcenæ:

*L E.Scyphos quos vtendos dedi Philodamo,rettulitne?*
*L I.Non etiam.L E.hem non? ſi velis da,commoda homini amico.*

Sed & ibi corrigo tranſpoſitione tali, quam ipſe quoque poſtulat verſus:

*L I.Non etiam. L E.non? hem ſi velis,da.*

Præterea ſuadet Terentii exemplum Andriâ Act.1.ſc.2.

*D.Non hercle intelligo. S.non? hem. D.non.Dauus ſum,non Oedipus.*

Tamen illo Plauti loco veteres Venetus & Colonienſes libri aliò te ducant:qui ſcripturam paullò præferunt diuerſam:

*L I.Non etiam.L E.hem nunc ſi velis.*

Vnde feceris:

*L I.Non*

*LI. Non etiam. LE. hem, non? nunc, ſi velis, da commoda homini amico.*

Sed ſuperiore ſcenâ, vnde digrediebamur, iſte verſus per ſe optimus & numeris, & verbis, & ſenſu:

*Truculentis oculis, commoda ſtatura, triſti fronte.*

tamen melius, certè ordinatius ex veteribus ſcribatur:

*Truculentis oculis, triſti fronte, commoda ſtatura.*

vt quæ ipſa re cohærent, frons triſtis & oculi truculenti, ne inſertione alieniore diuellantur. Eiuſdem finis, nullius etiam vitii manifeſtus:

*ME. Si quidem hercle Æacidinis minis expletus animiſq; incedit,*
*Si me iratus tetigerit, hic iratus vapulabit.*

eſt tamen vnde ſic poſſit interpolari:

*ME. Is quidem hercle Æacidinis minis expletu' animiſq; incedit.*
*Sed ſi me iratus tetigerit, hic iratus vapulabit.*

Qui hoc nolit, *incedat* priore ſaltem verſu ſcribet, aut pro iſto ipſo vulgatum illud capiet, vt alia ſolent ſcilicet, *edit* pro *edat*, *duit* pro *duat*, &c. nam ſubiunctiuum modum particulæ *Si quidem* poſcunt. Ita proximâ ſcenâ:

*Si quidem hercle nunc ſummum Iouem te dicas detinuiſſe,*
*Atq; is precator aſſiet, malam rem effugies nunquam.*

## CAPVT VI.

*Iuſſim, iuſſo. Crura, talos, ceruices diffringere, an defringere. Ciere, perciere. Secundas agere, non facere. Loca pluria, tentata partim ab aliis, quædam aliter correcta, quædam explicata rectius, omnia à maculis ac tenebris ſimul vindicata.*

SVpponit inuicem ſibi ſæpè tempora verborum Plautus, non tamen, vt præteritum vſurpet pro præſenti. Eius hîc tamen exemplum, ſcenâ, quæ ordine nunc ſequitur, ſi vera ſcriptura omnium librorum:

*ME. Nimis imperioſus eſt. LI. væ mihi hodie. LE. ſaluere iuſſi*
*Libanum libertum. iam manune emiſſus? LI. obſecro te.*

Nam *iuſſi* pro *iubeo* accipiendum habemus, quando necdum certè ſalutatum nunc primulùm ſalutat. Sed non ita eſt, neque vera ſcriptura, cui literam vnam deeſſe puto. *Iuſſim* lego, quod valet *iuſſerim*, vt *iuſſo* alibi prô *iuſſero*. Non alia dicam argumenta, niſi ſenſum vnicè hoc velle. Tu, inquit, nunc mihi velut libertus ſalutandus fueris, qui meo dicto tam non es audiens, & pro manumiſſo gerere te videris. Quibus paullò acrius acetum in pectore, ſtatim hoc probabunt. Illud quoq;, ſequentiû verſuum alterum:

*LE. Siquidem hercle nunc ſummum Iouem dicas te detinuiſſe,*
*Atq; is precator aſſiet, malam rem effugies nunquam.*

ex Aldina editione & aliis, quæ *ad* vel *at* inſerunt, ita leui manu refingendum:

*Atq; is precator aſſit, ita malam rem effugies nunquam.*

Formula locutionis hoc aſtruit, quæ Plauto crebra. Amphitruon. ſcena primâ: ——*M E. Quadrigas ſi nunc inſcendas Iouis,*

*Atq; hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.*

Epidico, ſcen. *Male morigerus:*

*E P. Si vndecim deos præter ſe ſecum adducat Iuppiter,*
*Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.*

Sequitur illa iam acris expoſtulatio, & mox diligens rationum inquiſitio Leonidæ, qua ſe præſtat Atrienſem, & facit omnia ex diſciplina Curatoris etiam & Villici, cui à Catone præſcriptum, *putare rationem vinariam, olneariam, quid venierit, quid exactum ſiet, quid reliquum ſiet quod veneat, quæ ſatis accipienda ſient, quæ ſatis accipiantur, &c.* In eo loco veram ſententiam, quod mireris, è falſa lectione Lambinus extricauit. Nam vt iſte nunc legitur verſus:

*Nam vidi huc ipſum adducere ad trapezitam Exaeramb um.*

intelligitur ille quidem iam rectè: intelligi tamen ita non poteſt, ſi verbis ipſis hæremus. Hæc emendationis egent, vt liquida ipſa liquidiuſculum ex ſe pariant ſenſum. Scribo ego re poſcente:

*Nam vidi hunc ipſum abducere ad trapezitam Exaerambum.*

Qua in lectione coniungo *ipſum Exaeran.bum*, & *hunc* accipio Stichum vicarium. Exaerambus enim vltrò Demæneti domum veniens abduxerat inde ſecum Stichum in forum ad trapezitam, vt nummos apud eum reſcriberet. Vt hinc autem non infeliciter ſe expediuit interpres, ita contrà mox obhæſit illic:

*L E. Sic dedero priuſquam credidi, vix anno poſt exegi.*

Quod vt exponat, apud ipſum quæri malo: nos rectius, ſi poſſumus, exponamus. quod ſanè non poſſumus abſq; leui correctione: Legendum enim ſic cenſeo:

*Sic dedero. prius quæ credidi, vix anno poſt exegi.*

Hui! inquit Leonida: tam citò vinarius ſoluit: heri, quæ vina vendidi, pro iis iam hodie Sticho ſatisfecit? Equidem ſic lubeat dare. Nam antehac ſanè lentum ille homeii, atq; olim quæ credidi, vix anno ipſo pòſt exigi potuerunt. nunc verò mirè quam facilis ipſe noſtros ad trapezitam abducit, & per eum, quæ debere vix cœperat, reſoluit. In qua explicatione ſequor aliam etiam emendationem meam alius ibidem verſus continui ſuperioribus,

*Nunc ſatagit, adducit domum etiam vltrò & reſcribit nummos.*

Hic enim ad priorum exemplum ita refingendus:

*Nunc ſatagit, abducit domo etiam vltrò & reſcribit nummos.*

Sanè illud neceſſarium prorſus, vt ex ædibus Demæneti ſeruum abduxerit Exaerambus ad argentarium, non hunc ipſum illùc. Adeundi enim trapezitæ in foro, vbi eorum menſæ, & omnis negotiatio. Non aliter aut hæc pars conſtat, aut reliquæ: nec illud, *Sic dedero*, vllam hîc aliam admittit explicationem: in qua falſi non Lambinus tantum, ſed & Camerarius & Palmerius, quorum

hic

hic vti triumphum accipit in Comœdia familiarem iis quibus ſucceſſit: vt Terentii Phormione:

*Sic dabo: age age nunc Phormionem qui volet laceſſito.*

Verùm refellit hoc totus locus, & maximè verba coniuncta, q̃ penitus abhorrent triũphalem eiuſmodi exclamationẽ. Porrò ibid.

*P E. Quid reliquum? L I. aiebat reddere quam extemplo redditũ eſſet.*

Verſui magis conſulit editio vetus Florentina, quæ *ſibi* inſerit: *quàm extemplo ſibi redditum eſſet.* Aliàs verba traducenda ſint, *reddere aiebat.* Eadẽ verſus ratio tranſponi et inferius aliquid vult:

*Saluum hercle erit. M E. credam fore, dum quidem ipſe in manu habebò.*

Numeri enim titubant, ni ſcribis, *dum quidem in manu ipſe habebo.* Sed diuinitus aliquanto pòſt inſignem locum Gulielmius noſter à perſonarum & verborum ordine mirificè turbatum conſtituit: quem ita miror excudi non iuſſiſſe nuperos editores, qui alia ei⁹ multò magis dubia nihil dubitarint pro Plautinis in contextum referre. Nihil enim ferè inter multa eius elegantiſſimi ingenii & iudicii certiſſimi verius: in quo eodem tamen neſcio ſi leuicula menda ſupereſt, eaq; facillimæ emendationis.

*M E. Malum hercle vobis quæritis. L E. crura hercle diffringentur,*
*Ni iſtum impudicum percies. L I. perij hercle. age impudice.*

Vſitatius quidem Plauto ſit *defringentur*: quo Milite bis vtitur: ſcen. *Cohibete:*

*Metuerem, ne ibi defregiſſet crura aut ceruices ſibi*

ſcen. *Niſi hercle:*

*Niſi hercle defregeritis talos poſthac quemq; in tegulis*
*Videritis alienum.*

Tamen *diffringentur* abſit vt damnem. *Percies* autem caue aut mutes aut in obſcœnam ſententiam interpreteris cum Lambino. Nihil hic loci ſubagitationi. Vult impudicum ſaltem appellari & proclamari clara voce, quod ſignificat *percitere.* Sic Bacchidibus *Ciere,* ſcen. *Nunc experiar:*

*M N. Dij immortales, meum ſodalem hic nominat.*
*Quid hoc negotij eſt, Piſtoclerum Lydus quòd herum tam ciet?*

Vbi tamen *accuſat*, etiam ad editionis optimæ marginem exponunt, malè. Tacitus j. hiſtor. *Tum ad Mœſicos conuerſus, principes auctoresq; belli ciebat.* Valet & his & pluribus alibi locis tantùm vocari, nominari. Denique ad finem eiuſdem ſcenæ:

*L E. Iamnunc ſecunda mihi facis, ſcibam huic te capitulo hodie*
*Facturum ſatis pro iniuria.*

nugatur ſuo more Lambinus de ſecũda vel ſuccidanea hoſtia: nec multo melius emẽdat vir & Criticus ille melior, omniumq; penè optimus, *ſecundas mihi facis*: etſi rectè interpretatur idẽ, & alluſum ad Comœdos primos & ſecundos, ſiue primarum ſecundarumq; partium verè docet. At enim ὑποκρίνεσθαι, ſecundas partes *facere,* quod Latini *agere* dicunt. Actio enim hiſtrionum, & agendi item ver-

bum in ſcena habitat, non item faciendi. Reſcribe igitur, *ſecundas mihi acis*, id eſt *agis*: donec & illud Latinum exemplo nobis, quod nullus ego memini, probetur. Nam *ſecunda mihi ais* nolim: quamquam *ſecunda loqui* Naſo dixit in Arte lib. I.

*Siue erit inferior, ſeu par, prior omnia ſumat:*
*Nec dubites illi verba ſecunda loqui.*

Sed iam *ſecundas facere* in Sidonio Apollinari inuenio, ſi locus tamen ſanus, lib. I. ep. 2. *Secundas faſtidit vel timere vel facere.*

## CAPVT VII.

*Hortat. Caſſus. Conſiſtere, conſtare: conſtitus. Aduoſtes an Adfoſtes, pro hoſtibus. Inductores, duces. Vi, aduerbialiter. Tamen, vt ὅμως, eleganter orationi additum. Præter Plauti multa, & difficilia quædam loca, extricata, emaculata, illuſtrata: Feſtus etiam poſt alios ſemel, iterumq; nunc primò tentatus.*

MInimè neceſſe illud eſt mutari ſub initium ſcenæ, *Nequeon' ego:*

*Lingua poſcit, corpus quærit, animus orat, res monet.*

tamen vereor, ne verius ſit quod alibi vidi *hortat*, pro *orat*. Vtitur Plautus & crebrò & libenter antiquariâ iſtâ formâ: quâ ad finem maluit etiam *contemples:*

*Meum caput contemples, ſiquidem ex re conſultas tua.*

Vbi mutari item non opus eſt *ſiquidem*: nec malè tamen eius loco quidam *ſi quid*. Itemque nec hoc anterius interpolari fortè debet.

*CLE. Ergo vna pars orationis de die dabitur mihi?*

niſi ſi verſus perſuadebit aliis, quod mihi ſuadet, vt *Ergon' pars* reſcribatur. Iſtud autem, credo, ibidem emendationis eget:

*Quin pol ſi repoſiui remum, ſola ego in caſteria*
*Vbi quieſco, omnis familia cauſſa conſiſtit tibi.*

Etſi enim *cauſſam* interpretari licet rem & rationem, quomodo cepiſſe Lambinus videtur: attamen quia inſolentior eſt locutio, non de nihilo ſuſpiceris aliter, & fortè ſic legendum: *omnis familia caſſa conſiſtit tibi.* Vbi ego vaco, inquit, & quieſco, vacua & inanis eſt pariterq; mecum eſuriales ferias otioſè ſedet tota familia noſtra. Sic enim *conſiſtit tibi* exponendum, non vti ad librorum marginem appinxerunt, *in te ſita eſt. Tibi* velut abundat, & *conſiſtit* valet, vna ſimul ſiſtit, pariter quieſcit. Tali compoſitione *conſtare*, ſimul ſtare. Curculion. ſcen. *Date viam:*

*Conſtant, conferunt ſermones inter ſeſe drapetæ.*

Pro quo *conſiſtere* dixit eadem fabulâ pòſt, ſcenâ, *Itu pra:*

*Nec vobiſcum quiſquam in foro frugi conſiſtere audet:*
*Qui conſiſtit, culpant eum.*

Nec Tacitus aliter Hiſtor. 4. *Quo diſcreta virtus manifeſtius ſpectaretur, ſibi quæq; gens conſiſtunt.* Inde apud Feſtum: *Conſtitutus hominum, à conſiſtentium multitudine appellatur.* Vbi melius legeretur

fortaſſe

fortaſſe *Conſtitus*, id eſt conſtitio, vel ſimul-ſtatio. Sed ad Plautum, & illum noſtrum locum redeamus, in quo verbi *conſiſtit* explicationem, quam dedi, planè teneo: correctionem & *cauſſa* non difficulter omittam: quantumuis locutio noſtra melior, in qua non ineptè quæſita videri etiam alluſio & colliſio vocum *caſteria* & *caſſa* poteſt. Scenâ eadem non dedignabor & hoc quantulicunque momenti monere.

*C L E. Non veto ted amare, qui dant, qua amentur gratia.*

Appendiculam & *d* numeri transferri malint à prouocabulo *te* ad alterum *qua*.

*Non veto te amare, qui dant, quad amentur gratia.*

Sed & illi hærere facilè patiuntur, dum huic pariter adiungatur. Quod ipſum interponi ſequentis etiam ſcenæ verſu illo debet:

*Vbi amica, quam amico tuo fueris magis fidelis.*

Scribe, *quamd amico*, Sed à capite eandem ſcenam ordiamur, & ordine percurramus. Igitur initio quidquid alii de *virtute vlmorum*, an *armorum*, an *humerorum* conſtituent tandem, in quibus ego adhuc ſanè hæreo; quæ mox ſequuntur intricata admodum nos conabimur expedire. Et horum hic primus eſt verſus:

*Qui aduorſum ſtimulos, laminas, crucesq; compedesq;:*

in quo prima vox meritò abeſt à veteribus libris, & proxima verò, quamquam ſic in omnibus perſcribitur, abſque dubio tamen eſt corrupta. Si legis enim conſequa ad periodi finem, ἀνακόλουθον eſſe videbis, & nihil habere, quod inchoatum eâ ſenſum abſoluat. Dicam ego liberè, quid cenſeam, & doctis modeſtè proponam iudicandum. Latere videtur in ea quam dico voce *aduorſum*, remotior alia quædam & antiqua. Iam ſciunt, quicunq; Feſtum legerunt, *aduoſem* in eo pro aduorſario vel hoſte nobis explicari: quamquam nec idipſum verbum ſincerum cum aliis ſtatuo, & corrigendum autem *aduoſtem* Fruterio libens credo, libentius huic hoc ſanè, quàm Scheckio noſtro nuper *adſoſtem* facienti, quod ab illo non niſi ſcribendi tamen ratione diſtat. V namque ipſum pro F nonnunquam etiam veteres, vt F porrò pro adſpiratione H ſæpiſſimè vſitarunt. Exempla nihil huc attinet congerere, quæ promta apud alios, & pleriſque omnibus iam nota. Id autem verbi Plauto hîc donandum, vel redonandum verius exiſtimo, ſcribendumq;,

*Aduoſtium ſtimulos, laminas, &c.*

Ita hoc conſequemur, non tantùm vt ea pars orationis vniuerſæ quadret, ſed nec illa abhorreat poſteà, quæ mirificas & ipſa turbas dedit, dabitq; porrò, niſi prior, de qua nunc egimus, conſtituatur. Eccillum verſum dico:

*Eas nunc legiones, copias, exercitusq; eorum.*

Nam quis non ſe torſit hactenus in iſto *orum?* quod accommo-

dare nemo prioribus vllo pacto potuit, & variè ergo pro ſe quiſq; mutare ſtuduerunt. At quam vanus eorum omnis labor! quàm facilis iam & obuia ſtructura! Capis ſcilicet & reperis *eorum aduoſtium*. Verùm vt magis videas ἀκολουθίαν totius orationis, quam ὑπέρβατον prolixiuſculum nonnihil obſcurat: omnes verſus hîc adſcribam, vt legendos, &, qua parte grauiter etiam peccatum eſt, diſtinguendos puto.

*Perfidiæ laudes gratiasq; habemus meritò magnas:*
*Quùm noſtris ſycophantiis, dolis, aſtutiisq;,*
*Scapularum confidentia, virtute vlmorum freti,*
*Aduoſtium ſtimulos, laminas, crucesq;, compedesq;,*
*Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,*
*Inductoresq; acerrimos gnaroſq; noſtri tergi,*
*Qui ſæpè antè in noſtras ſcapulas cicatrices indiderunt:*
*Eas nunc legiones, copias, exercitusq; eorum*
*Vi pugnando periuriis noſtris, euge, potiti.*

Nullæ iam ibi ſalebræ, plana & expedita omnia: in quibus *inductores* de Palmerii ſententia rectè ſcripſi. Nam in hac perpetua ἀλληγορίᾳ bellicæ rei, ductores etiam facit, ſed ridicula ambiguitate tales, qui compedes, numellas, pedicas, & reliqua cuncta ſeruilium pœnarum inſtrumenta, ipſorum collis, manibus, pedibuſque, peritiſſimi regionum omnium totius corporis, inducant. Præter interpuncta autem alia mutata, illa penitus ſuſtuli, quibus ea verba diuellebantur,

*vi pugnando periuriis noſtris.*

Non enim ſigillatim ea proferenda, ſed iunctim vno ſpiritu, & ſic interim capienda, quaſi vi, id eſt fortiter periuriis pugnarint. De *aduoſtibus* quæſo ſobriè iudicetur & clementer. Si qui ex rudiorib. admittere tam cæcum verbum nolent, alterum ipſum *aduorſum* retineant, ſed eadem ſignificatione, tanquam poſitum pro *aduerſorum* ſiue aduerſariorum. Iam de alio ibidem loco non ſententiam, ſed coniecturam meam timidius etiam proponam. Controuerſi enim ille iuris apud magnos pridem viros;

*Vbi ſæpe cauſſam dixeris pendens aduerſus octo*
*Aſtutos audaces viros, valentes virgatores.*

Notum enim iam olim *artitos* pro *aſtutos*, & nuper adeò *limaces* in locum τ *audaces* ſuppoſita: de quorum vtroque ſilere malo, quam alterum acerbiuſculè refutare. Ceterùm nec *aſtutos* mutandum mihi videatur: & mirer, ſi non hîc quoq; metaphoram ſemel cœptam perſecutus eſt Plautus, vt cum cauſſæ dictionem tribuat reo, ab altera parte ſtatuerit accuſatores. Ad illam formam quid ſi ſcribas?

*Aſtutos, audaces, iuris callentes virgatores.*

Sed ego non auſim, nihil fiſus incertæ diuinationi: qua neq; certior deinceps iſthîc:

*Vbi*

*Vbi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo*
*Validos lictores vlmeis affectos lentis virgis.*

Necdum enim probare vel hoc vulgatum *affectos*, vel Boſianum *affectus* queo: ſed neq; meum *affectis* præferri volo, quod magis tamen placeat, vtpote quod cum lictoribus ipſas virgas quantumuis lentas in languorem datas innuat. Affectæ virgæ, quæ quaſi morbo afficiuntur & conficiuntur in tergo vlmitribarum: cuius ſimile dicit alibi quoque, nec vno loco, ſed in promtu nullus mihi nunc, præter vbi mortem etiam iis tribuit. Captiuis:

*Væ illis virgis mi eris, quæ hodie in tergo morientur meo!*

Sequitur à paucis verſibus ille:

*Quod ſe abſente mihi fidem habere noluiſſet.*

quem iuſto breuiorem, nec igitur integrum, omnes vident. Ego augere & explere venuſto Plautino ſermonis genere poſſim, inſerto ſcilicet *tamen*, ad hanc faciem:

*Quod ſeſe abſente tamen mihi fidem habere noluiſſet.*

Ita Milite:

*Bene quæſo inter vos dicatis & mihi abſenti tamen.*

Amphitr.

*Vt quum abſim, ames me tuam abſentem tamen.*

Caſinæ Prologo:

*Sciens eius mater ei dat operam abſenti tamen.*

Sticho:

*——cum tamen abſentes viros*
*Perinde habetis, quaſi præſentes ſint.*

Captiuis:

*Beneq; hero geſſiſſe morem in tantis ærumnis tamen.*

Pœnulo:

*Facito ſis reddas etſi hic habitabit tamen.*

Sed ſatis exemplorum. Græci ſuum ὅμως ſimiliter vſurpant: vt Euripid. Medeâ:

ἐρήσομαι δὲ ἢ κακῶς πράξασ' ὅμως.

Deniq; eadem ſcenâ nõ rectè diſpoſitæ perſonæ videri poſſint ibi:

*L E. os opprime, is eſt, ſubauſcultemus.*
*Lacrimantem lacinia tenet lacrimans. quidnam eſſe dicam?*
*Tacitè auſcultemus.*

Melius enim intermedium verſum Libano tribuerimus, qui prohibitus à Leonida ſemper obloquatur tamen: vt iam ſic ordinetur:

*L E. os opprime: is eſt, ſubauſcultemus.*
*L I. Lacrimantem lacinia tenet lacrimans. quid id nam eſſe dicam?*
*L E. Tacitè auſcultemus. L I. at at.*

Sed vulgatum non ſubſiſtere prorſus, & mutationem neceſſariam minimè affirmarim.

## CAPVT VIII.

*Flocco habere, an Defloccare. Argyrippo nomen amatori adoleſcenti non*

*Agyrippo. Abi. Ambo. Noua & multigeneres emendationes allatæ: veteres aliorum quædam exactæ. Verba tranſpoſita, perſonæ commutatæ. Verſus præterea vnus, poſt alterū à Lambino reſtitutum, è fragmentis Caſinæ in hanc Aſinariam cum Gulielmio reductus: idem ſedis & numerorum incertus ab illo relictus, in vtriusq; nunc primùm ius, neq; certum tamen ipſum, ſed arbitrarium, aſſertus.*

SÆpius in perſonarum collocatione peccatum, & id vnde, pridem alii obſeruarunt: quorum nos veſtigia ſecuti, quod reliquum eius generis deprehenderimus, tollemus, & pro iudicio noſtro, cui nihil tribuimus tamen præ aliis, conſtituemus. Ambiguè id fecimus paullò antè: certius aliquanto nunc, niſi fallor, eâ ſcenâ, quæ ſubſequitur proximè ſuperiorem. Sed quia prolixior locus eſt, heic non ipſum, vt vulgatur hodie; ſaltem vt concinnandum perſonis aliter digeſtis arbitrer, adſcribam.

*L E. ſcio qui periclum feci,*
*L I. Circumſiſtamus: alter hinc, hinc alter appellemus.*
*Here ſalue. ſed num fumus eſt hæc mulier, quam amplexare:*
*A R. Quî dum? L I. quia oculi ſunt tibi lacrumantes, eò rogaui.*
*A R. Patronus qui vobis fuit futurus, perdidiſtis.*
*L I. Equidem hercle nullū perdidi, ideò quia nunquam vllum habui.*
*L E. Philenium ſalue. P H I. dabunt dij, quæ velitis, vobis.*
*L E. Noctem tuam, & vini cadum velim, ſi optata fiant.*
*A R. Verbum caue faxis verbero. L E. tibi equidem, non niſi opto.*
*A R. Tum tu igitur loquere quod lubet. L E. hercle hunc verberare.*
*L I. Quiſnam iſtuc accredat tibi, cinæde calamiſtrate?*
*Tun' verberes, qui pro cibo habeas tete verberari?*
*A R. Vt veſtræ fortunæ meis præcedunt, Libane, longè,*
*Hodie qui nunquam ad veſperam viuam.*

Collatis his ad vulgata, quædam etiam alia præter ordinem perſonarum à nobis ſimul emendata apparebit. Nam & ſententiam alicubi, interpūctorum; & numeros adiuuimus, verborū alia poſitione. De perſonis ipſis, q̄ hîc caput eſt, nemo dubitabit, qui colloquii ꝓceſſum & alternas q̄ſtionum ac reſponſionū vbiq; vices diligētius penſitabit. Me verò non ratio tm̄, vt ſic digererē, in vniuerſum, ſed & libri Colonienſis auctoritas mouit in parte, qui Libano continenter iſta, *Here ſalue: ſed num fumus eſt hæc mulier, &c.* tribuebat: q̄ ipſa res omninò, tum ea verba flagitant, quæ Libani deinceps conſtanter in omnibus libris: *Quia oculi ſunt tibi lacrumantes.* vt qui hoc dixerit, eundem prius ēt illud oporteat dixiſſe. Nō ꝓcul inde dubites, an & illîc verba ſuis pſonis rectè attributa.

*L E. Secede Libane, te volo. L I. ſi quid vis. A R. obſecro vos.*
*Eadem iſtac opera ſuauius eſt complexos fabulari,*

Sanè ego, qui non ineptè Libanum iſta loqui video, *Si quid vis*: tamen vereor, ne melius Argyrippo cum ſequentibus adſcribantur:

*A R. ſi quid vis, obſecro vos,*



Digitized by Google

*Eadem iſtac opera ſuauiuſt complexos fabulari.*

Mox leuiter ex antiquis ille verſus refingendus:

*LI. Cupio hercle. LE. ſequere hac. AR. ecquid eſt ſalutis? ſatis locuti?*

Loco enim ſuo bina verba deiecta, vnum verò planè eiectum. Reſcribes:

*LI. Cupio hercle. LE. ſequere hac. AR. ſatis locuti iam? ecquid eſt ſalutis?*

Vel ſenſus hoc euincit. Cum redeuntes ad ſe videret Argyrippus, miratur ita ſubitò tranſactum inter eos, ſimul ſollicitus, an rectè in ſe conſuluerint. Itaque primò, iamne locuti ſint ſatis; dein, ecquid ſalutis ſit, quærit. Deinceps longo interuallo, poſt verſum CXIII. Lambinus à Camerario ſublatum quendam inſeruit viciſſim,

*Aſta igitur, vt conſuetus es puer olim. ſcis vt dicam?*

rectè atque ordine: cuius exemplo nos alium etiam exulãtem adhuc indidem, & è Caſina laudatũ à Nonio reſtituemus. Ac velut digito ille quidem à Gulielmio noſtro monſtratus eſt pridem, qui ad Aſinariam & retulit, & aptè ab Argyrippo dici cenſuit, dum ſeruum vehit: locum tamen neque certum ei planè dedit, & ipſum verò genere ipſo verſuum reliquis diſſimilem non aptauit, vt recipi inter illos poſſit: de quo nec in mẽtem ei fortè venit, & neceſſe eſt tamen, ſi debet omnino ceteris interponi. Nos & numeros & ſedem ei pariter reddemus. Eſt autem lectionis diuerſitas magna, ſed non in verbis adeò, quàm ordine eorum. Nam & apud Noniũ in *Defloccabit* aliter, aliter in Fragmentis Plautinis, & deinceps aliter ſemper ab aliis, quicunque laudant, ſcribitur. Ego ad exemplum totius huius ſcenæ conformo primùm:

*Perij. iam illicce homo meos hic lumbos flocco habebit.*

Deinde ſedem ei do, vt præcedat illum:

*Perij hercle. verùm ſiquidem eſt decorum herum vehere ſeruum,*
*Inſcende.*

vel certè ſequatur iſtum:

*Hem ſic, abi. laudo. nec te equo magis eſt equus ullus ſapiens.*
*AL. Perij. iam illicce homo meos lumbos hic flocco habebit.*
*Inſcende actutum.*

Vtrubi malis, Argyrippi verſus eſt, ſtatuendus hac planè regione, vbi ſe inequitandum præbet: à quo facto nomen etiam ipſum inuenit. *Argyrippus* enim, qui argenti cauſſa inequitatur: ne audiendum putemus, qui *Agyrippum* è libris neſcio quib⁹ mutat, velut ἀπὸ τοῦ ἀγυρεῖν τὸν ἵππον: cui originationi & lectioni locus vbiuis alibi potius, quàm hîc, vbi non res tantum & euentus, ipſumq; fabulæ argumentum, ſed modulus etiam ſyllabæ primæ, quæ longa eſſe prorſus vbique debet, apertiſſimè reclamat. Ceterùm & de Nonio obiter hoc notetur, mutilum ea parte eſſe, vbi citat hoc exem-

plum, quod cum vnicum eſt, tum titulo ſuo minus reſpondet, & congruentia magis alia innuit præceſſiſſe: niſi quis in hoc ipſo nō *flocco habebit*, ſed *defloccabit* fuiſſe velit ſuſpicari. quod L. Carrionem video planè cenſuiſſe. cuius aſſeuerationem cenſoriam modeſtiuſculo aſſenſu pænè auſim ſequi. Nam *flocco habere*, ſpernere tantum eſt & nihili facere, vt ad Amphitruonē diximus: *deflocca-re* autem, conterere prorſus & ad nihilū redigere. quorum hoc nemo non videt ſententiæ Plautini loci melius conuenire. Metuit enim ſibi Argyrippus, nō tantùm ne parum parſurus ſit ſeruus ſuis lumbis, ſed verò magis, ne penitus eos inſeſſu & agitatione ſua conficiat, & cutem inde ſic deterat, vt à veſtibus ſolent flocci. Iam autem porrò quidam ſanè benè vir doctus, malè in iſtis, *Hem ſic, abi. laudo:* ſpernit *abi*, quia nondum inſcenderit ſeruus, & *age* propterea reponit. O quam vellem Terentii ſaltem meminiſſet! cuius Adelphis illud geminum:

*Laudo Cteſipho: patriſſas, abi. virum te iudico.*

Exclamatio laudantis eſt vtrobique *Abi*, nō diſcedere iubentis inclamatio. quod verbo tetigiſſe ſatis ſit, neq; ſanè debet pluribus oſtendi: vti nec illud opus eſt aſtrui, ꝙ idem ibidem mutat, *ſcis vt dicam?* quidquid turbēt plutearii libri, quorum fidem hîc ſubleſtam ſcimus. Iis miſſis igitur ad alia pergamus, vt hanc etiam ſcenā hoc capite abſoluamus. Breuior ille verſus vno pede:

*AR. Quid nunc quoniam ambo, vt eſt lubitum, nos deluſiſtis.*

ſed ſcin' quam facilè ſubueneris? Itera vocem *ambo*, quam bis perſcribere librarius debuerat:

*Quid nunc? quoniam ambo, vt eſt lubitum, nos ambo deluſiſtis.*

Alterum pro *ambos* poſitum: quod neglectum, à quo non intellectum. Seruorum vterque vtrumque amatorum pro libitu deluſerant. Sed vt huic deerat, ita duobus qui ſequūtur, ſupereſt aliquid contra menſuræ iuſtum modum.

*LE. Etiam tu here iſtunc amoues abs te, atq; ipſe me aggredire?*
*Atq; illa, ſibi quæ hîc iuſſerat, mihi ſtatuis nunc ſupplicaſq;.*

Vt & his conſulas, deme poſteriori *nunc*, quod nec habent Veneta & Colonienſis editiones priſcæ: priori dele *ipſe*: quod ſi renuis, antiqua flexio verbi *aggredire* repudianda, ſcribēdumque, *atq; me ipſe aggredere.* Verùm *ipſe* quorſum retineas? Nulla eius hîc emphaſis, ac ne vſus quidem vllus: niſi fortè *ipſum* ſcribes, in quo videatur aliqua vis, nec tanta tamen, vt *aggredire* præ ea debeas nolle. Porro Fortunæ & Salutis vocabula literis a capite maiuſculis ſemel atque iterum ſcribenda, vt pro propriis Dearum nominibus habeantur. quod monere me non pudet, quia prætermiſſum ab aliis piget. Illic;

*Animum Argyrippe aduorte ſis. pater nos ferre hoc iuſſit*
*Argentum ad te.*

rectius feceris, ſi prouocabulum *hoc* alteri verſui dones: *Argen-*

*tum hoc ad te:* cuius hiant alioqui numeri. Poſtremò quod ad finem ſcenæ legis:

*LI. Iam dudum eſt intus. hac quidem non venit, angiporto*
*Illac per hortum circuit clam, ne quis ſe videret:*

magis placeat, ſi perſonis varietur hoc exemplo:

*LI. Iamdudum eſt intus. AR. hac quidem non venit. LI. angiporto &c.*

Certè enim Argyrippo conueniunt magis, quæ nunc tribuimus ei, miranti nempe, quòd intus eſſe iam patrem ſeruus dixerat, & dubitanti, quia non veniſſe aduerterat eâ viâ, quæ ad domum meretriciam rectâ & palàm ducebat: cùm ille obiectioni reſpondens, circuitu & clam iiſſe ait, ne à quoquam conſpiceretur.

## CAPVT IX.

*Homines, per excellentiam ſexus tantum mares Plauto, vt Græcis interdum ἄνθρωποι. Æpol quin. At pol quin. Quaſi ſi. Quaſi vt. Quaſi ſi vt. Aliquanta alia in Aſinariam cenſura. Nonius & Lambinus reiecti.*

NOn plebiſcitum vnquam vllum ſcitius fuit illis legibus, quas in ſyngrapho inter Argyrippum & amicam & lenam Paraſitus, vnicus ille ad eam rem poeta, ſcripſit. Inter eas cùm primò vetat alienum quemquam intromitti, qui verſus vt integer ſit, legi ſic fortè debet,

*Hominem alienumq; ad ſe intromittat neminem:*

abuti videtur appellatione *hominis*, pro ſolo maſculo; vt vulgus hodie Italorum & Gallorum, patriæ linguæ ἰδιωτισμῷ, niſi mares, homines non dicunt. Quod etſi à Latinis alienum, tamen interdum propter excellentiã ſexus noſtro generi magis id tributum nomen eſt, ſiue temerè, ſiue cõſultò, ſiue denique per luſum. Plautus quidem non hoc tantùm loco, qui dubius aliquãtum, ſed & Ciſtellariã palam mulierem & hominem diſcreuit. Scenâ *Niſi quid mihi.*

*Quid quæritabas? HA. mi homo, & mea mulier, vos ſaluto.*

Nec ille tamen hac Comœdia planè dubius locus, qui vt videatur, falſa lectio facit ſequentis verſus:

*Aut quòd illa amicam ſuam aut ſororem prædicet.*

Nam hunc ipſum correxit iam olim rectè Gulielmius noſter è veteribus libris;

*Aut quòd illa amica ſua amatorem prædicet.*

Nec enim metuere ſibi tribadas habet & ſubagitatrices fœminas: à maribus vnis periculum illi, quos diſertim excludi omnes iubet. Ac ſi libeat, accipere non aliter poſſis apud Iuuenalem Sat. VI.

*Illa iubet ſumto iuuenem properare cucullo.*
*Si nihil eſt, ſeruis incurritur. abſtuleris ſpem*
*Seruorum, veniet conductus aquarius. hic ſi*
*Quæritur, & deſunt homines: mora nulla per ipſam,*

*Quo minus impoſito clunem ſubmittat aſello.*

Ne iam barbariei nimis accuſemus aliquot in Iuriſconſultorum libris loca, quę femininum ſecus hominum titulo non dignantur. Sed vt de Latinis, quorum incorrupta puritas & caſtitas, ſi verum fateri volumus, hoc totum non admittit, nihil addam amplius; Græci quidem certè γυναῖκα καὶ ἄνθρωπον aliquando diſtinguunt: cui teſtando nõ Æſchinis illum, quem Lexica vulgata ſolum præferunt, locum, ſed alium non animaduerſum hactenus adfetam Dicæarchi è Geographicis fragmentis. qui cum de mulieribus Thebanis loquitur, ſic habet inter alia: εἰσὶ δὲ καὶ ταῖς ὁμιλίαις οὐ λίαν Βοιώτιαι, μᾶλλον δὲ Σικυώνιαι. καὶ ἡ φωνὴ δ' αὐτῶν ἐστιν ἐπίχαρις: τῶν δὲ ἀνθρώπων ἀπεχθὴς καὶ βαρεῖα. Cui ſimilia reperiri in ſcriptoribus Græcis plura non dubito: & tamen illorum ἄνθρωπος communis, vt Grammatici loquuntur, generis eſt, cum Latinorum ſit tantùm maſculini, contra magiſtellos triuiales, qui & hoc commune faciunt, ſed ab aliis pridem refutati. Ad Plautum redeo, cuius in ſcena, quam ingreſſi ſumus, inueterata illa menda eſt, minus feliciter ab aliis tentata:

*——— ni quatriduo*
*Abalienarit, quo ex te argentum acceperit.*

Mutant è membranis Langii, *quo abs te*. Verius ego retento *ex, te* deleo. Nam præpoſitionis ἀναστροφὴ eſt *quo ex*, pro *ex quo*. Latinum hoc, & germanum Plauti, nihil neceſſum habeo probare. Paullò pòſt metuo, ne ſedes inter ſe mutarint duo verſus in illis:

*Tecum vna poſtea æquè pocula potitet.*
*Abs ted accipiat, tibi propinet, tu bibas.*
*Ne illa minus, aut plus quàm tu ſapiat.*

Nam ſententiæ nexus ordinem hunc poſtulare videatur:

*Tecum vnà poſteà æquè pocla potitet,*
*Ne illa minus, aut plus quàm tu, ſapiat. DI. ſatis placet.*
*PA. Abs ted accipiat, tibi propinet, tu bibas.*
*Suſpiciones omnes ab ſe ſegreget.*

Primùm enim æqualitatem poculorum ſancit, vt tantundem bibat, cui cauſſam hanc ſuam debet ſubiicere,

*Ne illa minus aut plus quam tu ſapiat.*

deinde porrò, ne à quoquam alio accipiat, nec alii vel propinet, vel præguſtatum porrigat, ſed vndę bibit ipſa, ſolus indidem bibat Argyrippus: cuius itidem addit iſtam cauſſam,

*Suſpiciones omnes ab ſe ſegreget.*

id eſt, ne in ſuſpicionem vllam incurrat alterius amoris, ſi cum alieno poculum communicet: quamquam ſanè generatim hoc ad ſequentia quoque ſpectat edicta. Iam eo verſu:

*Nolo habere illam cauſſam, & votitam dicere:*

planè *vetitam* contra Nonium legendum eſſe vel numeri docent, qui neque ſine leui alia mutatione conſtant:

*Nolo*

*Nolo illam habere cauſſam, & vetitam dicere.*

Sequente ſcenâ, *ſequere hac*, leuiculum vnum eſt, quod non prætereo:

*Amoris cauſſa percitum id feciſſe te*
*Magis quàm ſua cauſſa. DI. at pol. quin dixti rectius.*

Non ita non bene: melius tamen, *a pol quin dixti rectius.* Ad hunc enim modum *edepol quin* plerumque iungit Plautus. Vel interpuncto ſublato ſaltem, *at pol quin.* Amphitr.

*AM. At pol quin certa res Hanc eſt obiurgare.*

Ab ea ſtatim in proximam tranſiliamus, vbi rectè illud habet.

*DE. Putem ego? quem videam æquè eſſe mœſtum, vt quaſi dies ſi dicta ſit,*

quantumuis Lambinus expungendum *vt* cenſeat. Ait ſententiam & verſum eo corrumpi. Neutrum verum. Quomodo enim verſum, ſi quis rectè metiatur? quomodo item ſenſum? niſi ſi inſolitam dices loquendi formulam, *vt quaſi ſi.* At hac idem Plautus vſus etiam Clitellariâ:

*Non quaſi ſi vt hæc ſunt hic limaces liuidæ.*

Nam etſi vulgo non legitur inſertum ibi *ſi*, tamen verſus ratio poſcit. In Appuleio *quaſi vt* tantùm, Apolog. I. *Satis, vt puto, criminũ crimen, quod illi quaſi vt capitale intenderunt, refutatum eſt.* Apud hũc *quaſi ſi* perſæpe, cuius nunc vnum exemplum contenti dare, cetera in alium reſeruabimus locum. Prologo Caſinæ:

*Hera fecit, educauit magna induſtria,*
*Quaſi ſi eſſet ex ſe nata, non multo ſecus.*

Eadem ſcenâ neſcio ſi ſatis benè iſtud:

*Ea res me malè habet, at non eò, quin tibi non cupiam quæ velis:*
*Verùm iſtam amo.*

Scio negationes abundare nonnunquam in Plauto, tamen id hîc ferendum non videtur. Vſus enim particulæ *quin* additum ſibi *non* reſpuit eo ſenſu, qui debet horum eſſe verborum. Non ægrè fero, ait, quin velim, quod tu velis, ſed quia iſthanc amo. Sed numeri negationem retentant. Maneat igitur, dum pro *quin, quia* reſcribatur. Ita enim quoque vera mens, & numeri ipſi pleni.

## CAPVT X.

*Mecaſtor, muliebre; mehercule, virile; edepol, commune iuramẽtum. Sine. Vitium alicui dicere. Funditare. In iactu talorum amicas inuocandi mos. Locus vnus à verſuum ordine grauiter turbatus, alijq; leuius in verbis corrupti, ſua, quod potuit, integritati reſtituti; ſimul, quod debuit, explicati.*

Scena, *Ain tu meum*, reſtat nobis in extremo fabulæ, cui extremum hoc caput ſit dicatum. Eius verſu,

*Artemona, ſi huius rei me eſſe mendacem inueneris:*

vt numeris ſit integrior, inuerſo verborum ordine ſcribi malim,

*me mendacem eſſe*, vel *mendacem me eſſe*. Item inferius:

*Iube dare vinum, iam dudum factum eſt, quum primum bibi.*

verſus cauſsâ *dari* melius ſcribas. Deinceps iam grauis confuſio facta, nec legitima ſeruata ſeries verſuum, nec vera collocatio perſonarum.

*ART. Miſer ecaſtor es. PA. mecaſtor dignus eſt. AR. quid ais, pater?*

*ART. Ain' tandem? Edepol na tu iſtuc cum magno malo tuò*

*Dixiſti in me, ſine venias modò domum, faxo vt ſcias,*

*Quid pericli ſit dotatæ vxori conuitium dicere.*

*AR. Ecquid matrē amas? DE. egone? illam nunc amo, quia nō adeſt.*

Ne multa verba faciam, vide exemplum, vt integrum locum reſtituam, interpunctis etiam præter alia correctis.

*PHI. Dic amabo; an anima fœtet vxoris tua? DE. nauteam*

*Bibere malim, ſi neceſſum eſt, quàm illanc oſcularier.*

*ART. Ain' tandem? Edepol na tu iſtuc cum magnò malo tuò*

*Dixiſti in me. ſine: venias modò domum, faxo vt ſcias*

*Quid pericli ſit dotatæ vxori conuitium dicere.*

*PHI. Miſer ecaſtor es. ART. mecaſtor dignus eſt. ARG. quid ais pater?*

*Ecquid matrem amas? DE. egòne illam? nunc amo, quia non adeſt.*

Cuius emendationis opus non eſt prolixè rationem reddi, quæ ſe facile nunc ipſam prodit & probat. Etenim quis non videat, continuos eos tres verſus Artemonæ collocandos ſtatim poſt ſenis in eam dicterium? neque diuellenda, quæ neceſſariò cohærent, Argyrippi filii verba? Tum quis ferat, de miſeria ſenis Artemonam & Paraſitum loqui? cui etiam, ſi Diis placet, muliebre iuramentum, *mecaſtor*, tribuerunt. Vt breuiter ἀκολουθίαν germanam oſtendam: poſt Demæneti vocem, qua vxoris animam & oſculum contemnebat, excipit Artemona ſtatim; & eminus pro ſe velut cauſſam dicit: cum tamen eodem quaſi momento miſeratur ſenem Philenium, & irridens, miſerum ait, cui viuendum cum tam odioſa vxore: ſed hîc quoque ſubiicit eadem ſtatim, dignum maritum eſſe, qui ſit verè miſer. Tum Argyrippus infit, & de amore patris in matrem quærit: cui ille abſentem amari, præſentem morti deuoueri reſpondet. Hæc in vniuerſum Plauti ſtructura: de ſingulis verbis non libet, etſi poteram, diſputare. niſi tamen illud repeto, quod antè tetigi, nullo modo Paraſito tribuendum *mecaſtor*: quod mulierum ſolùm iuramentum, ſi Macrobio & Donato fides. Hi namque tradunt, neque viris per Caſtorem, neque per Herculem iurare feminis licuiſſe: per Pollucem ſanè communè vtriſque fuiſſe. Atq; id a Comicis omnibus & Plauto diligentèr obſeruatum, niſi ſi quibus locis errore librariorum commiſſum eſt, vt diſcrimen hoc confunderetur: quod in Plauto non ſemel hic tan-

hic tantùm, ſed & ſæpius factum alibi deinceps oſtendemus. Quin factum idem hac etiam ipſa ſcena in perſona Argyrippi, quem loquentem introducunt infrà:

*Ecaſtor quin ſurrepturum pallam promiſit tibi.*

Quo ſanè loco hæreo, nec, vt alibi, mutatione perſonarum expedire me poſſum, quando prorſus hunc Argyrippi ſermonem ſequens verſus & ſenis inclamatio teſtatur. Non tamen mihi dabium eſt, quin pro *ecaſtor*, vel *edepol* ſupponendum ſit, vel quauis alia ratione flagitium hoc locutionis declinandum: quod ſuperiore loco commodiſſimè potuit euitari. Sed ibidem verbum *ſine*, ſic à reliquis diſtinxi, vt ſolum proferatur, & pro formula agnoſcatur minandi per quandam conceſſionem, quæ frequenter alias eo ipſo verbo apud Plautum expreſſa. Aulular.

CON. *Sine. at hercle cum magno malo tuo, ſi hocce caput ſentit.*

*Conuitium* autem retinere malis, an cum Cl. Grutero *vitium* ex Langianis reſcribere, tui arbitrii facio: dum ſcias, etſi illud ſanè ſcripſi, tamen hoc nunc magis me probare, quando menſura verſus melius capit, tùm quia venuſta & antiqua locutio, *Vitium alicui dicere*, pro vitii aliquem inſimulare, accuſare, reum agere, damnare. Gloſſarium vetus H. Stephani pulcrè exponit, *Vitium furi dico*, καταψηφίζομαι τοῦ κλέπτου. Vſus & Terentius ſolenni imitatione Plauti, vt Gr. monuit, Hecyrâ:

*Reddi patri autem cui tu nihil dicas vitij*
*Superbum eſt.*

Hinc porrò illic:

ART. *Ne ille ecaſtor fœneratò funditat. nam ſi domum*
*Redierit hodie.*

ne muta cum viro docto *illac*, ſed è veteri libro inſere:

*Ne ille ecaſtor fœneratò hac funditat.*

Non enim *fundit hac*, vt Lambino videtur, è Nonio ſcribendum, qui Plauti verſum mala fide ſolens deſcripſit. Libentius frequentatiuo, quod vocant, illo noſter vtitur. Amphitr.

*Cum cruciatu tuo iſtac hodie verna verba funditas.*

Pœnulo: *En monſtrum mulieris: tantula tanta verba funditat.*

Mox vbi legis *Hoc Venerium eſt*, vide ne potius ſit, *Hic Venerius eſt*, vt de iactu ipſo facilius & rectius interpreteris. Neque multis interiectis:

ART. *Ego pol viuam, & tu iſthac hodie cum tuo magno malo*
*Inuocauiſti.*

vt ſententiam aſſequatis, *iſthanc* ſcribe, pro *iſthac*. Inuocauerat in talorum iactu Philænium ſenex, quò nunc Artemona reſpicit:

*Te Philenium mihi, atque vxori mortem.*

Atque id de more, cuius in Plauto crebra mentio. Supra in Legibus:

*Quum iaciet, TE. ne dicat, nomen nominet.*
Captiuis:

*——Nam in conuiuio ſibi*
*Amator talos cum iacit, ſcortum inuocat.*

Aliquanto inferius:

*——PH. pol me quidem*
*Miſeram odio enicauit. ART. age ſurge amator, i domum.*

Inſititium illud *age* cenſeo, quod nulli habent vetuſtiores libri, nec poſteà cum reliqua verba iterantur, hoc vſquam additum. ſed verſui fulciendo intruſerunt, qui tamen etiam ſic nutat. In Colonienſi veteri *hodie* reperio, pro *odio:* malè quidem, niſi vtrumque recipiendum, quod ſanè arbitror, & ſcribo:

*Miſeram odio enicauit hodie. ART. ſurge amator, i domum.*

Nos quoque ab hac Comœdia ſurgamus, & non domum, ſed aliam fabulam ſpectatum nunc eamus.

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI AVLVLARIAM

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

Illuſtrem atq; incomparabilem virum

IOSEPHVM SCALIGERVM

IVL. CÆS. FIL.

*MAximo ſiletium diuturnum tuum dolori fuit eruditis omnibus, atque inter eos vnicè mihi,* IOSEPHE SCALIGER, *qui multis ab annis perpetuam anteà ſcribendi docendiq; nos publicè, quæ diſcere ab alio non poſſemus, conſuetudinem tuam intermiſiſti: ſed maxima viciſſim oborta lætitia nuper eſt nobis, & ſolidum, inſperatò quidem, obiectum gaudium, cùm te ex Galliæ turbis in Bataniæ quietem ſeceſſiſſe, partumq; tibi otium exoptatiſſimum audimus, vbi poteris ac voles ad officium moremq; priſtinum iam redire, nobiſque ex altiſſimis abditæ doctrinæ tuæ theſauris ea communicare, quæ diu deſiderata cum ſperare vix auderemus amplius, penè deſperaueramus. Ac poſſe iam te, quod dixi, quidni credamus in iſta tanta occaſione? Velle etiam ſcimus, quod & literis & ſermonibus hominum doctorum inter mutuas congratulationes quotidie celebratur. Quin factum ac perfectum iam magnum quid accipimus: vt his diebus adeò venit iſthinc adoleſcens doctus, tibi notus, amicus mihi, qui ſollicitè de te tuiſque ſcriptis (non curioſitati meæ ignoſce, ſed exſpectationem tui maximam & deſiderij impatientiam agnoſce) inquirenti narrauit omnia quæ cuperem, & quæ fama*

*iactarat in vulgus, eadem confirmauit. O diem illum! qui velut rediuiuum nobis Scaligerum ſiſtet, & in manus noſtras perferet illud primum à tanto ceſſationis interuallo, ſed & dignitate reque ipſa primum opus, quo & antiquorum gloriam, & præſentium inuidiam, & poſterorum famam te ſuperaturum omnes augurantur.* Atque hoc quidem nunc auide *ſic exſpectamus: ſed obſecro narra nobis, quando in arduis illis ſcientijs & principe diſciplinarum omnium te totum, vt audio, occupaſti; ecquid de minutioribus antiquariæ rei & Philologiæ ſtudijs habemus etiam ſperare? Tot hìc tibi quoque reſtant, benè cœpta pridem, peragenda: quæ promiſiſſe te partim eruduis, & hos exinde laudem æternam tibi repromiſiſſe meminimus, & tu non fueris oblitus. Vt de alijs non admoneam (& patere te, ſumme Scaliger, ab infimo homine admoneri: quamquam hoc non admonendi cauſſa ego dico, ſed quærendi.) quid de* PLAVTO *ſit tandem? cuius editionem tuam plures ante annos pollicitus, erexiſti omnes & impleſti maxima ſpe Latinæ principem illum linguæ tuo beneficio & legendi integrum & intelligendi. Qua pollicitatione illud etiam effeceras, vt ab eius emendatione ſcriptoris deinceps alij deterrerentur, & ſuperiorum induſtriæ plurimum detraheretur, omniumq; conatus euileſcerent, dum te vnum* ἀλεξίκακον *Herculem animo intuiti homines à te ſolo perfectionem ſperari poſſe tanti operis vero iudicio, & præiudicio quodam non iniuſto in eundem te ſolum laudem transferri debere ſtatuerent vniuerſam. At poſtquam morari te vident longius, & primò non ceſſare quidem, ſed alia tamen agere, deinde neque ceſſare fortaſſis etiam, ſed nec alia, vt videbaris, agere; poſtremò cùm diu quieuiſſes & abdicaſſe te à ſcriptionis omni munere à quibuſdam putareris; alacris illa cœpit exſpectatio vbique relangueſcere, & ſpes infringi, donec ipſe ſucceſſit metus: quo moti rurſum alij contulerunt hinc inde vicarias operas, & ne vnius morâ deſereretur ab omnibus talis auctor, conati ſunt non viri tantùm, ſed & iuuenes & adoleſcentes æmulatione quadam varijs ei modis hactenus conſulere. quos inter ipſe quoque accenſus illorum exemplo tentaui meas viricnlas,*

riculas, & obſeruata diuerſis temporibus collegi nuper & recognoui, monituſque ab amicis in publicum emittere decreui. ſed hoc antè, quàm de tuo in Batauos aduentu certò cognouiſſem, aut ſperare viciſſim aliquid à te potius ac melius in iſto genere poſſem. Neque nunc per eoſdem mutare mihi conſilium licet: etſi ne nunc quidem; an à te ſperari quidquam huius omninò velis, conſtat. In quo tamen inſtigatores eo loco non deerunt tibi, forſan & ſupererunt: atque ego, cum hæc edenda ſint, eorum partem ad te nominatim dirigo præcipuam ob hanc cauſſam, vt ineptiis noſtris ad tua meliora proferenda magis exciteris. Nam & aliæ ſanè, fateor, inſcriptionis iſtius ſunt cauſſæ, quas tenuiter haud reddo. Cogitare autem ipſe facile potes, & indicio tuo hæc ſubmitti, cuius omnia ſubiici ultimæ Cenſuræ debent, vt tu ſi probes, auctoritate tua in publicum nitantur; & à ſplendore celeberrimi tui nominis aliquam rei per ſe tenui commendationem peti, vt tua luce noſtra obſcuritas illuſtretur; & denique honorem quaſi quendam haberi tibi tali monumento, vt à quo profeciſſe in literis plurimum noſtro quiſq; modulo ſentimus, eum nos venerari, colere, ſimul nec ingratos eſſe tantis pro beneficiis, officio quantillo quiſque poteſt, ego quando non alio poſſum, hoc ipſo, quod neque nomen fortaſſe meretur officii, cuius vmbram vix habet, oſtendamus. Tu, ter maxime Scaliger, qualecunque id ingenii noſtri libamentum oblatum diuinitati in eruditionis omni genere tuæ, quam pronus adoro, non ſpernes, & agnoſcere dignaberis ad aram tui Genii proſtratum inter alios hunc deuotiſſimum cultorem: cui tuum ſi propitium numen erit, Apollinem aut Muſas iratas nullus extimeſcam.

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI AVLVLARIAM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Emiſſitij oculi. Ædes plena inanijs. Effertus fame. Congrediri. Quid nunc? Aulularia pluries correcta, ſimul declarata.*

AVlulariam ordimur, cuius initio ſtatim menda nulli hactenus animaduerſa. Nam primore Prologo legis:

*—— hanc domum*

*Iam multos annos eſt cum poſſideo, & colo:*

non hoc quidem malè, quamquam variè ſe torquet interpres in genere ſermonis: ſed tamen non optimè, ſi verſum ſequentē vides:

*Patrique auoque iam huius qui nunc hic habet.*

Quomodo enim hunc ſuperiori nectes, ſiquidem nectendus eſt planè? Niſi *color* ſcribes, haud ſanè poteris. quod vt reſcribas auctor ſum, non contra libros tantùm omnes, ſed ipſum etiam Nonium. Ait Lar, annos iam multos ſe domum eam poſſidere. & à patre auoque hodierni domini pro Lare cultum. Sententia hæc eſt: quam non euertit, quòd infrà idem ait, non impendiò ſe ab illis cultum. Vtcunque cultus fuerit, Lar tamen ipſorum cultus & habitus fuit. In eiuſdem Prologi extremo:

*Et hic qui poſcet eam ſibi vxorem ſenex,*

*Is adoleſcentis illius eſt auunculus:*

neſcio, ſi rectius *Enim hic qui poſcet*. Melius quidem oratio cohæreat, & præcedentium ſenſus magis explicetur. Nam hæc veluti ratio ſunt, eſſe certè debent illorum:

*——id eâ faciam gratiâ,*

*Quò ille eam facilius ducat, qui compreſſerat.*

Scenâ primâ rectè tandem conſtituti & explicati ſunt *oculi emiſſitij:*

*Circumſpectatrix cum oculis emiſſitijs:*

quos variè multi vexauerant. Ne quis porrò moueat, eadem formâ ſciat eſſe Pœnulo *tunicas demiſſitias*, Scenâ, *Si ego minam:*

*Sanè genus hoc muliebroſum eſt tunicis demiſſitijs.*

Dehinc vitioſa in illis eſt diſtinctio:

*Abſcede etiam nunc, etiam nunc, etiam ohe nunc.*

*Iſtic adeſto.*

Senſus

Senſus enim monet iſta coniungenda, *ohe nunc iſtic adeſto*: quibus recedentem vſque & vſque, tandem ſiſtit, & aſtare certo loco iubet. Sic igitur interpunge:

*Abſcede, etiam nunc, etiam nunc. etiam. ohe nunc*
*Iſtic adeſto,*

Sequente ſcenâ ridiculè de ædibus dixit:

*Ita manijs ſunt oppletæ atque araneis.*

Cùm totas inanes ſignificare vult, ait plenas eſſe inanitate: quomodo Captiuis hominem famelicum & à cibo inanem denotans, fame effertum dicit.

*Neq; ieiunioſiorem neq; magis effertum famè Vidi.*

Pòſt ibidem diſtinctio mala facit, imò & ſcriptio, ne rectè ſatis illud accipiatur:

*Nam non eſt veriſimile, hominem pauperem*
*Pauxillum parui facere, quin nummum petat.*

Quamquam non malè ſanè fateor & legi iam nunc & intelligi. Sed profectò in altero verſu tolli comma, & *nummûm* ſcribi melius eſt, vt ſic ordines verba: Non veriſimile eſt, hominem pauperem parui facere, quin pauxillum nummorum petat. Neque enim de vno, ſed pluſculis nummis ſentit Euclio: quando paullò antè dixerat:

*Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter curiæ*
*Diuidere argenti dixit nummos in viros.*

Scenâ *Præſagibat*, hic verſus:

*ME. Quò abis? EV. iam ad te reuortar. nam eſt quod viſam domum.*

vt ſibi conſtet, è vetuſtis, qui habent, *Quo nunc*, ſcribi ita vult:

*ME. Quonam abis? EV. iam ad te reuortar. namq; eſt quod viſam domum.*

Item illo:

*Venit hoc mihi in mentem Megadore, te eſſe hominem diuitem:*

vt rectè metiaris, ſcribe *ted.* quod idem paullo pòſt vno iſto verſu bis facies:

*Et te vtar iniquiore, & meus me ordo irrideat.*

Nam *ted*, & *med* omninò numeri requirunt. Nec aliâ, niſi verſus cauſsâ, porrò etiam illo:

*Pauper metuit congredi, per metum malè rem gerit:*

ſcribendum *congrediri*, flexu antiquo, ſæpius alibi noſtro frequentato. Tum porrò leue erratum ibi:

*ME. Quid? nunc etiam mihi deſpondes filiam?*

verius tamen diſtingues, *Quidnunc? etiam m. d. filiam?*

Crebrò diuulſa apud noſtrum & alios hæc interrogandi formula. Nunc è Bacchidibus exemplum vnum ſubuenit, Scenâ, *Meamne hic:*

*CH. Quid? nunc ſceleſtus tibi videtur Chryſalus.*

quod pariter, vt oſtendi, mutabis. Illa deinceps ſtatim:

—*ME. ſponden' ergo? EV. ſpondeo.*

*Iſtuc Dij bene vortant. ME. ità faxint. EV. illud facito vt memineris,*

*Conueniſſe, vt ne quid dotis mea ad te afferret filia.*

cum Florentino & Colonienſi codice ſic perſonis diſtinguere malim. *ME. ſponden' ergo? EV. ſpondeo.*

*ME. Iſtuc Dij bene vortant. EV. ita faxint: tu illud facito vt memineris.*

Eoſdem & veteres alios audio in illis:

*—ſed nuptias*

*Hodie quin facimus? num qua cauſſa eſt?*

Legunt illi, *Hodie quin faciamus? numqua cauſſa eſt?* melius ad ſtructuram verborum, nec contra numerorum. De mea autem ipſius ſententia perſonas variare velim in proximis:

*ME. Ibo igitur, parabo. nunquid me vis? EV. iſtuc fiet, vale.*

Malim, inquam.

*ME. Ibo igitur, parabo. nunquid me vis? EV. iſtuc. ME. fiet: vale.*

*Heus Strobile, ſequere properè me.*

Cauſſam do: quia non Euclio Megadorum, ſed hic illum deſerit: & magis abeunti conuenit valedictio. Abit Megadorus: Euclio remanet in ſcena. Quærit igitur ille, ſolitâ abiturientium formulâ, numquid ſe velit? & reſpondet alter, nihil, niſi iſtuc ipſum, vt nuptias paret. Futurum id ille rurſum ſpondet, & valedicens abit.

## CAPVT II.

*Pultare. Properàm. Malus mœror. Diſpartire, diuidere, nequieris ſenſit. Pompa: ornatus. Domi. Dimidium diuidere. Lacuna verſus vnius, ſi ſorte, monſtratur. Multa fabulæ huius emaculantur, explicantur.*

PArua pleraque ſunt & tenuia, quæ in hac fabula viri docti nobis reliquerunt: non omnia tamen vſque eò vilia, vt non quorundam ſit aliquod pretium, in quibus operam minimè luſiſſe iudicemur. Sed & in illis paruis nō malè prorſus opera ponetur, neque pretium erit nullum vel talia correxiſſe. In quibus eſt quod ordine ſequitur, ſcenâ, *Vbi tu es.*

*Licuaſ audis? vaſcula intus purè propera atq; elue:*

*Filiam deſpondi ego hodie, huic nuptum Megadoro dabo.*

Horum verſuum priore in quibuſdam *pura properè*, magis ſignificanter, vt verbum ſit *pura*, non nomen: niſi tamen ex ipſo etiam *propera* faciendum *properàm*, quod alibi Plauto aliiſque pariter vſurpatum. Altero diſtingues,

*Filiam deſpondi ego, hodie huic nuptum Megadoro dabo.*

Pertinet *hodie* ad poſterius, non prius verbum. Nec enim quia deſpon-

ſponderat illo die filiam, properari neceſſe erat omnia, ſed quia nuptum daturus eodem ipſo. In extremo ſcenæ:

*Nam ecaſtor malum mœrorem metuo ne miſtum bibam.*

fruſtrà laborant quidam, vt mutent hoc *miſtum*. Ego ſimpliciter interpreter, de mœrore non ſimplici. Namque malum imminebat & à filiæ probro, & à tarditate ipſius, ſi vaſa non eluiſſet, antequam rediret ſenex. Interim in voce *mœrorem* ad *merum* alluſiſſe non negem. *Malum* autem *mœrorem* ſolenni epitheto dicit. Moſtellar.

*Ita mali mœroris montem maximum ad portum modò*
*Conſpicatus ſum.*

Vbi diſtinctione quidam nimis hæc imperitè diuellit. Etiam in infortunio & re mala bibendi verbo ſolens vtitur Plautus, quaſi de potione aliqua loqueretur. Caſina;

*Vt ſenex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet,*

Rudente:

*LA. Siccine me ſpernis? CH. ſic ago: ſemel bibo.*

quod illic verè Gulielmius noſter in hunc ſenſum explicauit. Initio ſequentis ſcenæ poſt tertium verſum,

*Vt diſpartitem abſonium hic bifariam,*

alius aliquis certò deeſt, in quo Strobilus de tibicinarum etiam & coquorum diuiſione dixerit, vnde ioci obſcenioris occaſionē horum alter captat, & ſe diuidi velle negat. Aliter enim iocandi nulla anſa. Nam quid ad illum, ſi de ſolo obſonio diſpartiendo præcedat? niſi ſi & coquos & tibicinas in obſonio cēſemus: quo quid putidius erit? Quin apertè de ipſis addere debuit, & addidit prorſus, vti deinde ſe explicans repetit:

*Ei adeò obſonij hinc dimidium iuſſit dari,*
*Cocum alterum, itidemq; alteram tibicinam.*

Quo poſito, iam illud videndum, vter coquorum hic argutetur. Equidem confuſæ illorum perſonæ hac totâ ſcenâ, quas rectè ſingulis locis cupiam ſub proprio nomine diſtributas. Hæc autem nihil eſt dubium Anthracis eſſe:

*Me tu quidem hercle hic tam palàm non diuides.*

Liquet ex Strobili excuſatione,

*Atqui ego iſtuc Anthrax aliouorſum dixeram.*

Sed Strobili huius opprobratio præcedens an ſic, vt magnus Lipſius legendam cenſuit, ſincera?

*STR. Bellum & pudicum verò proſtibulum popli!*
*Poſt ſi quis vellet te, hau, non velles diuidi?*

Mihi non videtur. Et ſenſum vide, neq; negabis, ita potius emendandum eſſe:

*Poſt, ſi quis vellet te, haud nunc velles diuidi.*

Dixerat coquus, nolle ſe nunc in platea tam palàm diuidi: quod ſeruus viciſſim arripiens, Egregiæ verò pudicitiæ proſtibulum;

inquit. quippe qui nunc in publico quidem neges, in occulto poſtea non recuſes. Deinceps eſt:

*Nempe huic dimidium ducis, dimidium domi?*

Vbi *ducis* benè ſanè exponunt per Græcum πέμπεις, quaſi pompam Strobilus duceret, vti reuera duxit. Nā pompa de coquis & culinariis inſtrumentis etiam alibi. Caſinâ:

*Redit eccum tandem obſonatu eius adiutor, pompam ducit.*

Sed & pro quauis alia multitudine & turba. Truculento de munerigerulis:

*Quis homo eſt qui inducit pompam tantam?*

De obſonatu iterum Bacchidib.

*Quò nunc capeſſis tete hinc aduorsâ viâ*
*Cum tanta pompa?*

Vbi *ornatum* in eandem quoque rem bis habet: quam vocem cùm pompa iungit initio Curculionis:

*Quo ted hoc noctis dicam proficiſci forâs*
*Cum iſtoc ornatu cumq; hac pompa Phædrome?*

Hæc, inquam, omnia ſanè benè. At quomodo ferent hîc Grammatici, *ducis domi?* quod ſolent audire *domum*. Quòd ſi quis interpretetur, dimidium domi, ſcilicet eſt; refelletur ſtatim, quia ſequenti primùm ſcena dimidium pompæ & abire & domum ferre ſeruus iubet. Donatus quidem Trinummi iſto loco:

*Pol quamquam domum cupio, opperiar hîc, quam gerat rem:*

manifeſtò *domi* legit. Vnde hoc ipſum habere ſignificationem etiam ad locum videatur. Id ſi eſt, & hîc quoque locum habere poteſt, ego ſanè neſcio. Verùm enimuerò, quid obſecro quærat coquus, an Euclioni dimidium, dimidium domum feratur, cùm hoc ipſum verbis apertiſſimis vix modò Strobilus explicarit? Afferam opinationem veterem meam, cuius neque dum me pœnitet in hunc diem. Arbitrabar à coquo ad ſuperiorem iocum reſpici, quo Diuiſionem & Diſpartitionem Strobili aliter, quàm ille voluerat, in obſcenum ſenſum idem torſerat: vti nunc poſt aliquantam velitationem, cùm dictum ſuum explicuit alter, hic interpretamentum acceptans, de hoc nempe, inquiat, dimidio diuidendo & diſtribuendo loquebaris modò. In eam rem verſum ita reſcribebam:

*Nempe hoc dimidium dixti diuidi modò?*

Iuuant in partem libri, qui *dicis* habent corruptum è *dicſti*, quod æquiualet ſcripturâ τῷ *dixti*, & pro eodem nonnunquam in veteribus reperitur. Quòd ſi quem locutio offendet, *dimidium diuidere*; ſciat ea ipſa Plautum inferius vſum:

*I refer, dimidiam tecum potius partem diuidam,*

Etſi retineri ſanè vox *dimidium* vtrobique poteſt. Nam de mutatione *domi* & *modo*, quæ tam vbique frequens, verbum non opus eſt fieri. In vniuerſum autem qui lectioni vulgatæ patrocinabitur,

bitur, id remittet nobis tamen, vt *domum* ſaltem pro *domi* ſcribamus, donec & in hoc motum ad locum eſſe certioribus exemplis oſtendatur.

## CAPVT III.

*Hoc mitte, mitte ridicularia: & formæ ſermonis ſimiles. Detruſti. Lux & medicina ſæpius Aulularia facta. Emendatio quædam aliena, itemq; explicatio aberrans in viam reducta.*

EAdem ſcenâ, verſuum ſtatim ſequentium poſteriore numeri nutant:

*S T R. Sicut dicis. C O C. quid hic non poterat de ſuo*
*Senex obſonari filiæ in nuptiis?*

Sed facilè fulcrum des ex antiquis inſertione vocis:

*C O C. quid? hic non poterat de ſuo*
*Senex ſuæ obſonari filiæ in nuptiis?*

Diſſyllabum cenſebis τὸ *filiæ*: vt & infrà:

*Vt bene haberem meæ me filiæ in nuptiis.*

Deinde quod vulgatur:

*C O C. Ain' tandem ita eſſe vt dicis? S T R. tute exiſtima.*

magis ex formula ſit, *Ain' tandem? ita eſt vt dicis?* quomodo rectius ſcribi fatebuntur, qui tritas habent aures Comicorum phraſi. Pòſt ibidem:

*S T R. Hoc te mihi, ſicut tibi me æquum eſt credere.*
*C O C. Imo equidem credo. S T R. at ſcin' etiam, quomodo?*

Sic hodiernæ editiones: antiquiores, in quibus Colonienſis, ita:

*S T R. Hac mihi te, vt tibi me æquum eſt, credere, credo.*
*C O C. Imo equidem credo.*

Inde colligebam aliter omninò ſcribendum, & ſic fortaſſe:

*S T R. Hoc mitte. id vt mihi te, tibi me æquum eſt credere,*
*Crede. C O C. Imo equid*

Præceſſerat iocus turpior de gutture inferiore, quem obturarat Euclio, ne quid animæ dormiens amitteret: eum reiiciens ſeruus, Hoc mitte, inquit: at illud crede mihi, vt credere inter nos alterum alteri par eſt. quam orationem occupans alter, Imò equidem credo, inquit: iterumque ille. At ſcin' etiam quid credas & quomodo? Nec enim etiam rem ipſam aut omnia dixi. Quibus in verbis, *At ſcin' etiam quomodo* nihil ad illam minaudi formulam pertinet, de qua ad Amphitruonem. à qua magis demutat alia non inconcinna ipſa quoque, licet haud æquè fortè proba lectio:

*C O C. Imo equidem credo. S T R. at ſcin' etiam? C O C. quid modò?*

Ceterùm *Hac* vel *Hoc mitte*, ſolita in iocis præcidendis formula, vbi progreſſuri longius & in illicitum videntur. Pœnulo, *Hac mitte Aſinar. Mitte ridicularia.* Trinum. *Aufer ridicularia.* Moſtell. *Abſtine ſermonem de iſtis rebus.* Pœnul. *Superſede iſtis verbis.* Et hac fabula iſtâ, *Aufer cauillum.* Et vt hoc quoque rogam: quod ait Stro-

bilus, crede mihi, vt te mihi, me tibi credere æquum eſt; in eo tacite ioci quiddam eſt, ſed ciuilioris. Neutri enim innuit ab altero credendum. Similiter Pœnulo cùm miles Anthemonides poſt narratam hominum volaticorum cædem, interrogat: *An hæc mihi non credis?* vrbanè leno Lycus reſpondet, *Credo, vt mihi æquum eſt credier.* quo rectè, quamquam apertè ſatis, indicat habere ſe tantundem militi fidei, quantum ſibi vtpote lenoni æquum ab aliis ſit haberi. Finem huius ſcenæ à perſonarum vicibus laborantem bene vir doctus de ſuſpicione conſtituit: à quo tamen paululum diſcedimus, in verbis etiam neſcio quid mutantes. Ita enim velim totum locum ſcribi:

*Sed vter veſtrorum eſt celerior? memora mihi.*
*CON. Ego, vt multo melior. STR. Cocum ego, non furem rogo.*
*CON. Cocum ergo dico. STR. quid tu ais? ANT. ſic ſum, vt vides.*
*CON. Cocus ille nundinaliſt: in nonum diem*
*Solet ire coctum. AN. tu trium literarum homo*
*Me vituperes? fur, etiam fur, trifurcifer.*

Vt vni dem hæc poſtrema continuè, cum res monet, tum initium ſcenæ ſequentis, quo deſinere tandem velut a longo conuitio iubetur Anthrax, & dicere potius, vter agnorum ſit pinguior. Sed id ipſum initium vide an non melius ita ſcribas:

*STR. Tace nunc iam tu, atq; ai agnûm horum vter eſt pinguior.*
*ANT. Hic eſt. STR. Tu Congrio eum ſume actutum tibi.*

Scio ellipſin in priore, in altero aſſentiendi formulam per verbum *licet*, vtramq; non malam, ſed alibi potius, quam hîc ferendam. In ea verò ſcena porrò mox ambiguè coquis, vt vtri neſcias, iſta tribuuntur:

*——hercle iniuria*
*Diſpertiuiſti, pinguiorem agnum iſti habent.*

quibus Anthracis omninò præfigendum nomen: quia Congrioni iam erat datus, quem pinguiorem ille iudicarat. Et ibidem paullò poſt:

*CON. ô Strobile ſubdole,*
*Huccine detruſiſti me ad ſenem parciſſimum?*

verſus requirat *detruſti.* Itemque ſtatim, quod adhuc vulgatur

*ST. ſtultus & ſine gratia es,*
*Tibi rectè facere, quando quod facias perit.*

& Gulielmius noſter pridem, & nuperius Donſa F. tentarunt, vterque cum ſucceſſu aliquo, neuter etiam pleno. Ille incipiebat, *Stultus, & ſine gratia eſt, Ibi rectè facere*: hic pergit, *Stultum & ſine gratia eſt*: nos perficiemus, vt non numeris minus, quàm ſententiæ & verbis ſingulis conſulatur:

*Quàm quidquam detur. ST. Stultum eſt & ſine gratia,*
*Te ibi rectè facere, quando quod facias perit.*

Si me-

Si memini ſatis, etiam Amphitruone *tibi* coaluerat ex *te ibi*. Iam quæ deinceps eſt ſcena, *Heus Staphyla*: eius in extremo turbant etiam perſonæ: quando inter alia Strobilo tribuuntur, quæ coquo ipſi Congrioni debent. Vulgò vt fit, vbiq; eſt obuium: hîc, vt reſtituendum cenſeo, apponam ſaltem.

*S T A. Ligna hic apud nos nulla ſunt. C O N. ſunt aſſeres!*
*S T A. Sunt pol. C O N. ſunt igitur ligna, ne quæras foris.*
*S T A. Quid? impurate, quamquam Vulcano ſtudes,*
*Cenæne cauſſa aut tuæ mercedis gratia,*
*Nos noſtras ædes poſtulas comburere?*
*C O N. Haud poſtulo. S T R. duc iſtos intrò. S T A. ſequimini.*

Non aliter eſt, vt ſententia omni ex parte quadret. Ad coquum omninò anus iſta, *Quid, impurate, &c.* quæ fruſtra nititur in Centurionatu vir magnus ad Strobilum accommodare. Nam cui argutium eam probabit, ex coqui mercede partem vendicaſſe Strobilum? Vellem, quam facetè Lambinum refutauit, & doctè alias hoc totum explicauit: tam idem cautè cauiſſet, ne illud excideret ſibi frigidiuſculæ argutationis.

## CAPVT IV.

*Scalpturrire. Peraceſco, Inaceſco. Peracuo. Verba facere ad parſimoniam, ad virtutem. Grauia quædam, & alia leniora huius dem fabulæ menda ſublata. Locus traiectus, Fragmenti ab alio inſerti ſedes commodior oſtenſa. Symmachus etiam emendatus.*

Aptiſſimè ſenſuum ratio conuincit, verſuum ordinem turbarum ſcena *Optati ciues*:

*At at perij hercle ego miſer, aperitur bacchanal, adeſt,*
*Sequitur, ſcio, quam rem geram, hoc ipſus magiſter me docuit.*
*Neq; ligna ego vſquam gentium præberi vidi pulcrius;*
*Itaq; omnes exegit foras me atq; hos onuſtos fuſtibus.*

Horum enim ſanè duo priores claudere ſcenam debent; poſteriores qui nunc ſunt, ſententia cohærent cum ſuperioribus iſtis:

*Neq; ego vnquã, niſi hodie, ad Bacchas veni in bacchanal coquinatũ;*
*Ita me mi erum & meos diſcipulos fuſtibus male contuderunt:*
*Totus doleo, atq; oppidò perij, ita me iſte habuit ſenex gymnaſium.*

vt ſubiicere iam debeas reliquos hac ſerie:

*Neq; ligna ego vſquam gentium præberi vidi pulcrius:*
*Itaq; omnes exegit foras me atq; hos onuſtos fuſtibus.*
*At at perij hercle ego miſer. aperitur bacchanal, adeſt,*
*Sequitur. ſcio quam rem geram: hoc ipſus magiſter me docuit.*

Quamquam & in poſtremo ſimul emendabis *docet*. Aliud enim genus verſuum quatuor extremorum ab iis, qui præcedunt. Hæc nullo verborum apparatu velut digito ſaltem oſtendo: quæ probare prolixius & confirmare non libet apud indoctos; apud doctos nihil eſt opus. Sequente ſcenâ:

*EV. Quia cultrum habes. CON. cocum decet. EV. Quid comminatus*

*Mihi? CON. Iſtuc male factum arbitror, quia non latus fodi.*

Languet in certamine, *quid comminatus mihi?* Itaque attollit alius eiuſmodi correctione: *quid? quod minatus Mihi?* puto audacius: & malim ſine interrogandi nota, *Quin comminatus Mihi*. quaſi dicat Euclio: non id accuſo, quòd cum cultro es, ſed quod eo minatus mihi. Deinceps alia ſcena, *Illic hinc abijt:*

*Vbi erat hæc defoſſa, occœpit ibi ſcalpurire vngulis*

*Circumcirca. quid opuſt verbis? ita mihi pectus peracuit.*

rectius legas *ſcalpturrire*: dubites autem, *peracuit* à *peraceſco* deſcendat potius, vt Lambinus voluit, an à *peracuo*: quorum hoc videatur non diſconuenire, vt dicat, ſtimulaſſe pectus ſuum ſcalpturitione vngularum gallum. Tamen alterum non reiicias, quod magis etiam conueniat, ſi & *ira* ſcribas, nominandi caſu, ſiue auferendi: quamquam nullus hoc ſuadeo, & abſolutè ſcio poni Bacchidib.

*Hoc, hoc eſt, quod peraceſcit, hoc eſt demum quod percrucior.*

Apuleius *Inaceſco* paullò aliter, ſed mehercules eleganter vſurpauit lib. Metam. 5. *Ac ſi tibi etiam, vt par eſt, inacuit noſtra contumelia, conſilium validum ambæ requiramus.* Illa autem Plauti locutio elegans ſcenâ, quæ hanc proximè ſequitur:

*Nimis lepidè fecit verba ad parcimoniam.*

qua Symmachus etiam vſus ep. 56. lib. 4. *Reſpublica in vetuſtatem ſe recepit, & decrepitos mutauère animos, poſtquam vos ad virtutem verba feciſtis.* vbi legendum, *& decrepitos mutauit annos*, alibi & ad ipſum Symmachum docebimus. Et ſimilis eſt iterum Plauti extremo Captiuorum:

*Spectatores, ad pudicos mores facta hæc fabula eſt.*

Sed hìc porrò:

*Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,*

*Caupones patagiarij, induſiarij:*

non concoquo *caupones*, neque poſſum interpretari cum Lambino: neque rurſum audeo mutare, *ſtant ponè*: quod alius videat ſi tentandum. Illîc quidem inferius:

*Iam hoſce abſolutos cenſeas, cedunt, petunt.*

*Trecenti cum ſtant phylaciſtæ in atriis,*

*Textores, limbolarij.*

nihil dubito reſcribere:

*Iam hoſce abſolutos cenſeâs: ecce dum, petunt*

*Trecenti. circumſtant phylaciſtæ in atriis.*

quamquam *cedunt* fortè non interpolandum, cuius vſurpatio tam ſæpe ſcenâ iſtâ frequentata. Mox:

*EV. Compellarem ego illum, ni metuam, ne deſinat:*

malo, *Compellem ego illum.* Ceterùm quod fragmentum è Nonio

Gulielmius reprehenſum in extremo ſcenæ huiuſdem collocat, & cohærere facit iſti verſui:

*Etiam ipſius vltrò debet argentario,*
*Pro illis crocotis, ſtrophiis, ſumtu vxorio:*

videãt alii, nũ commodius interſeri poſſit illis paullũ ſuperioribus:

*Vbi nugigerulis res ſoluta eſt omnibus,*
*Pro illis crocotis, ſtrophiis, ſumptu vxorio:*
*Ibi ad poſtremum cedit miles, æs petit.*

Hic quidem ſi non aptior locus; at æquè aptus, vſq; eò, vt ambiguam faciat alterius poſſeſſionem. Quid? quòd nihil ad argentarium, quibus pro rebus illi debeatur? ad nugigerulos autem facit validè, quod ita contemtim ait, *Pro illis crocotis.* Vltimus ibidem verſus:

*Sed eccum affinem ante ædes. quid ais Euclio?*

mutat leuiter in antiquis, *quid agitur.* Scias *agis*, loco *ais* olim fuiſſe.

## CAPVT V.

*Corrigitur adhuc Aulularia multis locis. Verſus vnius ab exſilio reſtitutio confirmatur. Alia notantur, haud magna admodum rei.*

QVod initio ſcenæ proximæ vulgatur,

*E V. Nimium libenter edi ſermonem tuum:*

nemo niſi inſanus damnet: neq; inſaniat tamen, qui potius *odi*, id eſt *audiuj* ſcriptum ſuſpicetur, quod nunc eſt *edi*, quando Megadorus eodem illo verbo excipit, *An audiuiſti?* Sed hoc tenue, neq; notâ fortè dignum. Ibidẽ ſtatim adhuc fluctuant cõtinui illi verſus:

*M E. An audiuiſti? E V. vſq; à principio omnia. M E. Tamen*
*E meo quidem animo, aliquanto facias rectius.*

quos conſtituiſſe Lambinus ſic planè putat. At mihi, quando alicubi pro *e*, quod ipſum eiiciunt quidam, *&* reperio; id illuc transferendum videatur, ac ſcribendum:

*M E. An audiſti? E V. vſq; à principio omnia. M E. & tamen*
*Meo quidem animo aliquanto facias rectius,*
*Si nitidior ſies in filiæ nuptiis.*

quorum verſuum vltimum fruſtrà ſollicitant etiam nonnulli, *filiai in nuptiis* mutantes. Nam quid eos mouit? Diſſyllabum eſſe *filia* debebant ſcire: quomodo contrahi binis iam antè locis huius fabulæ ſuprà monſtraui. Porrò exulantem hinc verſum rectiſſimè C L. Gruterus in integrum reſtituit: qui præterquam quòd in MS^tis^ omnibus, vt ille ait, viſitur; in editionibus aliquot antiquis etiam retinetur, inter quas & Colonienſi per bonâ meâ ſic leuiter interpolatus, æquè rectus tamen exſtat:

*E V. Illud mihi verbum non placet: quod nunc habes.*
*Tam hic ſcit me habere, quam egomet. anus fecit palam.*

Non lepida quidem eius ſententia tantùm, ſed ipſe ad ſentẽtiam profectò alterius explendam neceſſarius. Mox illum:

*E V. Pol ego te vt accuſem meritò meditabar. M. quid eſt?*

eſt, vade, ſi lubeat, mutes:

*E V. Pol ego vt te accuſem meditor. M. mene tu? quid eſt?*

quamquam vt mutes, nulla te neceſſaria cauſſa cogit. ſtatim;

*Qui mihi intromiſiſti in ædes quingentos coquos:*

cogitabam *intromiſti*, cùm alium video occupaſſe *immiſiſti*. cui lubens cedo. Mox autem:

*Quæ mi interbibere ſola, ſi vino ſcatat,*

*Corinthienſem fontem Pirenem poteſt:*

meritò & rectè diſſentit à Turnebo & Lambino Gulielmius noſter, qui *ſcatet* vulgatum docuit retinendum. Ab hoc tamen alii viciſſim audent diſſentire, & dubium faciunt alterum eius exemplorum, *Nimis hercle inuitus abeo, ſi quid agam ſcio*, in quo legi volunt *ſed*. Hi ex Aſinaria aliud habeant ſibi, quod non euertent:

*——nauteam*

*Bibere malim, ſi neceſſum eſt, quàm illanc oſcularier.*

Illa verò, quæ ſtatim inſequuntur:

*Tum obſonium autem. M E. pol vel legioni ſat eſt.*

*Etiam agnum miſi. E V. quo quidem agno ſat ſcio*

*Magis curionem nuſquam eſſe vllam belluam.*

non placet perſonis ſic diſtingui. Tribuo continenter omnia Euclioni, quod fieri debere ſeries orationis ipſa poteſt demonſtrare:

*Tum obſonium autem pol vel legioni ſat eſt.*

*Etiam agnum miſti, quo quidem agno ſat ſcio*

*Magis.*

Diuulſionis occaſionem ſola vox *miſi* dedit, quam rectè nos in *miſti*, pro *miſiſti* commutamus. Ridicula alterius lectionis explicatio apud Lambinum. In extremo:

*Fides nouiſti me & ego te: caue ſis tibi,*

*Ne tu in me mutaſſis nomen, ſi hoc concreduo:*

ſententia bona eſt, ſed numeri ſuadent, *Ne tu immutaſſis*. Addam huic capiti etiam ex ſcena, *Tu modo caue:* cuius ipſi duo primi verſus tranſponi inter ſe non incommodè poſſint, quod debere tamen nemo iudicârit. Tertio quidem:

*Edepol ne illic pulcram prædam agat, ſi quis illam inuenerit,*

legendum omninò, *ſi qui illam*, numerorum cauſſâ. Et propter eoſdem ex illo inferiore:

*Tua fidei concredidi aurum, in tuo luco & fano modò eſt ſitum:*

tollenda particula *modo*, quam nec agnoſcunt libri veteres Florentinus & Colonienſis. Deniq; vt & hoc moneam, illo:

*Se aulam onuſtam auri abſtruſiſſe hic intus in fano Fidei:*

aut *Fide* liquidò ſcribes antiqua declinatione, aut ipſum *fidei* contrahes tamen in ſyllabas duas, vt rectè verſum metiaris: quod idē facies & infrà:

*Certum eſt, Syluano potius credam, quàm Fidei.*

CAPVT

## CAPVT VI.

*Dare. Conſuetus. Expectare. Præter alia correcta, in verſus iterum vnius ab exſilio, reſtitutione viris doctis aſſenſum; in emendatione eiuſdem ab iisdem diſſenſum. Hic, & alij diligentius explicati. Petronius inſuper emaculatus.*

OCcupauit alius, quod ipſe moliebar, ex editionibus priſcis improbioris ſententiæ verſum in recentioribus omiſſum reſtituere: in quo neq; præuentum me doleo, neq; auctori, doctiſſimo homini, etiam amico, inuideo. Et eſt tamen, quod de eodem poſt hunc ipſum etiam nos dicamus. Vide prius exemplum veterum librorum, ſcenâ, *Foras foras*:

*ST R. Hem quid agis? E V. quid agam? auferre non potes. ST. quid vis tibi?*
*E V. Pone. S T. Dij quidem, pol te datare credo conſuetum ſenex.*
*E V. Pone hoc ſis, aufer cauillum: non ego nunc nugas ago.*

Horum medium loco pulſum reducit V. C L. quem dico, ſic emendatum:

*E V. Pone. S T. equidem pol te datare credo conſuetum ſenex.*

Idem ambiguitatem latere ait in verbo *Pone*, quod Euclioni pro verbo enunciatum, ſeruus accipiat pro aduerbio. De emendatione non valde pugnarim: declarationem penitus non admitto. Latet equidem in eius ambiguitate verbi iocus, non tamen vt aduerbium id capiatur: cuius exempla quæ dat ille, quid huc faciunt? Vtriq; verbum eſt: & ille aulam poni volebat, hîc interpretabatur, quaſi ponere ſe ipſum iuberet, & quod pace dicam honeſtarum aurium, ſubſternere libidini illius. In eam verò mentem legi & aliter poteſt; vel quomodo olim, cariſſimo Bucretio meo, doctiſſimo tum iuueni, nunc viro clariſſimo videbatur:

*E V. Pone. S T. tibi quidem? pol te datare credo conſuetum ſenex.*

vel vt mihi tunc ipſum, nulla ferè diuerſitate, niſi vt *quidem* diuideretur, & duabus vocibus, *qui dem?* ſcriberetur. quaſi hoc diceret: quid aut quorſum me vis ponere? vti ne tibi dem? Verùm, quod nunc demum video, trahet vtroque modo verſus aliquid ſupra menſuram. Igitur nunc, dum accuratius cogito, preſſius inſiſtens veſtigiis priſcæ lectionis, ita potius ſtatuo:

*E V. Pone. S T. Dic quid? pol te dare credo conſuetum ſenex.*

Iubet ſenex aullam, quam nominare non ſuſtinet, ponere: ſimulat ſeruus non intelligere, quid dicat, &, quid ergò poni velit, ſubdolè quærit: mox è re nata iocum captans, obſcenitatis inſimulat ſenem, quaſi ipſe olim impudicus ſe nunc poſtulet impudicare. Quem hic ordinem in reſpondendo etiam ſeruat, & prius quid poni velit, *hoc*, ſcilicet adhuc innominatum, oſtendentis indicat geſtu: deinde cauillum reiicit, & a turpi ioco ad rem ſeriam conuorti iubet. Ita nobis eo de verſu nunc videtur. At hunc etiam qui præcedit, neſcio ſi perſonis rectè interſtinctus. Equidem non incommodè ſic vulgatur:

*ST. Hem quid agis? E V. quid agam? auferre non potes. ST. quid vis tibi?*

mihi tamen placeat hoc modo magis:

*———EV. at illud quod tibi abſtuleras, cedò.*

*Hem quid agis: ST. quid agā? EV. auferre non potes. ST. quid vis tibi?*

Trepido certè ſeni & omnia ſuſpectanti magis conuenerit hoc, *Hem quid agis?* quod in geſtu & actione poſitum eſt totum. Fortè Strobilus vel manum ita commouebat, vt magis occultare inter tunicas velle, quidquid id eſſet, q; ſurripuiſſe putabatur; vel pedē ſtruebat, vt fugam meditari videretur: cùm ſenex id ipſum aut quid ſimile ſuſpicatus, quid agat & moliatur, interrogat: illoque, quid vellet, ignaro, neq; ſtrophæ dum vllius ſibi conſcio, rurſum, quid ſe putaret agere, quærente; quidquid agis, inquit, & quocūq; modo auferre meum hoc cogitas, fruſtrà es, non mitto te manifeſtò nimis deprehenſum. Sed totum illud non erat fortaſſe tanti, cui verborum tantillum impenderetur. Infrà digreſſo ſene, cùm ſolus relictus ſeruus in breui oratione poſtremò ſic ait:

*Tantiſper hic ego ad ianuam conceſſero:*

melius dicere videatur:

*Tantiſper hinc ego ab ianua conceſſero.*

Cum enim egrediente ſene foris creparet, abeundum inde ſibi longius cenſebat, ne reuideretur. Ad fani quidem fores omnis ratio diſſuadebat accedere: niſi aliam dicit ianuam, quod ineptè quis arguetur. Idem ſeruus poſteà, ſurreptâ iam aullâ, cum factum ſuum in ſcena narrat, ita narrat:

*Nam vt dudum hinc abij, multò illò adueni prior,*
*Multoq; prius me collocaui in arborem,*
*Inde expectabam vbi aurum abſtrudebat ſenex.*

In quibus poſtremis neſcio cur ferre nequeant *Indeq;* ſcriptum ſic & in ſcriptis Langianis, & caſis veteribus pleriſque. Numeros fortè dicent: nihil dicant. Per eoſdem ſuprâ an minus idem ſtetit?

*Indeq; obſeruabo, aurum vbi abſtrudat ſenex.*

Deinde *aſpectabam* fecerunt: cur non potius *eſpectabam?* quò magis & ſcriptura vulgata ducit, & ἀρχαϊσμὸς conſuadet, alibi Plauto libenter in ſimilibus vſurpatus. Ego non hîc tantum hoc repono, ſed idem & Petronio redono, in quo pariſſimè corruptum. *Tacentibus adhuc nobis, & ad neutram partem aſſentationem flectentibus, intrauit ipſa vnà comitata virgine: ſedensq; ſuper torum meum, diu fleuit, ac ne tunc quidem nos vllum adiecimus verbum, ſed attoniti exſpectauimus lacrimas ad oſtentationem doloris paratas.* Scribes *eſpectauimus*, quod eſt tamen idem cum *aſpectauimus.* Sed veteres, quorum & Petronius ſæpe imitator, in his talibus *e* molliuſculum præ aſperiore *a* diligebant: quorum exempla non hîc plura congeram, aliò pridem deſtinata.

## CAPVT VII.

*Locus Aulularia magis eximius, à confuſo verſuum & ſenſus ordine grauiter laborans, leui traductione perſanatus.*

Ridicu-

RIdicula trepidatio eſt exanimati ſenis, dum aullam ablatam queritur & quærit. Oratio ipſa luculenta & perſpicua: in qua tamen, aut ego vehementer fallor, inſignem traiectionem deprehendo. Vide, oro te, ſeriem hanc vulgatam:

*EV. Perij, interij, occidi! quò curram? quò non curram?*
*Tene, tene: quem? quis? neſciò, nihil video, cæcus eo, atq;*
*Equidem quò eam, aut vbi ſim, aut qui ſim, nequeo cum animò*
*Certum inueſtigare. Obſecro vos ego, mihi auxilio,*
*Oro, obteſtor, ſitis, & hominem demonſtretis, qui eam abſtulerit.*
*Qui veſtitu & creta occultant ſeſe, atq; ſedent, quaſi ſint frugi.*
*Quid ais tu? tibi credere certum eſt. nam eſſe bonum è vultu cognoſcò.*
*Quid eſt? quid ridetis? noui homines, ſcio fures eſſe hic complures.*
*Hem nemo habet horum? occidiſti. dic igitur, quis habet? neſcis?*
*Heu me miſerum! miſerè perij, malè perditus, peſſimè ornatus eo.*

Si legiſti accuratius, ecquid hîc offendiſti? Me quidem ſæpiuſculè relegentem ille verſus offendit maximè:

*Qui veſtitu & creta occultant ſeſe, atq; ſedent, quaſi ſint frugi.*

Etſi enim ſententiæ per ſe bonæ (vtcunq; de ea variet & hallucinetur vir magnus in Electis:) non habet tamen cui cohæreat. Habebit autem, ſi traducatur non ipſe quidem, ſed alius inferior, qui præcedere hunc debebat. Illum dico:

*Quid eſt? quid ridetis? noui homines: ſcio fures eſſe hic complures.*

cui ſubiungendũ iſtum alterũ tam mihi certum eſt, q̃ me calamũ hunc tenere. Sed deſcribam tibi rurſum pleroſq; omnes ordine, vt magis cum hanc aptiſſimam connexionem, tum reliquam ſeriem totam pulcherrimo nunc demum orationis & ſententiarum curſu limpidi liquidiq; amnis inſtar videas fluentem:

*——obſecro vos ego, mihi auxilio,*
*Oro, obteſtor, ſitis, & hominem demonſtretis, qui eam abſtulerit.*
*Quid eſt? quid ridetis? noui homines: ſcio fures eſſe hic complures,*
*Qui veſtitu & creta occultant ſeſe, atq; ſedent quaſi ſint frugi.*
*Quid ais tu? tibi credere certum eſt. nam eſſe bonum è vultu cognoſcò.*
*Hem, nemo habet horum? occidiſti. dic igitur quis habet? neſcis?*
*Heu me miſerum! miſerè perij, malè perditus, peſſimè ornatus eo.*

Hæc iam etſi declaratione non egent, tamen vt rudibus & præfractis quibuſdam ſatisfaciam, tria ſaltem etiam verba faciam. Quærebat Euclio furem, & demonſtrari eum ſibi in ipſa cauea petit. Quem cum ſpectatores mirari & ridere viderentur, qui inter ipſos furem eſſe inſimularet: nihil eſt, quod rideatis, inquit: nec ego vel inſanio, vel fruſtrà quæro. Noui vt morati homines ſint: ſcio complures inter vos, qui ſub hominum frugi ſpecie fures occultant, veſtitu honeſto & togis luculenter incretatis ſplendidiſq; perſonam quantiuis pretii mentientes, extrorſum cādidi, intus atra pice nigriores. Dehinc ad vnum aliquem conuertitur: & te tamen, inquit, bonum eſſe iudico, qui fidem rectè habeam.

quæſo te, demonſtra mihi, ſi ſcis. quid ais autem: nihil reſpondes? nemo eſt horum, qui habeat? Hic abnuiſſe cum videretur, occiſum ſe clamat, & vrget tamen porrò, donec fruſtra interrogando fatigans & fatigatus ad querelas & lamenta recidit, eiulatu caueam totam complens. Quid liquidius nunc & elegãtius? Omnis ars diuinandi falſa, imò nulla prorſus ars, ſi non iſthæc diuinatio vera: quam ingenuè fatebor non mihi tantùm, ſed & alii ſubueniſſe, doctiſſimo iuueni, cuius amici mihi quondam in Italia libenter vſurpo memoriam hoc etiam loco, quam vbique mecum iucundiſſimam mihi circumfero, nunquam dum vixero, neq; niſi cum Plauti ipſius & horum ſtudiorum memoria depoſiturus. Is Carolus Piſo Lotharingus eſt, Philoſophiæ ac Medicinæ cognitione exquiſita iam tum præditus, & amœnioribus hiſce literis iuxta mecum deditus: cum quo Patauii familiariter agens a grauioribus illis ſtudiis ad Plautum noſtrum ſæpe diuertebar: inque eo cùm alter alterum erudientes ad hunc locum perueniſſemus, ſubſtitimus vterque: nec expedito, ampliauimus deliberaturi ſeorſim: tum proxima congreſſus vice coniecturam attulimus vterque prorſus hanc, quam expoſui, eandem. Quod & fidei & amoris cauſſa nolui tacere.

## CAPVT VIII.

*Apud, ob. Onerare gaudiis. Modò quod. Traiectionis in Plauto frequentis exemplum aliud inſigne. Plures ad hanc fabulam emendationes cum locorum ipſorum explicationibus.*

CRebriores omnino, quàm quiſquam opinetur, certê hactenus eſt vix vllus ſuſpicatus, in Plauti Comœdiis verſuum, & horum ſæpe aliquot iunctim etiam, traiectiones: quarum exempla & dabimus vbiq; deinceps luculenta, & dedimus in ſuperioribus quædam non obſcura, proximo certè capite vel omnium luculentiſſimum vnum: cui non abſimile iam nunc in hoc quoque proponemus. Scena ſequente: *Quis homo hic:*

*EV. Niſi refers. LY. quid tibi ego referam? EV. quod ſurripuiſti meum.*

*Iam quidem ad prætorem hercle te rapiam, & tibi ſcribam dicam.*

Priore verſuum horum ἀποσιώπησιν eſſe notant, *Niſi refers.* Non negem in iis verbis eam vel eſſe poſſe, vel eleganter etiam poſſe: tamen eſſe hoc in loco nego, imò pernego prorſus. Inuerte verſuum ordinem, & poſteriorem ſcribe prius:

*EV. Iam quidem ad prætorem hercle te rapiam, & tibi ſcribã dicam,*

*Niſi refers. LY. quid tibi ego referam? EV. quod ſurripuiſti meum.*

Vbi iam ἀποσιώπησις, quam fecerant? Ordinem ſic mutandum cùm ipſa verborum ſtructura & ſententiæ ſequela in his, tum ſequentis etiam verſus connexio demonſtrat. Iſta enim interrogatio Ly-

tio Lyconidis, *Surripui ego tuum*? pendet ab Euclionis hac aſſeueratione, *Quod ſurripuiſti meum*: quam proximè, &, vt loquuntur, immediatè neceſſum eſt præceſſiſſe. Plura argumenta rei tam perſpicuæ non dicam. Sequitur ibidem:

*——E V. ita te amabit Iuppiter,*
*Vt tu neſcis. L Y. niſi quidem tu mihi, quid quæras, dixeris.*

Hic per interrogationem efferri debet adiurandi formula, quam Lyconidi Euclio præit: quod & ipſum nimis manifeſtum verbo monuiſſe ſat eſt. Etiam illic leuiter noto:

*——L Y. neq; edepol ego dixi, neq; feci. E V. negas?*
*L Y. Pernego, immò neq; ego aurum, neq; iſta aula quæ ſiet*
*Scio.*

diſtinguendum ita, *L Y. Pernego imò: neq; ego aurum*: fortè & ſcribendum, *neq; iſtam aulam*. Sed dum reſpicio, ſcenæ huius initio præteriſſe me video, quod notari etiam mereatur. Ipſum enim initium libri omnes hodie ſic concipiunt:

*E V. Quis homo hic loquitur? L Y. ego ſum. E V. imo ego ſum miſer, & miſerè perditus,*
*Cui tanta mala mæſtitudoq; obtigit:*

neſcio quo auctore: ſed ineptè, hoc ſcio; itemq; alterum, contra veteres editiones. Eæ ſic habent:

*E V. Quis hic loquitur? L Y. ego ſum miſer. E V. imo ego ſum miſer & miſerè perditus.*

Illud omnino rectè, quod vocem *miſer* Lyconidi aſſignant: quam ille certò prior emiſit, vnde ſenex excipiens ſe miſerum potius quiritatur. At verſus exorbitat eâ receptâ. Scin' quid facias? Euclioni eandem eripe, ne bis ſcribas, quæ per ſe nec iterata ſubintelligitur tamen. Ego audacter lego:

*E V. Quis homo hic loquitur? L Y. ego ſum miſer. E V. imò ego ſum, & miſerè perditus.*

Conſcius ſibi Lyconides facinoris ſui, trepidanſque in aduentum ſenis, apud quem deprecari culpam & volebat & neceſſe habebat, illo, quis tam prope loqueretur, interrogante, conturbatus iam magis, ego ſum, inquit, ego miſer ille: quo audito ſenex, imò ego ſum, ſcilicet miſer, neq; miſer tantum, ſed & miſerè perditus omninò. Sed & illud obliti ſumus eadem ſcenâ pòſt:

*E V. At ego Deos credo voluiſſe, vt apud te me in neruo enicem.*

In quo cauſſam non video, cur apud Lyconidem ſe dicat enecaturum. Si nulla eſt, videatur *apud* mutandum hìc in *ob*, vti contrà mutauit hoc alibi ſæpiſſimè in illud: quippe quæ & ſignificationem inuicem communicent. *Ob te* fuerit, propter te, tua cauſſa. Leuis tamen hæc ſuſpicio eſt, in qua nihil, niſi imperitiæ mantellum, vt ſolemus, quærimus. Etiam proximè ſuperioris ſcenæ verſum vltimum illum

imprudenter neglex imus præ nimiâ ſcilicet feſtinatione:

*Quid agam? abeam an maneam? an adeam an fugiam? quid agam edepol neſcio.*

cui detrahes vno loco ter eandem repetitam particulam *an*, vt bis ſaltem exprimatur: *abeam, an maneam? adeam, an fugiam?* Vult hoc ſermonis elegantia & concinnitas ſtructuræ. Iam poſtremam quoq; ſcenam, non à Plauto quidem illam, ſed à temporis iniuria poſtremam abſoluamus. Eius primo verſu:

*Di immortales, quibus & quantis me donatis gaudiis?*

quis Latinum aut Plautinum etiam neget, *donare gaudiis*? Comicum tamen ſit magis, quod cum dico, Plautinum eſſe magis per ſe ſimul intelligitur, *onerare*, nec ego quidquam ferè dubito, ſic hîc ſcriptum, *med oneratis gaudiis*. Exemplorum huius ſeges eſt. Captiuis:

*Sed ego ceſſo hunc Hegionem onerare lætitia ſenem?*

Ibidem:

*Ita hic me amœnitate amœna amœnus onerauit dies.*

Milite Glor.

*Es, bibe, animo obſequere mecum, atq; onera te hilaritudine.*

Sticho:

*Itaq; onuſtum pectus porto lætitia lubentiaq;.*

Ibid.

*Noſmet potius oneremus viciſſatim voluptatibus.*

Terent. Phorm.

*O fortuna, ô fors fortuna quantis commoditatibus,*
*Quam ſubitò hero meo Antiphoni ope veſtra hunc onerastis diem!*

Sed quid pergam? omnes in hanc ſententiam tanquam de onere plerumq; loquuntur. Eâdem:

*LY. Vbi id eſt aurũ? ST. in arca apud me. nunc volo me emitti manu.*

tranſponi verba verſus poſtulat, qui iambum in fine non admittit. Scribo, *nunc volo manu me emitti*. Ad finem:

*Redde inquam, vt huic reddatur. ST. ab vnde? LY. quod modo faſſus es eſſe*
*In arca. ST R. ſoleo hercle ego garrire nugas, ita loquor. LY. at ſcin' Quomodo?*

Efficacius ſit, *quin modò faſſus es*: niſi traducere malis, *modò quod*, id eſt, vix iam: de qua forma locutionis ad Aſinariam Gulielmius noſter, cum gemina vulgatiore altera, *tantum quod*, rectè eam conferens. Deinceps ibidem, *ita loquor*, habes, pro quo qui volet, *ita iocor*, legat: ego non mutabo.

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI CAPTIVOS

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD

Magnificum, nobiliſſimum, & ampliſſimum virum

IOAN. WOLFGANGVM FREIMONIVM IN MYLFELDA ET OBERNHAVSEN, Sac. Cæſ. Mai.à Conſiliis ſanctioribus, & Scriniorum ſacrorum Præfectum.

AMO *vbiq; verecundiam & modeſtiam naturâ: in ambienda clarorum hominum notitia & amicitia paranda non amo quadam inſtitutione. Sic enim ſum edoctus, ad tales viros, qui quoquomodo conciliati & decori eſſe poſſint & præſidio, non arte tantùm omni irrependum, ſed penè vi quoq; irrumpendum, nec vſquam meliore damno frontem poni, aut iacturam pudoris eſſe lucroſiorem. etſi neq; hic exuere aut excutere poſſum ego naturam, nec præcepta eiuſmodi planè ſequi, reluctante ſemper ingenua pudoris ignauia & pertinaci tarditate frontis: cuius igitur imbecillitati ſic conſulo, vt non affectem, niſi quorum obuia humanitas vltrò alliciat, & ad ſe vocet hæſitantem. Quod in te eſſe, mihiq; euenire nunc verè poſſum affirmare, Vir Magnifice: cuius amplitudo ac dignitas vt audaciſſimum quemuis abſterrere poteſt, ita comitas inuitat omnes, & animum timidiſſimo facit illa tui animi propenſio & facilitas voluntatis. Ac me quidem illâ non tam allici ſentio*

*& inuitari, quàm duci & rapi: cum ipſe curro interim & approperо magis, agitatus ſtimulis variæ cohortationis ab amicis, magnis illis & doctiſſimis hominibus, quorum familiam nobiliſſimus ampliſſimuſque vir* Io. Matthævs Wackervs, *Sac. Cæſ. Mai. Conſiliarius, atque idem Illuſtriſſimi Reuerendiſſimiq; Principis ac Domini, Epiſcopi Vratiſlau. Cancellarius ducit: qui tuas mihi & has & maiores alias virtutes ita deprædicant, ſimul & ipſum me inſtigant pluribus argumentis, vt acquieſcere non antè poſſim, quàm tuum conſequutus amorem, in quo & mihi ornamentum, & ſtudiis adeò meis habeam munimentum. At dum viam ad te quæro, conſilium iidem ſubiecerunt, vt quemadmodum vites ſibi fulturas ac pedamenta quærere videmus, auxilio quorum ſurrigantur, eaq; clauiculis quibuſdam quaſi captare: ſic ego quando in manibus haberem neſcio quid libri, quem eſſem editurus, eius adminiculo eniterer ad notitiæ tuæ arcem. Intellexi, quid vellent, ſtatim, ac ſum ſecutus, inſcriptâ nobiliſſimo tuo nomini Commentatione in Plautinam nobilem Comœdiam ignobili noſtrâ. Quod tu factum, Vir Ampliſſime, non reprehendes, & hunc tenuem libellum fungi patieris officio Conciliatoris: cuius operâ quamquam inuitus vterer, qui te cogitarem tam magnum virum maiori, & in illuſtri poſitum dignitate dignioris argumenti ſcripto adeundum: tamen vſus eò ſum facilius, quòd audirem, iſtud etiam ſtudiorum genus à te amari, literatoſq; ex hoc ordine diligenter & honorificè foueri. Audiebam hoc, & credebam; libenter vtrumq;: conijciebam etiam tacitus apud me facillimè, non aliter eſſe poſſe, quando tam diu in Italia, & verò in Gallis, vbi literæ iſtæ præcipuè, & tam familiariter illis cum hominibus vixiſſes, qui literarum iſtarum laude non minus, quàm altiorum diſciplinarum gloria floruerunt, hodieq; magnam etiam partem florent. Et quamuis ab eo tempore peregrinationibus aliis per Europam attentus, mox ad res gerendas in ſupremum ſacri Imperij tribunal Spiræ Iudex adlectus, inde in ipſam auguſtiſſimi Imperatoris aulam Senator & Conſiliarius accerſitus, in qua nunc ſummi gradum honoris, bo-*

*ris, bonis omnibus plaudentibus & congratulantibus adſcendiſti, ſanctiſſimos intra Cancellos ſacra ſcrinia religioſiſſimè curans, occupatior fuiſti ſemper, & nunc autem es maximè, cum quidquid arduum in tanta Imperij mole vndecunque imminet, in tuos vnius humeros, humeros fide & robore ſpectatos, potiſſimum reclinatur: etſi igitur inquam occupatior es & fuiſti, quàm vt reſpicere ad hæc vel adeò meminiſſe talium videaris: tamen alienum prorſus ab iiſdem non fuiſſe te nec eſſe mihi perſuadebam & ex aliis, & illa maximè ratione, quod in quibus illa ſunt, eos amas adhuc conſtanter, & quibus potes, quibus autem iam non potes? beneficiis ornas. Inter quos ſi me quoq; non tueri nunc dicam, ſed tueri aliquando poſſe aliquem locum iſte libellus, quem quaſi pararium ad te mitto, fidem ſeueriſſimo atq; integerrimo iudicio tuo fecerit; accenſebis eorum numero me quoq;, & à iugi beneuolentiæ beneficentiæq; tuæ fonte riuulum aliquem in arentia & ſicca ſtudia noſtra deduci ſines: quæ irrigata refectaq; ſi creſcent ac matureſcent ad optatam frugem ſub patrocinio tuo, non oblita per quem creuerint maturuerintq;, eidem frugem omnem debere ſe ſuam fatebuntur & grato ſemper animo prædicabunt.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI CAPTIVOS

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Alius & alter ſibi inuicem ſuppoſita. Mutare quid aliqua re. Ad Captiuos ventum. Ii pluſculis mendis liberati. Traiectio mira verſuum aliquot ex ſcena prima in ſequentem. Ordo legitimus ex œconomia fabulæ reſtitutus.*

EXimia inter Plauti fabulas eſt hæc, quam nunc ingredimur, CAPTIVI: cui profectò, quod ipſe dicit, expedit operam dare, propter argumenti caſtitatem maximè, &

puram (qualem quo ſenſu Heautontimorumeno etiam ſuæ tribuit Terentius) orationem. Eius adeò ipſo Prologo gloſſa ſubrepſit in locum germanæ vocis, cuius reſtituendæ nobis ex Perioche copia, quæ deperditæ indicium & ipſa fecit. Ita vulgant:

*Seni huic fuerunt filij nati duo,*
*Alterum quadrimum puerum ſeruos ſurpuit.*

Non dicam à verſu repudiari hîc *alterum*, quod ille non ſanè reſpuit omnino, nec quidquam aliud afferam cauſſæ, cur germanum non ſit, mihi quia in Argumento non idem ſcriptum eſt eo verſu:

*Alium quadrimum fugiens ſeruos vendidit.*

Inde ſcilicet & hîc *Alium* reponendum, quod *alterum* interpretandum. Quid hoc rationis? inquies. nimium. Alibi ſuprà docui, periocharum verſus ex ipſis Comœdiis plerumque petitos, aut adumbratos indidem certè: quod hîc quoque factum nemo auſus fuerit inficiari. Manifeſtius enim eſt, quam vt negari poſſit. Quando igitur *alium* illîc; idem hîc, vnde petitum, fuiſſe ratio vincit. Vt *alius* autem pro *altero*, ſic *alter* contrà pro *alio* interdum reperitur. Exempla illius in Plauto crebra, bina quidem in perioche hac ipſa; huius è Claudiano memini nunc vnum, Paneg. 4. in Conſul. Honor.

*Altera Romana longè rectoribus aula*
*Conditiq;*

Deinceps in Prologo poſt multa ſequitur:

*Et quoniam heri indandiuit, de ſummo loco*
*Summoq; genere captum, etiam equitem alterum,*
*Nihil pretio parſit, filio dum parceret.*

Quorum medio verſu reſcripſit item Lambinus *Alium* pro *alterum*, non eo tamen, quo nos iam, ſenſu, neque ſcio ſatiſne rectè. Mihi ſuſpectum etiam *equitem*; & vereor ne legendum potius, *etiamq; item alterum*: vt duos dicat, ſummo quendam genere, itemque alterum, non ita nobilem ſcilicet, & viliorem: quod verum erat. Atq; omnino locutum non de vno, mox ille ſequens oſtendit verſus:

*Emit hoſce de præda ambos de quæſtoribus.*

Hæreo tamen etiam, & oſtendo potius mendum quàm tollo. Prologi fine;

*Abeo. valete iudices iuſtiſſimi,*
*Domi belliq; duellatores optumi.*

Peccat in ſenſum diſtinctio. Quî enim domi eos dicat bonos bellatores? imò iuſtiſſimos iudices domi vult, & belli optimos duellatores. Itaq; interpunge hoc modo:

*Abeo. valete iudices iuſtiſſimi*
*Domi, belliq; duellatores optumi.*

Primâ ſcenâ, ad ipſum ferm finem:

*Homines captiuos commercatur, ſi queat*
*Aliquem inuenire, ſuum qui cum mutet filium.*

Peccat lectio in verſus & Latinitatis rationem. Neque enim vel hæc, vel ille fert additam præpoſitionem *cum*. Mutare quid aliquo rectè ſaltem, aut permutare aliquid cum vel pro aliquo etiam dixeris: quas locutiones peſſimè quidam aduerſus Iuonem quendam confundit, & exemplis ineptiſſimis barbariem ſuam putidè tuetur: homo, qui male coram acceptus à me ter maximi Scaligeri nomine, hîc etiam meritiſſimo ſuo vapulat, & à doctis boniſque omnibus ſacer violatæ Scaligerorum famæ deuouetur. Sed idem id vitium hæret etiamnum in Prologo, quod indicare non obliti ſumus, ſed diſtulimus, vt vtrumque locum iungeremus. Ibi ſic:

*Cœpit captiuos commercari hîc Alios,*
*Si quem reperire poſſet, cum quo mutet ſuum.*

Tu *cum* pariter dele, quod nec hîc menſura verſus ferre poteſt: à qua ſola mirum eſt non alios admonitos pridem ſuſtuliſſe. Non addidit Plautus infrà certè:

*Hoc illum me mutare confido fore.*

Poſt illos autem, de quibus agebamus, primæ huius ſcenæ verſus, alii pluſculi ſequi debent, in ſcenam ſequentem peſſimo librariorum facinore reiecti. Quid miraris? quaſi non idem alibi factum. Factum hercle, neque ſemel. quod ſuis locis opportunè demonſtrabo. Nunc mihi vide, an hæc retracta & conglutinata viciſſim à me debuerint ab aliis diſtrahi & diuelli.

*Nunc hic occœpit quæſtum hunc filij gratia*
*Inhoneſtum, maximè alienum ingenio ſuo.*
*Homines captiuos commercatur, ſi queat*
*Aliquem inuenire, ſuum qui mutet filium.*
*Quod ego quidem nimis quam cupio, vt impetret.*
*Nam ni illum recipit, nihil eſt quò me recipiam.*
*Nulla eſt iuuentutis ſpes, ſeſe omnes amant.*
*Ille demum antiquis eſt adoleſcens moribus,*
*Cui nunquam voltum tranquillani gratijs.*
*Condignè eſt pater eius moratus moribus.*
*Nunc ad eum pergam. ſed aperitur oſtium,*
*Vnde ſaturitate ſæpe ego exij ebrius.*

Si quid ſapis, lector, hæc in hunc modum cohæſiſſe per te iudicabis; ni es inuidus, mihi non negabis. Quàm verò aptè iunctim hîc leguntur, tam ineptè ſcenâ proximâ inſeruntur, eo quidem loco, qui interrumpi aliena interlocutione nec ipſe prorſus vlla ratione debet. Continuus enim & continuandus omnino Hegionis ibi ille ſermo.

*HEG. Ita vt dicis. nam ſi* (non, *ne*) *faxis, te in caueam dabo.*
*Sed ſatis verborum eſt. cura quæ iuſſi, atque abi.*

F 3

*Ego ibo ad fratrem: ad alios captiuos meos*
*Viſam ne nocte hac quippiam turbauerint.*
*Inde me continuò recipiam rurſum domum.*

Poſt quę demum verba, tacente iam Hegione & viam ineunte, Paraſitus in proximo ſtans eum miſeratur, & exauditus ab eo ſtatim, deinceps colloquitur. Ita vult Oeconomiæ ratio, quam qui conſtare aliter putat, cum eo rei mihi nihil eſſe volo, nec ipſi quidquã cum his Diuinationibus meis.

## CAPVT II.

*Emin' tu? Commetare. Locus difficilis vnus, alij leuiores emendati & illuſtrati.*

SCenâ, vnde irreptitia modò expulimus, non malè cuditur iſtud porrò:

*HEG. Non pol mirandum eſt fugitare hanc prouinciam,*
*Multis & multigeneribus opus eſt tibi*
*Militibus:*

tamen vix eſt, quin melius *ibi* legas pro *tibi*: itemque paullò pòſt idem pro eodem

*Iam maritumi omnes milites opus ſunt tibi.*

Nam *ibi* venuſtius exponas in ea prouincia: quamquam, vt dico, non repudio vulgatum. Inferius certò legendum:

——— *HEG. ſed ſi pauxillo potes*
*Contentus eſſe. PAR. ne perpauxillum modò.*

Neque enim accipies nunc *eſſe pauxillum*, pro edere. Iam ſtatim locus difficilis excipit, in quo multi tam fruſtrà, quàm anxiè laborarunt:

*HEG. Nam iſtoc me aſſiduo victu delecto domi.*
*PAR. Age ſis roga. HEG. emtum, niſi qui meliorem afferet.*
*PAR. Quæ mihi atque amicis placeat conditio magis?*
*Quaſi fundum vendens meis me addicam legibus.*

Nota, quæ hîc Turnebus, quæ Palmerius, alii. Nam Lambinum mittamus, qui nihil mutans, explicatione tortuoſa locum totum inuoluit. Mihi (pudenter & modeſtè dicam) nec verba ſana omnia, nec perſonarum collocatio videtur. Quî enim iſte verſus Hegioni conuenerit?

*Nam iſtoc me aſſiduo victu delecto domi.*

qui manifeſtò paraſiticus eſt, & continenter ab Ergaſilo cum ſuperiore dimidio pronuntiandus. At præcipua turbarum origo illud *emtum:* quod corrigo decenter, *emin' tu?* locumque integrum ſic refingo:

*PAR. Facetè dictum. HEG. ſed ſi pauxillo potes*
*Contentus eſſe. PAR. ne perpauxillum modò.*
*Nam iſtoc me aſſiduo victu delecto domi.*
*HEG. Age ſis, roga. PAR. emin' tu? HEG. niſi qui meliorẽ afferet.*

PAR.

*PAR. Quæ mihi atq; amicis placeat conditio magis?*

Conſtabant & perficiebatur vt alii contractus, ſic & emtio interrogationibus & reſponſionibus: de quibus Palmerius ad hunc locum eruditè. Quando igitur in animo habebat Hegio obnoxium ſibi facere venalem paraſitum, iubet eum interrogare palam, an emtorem ſe profiteatur? Is interro●t, *Emin' tu?* reſpondet alter, *Emo*; cum additiuncula ſolita, niſi quidem alius conditionem attulerit meliorem. Negat ille reperiri poſſe aut curare meliorem vllam: atque ita ſe protinus addicit. Similis ferè locus Sticho, vbi Gelaſimus emtorem logis ſuis quærit, anxiis & aſſiduis interrogationibus:

*Logos ridiculos vendo: agite, licemini. —*
*Qui cœna poſcit? ecqui poſcit prandio?*
*Hercules te amabit prandio? cœna tibi?*
*Ehem annuiſtin'? nemo meliores dabit.*

in quibus menda etiam nõ parua, quam videbimus an tollere poſſimus ſuo loco. Deinceps qui verſus eſt,

*Quaſi fundum vendens meis me addicam legibus:*

eo legendum fortè non *meis*, ſed *eis*: liquidiore ſententia tali. Ita me, id eſt, iis legibus, ſeu illo ritu meipſum addicam, quaſi ſi fundũ venderem. Non enim fert peculiares de ſe leges aut conditiones: tantùm quo more fundi & alia ſolent, eodem ſemet vendit. Alij tamen hoc viderint. Illo autem:

*Nam meus ſcrupoſam victus commeat viam:*

nihil dubito, quin veteres libri verius *commetat*: quod probum ex antiquitate verbum. Nouius apud Nonium:

*——— cur ad lupam*
*Noſtram tam multi crebro commetant lupi?*

Item Afranius: *Quò tu commetas? vbi conſeſſus deſides?*

## CAPVT III.

*Seruitus herili imperio aut ingenio fera. Coaddere. Fuga officium ſeruile. Fugam fingere. Commentis quibuſdam aliorum refutatis, aliquoties hac fabula Plautus cum locorum illuſtratione corrigitur: ſemel item Lucillius. Rurſum in Plauto turba ac tenebræ à perſonarum mutatione, forſan & lacuna, ſine emendationis ope, ſaltem indicata.*

ELegans & ſapiens admonitio eſt, quam Lorarius ſequente ſcena captiuis nouitiis præit:

*Nunc ſeruitus ſi euenit, ei vos morigerari mos bonus eſt,*
*Eamq; herili imperio ingeniis veſtris lenem reddere.*

Eadem verbis expreſſa valdè illuſtribus: niſi quòd ſubobſcura iſtorum ſtructura, *herili imperio*, quæ Lambinum mouerunt vt mutaret:

*Atque herile imperium ingeniis veſtris lene reddere.*

Nimis ille quidem licenter: nec abeſt tamen, quin ad complanandam orationem debeat aliquid mutari. Nos iſta relinquimus, & pro *Eamq;*, facimus *Feramq;*. Seruitus herili imperio dura & cruda placidis ſeruientium ingeniis mitigatur. Quamquam & pro *imperio* cogitaui quondam *ingenio:* quæ locutio elegantior, & Liuianæ iſti gemina: *Sed curauit Conſulibus & ſenioribus patrum, vt imperium ſuo vehemens manſueto permitteretur ingenio.* Qui locus ab hoc neque ſententia prorſus diſſidet, & magis conuenit ille Curtii lib. 8. *Regum ducumq; clementia non in ipſorum modo, ſed etiam in illorum, qui parent, ingenijs ſita eſt. Obſequio mitigantur imperia.* Sequitur ibidem verſus:

*LOR. Eiulatione haud opus eſt, oculis multam miſeriam additis.*

qui & variè exercuit alios, & ipſe viciſſim exercitus eſt ab illis. Vt alia mittam, eſt qui *muſtam miſeriam*, ſunt qui *cuditis*, vt in antiquis, vel *accuditis* ſcribant. Hoc poſtremum vt probent, alius prouerbiale illud affert, *In te iſthac cudetur faba:* alius locum ex Moſtellaria, vnde & huius explicatio ſit petenda. quippini? iunctim ibi de dolore oculorum agitur, & nummorum cuſione. Nimium ſubtiles, imò futiles nugæ. Quid igitur verbi aliud fuit? inquies. Si licet & mihi dicere liberè, nihil fuit niſi *coadditis*. Id inſolentius hærere librarios fecit, qui pro ſuo inde captu hic *cuditis*, ille *additis* emendarunt. Vſus eo tamen alibi Plautus, ſi rectè Gulielmius noſter diuinauit. Caſinâ:

*Cano capite, ætate aliena, coaddito ad compendium.*

Sed ille verò rectè; & eadem formâ Curculione diſertim auctor, *Pro ijs decem coaccedunt minæ.* Poſt pauca non eſt mendoſum illud:

*CAP. Quid à nobis metuit? ſcimus nos*
*Noſtrum officium quod eſt, ſi ſolutos ſinat.*

Nam *eſt*, Plauti more pro *ſit* poſitum; cuius exempla ad Aululariam dedi. Procliue tamen id in hanc mutationem,

*——ſcimus nos*
*Noſtrum officium quoque, etſi ſolutos ſinat.*

Officium autem id, quamquam per ambiguitatem hoc loco, fuga eſt, quæ Aſinariâ palam ſeruile officium dicitur:

*Quin tu tuum officium facis ergo ac fugis?*

Itemque Pœnulo:

*AG. Fugio. MI. meum eſt iſtuc magis officium, quàm tuum.*

Officium ergo pro more, & eo quod quis facere ſolet. Ita enim & Ciſtellariâ, conquiniſcere puerile officium vocatur, quod quale ſit, illic potius dicatur. In proximo verſu:

*LOR. At fugam fingitis, ſentio quam rem agitis.*

venuſtè Gulielmius noſter *fingere* moliri interpretatur, vt Nonius etiam parare, ex quo Lucillii exemplum depromſit:

*Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus.*

quod in numeros ego reponam:

*Sed fuga fingitur, ac timido pede percitu' vadit.*

Illa deinceps:

*LOR. Fiat, abſcedite hinc, nos concedamus huc.*
*Sed breuem orationem incipiſſe.*
*PHI. Hem iſtuc mihi certum erat, concede huc.*
*LO. Abite ab iſtis.*

malim ita legere:

*PHI. Enim iſtuc mihi certum erat. LO. concedite huc, abite ab iſtis.*

Quæ dehinc ſequuntur, mirificè turbata ſunt, non tam quod ad verba tamen & verſus ipſos, quamquam hi ſanè confuſiſſimi; quàm quod ad diſcrimina perſonarum. Accuratius enim ſi legas, neſcias quid ſeruo, quid hero potius tribuendum. Ea difficultas & tenebræ ortæ ex ſimulatione & permutatione perſonarum inter ipſos. Alicubi etiam lacuna non minima ſe prodit, ante illum verſum nempe:

*TYN. Quod tibi ſuadeo, ſuadeam meo patri.*

Præceſſiſſe enim, certè debere videntur aliqua, quibus gradus fiat ad eum ſermonem, quo herus contrà ſeruum moneat, vti ſeruus anteà monuerit herum. Sed quibus opis afferre nihil poſſumus, de iis fruſtrà neque verba ſic faciamus.

## CAPVT IV.

*Compos aliqua re. Vino cupidus, auidus. Tanta inceptures. Neſcibo. Attinere. Quando. Ferias ſedere, non Ferias aut Serias poſſidere. Plautus & hac fabula ſæpius, & extra ordinem Epidico ſemel; tum Varro Seſquiulyſſe, emendati.*

SVnt tamen eadem ſcena leuia adhuc quædam, quibus mederi videmur poſſe, nec libet ſubticere. In illis:

——— *cum quod volumus nos,*
*Copia eſt, & facitis eius nos compotes.*

Variat ſcriptura veterum editionum, Florentinæ, Colonienſis, Aldinæ: quæ habent, *atq; ea facitis nos compotes.* Vide ne ſcribendum igitur *eo*, cuius gloſſa *eius:* vt ſic *compos* auferendi caſu iungatur, quomodo paſſim in Plauto alia, quæ vulgò cum patrio ſaltem leguntur. Memineris, vti *more expertem* Alcumenam in Amphitruone dicat, & Pſeudolo lenonis ancillas *vino cupidas:* quomodo & Varro Cyclopem *auidum vino*, ex perſona Vlyſſis, niſi non rectè locum eum ſic reſtituimus: *Ipſum auidum vino, inuitaui poculis largè atq; benignè:* qui vulgò peſſimè ſcribitur, *Ipſum audiui vino inuitari poculis.* Quin illud ipſum *compos* ſexto caſu iunctum legimus in Salluſtii Fragmentis: *Septimium neque animo neque lingua ſatis compotem.* Niſi tamen ibi vel *competentem* vel *competere* potius legatur. Alibi ſic namq; Salluſtius, apud Nonium ex hiſtor. lib. I. *Formidine attonitus, neq; animo neq; auribus aut lingua competere.* Et hunc imitatus Tacitus Annal. 3. *Neq; oculis neq; auribus ſatis competebant.* Pòſt autem in Plauto:

*Tanta incepta res eſt, haud ſomniculoſè hoc*
*Agendum eſt.*

putem verius ſcribi *inceptu*. Nec enim dum incepta res erat, quam tum primulùm moliebantur. Denique vbi legitur:

*Non ego herus tibi, ſed ſeruus ſum. nunc obſecro te hoc vnum.*

Etſi de compectò ſeruus iam erat Philocrates, tamen ad eam fallaciam reſpicere nunc non videtur, ſed de captiuitate ipſa ſua loqui, vt fortè fuerit *conſeruus*: quod ex ſequentibus duobus locis aſtruatur:

*Vt qui herum me tibi fuiſſe atq; eſſe conſeruum velint.*

Item: *Perq; conſeruitium commune, quod hoſtica euenit manu.*

Proximâ porrò ſcena, *Iàm ego reuortar*, cum Hegio ſcitaturus ex Philocrate, de quibuſdam occupat monere ne falſiloquus earum rerum ſit, reſpondet ille:

——— *non ero,*
*Quod ſciam. ſi quid neſciui, id neſcium tradam tibi.*

Sed indubiè legendum *neſcibo* pro *neſciui*. Et erroris originem quis non videt? *neſciuo* ſcriptum antiquitus erat: hinc, quod futurum erat, in præteritum degenerauit. Ibidem ſequente ſtatim verſu:

*TYN. Nunc ſenex eſt in tonſtrina, nunc iam cultros attinet.*

Malè mutatur à quibuſdam *atterit*, quod ipſum inepta locorum collatione confirmatur. Ego non muto, ſed explico vulgatum, in quo noua, ſed Plautina ſignificatio. Vt enim noſter *abſtinere* pro remotum tenere, ſic *attinere* dixit pro admotum tenere. Ait omninò hîc, Philocratem iam admouiſſe cultros & tenere admotos capiti ſenis. Poſt multos in illo:

*PHI. Imo edepol propter auaritiam ipſius atq; audaciam.*

non genuinum eſt hoc *audaciam*. Quid huc enim audacia? Fuit omninò vox alia, quam non facilè diuinando aſſequaris, niſi forte *tenaciam*, quæ ipſa literis primoribus abhorret longius. Tamen hanc firmare validè videtur, quòd Hegio quaſi vocem eandem excipiens ſibiicit:

*HEG. Quid tu ais? tenax ne pater eius eſt?*

Deinceps proximo ſine cauſſa vir doctus turbat:

*Quin etiam vt magis noſcas, Genio ſuo vbi quando ſacrificat:*

Nunc *ſuo ſibi* legit, nunc *quando* pro gloſſemate τοῦ *vbi* habet & exturbat. Miror. An nôn quiuis intelligat, *quando* valere *aliquando*, & *vbi quando* idem eſſe quod *ſi quando*? Neceſſariò ſic capies. Nam id Plautus eò innuit, rarò eum ſacrificare, & ſi tamen aliquando, Samiis tum vaſis vti. Inferius:

*Qui imperare inſueueram, nunc alterius imperio obſequor.*

verſum ſi conſulis, ille ut *inſueram* ſcribas conſulit. Itemque ſcenâ, *Miſer homo eſt*, ille verſus:

*Itaq; venter gutturq; reſident eſuriales ferias:*

vt ſui

vt ſui rationem habeas, *ſedent* reſtitui monet pro *reſident*. Phraſi autem *ferias ſedere* vſus Plautus etiam Epidico, ſed ſic vt eo loco non agnoſcatur. Scenâ, *Caue præterbitas*, editur:

*Sexaginta mihi ſi denumerantur mina,*
*Tuas poſſidebit mulier faxo ferias.*

quod hîc extra ordinem emendo, *Tuas poſt ſedebit mul. fax. ferias.* Neque diſſimulo tamen, *ſedebit* olim Palmerium ibidem cogitaſſe. Verùm non negligenda eidem prima corruptæ vocis ſyllaba fuerat, è qua verè nos fecimus *Poſt*. Ex *poſt* enim & *ſedebit* coitu ſolenni natum *poſſidebit*. quod ipſum verbum vir magnus retinet, & *ferias* in verſus fine legit. Malè, ne quid grauius dicam. Nugæ & gerræ germanæ ſunt, quæ ad explicationem & confirmationem affert. Noſtræ correctioni fundus & ſubſcriptor certiſſimus hic Captiuorum locus eſt, quem vna conuellere debebit, ſi quis illam euertere molietur. Ferias ſedere, otioſè feriari vtrobique eſt: nec Epidico aliud dicit Periphanes, niſi hoc: numeratis mihi ſexaginta minis, tua mulier erit, tibi ſemper feriata, tuis vt vnius rebus tota vacet, aliorum omnibus ſoluta.

## CAPVT V.

*Prauorti. Inepta duo contra fabulæ œconomiam additamenta in vnâ eademque ſcenâ monſtrata primùm, deinde & ſublata, cum ratione certa vtraque, alterum ex auctoritate etiam vett. editionum.*

PErgimus, ordine ſcenarum ſeruato, in quo nunc illa porrò ſequitur, *Quid eſt ſuauius?* Hic vel Plautum ſui oblitum leges Oeconomiæ migraſſe conuincemus, vel inſignia duo audaciſſimorum nebulonum additamenta oſtendemus. Narratio eſt ſenis eorum, quæ hactenus geſta:

*Vix ex gratulando miſer iam eminebam,*
*Tandem abij ad prætorem: ibi vix requieui: rogo ſyngraphum;*
*Datur mihi. illicò dedi Tyndaro. ille abijt domum.*
*Inde illicò reuortor domum. poſtquam id actum eſt, eo*
*Protinus ad fratrem, inde abij, mei vbi ſunt alij captiui.*
*Rogo, Philocratem ex Alide &c.*

Inibi vetus Colonienſis primùm non *reuortor* legit, ſed *prauortor*, qua de voce nuper ad Curtium: hîc quidem non peius, ac fortaſſe melius, ſi tamen illud totum, *Inde ilico reuortor domum*, benè legitur. Ego enim cenſeam, peſſimè: nec putem à Plauto ſcriptum, niſi ſi, quod intendebam, violauit œconomiæ legem, & cum ipſi rei, tum ſibi pugnantia ſcripſit. Vide mecum, & cogita. Credesne ſenem hunc, poſtquam ſyngraphum ſeu diploma impetraſſet, ac Tyndarum ſimulatum amiſiſſet, domum rediiſſe? Qua verò cauſſa debuit? aut quo potuit modo? Quin à prætore ſtatim ad fratrem iit, inde demum ad ſe reuorſurus, ita vel

nunc reuortitur. Quod ita futurum quidem prædixerat etiam ad finem ſcenæ, *Quæ res benè vortat:*

*——iam ego apparebo domi.*
*Ad fratrem modò captiuos alios inuiſo meos.*

Tum enim ad Prætorem cum Pſeudotyndaro tendebat: quo expedito, ad fratrem abiit percontatum de adoleſcente altero, quem retinuerat: eo quoque facto, iam domum redit vna cum Ariſtophonte, qui noſſe Philocratem dixerat & voluerat conuentum. An non igitur hoc mendacium, quod inſeritur, *Inde illico reuortor domum?* Iam alterum quoque vide. Ait, cum ad fratrem veniſſet, inde abiiſſe eò, vbi alii eſſent captiui ſui. Vbi autem alios habuit præterea captiuos, niſi apud ipſum fratrem? Nuſquam vllos. Sanè quoties mentionem de aliis facit, eos apud fratrem aſſeruari palam dicit. Loca plura ſunt: pro pluribus hic ſit vnus, ſcenâ, *Aduortite animum:*

*Ego ibo ad fratrem, ad alios captiuos meos,*
*Viſam ne nocte hac quippiam turbauerint.*

Quid? quòd aliò nuſquam iiſſe conuincitur ex iiſdem, quæ paullò antè attulimus ex ſcena, *Quæ res bene vortat:* in quibus teſtimonium item clarum de captiuis apud ipſum fratrem in cuſtodia detentis. Liquet ergo falſa & hæc duo verba, *inde abij:* quæ à Plauto non ſcripta ſcio, vti ſuperiora non credo. Vtriuſque argumẽta dicam. Hæc manifeſtò in vetuſtioribus libris, inter quos editio Colonienſis & Florentina, non exſtant: quæ ſic, omiſſis iis, legunt, vt quæ ab horum tergo alibi ſunt, cum iis iungant quæ à fronte:

*——poſtquam id actum eſt, eo*
*Protinus ad fratrem, mei vbi ſunt alij captiui.*

Rectiſſimè ad ſcripturam, ad ſententiam veriſſimè. Vt enim diximus, apud fratrem omninò hi captiui. Priora illa, *Inde illico reuortor domum,* ſunt etiam ſanè in antiquioribus libris: mihi tamen à Plauto nec ipſa eſſe certum eſt vel inde adeò, quòd ſubiungitur. *Poſtquam id actum eſt.* Ita ſcilicet loqueretur Plautus, ſi de domuitione ſentiret. Imò capienda ea verba de ſenis prioribus actis, de ſyngraphi nempe apud Prætorem impetratione, & captiui alterius ablegatione. Vt eiectis iſtis, continenter & hæc legenda ſunt cum reliquis in hunc modum:

*——rogo ſyngraphum.*
*Datur mihi. ilico dedi Tyndaro. ille abijt domum.*
*Poſtquam id actum eſt, eo*
*Protinus ad fratrem, mei vbi ſunt alij captiui.*

Sic omninò debet ex ipſa rei veritate, quam prolixè ſatis demonſtrauimus. Miretis, à quo inſerta igitur hæc tam abſurda: miror ego quoque: niſi quòd ab aliquo eſſe ſuſpicari licet, qui verſibus, vt ipſe cenſuit, imperfectis; vt res eſt, turbatis; fulcimentis eiuſmodi voluerit ſubuenire. Quod ad me attinet, nec hac parte, nec

totâ

Digitized by Google

totâ ſcenâ numeros legitimos agnoſco: quorum rationem inire fortaſſis aliquam poſſim, reſtitutionem moliri non audeo, quam præſtare deſperarim, ita quidem, vt nec alium quemuis vnquam præſtiturum ſperem.

## CAPVT VI.

*Exitium exitio eſt. Ciſpellere. Nugas. Confidentiam in ventrem ſumere. Voraces in ventre cor habent. Maculas exigere, an eximere. Plauti multa correcta, quædam aliunde illuſtrata.*

ARgutatur neſcio quid Lambinus de exilii ratione ad illuſtrationem verſus ſic à ſe reſtituti ſcena ſequente:

*Neque exilium exitio eſt, neque adeo ſpes quæ mihi hunc aſpellat metum.*

Affert Ciceronis locum, qui non video quid ad hunc Plauti faciat: vti neque video, quæ ſententia bona ſubſit huic ipſi, niſi leuiter emendem, & pro *exilium*, *exitium* reponam, vt ſenſus hic emergat: exitium & interitum nulla ratione poſſum vitare vel effugere. Id enim eſt *exire* interdum. Virgil.

*Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.*

*Exitio* autem nomen ita formatum, vt hæc cognata, abitio, initio, reditio. Ad ipſum loquendi modum, *exitium exitio eſt*, quod ſpectat; idem eſt, qui in ſimilibus multis Plauto frequentiſſimus. Truculento:

——*Quid tibi huc ventio eſt?*
*Quid tibi hanc aditio eſt? quid tibi hanc notio eſt, inquam, Amicam meam?*

Ac eadem formâ nunc in Gellio probo, quod damnabã olim, lib. 14. c. 2. *Quæ dictio quæſtioq; opus eſt.* Tribuuntur enim & nominibus verborum ſuorum caſus. Eodem verſu neſcio ſi potius *ciſpellat*, quod item pro *aſpellit* alii malunt Mercatore:

*Simul autem planiſſimè eos, qui aduerſum eunt, ciſpellito.*

Deinceps ſcenâ huic proximâ vulgatur:

*TY. Non equidem me liberum, ſed Philocratem eſſe aio.*
*AR. quid eſt?*
*Vt ſceleſtus, Hegio, nunc iſte ludos hic facit.*

quod malè ſic vulgari vidit; qua eſt ingenii elegantiâ, Douſa F. itaque emendat:

*Vt ſceleſtus Hegioni huic iſte ludos hic facit!*

Quod eius pace liceat, non tanta mutatione opus erat. Facilius & melius, diuidi voculam *iſte*, quæ diuiſa legitur in antiquis. Sed & præcedentia verba, *quid eſt*, non tribuerim Ariſtophonti, ſed Hegioni, totumque ſic legam:

*TY. Non equidem me liberum, ſed Philocratem eſſe aio. HE. quid eſt?*
*AR. Vt ſceleſtus, Hegio, nunc is te ludos hic facit!*

Ad Hegionem omninò ipſum dicit Ariſtophontes hæc poſtrema:

quod vel ſequens verſus probat. Qui ſeni dare nolit iſta *quid eſt?* tribuat Ariſtophonti ſanè, ſed vt reſcribat ex illis *viden'?* A multis verſibus ille eſt:

*HE. Quid ais? quid ſi adeam hunc inſanum? TY. nugas ludificabitur.*

in quo ſcio *nugas* capi poſſe *nugax*: tamen diſtingui magis ita placeat, vt *nugas* ſeorſum cenſeatur poſitum, cui ſubintelligendum ſit, agas vel egeris: vt Moſtellar:

*——TH. ſeruos pollicitus eſt dare*

*Suos mihi omnes quæſtioni. TR. nugas. nunquam edepol dabit.*

Sequenti quidem verſu:

*Garriet, quod neq; pes vnquam neq; caput compareat:*

non dubito planè ſcribere,

*Garriet. quoi neq; pes vſquam neq; cap. compareat.*

Sed hinc magno interuallo, ſcenâ, *Quanto in pectore*, non benè interpungitur:

*HEG. Quæ illæc eminatio eſt? nam nequeo mirari ſatis.*

Sic enim oportebat, *Quæ illæc eminatio eſt nam? neq. m. ſatis.* vt τῷ *nam* ad prouocabulum *quæ* relato, *quænam* exaudiatur. Ita Plautus hoc ſæpe diuidit & traiicit. Aulular.

*Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negotij?*

Ibidem: *ME. Da mihi optima femina manum. EV. vbi ea eſt? quis ea Eſt nam optuma?*

quod immiſsâ ſuperfluâ interrogationis notâ malè diſſociauit Lambinus. Fuit ſic forſan & Epidico, ſcenâ, *St. tacete.*

*—— EP. quid tu autem Apœcides?*

*AP. Quid ego nam? niſi te commentum nimis aſtutè intelligo.*

Vulgo ibi *iam*, quod alii tranſponunt. Pertinet huc illud etiam è Perſa: *Quando hæc innata eſt nam tibi?*

Deinceps lepidè iocatur in Paraſitum ex ſaturitate animos ſumentem:

*HEG. Mira edepol ſunt, ni hic in ventrem ſumſit confidentiam.*

Cui dicto ſimile quadamtenus illud Clementis Alexandrini 2. Pædag. c. 1. vbi Voraces & eos qui mentem in ventre infodiunt, aſſimulari ait Aſino piſci, quem Ariſtoteles ſolum ex aliis animantibus in ventre dicit cor habere. De cuius Ariſtotelici dicti ſenſu doctè & eleganter diſputat lib. 4. Variar. Cl. Mercurialis, magnum Italiæ ſuæ lumē, & inter Medicos ipſos ſic hodie ſolus, vt Medicorum quiuis inter reliquos mortales, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Quod Clemens de voracibus dicit, ad Plauti Paraſitum ſcitè accommodes, qui & ipſe animum in ventre habebat. Multis interiectis verſibus, illi leguntur:

*HEG. Pol mœrores mi anteuortunt gaudijs. ER. noli iraſcier.*

*Iam ego ex corpore exigam omnes maculas mœrorum tibi.*

quorum priore non ſunt germana Ergaſili verba, *noli iraſcier.* Neque enim illi iraſcebatur nunc ſenex, ſed ſuas fortunas miſerabatur.

batur. Et perperam huc traducta videntur ex alio quinto abhinc verſu:

*Tuan' cauſſa me ades incenſurum cenſes? ER. noli iraſcier.*

Quod ſi eſt, ne mutanda quidem videantur, ſed delenda: quippe quæ corrupta non ſint, ſed aliena, perditis & extritis illis, quorum locum occuparunt. Tamen alii viderint, ſi poteſt aut debet aliud exſculpi. Mihi nunc leuiter conanti hoc proueniebat, *non ita'ſt. ſcies.* Altero verſu fuit olim qui *eluam* reponeret, quod alios nuper video comprobaſſe, me calculum adhuc ſuſtinente, qui verbum *exigendi* in re ſimili reperio apud Suetonium quoque, in Auguſt. c.94. *Et ſtatim in corpore eius exſtitiſſe maculam, velut depicti draconis: nec potuiſſe vnquam exigi.* Sic enim libri vetuſtiores, quos probo; non recentiores, qui præferunt *eximi:* quod ſi quis ibi potius pertendet, idem in Plauto pariter *eximam* reſcribet: qui *curam eximere* ſanè dixit Caſinâ:

*Curam eximere, caſtigare, id ponito ad compendium.*

Atque iterum *laſſitudinem eximere* Mercatore:

*Nunquam edepol omnes balneæ mihi hanc laſſitudinem eximent.*

*Eluere* autem in hac re planè Horatius lib.4. Od.12.

*Spes donare nouus largus, amaraq;*
*Curarum eluere efficax.*

## CAPVT VII.

*Nunc places: non places. Ain' tu? In ſpe ponere. Facere, fieri, in obſcenis. Virtus, pro merito & dignitate. Præter honeſtiores alios, obſceni quoq; duo loci & ioci in Plauto, tum ſimilis etiam vnus in Petronio, correcti declaratique. Martialis denique & Catullus indidem, præterea Iuuenalis & Seneca pater illuſtrati.*

EAdem ſcenâ verſum obſceniorem à Camerario quondam ſublatum, rectè Lambinus inſerit viciſſim, nec tamen emendatè ſcribit:

*HE. Eſurire mihi videre. ER. mihi quidem eſurio, non tibi.*
*HE. Crede. tuo arbitratu. facile patior. ER. conſuetus puer.*
*HE. Iuppiter te Dîque perdant.*

Medius horum eſt: quem miror in nupera editione, ſed per incuriam credo, nō quòd aſpernarentur, omiſſum. Is ita, meo iudicio, traducta voce legendus:

*HE. Tuo arbitratu, facile patior. ER. Credo conſuetu's puer.*

Magis certè paraſito id verbum debetur, qui credere ſe dicit, Hegionem facilè pati, quando & puer olim cōſuetus ſit. quamquam & paullò aliter, multò fortè melius interpreteris: quaſi de verbis Hegionis coniiciat paraſitus, illum olim pathicum. Nam quia ſe pati poſſe dixerat, vt eſuriret ſuo arbitratu, nequā homo torquens aliò, credo conſuetum te puerum, ait, qui & nunc alterius arbitratu pati poſſe fatearis. His continua iam ſunt:

*HEG. Iuppiter te Dijq; perdant. ER. te hercle mihi æquum eſt gratias*
*Agere ob nuntium. tantum ego nunc porto à portu tibi boni.*
*Nunc tu mihi places. HE. abi ſtultus, poſt tempus venis.*
*ER. Igitur olim ſi aduenißem, magis tum tu iſtuc diceres.*

in quibus mirificam gloſſam nuper appinxerunt illi; *Nunc tu mihi places.* Eam videat, qui volet: nam vt rideat, non addam, à tanto profectam viro. Nos ipſa hæc verba eripimus paraſito, & editionum veterum iuſſu reddimus Hegioni, ſic tamen, vt à nobis ſimul emendemus. *Non* pro *nunc*, & reliqua ſic ſcribimus:

*HE. Non tu mihi places: abi ſtultus, poſt tempus aduenis.*

hoc poſtremum, verſûs cauſsâ: nam vt *ſerus* ex libris vetuſtioribus introducerem, non ſuſtinebam, quod ipſum gloſſam ſcilicet arbitrarer. Formulæ *Non places, Nunc places*; hæc approbandi, illa reiiciendi; notæ ex Plauti ſexcentis locis, neque prolixè vel explicandæ verbis, vel exemplis confirmandæ. Poſt ibidem in ridiculis adiurationibus paraſiti per barbaricas vrbes, & Hegionis hæſitantis anxia interrogationum frequentatione:

*HEG. Iam diu? ER. νὴ τὸν Πραινεστῖνον. HE. venit? ER. νὴ τὸν Σιγνῖνον.*

non placet illud *iam diu.* Non enim ſenex quærit, quam dudum; ſed an omninò redierit ſuus gnatus. Emendo, *Ain' tu?* quod exprimit optimè dubitationem & diffidentiam in inopinato nuntio, neque literis abhorret à vulgata lectione. Scenâ, *Ioui Dijsq;*, non dignus mihi Plauto videtur verſus iſtorum poſterior:

*Quom eq; ex miſerijs plurimis me exemerunt,*
*Quæ adhuc te carens, dum hic fui, ſuſtentabam.*

Nam quidquid Lambinus de vocula *quæ* ſollicitus ſit; illam verò mutari & facilius & æquius erat, *quas*. Sed ea me non mouet. Illud quid ſibi vult; *dum hic fui?* non conuenit prorſus in Hegionem: niſi iungas fortè, *dum te fui carens*, quod ſit, dum te carui. Sed quis & hoc Plautinum credat? Aut delendus, aut ſic emendandus totus verſus:

*Quas, dum te carendum hic fuit, ſuſtentabam.*

Sic reſcriptus probare ſe vtcunq; pro Plautino poteſt. Eadem ſcenâ, Plauti quidem illa phraſis ſit, *ſpem ponere*, in illis:

*Fui ego bellus, lepidus, bonus vir nunquam, neq; frugi bona,*
*Neq; ero vnquam, ne tu ſpem ponas me bona frugi fore.*

& ſic pleriq; libri: tamen neſcio quomodo placebat magis, quod in vno reperi, *ne tu in ſpe ponas*: vt Epidico:

*—— Hoc quidem iam perijt,*
*Ne quid tibi hinc in ſpem referas.*

Infrà locus conſimilis eſt ei, vnde caput hoc orſi ſumus, obſcenitate nimis vbique in Plauto obuiâ:

*STA. Vt vis, fiat. HE. bene morigerus fuit puer, nunc non decet.*

Vbi quamquam vis ioci conſiſtit in ipſa morigeratione maximè,

quæ

quæ illis verbis, *Vt vis fiat*, exprimitur: tamen eſt partim in ſolo etiam hoc verbo *fiat*: quod per ſe notat inuerecundius aliquid interdum, vt *facere* frequentiſſimè. Martialem ambiguè ludentem, & pæne eludentem, niſi aduertas, ſic accipies: lib. 2.

*Sæpe ego Chriſtinam futui. dcet quàm benè, quæris?*
*Supra quod fieri nil Mariane poteſt.*

Idem manifeſtius in verbo *faciendi*: lib. I.

*Cum dicis, Propera, fac, ſi facis, Ædila: languet*
*Protinus & ceſſat debilitata Venus.*

Catullus:

*Aufilena, bonæ ſemper laudantur amicæ:*
*Accipiunt pretium quæ facere inſtituunt.*

In Petronio crebrum. *Non taces nocturne percuſſor? qui ne tum quidem cum fortiter faceres, cum pura muliere pugnaſti.* Idem: *Si quid vis, fac iterum.* Et mox: *Quare non facimus?* Quæ attuli, non quòd talia mihi placeant, ſed vt locum eiuſdem Petronii in hac ipſa voce illuſtrem, qui, vt nunc diſtinguitur, intelligi rectè nequit:

——*non ſanguine triſti*
*Perfuſus venio: non templis impetus hoſtis*
*Admoui dextram: ſed inops, & rebus egenus*
*Attritis, facinus non toto corpore feci.*

Includenda parentheſi vox *facinus*, quam interiicit, inuidioſè nimis exaggeratum facinus ſuum eleuans: quod hoc ſaltem fuerat, quia non toto corpore, id eſt, vt ſupra loquebatur, fortiter feciſſet. Ita namque verbum illo nequiore ſenſu & hîc interpretandum, quod in obſcuro delituerat hactenus, & eguit omninò luce quadam ſimilium locorum. Quibus addo poſtremò Iuuenalis illuſtrem è Satyra VII.

*Exigite, vt mores teneros ceu pollice ducat,*
*Vt ſi quis cerâ vultum facit. exigite, vt ſit*
*Et pater ipſius cœtus, ne turpia ludant,*
*Ne faciant vicibus. non eſt leue tot puerorum*
*Obſeruare manus, oculoſque in fine trementes.*

Huius tamen intellectum aliquantò diuerſum Haterii illa ſententiola magis aperit apud Senecam patrem Præfatione Controuerſ. lib. 4. *Inter pueriles condiſcipulorum ſinus laſciua manu obſcena luſiſti.* Quem locum pæne eſt vt imitatum dicam Iuuenalem: adeò verba etiam ferè eadem ſublegit, ac maximè phraſin *turpia* ſiue *obſcena ludere.* Scenâ proximâ, *Hegio aſſum*, poſt eos verſus:

*PHI. Dic mihi, is ne iſthic fuit, quem vendidiſti meo patri,*
*Qui mihi peculiaris datus eſt, huius filius?*

deſiderari videatur vnus, quo Stalagmus de quæſito reſpondeat, atque ita eſſe fateatur: niſi ſolo nutu aut vultu putabimus aſſenſiſſe, aut ad finem verſus, cum perſonæ eius indicibus literis apponemus voculam *is*, quæ perire facilè potuit:

*——huius filius? ST. is.*

Verſus id ſanè patitur etiam. nam aut diſſyllabum more Plautino *filius* erit, aut vltima ſyllaba eiuſdem elidetur. Huius ſcenæ finis optimè ſic emendatur:

*Sed eccum, incedit huc, ornatus haud ex ſuis virtutibus.*

cuius tamen emendationis gloriolam nollem alios ſibi nuper adſcripſiſſe, quam Mureto fama publica vindicat à multis annis. Hic ſcilicet iam olim ad illum ipſum Terentii Adelphis locum,

*Si poſſiderem, ornatus eſſes ex tuis virtutibus:*

quem locutionis exemplum adducunt, Plauti. hūc ita correctum dedit: cui nos alia Plauti ipſius exempla meliore fide ſubiungemus. Milite:

*Nunc volo obſonare, bene vt hoſpes te virtute ex tua*
*Mea domi accipiam, benignè, lepidè, & lepidis victibus.*

Item: *Saltem mihi voluptas eſt, cum ex virtute forma euenit tibi*
*Mea opera ſuper hac vicina, quam ego nunc concilio tibi.*

Item paullò alia facie:

*Sicut merci pretium ſtatui, pro virtute vt veneat.*

Pœnulo:

*Cumq; è virtute vobis fortuna obtigit.*

In quibus omnibus virtus, pro merito & dignitate.

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI CVRCVLIONEM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD

Illuſtrem & Reuerendum virum

FVLVIVM VRSINVM ROMANVM.

NON *ſum oblitus, nec obliuiſcar vnquam,* FVLVI VRSINE, *ſummæ humanitatis in me tuæ, cum Romæ ante biennium te ſalutarem, aditum facientibus mihi magnorum ad te virorum literis, Io. Vincentii Pinelli, & Hieronymi Mercurialis, quibus amantiſſimis mei cum aliàs debeo plurimum, tum hoc quoque nomine permultum: etſi frui quidem humanitate illa tua non licebat eo tempore, vt vellem, ac tu cupere etiam te ſignificabas, cum & te neſcio quo morbo decumbẽtem & affixum lectulo offenderem, nec ipſe valerem optimè, correptus in itinere febri moleſtiſſima, vt neq; tua tum valetudo longo ſermoni ſaltem faceret, & mea vetaret etiam poſt ad te reuiſere, quæ mox Vrbem ipſam, cui temporis dare pluſculum conſtitueram, ſubitò relinquere inuitiſſimum coegit. Quod etſi maximo dolore meo ſic euenerat, abundè tu tamẽ oſtendiſti mihi multis ſignis eximiam in me beneuolentiã, cuiꝰ nec omni fructu careo, & memoriam cõſeruo iucundã atq; immortalem. Neq; verò tu mei non memineris omninò, aut amorẽ repente natũ repentinò occidere paſſus fueris: cuius vt te leuiter admonerem, ſed magis vt ipſe memorẽ gratumq; me ꝓbarem, obſeruationes in Plau-*

*tum meas quaſdam ad te deſtinaui, quæ clariſſimo inſcriptæ nomini tuo cum in tuas inciderint manus, & in quorumcumque inciderint vbique, de animo meo prolixè teſtabuntur. Volo enim etiam publicum id eſſe monumentũ obſeruantiæ meæ, quam ſi priuatim debeam tibi minus, publicè agnoſco me debere maximè cum omnibus, qui dediti ſtudio Antiquitatis adiutos eſſe nos mirificè doctiſſimis ſcriptis tuis vt ingenuè ſentimus, ita fatemur abſque inuidia, & confeſſi liberè, liberaliter, infra meritorum tamen magnitudinem tuorum, quæ laudibus impleri nullis queunt, prædicamus. Accipe igitur hoc, Vrſine Cl. quo nomine defertur, quidquid eſt, & acceptum patrocinio tuo defende. namque & hoc quæritur, ne neſcias, & ſi per te vides ipſe, & facies vltrò diligenter, aduerſus imperitos & malignos huius ſeculi multos, qui alieni partim ab hac Muſa, nullum, niſi quod ipſis ſtudiorum genus placuit, æſtimant; addicti partim & eidem ſanè, nihil in iſto genere tamen, niſi quod inuenerunt ipſi, probant, aliorum operam vel occultè vel licant, vel palàm traducunt, occaſione vndique captata, quæ capi vndecunque poteſt. Hos iam antè præſcriptione tui nominis terrere volui, qui porrò auctoritate tua planè fugabuntur: quam tamen vt hic mihi commodes, ita demum ambio, ſi non indigna prorſus iſta noſtra videbuntur eiuſmodi officio tuo: digna autem videri poſſe ſpero non equidem ex iis omnia, ſed pleraque, & illa ipſa non tam ex ſuo merito, quàm tuo in conatum iuuenilem fauore & noſtri ob tui cultum ac reuerentiam amore. Verùm & hoc integerrimo iudicio tuo integrum relinquo: nec eò minus id ipſum ceteris iam nunc quaſi præiudicium oppono, vt abſtineant iniquiorem in his cenſuram ſibi vſurpare, quæ à tua pendeant æquitate, neu audeant improbare, quæ tu videaris probaturus, &, quod eſt conſequum, defenſurus.*

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI CVRCV-LIONEM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Lautus. Ita vti occœpi dicere. Eij. Quipiam. Vt eam cenſes? Vt eum credis? Locus initio Curculionis difficilis viſus, facillimus oſtenſus. Alij deinde hinc, & e Bacchidibus vnus, correcti ſimul & ex ſe inuicem illuſtrati.*

QVantilla res quantas ſæpe tenebras acutiſſimis etiam & perſpicaciſſimis obiiciat ingeniis, multi multis exemplis & alibi & in Plauto pridem oſtenderunt: cuius generis vnum in ipſo veſtibulo Curculionis etiam nobis hîc occurrit, quo vix illuſtrius aliud & efficacius ad arguendam vim bonæ malæue interpunctiônis. Ecce enim ille locus, minimo diſtinctiunculæ vitio laborans, quàm multos quam grauiter exercuit!

*PA. Iſtuc quidem nec bellum eſt nec memorabile,*

*Tute tibi puer es lautus, luces cereum.*

Turbauit omnes iſtud *lautus*, ex quo magni viri concinnarunt nobis vocabula, quæ legiſſe piget, meminiſſe non libet. Alii de ſenſu loci totius anxii, eò ineptiarum venerunt, vt ſimile quid habere, vel idem eſſe ſuſpicarentur cum Terentiano illo,

*Tute lepus es & pulpamentum quæris.*

Quid multa? nemo vidit, interpunctum leuiſſimum parere omnem hanc obſcuritatem. Id ita transfer, vt ante, non poſt vocem *lautus* collocetur:

*Tute tibi puer es, lautus luces cereum.*

Quid nunc clarius & facilius? Nihil .n. profectò aliud Palinurus dicit, q̄ non decere, vt puer ipſe ſibi ſit Phædromus, & homo tã lautæ fortunæ ſerui munus in lucendo ſibi cereo fungatur. Ad quam ſententiam acceſſit Lambinus omnium ſanè proximè, tantum tamen & ipſe abſfuit, vt nec quid in hero ſeruus reprehenderet propriè videret, & puerum lautum alieniſſima mente mollem & delicatum explicaret. Eant alii nunc, & ſua expient abſurdiora interpretationum & lectionum monſtra: nos ad alia porrò mentem manumq; conuertamus. Sequitur ergo:

*Id vti occœpi dicere, ei ancillula eſt:*

quo loco veteres plerique *inducias*; vnde Gulielmius noſter, *Inda vti iam occepi.* Sed Plautinum & Comicum magis eſt, *Ita vti iam occœpi dicere.* Sic enim de integro ordiuntur interruptam narra-

tionem pertexturi. Pœnulo, ſcen. *Dij illum infelic.*

*——A N. ita vt occepi dicere*

*Lenulle de illac pugna.*

Sticho: *Ita vt occœpi narrare vobis, cum hic non adfui.*

Simul autem eodem verſu, verſus cauſsâ *eij* ſcribes, *i* geminato, quod Plauto ſolens, vt prior ſyllaba producatur. Deinceps:

*PH. Tam à me pudica eſt, quaſi ſoror mea ſit, niſi*

*Si eſt oſculando quippiam impudicior.*

malim *quipiam*, auferendi caſu, qui vſitatior in eo genere ſtructuræ. Mox ibidem etiam:

*P H. Imo vt illam cenſes? vt quaq; illi occaſio eſt*

*Surripere ſe ad me, vbi ſauium oppegit, fugit.*

Perperam Lambinus, qui mutat, *imo quid cenſes?* Venuſtiſſima locutio eſt vulgata, quæ eadem & Bacchidibus, ſed nec ibi rectè intellecta. Transferam adeò inde locum huc, vt vterq; collatione alterius illuſtretur. Scen. *Mirum eſt.*

*C H. Vt iſtuc eſt lepidum! proxima viciniæ*

*Habitat. ecquidnam meminit Mneſilochi? PI. rogas?*

*Imò vnicè vnum plurimi pendit. C H. papæ!*

*P I. Imò, vt eum credis, miſera amans deſiderat.*

Hîc ita interpretantur: vt ipſum Mneſilochum deſiderio Bacchidis macerari facilè credis, ita prorſus illa mutuò illum ardentiſſimè deſiderat. Ineptè, certè falsè. quod tamen ignoſco doctis viris: nam lectio ipſa falſa, quam ad hoc exemplum etiam illîc emendabis:

*P I. Imò, vt eam credis?* Formula eſt, mirum aliquid & inopinatum de aliquo narrare parantium. Bacchidibus ergo valet; quomodo Bacchidem erga Mneſilochum eſſe credis? Curculione; quî Planeſium affectam, & quid facere cenſes? quaſi dicat vtrobique, vix fidem habiturus es mihi de eo, quod verè ſum dicturus. Tenuem & adumbratam ſimilitudinem habet illud Terentii Andriâ Act. 5. ſc. 2.

*S. Ehò non tu dixti eſſe inter eos inimicitias, carnufex?*

*D. Sunt. S. cur igitur hic eſt? C H. quid illum cenſes? cum illa litigat.*

Itemq; Adelphis Act. 4. ſc. 5.

*Quid ipſa? quid aiunt? M I. quid illas cenſes? nihil.*

Multò ſimilius hoc, Mercatore noſtri: Scen. *Homo me.*

*Nunc ſi dico, vt res eſt, atq; illam mihi me Emiſſe indico, quemadmodum exiſtimet me?*

## C A P V T I I.

*Effugere. Odos, amos, lepos. Hæreditates veniunt & eueniunt. Præmium. Strena vnde: origo vocis & rei. Plautus Curculione ſæpe, Cornicularia ſemel; tum Pomponius Piſtoribus, & Symmachus Epiſtolis, emendantur omnes, ac mutuò quidam illuſtrantur.*

Pulcrè

PVlcrè ad antiquum religionũ morem alludit Palinurus, cum herum quò ſe verteret neſcire dicentem ſic illudit:

*Si deos ſalutas, dextrouorſum cenſeo.*

Quo loco credam ſequentem etiam verſum continuè à ſeruo pronuntiatum. quippe cui ioci huius occaſionem ipſa ara proxima ſubminiſtraſſe videatur. Ego fidenter illum ei dederim, ſed & reliquos paullò aliter ſcripſerim, totumq; locum ſuo lepori ſic reſtituerim:

*P H. Nunc hinc Paraſitum in Cariam miſi meum*
*Petitum argentum à meo ſodali mutuum:*
*Quod ſi non affert, quò me vortam neſcio.*
*P A. Si deos ſalutas, dextrouorſum cenſeo.*
*Nunc ara Veneris hæc eſt ante horum fores.*
*P H. Enim inferre Veneri volui iam ientaculum.*
*P A. Quod antepones Veneri iam ientaculum?*
*P H. Me, te, atq; hoſce omnes. P A. tum tu Venerem vomere vis?*

Quid mutarim, omnes vident; cur, non niſi ingenii elegantioris. Deinceps ibidem:

*P A. Ei ne hic cum vino ſinus fertur? P H. ni ſi neuis.*
*P A. Nolo hercle. nam iſtunc qui fert, afflictum velim.*

ſententiæ ratio ſuadet magis vt ſcribas, *nam iſthuc qui fert*, id eſt, ad anum. Cur enim male illi velit, qui ſinum ferat, niſi quia anui ferat? *Efflictum* etiam forte potius ſit, de quo verbo ad Ciſtellariam Gulielmius noſter. Extremò primæ ſcenæ:

*Viden' vt aperiuntur ædes feſtiuiſſimæ?*
*Non mutit cardo. eſt lepidus. P A. quin das ſauium.*

veteres editiones, in quibus interrogationis nota poſt vocem *cardo*, faciunt vt cogitem, *Num mutit cardo?* Scenæ proximæ principio verſus ſunt:

*Flos veteris vini meis naribus obiectus eſt.*
*Eius amos cupidam me huc prolicit per tenebras.*

quorum numeri numeroſiores in vetuſtis aliquibus, & magis ad leges Iambicorum:

*Flos veteris vini meis obiectuſt naribus.*
*Eius amos cupidam me huc per tenebras prolicit.*

Neq; dubium, à Plauto ſic relictos. ſed nec illud dubium, vicino verſu,

*Nam omnium vnguentûm odor præ tuo nautea eſt,*

ſcriptum à Plauto *odos*: quo terminatu in ſimilibus aliis hîc vtitur, vt ſermonem anuis blæſulæ exprimat, admodum-quam decorè. Nam caue alia de cauſſa putes *amos* & *lepos* dixiſſe potius, quam *amor* & *lepor*. Illa porrò verba,

*Sed hac abijt, hac perſequar,*

vix eſt, vt ſuo loco legantur. Certè commodius ante iſta paullò inferiora ſtatuantur:

*Canem eſſe hanc quidem magis par fuit: ſagax*
*Naſum habet.*

Nam iocus iſte ducitur ex illis, quæ niſi proximè præcedant, hic non eſt ſatis manifeſtus. Tamen de eo non pugnem: nec affirmo ſanè, quod poſui, ſed propono, doctioribus iudicium relinquens, οἱ μὲν ἀτρεκέως εἰσὶ νοῆσαι τε, κρῖναί τε.

Inferius illa damnatur à quodam locutio: ——*mihi haud ſæpe*
*Eueniunt tales hæreditates.*

Ait, non Plauti mundiſſimam ſuppellectilem, ſed anus alicuius ſordidatam fallulam redolere: corrigitq; *Veniunt*, è Pandectarum ſcilicet libris, qui ſic venuſtius loquantur. Bona verba. An non Plautus igitur & Menæchmis, ipſo prologo?

*Illi tum diuitiæ euenêre maximæ.*

Et loquitur pariter ibi de hæreditate. Niſi dicet, ibi quoque *venêre* corrigendum. Fruſtra. Pro eodem ſunt vtraq; nec hoc, an illud malis, refert, tam in hæreditatis re, quàm extra eam vbiuis alibi. Quod Plautus dicit infra:

*Ne forte tibi eueniat malum:*

Terentius Eunucho ſic extulit: ——*id gaudeo*
*Propter me hiſce aliquid eſſe venturum mali.*

Plautus Cornicular. apud Nonium in *Luculentum:*

*Pulcrum & luculentum hodie euenit prælium:*

quod fragmentum ſimul emendo:

*Pulcrum & luclentum mi hodie euenit præmium.*

Senarius enim verſus eſt, & *præmium* in eo præda: cuius notionis exempla non placet hîc cumulare. In altero, de quo nunc agimus verbo, alium etiam locum alterius Comici apud Nonium item corrigamus. Nonius in *Strena: Strena dicta eſt à ſtrenuitate. Pompon. Piſtorib.*

*Aſſide, ſi qua ventura eſt alia ſtrena ſtrena.*

Inibi non mutem *ventura*, niſi verſus *euentura* magis requirat. Nam in numeros verba cum vlteriore mutatione ſic repono:

——*accipe,*
*Si qua euentura eſt alia ſtrena ſtrenuo.*

Et tamen ſi *quæ* malis, *ventura* non opus ſit repudiare. *Strenuo* autem ſcribo prorſus, quia ſtrenæ originem docere Nonius hoc exemplo vult, quo Pomponius ad eam alluſerit. Alluſit autem ad eandem & Symmachus Ep. 28. lib. 10. *Maneat auum talis circa vos vſus officij: & honorem clementiæ veſtræ interminus annorum recurſus inſtauret. Libenter ſtrenis ſolennibus Præfectura fungetur, ſtrenuis deferenda.* Vbi corrigemus olim, quod ſenſus poſcit, *delatura*, vel (nam nunc etiam hæſitamus) *deferendis*. Hoc quidem dicit: libenter functuros ſolennitate ſtrenarum Præfectos, qui ſtrenuis, & quibus ob virtutem conueniant, ſint delaturi. Sed idem Symmachus eiuſdem epiſtolæ initio, ſtrenarum etiam vſum & ortum primæuum



Digitized by Google

memorat: qui non vbique obuius, ex illo diſcatur & notetur. Verba eius ipſa digna, quæ hîc apponantur: *Ab exortu pæne vrbis Martia ſtrenarum vſus adoleuit, auctoritate Tatij regis. qui verbenas felicis arboris ex luco Strenia anni noui auſpices primus accepit, DD. Imperatores. Nomen indicio eſt, viris ſtrenuis hac conuenire ob virtutem: atq; ideò vobis huiuſmodi inſigne deberi.*

## CAPVT III.

*Minimò. Quædam in Curculione leuiora facile; alia magis intricata & obſcura vix emendantur vel explicantur.*

SCenâ, *Placide egredere*, non ſatiſdum fortaſſe valet is locus, vbi malè ex amore ſuum dominum valere ſeruus non paullò ſapientior queritur:

*PAL. Malè valere te, quod mihi ægrè eſt. PH. male mihi morigerus tace.*

Nec enim Lambinianum multi probant *te quidem*: qui neſcio ſi meum magis, *Malè vales, ere, quod mihi ægrè eſt.* Aſpirationem ſolenniter omittebant veteres, vt *ere* ſcriberent quod eſſet *here*. Poſt multa ibidem Planeſium, inhibitura Phædromum, nimis blandè deterret à verberatione ſerui:

*Noli amabo verberare lapidem, ne perdas manum.*

Cui ſimile quid Ouidius epiſtola Acontii ad Cydippen:

*Ipſa meos ſcindas licet imperioſa capillos,*
*Oraq; ſint digitis liuida noſtra tuis:*
*Omnia perpetiar: tantum fortaſſe timebo,*
*Corpore lædatur ne manus iſta meo.*

Deinceps huic puellæ interrogationi:

*——quouſque ad hunc modum*
*Inter nos vtimur amore ſemper ſurreptitio?*

non reſpondet commodè ſatis adoleſcens, *Minimè*: pro quo legendum credam *Minimo*, vt vel ſubintelligas *vſq;*, vel explices, minimo temporis ſpatio. Scenâ proximâ, benè ſic hodie legitur:

*Paues, paraſitus quia non rediit Caria.*
*Afferre argentum credo.*

nec tamen veterem lectionem ſpernas, quæ verbum *Afferre* diuidit, & facit *At ferre*, cum ſententiæ quadam luce. Sed ibidem ille verſus videtur poſitus non ſuo loco:

*CA. Lien dierectuſt. PA. ambula, id lieni optimum eſt.*

Qui enim huic ſubiicitur, melius hæret iis, qui hunc ipſum antecedunt, ad quos reſpicitur omnino, quando ait Cappadox, *Aufer iſthæc quæſo*: iocum ſcilicet auertens de inteſtinorum putredine & ſalſura. Nec verò incommoda ei ſedes ſit poſt illum ſtatim:

*PA. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.*

Nam cum de ſymptomatibus variis & inconditè congeſtis ridiculè coniicit Palinurus, hepatarium morbum eſſe: non indecorè

contradicere videbitur ille, & non tam hepatis, quàm lienis affectum cauſſari, qui ſanè potiſſimus erat, vt ex ſuperioribus cognoſcimus, & illo maximè loco:

*Nam iam, quaſi Zona, liene cinctus ambulo.*

Quid igitur, ſi hoc ordine verſus digeras?

*Sed quid tibi eſt? C A. lien necat, renes dolent,*
*Radices cordis pereunt, hira omnes dolent,*
*Pulmones diſtrahuntur, cruciatur iecur.*
*P A. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.*
*C A. Lien dierectuſt. P A. ambula, id lieni optumum eſt.*
*C A. Facile eſt miſerum irridere. P A. quin tu aliquot dies*
*Perdura, dum inteſtina exputreſcunt tibi.*
*Nunc dum ſalſura ſat bona eſt, ſi id feceris,*
*Venire poteris inteſtinis vilius.*
*C A. Aufer iſthac quæſo, atque hoc reſponde quod rogo.*

Quod vt facias, non omnino ſuadeo tamen: ſaltem vt diſpicias accuratius, hortor. Ceterùm quis eſt, qui in iiſdem ſententiam ioci de inteſtinis intelligere ſe poſſit affirmare? Nunc quidem vt verba leguntur, ego minimè capio. & Lambinus, dii boni, quàm ſe pariter ac Plautum torquet! Audeo dicere, non ille quid hîc Plautus, ſed nec quid ipſe diceret, intellexit. Nec erit, puto, qui elicere ſenſum aliquem bonum & ſibi conſtantem ex hodierna lectione poſſit. Mihi ſcribendum ſic iam olim videbatur:

——*P A. quin tu aliquot dies*
*Dura dum, ne inteſtina putreſcant tibi.*
*Nondum ſalſura ſat bona eſt. ni id feceris,*
*Venire poteris inteſtinus vilius.*

Quomodo ſanè iocus ſit apertior: neque germanam tamen eam Plauti ſcripturam aſſeuerabo. Coniecturæ ſunt hæ meræ, quibus ignoſci poteſt, ſi errant: quando neque pro oraculis venditantur, & auctori noſtro nullam inducunt temerariam mutationem. Vt enim hîc opinionem noſtram ponamus, nihil ea minuit aut violat integritatem vulgati textus, in quo controuerſa quæ ſunt, licet eodem aliis iure amplius diſceptare, & verum qua poſſunt via porrò veſtigare.

## CAPVT IV.

*Te, tibi cui. Græci leues, bibaces ac furaces Plauto: à poſtremo crimine hîc defenſi, lubentes ſunt thermopolio, ibi calidum ſorbent, inde operto capitulo bitunt. Vitare infortunio. Certum & Aliquid. Velle gratiam alicuius. Exefficere. Multa Curculionis emaculata, declarata.*

QVo loco ſomnium ſuum leno Cappadox narrat, poſt alia ſic ait:

*Neque eum ad me adire, neque me magnificendere*
*Viſuſt.*

Hic extremum verbum non cum Lambino & vulgo reſoluerim in *viſus eſt*, ſed *viſum eſt*, ne ad priora repetendum aliquid ſit ἀπὸ κοινοῦ de ſuperioribus: quomodo minus oratio fuerit confragoſa. Sed & in reſponſo & conſilio coqui non illa rectè ſcribuntur:

*Namq; incubare ſatius te fuerat Ioui,*
*Tibi qui auxilium in iureiurando tulit.*

Neq; quidquam iuuat, qui vett. editionum ſcripturam reducit,

*Tibi qui auxilio in iureiurando fuit.*

Quippe ſententia protſus eadem vtriuſq; lectionis. Atqui talem aliquam precc fiſſe oportet, quę periurii lenonem apertè arguat: quod ipſius euincunt proxima verba:

*Siquidem incubare velint qui periurauerint,*
*Locus non praberi potis eſt in Capitolio.*

Nos quid? editiones priſcas ſequimur partim, partim noſtram coniecturam, atq; ita ſcribimus:

*Tibi cui auxilium in iureiurando fuit.*

Verecundè & quaſi honeſtè eum inſimulat, cum ſic loquitur coquus. Auxilium autem lenonibus in periuriis ſæpe, quibus in lingua ſita plerumq; ſalus, qua nunc negent, nunc aiant, vt ex vſu eſſe rerum ſuarum vident: vnde patronam eandem alibi noſter dicit hominibus eiuſmodi, quæ, ſi quid ipſi cómmiſerint, pro illis peieret. In quam rem exempla colligi nihil eſt neceſſe. Ne quem autem locutionis inſolentia moueat, *Te, tibi cui*: ſciat eam Plautinam. Sic enim aliquoties & alibi & Aulular.

*ME. Ego te hodie reddam madidum, ſi viuo, probè,*
*Tibi cui decretum eſt bibere aquam.*

Neq; mihi dubium, hanc ipſam minus notam formulam corrumpendo loco maximè fuiſſe. quamquam excuſari vulgata quoq; lectio poteſt, ſed excuſari, non defendi. Scenâ proximâ falsè irridet luculenteq; deſcribit Græculorum inter vias philoſophantium leuitatem & ebrioſitatem:

*Tum iſti Graci palliati, capite operto qui ambulant,*
*Qui incedunt ſuffarcinati cum libris cum ſportulis,*
*Conſtant, conferunt ſermones inter ſeſe drapeta,*
*Obſtant, obſiſtunt, incedunt cum ſuis ſententiis,*
*Quos ſemper videas bibentes eſſe in Thermopolio.*
*Vbi quid ſurripuere operto capitulo calidum bibunt,*
*Triſtes atq; ebrioli incedunt.*

Leuitatem, dixi, tangit & bibacitatem: ſed & furacitatem, vt poſtrema iſta volunt. Ego tamen ab hoc vitio defenſor illis hoc quidem loco veniam, qui video non eius à Plauto factam, ſed ab alio neſcio quo nimis inuidiosè fictam criminationem. Profectò enim non illa recte ſic hodie legimus, ſed vt hîc à me rectiſſimè, vt confido, emendata ſubſcribam:

*Quos ſemper videas lubentes eſſe in thermopolio,*

*Vbi quàm ſorbuère calidum, operto capitulo bitunt,*
*Triſtes atq; ebrioli incedunt.*

In quibus *lubentes* à veteribus libris eſſe teſtor, qui ſanè habent etiam *in*, etſi poterat omitti. Nam Plautinum alias, lubentem eſſe alicui rei. Ciſtellar.

*Qui ſemper malo muliebri ſunt lubentes.*

Sed expreſſior ſenſus eo retento. In reliquis ad talem emendationem ſingula pæne verba manu me duxerunt, quæ ſententiam aliam ſubeſſe tacitè ſignificabant, & in hanc, quam feci, omnia conſpirabant. In Thermopolio calidum ſorbent: poſt ſorbitionem largiuſculam operto capite eunt, qui mos Græcis, idem paullò antè perſtrictus ibidem, *capite operto qui ambulant.* Iam *bitunt* & facillimè confieri ex *bibunt*, & Plauti vocabulum eſſe, nemo docendus, niſi qui planè hoſpes ſit in his vniuerſim literis: quem ne lectorem quidem, tantum abeſt vt iudicem mihi velim. In fine edictionis huius paraſiticæ, ſed plus quam ædilitiæ, imò baſilicæ:

*Proinde ſe domi contineant, vitent infortunia.*

nihil ambigo, quin antiqua editio melius *infortunio*. Sic enim libenter Plautus, vt hunc caſum iungat illi verbo: cuius exempla quiſque notarit & meminerit vltrò ſibi. Porrò eadem ſcenâ quod eſt:

*PH. Iam edes aliquid. CV. nolo hercle aliquid: certum quàm aliquid mauolo:*

inde Terentius duxit, vt *Aliquid nihil eſſe* diceret. Deinceps ſequitur:

*Video tuum ſodalem, argenti rogo vti faciat copiam.*
*Scires velle gratiam tuam, noluit fruſtrarier,*
*Vt decet velle hominem amicum amico atq; opitularier.*

vbi non Lambinus tantùm ambiguè vel diſtinguit vel ſcribit aliter: ſed magnus item vir planè poſt eum æquè mutat, *velle gratia tua*: cùm vulgatum manifeſtè probetur alio gemino ſequentis ſcenæ loco:

*Quod iſtic ſcriptum eſt, id te orare iuſſerat,*
*Profecto vt faceres, ſuam ſi velles gratiam.*

Et elegans omnino loquendi modus hic, quem vſurpare poſſumus, cum amici gratiam & fauorem aut ſpernere ipſi nolumus videri, aut noſtrum illi, ne ſpernatur, vltrò commendamus. Pertinere videtur huc etiam illud Epidici:

*P. Epidice, habeas gratiam. EP. ſed ego iſtuc faciam ſedulo.*

Sub extremam ſcenam deniq;:

*PH. Laudo. CV. laudato, quando illud quod cupis effecero.*

verſus poſtulat *exeffecero*: quo verbo alibi vtitur, & effectum plenum notat.

## CAPVT V.

*Inſtare, impendere, ſeruire, inſeruire, cum accuſandi caſu. Multa Plauti corrupta in verbis & ſententiis; multa confuſa in perſonarum vicibus reſtituuntur. Etiam Turpilius emendatur.*

INitio ſequentis ſcenæ, *Beatus*, qui genus antiquum dicendi mutant:

*Si magis me inſtabūnt, ad Prætorem ſufferam:*

& *mi* faciunt pro *me*; temerè faciunt, nec alibi ſic locutum Plautum meminerunt. Is autem Pœnulo:

*——Dij immortales meum herum ſeruatum volunt,*
*Et hunc diſperditum lenonem: tantum eum inſtat exitij.*

Item Epidico;

*Tantæ te impendent ruinæ.*

Nam rectè ſic editiones priſcæ, quibus recentiores *in* inferſerunt. Atqui & Terentius omiſit;

*Tanta te impendent mala.*

Moſtellariâ noſtri bis *inſeruire* cum eodem caſu.

*Matronæ, non meretricium eſt, vnum inſeruire amantem.*

Item:

*At hoc vnum facito cogites, ſi illum inſeruibis ſolum,*
*Dum tibi nunc hæc ætatula eſt; in ſenecta malè querère.*

Ad quod exemplum indubiè Turpilius apud Nonium *ſeruire*, ſi rectè emendetur. Turpil. Demiur.

*Ego epol docta dico, quæ mulier volet*
*Sibi ſummum amicum eſſe indulgentem & diutinum,*
*Modicè atq; parcè eius ſerui ad cupidines.*

Reſtituerim enim *ſeruiat cupidines*, non *cupidini*, vt Iunius volebat. Sententia cum Enniano ferè verſu coincidit, qui ibidem ex Hecuba laudatur:

*Quæ tibi in concubio verecundè & modicè morem gerit.*

Sed Turpilii medio verſu corrigam etiam *ſuum* pro *ſummum*. In Curculionis ſcenâ, quam ordiebamur, vlterius cum perges, ad illud offendes, vbi de amiſſo ob rempublicam oculo ſic vnoculus Paraſitus:

*Adoleſcens, ob rempublicam hoc intus mihi*
*Quod inſigne habeo, quæſo ne me incomities.*

Nam *intus* quid illic notat? Neque tam audax fueris, vt *incuſſum eſt* cum viro docto reſcribas. Leuius & lenius, vnâ literulâ mutatâ, legeris *ictus*. Inſigne ictus, veſtigium cape vulneris catapultâ icti. Ob id virtutis pro republicâ acceptum inſigne noli, inquit, calamitati meæ inſultare. Scenâ; *I tu præ virgo*, non ſatis aptè concipiuntur ita perſonæ, vt trapezita lenonem promiſſi ſui tam accuratè moneat: quæ Curculionis partes ſunt, velut heri ſui cauſſam diligenter agentis, cuius & perſonam ſuſtinere deinceps videri

vult, cum tam acerbè & liberè multa in Cappadocem pariter ac Lyconem. Quæ igitur vulgò Lyconi aſſcribuntur, ea Curculioni transſcribo ad hoc exemplum:

*C V. I tu pra virgo: non queo quod ponè me eſt, ſeruare.*
*Et aurum & veſtem omnem ſuam aiebat, quidquid hac haberet.*
*C A. Nemo it inficias. C V. attamen meliuſculum eſt monere.*
*Memento promiſiſſe te, ſi quiſquam hanc liberali*
*Cauſſa manu aſſereret, mihi omne argentum redditum iri,*
*Minas triginta. C A. meminero: de iſtoc quietus eſto.*
*Et nunc idem dico. C V. & commeminiſſe hac ego volam te.*
*C A. Memini, & mancipio tibi dabo. C V. Egon' vt ab lenone*
*Mancipio accipiam?*

Vt dixi, ſub heri militis perſona loquitur hic luſcus Summanus: nec ad Lyconem quidquam triginta illæ minæ attinebant. Militi enim ipſi leno repromiſerat: quod ipſus infra præſens repetit:

*Et leno hic debet nobis triginta minas.*
*P H. Quamobrem iſtuc? M I. quia ille repromiſit mihi,*
*Si quiſquam hanc liberali aſſeruiſſet manu,*
*Sine controuerſia omne argentum reddere.*

Sed vt hîc in principio paraſiti locum argentarius occupauerat, ita contrà ſub finem argentarii paraſitus. Ecce enim ſic edunt:

*L Y. Numquid vis leno? C A. iſtas minas decem, qui me procurem,*
*Dum melius ſit mihi, des. C V. dabuntur. cras peti iubeto.*

Quis autem non videt, à Lycone argentum flagitari, vt idem pro ſe debeat reſpondere? Muta: *L Y. dabuntur. cras peti iubeto.* Meridie clarius hoc, & teſtem tibi tamen eccillum locum è ſcena, *Quei homini.*

*Poſtquam rem diuinam feci, venit in mentem mihi,*
*Ne trapezita exulatum abierit, argentum vt petam,*
*Vt ego potius comedim quàm ille.*

Loquitur hæc leno, qui petitum it eas ipſas decem minas à Lycone. Sed ibidem ſtatim cum à milite occupatur,

*M I. Iuſſeram ſaluere te:*

neſcio ſi ſcribendum potius *iuſſerim*, tum quia non iuſſerat ſanè, tum quia pulcrè id exprimat faſtidioſum aut iratum ſalutatorem. Ea quidem facie & Aſinariâ corrigebamus, *Iuſſo ſaluere Libanum libertum*: quo loco erat item præterito tempore *iuſſi*: pro quo poſſis etiam *iuſſim* illîc reponere, contractum è *iuſſerim*, vt alia multa ſolent, & in illis *dixim* pro *dixerim*. Porrò autem ſcenâ, cuius id ipſum initium.

*P L. Phædrome propera. P H. quid properem? P L. paraſitum ne amiſeris.*

Magna

*Magna res eſt. PH. nulla eſt mihi. nam quam habui abſumſi celeriter.*

vide ne poſtremum hoc *celeriter* Planeſio tribuendum, quæ cum proximo verſu ſic continuet:

*———PH. nulla eſt mihi. nam quam habui abſumſi. PL. celeriter*
*Tene inquam. PH. quid negotij eſt? PL. rogita vnde iſtunc habeat annulum.*

Et quod his adhæret:

*Pater iſtum meus geſtauit. CV. at mea matertera.*
*PLA. Mater ei vtendum dederat. CV. pater tuus rurſum tibi.*

id quoque vix eſt vt ſincerè ſic ſcribatur. Ego quidem de luxatione grandi ſuſpicor, qua membra poſteriora verſuum locum inter ſe mutarint. Sed ſuſpicor tantùm, neque auſim vlla cum affeueratione ſententiam pronuntiare. Quin ipſam pronuntiare vix audeo: quamquam ſententia non erit, ſed opinio tenui veriſimilitudine ſuffulta. Dicam prius, vnde ſuſpicionem ducam. Verſus prior in voce *mea* claudicat, etſi vetuſtæ editiones ſubueniunt inſertione tali, *at pol mea*: tum in eodem *matertera* non aptè videtur opponi *patri*. In altero *quit* vulgò legitur, quod Lambinus iuſſit expungi: ibidem ſtatim lectionem diuerſam Palmerius reperit in antiquis, *pater mios rijum tibi*. Hinc ad emendationem eiuſmodi moueor, vt tranſlatis verſuum membris, leuiſſimeq; mutatis vno atq; altero verbis, ita refingam:

*———PL. rogita vnde iſtunc habeat annulum.*
*Pater iſtum meus geſtauit. CV. quin pater meus iſtum ſibi.*
*PL. Mater ey vtendum dederat. CV. at meo matertera.*
*PL. Nugas garris.*

Vim, niſi ſi traductione ipſa, nullam verbis facimus. E *quit* ſponte naſcitur *quin*; è *mios*, *meus*; è *rijum*, *iſtum*: quamquam ex hoc facilius ſanè *rurſum*, pro rurſum. At ſenſum ſi vides, eleganter Paraſitus Planeſium eludens patri eius patrem ſuum, eiuſdemque matri ſuam item materteram opponit. Sed nihil huius, iterum dicam, affirmo: ſtabitque aut cadet opinio noſtra dubia certiſſimo iudicio aliorum.

## CAPVT VI.

*Iterum perſonæ turbatæ digeruntur, aliaq; ſimul corriguntur, explicantur.*

IN eadem interiore ſcena neſcio quid etiam aliud videre mihi videor, quod magnam illi venuſtatem afferat, ſi reſcribatur ex mea ſententia. Nam quo loco legis:

*MI. Ego dicam, ſurge. hanc rem agite, atq; animum aduortite.*
*Pater meus habuit Periphanes, Planeſium.*
*Is priuſquam moritur, mihi dedit tamquam ſuo.*

*Vt æquum fuerat, filio.*

etſi non inuenuſtè Planeſium præ ceteris compellat miles, dum Phædromo ſimul & Curculioni narrat: tamen id Plautum non puto voluiſſe: qui mihi quidem bis ſcripſiſſe Periphanis nomen videtur, quod a milite auditum inopinatâ mentione percuſſa & admirabunda Planeſium repetat hoc modo:

*Pater meus habuit Periphanes. P L. Periphanes?*

*M I L. Is priuſquam moritur.*

Quod tam profectò lepidum, vt iſtac iteratione tota ſcena colluſtretur. Rem cogita, quæ in geſtu poſita. Nominabat miles patrem ſuum Periphanem, qui idem Planeſii pater: hinc hæc nouitate rei excitata primùm miratur ſecum Periphanem & illi parentem: mox, pergente illo, & interim filium ſe eius appellante, magis commota mulier, *prò Iuppiter* exclamat: denique non ſe ſuumque gaudium tenens amplius, in affectum penitus effunditur, & repertum ſibi fratrem gratulabunda conſalutat. Et erit ne, qui non hanc reſtitutionem ambabus quod dicitur, manibus acceptet? Error, ſi quis requirit, inde fluxit. Hæſitans librarius, cum iterari vocem vnam omnibus literis videret, eam ſcribendam potius cenſuit, quæ notis erat deſignata. Sic ex P L. abiecto nomine altero, natum nobis *Planeſium.* Sequitur ibidem alius in perſonarum vice error:

*——M I. Cedò vt inſpiciam. PH. ſanan' es,*

*Quæ iſti committas? P L. ſine modo.*

Credesne, tantopere militi, quem tacitè affinem ſibi iam ſperabat, diffiſum Phædromum, vt annulum illi noluerit committi? Quin paraſito potius ea verba tribuis, qui decorè admodum nec immeritò timere inducatur, ne vt ipſe prius militem, ſic hic Planeſium viciſſim annulo circumducat. Etiam deinceps vix eſt, vt rectè iſthæc habeant, etſi non habent nimis malè.

*——P H. Deos volo bene vortere*

*Iſtam rem vobis. C V. & ego nobis omnibus,*

*Tu vt hodie aduenients cœnam des ſororiam:*

*Hic nuptialem cras dabit. P H. promittimus.*

*M I. Tace tu. C V. non taceo, quando res vortit bene.*

Quanto enim concinnius perſonam hîc quoq; alteram ſuſtuleris, alteram mutaris?

*Hic nuptialem cras dabit. promittitin'?*

*P H. Tace tu.*

quamquam militis relinquere ſanè potes: vti contrà & Phædromi, ſi velis, in huius conuertere paullo pòſt: *M I. Quid dotis?* Sed horum nihil neceſſe. Illud autem, niſi fallor: vt in ſequentibus militis verbis:

*M I. Verum hercle dico, me lubente feceris.*

ſcribas *dicit.* Conſuadet enim Phædromo, de paraſito dum viuat

 alendo.

alendo. Et *verum* ibi eſt æquum.quaſi dicat,ius orat,nec immeritò impetrauerit, qui quidem nobis occaſio fuerit huius inter nos agnitionis. Atq; hinc ad finem ſuſpicor,ne quod vulgò ſic abſque vllo ferè ſenſu:

*PH.Spondeſne miles mihi hanc vxorem? MI.ſpondeo.*
*CV.Et ego hoc idem vnum ſpondeo. MI.lepide facis.*

emendandum ſit in hanc ſententiam:

*PH.Et ego huic cibum vnà ſpondeo.*

Reſpexerit enim ad ſuperiorem perpetui cibi flagitationem Phædromus, cui verba correcta tribuimus: & illum miles, qui antè ſuaſerat,nunc promittentem opportunè collaudarit, *Lepi.è facis.* quod militis dictum paraſito & eius vulgatæ conſponſioni vix aliquo modo queat accommodari. Sed ante iſta,vt regrediamur, nec hæc perſonis rectè digeſta:

*PH.Nunc eamus ad lenonem. MI.laudo. PH.hic prius volo*
*Meam rem agere.*

Si conſideras enim attentius, quid cuique conueniat magis,ita cum ſuperioribus connectenda primùm, deinde & ipſa diſponenda iudicabis:

*PH.Quamobrem iſtuc? MI.quia ille repromiſit mihi,*
*Si quiſquam hanc liberali aſſeruiſſet manu,*
*Sine controuerſia omne argentum reddere.*
*PH.Laudo. MI.nunc eamus ad lenonem. PH.hic prius volo*
*Meam rem agere. MI.quid id eſt? PH.vt mihi hanc deſpondeas.*

## CAPVT VII.

*Hodie, Comica additio. Promiſtin'. Liberali,ſc.cauſſa. Tum. Pluſcula notæ: quibus alia in verbis,alia in perſonarum ſitu,alia in ipſo verſuum ordine turbata & turpata concinnantur ad locorum lucem ac fabulæ nitorem.*

VNA nobis hìc ſcena ſupereſt,cui dabimus iſtud caput. Malè inibi recentiſſimæ recenſionis optima editio:

*——MI.heus tu,leno,te volo.*
*PH.Et ego te volo. CA.at ego vos volo ambos. MI.ſta ſis illicò.*

quod aliæ omnes rectè, *CA.at ego vos nolo ambos.* Nolebat enim leno, metuens quod futurum erat: atque ideo ſtare mox à milite iubetur.At quod ſequitur,nec hæ,nec illa,ſcribunt ſatis aptè:

*——CA.quid mecum eſt tibi?*
*Aut tecum? aut? MI. quia ego ex te faciam pilum catapultarium.*

Interpres explicat ſanè, vt debuit:at idem cur non diſtinxit ad illam ipſam ſuam explicationem? Quomodo autem & alii,ſecuti eundem, tamen hoc non animaduerterunt? Certè enim *aut* illud ſolitarium militi tribuendum eſt, qui per iracundiam abrumpens lenonis argutationem, repetit hanc eius vocem: & quid,inquit, *aut* mihi oggeris, & diſputas quid rei nobis & mihi præcipue te-

cum? Vt ſcias, catapultarium ego te pilum faciam, niſi argentum mihi properas reddere. Scribes ergo:

——*C A. quid mecum eſt tibi?*

*Aut tecum? M I. aut? quia ex te hodie faciam pilum catapultarium.*

Sic enim etiam præterea veteres editiones, eiecto *ego*, *hodie* inſerunt, quod Comicè additur, & abundat in ornatum, vti ſtatim quoque, *Delicatum te hodie faciam.* Inferius hac fabula:

*Cui homini hodie peculi nummus non eſt plumbeus.*

Terent. Phorm.

*An quidquam hodie eſt factum indignius?*

Deinceps fortaſſis illud de lenoniâ linguâ rectè:

*Dicendi, non rem perdendi hac gratia nata eſt mihi*

tamen in ſuſpicionem leuiter inclinabam: *Ditandi rem, non perdendi.* cuius ſimile Rudente:

*Iuſiurandum rei ſeruandæ, non perdendæ, conditum eſt.*

Huic hæret verſus:

*M I L. Nihil agit: collum obſtringe homini. P H. iam iam faciam vt iuſſeris.*

cuius alteram partem quo iure Phædromo aſſignant? Lenoni debetur, qui minaciis perterrefactus ſupplex nunc quodammodo fit, & facturum omnia pollicetur quæ iubeatur. Nec errorem hunc antiquiores libri errant, qui ſic liquidò Cappadocem his præfigunt:

——*C A. iam iam faciam vt iuſſeris.* Statim:

*M I L. Promiſiſtin', ſi liberali quiſquam hanc aſſeruiſſet manu,*
*Te omne argentum redditurum.*

Verſus gratia ſcribe *Promiſtin'*. Omittit autem ſolens vocem *cauſſa*, quæ *liberali* iungatur, ne hanc putes referendam ad *manu.* Superiore proximâ ſcenâ:

*Si quiſquam hanc liberali aſſeruiſſet manu.*

Deinceps manifeſtam tranſpoſitionem video verſus vnius inter iſtos:

*M I. Tu autem in neruo iam iacebis, niſi mi argentum redditur.*
*C A. Hercle iſtam rem iudicaſti perfidioſè Phædrome.*
*Et tibi oberit, & te, miles, dij deaq; perduint.*
*Tu me ſequere.*

Horum ſecundus ſequi omninò debet eum, qui primum antecedit, vt ſtatim poſt ſententiam à Phædromo pronuntiatam, perfidiæ eum arguat & refutet leno. Qui ordo flagitatus ab ipſa ſententia, interiectu primi huius verſus impeditur. Id vt ne ſit amplius, traducendus ille ponendusq; ante eum, cuius extremi partem hic aliquam aſſcripſimus, variata ſimul & aptata perſonarum collocatione. Totus locus ita reſtituetur:

*Nunc adeò, vt tu ſcire poſſis leno meam ſententiam:*

*Libera*

*Libera hæc eſt, hic huius frater eſt, hæc autem illius ſoror:*
*Hæc mihi nubet, tu huic argentum redde. hoc iudicium meum eſt.*
*C A. Hercle iſtam rem iudicaſti perfidioſè Phædrome.*
*Et tibi oberit: & te, miles, dij deæq; perduint.*
*M I L. Tu autem in neruo iam iacebis, niſi mi argentum redditur.*
*C A. Tum me ſequere. M I. quò ſequar ergo te? C A. ad trapezitam meum,*
*Ad prætorem.*

In quibus videas alia quoq; leuicula duo pariter emendata: *tum*, pro *tu*; *ergo*, pro *ego*: quorum tamen hoc non æquè vt alterum neceſſarium. Imprecationem lenonis eludit miles, & tibi quidem malum in mundo iam eſt, inquit, vt in neruo iaceas, niſi ſtatim nummos reddis. quibus minis velut fractus ille ſequi igitur eum iubet ad ſuum trapezitam. *Tum* enim eſſe, igitur, nemo fuerit monendus. Exodium verò & ſcenæ & fabulæ huius etiam ipſum turbat in perſonis, vt hodie vulgò diſponuntur:

*——M I. quid tum? rogitas? hiſce ego, ſi tu me irritaueris,*
*Placidum ted hodie reddam. C A. age ergo, recipe actutum. P H. licet.*
*Tu miles apud me cœnabis, hodie fient nuptiæ.*
*M I. Quæ res bene vortat mihi & vobis. ſpectatores plaudite.*

Verùm antiquæ editiones diligentius obſeruarunt & fideliter nobis aſſeruarunt poſitum germanum. Ex *licet* tribuunt militi: cuius eſt hæc planè vox, qua reſpondet Cappadoci argentum offerenti. Nam inter eos pecuniarium negotium, & ad militem directa vt reliqua, ſic & iſta lenonis verba: *age ergo, recipe actutum.* Ad hunc igitur modum ex antiquis corrigatur:

*——M I. licet.*
*P H. Tu miles apud me cœnabis.*

Atque hìc in Comœdiæ fine finem etiam nos diſputationum ad eam noſtrarum faciamus.

Digitized by Google

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI CASINAM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD

Nobiliſſimum & Excellentiſſimum virum

HIERONYMVM MERCVRIALEM Medicum, Philoſophum,& Philologum præclariſſimum.

NON *humanius omni genere benignitatis habuiſti me præſentem, Cl.* MERCVRIALIS, *quàm nunc abſentem etiam proſequeris epiſtolari comitate. Nam quæ nuper à te literæ, bone Deus, quo affectu ſcriptæ! quàm ſpirant illam veterem beneuolentiam, & amorem, quem comparare non niſi paterno poſſum! Et auxiſſe tibi quidem ille videtur, adeò nō relanguiſſe à locorum tanto, maiore ſanè quàm temporis, interuallo: mihi autem obſeruantia tui & cultus itidem quotidie creſcit: & vtrinque hoc video euenire, vt è mutuo deſiderio magis inuicem amemus & colamus, qui ex ipſo inter nos amore cultuq; magis deſideramus. Ego enim ægerrimè ſanè, atq; ægrius indies à tali me viro abeſſe ſentio, cui perpetuò adeſſe cum fructu meo maximo neque nulla dignitate, non deerat occaſio, ſi vti licuiſſet: & tu qui hoc agebas, vt me retineres, vltroque deferebas honorificam manendi conditionem, fateris impatientiam negatæ conſuetudinis meæ tuam, atq; optas eam poſtliminio: de qua cum ſperes non item, eò laberis, vt in ſcriptis tamen frui me cupias, & ad edendas horteris ingenioli noſtri commentatiunculas in varios auctores, quibus apud vos etiam fuiſſe me deditum in-*

*tellexiſti*. Non mediocriter, *aiebat Pliniorum alter ad neſcio quem amicum*, ad noua opera tu me lector hortaris: *quid, tu me quàm accendere debet*, [illegible] *Mercurialis, hortator idem qui es & lector es futurus? Equidem propero iam, & propero tanto magis, quanto minus tibi vita reliquum eſſe ſpatium ais, vt neq; te voluptate quadam priuem, neq; me ipſum eo fructu, quem ex ſtudijs meis ſummum percipiam, ſi à te ſcriptiuncula mea tenues legantur, & fortaſſis etiam probentur. Atque vtinam, vtinam ſint vlla mea tales, quas cùm lectione digneris tua, dignari & approbatione poſſis! Hic verò fructus multò maximus, & vnicus, non ſtudiorum tantùm, ſed ipſius mea vita. Cuius etſi fructus ſpes exigua mihi, conſcio meis ſua indignitatis: haud eſt tamen nulla, cum tuam cogito procliuem in nos æquitatem & voluntatis ac iudicij facilitatem. quamquam intereſt ſanè multum, ſuo quis merito quid, an gratia & alterius fauore, & vtro magis horum, conſequatur. Sed de nobis tu videris: ac vidiſti iam abſque dubio in parte. Nec enim vidiſſe te dubito, quæ animaduerſa nuper in Curtium dedimus, immatura fortaſſe, ſed tua incitati, quam dixi, cupiditate: quam neque nunc morari voluimus in Planto. Hunc Diuinationibus & Interpretationibus illuſtrare conati dudum ſumus, & meminiſti iam apud vos de quibuſdam eius locis inter nos agitatum: cùm tuo iudicio libenter ego vterer, quoties ad hac minora deſcendere tibi libuiſſet, & tu contrà volens erudires me quibuſcunque de rebus interrogaſſem: vt fateri debeam, ac fatear ingenuè, plurimum in his quoque literis tuo beneficio me profeciſſe: ſed interim neſcio, plusne de ſermonibus & viua auditione tui, an è ſcriptis tuis erudîtiſſimis, quæ cum omnium ſibi ſtudia varie deuinxerint & meruerint laudatorem vnumquemque, neminem inueniunt parem & dignum ſatis: ne humili praconio ſequi vnus ego illa coner, quibus omnem prædicationem ſupergreſſis inferiores alij ſe agnoſcunt. Age vero tu vir tantus, & talibus in omnes meritis, quandoquidem amore deſiderioq; nugarum mearum ſic teneris, inſpice nunc hæc Plautina noſtra, no expectationi tantæ reſponſura: ſed etſi*

*minus*

*minus reſponſura, tamẽ futura grata: quorum tibi partem inſcribimus etiam & hac & pluribus de cauſſis. Nam quæ tu ſic auide cupis, & quæ te iubente proferuntur, eorumne debuit ad te mitti dirigiq; nominatim nihil, cum in aliis hanc rationẽ tenuiſſem? Imo debuit ad te maximè quidquid hoc erat totum, vt auctoritate vel vnius tua niteretur: ſed diſſuaſit cum alia multiplex, tum illa ſimpliciſſima ratio, ne te nimis onerarem & obruerem iſta ineptiarum mole, quam non poſſes ſolus vniuerſam ſuſtinere. Diſtribui igitur in plures: & ſat, ſcio, negotij tibi faciet hæc particula tantilla, in qua tuenda ſola non defugies auctoritatem, quam in edendis omnibus ſum ſecutus. Accipe eam tuo debitam & deditam patrocinio, ſi non qualem, at quia voluiſti: & ſi deſperas adeò in publicum tueri, tuo arbitratu refinge, innoua, orna, quo maximè habitu poſſe videbitur placere. Permitto in eam tibi ius omne, planeque id vſurpari à te volo, ne pudorem incutiat aut maculam fortaſſis aſpergat aliquam illuſtri tuo nomini: quod inſcitus ego cogitabam initiò illâ ipsâ inſcriptiunculâ velut ornare, certè quidem honorare. Namque & hæc erat inſcribendi quædam cauſſa: itemque alia, vt innumeris maximiſque in me beneficiis tuis vnam hanc minimamque non gratiam, ſed vmbram gratiæ referrem, quam veram atq; illis parem apud animum meum habeo & habebo ſemper,*

——— εἰσόκ' ἀϋτμὴ

ἐν στήθεσσι μένει, καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.

*Sic enim meritus es de me,*

Et quæcunque homines benè cuiquam aut dicere poſſunt

Aut facere, hæc à te dictaq; factaq; ſunt:

Omnia quæ gratæ manſerunt credita menti,

*vtque manſiſſe nec periiſſe tu ipſe, & à te alii cognoſcant, volo hoc tenue monumentum exſtare, quod animi memoris ac grati priuatim publiceque mihi perhibeat teſtimonium ad poſteros etiam, ſi ad aliquam hæc talia ſcripta durare poſteritatem queant. Erant denique & aliæ cauſſæ nonnullæ, ſed præcipua omnium, quam primam poſui, quamque tu vnam agnoſces, etſi reliquas nec aſpernaberis, & meum tibi ſta-*

*dium placere modis omnibus patieris. Ipſe quidem libellus hic, imperio quaſi tuo euocatus, tuo emiſſus auſpicio, tuæ tutelæ commiſſus, amplius commendari tibi non debet: multo minus ego, quem tu ſemel in cariſſimorum tibi numerum humaniſſimè receptum, benigniſſimè fotum hactenus, in perpetuum conſtantiſſimè retinebis.*

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI CASINAM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Plautus, latrans nomen ex ſententia Douſiana. Poſtideà. Autem. Ratione vti. Ad Caſinæ Prologum explicationes & emendationes aliquot; vna etiam in Appuleium.*

AD CASINAM ex ordine deuenimus, non ipſam; ſed Plauti cum latranti nomine. Sic enim iungenda primùm hæc Prologi verba: ——*Diphilus*

*Hanc Græcè ſcripſit, poſt id rurſum denuò*

*Latinè Plautus cum latranti nomine.*

Deinde ſi me deceat arbitrum agere diuerſiſſimarum opinionum, quas viri docti plures ad hunc locum attulerunt, non accipienda prorſus aliter putem, quàm V. N. Douſa Centurionatu ſuo diſertiſſimè explicauit: poſt quem miror alios vel hiſcere aliud auſos, & mirabor, ſi qui pòſt audebunt. De cetero, vix eſt, vt ipſa ea verba rectè vulgò ſic. vt exhibuimus, legantur: quando in Edd. Vett. aliquantò diuerſa ſcriptura reperitur:

——*Diphilus hanc*

*Græcè ſcripſit: pòſt id, eam rurſus denuò.*

Et profectò nihil hinc procliuius atque etiam verius, quàm *poſtideà* Plautinum aduerbium concinnare, prouocabulo *hanc* vel abiecto, vel in finem præcedentis verſus reiecto, vt quidem in antiquis ipſis fieri videmus. In eodem autem Prologo, quem Plauti non eſſe ſatis conſtat, ſed talem mehercule, cuius nec pudere ipſum poſſit, leuia ſunt præter hoc alia quæ notemus. Sub initium, poſt ſcitam illam comparationem vini veteris, & veterum fabularum, additur:

*Antiqua opera & verba cùm vobis placent,*
*Æquum placere eſt antè veteres fabulas.*

Quorum verſuum priore numeris leui traductione conſulas, *Antiqua verba & opera:* altero deinceps *autem* legere malim pro *ante.* Quamquam enim hoc interpretari non ineptè potes, quaſi ſit prius, magis, potius: illud tamen elegantiæ neſcio quid maioris ſpirat, & ſapidiorem guſtum habet Plautinæ cuiuſdam vſurpationis: quæ cùm alibi frequens, tum Aulularia itidem Prologo eadem:

*Illa illum neſcit, neq; compreſſam autem pater.*

Moſtellar. *Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter ſenex.*

Lucret lib. *6.*

*Nec ſunt multa parum tactu vitanda, neq; autem*
*Aſpectu fugienda, ſaporeque triſtia quæ ſint.*

Appuleius ad finem Floridor. primi: *Patior & ipſe in meis ſtudijs aliquam pro meo captu ſimilitudinem. Nam quodcunq; ad vos protuli, exceptum ilico & lectum eſt: nec reuocare illud, nec autem mutare, nec emendare mihi inde quidquam licet.* Rectè enim ſic eruditiſſimus Colvius, cùm pariter mutatum eſſet *antè.* Sed facile fuit ibi reponere: quia ibidem præceſſerat: *Proconſulis autem tabella ſententia eſt: quæ ſemel lecta, neq; augeri litera vna, neq; autem minui poteſt: ſed vtcunque recitatum eſt, ita prouinciæ inſtrumento refertur.* Ex quibus ipſis & loci totius ſententia clarum eſt, emendandum priore etiam loco *exceptum,* pro *excerptum.* quod cum vltrò conieciſſem olim, vidi poſtea & in Aldino codice liquidò exſtare, quem ſequi debuerat idem quem dixi editor, non modò non hîc planè præterire. Ceterùm *autem* ſic ferè & hoc ipſo Caſinæ prologo iterum poſitum:

*Ratione vtuntur: ludis poſcunt neminem,*
*Secundum ludos reddunt autem nemini.*

Vbi *ratione vtuntur,* meo animo, non melius interpreteris, quàm Italorum lingua, *hanno ragione.* Nam & ad verbum reſpondet, & prorſus quod hac phraſi illi dicunt, dictum voluiſſe auctorem, quiſquis hic eſt, cenſeo. vt fruſtra ſe torſerint Boſius & Lambinus in tam variis & monſtroſis gloſſematis confingendis. Porrò benè ſcribitur iſtud:

*Id ni fit mecum pignus, ſi quis volt, dato*
*In vrnam mulſi.*

nec peius in veteri quodam, *Id ni ſit.* Clauſula verò huius Prologi:

*Tantum eſt. valete, bene rem gerite & vincite.*
*Virtute vera, quod feciſtis antidhac.*

tota non adumbrata leuiter, ſed expreſſa penitus & tranſlata eſt ex Ciſtellaria:

*Hæc res ſic geſta eſt. bene valete & vincite.*
*Virtute vera, quod feciſtis antidhac.*

## CAPVT II.

*Perſonæ errantes in prima ſcena iuſto ordine diſponuntur: & ſententiæ laborantium locorum exponuntur.*

QVÆ in fine ſcenæ primæ ſub perſonis Chalini & Olympionis concepta leguntur, vereor vt concepta rectè ſub ſuis quæq; perſonis legantur:

*CHA. Nunc, ne tu te mihi reſpondere poſtules,*
*Abeo intrò: tadet ſermonis tui. OL. te ſequor.*
*Hic quidem pol certò nihil ages ſine me arbitro.*

Nam priora quæ Chalino tribuuntur, ſententia ſuadet, vt Olympioni dentur, qui cum ſuperioribus ea continuet hoc exemplo:

*Quum mihi hac dicentur dicta, tum tu furcifer,*
*Quaſi mus, in medio parietis verſabere.*
*Nunc ne tu te mihi reſpondere poſtules,*
*Abeo intrò: tadet ſermonis tui.*

Præter ſententiam vniuerſim, etiam verba ſingulatim hoc volunt. Etenim *Nunc* omninò præcedētibus adhæret, tranſitiua particula, vel magis præcidens. Deinde *poſtules*, quod nō intellectum bardis exſcriptoribus, cauſſa mutationis huius ipſa fuit; illud inquam *poſtules* non aliter interpreteris commodè, niſi in Olympionis perſona. Senſus enim & huius, & totius loci germanus iſte. Cum enumeraſſet Olympio, quæ cum moleſtia & cruce ſua auditurus in feneſtra Chalinus eſſet, ne ille reſpondere ad ſingula prolixâ odioſaq; ſibi oratione pararet, abit intrò, atque ait: Hæc euenient tibi, quæ dixi: iam ne reſponſionem coneris, aut horum occipias refutationem, abeo: non poſſum auſcultare ſermoni tuo. Quod cum ita ſit, reliqua iam Chalino viciſſim aſſcribenda, quæ erant anteà Olympionis.

*—— CH. te ſequor.*
*Hic quidem pol certò nihil ages ſine me arbitro.*

Sed, inquiet aliquis, huic perſonarum mutuæ traiectioni ſcenæ eiuſdem priora omnia reclamant, initium ipſum maximè, vnde liquet, ab Olympione obſeruari Chalinum quem contra nos ſectatorem & veluti cuſtodem facimus Olympionis. Video hoc, & ſcio: ſed quando demonſtraui, neceſſariò cohærere, quæ iunctim Olympioni nunc aſſignauimus; ſequitur, non, quæ ſuperſunt, in fine mutanda ſaltem, vt proxima proximis reſpondeant: ſed vt pariter etiam alia congruant, omnia refingenda, quæ præcedunt, illi ſententiæ contraria. Ex fine inquam corrigendum initium: & huc ibam, cum extrema ſcenæ vitii arguerem, vt inde porrò etiam prima. Iam illis conſtitutis, hæc ad eandem rationem conformanda: quæ dico mutatis inuicem perſonis ita ordine ſcribenda.

*OL. Non mihi licere meam rem me ſolum, vt volo,*

Loqui

*Loqui atque cogitare, ſine ted arbitro?*
*Quid tu (malum) me ſequere? CH. quia certum eſt mihi,*
*Quaſi vmbra, quoquo ibis, te perſequi.*
*Quin edepol etiam ſi in crucem vis pergere,*
*Sequi decretum eſt te: hinc conijcito ceterum,*
*Poſſime, nec ne, clam me ſutelis tuis*
*Præripere Caſinam vxorem, perinde vt poſtulas.*
*OL. Quid tibi negotij mecum eſt? CH. quid ais impudens?*
*Quid in vrbe reptas villice hic magni pretij?*
*OL. Libet. CH. quin ruri es in præfectura tua.*

Sectatur omnino Chalinus Olympionem, quod & ordo nunc iſte vult, & alioqui veriſimile eſt magis. Nam cum in vrbem villicus aduenisset, conditionem Caſinæ ambiturus, alter ſibi repulſæ metuens vbique eum obſeruat aſſiduus comes aut aſſecla, ne quid eius rei ſecretò poſſit attentare. Certum hoc eſt & perſpicuæ veritatis: quamquam non diſſimulabo, ſpeciem aliquam defenſionis pro vulgata lectione peti ex antiquis ſanè quibuſdam editionibus poſſe, quæ ad finem non legunt *te mihi*, ſed *me tibi*: vt inde Chalini reſpondentis hæc eſſe verba, & retinenda cum vulgari vbique diſtinctione perſonarum videantur:

*CHA. Nunc ne tu me tibi reſpondere poſtules,*
*Abeo intrò: tadet ſermonis tui. OL. te ſequor.*

Sed nemo tam, opinor, erit infirmi animi aut iudicii, qui permoueri tantillùm vano ſe hoc ictu patiatur, neque cõſtanter cenſeat nobiſcum, ad illum quem oſtẽdimus modum & hæc & reliqua refingenda. Quòd ſi quis tamẽ erit; at pro me firmiter vniuerſa loci ſententia ſtat, & in extremo illa præcipuè verba, *Nunc, & poſtules*: quę Chalino vt conueniant, nunquam à quoquam vllis machinis efficietur. Latinè ac Plautinè qui ſciunt, ſolos mihi iudices depoſco: alios & hîc deprecor, & abominór vbique. Ceterùm eadem ſcenâ perſonis laboratur etiam iſto lòco:

*CH. Ex ſterquilinio effoſſe, tua illac præda ſit?*
*OL. Scies hoc ita eſſe. CH. væ tibi. OL. quot te modis,*
*Si viuo, habebo in nuptijs miſerum meu?*

Abundat, meâ ſententiâ, & temerè Chalino tribuitur hoc, *væ tibi*, quod Olympioni verius quadrat, vt continuè ſic iſta pronuntiet:

*OL. Scies hoc ita eſſe. væ tibi! quot te modis &c.*

Atque de hoc dubitare ne is quidem poterit, qui nihil habere ſoleat certum.

## CAPVT III.

*Præſepe, ſtabulum flagitij. Nihil, omnia cum illo mihi ſunt. Quædam in verbis, alia in perſonis emendata: tum verſus traiectio inſignis oſtenſa. hæc reſtituta, & reliqua omnia explicata.*

SCenâ, quæ primam ſtatim ſequitur:

*PAR. Prandium iuſſerat ſenex ſibi parari.*

*CL. St, tace, atq; abi. neq; paro, neq; hodie loquetur.*

ſuboffendit me ſilentii nota qua nihil ſanè opus. Quis enim metus hîc aut trepidatio? *Sta* referant veteres libri: quod ſuſpicor vel relictum ex integro nomine *Cleoſtrata*, vel certè decurtatũ ex *Sceleſta*: qua voce iraſcatur ancillæ, & eam increpet hera, quòd prandii & cenis meminiſſet. Ibidem habes:

*—Faciam vti, proinde vt eſt dignus,*
*Vitam colat, Acheruntis pabulum, flagitij*
*Perſequentem. ſtabulum nequitiæ.*

Hîc non concoquo vocabulum *Perſequentem*, neque magis, quod alibi ſcribitur, *Per ſequens*: vnde tamen opinabili diuinatione faciebam *Præſepe*. Non inficetè: vt cum ſtabulum & pabulum nominat, præſepe nominet etiam quod his affine. Et præſepe flagitii quidni dicat eadem ratione, qua flagitii aut nequitiæ ſtabulum? Hoc quidem ſæpe; & Truculento, cuius vnum exemplum habeo in numerato:

*Tune ais impudentem me eſſe, quæ ſis ſtabulum flagitij?*

Deinceps ſtatim: ——*Nunc hinc*

*Meas fortunas eo queſtum ad vicinas,*

vnitatis numero verius ſcribes, *vicinam*. Et ſtatim:

*Sed foris increpuit. atq; ea ipſa eccam egreditur*
*Foràs. non pol per tempus iter incepi:*

dubito, an non aptius, *egreditur Foràs nunc. pol per temp. it. incepi*: ſententiâ contrariâ, ſed quæ mihi veriſimilior videatur, etſi ambigua eius ſanè ratio, quæ poſſit vtrinque ſtare. Quia enim egreditur Murrhina commodùm, opportunè videri Cleoſtrata poteſt iter incepiſſe, quæ conuentam illam cupiebat. At ſi domi eam ſuæ voluit conuenire, vt otioſè ibi ſimul garrirent; iam rurſus haud per tempus eſt profecta. Quæ poſterior opinio tamen leuior, & nullo nixa argumento: prior & à ſe ſolidior eſt, & ſequenti ſcena confirmatur. In qua primùm hoc noto, non mutandam cum viro docto lectionem iſtorum:

*Nam vicinam neminem amo meritò magis, quàm te:*
*Nec qua cum plura ſint mihi, quæ ego velim.*

Venuſtum dicendi genus eſt, Multa vel omnia mihi cum illo ſunt: cui vulgatius hoc reſpondet, Nihil eſt mihi cum illo. Cicero ad Famil. lib. 13. *Cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt: niſi quòd in Philoſophia vehementer ab eo diſſentio*: vnde ſpurciſſimum gloſſema, vocem *communia* rectè pridem expulerunt. Idem ad Attic. lib. 12. *Mihi ante Ædilitatem meam nihil erat cum Cornificio.* Deinde nec Gulielmium noſtrum audio, qui in illis:

*CL. Vir me habet peſſimis deſpicatam modis,*
*Nec mihi ius meum obtinendi copia eſt.*

mutat *optio eſt*. Errant libri, quicunque ſic hoc loco ſcribunt: neque conuenit nominis ſignificatio rei, quam Cleoſtrata dicit. At verò ille ipſe verſus, in quo hoc mutat, loco ſuò mõtus eſt, qui legitimus ei fuit à paucis verſibus, ac poſt illum planè, qui hîc idem ſcriptus, illîc iteratur:

*Vir me habet peſſimis deſpicatam modis.*

Seriem vide ſermonis, & pedibus huc mecum ibis. Petit Murrhina & iubet Cleoſtratã dicere, quid ægrè ſibi ſit. reſpondet illa hoc, à viro ſe deſpici & contemni. quòd cùm altera non acciperet ſatis, clarius & planius exprimi vult hanc querelam. Ibi igitur Cleoſtrata, prioribus repetitis, addit porrò, non eſſe copiam ſibi obtinendi ſui iuris. Hæc neceſſariò ſic ordinanda. Quòd ſi non; minus Cleoſttata dicit, plus iuſſa dicere, quàm prius: nec rem clarius explicat, ſed eloquitur obſcurius. Id quàm ineptum, omnes vident. Sed aliud etiam eſt maius traiectionis argumentum. Murrhinæ verba,

*Mira ſunt, vera ſi prædicas. nam viri*
*Ius ſuum ad mulieres obtinere haud queunt*;

manifeſtiſſimè demonſtrant, hîc illa Cleoſtratæ præceſſiſſe:

*Nec mihi ius meum obtinendi copia eſt.*

Poteram & alia dicere: ſed quid morer in re clara? Sic locum integrum ex hac emendatione noſtra reſcribendum poſthac curabunt:

*MV. Amo te, atq; iſtuc expeto ſcire quid ſit.*
*CL. Vir me habet peſſimis deſpicatam modis.*
*MV. Hem quid eſt? dic idem hoc: nam pol haud ſatis meò*
*Corde accepi querelas tuas; obſecro.*
*CL. Vir me habet peſſimis deſpitatam modis,*
*Nec mihi ius meum obtinendi copia eſt.*
*MV. Mira ſunt, vera ſi prædicas. nam viri*
*Ius ſuum ad mulieres obtinere haud queunt.*
*CL. Quin mihi ancillulam. &c.*

Sed & quæ nunc ſequuntur, vt aſſcribam amplius, ipſa requirunt, medicinæ etiam noſtræ indiga.

*CL. Quin mihi ancillulam ingratis poſtulat, quæ mea eſt,*
*Quæ meo educata ſumtu eſt; villico ſuo dare.*
*Sed ipſus eam amat. MV. obſecro tace. nam hîc nunc*
*Licet dicere. nos ſumus. CL. ita eſt. MV. Vnde ea tibi eſt?*
*Nam peculi probam nihil habere addecet*
*Clam viro.*

Nam offuſcant ſententiam germanam perſonæ non leuiter confuſæ. Eas ſic digero:

*Sed ipſus eam amat. MV. obſecro tace. CL. nam hîc nunc*
*Licet dicere: nos ſumus. MV. ita eſt, vnde ea tibi eſt?*

Et illa iam ſatis eluceſcit. Incuſabat ancillarij amoris virum Cleo-

ſtrata: turbata Murrhina iubet tacere hoc velut in publico. Atqui nemo, inquit illa, præter nos hîc eſt: ſolæ ſumus: nemine audiente quiduis dicere licet. Simile Ciſtellaria:

*—LE. Amabo, hiccine iſtuc decet?*

*GY. Ius faſq; eſt. nemo alienus hic eſt.*

Quæ reliqua in hanc ſcenam erant, alii diligenter ſatis excuſſerunt: etſi non omnibus omnia prorſus aſſentimur.

## CAPVT IV.

*Sortitus. Emſim. Aſſulas cit. In aliquot ſcenas pluſcula leues cum inſigniore vna diuinationes.*

QVod ſcenâ, *Omnibus rebus*, notauimus, leue eſt, & hîc enotari vix dignum. Tamen quod inibi legitur,

*Namque vbi amor condimentum inerit, cuiuis placiturum credo:*

non peius antiquior liber, & magis ad ſententiam fortè, refert, *quiduis*, pro *cuiuis*. Item inferius:

*——— CL. Vbi in luſtra iacuiſti?*

*ST. Egone in luſtra? CL. ſcio plus, quã tu me arbitrare. ST. quid id eſt?*

*Quid tu ſcis?*

Vetuſti plerique minima mutatione. *ST. quid id eſt Quod tu ſcis?* quod magis amplector: etiamque *luſtro* malim pro *luſtra* vtrobique. Nec in hanc plura: & in ſequentem æquè leuia, æquè pauca. Ibi quod ſcribitur:

*CH. Quod velis modo, id velim me ſcire. ST. auſculta, ego loquar.*

mutetur, *auſculta ergo: loquar.* Et ad finem:

*Si non impetrauit, etiam ſpecula in ſorti reſtat mihi.*

Variant cuſi & ſcripti: iamque notum quid ex Langianis confecerit Gulielmius noſter, à quo leuiter abeo, ſcripturæ tamen eiuſdem veſtigiis inſiſtens. Nam vt Langiani MSS. ſic vett. etiam editiones: *ſpecula etiam in ſortita ſunt mihi.* Hinc vereor ne legendum potius,

*Si non impetrauit, ſpecula etiam in ſortitu eſt mihi.*

Sortitus, ipſe ſortiendi actus: qua voce Tullius etiã vſus, pro Domo ſua: *Quid ſi etiam pluribus de rebus vno ſortitu retuliſti?* Sequitur alia ſcena, cuius ipſum hoc initium non ſatis ſanum:

*OL. Vna edepol opera in furnum calidum condito,*

*Atq; ibi torreto me pro pane rubido, hera,*

*Quam iſtam operam à me impetres, quod poſtulas.*

Neq; verba tamen culpo, ſed verſum vltimum: qui vt conſtet, ſcribe: *Quàm iſtanc operam à med impetres.*

Statim etiam:

*OL. Quid tu me verò libertate territas?*

*Quid ſi tu nolis, filiuſque etiam tuus &c.*

lege, *Quin ſi tu nolis*, vel certè *Qui ſi.* Pluribus interiectis:

*Sed tandem ſi tu Iuppiter ſis emortuus:*

ſenten-

ſententia reſpuit illud *ſed:* igitur facio *Et.* tum deinde vel *mortuus*, abiecto *e*, vel tranſlato, *ſies mortuus*: ne verſus claudicet. Propius finem verbum eſt, quod variè vbique, nuſquam dum rectè ſcribitur, illo verſu:

*OL. Non ego iſtud verbum emiſſim titiuilitio.*

quem ipſum verſum dixerim de illo ipſo verbo *emiſſim*, & reliquis omnibus eius geminis. Quid fluctuant docti viri? *Emſim* omninò ſcribendum, quod vnum antiquo vero flexu eſt emerim. Et hac forma Epidico *ademſit*, ademerit?

*ST. Vno perſuadebit modo, ſi illam, quæ adducta eſt mecum*
*Mihi ademſit Orcus.*

Caue enim aliter illic interpreteris: & mirum, vel inde non hic correctum. Sed ſatin' etiam hæc in iſtam ſcenam leuia? Sanè verendum mihi, ne totum hoc caput faſtidioſior aliquis ſic *vno diſflet ſpiritu, Quaſi ventus folia aut panniculum tectorium*, niſi grauius aliquid addam: quod opportunè ſe offert ex principio ſcenæ proximè ſequentis. Ibi legis:

*CL. Face Chaline me certiorem, quid meus vir me velit.*
*CH. Illum edepol videre ardentem te extra portam Metiam,*
*Credo ecaſtor velle. CL. at pol ego haud credo, ſed certò ſcio.*

Sic enim editio Douſica, cuius hic vbique lectiones laudo. Ante eam omnes, *Ille edepol.* Latet aliquid nemini adhuc viſum. Detegã ego, qui ſimile anteà ad Aſinariam. Ecce enim iterum *ecaſtor* femininum iuramentum tribuitur mari. Tum bina ſimul vni dantur, *edepol* & *ecaſtor*. Vel inde poterant de vitio ſuſpicari. Nos perſonas variamus, & verè ſic reſcribimus:

*CL. Face Chaline me certiorem, quid meus vir me velit.*
*CH. Ille edepol videre ardentem te extra portam Metiam.*
*CL. Credo ecaſtor velle. CH. at pol ego haud credo, ſed certò ſcio.*

Ἰταλεῖαις eſt in reſponſione ſerui: cui cum aſſentiretur hera, & ſe credere diceret, ille amplius non credere ſe tantùm, ſed ſcire. Vnde ſenex in hunc iocatur,

*Plus artificum eſt mi, quàm rebar: ariolum hunc habeo domi.*

In hunc inquam, ſeruum, non vxorem: & in hanc proximam ſerui affirmationem, non priorem illam, ad quam Lambinus ineptè trahit. Eius autem reſponſum prius attollere magis etiam poſſis, ſi interrogatione vocem primam efferas: *CH. Ille? edepol videre ardentem.* quod mirificè placere mihi teſtor. Non longè ab hoc initio:

*CH. Tibi quidem edepol ita videtur, ſtimulus ego nunc ſum tibi,*
*Eo quod corculum aſſudaſſit iam ex metu. ST. maſtigia.*

Glacie frigidior & fragilior interpretatio eſt Lambini in verbo *aſſudaſſit*, quod per antiphraſin poſitum vult, pro conglaciarit: & in ea tamen aſſudaſſe videtur haud parum. Etiam alii ſe torſerunt ibidem, quorum qui optimè, ſic ſcribit, *Eoque corculum aſſu-*

*daſcit:* neque dum tamen vel hic optimè, niſi prorſus ego fallor. Sed nec ego forſan melius, qui olim faciebam, *Eoq; corculum aſſultat ſic iam ex metu.* Etenim ſaltum in metu ſæpe cordi tribuit noſter. Captiuis:

*Quin quieſcis: i dierectum cor meum ac ſuſpende te.*
*Tu ſuſſultas, ego miſer vix aſto præ formidine.*

Et hac ipſa fabulâ, imò eadem ſcenâ poſt:

*Perij! cor lienoſum opinor habeo: iam dudum ſalit.*

qui verſus ambiguæ adhuc lectionis, etſi Lambinus omninò quidem *lienoſum* acceptat, aliis excluſis. Verùm nec hoc ego probare poſſum, nòn magis hercle, quàm vel Iunii *tineoſum*, vel antiquiorum codicum *ludioſum:* quorum hoc tamen ad ſententiæ veritatem propius accedit. Nam hoc planè vult dicere, hiſtrionium ſe cor habere: quòd, vt alibi loquitur, artem ludicram faciat, ſaltando ſcilicet, vt hîc quoque, vnde abiimus modò. Sed ibi lectio nunc alia in mentem venit, fors fuat an non deterior priore. Seruato *eoque*, ex *aſſudaſſit* vel *aſſudaſcit, aſſulas cit* videtur opportunè fieri poſſe. Certè vehementer illi fauet, quod de ſtimulo præcedit, quaſi recalcitret cor, & aſſulas faciat ſtimulo aduerſo. Tamen hoc quoque lubricum: & in medio relinquo planè vulgatam ſcripturam, vnde pro ſuo ſibi quiſque captu aliam exſculpat.

## CAPVT V.

*Sortes diribere. Euge, catè! Ominis vituperatio. Præter emendationes alias multa in perſonis turba compoſita, & ſententia locorum ſingulorum explicata. In Aſinariam coniectura extra ordinem.*

EST ibidem nullo interuallo:

*OL. Tace Chaline. CH. comprime iſtum. OL. imo iſtunc, qui didicit dare.*

In quo, meâ ſententiâ, perſonæ turbant. Cur enim Chalinus Olympionem comprimi velit, qui verbum fecerat adhuc nullum? Commutandæ videntur, vt Olympio contrà iubeat illum:

*OL. comprime iſtum. CH. imo iſtum.*

Meritò: quippe qui ſeni erat oblocutus, *Tibi quidem edepol ita videtur, &c.* Niſi hæc ad Olympionem quis dicta velit: & non ſeni, ſed villico iſta tribuat: *te vno adeſt plus quam ego volo:* cui nullo modo poſſim aſſentire. Nam ad ſenem directum Chalini dicterium fuiſſe, ſatis probat eius increpatio, *maſtigia.* Sunt igitur & ſenis illa, quibus grauem ſibi præſentiam Chalini queritur. Igitur nec Olympio quidquam in ſcena dum prolocutus eſt. Igitur denique mutandæ perſonæ, vt oſtendi. Porrò ad ſortes vbi deuenitur, occultum eſt mendum in illo verſu:

*ST. Tum igitur ego ſortes vtrinq; iam mittam. CL. quis vetat?*

quem

quem ſiç exponunt, quaſi ſenex ipſe pro vtroque ſeruorum in ſitulam ſortes immiſſurus ſit. id quod apertè falſum. Nec enim ſortes dum coniiciuntur, neque ſanè pòſt à ſene, ſed ab ipſis pro ſe quoque. Et id iubentur ab eo verſibus aliquam multis interiectis ibi demum:

*ST. Euge caue, conijcite ſortis nunc iam ambo huc.*

Accedit, quòd in libris ſuis & Lambinus & Camerarius nullum veſtigium exſtitiſſe verbi *mittam* profitentur: quod palàm ſententia repudiat, vt monſtraui. Quid ergo? Vetuſtæ editiones, ad quas confugio ſemper in manu ſcriptorum inopia, nec ipſæ *mittam* habent, ſed eius vice *ponam*. Inde faciebam aliquando:

*ST. Tum igitur ego ſortes vtrique iam do. CL. nam quis te vetat?*

vel in eandem mentem, *vtrique iam danam*, id eſt dabo. Mens enim hæc iſta prorſus, vt diſtribuere ſe velle ſortes vtrique dicat ſenex: ac non abnuente vxore, diſtribuit ille quidem ſtatim, ſed nec illud apparet ex vulgata lectione: cui antequam medicinam aliam quæramus, huic propoſito loco ſuam integram faciamus. Nam vereor, vt emendatione, quam poſui, ſatis adhuc illi fecerimus. Latet abſque dubio verbum occultius aliquod: ac mirum, niſi *diribam* fuit, quo proprio antiquis in diſtributione verbo ſimul reſpexerit ad tabellarum in comitiis & aliàs diribitionem. Sed ambigua leuiſque coniectura tantùm hæc eſt, quam afferre vt probabilem licuit, affirmare tanquam certam non licet. Iam diſtributionem ipſam videamus, quæ in obſcuro deliteſcit ac ſub tenebris viriatarum perſonarum:

*CH. tene ſortem, tene,*
*Vide quid ſcriptum eſt. OL. vnum. CH. iniquum eſt, quia iſti priuſquam mihi eſt.*

Quod per me videram, antiqui etiam libri arguunt, Stalinoni aſſcribenda, quæ nunc Chalino. Huius illi perſonam omittunt, rectè: quos & in aliis minutioribus audio, ac ſcribo totum locum:

*ST. Optimum atq; æquiſſimum iſtud eſſe iure indico:*
*Poſtremò, ſi illud quod volumus eueniet, gaudebimus:*
*Sin ſecus, patiemur æquis animis. Tene ſortem tibi:*
*Vide quid ſcriptum eſt. CH. enim iniquum eſt, quia iſti priuſquam mihi eſt.*
*ST. Accipe hanc ſis. CH. cedò.*

Dat primò ſenex Olympioni ſuo: hoc Chalinus altero verſu indignabundus ſtomachatur. *Vnum* erat, quod ineptè referri videbatur ad numerum ſorti inſcriptum: inde *enim* factum. Plerumque hæc vice inter ſe mutuâ vertunt: ac Aſinariâ, vbi *enim*, contrà fortaſſis *vnum* reponendum. Scena, *Perfidia:*

*Tacitè auſcultemus. LI. at at enim modo hercle in mentem venit.*

Sanè *Vnum* probet, quod in hac eius fabulæ ſcena ſtatim legitur:

*mane, vnum venit in mentem modò.* Et ſic alibi infinitis locis. Pergamus in inſtituto hîc propriè negotio. Vix aliquod interuallum intercedit, & ſtatim in perſonis iterum error. Nam quî hæc, vt vulgantur, ferri queunt?

*——ST A. verbero,*

*Men' te cenſes eſſe? nulla eſt, habe quietum animum modo.*

*Quod bonum atq; fortunatum ſit mihi, tuum magnum malum.*

*OL. Tibi quidem edepol credo eueniet: noui pietatem tuam.*

Vtin' vel ſenex Olympioni malè ominetur, vel hic omen in illum cum irriſu retorqueat? Abſurdiſſimum eſt. Chalini illa verba ſunt:

*Quod bonum atq; fortunatum ſit mihi, tuum magnum malum.*

& perſonam huius nihil cunctatus appones. Serui inter ſe, vt ſolent, velitantur: quorũ hic ſibi bonum, alteri malum imprecatur; ille vanam in ſe imprecationem viciſſim in auctorem per iocum auertit. Inter illos hæc iactari, probant etiam quæ ſunt his continua deinceps, non à nobis prolixius examinanda. Sed ſub ea illud haud rectè ſcribitur tamen:

*ST. Euge caue, conijcite ſortes nunc iam ambo huc, eccere.*

*Vxor aqua.*

Lego, *ST. Euge, cate! conijcite ſor.* Plaudit ſenex Olympioni ſuo, qui tam cautè ſibi caueat. *Catè*, an *cautè* malis, hilum nõ intereſt, dum antiquiorem vocem lubentius vſitaſſe Plautum ſcias. Nondum omnes tranquillauimus ſeruiles turbas: noua & magna ecce ingruit in proxima concertatione.

*——CH. taceo.*

*OL. Taceo. Deos quaſo, tu vt quidem hodie canem & furcam feras:*

*CH. Mihi vt ſortitio eueniat, vt quidem hercle pedibus pendeas.*

*OL. At tu, vt oculos emungare ex capite per naſum tuos.*

*Quid times? paratum oportet eſſe iam laqueum tibi.*

*ST. Periſti. animum aduortite amabo. OL. taceo.*

Hanc quà ingenii, quà veterum editionum ope ſic compono:

*OL. Taceo. Deos quaſo, tu vt quidem hodie canem & furcam feras,*

*Mihi vt ſortitio eueniat. CH. tu vt quidem hodie pedibus pendeas.*

*OL. At tu vt oculos emungare ex capite per naſum tuos.*

*Quid times? paratum oportet eſſe iam laqueum tibi:*

*Periſti. ST. animum aduortite ambo. OL. taceo.*

Vix dum hinc emerſimus, & iterum ecce alia, ſed minor:

*ST. Quod bonum atq; fortunatum mihi ſit. OL. ita verò, & mibi.*

*CH. Non, imò hercle. OL. imo mihi hercle. ST. hic vincet, tu viues miſer.*

Neruoſius certamen erit, ita perſonis variatis:

*CH. Non. OL. imo hercle. CH. imo mihi hercle.*

Ceterùm ab hac mutua obſecuatione pendet intellectus eius dicti, quod paullò inferius malè interpretantur de pulſatione:

*OL. cur*

*OL. cur omen mihi Vituperat?*

Vituperauerat illi Chalinus oblocutione ſua, quam hîc habemus, *Non,* &, *Imo mihi hercle.* Inde etſi ad manus veniunt, tamen huc potius, vti ad cauſſam, referenda vitiati ominis interpretatio. Sed iam in languorem hæc ſcena me dedit tam multiplicibus erratis: in qua vnum tamen etiam indicabo, quamquam erratum fortaſſe non eſt. Nam eſſe quis hîc dicat?

> *CL. Victus es, Chaline. ST. tum nos diu viuere, Olympio, Gaudeo.*

neque minus tamen ſuſpicari alicunde ſic ſcribendum poſſis: *ST. tum nos hodie vincere.* quod aliis arbitrandum linquo: me hîc tædet diutius hærere.

## CAPVT VI.

*A me, à nobis. Nuptiæ, nuptias facere, nubere, intellectus obſcenioris. Hallucinatio Lambini exploſa: Gulielmij correctiones Plautinæ & Arnobianæ pariter acceptæ firmatæq́; tum hæc & alia è ſcriptoribus alijs illuſtrata.*

Lepidè & facundè Chalinus ita ſecum de ſe victo ratiocinatur:

> *Si nunc me ſuſpendam, meam operam luſerim,*
> *Et præter operam, reſtim ſumti fecerim,*
> *Et meis inimicis voluptatem creauerim.*
> *Quid opus eſt, qui ſic mortuus? equidem tamen*
> *Sorti ſum victus.*

In quorum poſtremis hallucinatur & variat Lambinus de ſententia: quæ nec apta ſatis videtur effici poſſe, niſi verba paullò aliter diſtinguantur: aptior certè fiet, ſi diſtinguantur, & hoc exemplo;

> *Quid opus eſt, qui ſic mortuus quidem tamen?*
> *Sorti ſum victus: Caſina nubet villico.*

Nec iam opus vlla explicatione. Quid liquidius, quàm hoc dici ſaltem? Nullo mihi opus eſt ſuſpendio, qui quidem ſic mortuus ſim tamen. Hæc enim mors ipſa mihi, victum eſſe me; villicũ, imò magis ſenem viciſſe. In extremo breuiculæ huius ſcenæ nihil erat certius Gulielmii noſtri emendatione:

> *At at concedam huc: audio aperiri fores:*
> *Mihi beneuolentes atque amici prodeunt.*

pro quo vulgò, *atque à me*: Lambinus, *ad me.* Tamen ei non acquieuerunt alii poſtea, qui plus ſibi viſi ſapere fecerunt, *atq; ambo prodeunt.* Vellem os, aut manum potius tenuiſſent: aut ſi quid illi derogare voluiſſent tamen, vulgatum *à me* defendere ſtuduiſſent, quod poſſe videatur ex Stichi loco, quem ego, ne nihil moueam, dabo. Illîc ſcenâ, *More hoc fit.*

> *Cadum modò hinc à me huc cum vino transferam.*

Loquitur ibi item ſeruus, & *à me* dicit, nõ *à nobis*, quomodo dicendũ eſſe & Gulielmus & Latinitatis ratio volunt, de herili domo

At non diſſimulandum mihi contrà, flectẽdum illîc hoc interpretatione, vt de cella potius ipſius ſerui, quam dominicis totis ædibus accipiatur. Scenâ, *Sine modô*, nõ habere videtur, ſed habet occultiorem is verſus intellectum:

*Tantiſper dum ego cum Caſina faciam nuptias.*

Vernilius enim quid notat, *nuptias facere*, quam vt vulgari vſu frequentatur. Non conuentionem tantùm in coniugium ſignat, ſed ... ipſum cœtum, vt Arnobius loquitur ex Gulielmii noſtri corre... one. lib. 5. *Niſi fortè dicetis, conuentiones in huiuſmodi cœtum genus ...: atq; exſecratur humanum.* Quæ locutio magis vt firmetur, & ... omnibus acceptetur, eandem in Auſonio deprehenſam hîc aſ...cribam: qui Periochâ Odyſſeæ XXIII. ſic planè loquitur: *Quadam cubiculi lege, & genialis lectuli poſitu ſibi tantum & Vlyſſi cognito, an ipſe ſit maritus, explorat. In cœtum deinde conueniunt, totamque noctem mutuo ſermone conſumunt.* Reſpondet ei Græcum vnum verbum συνουσιάζουσι. Nam res eſt, de qua idem illud Homerus:

——οἱ μὲν ἔπειτα
ἀσπάσιοι λέκτροιο παλαιοῦ θεσμὸν ἵκοντο.

Et mox: τὼ δ᾽ ἐπεὶ οὖν φιλότητος ἐταρπήτην ἐρατεινῆς,
τερπέσθην μύθοισι πρὸς ἀλλήλους ἐνέποντες.

Hæc Auſonius interpretatus eſt. Sed vt de *Nuptijs* probem, quem potius teſtem appellem, quàm Petronium? Aliquoties ille in hanc mentem, ſed exempla duo ſuffecerint. *Continuoque producta eſt puella ſatis bella, quæ non plus quam ſeptem annos habere videbatur, & ea ipſa, quæ primùm cum Quartilla in cellam venerat noſtram. Plaudentibus ergo vniuerſis & poſtulantibus, nuptias fecerunt. Obſtupui ego, & nec Gitona verecundiſſimum puerum ſufficere huic petulantiæ affirmaui, nec puellam eius ætatis eſſe, vt muliebris patientiæ legem poſſit accipere.* Item: *Iacuerunt ergo vnà non tantùm illa nocte, qua nuptias fecerunt, ſed poſtero etiam ac tertio die.* Quid autem ni *nuptias facere* ſic vſurpetur, cum verbum ipſum quoq; *nubere* eodem ſenſu? Notum virginis Veſtalis carmen:

*Felices nuptæ! moriar, niſi nubere dulce eſt.*

quod non vulgariter capiendum ex illa Declamatoris neſcio cuius, qui inceſti eam inde arguebat, apud Senecã patrem interpretatione liquet: *Felices nuptæ: cupientis eſt. Moriar niſi: affirmantis eſt. Nubere dulce eſt: aut experta iuras, aut inexperta peieras.* Et poſt alia: *Dulce eſt: quàm expreſſa vox, quàm ex imis viſceribus emiſſa. nõ experta tantùm, ſed delectata. Inceſta eſt etiam ſine ſtupro, quæ cupit ſtuprũ.* Nec alia de cauſſa impudica *verba Nuptæ* vocantur, niſi quia velut deuirginata. Hîc quidem apud Plautum ſenex, qui ſe nuptias facturum dicit, non vxorem ducturus eſt Caſinam, ſed ab Olympione ducẽdam deflorare prior cupit. Vnde *nuptias* pro ipſo συνουσιασμῷ poſitas a Plauto conuincitur. *Nubere* autem & hac, & aliis Comœdiis Plauti ſic perſæpe: ſed Ciſtellariâ potiſſimùm:

*Hæc quidem ecaſtor cotidie viro nubit,nupſitq; hodie,*
*Nubetq; mox noctu. nunquam ego hanc viduam cubare ſiui.*
*Nam ſi hæc non nubat,lugubri mihi fame familia pereat.*

## CAPVT VII.

*Cetrum. Plauti locus vnus è fragmento Feſti, alij aliunde emendati: præterea in alterius cuiuſdam explicatione diuerſa magnorum virorum ſententia cum noſtra opinione.*

PRincipium ſcenæ eſt in ordine conſequentiſ:

*S T. Nunc amici,anne inimici ſis imago, Alceſime,mihi*
*Sciam:nunc ſpecimen ſpecitur,nunc certamen cernitur.*

quod in leges verſuum peccat,atq; vt ne peccet,ita ſcribi debet:

*S T. Nunc amicine,anne inimici ſis imago, Alceſime,*
*Mihi ſciam:nunc ſpecimen ſpecitur,nunc certamen cernitur.*

At qui proximus his eſt verſus:

*Curam mi exime,caſtigare,id ponito ad compendium.*

non ſic malè, & melius etiam a Gulielmio noſtro legebatur, *Curam eximere*;tamen quia in antiqua editione reperi, *Carum at exime*, ſuſpicio mihi ſuboritur haud fortaſſe contemnenda,ne refingendus ſit amplius, atque initium hoc exinde ſic mutandum, *Cetrum Alceſime.* Ceterùm vel ceterò non ſemel ita Plautus contrahit: & hic aberratio naſci potuit a maiore librariorum contractione, qui compendio ſcripſerunt *Crum*. Nam *Alceſime* quam procliuiter ex *at exime* fiat, in aperto eſt videre. Senſus etiam huc aſpirat, vt præoccupatione tali tamque blanda ſeueriorem aliquam vicini reprehenſionem declinet. Sed quid ſuſpicer, dixi:dictumque volo, quaſi ſuſpicer tantùm. Verſu, qui etiam huic proximus:

*Cano capite,ætate aliena,eò addito ad compendium.*

etſi Gulielmius item noſter eleganter mutabat *coaddito*, quod amplexum quoque alibi me, vt verum, ſcio, neq; nunc pœnitet: tamen vel ipſum vulgatum *eò* defendi quadam ratione poſſit, eadem ſcilicet,qua ſequenti verſu *illuc* poſitum:

*Cui ſit vxor,id quoq; illuc ponito ad compendium.*

vel reſcribi etiam *ea*, quomodo *id* vtroq; verſuum cohærentium: *& ea*: nempe dicta hæc duo, *Cano capite,ætate aliena.* Illi autem paullò inferiores?

*Sed facito dum,memineris verſus quos cantat Colax,cibo*
*Cum ſuo quiqui facito vti veniant,quaſi eant Sutrium.*

vtcunque interpolentur ab aliis,mihi verò, vt numeros ſuos pariter habeant & verba, ex Feſti fragmento concinnandi ſic videntur:

*Sed facito dum,memineris ſat,verſu quod cantat Colax;*
*Cum cibo ſuo quiq; facito vti veniant,quaſi eant Sutrium.*

In fragmento quod legitur *merula*, feci inde *memineris ſat*. Etenim

*meru*, *meru* fuiſſe puto, quod compendio ſcripturæ eſt ipſum *meminerit*: ex ſyllaba reliqua *la* quid pronius fieret, quam quod dedi, non exputaui. De ceteris curioſè non eſt ratio reddenda: nec vlla verò habenda ibidem ſyllabæ *per* vel *ber*, quæ ſuperflua, & ex ſyllaba priore vocis adſitæ, *verſus*, perperam nata. Proximæ porrò ſcenæ initio:

*C L. Vt properarem arceſſere hanc ad me vicinam meam, hoc erat*
*Ecaſtor, quod me tanto vir opere orabat meus,*
*Liberæ ædes vt ſibi eſſent, Caſinam quò deduceret.*

Medius verſus ruit, niſi præpoſita ſyllaba fulciatur. Itero particulam *hoc:* ——*hoc erat*, *Hoc ecaſtor*: cuius tam efficax ad ſenſum, quàm in ſermone venuſta geminatio. Sed excipit ibidem nos ſtatim locus admodum tenebroſus:

*Sed eccum ingreditur, ſenati columen, præſidium popli.*
*Meus vicinus, meo viro qui liberum præbet locum.*
*Non ecaſtor vilis emtu eſt modius, qui venit, ſalis.*

in quo vt exerciti ſint non Turnebus & Lambinus tantùm, ſed poſt eos & alii, commentarii omnium loquuntur. Vnus Douſa V. N. ad Plauti mentem proximè acceſſit, eamq; non tetigit quidem, ſed ſub ictu certè habuit, cùm ſic phraſi Plautinâ explicat: carum eſſe ſenem modio ſalis contrà. Sed is vt hoc eliciat tamen, interpolat leuiter, & *modio* emendat. Fas ſit mihi ſententiam dicere: eum fruſtrà mutat, tum ſenſum neq; dum penitus aſſequitur. In diſtinctione ſola mendum eſt, quæ eſſe debet iſta:

*Non ecaſtor vilis emtu'ſt, modius qui venit ſalis.*

Iam hic ſenſus: non vilis, id eſt carus eſt ſenex eo pretio, quî ſiue quo modius ſalis venditur, qui eſt viliſſimus. Vſque adeò vilem & nullius pretii hominem ſignificat, vt neque viliſſimæ rei pretium æquet, nec vel argento tantillo ſit dignus emi, quo ſalis modius perhibeatur. Hoc omninò teneo, nec interpretationem iſtam vllâ permutem aliâ, ne illâ quidem C L. V. Hier. Mercurialis, quam tamen auctoris cauſſâ ſic amo, vt ipſum propter eius in me multa & magna merita colo. Memini enim in ſermone olim Bononiæ, cum de Liuiano loco (qui de ſalis pretio lib. 2.) agitaremus, vt frequentes ac eruditæ ſemper apud illum mihique tam vtiles, quàm iucundæ de his quoque literis noſtris inter nos collocutiones, etiam Plauti verſum iſtum in controuerſiam venire: de quo lectis & perpenſis opinionibus aliorum, accuratius ille cogitans in hanc tandem ſententiam abibat, quam & acriter aduerſus meam propugnabat: nihil indicari ſcilicet aliud, quàm inſulſum ſenem eſſe. Requiri ad eum ſaliendum tantum ſalis, vt excandefacere annonam ſalariam poſſit. Itaque reſpectu ipſius inſulſitatis, non vilem fore modium ſalis. Quin imo nec eſſe iam vilem vel eo pretio, quo tum vulgò veneat, etſi veneat viliſſimo. Nam adeò inſulſum eſſe hominem, vt ſi copia ſpectetur ſalis inſumendi, et-

di, etiamſi minimè carum ſit, tamen ſit nimis carum, quia tantum perſaliendo ei requiratur. Hæc doctiſſimi viri ſententia erat, me s quam commodiſſimè potuit verbis expreſſa: quam vt referrem grata memoria me induxit obliuiſcendæ nunquam amicitiæ noſtræ, & familiaris illius deſideratiſſimæ nunc conſuetudinis: ſimul hortata eſt ea cogitatio, ne Plauto quamcunque lucem inuiderem, ſi forte locus eius obſcurior clarius hinc irradiaretur: quod iam homines eruditi, & nec ipſi ſalis egentes, neq; Plautini ſalis non intelligentes, collatis & mea & aliorum explicationibus, arbitrabuntur.

## CAPVT VIII.

*Fabis. Dolum procudere. Variè correcta multa verſuum, verborum, perſonarumq; errata: loca quædam aduerſus alios explicata.*

NVnc alia perſequamur eiuſdem ſcenæ. Verſibus his:

*——operam vxoris polliceor foras,*
*Quaſi catillatum: flagitium hominis, qui dixit mihi*
*Suam vxorem hanc arceſſituram eſſe. ea ſe eam negat morarier.*

rectius conſulas, ſi demtam alterius initio vocem fini alterius appendas:

*——flagitium hominis! qui dixit mihi ſuam*
*Vxorem hanc arceſſituram.*

Sed hoc leue: grauius, quod ſequitur.

*CL. Ibo intro, vt ſubducam nauim rurſum in puluinarium.*

Legiſti, lector, interpretamentum Lambini ad hunc verſum? & vnquamne quidquam ineptius legiſti? De me, fateor non legiſſe; quamquam multa eius multò ineptiſſima. Sed in omnibus vix reperi, quod huius vanitatem ſuperaret. Cleoſtrata ſcilic. à periculo rem abeſſe, vel inibi certè eſſe, vt poſſit eſſe, ſignificat. quomodo? rationem addit, quam neq; capio, & piget ea deſcribenda vel tantillum chartæ perdere. Nego illi, Cleoſtratæ eum verſum eſſe; Alceſimi, cõtra affirmo; cui video tribui et in veteri Florentino. Res & ſenſus id requirũt. Cum negaſſet Cleoſtrata, domi ſe in ornandis nuptiis operam Murrhinæ morari, neq; velle ſibi adiutricem venire; indignabundus ſenex, poſt conuitia in vicinũ ſene amatorẽ iacta, ait intrò ſe iturũ, vt vxorẽ ſuam, q̃ paullò antè excitauerat & tranſire ad vicinã iuſſerat, reducat ab itinere ꝓpoſito, & quieſcere denuò iubeat domi. Hoc ἀλληγορικῶς dicit ꝑ nauis comparationẽ, q̃ vix deducta, ſtatim ſubducatur rurſus & in puluinario viciſſim collocetur. Nihil mihi credes, niſi hoc planè verũ. Falſum certè manifeſtò nimis, vt de ſentẽtia reliqua iã nihil amplius dicã, quod Cleoſtrata domũ redire fingitur, q̃ manet in ſcena, cũq; marito mox expoſtulãte digladiatur. At abit intrò Alceſimus, q̃ ea verbis

interpretatus ſum: & abeunti deinde callida mulier inſultat. Integer locus ſic ergo reſcribatur:

*A L. Quid ego nunc faciam? flagitium maximum feci miſer,*
*Propter operam illius hirci improbi & edentuli,*
*Qui hoc mihi contraxit. operam vxoris polliceor foras*
*Quaſi catillatum flagitium hominis! qui dixit mihi ſuam*
*Vxorem hanc arceſſituram: ea ſe eam negat morarier.*
*Atq; edepol mirum, ni ſubolet hoc huic vicina mea.*
*Verùm autem altrouorſum cum iam mecum rationem puto,*
*Si quid eius eſſet, eſſet mecum poſtulatio.*
*Ibo intrò, vt ſubducam nauim rurſum in puluinarium.*
*C L. Iam hic eſt lepidè ludificatus. Miſeri vt feſtinant ſenes!*
*Nunc ego illum, &c.*

Et corruptum, nec intellectum fuiſſe hactenus, omnes fatebuntur. Scena, *Nulla ſum.*

*Tanta factis modo mira miris modis intus vidi.*

Veteres libri *facta*, quod neſcio ſi verſus admittit: ceteroqui melius putem. Sin is negat; *factis* ſeorſim accipies, pro re ipſa. Sic enim Comici interdum. Plautus Pœnulo:

*Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.*

Rudente:

*Atq; vt gratum mihi beneficium factis experiar,*

Terent. Hecyr.

*B A. Benefactum, & volupe eſt. P A M. factis, vt credam, facis.*

Deinceps:

*S T. Reſpice modò ad me. P A. here mi. S T A. quid tibi eſt?*

Inuenio, *Reſpice dum ad me*: quod alteri non poſthabeam. Pluribus interiectis illa ſunt:

*P A R. Imitatur malarum malam diſciplinam, viro ſuo qua inter*
*Minatur vitam. S T. quid ergo? P A. ah! S T. quid? P A. Interimere ait velle*
*Vitam: gladium, S T. hem! P A. gladium. S T. quid eum gladium? P A. habet. S T. hei miſero mihi!*

In quibus primò ſuperfluere cenſeo vocabulum *vitam* altero loco, & iubeo deleri iſthic: *viro ſuo qua inter Minatur. S T. quid ergo?* Verſus & ſententia ſimul ſpernunt. Poſt verbum *inter Minatur*, excipit ſtatim ſenex, & quid ergo minetur, quærit. atq; illa deinceps clarius de vitæ interemtione ſubdit. Hoc primum. Deinde pro *ah, vah*, malim. Poſtremò ſublatis in poſtremo perſonarum indicib⁹ literis aliquot, ſeni continenter iſta dono:

*S T. hem! gladium? quid eum gladium?*

Affectui ſenis magis ab ipſo iunctim pronuntiata ſeruiunt. Aliquantò pòſt:

*——P A. audi: per omnes deos & deas*
*Deiurauit, occiſurum eum hac nocte, qui cum cubaret.*

Lego,

Lego, *occiſuram.* Nam aliorum ad alterum id exemplum alia ratio eſt: vt Amphitruone:

*Iuſtam rem & facilem eſſe oratum à vobis volo.*

Et hac ſcena inferius: *Niſi ſe ſciat villico datum non iri.* quæ Grammaticè diducere non libet. Statim:

*ST. Me occidet. PA. an quidquam ad te attinet?*

interrogatione cum antiquis editionibus efferri malim, *Me occidet?* Alioqui nimis ſe manifeſtò proderet ſenex: & ipſa interrogatio neſcio quam & quantò maiorem emphaſin in ſe habet. Adhuc eadem ſcenâ, mendum non minimę rei omnes libros obſidet:

*PA. Ludon' ego hunc facetè? nam quæ facta dixi, omnia huic*
*Falſa dixi. hera, atq; hæc dolum ex proxumo hunc protulerunt.*

Sic hoc exauditur, quaſi dolus ex proximo ſit prolatus. Malè. *Procuderunt* legendum, non *protulerunt*: & voces *ex proxumo* iungendæ cum particulâ *hæc.* Hæc ex proximo, vicina Myrrhina eſt. Is Comicus ſermo. Fine huius fabulæ:

*Hac Caſina huius reperietur filia eſſe è proximo.*

Dolũ autem procudere, nihilo minus Plautina phraſis. Pſeudolo:

*Nam hic mihi incus eſt: procudam ego hodie hinc multos dolos.*

## CAPVT IX.

*Incanis. Ilicet. Haud ex merito. In plures ſcenas plurium locorum multigeneres emendationes, interpretationibus, vbi opus eſt, adiunctis.*

QVæ ſuperſunt nobis è reliqua Caſina, in hoc caput, velut vnum faſcem congeremus. Igitur ſcenâ, *Vide ſur:*

*——OL. ſeruus ego? ST. atq; meus. OL. non ſum ego liber?*
*Memento, memento. ST. mane, atq; aſta. OL. omitte, ſeruus ſum tuus.*

Minationis affectus atque ipſe geſtus magis interrogatione exprimatur: *ſeruus ſum tuus?* Niſi ſi verba hæc non Olympionis, ſed, quod ſuſpicor, ſenis, qui ſeruum ſe paullò etiam pòſt ſerui ſui dicit: *Tuus ſum equidem.* Quòd ipſum facit, vt & hîc dicentem idem faciam, ceteris hunc in modum accommodatis:

*——OL. omitte. ST. ſeruus ſum tuus.*
*OL. Optimè eſt. ST. obſecro Olympiſce mi, mi pater, mi patrone.*
*OL. Hem ſapis ſanè. ST. tuus ſum equidem. OL. quid mihi ſeruo opus eſt tam nequam?*

In huiuſdem ſcenæ extremo:

*——OL. tam mihi vita mea, quàm tua*
*Tibi cara eſt. ST. verum i modo. OL. ſi tu iubes, inibitur tecum.*

metuo, ne ſcribendum, *ſi tu ibis, inibitur tecum.* Non enim iturus eſt niſi illo comitante: quem ad ſenſum nihil facit verbum *iubes.* Proximâ ſcenâ luxati & fracti, tum deinde interpolati verſus ſunt:

*Illa autem in cubiculo armigerum ornant mulieres,*
*Quem dent pro Caſina nuptum noſtro villico.*
*Sed nimium lepide diſſimulant.*

*Fore huius quod futurum eſt. dignè autem coqui*
*Nimis lepidè ei rei dant operam, ne canet ſenex.*

Quos aliter ſcribunt editiones priſcæ:

*Quem dent pro Caſina nuptum noſtra, ſed nimium*
*Lepide diſſimulant fore hoc futurum huius quod eſt.*
*Condignè autem nimis lepidè huc conducti coqui*
*Ei rei dant operam, ne canet ſenex.*

non ipſæ quidem rectiſſimè, ſed rectius, & vnde, poſtremis duobus ita plane, vt exhibent illæ, acceptis & retentis, ſuperiores concinnare eſt, ſi verba diſiecta in ordinem ſuum & verſuum modum recolligas:

*Quem dent pro Caſinâ nuptum noſtrâ: ſed nimis*
*Lepide huius quod futurum eſt diſſimulant fore.*
*Condignè autem nimis lepidè huc conducti coqui*
*Ei rei dant operam, ne canet ſenex.*

Mox etiam antiquum verbum extruſerunt inde:

*Illarum oratu faciunt: illa autem ſenem*
*Cupiunt extrudere incanatum ex ædibus.*

quod ſeruant fideliter iidem ſuperiorum temporum cuſi. Nam *incanem* habent loco τοῦ *incanatum*, & ſic verſum ordine verborum alio, nec malo ſcribunt:

*Incanem extrudere cupiunt ex ædibus.*

At ſi malis aliter, ita poſſis: *Incanem ex ædibus cupiunt extrudere*: ſiue etiam ita: *Ex ædibus cupiunt incanem extrudere*: etiamq; aliter & aliter. Vox quidem *incanus* quin proba, nec temerè nata ſit, haud dubitabis. Sequente ſcena, *Si ſapitis*, illic diſtinctio & lectio peccat leuiter:

*ST. Quid hic ſpeculare? AN. nihil equidem ſpeculor. ST. abi*
*Tu hinc. cunctas? intus alij feſtinant. AN. eo.*

Nam melius, vt opinor: ——*ST. abi*
*Tu hic cunctas? intus alij feſtinant. AN. eo.*

Quæ hanc ſequitur, ea ſcenâ falſum illud eſt:

*OL. Eſurio hercle, atq; adeo haud ſitio. ST. at ego amo.*

Falſum, etſi Lambinus vt veriſſimum ex ſcripturis omnibus, quæ hic diuerſæ plures, amplexus eſt: cuius etiam interpretatio falſa magis, cum eſuriem Olympionis eſſe tantam dicit, vt ſiti nulla vrgeatur. Quaſi qui inediâ afficiuntur, eos ſitis non teneret: quod adeò contra eſt, vt illa durante, ſic hæc increſcat, vt cibi ſolidioris appetitum ferè deleat. Sed lectionem ipſam falſam aiebam, hoc argumento, quia ſitire ſe quoq;, non tantùm eſurire queſtus eſt antea, ſcenâ, *Videtur.*

——*OL. tu amas,*
*Ego eſurio & ſitio.*

Veteres ergo quidam auctiores vna voce legunt, *atq; adeò haud parum ſitio.* Verè ad ſenſum: fortaſſis & ad ſcripturam. Ibidem nequiſſimus

quiſſimus ſenex Hymenæum adiutans ſuo compari commarito villico:

*——ST. perij hercle ego miſer, dirupi*
*Cantando hymenæum: licet illo morbo, quo dirumpi cupio,*
*Non eſt copia.*

Vbi emendandum putem, *ilicet. illo morbo, quo.* Exclamatio eſt, gemina ei, quæ præceſſit, *perij.* Niſi magis placebit hunc in modum:

*——dirumpi*
*Cantando hymenæum licet: illo modo, q. d. c. N. e. c.*

vt oppoſitione ludat: cantando quidem dirumpi licet: at ſic vt volo, non licet. Neq; hoc inuenuſtè: quin verius forſan. Etenim diruptus non erat: ſed poterat, ſi vellet, cantare vel vſque dum ſe rumperet, qui tamen non ita, ſed aliter rumpi vellet, quomodo queritur ſibi non licere. Sequitur alia ſcena, cuius reliqua tranſſiliens, vltimum verſum adiutum ab alio porrò adiutum eo:

*O L. Quin imus ergo? S T. bella bella tu mea.*

Mutauit prius *bella* V. N. in *belle*, rectè: ſed inſerere debuit etiam *i:* vt. *i belle belle & tu mea*, reſpondeat illi Curculionis, *Sequere iſtum bella belle.* Et ire prædam ſuam iubet, cui iam dudum impatiens motæ imminebat. Porrò autem ſcenâ abhinc ſecundâ, *Neq; quo fugiam*, fragmentum verſus:

*Ita quidquid erat, grande erat:*

niſi omittendum, quod Palmerium ſanè video feciſſe; traducendum in ſedem ſuperiorem, vbi veteres libri diſertim collocant, vt coniunctum legatur iſti.

*Niſi quidquid erat, calamitas profecto attigerat numquam:*
*Ita quidquid erat, grande erat.*

Inde iam non longe:

*Amabo mea vxorcula, cur virum tuum ſic me ſpernis?*
*Nimis tu quidem hercle audax es. immerito meo mihi hæc facis.*

Sic de viri docti ſententia ediderunt: etſi alterius etiam addiderunt, qui *audacter* mauult. Neutri acquieſco ego: putoque in voce *audax* idem hic vitium latere, quod Captiuis illic:

*Sed eccum, incedit huc ornatus, audax ſuis virtutibus.*

Atque vt verè illud emendatur, *haud ex:* ita non dubito, quin hoc quoq; ſic rectiſſimè:

*Mea es tu quidem hercle: haud ex merito meo mihi hæc facis.*

Mutauimus alia ſimul, audacter fortaſſe, minimè certè violenter. Arbitros tamen doctos volo. Finis huius ſcenæ fouet occultum etiam mendum, non tam in verbis, quam perſonarum ſitu:

*C L. Quid nunc? ſatin' lepide adita eſt vobis manus merito?*
*Sed concrepuerunt fores? O L. num illa me nunc ſequitur?*

Sententia duce corrigo:

*CL. Quid nunc? ſatin' lepidè adita eſt vobis manus? O L. meritò.*
*Sed concrepuerunt fores: num illa me nam ſequitur?*

Quàm bellè timido Olympioni iunctim omnia dentur, omnes puto elegantiores ſentire. Nam *meritò* huius eſſe, non Cleoſtratę, quis vel ex illis inuenuſtis non ſentiat? Deinde autem, ***num illa me nam***, traiecta ſunt Comicè pro ***numnam illa me***: qua de figura ſuprà alicubi plura. Sequentis etiam ſcenæ fini nimis apertum vitium in recentius editis:

*ST. Occidi, reuocor. quaſi non audiam, adibo.*

Vetuſtiores enim, ***abibo***: quod ſenſus poſcit, & cum pipulo repoſcit ab illis, qui mutarunt. Ac mireris eos, vbi mentem habuerint, cùm præferre huic alterum ſuſtinuerunt. Sed & hos, & iſtam fabulam iam mittemus, vbi duo monuerimus etiam ſcena ſequente. Vocula videtur inſerenda illi verſui:

*Nulla cauſſa eſt, quin pendentem, vxor, virgis verberes.*

& ſcribendum, ***quin pendentem me, vxor:*** non ſenſus adeò, quàm numerorum cauſsâ. Deinde illic.

*Propter eam rem hanc tibi nunc veniam minus grauatè proſpero,*
*Hanc ex longa longiorem ne faciamus fabulam.*

Non placere mihi poteſt *proſpero*, vt vt interpretentur, præ quod in veteribus eſt *propero*: quod tamen vt proximus verſus poſtulat, ita ſuus repudiat. Verùm vt recipiat, verba tranſponenda putem in hunc modum:

*Propter eam rem minus grauatè hanc propero nunc veniam tibi.*

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI CISTELLARIAM

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

Nobiliſſimum & Excellentiſſimum virum

VLYSSEM ALDROVANDVM, PHILOSOPHVM ET POLYHISTORA

Clariſſimum.

IN *Italiam veſtram*, ALDROVANDE *nobiliſſime, multa me illexerant: inter iſta multa non tam ille, quo ducuntur omnes, amor viſendi perluſtrandique regionem vnam omnium totius Europæ conſenſu publico florentiſſimam, itemq; cultiſſimæ illius gentis inſtituta, mores, vitam, propius intuendi, quamquam & horum tenebar incredibili deſiderio; quàm cupiditas quædam ſingularis viros illic doctos, quibus etſi quondam felix iſta terra magis abundauit, etiam nunc ad inuidiam aliarum nationum inſtructa eſt & ornata, videndi coràm, alloquendi, familiariusq; cognoſcendi. Et ſanè diuina quaſi virgula contigiſſe mihi videtur, vt quocumq; me darem, in doctiſſimorum quorumq; notitiam, & ſi morarer aliquandiu, amicitiam facillimè, quæ præter eruditionem humanitas eſt natiua & velut indigena toti genti, penetrarem. Quod cum alibi mihi, tum Bononiæ apud vos, vbi & hæſi longiſſimè, ſenſi maximè euenire & cedere feliciſſimè: quando non prius penè pedem in vrbem veſtram poſui, quàm in maximorum, non tantum doctiſſimorum hominum amorem &*

*familiarem quandam conſuetudinem penitus inſinuaui: qui aduenientem me exterum hominem, adoleſcentulum etiam tum, eruditione nulla, minori etiam fortaſſis ingenio commendabilem, non ipſi tantùm recipere dignati ſunt in ſuam gratiam, ſed & aliis porrò conciliarunt ſtudioſè, abeuntemq; omnes ægrè dimiſerunt. Nolo hîc ſingulos commemorare nominatim, ne facere videar ambitioſè: qui iam id, quod dixi, dixiſſe videri poſſum iactantius. etſi cum felicitatem iſtam meam prædico, non eâ me extollo, ſed illorum debita laude proſequor comitatem: quorum & amorem & beneuolentiam erga me grato animo colo intra me, & in publicum teſtatam etiam monumentis quibuſdam volo. Atq; id cùm his diebus agerem, plerisq; ſignificationem aliquam affectus huius mei publicam deſtinans, non fuiſti tu mihi prætereundus, optime & doctiſſime virorum, qui amaſti me quoq; non vulgariter & humanitate complexus es inter ceteros ſingulari. Nata mihi enim occaſio eius rei nunc eſt ex commentationum quarundam editione in Comœdias Plauti: quod genus etſi videtur à tuorum genere ſtudiorum alienius (quamquam quod eſt ſtudiorum genus alienum tibi, aut quæ pars literarum non cognita & pertractata?) nihil dubito tamen, quin beneuolè ſis accepturus, & qui me amas ob ingenium, vt aiebas, ingenij noſtri fœtum qualemcumq; minimè contemturus. Tu verò, cum vacabit, & hæc minuta noſtra vide, & tua multò grauiora, in quibus dies noctesq; occuparis, multò magis vrge: vt tandem quorum laborum, ſanè maximorum, exſpectationem iuxtà maximam vbiq; iampridem concitaſti, eorum fructum aliquem & eruditi omnes in ſtudiis ſuis, & tu inprimis ad immortalitatem tui nominis ac gloriam ſempiternam conſequaris. Namq; vt vrgeas, vrgent te & alia multa, & hæc ipſa, ne vel exſpectatio tanta præclariſſimorum operum eludatur, vel profectus ſperatus intercipiatur hominibus doctis huius futuriq; ſeculi, vel ipſarum vigiliarum perpetuarum, immenſorum ſumtuum, infinita moleſtiæ cùm in itineribus per orbem terrarum periculoſiſſimis, tum aliis in rebus plurimis à prima iuuenta variis modis exhauſta, & in iſto*

*adhuc ſenio quotidie perſeuerantis, vnicum maximumq; tibi ipſi præmium & ſola condigna merces pereat, illa ſcilicet æternitas famæ, quam certò à te præparatam, aliorumque iudicio deſtinatam, & vltrò ipſam ſe ſpondentem tibi & in apertum gloriæ campum ex anguſtis anguſti tamen Muſei tui, quod Naturæ Theatrum appellare ſoleo, te carceribus euocantem, obſecro caue maturè, dum etiam licet, ne ipſe tibi videaris inuidiſſe. Scimus ætatem iam tuam grauem, eoq; grauius tibi nobisq; metuimus: at tu effice tamen, quantum potes, vt per te ſaltem ſtetiſſe res tanta non putetur. cui molienda magis & emolienda valetudinem tibi firmam, quæ hactenus benigna mirum in modum fuit, ipſa nimirum fauens quoq; egregiis tuis cœptis, & vitam, quantum rei magnitudini ſatis eſt, diuturnam precor: optoq; poſtremùm, vt hic libellus non tam ſit obſeruantiæ in te meæ, cuius eſſe maximè volo, quàm deſiderij illius & mei communis omnium index ac teſtis, adeoq; monitor & exactor eorum, quæ nobis promiſſa tam pridem, & tam diu exſpectata, non patimur vlterius deberi.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI CISTELLARIAM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Ciſtellaria ancilla nomen & Comœdia. Si, ſic ſi, ſiue. Verſus quidam & ſenſus antehac turbati, nunc conſtituti. Præter Plautum emendatum alioſq; ſimul illuſtratos, Catullus leuiſſimè tentatus.*

NVnc Ciſtellariam examinemus, appellatam ſic & â Ciſtella deperdita, & ab ipſa ſimul ancilla, quæ perdiderat. Erat hæc enim Ciſtellaria, ſiue Ciſtellatrix: quod nomen & munus inter ancillaria Trinummo refertur:

*Veſtiſpica, vnctor, auri cuſtos, flabellifera, ſandaligerula.*
*Cantrices, ciſtellatrices, nuncij, renuncij, raptores panis & ; tui.*

Scilicet vt aliis ſingulatim rebus ſuus in familia curator,ita peculiaris etiam ciſtellarum alicui præfectura. Magis tamen à ciſtella ipſa titulum Comœdia traxit,in qua præcipuæ argumenti partes ab eadem ductæ. Huius primâ ſcenâ:

*GY. Rarò nimium dabat, quod biberem, id merum*
*Infuſcabat.*

copulam deſiderat ſermo, quam opportunè veteres inſerunt, *atq; id merum*. Duo grauatur, & quòd rarò, & quòd neque merum datum ſit. *Infutabat* autem cum Palmerio ibidem volo: ſperno hoc, quod Lambinus frigidè explicat,itemq; aliorum *infucabat*. Interuallo magno confragoſior & ſcrupoſior locus eſt, quem parentheſi voluerunt ſic complanare:

*GY. Equidem hercle addam operam ſeduló. ſed quid tu inter iſthæc verba.*
*Meus oculus,mea Silenium (nunquam ego te triſtiorem*
*Vidi eſſe) quid, cedo, te obſecro tam abhorret hilaritudo?*

Sed magis exaſperarunt. Equidem multo lenior oratio erat, hac diſtinctione: ——*ſed quid tu inter iſthac verba,*
*Meus oculus,mea Silenium? nunquam ego te triſtiorem*
*Vidi eſſe: quid, cedò &c.*

Neque tamen vel ſic aures non radit. Mihi traiecta pluſcula verba, & integra verſuum confuſorum membra videntur, quæ dimenſionis obſeruata lege, & ſententiæ concinnitate ſic auſim reſtituere:

——*ſed quid tu inter iſthac verba,*
*Meus oculus,mea Silenium? quid, cedò, te obſecro, tam abhorret*
*Hilaritudo? nunquam ego vidi ted eſſe triſtiorem:*
*Neq; munda adæquè es, vt ſoles.*

Mox etiam numeri peccant:

——*hoc ſis vide, vt petiuit*
*Suſpirium altè? & pallidula es. eloquere nobis vtrumq;.*

non dico, quia *es* produxit, quod Plauto ſolens: quamquam & facile reponi poterat, *vt pallidula eſt!* ſed quòd ſupra menſuram trahit extrema ſyllaba in *vtrumq;*: licet hæc quoque videatur ab initio ſequentis verſus abſorberi. Verum concinnius opinor: *eloquere vtrumq; nobis*. Vtrumq; autem id, quod ſequitur:

*Et quid tibi eſt, & quid velis noſtram operam, vt nos ſciamus.*

Ita pòſt Auxilium Prologus:

*Vtrumq; hæc, & multiloqua; & multibiba eſt anus.*

Non longè ſequitur:

*GY. Indidem vnde oritur, facito vt facias ſtultitiam ſepelibilem.*

Vbi legam, *Ibidem*, ſententia magis probante. Deinceps:

*SI. Si quid eſt, quod doleat, dolet: ſi autem non eſt, tamen hoc hic dolet?*

Apage interrogationis notam, quæ in nupera obrepſit editione:

tum

rum ſcribe, *Si quod eſt. quod*, id eſt, aliquod, nempe cor. *Si* autem vtrobique, ſi voles, *ſiue* interpretaberis: quod non hîc tamen opus adeò, atq; pòſt ſcenâ, *Rem elocutu ſum*:

*Tu nunc, ſi ego volo, ſeu nolo, ſola me vt viuam facis.*

Ita ſcribendum enim ibi libri veteres docent, qui *ſi*, non *ſiue*, omnes habent: quod Rudente remanſit integrum, ſcenâ *Quam mox*:

*At ego Deos quæſo, vt quidquid in illo vidulo eſt,*
*Si aurum, ſi argentum eſt, omne id vt fiat cinis.*

Et Captiuis, ſcen. *Aduortite animum.*

*Siniſto ambulare, ſi foris, ſi intus volent.*

Quin concepta ſic etiam formula precum & ſacrorum, quę ignoto numini fiebant, SI DEO, SI DEÆ: apud Gellium lib. 2. cap. 28. in quo fruſtra dubitat vir maximus, qui formulas collegit, an ita rectè, cum alibi, vt Arnobii lib. 3. efferatur, SIVE DEO, SIVE DEA. Idem eſſe *ſi* monſtrauimus: & hoc illo tanto fortaſſe potius, quanto antiquius. Antiqui enim ſic: & vt leges, ita formulæ plerumque lingua veterum conceptæ & conſcriptæ. Vt geminetur tamen hoc ſignificatu hæc particula, rarius eſt: quamquam præter ſuperiora exempla Gellii quoq; illud huc traho lib. 9. cap. 16. *Si placet lex, reddo: ſi non placet, reddo.* Et ſi fortè lubeat alicui, hoc etiam Plauti Rudente, ſcen. *Quid iſtuc eſt.*

*Iuppiter te perdat, & ſi ſunt, & ſi non ſunt tamen.*

Vulgatius, vt vni *ſi*, *ſeu* vel *ſiue* ſubiiciatur. Atque ita eſt loco ſuprà correcto ex inferiore huius fabulæ ſcena. Ita Truculento:

*——Verùm qui improbus eſt, aquam ſi bibit,*
*Siue adeò caret temeto, tamen ab ingenio eſt improbus.*

Ita Curculione:

*Si media nox eſt, ſiue eſt prima veſpera.*

Ita Ennius:

*——Si viuimus, ſiue morimur.*

Propertius etiam lib. 2.

*Quod ſi tu Graias, ſiue es imitata Latinas.*

Et quis ſcit, an non & Catullus ſic potius ſcripſerit in Egnatium:

*Egnatius, quod candidos habet dentes,*
*Renidet vſquequaq; ſi ad rei ventum eſt*
*Subſellium, quum orator excitat fletum,*
*Renidet ille: ſeu pij ad rogum filij*
*Lugetur.*

Sic inquam potius, quàm verbis audacius traductis, *ſeu rei ventum ad Subſellium eſt.* quomodo nuper, vt verſus ratio habeatur, legendum nos credere ſibi quidam voluerunt.

## CAPVT II.

*Hoc opere. En vnquam. Et quiſquam. Iniurium, iniurius. Plautus*

*hac fabula ſæpicule correctus. item explicatus loco difficili contra aliorum varias opiniones. In Terentium etiam & Ouidium & Næuium ſingula correctiones.*

PRoximè illi loco, vnde ad alia delapſi ſumus, hæret:

*GY. Amat hac mulier. SI. ebò, an amare occipere amarum eſt, obſecro?*

in quo ſuſpectum mihi verbum *occipere*: quia non de amoris inceptione, ſed vniuerſim de amatione agitur. Et ſanè dulce eſt amare occipere: amare porrò autem amarum. Subit enim cum voluptate primùm amor, cum dolore deinceps hæret. Neque verò & Silenium incipiebat nunc primùm, ſed amauerat iam aliquandiu. Igitur quid ſubſtituemus? non facilè dixero, niſi ſi *hoc opere*: id eſt adeò, tam: vti formantur, magno, multo, tanto opere. Nam inquit imperita Silenium, Adeone amarum eſt amare? Cui reſpondet altera doctior & amoris omnes iam vias tenens Gymnaſium, verum imprudentis adoleſcentiæ gymnaſium:

*Nam ecaſtor amor & melle & felle eſt fœcundiſſimus:*
*Guſtu qui dat dulce, amarum ad ſatietatem vſq; oggerit.*

Quorum verſuum priore vel *Namque* legendum è veteribus, vel *Nam mecaſtor* numerorum gratiâ: poſteriore lubens emendem, vt magis dulcedinem dulcacido amori detraham, *Guſtu vix dat dulce*: vero nimium, & valdè efficace ſenſu. Vix primoribus labris delibandum datur, quod in amore, ſi quid eſt, ſuaue eſt: partem alteram potiſſimam & maximam plenis vſque faucibus haurias, & haurire cogeris vel inuitus non ad ſatietatem modò, ſed nauſeam & faſtidium quoq;. Fugiamus, mea iuuentus, fugiamus hunc pocillatorem: & ne illud ſitiamus,

*——vnde laboris*
*Plus haurire mali eſt, quam ex re decerpere fructum.*

Inferius porrò vulgatur hodie:

*LE. Stultè ecaſtor fecit. ſed tun' vnquam cum quiquam viro*
*Conſueuiſti?*

Paullùm mutant vetuſtiores libri: *ſed tu, en vnquam*: paullùm ad literas, ad elegantiam dictionis permultum. Ita Trinummo:

*——ô pater,*
*En vnquam aſpiciam te?*

Menæchmis:

*Dic mihi, en vnquam inteſtina tibi crepant.*

Vbi ſic non Brixienſis tantùm codex, quem Gulielmius noſter laudat, ſed & Aldinus, & Colonienſis, aliique. Varro lib. 1. c. 2. de re ruſt. *En ibi tu quidquam naſci putas poſſe, aut coli natum?* Virgil. Eclog.

*En vnquam patrios longo poſt tempore fines, &c.*

Terent. Phormione Act. 2. ſc. 2.

*En vnquam cuiquam contumelioſius*

*Audiſtis factam iniuriam, quàm hæc eſt mihi?*

Item ibidem Act.5.ſc.8.

*En quidquam hodie eſt factum indignius!*

Ita namque & hic manuſcriptus diſertè. Quid quod conſimiliter Ouidius? Lib.3. Amor. Eleg.7.

*En quiſquam ingenuas etiamnum ſuſcipit artes?*
*Aut tenerum dotes carmen habere putat?*

etſi quidem apud hunc emendandum puto, *Et quiſquam.* Id enim & in exordio elegiæ vehementius ſit, & illi certè rei eſt accommodatius. Scilicet illa exclamandi forma hîc eſt ſtomachantis, quæ eadem eleg.3. eiuſdem libri:

*Et quiſquam pia thura focis imponere curat?*

Item de Remed. Amor.

*Et quiſquam præcepta poteſt mea dura vocare?*

Ac indignatur Ouidius, quod amator ingenioſus & poeta excludatur tamen ab amica: in quam ſententiam porrò etiam lego *ſuſpicit*, pro *ſuſcipit*, quod in libris, quos vidi omnibus adhuc hæret, planè contra venuſtatem Ouidianam. Spernit ac reiicit elegantiorem iam omnem eruditionem, neq; ſuſpici aut coli vult amplius, quæ nihil adeò valeat in puellis flectendis & amorib⁹ conciliandis. Sed in Plauto progrediamur, vbi ſtatim habes:

*Quo is homo inſinuauit pacto ſe ad te. S I. per Dionyſia.*

Tollenda στιγμὴ, vt continua narratio fiat cum ſequentibus, *per Dionyſia Mater pompam me ſpectatum duxit.* Atque ita vetus meus Colonienſis. Deinceps etiam in diſtinctione peccatum, etſi leuiter:

*L E. Aſſimulare amare oportet. nam ſi ames extempulò,*
*Melius illi multo, quem ames, conſulas, quàm rei tuæ.*

Ita enim potius erat: *nam ſi ames, extempulò Melius illi &c.* Mox, quamuis error in ſermone nullus:

*Nam eum pater eius ſubegit:*

tamen non dubito, quin *ſuus* à Plauto ſcriptum, non *eius*, vt proximo ſuperiore verſu, *Ei nunc alia ducenda eſt domum Sua cognata Lemnienſis.* Mutaſſe puto, qui numeris ſtudebant. At hi ſic quoq; procedunt tamen. Nunc locus ſequitur, in quo plurimum ſe plurimi torſerunt.

*L E. Nihil amare iniurium eſt,*

Dionyſius primùm ἀπεφοδίωτο prorſus in omnibus interpretationibus, quas varias & vanas congerit ſuo more. Dein Gulielmius noſter in πιθανοῖς item fruſtrà, qui *Nihil* pro homine nihili accipit: eoque matri iniuriam fieri, quòd amet filia, à quo nihil abradi poſſit. Et vt alios mittam, V. N. in Centurionatu denique, *nihil amore iniurius ſt* legit, explicatq;, iniurioſius. Nec is quidem ſatis ad rē aptè. Nam huc valere debent verba lenæ, vt periuru Alceſimarchū criminetur: qui cōceptis verbis Silenio iurauerat, du-

ctorum eam eſſe vxorem, vt proximè præceſſit. Igitur inquit, Nihil eſt, iniurium amare, verbis ſic ordinatis, vt in illo Catulli, *Nihil feciſſe benignè eſt. Iniurium* autem veteribus fuiſſe periurium Feſtus ait: quod hic p periuro poſitum, nota figura, qua & ſcelus pro ſceleſto. Quæ ſi dura nimis alicui videbitur interpretatio, ſequatur aliam, quæ nunc hæc commentanti in mentem venit. Nam de illa, ſic olim ſtatueramus: cui ſanè incipio minus ipſe fidere, cum recentem magis expendo. Notat Lambinus iu omnibus ſuis MStis fuiſſe, *nihil amore iniurium eſt*: vnde ſcilicet & Douſa coniecturam ſuam hauſerat. Quid ſi leuiori literæ vnius mutatione ſcribamus? *Nihil amori iniurium eſt*: hoc elegantiſſimo, tum omnibus decantato in re amatoria ſenſu: amori nihil aut pro nihilo eſſe iniurium ſiue periurium. Eleuet ita lena iuramentum adoleſcentis: & quid tu, inquit, amatori iuranti credebas, cum in amore iuramentis, vt pila, ludatur, quæ quidem nec ipſi Dii reſpiciunt, imò rident & pro ioco luſuq; ſibi habent? Noti in hanc ſententiam Poetarum multi verſus: quos ſciens prætermitto. Vtrauis iam explicationem malis, in vtraq; *iniurium* eſt periurium, quod ita Feſtum diximus interpretari. Alias *iniurius* pro iniurioſo valet, apud Plautum creberrimè: & *iniuriè* Nonius exponit iniurioſè, Næuii exemplo adducto, quod corruptum hic corrigatur. Næuius Lycurgo: *Oderunt Dij homines. Iniurioſè egone, an ille iniuriè facimus?* Quid hoc? Omnes in vniuerſum homines oderunt dii? & quidquam diſcriminis eſt inter iniuriè, & iniurioſè? Quid Nonio igitur viſum alterum altero interpretari? Quòd ſi eadem ſunt, inſuauiter hercle coniunguntur. At tu literula vnâ detractâ ſcribes

*——Oderunt dij homines iniurios.*
*Egone, an ille iniuriè facimus?*

Sermocinatio eſt duorum, huius accuſantis, illius excuſantis & in ipſum neſcio quem alium, in quem iniurius arguebatur ab altero, culpam retorquentis. Ceterùm de Plauti loco quidquid eſt, *nihil* quidem cum *amare* non ſtruendum: quod eſſet fruſtrà amare, vt Perſâ: *Nihil amas, cum ingratum amas.*

## CAPVT III.

***Nubila mens, an nulla in amore. Parentheſis inepta commodiore verſuum traductione mutata: quædam alia inſuper emendata.***

VNum reliquimus primâ ſcenâ, quod hic dabimus, etſi perquam leue. Sequitur ſtatim ambiguum illum locum:

*SI. Nunc tu amabo, vt hanc triduum hoc ſolum ſinas*
*Eſſe & hic ſeruare apud me.*

Verſus & ſermonis, ſed verſus maximè cauſsâ ſcribo:

*Nunc te amabo, vt hanc hoc triduum ſolum ſinas*
*Eſſe hic & ſeruare apud me.*

Secun-

Secunda iam ſcena parum negotii nobis exhibebit: niſi quòd traiectionem inſignem video, nec fero, quantumuis alii parentheſi voluerint mederi. Nihil ad ſcenam parentheticus is ſermo, nimis obſcurus & implicatus: cuius nec aliud vſquam in Comœdiis exemplum, nec ferunt earum leges. Quî enim conuenit in theatro tam multos verſus continuo ſermoni interfari? quē interruptum vix è populo quiſquam ſciat connectere, nemo certè æquis auribus redeuntem in orbem tanto tractu exſpectarit. Abhorret vt à familiari, ſic Comicâ oratione diligens & exacta illa ſtructuræ ratio: qua ſuſpendi diutius animos noſtros vix legentes aliquando ferimus, quo magis recuſamus audientes. Itaque bonâ omnium veniâ, quatuor continuos hîc in Plauto interiectos verſus, iſtos dico:

*(Quin ego nunc quia ſum onuſta mea ex ſententia,*
*Quiaq; adeò me compleui flore Liberi,*
*Magis libera uti lingua collibitum eſt mihi,*
*Tacere nequeo miſera quod tacito vſus eſt.)*

retraho fidenter ante tres illos præcedentes:

*Nam illanc ego olim, qua hinc flens abijt, paruulam*
*Puellam proiectam ex angiportu ſuſtuli.*
*Adoleſcens quidam hic eſt apprimè nobilis.*

& totum locum, vt concinnitatem eius magis videas, ordine illo verſuum hîc tibi deſcriptum appono.

*Idem mihi, magna quod parti eſt vitium mulierum,*
*Quæ hunc quæſtum facimus: quæ vbi ſaburratæ ſumus,*
*Largiloquæ extemplo ſumus: plus loquimur, quàm ſat eſt.*
*Quin ego nunc quia ſum onuſta mea ex ſententia,*
*Quiaq; adeò me compleui flore Liberi,*
*Magis libera vti lingua collibitum eſt mihi:*
*Tacere nequeo miſera, quod tacito vſus eſt.*
*Nam illanc ego olim, qua hinc flens abijt, paruulam*
*Puellam, proiectam ex angiportu ſuſtuli.*
*Adoleſcens quidam hic eſt apprime nobilis*
*Sicyone, ſummo genere: ei viuit pater:*
*Is amore miſerè hanc deperit mulierculam,*
*Quæ hinc modo flens abijt.*

Quis eſt obſecro, qui orationis hac æquabili cōtinuitate interruptam illam, vt ſic dicam, confragoſitatem mutare nolit? aut germanum illum Plauti ordinē lubens mecum non agnoſcat? Agnoſcet profectò, aut neq; Plautum, neq; Comicum vllum noſcet. Verùm hanc in rem verborum ſatis eſt: ad alia, ſi quæ ſunt ibidem, conuortamur. Eſt verò vnum leuiculum etiam, quod tanti tamen, vt annotetur.

*Eam mea ego amica dono huic meretrici dedi,*
*Quæ ſæpe mecum mentionem fecerat.*

*Puerum aut puellam alicunde vt reperirem ſibi*
*Recens natum, eapſe quod ſibi ſupponeret.*

Verſu ſecundo, *Quia ſæpe* lego, vel vt veteres editiones, *Quòd:* vltimo, *Recens natam, eapſe quò ſibi ſuppon.* Nec enim placent vulgatæ generum mutationes. Reliqua hîc & in Prologo alii viderunt: niſi ſi monere debeo, malè in editione Douſica diſtinctos verſus hos, qui rectius alibi ſic habent:

*Is eam proiecit. hæc puellam ſuſtulit.*
*Ille clam obſeruauit ſeruus, qui eam proiecerat,*
*Quò aut quas in ædes hæc puellam deferat.*
*Vt eampſe vos audiſtis confiterier,*
*Dat eam puellam meretrici Melenidi.*

ſcilicet vt iungantur hi poſtremi duo, quorum prior ad ſuperiores nihil ſpectat. Nec enim de ſeruo quidquã lena confeſſa erat, quem neque ſcierat prorſus inſidiatum ſibi. Scenâ, *Credo ego amorem*, in graphica deſcriptione carnificinæ amatoriæ:

*Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior: ita nullam mentem*
*Animi habeo.*

Emendat Gulielmius noſter è Langianis *nubilam mentem:* quod loco Trinummi firmare poſſim:

*Scio te non ſponte tuapte erraſſe, ſed amorem tibi*
*Pectus obſcuraſſe.*

Et Iuuenal. Satyr. 6. de amore philtris inducto:

——*quod deſipis inde eſt,*
*Inde animi caligo, & magna obliuio rerum,*
*Quas modo geſſiſti.*

Neque tamen *nullam* damnem, quod ipſum aſtruxerim etiam Virgiliano exemplo, Cyri:

*Ne tantum in facinus tam nulla mente ſequaris.*

At quod mox ibidem:

*Modò quod ſuaſit, diſſuaſit: quod diſſuaſit, id oſtentat.*

omninò lego, ſententia non aliter ferente, *Modò quod ſuaſit, diſſuadet:* vti liquido in veteribus exſtat: quibus credã potius, quàm coniecturæ olim meæ *diſſuaſum it:* quæ vera tamen videri poterat, abſque illis foret.

## CAPVT IV.

*Non? hem. Pedatu. Verſus aliquot in pedes ſuos repoſiti: perſona ad ſententiam verborum aptata. Poſt minuta quædam, quædã grauiora in Plautum; Nonius leui manu purgatus. In Aſinariam quoque & Pœnulum leues cenſuræ.*

EAdem ſcenâ nimis apertum mendum eſt, quod emendare cuiuſuis fuerat, ſi vel numeros diligentius metiretur, vel altero oculo veteres inſpiceret editiones:

*Haud metuo, ne iusiurandum noſtrum quiſquam*

Culpi-

*Culpitet: tu iam, ſi quid tibi dolebit, ſcias qua doleat gratiâ.*

Breuiorem pluſquam vno pede verſum priorem, altero pluſquam vno longiorem quis non mediocriter attentus vltrò deprehēdat? & tamen etiam libri manifeſtè indicant, & ingerunt ipſam emendationem: inter quos Colonienſis meus maximè ſic verba digerit, vt primum poſterioris verſus apponat vltimo prioris, quomodo planè reſcribendum. Ita nempe:

*Haud metuo, ne iuſiurandum noſtrum quiſquam culpitet:*
*Tu iam ſi quid tibi dolebit.*

Mox non neceſſaria Gulielmii noſtri tranſpoſitio in illo:

*AL. Si illam vxorem duxero mihi vnquam, quam deſpondit pater.*

ſiue numeris conſulere ſe putauit, ſiue ſententiæ. Conſtat verſus, contracto *mihi* in monoſyllabum: itemque ſenſus æquè patitur id ipſum vocabulum vel cum verbo *duxero* iungi, vel cum *deſpondit*. Supra Prologo huius fabulæ:

*Huc commigrauit, duxit vxorem hic ſibi*
*Eandem.*

Infra: *Ego inſpectaui. heres hanc duxit pòſt ſibi.*

*Sibi* enim illic melius: etſi neque malè prorſus *ibi*. At qui proximus huic verſus:

*ME. Et me, ſi vnquam tibi vxorem filiam deſpondero:*

leui eget vnius voculæ traductione, *ſi tibi vnquam vx*. Et qui hunc ſequitur, *patieris* poſcit in vicem *patiere*. Nec procul alius iſte:

*Quod dedi, datum non vellem; quod reliquum eſt, non dabo.*

inſeri ſibi velit minimum verbulum, *id* (vel *tibi*, quod eſt in Colonienſi) *non dabo*: ne media in *reliquum* ſyllaba vim patiatur à productione: quam pati ſanè videatur Aſinariâ quoque:

*Non omninò iam perij, eſt reliquum quo peream magis.*

niſi & illic ſcribendum, *eſt reliquum quid quo peream magis*: quod varietas librorum ſuadet, quorum alii *quod*, alii *quo* habent, vt ſcilicet vtrunque recipiatur. Quanquam alias recurrere ad neglectam vbique eliſionem poſſis. quod planè quidem faciēdum Pœnuli Prologo, in eadem voce:

*Hem panè oblitus ſum reliquum dicere.*

niſi *ſuui* ſcribendum, vice *ſum*. Sed has minutas obſeruationes relinquamus. Sequitur poſt pauca:

*AL. Non? hem quid agis? ME. igitur animum aduorte, vt quid agas, ſcias.*

Vbi rectè pridem Gulielmius noſter è Langianis *agam* repoſuit: ego porrò diſtinguendum aliter etiam monſtro:

*AL. Non? hem. quid agam igitur? ME. animum aduorte, vt.*

De formula *Non? hem*: vel *hem, non?* ad Aſinariam pluribus egi. Hic deinceps perſonis malè diſtinguuntur iſta:

*Tu me delenis, propter te hæc pecco. ME. perge dicere.*

*AL. An nec etiam quid conſultura ſis, ſciam? ME. perge eloqui.*
*Non remittam, definitum eſt.*

Continenter omnia ſunt Alceſimarchi præter hæc poſtrema, *Non remittam, definitum eſt.* Reliquis contemnificam & faſtidii plenam meretricem, quæ reſpondere non dignabatur, vrget, & inſtat aſſiduò, donec vocem & ſententiam extorqueat. Sed inibi *conſultura ſis*, male ſenſui quadrat, etiamque verſui ipſi. Correxerim *conſultaru*. quærit enim non quid conſultura ſit in futurum, quod ridiculè quærat, ſed quid conſultum apud ſe iam decreuerit. Ita igitur reſcribes:

*AL. Iuno filia, & Saturnus patruus, & ſummus Iuppiter.*
*Tu me delenis, propter te hæc pecco. perge dicere.*
*An nec etiam quid conſultaris, ſciam? perge eloqui.*
*ME. Non remittam, definitum eſt.*

Statim leuius interpunctum errat:

*Ita quid dicam neſcio.*
*Iam ſcio: imò mulier audi meam, vt ſcias ſententiam.*

Tamen errat: & melius, *Iam ſcio imo: mulier audi.* Denique vt hanc ſcenam abſoluam:

*Et quidem hercle niſi pedatu tertio omnes afflixero:*

Iam ſuprà puto dixi, verius *efflixero* a Gulielmio noſtro ſcribi, quod habent plures antiqui libri, Flor. Ald. Colon: hic nunc huius occaſione verſus Nonium in voce *Pedatu*, ſiue ὀρχαϊκῶς *Pedato* reuiſer corrigamus: qui cum ait, *Pedatu poſitum pro repetitu vel acceſſu, quaſi per pedem, ſicuti nunc vulgò dicitur tertio pedatu:* abundant poſtremæ duæ voces, quę perperam è proximo Catonis exemplo iteratæ. niſi tolerari tamen ſub alia poſſunt diſtinctione: *quaſi per pedem, ſicut nunc vulgo dicitur. Tertio pedatu, Cato Origin. lib. I. Igitur tertio pedato bellum nobis fecere.* Vulgo quidem ætate Nonii non vſurpabatur hoc *tertio pedatu*, ſed alterum *per pedem*, quo explicat ipſum *pedatu*.

## CAPVT V.

*Blanditijs ſubagitare. Coniectura in hanc fabulã vna? tum alterius loci fracti mutiliq; ex antiquis libris reſtitutio tentata.*

VIx eſt, vt perſonæ rectè habeant, ſcenâ *Audire vocem.*

*LA. Dico ei, quo pacto eam ab Hippodromo viderim*
*Herilem filiam noſtram ſuſtollere.*
*PH. Extimuit tum illa? ME. iam horret corpus, cor ſalit.*

Certè non nimis aptè, nimis autem callidè, ideoque non aptè ſatis, Phanoſtrata quærat, an extimuerit anus, velut indicium conſcientiæ captans: magiſque conuenerit, vt id ſponte ſeruus continua narratione dicat. Ita demendum tibi Phanoſtratæ nomen: niſi forte neque ſeruo tribuenda ea verba, quæ profectò meretrici Melænidi competere potius videntur, ob ſimilitudinem ſequentium.

tium, quæ ſunt eiuſdem, *iam horret corpus, cor ſalit.* Verùm id non proceſſerit tamen, niſi leuiter immutes:

*ME. Extimui in filiâ: horret corpus, cor ſalit.*

Aptius ita nihil ad ſententiam. *In filia*, id eſt in filiæ nomine, ſeu ad mentionem eius turbatur meretrix, & in memoriam redit veteris ſui facti. Neque verba, ſingulatumque adeò literarum ductus ab emendatione tali abhorrent. Quid enim facilius, quàm vt *filia* fiat ex *illa iam?* quod alibi, fabulaque etiam proxima corruptum planè ſimiliter obſeruaui. Nam *tum* quod extrudimus, illi intruſerunt, qui *iam* fecerant aut repererant factum ex vltimis literis degenerantis vel abolitæ vocis *filia*: præclarè, ipſorum iudicio: quaſi quærente Phanoſtrata, an anus tum extimuiſſet, Melænis ſubijciat, iam ſe extimuiſſe. Valdè mihi poſterius hoc noſtrũ placet: neq; facile quis eripiet mihi, quin rectè animaduerſum à nobis ſit, Melænidis integrum eſſe verſum, tum ſagaciter indagatum & inuentum erutumque feliciter τὸ *filia* è veſtigiis ſcripturæ vulgaris. Sed iam locus excipit nos, in cuius voraginem ſi me immiſero, deſpero vel cum mea, vel ipſius emergere ſalute. Nam neque integra illa ſunt, vt vulgò cuduntur:

*LAM. Pergo puellam his alloqui dictis: illac anus*
*Fortuitò matrem, ne ſe deſeras vocat.*
*Nam illac tibi nutrix eſt, ne matrem cenſeas.*

Manifeſta enim in ſententia lacuna. Neque Lambini ſatis explet emendatio:

*Pergo. puellam his colloquor dictis: iſtac anus,*
*Fortuitò inuentam, ne ſe deſeras, vocat.*

quam quidem nec vnde hauſerit, dignatus eſt nobis indicare: ſiue tanti non putauit, quod ignoſcam, licet ægrè; ſiue non è libris, vt vereor, vllis, ſed ingenio depromſit, eoque tacet callidus, quod nullo ignoſcam modo. Quin idem hoc quoque nomine notam fortè meretur, quòd ne verſum quidem priorem ſatis ad leges fecit, æquo ſcilicet longiorem. Rurſum autem quam hæ lectiones horum conciſæ & abruptæ, tam illa vetuſtiorum codicum laxa & fluxa, neque multò ſanè minus vitioſa:

*Pergo illo ſubagito blandis & benedicis*
*Dictis: illac* (Venetus hìc inſerit etiam, *te anus*) *forti fortuna fortius*
*Aures obſerat. ego Lemniam fores voco:*
*Nam illac tibi nutrix eſt.*

Horum vt omnia Plauti non germana, ſic pleraque nec à gloſſis, meo quidem animo. Nam primùm hoc, *ſubagito blandis & benedicis dictis,* quin Plauti ſit, nemo perſuaſerit mihi: qui quidem Apuleium ſciam eadem vſum phraſi: cuius imitatione, niſi, quæ ſolennis ipſi, Plauti? Apol. 2. *Cur autem tam abſurdis tamque tabernarijs blanditijs ſubagitarem, quem ijdem aiunt verſibus amatorijs ſatis ſcitè*

*Laſciuire?* Quamquam in hoc quoq; ferre nolunt id verbi, & quidam *ſublaterarem*, de quo nihil dicam, quia nihil condignum poſſum, vt tam inhoneſta emendatio meretur; alius etiam neſcio qui *ſubſulcitarem*, quod item cum auctore ſuo mitto, ſubſtituere ſunt conati. Sed ſatis ſe vterque vtriuſque locus altero probat ac tuetur. Deinde nec *aures obſerat* eſſe Plautinum dubitem, etſi verba non memini in eam ſententiam eadem: ſententiam ipſam quidem memini crebriuſculam. Suprà hac fabula:

*Non edepol iſtac tua dicta nunc in aures recipio.*

Epidico: *Neq; ego id immitto in aures meas.*

Scilicet ad verba ſerui claudebat anicula aures & velut obſerabat. Iam *forti fortuna* & *Lemniam* perſpicuè quidem falſa, nata tamen magis ex dubia manuſcriptorum lectione, quàm ineptorum gloſſographorum inculcatione. *Foras voco* deniq; vel ſentētia probet: quæ ex ratione Oeconomiæ vult, cum anicula ſeruus clamore per viam ſectatus eſſet, eum eam inſecutum ad ipſas ædes, atq; ibi cum parum etiam ꝓficeret, ipſam tandem puellam euocaſſe, & ei rem totam, ſpe certa abalienandi, denarraſſe. De re, quæ geritur, & verbis in parte, quæ libri veteres habent, ſic eſſe, res ipſa loquitur, & verba pleraq; conſentiūt: ceterùm ex lectionū omnium collatione locum ipſum cōcinnare, ſic vt integer ad ipſum Plauti exemplū reſtituatur, inſanus tantùm conari audeat, ſanus autem nemo vel ſperare poſſit; tantum abeſt, vt quiſquam omnium, niſi ſi planè diuinus, aut deus ipſe, præſtare. Nos tamen animi ſaltem gratiâ, ludibundi tentauimus, an ſelectis vndiq; verbis, quæ maximè conuenirent, explere ſententiam & connectere verſus poſſemus: atq; in hunc modum quaſi ferruminauimus:

*PH. Age perge quæſo, animus meus audire expetit*
*Vt res ſit geſta. ME. vtinam exaudire non queas.*
*LAM. Ergo* (vel, *Ego*) *illam ſubagito blandis & benedicis*
*Dictis: at illæc fortius aures obſerat.*
*Ego puellam foras voco, atq; his colloquor.*
*Illæc te anus fortuitò inuentam filiam,*
*Fortuitò matrem ſe, ne deſeras, vocat.*
*Nam illæc tibi nutrix eſt, ne matrem cenſeas.*

Scio Plauti non eſſe hæc, nec videri volo: ſed ludere libuit, vel eò, vt quæ in vulgatis libris lacuna hîc eſſet, oſtenderē ex ſenſuum & œconomiæ ratione, quam ex codicum vetuſtiorum lectione deprehendiſſemus.

## CAPVT VI.

*Conquiniſcere. Puerile officium, corollarium. Terminus. Ceuere. Interpuncta, verba verſus in melius mutata. Dein liberiores aliquot loci non hic tantùm Plauti, ſed & Pſeudolo extra ordinem neque ſolius Plauti, verùm Apuleij quoq; & Pomponij correcti, ſimul, quod ſit pace ſeueriorum lectorum, enarrati.*

Alia nunc eiuſdem ſcenæ quanto leuiora, tanto certiora perſequamur.

*Ego te reduco & voco ad diuitias, vbi*
*Tu collocere in luculentam familiam.*

Verſus poſcit, *&* *reuoco*, quod ſuggerunt veteres etiam editiones. Ac ſtatim: —*Non enim hic, vbi ex Tuſco modo*
*Tute tibi indignè dotem quæras corpore.*

Sententia pendet, quam abſoluerim parua mutatione, vt retrò legatur particula *enim*, ac ſcribatur, *Non mane hic.* Manſionem ei & vitam meretriciam diſſuadet. Poſt aliquammulta:

*LA. Vbi locuta eſt, ego continuò anum interrogo,*
*Vbi habitat, inquam.*

Vt numeris obſequar, excludo vocẽ *anum*, quæ nec ad ſenſum neceſſaria, & gloſſema videtur: item *elocuta* malim ex vetuſtis. Mox verſus iterum cauſſa, pariterque ſententiæ, lego:

——*ſiccine*
*Agis nugas? periiſti hercle, ni hoc*, vel *hoc ni ediſſeris.*

vbi vulgò, *ni hercle hoc ediſſ.* Deinde:

*LA. Seruatur: ſed illac ſe quandam aiebat mulierem:*

numeri quodammodo grauantur etiam particulam *illac*, quam ſanè veteres nec habent. Ibidem porrò:

— *ME. me indicabit, & ſuas*
*Ad meas miſerias addet.*

Videri ſcribendum poſſit *mi*, niſi verius eſſet non de communicatione miſeriarum accipere, ſed de indicio ipſo & delatione, vt inferius hac quoque ſcenâ:

*Nunc egomet potius hanc inibo gratiam*
*Ab illis, quàm illac indicet me.*

Poſt alia pauca:

*LA. perfectum ego hoc dabo negotium.*
*PH. Deos teq; ſpero. LA. voſdem ego, vti abeas domum.*

Languidum per ſe hoc eſt, & frigidè explicatur. Ego corrigendum aio: *LA. eoſdem ego. potin' abeas domum?* Domum ire iubet hærentem & ſe precibus morantem. Sequitur alia ſcena: cuius vt primus verſus,

*Rem elocuta ſum tibi omnem: ſequere me mea Silenium:*

reſpuit abundans alterutrum, *me* vel *mea*: ſic tertius ſanè recipit *meum*, quod veteres inculcant:

*Quamquam inuita te carebo, meum animum ego inducam tamen.*

Itemque inferior *atque*, quod ingerunt iidem:

*Accipe hanc ciſtellam, Haliſca, atq; agedum pulta illas fores.*

Deinde quos rogat accurrere Silenium, vt Alceſimarchũ ſeruent?

*AL. Ecquid agis? remorare? lumen linquo. SI. amabo, accurrite*
*Ne ſe interimat.*

Quin ipſa accurrit, quod neque præ amore non potuit, & feciſſe proxima oſtendunt:

*AL. ô ſalute meâ ſalus ſalubrior.*

Ergo legendum ne *accurrero?* quaſi veniam à Melænide præfetur, vt per eam liceat. niſi ſi putabimus ipſam iuſſiſſe, vt legatur: *ME. amabo accurrito*, vel *accurre tu.* In proximis quidem maiuſcula litera ſcribendum *Salute* & *mea* ſine accentu. Silenium ſuam ſalutem Alceſimarchus dicit ipsâ deâ Salute ſalubriorem. Nec idem negligendum fuerat fine ſequentis ſcenæ:

*In tempore ipſo ſpes mihi ſancta ſubuenit.*

quæ verba diſtinguenda etiam cum præcedentibus ſic videntur:

*Aut quis Deus obiecit hanc ante oſtium noſtrum, quaſi*
*Deditâ operâ, in tempore ipſo? Spes mihi ſancta ſubuenit.*

At eiuſdem initio quoque ſic interpuncta potius diſponam:

*Nullam ego me vidiſſe credo magis anum excruciabilem,*
*Quam illæc eſt. quæ dudum faſſa eſt mihi, quæne inficias eat?*

ſtructura & ſenſu ſimili, cum alio verſu ibidem:

*Omnia inficias ire ea, quæ dudum confeſſa eſt mihi.*

Sed illum porrò verſum benè partim, partim malè, id eſt totum non rectè interpretantur:

*Faciundum eſt puerile officium, conquiniſcam ad ciſtulam.*

Conquiniſcere, de Nonii ſententia, eſt ſanè inclinare ſe: puerile autem officium facere, vnde eſt aluum exonerare? An quia pueri tantum (ignoſcite honeſtæ aures) cacant? Aliud multò obſcenius etiam latet, etſi hoc erat obſcenum ſatis. Sed germanam ſententiam nos quærimus, pace ſeueriorum Catonum. *Officium puerile* facere, eſt, facere, quod pueri ſolent, more puerorum. Ita *ſeruile officium* interpretati ſumus ad Captiuos, nempe fugam, de conſuetudine & natura ſeruorum, qui plerique fugitiui. Nec aliter officium Lenonium dicitur perfidia, Pſeudolo, *SC. Pſeudole.*

*Si is non aderit, poſſe opinor facere officium me meum.*
*CA. Quid id eſt? BA. ſi tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.*
*Hoc meum eſt officium.*

Pueri autem quid ſolent, ii dico, qui ſolent? Intelligit hoc, qui *ſolere* verbum apud Plautum. Apuleius id in muliebri ſexu *puerile corollarium* vocat. De Fotide ſua Miloniana lib. 3. *Omnibus abiectis amiculis hactenus denique intecti bacchamur in Venerem: cum quidem mihi iam fatigato de propria liberalitate Fotis puerile obtulit corollarium.* In quibus duo verba ſuo loco exſulant, quæ hîc per occaſionem reſtituo, & emendo: *Omnibus abiectis amiculis, intecti bacchamur in Venerem: cum quidem mihi iam fatigato hactenus, denique de propria liberalitate Fotis puerile obtulit corollarium.* Martialis ean-

*Laſciuam tota poſſedi nocte puellam,*
*Cuius nequitias vincere nemo poteſt.*
*Feſſus mille modis, illud puerile popoſci:*
*Ante preces totas primaque verba, dedit.*

Hæc de voce *puerile*: iam *officium* magis etiam eódem conuenit, ſi quis meminerit, quid de eo Seneca pater: vnde *officioſus* apud eundem, & Petronium etiam, ni fallor. Denique conſpirat in eandem mentem ipſum verbum *Conquiniſcere*: quod non ſimpliciter eſt inclinare ſe, verùm ita, vt admiſſario præbeatur inſcenſus. Et hoc ſchema expreſſurus erat ſeruus inclinato corpore ad ciſtellam humo ſuſtollendam: quo reſpectu puerile ſe officium facturum dicit, & conquiniſcendi verbo vtitur in ea re proprio. Nam huc abeunt omnia eius apud Nonium exempla, etiam illa dico, quæ habet in *Ocquiniſcere*. Pomponius Proſtibul.

*Vt nullum ciuem pædicaui per dolum,*
*Niſi ipſus orans vltroque ocquiniſceret.*

Vbi quis corrigendum non videat *pædicaui*? Idem Piſtore:

*— Niſi nunc aliquis ſubito obuiam occurrit mihi,*
*Qui ocquiniſcat, quò compingam terminum in tutum locum.*

In quibus quem *terminum* dicat, facile omnes diuinarint: ſi tamen ſana ea vox, quod hîc diſputare non attinet. Potius alterum Plauti noſtri locum videamus è Pſeudolo, quem inde apud Nonium eſſe magnus Lipſius oſtendit, & correxit, vt in ipſa fabula vulgò legitur, quod mihi contrà faciendum videbatur. Nam vt ille reſcribit, & plerique libri legunt:

*Si conquineſcet iſtic, conquiniſcito ſimul:*

verſus in menſuræ leges peccat, abundantiâ vnius pedis: in Florentino autem veteri vnius item pedis defectu, qui ſcilicet *conquiniſcito* verbum poſteriore loco non iterat: vt vel hinc appareat, aliud neſcio quid ſubeſſe: imò ſcio quid. Etenim cur dubitem, quod in Nonio eſt *ceueto*, hîc recipiendum? quod tam pulcrè iocum Plautinum iuuet, in eandem cum reliquis omnibus ſententiam. Huc enim ibi quoque Plautus reſpicit: & ad ſeruum, ſi oquum, inquit, videris conquiniſcere, tu pariter ceueto: quod idem, imo plus eſt. *Ceuere* & *criſſare* ſibi reſpondentia quis non apit? ne ego diutius operam in hac, cuius me pudet & piget, obſcenitate explicanda ſumere cogar. Quâ miſsâ, apud Nonium in *conquiniſcere*, verba: *Idem: & doloſi idem conquiniſce, ſis, iſtic ceueto ſimul:* ita concipienda dico: *Idem Pſeudolo: Si conquiniſcet iſtic, ceueto ſimul.* dein quod conſequum eſt, in Plauto verſum eundem eodem planè modo reſcribendum edico.

## CAPVT VII.

*Eleuenire. De verſuum aliquot & verborum menſura, tum locorum integrorum ſententia & emendatione diſputatum.*

VT vt explicatione torqueat interpres, non eſt ſana tamẽ vox *petulantia*, horum verſuum priore:

*Itaq; petulantia mea me animi miſeram habet:*
*Qua in tergum meum ne veniat male formido.*

Negligentiam dixit Plautus aut ſocordiam: quod ex illo patet,

*Si hera mea ſciat, tam ſocordem eſſe, quam ſum.*

Haud facile tamen in eum ſenſum aliam congruentem vulgatæ literis vocem reperias, qua mutes. Altero verſu planè ſcribendum, *ne eueniat*. Id enim compoſitum idem eſt cum *expetendi* verbo, de quo ad Amphitruonem. Ouidius Heroid. Acont. Cydip.

*Inq; caput noſtrum domina periuria quaſo*
*Eueniant: pœna tuta ſit illa mea.*

Deinceps eſt:

*Non ſum ſcitior, qua hos rogem aut qua fatigem.*

quod plenius & melius libri veteres cum emendatione Gulielmii noſtri: *Sed nonne ecaſtor ego ſum mulo inſcitior?* Ibidem non improbo *fatigem*, neſcio tamen an non & probandum *flagitem*. Et ſtatim:

*Nam ſi nemo hàc præterijt, poſtquam intrò abij,*
*Ciſtella hic iaceret. quid hic? perijt opinor.*
*Actum eſt, ilicet me illicem & ſceleſtam.*

Aliter hoc alibi diſtinguitur, partim & ſcribitur,

*Ciſtella hic iaceret: quia hic perijt opinor.*

de quo non pugno. Verba poſtrema cogito an ſana ſint: ne videntur. Quid enim hîc *illicem?* An fuit *infelicem?* Ni ſic; vel abundare putem, iteratum ſupina negligentia ex præcedenti *ilicet*, vel ex eo ipſo iterato corruptum, iterandumque denuò, *ilicet me, ilicet me ſceleſtam*. Porrò:

*Haliſca, hoc age, ad terram aſpice, & deſpice*
*Oculis inueſtiges, aſtutè augura.*

Licet poſt Lambinum & nobis coniectare. Quid igitur, ſi legas, *& deſpice Oculis in veſtigia.* nam veteres, *veſtiga.* Vel ex vulgato, *& diſpice Oculis: è veſtigijs aſtutè augura,* ſiue *aucupa.* Sanè veſtigia deinceps perſequitur, & ex iis conijcit iter eius, qui ciſtellam inuentam abſtulerit. Poſt paucula:

*Actam rem ago. quod perijt, perijt, meum corium,*
*Ciſtella, redeo intrò.*

Ex veteri ſcriptura concinno: *quod perijt, perijt: meum quidem corium Cum ciſtella. redeo intrò.* Poſt pluſcula:

*LA. At enim ille quidam argentum expetit. HA. at nequidquam argentum expetit.*

Trahit ſupra menſuram verſus. Neque ſanè repetiturus fuiſſe videtur Plautus vocem *argentum*: qua tamen & extrita numeri labant in fine. Vt ſubueniam, ſcripſerim: *HA. at nequidquam expetiſſit.* Omninò penultima ſyllaba longa debet eſſe: qua cauſſa productim efferenda eadem in *gratuita* ſequentis verſus:

*LA. At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratu ta eſt.*

Quomodo Horatius in ſimili voce:

*Nec fortuitum ſpernere ceſpitem*
*Leges ſinebant.*

Quod illic in Plauto minus neceſſe tamen, ſi cum Lambino inferas, *in re nulla.* Qui proximè hos ſequitur verſus, ei præfigenda Phanoſtratæ perſona, cui magis conuenit iſte ſermo, quam Lampadioni:

*PH. Commoda loquelam tuam: tibi nunc prodimus & confitemur*
*Ciſtellam habere.*

Monuit hoc & Camerarius olim, ille non primus tantum benè, ſed optimè inter alios deinceps meritus de Plauto. Atque idem non malè etiam ad finem huiuſdem ſcenæ verſum Phanoſtratæ aſſcriptum rurſus eripit, & tranſſcribit Haliſcæ:

*HAL. Illius ego iſtanc eſſe malo gratiam.*
*Sed iſtanc ciſtellam te obſecro vt reddas mihi.*

Quamquam neque diſconuenit, vt Phanoſtrata gratiam & beneficium debere ſe malle dicat ipſi heræ, quàm ancillæ. At rurſum modeſtæ ancillæ, quæ quidem ſe ſeruam vltrò profiteatur & exquiri antè iuſſerit ex ipſa domina, videtur hoc quoque tribuendum, vt bene merendi occaſionem à ſeſe in heram transferat, & ab ea præoptet hanc totam gratiam iniri. Id quidquid eſt; regrediamur ad verſum à fine ſcenæ paullo remotiorem:

*PH. Mea eſt. LA. ea eſt, vt numerus annorum attulit.*

Inibi malim, *vti numerum annorum attulit*: ſcilicet Haliſca. Vt hæc, inquit annos dicit, certè tua illa eſt. Supra:

*Hanc ſcire oportet, filia tua vbi ſit, ſigna vt dicit.*

Sed iam vltimum huius fabulæ erratum eſt in vltimo penultimæ ſcenæ verſu:

*DE. Abi citò: prauorti hoc certum eſt rebus alijs omnibus.*

Quod hîc, inquies, erratum? Verba non culpo, ſed non dici ab iis omnia dico, à quibus debeantur. *Abi citò* non ſenis ſunt, qui quorſum ire ſeruum iubeat? ſed ipſius ſerui, qui properare hunc iubet in affinis ædes. Ita inquam perſonarum indices literæ collocandæ.

——*LA. propera ire intrò huc ad affinem tuum,*
*Filiam tuam iam cognoſces. intus ibidem vxor tua eſt.*
*Abi citò. DE. prauorti hoc certum eſt rebus alijs omnibus.*

Hoc ab aliis non viſum anteà, non miror, etſi quidem etiam miror: oſtenſum à nobis ſi verum non videbunt iam nunc omnes, id verò mirabor ac demirabor.

* * *

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI EPIDICVM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD IVSTVM LIPSIVM CELEBERRIMVM, ET SVMMA DOCTRINA, ſummiſque in Remp. literariam meritis virum.

V*Enio ad te,* IVSTE LIPSI, *principem Senatus Critici nouitius ac pedaneus ſenator, & de Plautina Comœdia ad te refero, quam multis in locis poſt accuratas aliorum cognitiones manifeſtò adhuc vitioſam deprehendiſſe mihi viſus ſum, & conatus emendare Diuinationibus, etiamque obſcuram alicubi Interpretationibus illuſtrare. Viſus ego ſum & conatus, quod dixi: tu an vtrumque rectè, conſiderabis, & de locis ipſis, deque mea ibidem opera ſententiam dices ante alios, principe ſcilicet loco Senatus noſtri Princeps. Iterum enim hoc te nomine, merito tuo maximo, appello: quidquid obſtrepant mihi maligni quidam & inuidi tuæ famæ: cuius odiſſe fulgorem non hercle tam videntur, quòd oculos ſibi præſtingui coràm clariſſima nunc luce ſentiunt, quàm quod à tuo quondam Sole ſuas ſtellulas offuſcatum iri adeò verentur, vt poſteritati non modò conſpiciantur minus, ſed vix appareant etiam, & tuo præ nomine ipſi* σκιαὶ ἀΐσσουσιν. *Itaque obtrectationum tibi nebulas offundere & aſpergere maculas calumniarum ſatagunt: fruſtrà; quia nec maculæ adhæreſcunt tibi, non magis quàm ſolaribus radijs, & his ipſis tuis omnes etiam nebulæ vix dum natæ abſumun-*

*tu*ʼ*,inque nihilum ſoluta ſubitò vaneſcunt. Equidem poſte-ri us, inuidiâ & affectu quocumq; libera, vera index & æſti-m itrix ſeria ſuperiorũ temporum, bona fide ſuum cuiq; præm ium ex merito & ſtatuet & ſoluet: nec illis aut quibusuis a is, ſi quid iure ſuo poſcunt aut ſperant ſibi, negabitur olim; & te verò merces ea manet, Lipſi, quam meritis tuis parem, id eſt maximam plurimi iam nunc tibi ſinceriore iudicio & animo fauentiore ſpondent. Nec enim tam ſunt omnes hoc ſeculo vel animi improbi, vel iudicii corrupti, vel quouis modo ingrati & iniqui, vt* LIPSIVM *non æſtiment rectè, æſtimatum non agnoſcant libenter, agnitum non fateantur ingenuè, liberè denique virtutes eius & promerita digno honore non proſequantur. Ego certè is ſum & videri volo, qui ſi fortè minus intelligam & diuinos in ſtudiis progreſſus tuos, & præſtantiſſimos ex iis fructus publicos; at colam, adeoque venerer vnus maximè: cupioque iſtius animi mei qualecumque hoc exſtare monumentum, quod optem ad poſteritatem quoq; ipſam perſtare, vt teſtatum de me ſit, non fuiſſe in illorum numero, qui ſic impiè in te ſunt ingrati. Quod quando ſperare de hoc genere ſcriptorum non licet, quæ paullisper ſunt tantùm, vt herba ſolſtitialis; eſto, quiſquis is eſt, libellus apud te ſaltem & hos qui nunc ſunt homines teſtis & quaſi obſes obnoxiæ meæ voluntatis, & quàm meritò debiti, tam libenter præſtiti tibi cultus. Atque illi quidem vt hoc in te ſtudium meum accepturi ſint vniuerſi, non moror; pleroſque non improbaturos confido: tibi autem ſcio gratum planè futurum; qui ſi nec ante noſſes me, non ignoti tamen officium reſpueres aut contemneres affectum. Iam non me noſti tantùm, quod erat mihi magnum, & in quo meritò gaudeam: ſed & amas, quod eſt maius, & in quo exſulto: quin æſtimas etiam, quod maximum eſt, & in quo triumpho, quamquam neutro horum ego me effero, & vtroque non ſane dignum puto, aut ſi meruerim amorem forte, quem obſeruantia tui potuiſſe videar mereri, non equidem [illegible] tale ſcio meruiſſe. Tu tamen & hoc & il-[illegible]ter in me confers, alterum in literis ad alios ma-*

*gis,*

*gis, alterum in iis, quas ad me vnas humaniſſimas dediſti: etſi vtrumque etiam in vtriſque. ſed amor in meis expreſſior, in aliorum amicorum iudicium liberius. Quo tibi nomine priuatim quoque nunc debeo multum, qui publicè iam olim plurimum: & fas eſt denique, priuatum hoc ſimul eſſe tibi pro iſta beneuolentia, quod initio publicum deſtinabam pro beneficiis exiguum gratitudinis monumentum. Accipe, Lipſi, accipe tenuem libellum, vtroque iam nomine tuo nomini inſcriptum: quod felix æternumque nomen illud etiam mihi polliceri videtur, quod optare me ſuprà dicebam, vt poſſit hoc qualecumque in te animi mei teſtimonium ad poſteros durare. Non enim facile peribit, quod tibi conſecratum tui nominis auguſtum titulum præfert: cuius & ab ipſo tanta erit vis, vt ſecum adhærentia ſibi omnia feliciter æternet; & veneratio ab omni poſteritate, vt intercidere non modo totam eius memoriam, ſed quamuis memorationem nullo tempore patiatur. In quo læto omine lætus deſino, tuæque immortalitati comitem hunc in ſecula, ſolenni inauguratione, liquidiſſimis auſpiciis, dimitto.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI EPIDICVM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Coaſſolet. Eugepa. Dixis. Vt vel vtcunque, exin. Emendata multa nouiter, aliorum quadam confirmata, quadam refutata. Plautina aliquot argutiæ ac ioci declarati.*

EPidico primore ſanum illud aliis fortaſſe, mihi quidem vix eſt:

*Venire ſaluum gaudeo. TH. quid cæterum? EP. quod eo aſſolet,*

*Cœna tibi dabitur.*

Geſtio nàq; & hîc reſcribere *coaſſolet*, eâ formâ, qua *coaccedere*, &

*coaddere:* de quibus ad Caſinã Gulielmius noſter olim, nos ad Captiuos etiam ſuprà. Neq; tamẽ abiicio vulgatum *eò*, ꝙ interpretẽris, ad id. ſed noſtrum certè venuſtius fuerit. Statim ille locus:

*EP. Quid tu? agis, vt velis? TH. exemplum adeſſe intelligo. EP. euge Corpulentior videre atque habitior.*

Palmerio debet, qui verbis perſoniſq; commutatis emendabat:

*——TH. exemplum habes. EP. intelligo. euge!*

Rectè: niſi ego ſanè malim, *exemplum adeſt:* ſed illius omnino retentâ perſonarum collocatione, ſine qua ſententia friget. Hoc autem præterea moneo, *eugepæ* ſcribendum etiam, verſus cauſſâ: quæ interiectio geſtientis item, itemque Plauto familiaris. Tertium abhinc verſum:

*EP. Dij immortales te infelicitent, vt tu es gradibus grandibus!*

neſcio ſi rectè omnes capiũt, explicauit quidem nemo. Ineſt Plautinus iocus, occultior & fallens, niſi diligenter attendas. *Dij immortales* exclamatio plerumq; eſt admirantis: hîc & imprecantis oratio: ſed diuerſimodè cum reliquis iuncta. Admirabundus Epidicus ad Theſprionem ita perfert, *Dij immortales, vt tu es gradibus grandibus!* interim eidem vel ſecum, vel ad ſpectatores auerſus imprecatur, *te infelicitent:* ob rapacitatẽ nempe, de qua præceſſerat. Ita bis exaudiendum illud *Dij immortales*, ad vtramq; ſententiam abſoluendam: quam ſi confundas, nihil erit hîc elegantiæ Plautinæ. Tacitarum autem huiuſmodi imprecationum alia ſunt paſſim exempla multa, ſed aliûs generis, quæ per occaſionem meliorem alibi infrà dabo. Heic deinceps ſequitur:

*EP. Quid agis? perpetuon' valuiſti? TH. variè. EP. qui variè valent, Caprigenum hominum non placet mihi neq; pantherinum genus.*

*TH. Quid tibi vis dicam, niſi quod eſt? EP. vt illi reſponde. TH. probè.*

Verſu horum primo legendum, *Quid ais?* Vltimus peſſimè diſtinguitur perſonis, neque ſcriptura eſt tolerabili, quam Lambinus effecit multo nequiorem. Ego ſub vna Theſprionis perſona totum lego:

*TH. Quid tibi vis dicam, niſi quod eſt? vt illi reſpondi probè!*

Nam ad ſpectatores poſtrema dirigit, & quam benè, inquit, interrogationem illius eluſi! quippe eluſerat, cum quærenti de valetudine, variè valuiſſe reſponderet: quo non dicit certè quod alter volebat: etſi non contento illo, tamen pertendit, dixiſſe, quod eſt. Si Lambinianum ſequare ſenſum, melius tum ſcripſeris: *EP. at illi reſponde probè: Quid herilis &c.* Me nihil à meo facilè dimouebit. Illo mox:

*EP. Quem me dicis digniorem eſſe hominem hodie Athenis alterum.*

nihil intereſt, *dicis*, an è veteribus *dices* malis: an verò vtriq; etiam horum præponas *dixis*, id eſt dixeris. Sed *dicis* in re ſimili Bacchidibus etiam:

*BA. Mi-*

*B A. Miſerius nihil eſt, quam mulier. P I. quid eſſe dicis dignius?*

Interuallo plurium verſuum prouerbii ſpeciem gerit iſte:

*T H. Vtcunq; in alto ventus eſt, Epidice, exin velum vortitur.*

quo caue probandum vllo modo putes Turnebi & Lambini *ex imo*, pro *exin*. Inanis argutia eſt de ima veli parte, nec quidquam faciens ad rem. *Exin* ſincerum eſſe, vel inde liqueat, quòd ita planè ſcribitur & Pœnulo, vbi eadem iſta ſententia cum iiſdem verbis. Scen. *Suſpendant*:

*Tranquillitas euenit, quaſi naui in mari.*
*Vtcunq; eſt ventus, exin velum vortitur.*

Nec eſt exin aut exinde aliud, niſi, pro ea ratione, vel ita: iungiturque & reſpondet τῷ *vt*, etiam Moſtellariâ:

*Vt fama eſt homini, exinde ſolet pecuniam inuenire.*

Paullò poſt elegantem locum eleganter elegantiſſimus Gruter⁹ emendare occupauit in hunc modum;

*E P. Quid? iſtanc quam emit, quanti eam emit? T H. vili. E P. haud iſtuc te rogo.*
*T H. Redde igitur. E P. quot minis? T H. tot. E P. quadraginta minis!*
*T H. Id adeò argentum.*

à quo tamen abeo, vt vides, cum *Redde* retineo: quo mutato magna pars intercidit venuſtatis. Non placet illi ſeruum argutari in eo verbo: nego argutari in iſto. Certè iocus non in hoc, ſed in altero, quod Epidicus dixerat, *rogo*, conſiſtit. Illius ambiguitas argutandi occaſionem dedit. Nam cum alter pro interrogo vſurpaſſet: alter ſic accipit, quaſi mutuum aut commodatò rogo. Atque ita cum ille aliud velle innuiſſet, hic reddi id ipſum iubet. Idem ferè iocus infrà etiam hac fabula, ſcen. *Si quid eſt*.

*P E. Salua ſis. M V. ſalutem accipio mihi & meis. P E. quid ceterum?*
*M Y. Saluus ſis. quod credidiſti reddo. P E. haud accuſo fidem.*

De computandi ratione per digitos & ille & C L. Coluius ante eum benè: poſt quos nihil attinet exempla plura aggerare. Nec hinc lõgè Gulielmii noſtri emẽdatio occurrit, quam item probo;

——*T H. neſcio edepol, quid tu timidus es,*
*Trepidas Epidice: ita voltum tuum video, videre commeruiſſe*
*Hic, me abſente, in te aliquid mali.*

niſi quòd malo etiam, *vti voltum tuum video*. nam ſic & ſermo cohæret melius, & magis ſenſus eluceſcit; vt ex vultu tuo coniicio. Paucis interiectis illud habes;

*E P. Iuppiter te perduit. T H. mitte nunc iam me. nam ille me ad vos ire vetuit domum.*

Niſi me digiti iſti fallunt dimetientem, longior eſt verſus quàm pro lege, nec factus omninò ad legem in fine, ſi *domum* quidem conſtituet vltimum pedem. At hoc ego abiicio, & gloſſam ſcio appictam ad ſuperiores voces, *ad nos*. *Nos* enim etiam lego, non *vos*: quandoquidem ex eadem familia vterq; hi collocutores ſer-

ui. Eorum alter abiturus, ne ſe comitem ad heriles ædes alter poſceret, aliò ſibi diuertendum ait, & vetitum ab hero minore domum recta ire. Sed verſus laborant etiam in proximo:

*Eò venturus eſt ipſe. E P. quid ita? T H. dicam; quia patrem*
*Prius ſe conuenire non vult, neq; conſpicari, quam id argentum,*
*Quod debetur pro illa, dinumerarit. E P. heu edepol res turbulenta eſt.*

Priorùm priori deficit aliquid, alteri ſupereſt: vtrumq; conſtitues additione & detractione alterna:

*Eò venturuſt ipſe. E P. quid ita? T H. dicam. quia patrem prius ſe*
*Conuenire non volt, neq; 'e conſpicari, quamd argentum id &c.*

Vltimo etiam emendandum, *res turbulentas!* quomodo in Langianis MSS. diſertè: nec longè abeunt veteres editi, è quibus eandem coniecturam feceram. Locutio autem talis & Milite, ſcenâ, *Iam eſt: Heu hercle odioſas res!* Et ſimilis Menæchmis, ſcen. *Vt atas:*

*S E. Heu hercle morbum acrem ac durum!*

## CAPVT II.

*Puppis pereunda eſt. Depolire, pectere, exornare, exſincerare. Degere, an detegere, an delegere. Vulgatæ lectiones quædam defenduntur, de aliis nouis diſputatur. Aſſertio Nonij & fides in dubium vocatur.*

ETiam doctos antiquarios interdum fallunt antiquariæ locutiones. quod hìc in prima etiam ſcena doctiſſimo cuidam accidit, iſto loco:

*T H. Mitte me, vt eam nunc iam. E P. haccine vbi ſcibit ſenex? puppis*
*Pereunda eſt probè.*

Neq; Camerarium dico iam, *periunda* reponentem: ſed illum, qui hoc amplius, *pupis Pereundum eſt probè*, mutabat. Vterq;, bona eorum pace, lapſi: hic magis, tanto ſcilicet, quanto maior illo. *Pereunda puppis* valet, neceſſe eſt puppim perire: vt Trinummo:

*Si illa tibi placet, placenda dos quoq; eſt, quam dat tibi.*

De puppi autem ſeu naui ἀλληγορικῶς frequenter Plautus. Vel Moſtellaria inſignem locum vide, ſcen. *Melius anno:*

*Sed Simo, ita nunc ventus nauem noſtram ſubito*
*Deſeruit*: & quæ ſequuntur. Bacchidib. etiam:
*Bene nauis agitatur, pulcrè hac confertur ratis.*

Et Ouidius Epl. Sapph. Phaon.

*Non agitur vento noſtra carina ſuo.*

Hæc igitur etſi remotior à vulgato vſu, nihilo tamen proba minus lectio non fuerat ſollicitanda. Mox ibidem eſt:

*Neq; ego nunc quomodo me expeditum ex impedito faciam*
*Conſilium placet.*

Placere ſanè haud poterat vllum, qui nullum adhuc reperiſſet aut cogitaſſet. An ergo placebit nobis hìc ipſum verbum *placet?* Mihi vix poteſt: qui *licet* fuiſſe ſuſpicer, id eſt *liquet*. Ex ſcribendi enim ea

ratione

ratione veteri natum ſit fortaſſe mendum. Paullò pòſt omnino legendum:

*——nam iam vbi ſenex ſenſerit*

*Sibi data eſſe verba, virgis dorſum depoliet meum.*

non *deſpoliet*, quod perſtitit hactenus contra aliorum etiam accuſationem. At hercle non vſurpabitur in eum ſenſum, qui ſuperius hac ſcenâ:

*Detegetur corium de tergo meo*:

qui & ipſe locus dubius: nec ſcias, *detegetur* legendum potius, an *degetur*, quod Nonius voluit: etſi Nonio minus ego credo, nimis ac ſæpe decipienti. Nam exemplum etiam alterum non firmum, quod affert ex Aulularia:

*Nunc ego iſtum ſoror laborem degam & deminuam tibi.*

*Demam* enim ibi plerique omnes libri: quod facilè ſe præ altero probat. Quid autem *detegetur*? an & ipſum ſincerum ſatis? Memini, cum *delegetur* anteferrem: quod pro carpere & deripere vſitatum. Propert. lib. 2.

*Altaq; mortali deligere aſtra manu.*

Horat. Sat. 8. lib. 2.

*Poſt hoc me docuit melimela rubere minorem*

*Ad lunam delecta.*

Sed ad propoſitum locum: quo *deſpoliabitur* dicendum fuerat, ſi in eam mentem id verbum poneretur. At hoc numeri ſpernunt: vt *depoliet* verum eſſe conſtet. Id pro eo quod alibi *pectere* dicit. Rudente:

*Audio tumultum: opinor, leno pugnis pectitur.*

Pſeudolo: *Sed vide ſis ne tu oratorem hunc pugnis pectas poſteà.*

Menæchm. *Quid me vobis tactio eſt? Pecte pugnis.*

Quæ adduxi, vt Captiuis eadem lectio firmaretur:

*Nam hercle niſi manticulatus probè ero, fuſti pectito.*

Vbi *plectito* adhuc vulgò: & ibidem non omnes libri *manticulatus*, quod rectum tamen Feſtus, ſiue Paullus ſatis probauerit in *Manticulis*. Terentius depectere & exornare iungit, Heautontimor:

*——adeò exornatum dabo,*

*Adeò depexum, vſque dum viuat meminerit ſemper mei.*

Plautus etiam peculiarem ſibi vocem in hac re vſurpat, *exſincerare*. Moſtellar.

*Lubet cauere malam rem prius,*

*Quàm vt meum tergum exſinceratum fiat.*

*Vt ad huc, ut, mihi corium eſſe oportet ſincerum.*

In quo ludit & Pœnulo:

*Si herus meus me eſſe locutum cuiquam mortali ſciat,*

*Continuò is me ex Sincerâſto exſinceratum fecerit.*

Sic enim rectè illic emendatur. Ad hæc exempla quis iam non aſcribat hoc *Depolire*, qui Nonii quidem, inſuper legerit *politiones*

& *depoſitiones*? de quibus ſuperuacuum arbitror aliquid hîc referre. Secundâ ſcenâ, non abnuam rectè Gulielmium noſtrum emendaſſe iſto verſu:

*S T. Qui inuident, omnes inimicos mihi iſtoc facto repperi.*

emendaſſe inquam illum, *Quin vide*. imò dixerim emendaſſe rectè. Tamen pronius fuerat, *Qui vident*: vt Captiuis.

*Vbi quiſq; vident, eunt obuiam,*
*Gratulanturq; eam rem.*

Pronius hoc fuerat, literas quidem ſi reſpicias: ſed & ſenſum. Nec enim omnes prorſus habere potuit inimicos, ſaltem qui vidiſſent: & videre dũ potuerunt ꝑpauci, cùm vix in patriam rediiſſet. Niſi aliam longè ſententiam ſubeſſe putabimus, aliamque requiri correctionem non horum in principio verborum, ſed illius, in fine verſus: pro *repperi*, ſcilicet vt *reperiam* ſcribatur. Et vt rem dicam, rem magis hæc lectio tangit. Id enim metuebat verecundus adoleſcens, ne vitio ſibi vorteretur amor captiuæ, neu maligniores & qui talem prædam minus æquis oculis eſſent viſuri, inimica in ſe odia ſuſciperent ex inuidiæ dolore. Atque hoc planè apud Chæribulum queſtum fuiſſe apparet ex illius iſta, quæ hanc obiectionem præcedit, reprehenſoria oratione:

*C H. Præter ætatem & virtutem ſtultus es Stratippocles.*
*Idne pudet te, quia captiuam genere prognatam bono*
*In præda es mercatus? quis erit, vitio qui id vortat tibi?*

## CAPVT III.

*Piſtor. Aſinus. Huic homini. Elocare, conducere: occupatum, otioſum argentum. Plurium locorum in verbis, perſonis, verſibusq; corruptorum emendationes & explicationes.*

QVod piſtori ſe daturum ſeruum Stratippocles eadem ſcenâ dicit:

*Quem quidem ego hominem irrigatum plagis piſtori dabo:*

id ipsâ loquendi formâ ſimile videtur illi Catulliano:

*Et non piſtrino traditur atq; aſino?*

Nec videtur tantùm, ſed eſt. Vt enim aſinus pro aſinario labore, ſic pro ipſo piſtrino ſumitur piſtor. Ita certè malim interpretari, quàm cum Lambino de allegoria panificii argutari. Nam quòd *irrigandi* verbo vtitur, non de induſtria factum putem, vt ad farinæ madefactæ ſubactionem trahatur, ſed temerè, nec alio ſenſu, niſi quo alibi *impluendi*: de quo, & ſimilibus ad Amphitruonem aliquid nobis dictum. Inferius hîc autem non tribuuntur iſta ſuæ perſonæ:

*C H. Quid iſtic verba facimus? huic homini opus eſt quadraginta minis*
*Celeriter calidis, Danista quas reſoluat, & citò.*

Stratippocli ipſi danda ſunt, cui veteres etiam quoſdam video aſſignare:

ſignare: in his Ald. Flor. & Colon. Qui mutarunt, illo ſunt impulſi, *huic homini*: quaſi Chæribulus ſodalem Stratippoclem deſignaret. Imperiti homines! qui id in Plauto, Terentio, aliiſque pro *mihi* ſæpiſſimè poni non obſeruarunt. Poſitum enim hic ita quoq;, ſerui, quæ ſubiiciuntur, iſta probant:

*E P. Dic modò, vnde auferre me vis, à quo trapezità peto.*

quæ directa ad ipſum herum liquet, tanquam qui proxima ad eum dixiſſet. Et dixiſſe, argumentum ex verbis ipſis, ſi diligentius timeris, aliud etiam peti poteſt. *Facimus* enim ait, vter ait. Vter autem verba cum Epidico fecerat? Herus equidem Stratippocles, non ſuppoſititius Chæribulus. Ergo reſcribe iam: *S T. Quid iſthæc verba facimus?* nam *iſtac* malim ſimul. Statim ſequuntur a Lambino ſic expleti verſus:

*S T. Vnde libèt. nam ni antè ſolem occaſum hòc argentum elocet,*
*Meam domum ne imbitas: tu te in piſtrinum rectà inferas.*

In quibus fidei eius non diffidimus, etſi ſequitur ipſe fidem, vt fatetur, alienam: viri docti nempe, qui in antiquo ſuo ſic repererit. Accipimus, inquam: ſiquidem & in optimis C. Langii membranis ipſum verbum *eloces* diſertim habetur: nec tamen pariter *argentum*. Sed hoc aliunde ſuppletum rectè: in illius autem explicatione Lambino nequeo ſuffragari. *Eloces* inquit eſt, ex loco eruas. Non veriſimile mihi fit, de ſignificatu eius ſic in oratione ſeria luſiſſe Plautum. Potius credam pro alio poſitum verbo, quod ipſi reſpondeat ex aduerſo. Nam daniſtæ quidem argentum elocant: quibus elocant, hi, cùm ſumunt fœnore, velut mercede quadam conducunt. Neque nouum aut rarum hoc apud noſtrum in relationibus huiuſmodi alterum pro altero capi. Aulularià in hoc ipſo verbo, & ei oppoſito idem factum:

*M E. Cadundum illum ego conduxi. E V. tum tu idem optimum eſt*
*Loces efferendum: nam iam credo mortuuſt.*

Nec aliter hac fabulà infrà fortaſſis in voce *occupatum*, quæ pro contrarià *otioſum* poſita videtur:

*Atq; id non decem occupatum tibi erit argentum dies.*

Neque enim fœnori ibi collocatur argentum: ſed quod quaſi otioſum erat in emta muliercula nulli rei, ſpondetur breui per venditionem receptum iri, vt alibi occupari poſſit. Ita hic igitur etiam *ni argentum eloces*, fuerit, niſi conducas, niſi vnde vnde quouis fœnore concilies. Quod in medio conſiderandum aliis relinquo: neque certius de ſequentibus pronuntio, in quibus difficultas tamen nulla, ſed varietas ſaltem aliqua ſcripturæ, & talis, in qua momenti ſit perparum. Tamen quæ ſic leguntur hodie:

*S T. Quid de illa fiet fidicina igitur? E P. aliqua reperibitur:*
*Aliqua ope exoluam, extricabor aliqua.*

alibi ſic concipiuntur, vt in priore verſu neque *de* ſit, & ſit *aliquid*; in altero verò *euoluam*. Hoc ſanè poſtremum optimum: quam-

quam bonum etiam vulgatum. Impeditis enim & inuolutis rebus tam exſoluere conuenit, quam euoluere. Sic in Terentii Phormione, vbi vulgò:

*Ego nullo poſſum remedi m exſoluere ex his turbis:*

notum eſt, *euoluere* Faernum è libris antiquis repoſuiſſe. Nec autem alia in priore verſu fruſtrà: quem exinde ſic ſcripſeris eleganter:

*ST. Quid illa fiet fidicinâ igitur? EP. aliquid repperibitur.*

Nota phraſis, Quid me, quid illo fiet? de qua ſuprà alicubi memini dixiſſe. Et certè τῷ *repperibitur, aliquid* rectius hæret. Sed hæc leuia, vt quod ſequitur etiam non longè:

*At eundem ſenem oppugnare certum eſt conſilium mihi.*

Malim, *At tandem.* Poſt conuocatum & habitum in corde ſenatum conſiliarium, cui bellum indicatur, decernit denique de oppugnando ſene. Languidius eſt *eundem*: & longiuſculè petita eius interpretatio de priore expugnatione ſenis in falſa ſibi filia emenda. Scenæ quartæ deinceps hoc eſt initium:

*St. tacete. habete animum bonum. liquido exeo foras*
*Auſpicio: aui ſiniſtra. acutum cultrum habeo, ſenis qui exenterem*
*Marſupium. ſed eccum ipſum ante ædes conſpicor Apæciden.*

Douſieæ recenſionis editio ſic legit: aliæ, quas viderim, omnes *Apæcide.* Neutræ, credo, rectè. Cur enim vel hæ ante Apæcidæ potius ædes conſtituunt Periphanem, quam ipſius, & quidem ſolum; vel illa Apæciden potius, & æquè ſolum, quam Periphanem? De hoc ſanè cura Epidico maxima: de altero nulla aut parua. Sed de vtroque hîc loquitur, vt ex ſequenti apparet verſu: *Quales volo, vetulos duos.* Emendandus igitur qui præcedit, vt ambos & ipſe complectatur Fiet hoc copulæ immiſſione:

——*ſed eccum ipſum ante ædes conſpicor & Apæciden.*

Nihil verius: herum ſuum ipſum cum vicino ſiue amico ante ædes, heriles credo, conſpicatur. Verùm laborat etiam intermedius horum, quos adduxi, verſus: quem oneratum ſuperflua dictione releuo, vt numeris ſit expeditioribus, & hanc in proximi transfero non tergum, ſed caput:

——*acutum cultrum habeo, qui exenterem*
*Senis marſupium. Sed eccum ipſum.*

De quo non iudicabit, niſi callens numerorum, & eam Plautinam, rationem. Porrò errat etiam, niſi fallor, vna in illis perſona:

*A P. Epidice. E P. Epidicum qui reuocat? P E. ego ſum Periphanes.*

Primam enim Periphanis malim: cui magis conuenerit ſeruum ſuum reuocare: & reuocaſſe liquet inde, quòd dicit mox, *Ego ſum Periphanes*: quod vt rectè capias, neque tenuis te iocus deinceps fugiat, inſerendum tibi comma ante ipſum ſenis nomen. Hic enim quærenti Epidico hoc reſpondet, ſe eſſe, qui reuocet, herum ſcilicet ipſius Periphanem. Ita minima mora interceſſerit ante nomi-

nominis ſui profeſſionem. At ſenex alter, quaſi tractu vno omnia pronuntiaſſet, & ſimpliciter Periphanem ſe dixiſſet eſſe, in iocum id vertit, ſubiicitq; & ipſe quis ſit, neque deeſt ſeruus etiam continuare iocum eundem ſimili ſui profeſſione, tanquam ignoti aliàs inuicem omnes forent. Minutum hoc eſt, ſed abſque minutiis etiam talibus non conſtant Plauto ſui ſales, qui ſæpe nos nimis præterfugiunt, ibi nonnunquam de induſtria maximè ſparſi, vbi minimè ſuſpiceris, ægréque, niſi diligenter ſyllabis & apicibus propè literarum ſingulis conſideratis, perſentiſcas.

## CAPVT IV.

*Fœminæ impluuium & ſundos induta. Deſtinere, quid: diligenter excuſſum contra Nonium. Plauti multis & inſignibus locis, vni etiam Luciliano, lux & medicina facta.*

PErgo eadem ſcenâ, in qua dubium etiam nunc illud:

*Eos captabant: id adeo quam maximè animum aduorterim:*

etſi pridem alii reponendum *qui* ſiue *quî* cenſuerũt: quorum hoc, quamobrem, interpretantur; malè: cùm potius, quomodo: ad illud, *ſcio* referunt tacitè, quod expreſsè legitur in antiquis. Mihi ex illis antiquis libeat porrò interpolare:

*——id adeò, ſcin' qui maximè animaduorterim?*

Nam argumentum dicturus eſt, vnde captari ſenſerit: neque id poteſt elegantius niſi cum tali interrogatione prius inſinuare. Dubium etiam deinceps binis verſibus, hoc,

*Quum ad portam venio, atq; ego illanc video præſtolarier:*

& illo:

*Ea præſtolabatur illum apud portam:*

vtro vtrum verius, *portum* an *portam*, quorum alterum quidem ſcribendum vtroq;. De me; *portum* præferam, quando Athenis hęc geruntur. Mox vitium maius occurrit, quod eluemus tamen facilè:

*PE. Quid erat induta, an regillam, induculam an mendiculam?*
*EP. Impluuiatam, vt iſta faciunt veſtimentu nomina.*
*Vt in impluuium induta erat.*

Quorum poſtrema quid ſibi volunt? Non enim id volunt certè, quod Lambinus ariolatur. Faciam multa verba compendii, & quomodo ſit emendandum, breuiter oſtendam: Lego, & ſi quid mihi credis, tu lege:

*PE. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam,*
*An impluuiatam? vt iſta faciunt veſtimentu nomina.*
*EP. Vt in' impluuium induta eſt? PE. quid autem iſtuc mirabile eſt?*
*Quaſi non fundis exornata multa incedant per vias.*

Vim verbis nullam fieri, vides: iam neque ſententia coacta, vt antè, quæ nunc talis. Quærebat ſenex de pluribus veſtium generibus, quibus tam varia & ridicula imponeret nomina luxurioſus iſte ſexus: an aliquod horum amica fuiſſet induta filii ſui. Inibi cùm poſtremò nominaſſet *impluuiatam*, ſeruus inde ioci occaſionem arripiens, mirabundus interrogat, fierine poſſit, vt impluuium induta aliqua eat vel incedat? Reſpondet ille, nihil iſtuc mirabile de impluuio, cùm totos fundos quædam corpore ſuo ferant: elegantiſſimè perſtringens veſtiariam ambitionem & ſumtus incredibiles, qui fundorum pretia ducant, imò patrimoniorum vires & cenſus ipſos æquent. Id quod Ouidius etiam & Propertius ſuo ſeculo conqueruntur: quid facturi omnes, ſi hoc noſtro reuiuiſcant? Propert. lib. 3.

*Matrona incedit cenſus induta nepotum,*
*Et ſpolia opprobrij noſtra per ora trahit.*

Ouidius æquè 3. de Arte:

*Quid de veſte loquar? non iam ſegmenta requiro:*
*Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.*
*Cum tot prodierint pretio leuiore colores:*
*Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuos?*

Rectè hoc emendatum nemo dubitabit: & eſt omninò ſenis oratio ſequens tota de ineptiis muliebribus in veſtitu, non ſerui, contra veteres libros: qui tamen audiendi deinceps fortè, cùm quem verſum Epidico noſtri aſſcribunt,

*Hæc vocabula auctiones ſubigunt vt faciant viri,*

dant Periphani contrà, qui pulcrè ſtomachationem hanc ſic concludat, & ab ea rediens ad rem, perſequi iam ſeruum iubeat, & à diuerticulo repetere cœptam antè narrationem. Pluſcula interiecta ſunt, & habes:

*Quin hodie allatæ ſunt tabellæ ad eam à Stratippocle, eum*
*Argentum ſumſiſſe apud Thebas ab daniſta fœnore,*
*Id paratum, & ſeſe ob eam rem id ferre. P E. cedò, ego occidi?*

Quam frigidè ſenex quærit, an occiderit? Certa quidem res erat, & facta, quæ memorabantur, & facta eius malo. Quin ſcribis, *P E. credo ego. occidi!* Ait, omnia ſe iſthæc credere, & certò periiſſe. Pòſt in illis:

*Nunc occaſio eſt faciundi, priuſquam in vrbem aduenit,*
*Sicut cras hic aderit, hodie non venerit. P E. qui ſcis? E P. ſcio.*

non opus tanta mutatione, vt verba pluſcula traiiciantur: ſaltem iſta inter ſe commuta, *aduenit* & *venerit*: verſuq; priore fac *aduenerit*, *venit* poſteriore. Iam ille:

*Vt enim præſtines argento priuſquam veniat filius:*

monet me, vt ſuprà in acroſtichide periochica *præſtinat* item ſcribam, vbi *deſtinat* excuſum. Nec enim Nonio, cui quotidie minus credo, credo veteribus idem & hoc planè valuiſſe. Vix inuenias

certè, præterquam in eo, quod ipſe ponit, exemplo: quin nec in illo quidem, ſi diligentius rimeris. Atque aio Lucillium non illo, ſed vulgato fere ſenſu id verbum vſurpaſſe. Lib. 27. *Facio ad lenonem venio, tribus in libertatem millibus Deſtinet.* Id vt liqueat magis, vna traiicienda vox eſt, quæ ſuo excidit loco:

*Ad lenonem venio, facio tribus in libertatem millibus*
*Deſtinet.*

Ades Noni iam, & interpretare. Deſtinet, eſt paret, emat? Vbi mens tua? Leno ſcilicet in libertatem mercabitur ſuam mercem, meretricem. Non emit hîc leno, ſed alii emturienti vendere deſtinat pretio dicto. Hoc enim ait Lucillius: veniſſe ſe ad lenonem, & effeciſſe, vt ancillam neſcio quam ſibi venditurum promitteret, eo pacto, tribus vt acceptis millibus in libertatem ſineret ire. Denique *deſtinare* in vtramque partem valet, venditoris & emtoris. Ab vna parte illius, deſtinare mercem alicui, nihil aliud eſt, niſi ſub certo pretio conſtituere illi de certa venditione, & addicere ſic, vt emtores porrò alii excludantur. Hoc in Lucillio hîc Nonium quî fugit? imò quî non fugerit talem: in quem parco tamen acerbè dicere, meritum hoc vno nomine de nobis benè, quòd fragmenta ipſa vetuſtiſſimorum ſcriptorum, quæ potuit, conſeruauit, non etiam, quòd eadem, vt potuit, explicauit. Ab altera parte emtoris eſt deſtinare quidem emere, ſed ita, vt deſtinatione quadam & certa pretii conuentione contractus ſaltem abſoluatur, non etiam pretium ſimul ipſum numeretur. Huius tamen vel pars aliqua ſoluitur arrabonis vice, vel alio quouis modo venditori cauetur, ipſa integra ſolutione in diem dilatâ, & merce vel acceptâ, vel detentâ. Hoc ex aliis exemplis Plauti colligere eſt. Moſtellariâ, de ficta emtione ædium, quæ & traditæ permiſſæque ſtatim, datis arraboni quadraginta minis: ſcenâ *Sceleſtiorem*:

*Quid? eas quanti deſtinat?*

Rudente, de puella emta, ſed poſt arrabonem etiam retenta, Prologo:

*Minis triginta ſibi puellam deſtinat*
*Datq; arrabonem & iureiurando alligat.*

Dubius tamen alius Moſtellariâ locus eſt, qui difficulter huc accommodetur:

*TH. Ain' minis triginta amicam deſtinatum Philolachem?*

Nam & ſolutum pretium erat, & merx recepta. Sed loquitur ibi ſenex ignarus ordinis rei vniuerſi, qui imprudens illo verbo vti potuit, ſi fortè ſic putes detorquendum. Etenim haud pugnem nimis pro ſtricta hac acceptione, quam labefactare videntur & alii loci, vt Perſâ, ſcenis, *Cui homini, & Satin' Athena,* quos ibi ſpectare eſt: nec item de illa duplici in vtramque, vt dicebam, partem, Nam in alteram venditoris, exemplum nō habemus, niſi Lucillii iſtud, quod facilè quis eripuerit nobis, ſi vulgato verborum ordi-

ne retento, mutato tamen eorum vno, legi velit: *Facio, ad lenonem venio, tribus in libertatem millibus deſtino.* Iam enim planè contrà erit, emo: & id quocunque pacto, ſiue præſenti pecunia, ſiue dato arrabone, ſiue alia conditione. Vt vt ſit, non vana ac ſuperuacua tamen fuit hæc in id verbum diligentior inquiſitio: nec Nonium cauillati præter meritum ſumus, qui ſi hîc innocens, alibi multò tanto plura commeretur. Sed extremo huius ſcenæ videtur etiam illud non vna parte vitioſum:

*Tace modò, eſt lucrum hic tibi amplum. P E. deos quidem oro. EP. impetra.*

Primùm enim *impetras* omnino legendum in fine, quod neſcio ſi alii monuerunt: in principio deinde malim *Face*, id eſt fac. Altero hortatur, altero felicem euentum ſpondet.

## CAPVT V.

*Qui, tibi cui. Hoſtium potiri. Pluries correctus Plautus & declaratus. eiuſdem negligentia notata, error vix excuſatus.*

SEquamur ad ſcenam *Exſpectando*: in qua ferè nihil niſi numeri aliquoties peccant. Hic enim verſus:

*Nunquam irridere nos illum inultum ſinam, ſeruum hominem*:

vt ſit verſus, ita eſt ſcribendus:

*Nunquam nos irridere illum inultum ſeruum hominem ſinam.*

Et illo:

*Alicunde, ab aliqui, aliquà tibi ſpes eſt fore mecum fortunam:*

in finem reiici debet verbum *fore: ſpes eſt mecum fortunam fore.* Item vltimi iſti:

*Quod nuſquam eſt: neq; ego id immitto in aures meas,*
*Nec mihi plus adiumenti ades, quàm ille qui nunquam etiam natus eſt:*

Sic in numeros reponendi:

*Quod nuſquam eſt: neq; ego id immitto meas in aures, nec mihi*
*Plus ades adiumenti, quàm ille, qui nunquam etiam natus eſt.*

Et qui hos præcedit,

*Quippe tu mihi aliquid, aliquo modo, alicunde, ab aliquibus blatis:*

eo *ab aliqui* malim, non tam verſus cauſsâ, quam quia ſic Chæribulus, cuius ipſa verba repetit Stratippocles. At ſuperius caue illos audias, qui *tibi* delent iſtic:

*Quid illum facere* (ita cum veteribus ſcribo ſimul) *vis? qui, tibi cui diuitiæ domi maxumæ*
*Sunt, is nummum nullum* (ſiue, *nullus*) *habes.*

De Plautino genere hoc loquendi, *qui, tibi cui*; vel *te, tibi cui* diximus ad Curculionem. Sequentis autem ſcenæ initio grauius eſt ſ..endum:

*Feciſti iam officium tu tuum, me meum nunc facere oportet.*
*Per hanc curam quieto tibi licet eſſe. hoc quidem iam periit.*
*Niſi quid tibi hinc in ſpem referas. hoc oppido politum eſt.*

Nam

Nam vltimum horum verſum quomodo explicat interpres? pueriliter profectò, ne quid acerbius dicam. Non ad ſeipſum ſeruus, ſed ad herum, abſentem tamen, loquitur, dum ex ædib⁹ in ſcenam prodit cum argento. Emendo igitur primùm, *Ne quid tibi hinc in ſpem referas*. Ne quid, inquit, ex hoc argento ſperes deinceps tibi: ne quid eius in integro tibi fore putes. Deinde etiam, *hoc hoſtium potitum eſt*: audaciore, ſed neceſſaria mutatione. quî tamen audace nimis? quaſi non facillima ſit in altero verbo, in altero neque difficillima. nam *hoſtium* ex *oppido* etiam conuerti, ductus omnes literarum inſpicienti mirum non poterit admodum videri. Senſus autem eſt, veniſſe iam quinquaginta iſtas minas in hoſtium poteſtatem. Ea phraſi ſæpe vtitur Plautus, & infra ſcenâ *Si quid eſt*:

*Ita gnata mea hoſtium eſt potita.*

Et vtitur huius ſimilibus vbiq; ferè in ſeruorum fraudulentis machinationibus. Hîc autem id iuuat præterea maximè, quòd ſuprà de bello inferendo, & oppugnando ſene dixerat: tum quòd in eadem figura perſtat etiam porrò hîc, & vbi ſeruus triumphans victoriâ abiturum ſe ait, vt in coloniam commeatum importet, & vbi Stratippocles accepto argento non minus ouans in caſtra ſe redire cum præda, Epidici auſpicio & virtute, iactat. In penitiore ſcena deinceps legimus:

*Nunc iterum vt fallatur pater, tibiq; auxilium apparetur,*
*Inueniam:*

non rectè. Rectum erit *Inueni iam*, diuiſis quæ coaluerant vocib⁹. Etenim inuenerat iam aſtum, quem quidem apud ſenem ipſum inſtituerat, inſtiteratq; paullò antè, & nunc hîc ordinem eius totum narrat. Ibidem ſtatim:

*S T. Euge, euge. E P. ea iam domi eſt pro illa. S T. teneo.*

Quid, ſi *filia* legas hîc quoque pro *illâ*, vt alibi eandem vocem memini mutare? Non tamen affirmem ſeriò: quia *teneo* ſubiicitur: vnde videri queat non tam expreſſe ſuo nomine rem dixiſſe, ſed verbulo ſaltem innuiſſe, quod alter intellexerit tamen ſatis, & intelligere ſe, vt ſolet in his dialogiſmis, profiteatur. Porrò cauillari Plautum, ſi libeat, poſſimus: qui prudens an imprudens falſum ſcripſerit, & in leges exactæ œconomiæ peccarit eo loco:

*Deueniam ad lenonem domum egomet ſolus: eum ego docebo,*
*Si qui ad eum adueniat, vt ſibi datum eſſe argentum dicat*
*Pro fidicina, argenti minas ſe habere quinquaginta:*
*Quippe ego qui nudiuſtertius meus manibus dinumeraui*
*Pro illa tua amica, quam pater ſuam filiam eſſe retur.*

Ait hic quinquaginta minas lenoni datas: at conſtat de triginta ſaltem ex vltima ſcena:

*P E. Dedin' tibi minas triginta ob filiam? E P. fateor datas.*
*Et eo argento illam me emiſſe amicam filij fidicinam*

*Pro tua filia. iſtis adeò te tetigi triginta minis.*

Quæ conciliari nullo modo poſſunt: excuſari tamen Plautus forſan iſto, ſi egiſſe hoc cum lenone ſeruum putemus, vt quamquam triginta tum ſolùm accepiſſet, tamen apud alios de quinquaginta nunc fateatur. At inſerere Plautus id debuerat, ſi factum: factum autem omninò nec videtur ex reliqua Epidici oratione, quæ ſimulatò nihil, omnia ſeriò geſta, & geſtum iri à lenone imprudente monſtrat. Error igitur hic Poetæ certus & magnus, cui velum nullum habeo aut colorem.

Non procul inde minor error in verbis, auctori ipſi non imputandus:

*Eam ducet ſimul Apœcides ad tuum patrem. ST. vt paratè.*
*EP. Eam permeditatam meis dolis aſtutiisq, onuſtam*
*Mittam.*

Scripſit enim ille, puto; *ST. vt peritè!* Rectius certè ſic collaudarit adoleſcens fabricam ſerui. Verſu altero *præmeditatam* benè emendatur (& legunt ſic veteres libri:) malè, quod alii ſcio placuiſſe, diuiſa voce in plures, *per me ditatam meis dolis.* Pòſt etiam falſum in illo ſermone quiddam:

*CH. Nimis doctus ille eſt ad malefaciendum. ST. me quidem certò*
*Seruauit conſiliis ſuis.*

Nondum ſeruauerat, ſed in eo erat, vt ſeruaret. Neque iam ſaluum ſe Stratippocles cenſet, ſed futurum per hæc conſilia ſperat. Igitur ſcribo, *Seruabit*: cum quo tamen idem alterum ex antiqua ſcribendi ratione: quam mutari nihil intererat, ſi ab omnibus rectè caperetur.

## CAPVT VI.

*Igitur, noua vſurpatione. Verſuum traiectiones in Epidico oſtenſæ binæ, vna leuior, altera grauiſſima: tum legitimus ordo reſtitutus. Etiam Nonij leuiculus error tactus & detectus.*

TRaiectionis integrorum verſuum in hac fabula nondum habuimus exempla: nunc ſe vnum atque alterum dat ſequentibus iſtis ſcenis. Quæ proxima ſuperiori eſt, eius principio ſtatim vnum deprehendo.

*Non oris cauſſa modò homines æquum fuit*
*Sibi habere ſpeculum, vbi os contemplarent ſuum:*
*Sed qui perſpicere poſſent cor ſapientiæ,*
*Igitur perſpicere vt poſſent cordis copiam.*
*Vbi id inſpexiſſent, cogitarent poſtea*
*Vitam vt vixiſſent olim in adoleſcentia.*

Inter hos verſus mirum eſt neminem vidiſſe quàm ſit iſte importunus:

*Igitur perſpicere vt poſſent cordis copiam.*

Apertè nimis ſententiæ turbat, & verborum etiam ipſorum ἀκολουθίαν, qua concinnius nihil erat, niſi is interiiceretur. Eximendum

dum eum amico doctiſſimo, de quo ſupra alibi memoraui, Carolo Piſone conueniebat olim mihi: non conueniebat prorſus, in quem locu n reponendus. Ille hunc ei dabat:

*Profectò delirамus interdum ſenes.*
*Igitur perſpicere vt poſſent cordis copiam,*
*Fuit conducibile hoc mea quidem ſententia.*

Vt clauderet ita ſenex de ſpeculo diſputationem. Quod non diſplicebat mihi, ſed magis placebat, ſi quem nunc præcedit verſum, potius ſequeretur. Atq; ita collocabam:

*Fuit conducibile hoc mea quidem ſententia,*
*Igitur, perſpicere vt poſſent cordis copiam.*

Nouus & Plautinus iſte particulæ *igitur* vſus, vt mediæ orationi ſic nudè inſeratur. Amphittuone idem fuit:

*Verùm certum eſt confidenter hominem contrà colloqui,*
*Igitur, qui poſſim videri huic fortis, à me vt abſtineat manum.*

Fuit & Aſinariâ:

*Iam diu eſt factum, quom diſceſti ab hero atq; abiiſti ad forum*
*Igitur, inueniundo argento vt fingeres fallaciam.*

Nec alibi plura forſan exempla deſunt, quæ mihi tamen haud in promtu nunc, & ſufficiunt iſta ad elegantem loquendi modum reuocandum & firmandum: qui ignoratus non dubiè cauſſam præbuit huic traductioni. Eius aliud exemplum inſignius ad finem huiuſdem ſcenæ. Leguntur illîc quatuor iſti verſus:

*Atq; hæc ſtultitia eſt me illi vitio vortere,*
*Egomet quod factitaui in adoleſcentia,*
*Quum militabam pugnis memorandis meis:*
*Eradicabam hominum aures, quando occeperam.*

Quorum duo priores videantur vtcunq; præcedentibus hærere: poſteriores hærere nullo queunt modo. Demus enim illa ſe conſequi benè, nec ſententiâ abhorrere:

*——itaq; me albis dentibus*
*Meus derideret filius meritiſſimò.*
*Atq; hæc ſtultitia eſt me illi vitio vortere,*
*Egomet quod factitaui in adoleſcentia.*

Quid reliqua? nonne pugnant manifeſtò?

*Quum militabam pugnis memorand. &c.*

De amoribus & paternis defraudationibus intelligi priora volebant: hæc ad militiam & militares iactationes trahunt. Vis breuiter abſoluam, & quod ſentio plenè dicam? Omnes illi illo loco ſunt alieni, & ad ſequentem ſcenam pertinent, inſerendi illîc, vbi miles prædicare pugnas ſuas geſtit, & à ſene reiicitur, qui recogitans tamen, idem in adoleſcentia ſe feciſſe, ignoſcendum ei putat, & ſtultè a ſe reprehendi. Ordo & ſeries ibi loci totius hæc debet eſſe:

*PE. Non reppeiſti adoleſcens tranquillum locum,*

*Vbi tuas virtutes explices, vt poſtulas.*
*Nam ſtrenuiori deterior ſi prædicat*
*Suas pugnas, de illius ore fiunt ſordidæ.*
*Sed iſtum quem quæris Periphanem Platenium,*
*Ego ſum, ſi quid vis. M I. nempe quem in adoleſcentia*
*Memorant apud reges armis arte duellica*
*Diuitias magnas indeptum? P E. imò ſi audias*
*Meas pugnas, fugias manibus demiſſis domum.*
*M I. Pol ego magis vnum quæro, meas cui prædicem,*
*Quàm illum, qui memoret ſuas mihi. P E. hic non eſt locus.*
*Proin tu alium quæras cui centones farcias.*
*Atq; hæc ſtultitia eſt, me illi vitio vortere,*
*Egomet quod factitaui in adoleſcentia,*
*Quum militabam. pugnis memorandis meis*
*Eradicabam hominum aures, quando occeperam.*
*M I. Animum aduorte, vt quod ad te venio intelligas.*

Cùm militem magniloquum increpuiſſet ſenex, ad ſpectatores auerſus quatuor illos verſus pronuntiat: poſt quos, non ferens quaſi aliud agentem miles reuocat, & attendere ſibi iubet, vt cauſſam aduentus ſui negotiumq; ipſum ſciat. Hanc non coniecturam, ſed meram veritatem, certè veriſſimam coniecturam eſſe res ſic ipſa loquitur, vt verbum mihi amplius nullum faciendum. Sed non aptius hæc hîc omnia quadrant, quàm rectius illis excluſis prior ſcena ſic jam clauditur:

*——, itaq; me albis dentibus*
*Meus derideret filius meritiſſimò.*
*Sed hic quis eſt, quem huc aduenientem conſpicor,*
*Suam qui vndantem chlamydem quaſſando facit?*

Quorum verſuum poſtremum, vt obiter hoc dicam, falsò Nonius citat ex Milite in voce *Quaſſum.*

## CAPVT VII.

*Quemne, Vterne, Quantane, Qualine? Verſus vnus iteratus temerè, deletus: alij plures concinnati. Loca integra emendata, illuſtrata.*

ILlis conſtitutis locis, alia nunc in iiſdem ſcenis perſequamur. Priore ſuperuacuus etiam verſus eſt, temerè iteratus, & delendus iſto loco:

*A P. Imo ipſus ille dixit, conductam eſſe eam*
*Quæ hic adminiſtraret ad rem diuinam tibi,*
*Facturum dixit rem eſſe diuinam domi.*

Poſtremus horum, inquam, delendus, cuius nullus ibi vſus: & qui eſſe poſſit, fuit ante pauca:

*P E. Mirum, hoc qui potuit fieri. A P. te pro filio*
*Facturum dixit rem eſſe diuinam domi.*

Illic ſententia cum requirit, iſtic ſpernit. Et abeſt in libris veteribus poſteriore, quo nos volumus, loco, ſed cum ipſo verſus tres alii ſimul, qui abeſſe neutiquam debent: cui fraudi occaſionem ea ipſa geminatio dediſſe videtur. Expungatur ex hac decuria quamprimum, ne quid iterum aliquando turbet. Ante eum locum ſuperius eſt:

*Quid fit? A P. dij deaq; te adiuuant. P E. omen placet.*
*A P. Cui homini omnes ſuppetunt res proſpera.*
*Sed tu hanc iubeas intro abducier.*

Gulielmius noſter ita conſtituit, rectè: niſi tamen *omini*, quod veteres habent, malim, verſui vt melius conſulatur, & ſententiæ ſimul. Meritò, inquit, omen hoc tibi placet, quod proſpera quidem in ſe continet & adducit omnia. At *homini* ſi retinere libeat, per interrogationem ita potius inſertâ particulâ ſcribendum ſit,

*Cui homini magis omnes ſuppetunt res proſpera?*

Ita in Comœdiis ſolet, cum fortunam alicuius extollunt, re benè geſta: cui exempla non conquiro. Sequitur ibidem mox:

*Edepol na iſtam tempore gnato tuo ſumus*
*Pramercati. P E. quid iam A P. quia dixit mihi.*

Verſus prioris vltima vox ad ſequentis initium pertinet, cui præfigenda. Breuior alioqui alter eſt, nec alteri deceſſiſſe videbitur quidquam, ſi è veteribus corrigatur. Hi legunt additâ voculâ *ſuo tempore*. ſed arbitror ſic emendandum:

*Edepol na iſtam nos tempori gnato tuo*
*Sumus pramercati.*

*Tempori* vetus aduerbium, eſt in ipſo tempore, maturè. Scenâ earum, quas dixi, alterâ porrò ſcribitur:

*Ego ſum, ſi quid vis. M I. nempe quem in adoleſcentia*
*Memorant apud reges armis &c.*

Langianis abeſt *nempe*: quod ſuſpicari me facit, ipſo deleto, *quêne* ſcribendum. Sanè & verſus melior eſt, neq; Plauto familiarius quidquam hoc loquendi modo: qui nec aliis inuſitatus, præſertim Poetis. Catull. Nuptiis Pelei aliquoties:

——*Quemne ipſa reliqui?*

Et mox:

*Quine fugit lentos incuruans gurgite remos.*

Horat. Satyr.

——*ô ſeri ſtudiorum, quine putetis*
*Difficile & mirum.*

Item:

*Quone malo mentem concuſſa?*

Et: ——*vterne*
*Ad caſus dubios fidet ſibi certius?*

Itemque: *——illa rogare, Quantane? num tandem ſe inflans ſic magna fuiſſet.* In quibus poſtremis nihil ad ſignificatum adiicit adiecta particula *ne*, vt Trinummo etiam noſtri:

*——ô Callicles,*
*Qualine amico mea commendaui bona?*

Deinde locus eſt, quem multi vexarunt:

*——MI. volo te verbis pauculis,*
*Si tibi moleſtum non eſt. PE. non edepol ſcio.*
*Moleſtum non eſt mihi, ſi dicis, quid velis.*

Alius: *PE. non edepol ſcio; Moleſtum non eſt.* Alius, relictis ceteris, *velim.* Ex Langii optimis membranis, quæ referunt, *niſi dicis*, ita concinnes: *——non edepol ſcio,*

*Moleſtumne eſt mihi, niſi dicis, quid velis.*

Niſi rem ipſam dicas, inquit, ſcire non poſſum, an moleſtum mihi ſit. Plautinum eſt, *Moleſtumne eſt*, pro ſitne moleſtum.
Hoc non contemnam ego: neque rurſum è vulgatis poſſim non benè in alium interpolare modum;

*——non edepol ſcio,*
*Moleſtumne eſt mihi, ſed dic ſis, quid velis.*

Eligat quiſq; quod volet ſibi. Mox ſequitur:

*MI. Mihi illam vt tramittas, argentum accipias.*

Rectum eſt *tramittas*, non *remittas*. Suprà idem:

*Continuò te orabit vltrò, vt illam tramittas ſibi.*

De illo verſu in proximo,

*Tuas poſſidebit mulier faxo ferias,*

ad Captiuos egimus, vnde emendatio petatur. Infenus aliquantò diuinè Gulielmius noſter hæc reſtituit;

*——ipſe hanc in eo articulo emit. MI. hem iſtic homo*
*Articulatim te concidit, ſenex, tuus*
*Seruus. PE. quid? concidit? MI. nihil, ſic ſuſpicio eſt.*

in quorum extremo, quod non tetigit, ita corrigendum amplius, *MI. mihi ſic ſuſpicio eſt.* Nam Lambini, *nihil: ſed ſuſp. eſt*, non placet. Non enim dubitat miles aut diſſimulat, ſed certò ſuſpicari ſe ita dicit. Deinde vulgatur ibidem:

*Mercatus te hodie eſt de lenone Apœcides?*
*FI. Ehodum. ego iſtunc hominem nunquam audiui ante hunc diem.*

Puellæ dant *Ehodum*, quod ſeni interroganti & vrgenti debetur, ſi debetur tamen. Etenim verſus reſpuit; quamquam eius vix habenda ratio in tali additione. Sæpiuſcule namq; talia adiiciuntur, extra verſuum menſuram, quod alii & in Græcis obſeruarunt. Nihilominus emendandum videri poſſit:

*FI. Egodum iſtunc hominem nunq. a. a. h. diem.*

in quod inclinare me ſanè fateor, non tamen vt trahere mecum alios, ſi nolint, velim. Paullò autem pòſt, illorum verſuum iuſto longior vterq; eſt:

*Fl. Tam facile quam me. PE. vbi habitat? Fl. poſtquam libera eſt, vbi*
*Habitet dum, incertò ſcio. PE. eho, quis eam liberauerit, &c.*

Neque iis conſulas, niſi ex altero vocē vnam deteras pen:tus, quaſi gloſſam, vt in eius locum ſuccedat alia, quæ in prioris fine. Sic enim numeri proceſſerint:

*Fl. Tam facile quam me. PE. vbi habitat? Fl. poſtquam libera eſt,*
*Vbi dum, incertò ſcio. PE. eho.*

Subintelligitur *habitet* ad explendam ſententiam, quod inculcatū à gloſſographo corrupit vtrumque verſum. Deniq; iſtic:

*Eamne ego ſinam impune?*

Lambinus *eam* fecit. Cur non reliquit *eum?* Non enim vel iniuriam, quod ipſe; vel pecuniam, quod poſt eum alii voluerunt, interpretandum: ſed oratio ſic explenda, eumne ſeruum impune ſinam deriſui me habuiſſe? vel, eumne impune abire ſinam? vel quouis alio modo in eundem ſenſum.

## CAPVT VIII.

*Compos miſeriarum, culpa. Animus domum remigrat. Lenocinium facere. Correcta & explicata ſæpius Epidicus. In Symmachum leuis nota.*

PRoximâ his ſcenâ leuis diſtinctiuncula peccat in iis, quæ primò nobis occurrunt:

*——noſcito ego hanc.*
*Nam videor, neſcio vbi, me vidiſſe prius. eſt ne ea, an non?*
*Eſt, quam animus retur meus.*

Cohærere enim illa debent, *eſt ne ea, an non Eſt quam animus retur meus?* Quibus deinde ſubiungit, *Certè ea eſt.* Aliquo pòſt interuallo inſerenda particula *me*, quæ omittitur in vulgatis:

*Nouin' ego te? MV. ſi ego te noui, animum inducam me vti noueris.*

Mox illa: *——commodè*

*Fabulata es. MV. mira memoras. PE. hem iſtuc rectius.*
*Meminiſtin'? MV. memini id. PE. in Epidauro. MV. ah guttula*
*Pectus ardens mihi adſperſiſti.*

non repræſentant ſatis rem, quæ geritur inter hos noſcitantes. Etiam verſus vnus menſuram non implet. Quid autem hoc vult, *mira memoras?* cum nihil dum memorarit. Nec illud bonam habet ſententiam, *iſtuc rectius.* Omnia & hæc & alia concinno facili emendatione:

*——PE. commodè*
*Fabulata es. MV. mira ni me noris. PE. hém, iſtuc rectius*
*Meminiſtin'? MV. memini. PE. id in Epidauro. MV. ah.*

Paullatim agnoſcunt inuicem: cumque mulier dixiſſet, mira ſunt, ni me noris (ita facimus ex *mira memoras:*) ille vt certum argumentum ſibi capiat, propius admouet lineas, quærens, an rectius

ſiue occultius illud, quod inter ipſos geſtum, & ſolis cognitum erat, meminerit: atque illa annuente, illud ſe porrò dicere innuit, quod actum in Epidauro. tum apertè ſe produnt mutuò, & profeſſi denique pro notis conſalutaut. In ea conſalutatione porrò legitur:

*PE. Cedo manum. MV. accipe. ærumnoſam & miſeriarum compotem*

*Mulierem retines. PE. quid eſt, quod vultus te turbat tuus?*

Sed nec legitur, nec emendatur rectè, prouocabulo *te* deleto. Veteres non id habent ſanè: at habent *interturbat*, ex cuius prioribus ſyllabis id ipſum reliquum factum. Hoc autem verbum integrum repone, extrito ſibilo in voce *vultus*, ne numeri te morentur. *Compotem miſeriarum* ibidem dicit eâ formâ, qua *compotem culpæ* Truculento:

*Ego me tibi obnoxium eſſe fateor, culpæ compotem.*

Sequitur:

*Domi meæ eccam ſaluam. nam poſtquam audiui illico*

*Ex meo ſeruo, illam eſſe captam, continuò argentum dedi.*

Quid *ilicò* illic, cum mox dicat *continuò*? Sed nec *audiui ilicò* benè hærent. Fallor, an pro eo legendum *Epidico*? Ita pòſt etiam ſerui nomen exprimit ad hanc eandem: —*ſeruus Epidicus dixit mihi.* Nihil tamen affirmo. Quod in fine ſcenæ ſcribitur:

*MV. remigrat animus nunc demum mihi:*

non multum intereſt, ſic, an cum Gulielmio *domum*, an, vt mihi viſum olim, *denuò* ſcribatur. Ita Symmachus quidem loquitur etiam lib. 7. epl. 77. *In tranquillũ denuò animus remeauit.* vbi Schotti liber melius fortè, *remigrauit*, vt & Plautino huic congruat magis, & alteri Symmachi ipſius loco lib. 1. epl. 5. *Tunc mihi animus ab ægritudine remigrauit.* Scenâ, *Quid eſt pater*, verſuum partim ratio, partim vetus lectio vitii arguit iſta:

*PE. Scio quid erres, quia veſtitum atque ornatum immutabilem*

*Habet hæc. MV. aliter catuli longè olent, aliter ſues. nego*

*Eam me nouiſſe quæ ſit. PE. prò deum atq; hominum fidem!*

*Quid ego lenocinium facio? qui habeam alienos domi?*

Vt verbis parcam, emendandum:

*Habet hæc. MV. habeat. aliter catuli longè olent, aliter ſues.*

*Nego eam me nouiſſe quæ ſit. PE. prò deum atque hominum fidem!*

*Quid ego lenocinium facio, qui alienas habeam domi?*

Sed *alienas* alii fecerunt pridem, quod firmo tamen è MSS. Langianis. *Lenocinium facere* in re ſimili dixit & Mercatore:

*Atq; vt nunc ſunt maledicentes homines, vxori meæ*

*Mihiq; obiicient, lenocinium facere.*

Deinceps hîc immittenda *te* particula:

*Non pàtrem te ego nominem, vbi tu tuam me appelles filiam?*

Atque

Atque ad finem: *MV. hinc Athenis ciuis eam emit Atticus*: lego *heic*, ſententia non aliter patiente. Porrò aliâ ſcenâ, *Male morigerus*, etſi non malè hoc interpretantur:

*ST. Pernumeratum eſt. D. tene crumenam, huc inde. ST. ſapienter venis.*

vt ſcilicet ſapiẽter eum feciſſe dicat, qui cum crumena venerit: tamen hercle malim, *ſapienter mones*; vt ad illud referatur, *huc inde*. Simplicior hic & ſenſus, & dictio magis eſt Plautina.

## CAPVT IX.

*Plus duodecim deis: plus decem minis. Ei, i. Beneficij aut malì ſeges & meſſis. Tranſpoſitio verſus vnius, alterius iteratio oſtenſa. hac eiecta, illa correcta. Plures deinde verſus emendati, locaque difficilia contra & prater alios explicata.*

SCenâ, quam primulùm exorſi ſumus, nouum habemus tranſpoſitionis exemplum.

*EP. Non me nouiſti? VI. quod quidem nunc veniat in mentem mihi.*
*EP. Lunulam atque anellum aureolum in digitum? VI. memini, mi homo.*
*EP. Non meminiſti me auream ad te afferre natali die?*
*VI. Tune is es? EP. ego ſum, & iſtic frater tuus eſt.*

Interruptam orationem eſſe vidit Lambinus, ſed quid faceret non vidit. Idem in horum penultimo *in aurem auream* nobis ſcripſit, & verſum extendit vltra ſpatium legitimæ dimenſionis. Id quàm malè, magis patebit ex noſtra emendatione, quæ intermedios verſus commutat locis inter ſe, diſtinctionibus aliter attemperatis. Sic enim ſcribo:

*EP. Non me nouiſti? VI. quod quidem nunc veniat in mentem mihi.*
*EP. Non meminiſti, me auream ad te afferre natali die*
*Lunulam, atque anellum aureolum in digitum? VI. memini, mi homo.*
*Tune is es? EP. ego ſum.*

Quod qui verum non videt, quid ei homini oculis opus? Ego me talibus his non iacto: quæ tamen ab aliis non obſeruata miror ſæpe mecum & indignor. Etiam aliud alius mendi exemplum ſequenti ſcena eſt, cuius in hac fabula ſimile vnum ſupra, & vbique plura notauimus, item aliis neglecta: quæ, ſi paullùm non ingenium excitaſſent, ſed animum ſaltem aduertiſſent, fieri non poterat, quin viderent. An autem vidiſſe, ſed verecundia putabimus impeditos, vt eloqui non auderent? Non putem ego: qui nec ipſe ſum audaciſſimus, & in tam manifeſtis & craſſis erroribus ſilentium tamen imperare mihi non poſſum. Hoc genus, verſuum eorundem repetitiones ſunt: quarum vltimâ ſcena, vt inceperam dicere, perſpicuum eſt exemplum. Illis enim:

*EP. Eho, quid agis? PE. tuon' arbitratu? EP. meo hercle verò, atque haud tuo,*
*Colligandæ hæ ſunt tibi hodie. PE. at non lubet. non colligo:*
Ineptiſſimè ſubiicitur hic:
*At mihi magis lubet ſolutum te rogitare. EP. at nihil ſcies.*
qui paullò pòſt iterum legitur, & legi ſuo demum loco iſthîc debet:
*EP. Tibi moram facis, cum ego ſolutus aſto. alliga, inquam, colliga.*
*PE. At mihi magis lubet ſolutum te rogitare. EP. at nihil ſcies.*
*PE. Quid ago? AP. quid agas?*
Obſecro vos, lectores, iterationem hanc æquo animo feretis? Eiicite priore loco, me auctore, heic nunc quem monſtraui, nec alibi deinceps oculis velut clauſis ſimilia præterite. Ad præcedentem ſcenam regredior ego, vt quod reliqui etiã illic, tollam. Difficilis locus eſt, nec vllius ſenſus, ad quem ſilent tamen quaſi de compecto omnes:
*EP. Theſprio, exi iſtac per hortum, affer domum auxilium mihi.*
*Magna eſt res. minoris multo facio quàm dudum ſenes.*
Niſi fortè conſeruum etiam in ſubſidium vocat, qui cum Stratippocle & eius inuenta iam ſorore ſuppetias vna ferat. At quid opis a ſeruo poterat hic exſpectare? Quin nec egebat aliorum auxilio, nec ferre vllus vllum poterat, præter heriles liberos in ea quidem re. Sed neque ſuâ cauſsâ tranſire Theſprionem iubet, ſed illorum, quibus præſto ſit ille interim, dum ipſe incertus adhuc, an domum ſit initurus: de quo mox ſtatuit tamen, & illos è veſtigio conſequitur, ſpreto vtroq; ſene. Quid verbis igitur illis faciendum tandem? Emendanda iudico, & in hunc modum:
*EP. Theſprio, exi: iſtac per hortum abei* (id eſt, abi) *domum. auſculta mihi:*
*Magna eſt res.*
Quod dicitur & agitur, hoc eſt. Euocat Theſprionem Epidicus ex ædibus vicini Chæribuli, quò conceſſerat familiarium conſpectum fugiens heri iuſſu, cum rediret: inde eum per hortum abire nunc domum iubet. at illo reſtitante, nec cauſſam mutatæ vicis intelligente, ſubinde vrget; cumq; non deceret ordine rem ipſam in ſcena, vix inibi iam geſtã, renarrare, ſaltem innuit de ea, & magnam ſubitamque eſſe ait, omninò perſuadere laborans, vt ignotâ cauſsâ tamen ſibi credat & auſcultet. Vltimâ ſcenâ ſupereſt etiam nonnihil, quod nunc, quidquid eſt, videbimus. Illud mutare Lambinus voluit:
*EP. Duodecim deis plus quam in cœlo eſt deorum immortalium*
*Mihi nunc auxilio adiutores ſunt, & mecum militant.*
Idem in ſententia hæret, ex impedita, vt ait, conſtructione ſe non euoluens. Ego verò non hic (item vt ſupra illo loco:

*Si vn-*

*Si vndecim deos præter ſe ſecum adducat Iuppiter,*
*Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.)*

reſpici credam, quod tamen & Camerarius ante Lambinum cenſuit, ad duodecim maiorum gentium deos, quorum nomina verſibus illis notiſſimis Ennianis comprehenſa: verùm hoc dici ſaltem, præter omnes deos, quantum eorum ſit, alios etiam duodecim adiutores ſibi eſſe, id eſt, plures omninò, quam vulgò ſint, poſito duodenario certo numero, pro quouis alio, vt ſolet, incerto. Loquendi forma, *plus duodecim deis*, ea eſt, qua ſupra vſus eſt hac fabula:

*Decem minis plus attuli, quam tu daniſta debes.*

Attulerat ibi minas quinquaginta, cum quadraginta ſaltem deberentur: ita decem minis plus erat, ſiue ſupernumerariæ erant decem minæ. Simile eſt & Caſina:

*Te vno adeſt plus quam ego volo.*

Non aliter hîc accipi verba poſſunt. Et omnes deos, nec hos tantùm, ſed & plures ſecum ait militare. Seruilis exſultatio eſt, animique præ nimio gaudio a ratione aberrantis, nec quid dicat ſatis cogitantis oratio. Deinde autem quod vbique ſic vulgatur:

*Abi modo intrò. PE. hei, non illuc temere eſt. aſſerua iſtunc Apæcides.*

in eo leuiter ſuſpicor, *hei* neque ſincerum, nec ſenis eſſe. Certè rei præſenti non conuenit interiectio iſta, potius *hem*. Neque tamen hanc putem reponendam, ſed *ei*, id eſt, *i*, cum præcedentibus ſub Epidici perſona continuandum:

*Abi modo intrò, ei. PE. non illuc temerè eſt.*

Multis locis id verbum ὀρχεῖχᾶς ſcriptum in alia atq; alia ſubinde degeneraſſe Gulielmius noſter oſtendit pridem: cuius exemplis poterit & hoc annumerari. Mox honeſta locutio illa:

*Sed vt acerbum eſt, pro benefactis cum mali meſſem metas!*

in qua vt ex beneficiis meſſis malorum dicitur, ſic eadem metaphora apud alium poëtam veterem ſatio beneficiorum. Accius Andromedâ:

*Quod beneficium haud ſterili in ſegete, rex, te obſeſſe intelliges.*

Statim ſequens verſus ambiguæ ſententiæ, imò nullius eſt, niſi malæ, quamdiu ſic ſcribitur:

*AP. Quamne hodie per vrbem vterq; ſumus defeſſi quærere?*

Quid intelliges ſub iſto *quamne?* Filiam Periphanis? nugas. meſſem mali? maiores nugas. Scribe *Quemne*. Seruum Epidicum quæſierant per vrbem totam ambo ſenes: quod clarum eſt. Suprà:

*nam per vrbem duo defloccati ſenes*
*Quæritant me, in manibus geſtant copulas ſecum duas.*

Et de laſſitudine conqueritur initio huius ſcenæ hic idem ſenex:

*——— ita dum te ſequor,*
*Laſſitudine me inuaſerunt miſerum in genua flemina.*

Itaque cum de mala gratia pro bona opera quereretur ſeruus, auget Apœcides indignitatem rei hac quaſi commiſeratione: quam in iocum tamen ille vertit,

*Ego ſum defeſſus reperire, vos defeſſi quærere.*

ſed & ego iam quærendo pariter & reperiendo fine mendarum in hac fabula æquè ſum defeſſus. Eo igitur ad Bacchides, quarum illecebroſo ſermone viſcatiſque blanditiis laſſitudo mihi omnis eximatur.

***

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI BACCHIDES

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

Nobiliſſimum & Ampliſſimum virum

JOANNEM BARVITIVM

Sac. Cæſ. Mai. à Conſiliis aulicis & ſecretis ſanctioribus.

*MAgnos magna decere, vulgò ferunt: ſed eoſdem nec parua puto dedecere. Non equidem quemquam litera qualeſcunque minus deceant: quibus quanto tenuioribus tanto maiorum in auctoritate præſidium eſt quærendũ. Eo nomine viam ego, vir magne, cum minutis ad te affecto literulis hiſce, quibus ex omni ſtudiorum genere tenuius vix vllum in eruditionis omni cenſu æſtimatur. ſed æſtimatur à plebecula tantùm, & illo doctorum vulgo, quod earum vim præſtantiamq; non intelligit, aut ab inuidis quibuſdam & ambitioſis, qui cum in ſe doctrinæ genus hoc non habeant, & ipſum, & in quibus eſt, ſpernunt, tantoque videri volunt ipſi ſublimiores, quo magis illos depreſſerint, ſimulque ſuarum creſcere dignitatem ſpecioſarum nugarum arbitrantur, ſi ſteriles & aridas iſtas fecerint viliores. Et viliores, ſanè quoquomodo ferendum erat: id agunt etiam, vt inanes habeantur prorſus, & fiant omnibus exoſa. Itaque quotus eſt iam è numero ſtudioſorum, qui vel amet Philologiam, vel ſi amet, amorem eius præ ſe ferre audeat, & Philologum ſe profiteri? Fu-*

*giunt hoc nomen omnes, & tanquam dedecoris ſit nota,* ***non*** *titulus laudis, in aliarum ſe diſciplinarum induunt appellationem. atque etiam ij, qui tincti imbutiq; doctrinis alijs & ornati inſignibus honorum, vileſcere metuunt tamen, & vileſcunt, ſi ijdem & Philologi dicantur. O imperitiam inhumanam! ô barbaram iniquitatem! Quid autem, ſi & Criticus quis indigetetur? Id verò nomen ferre non poſſumus, & hominem eum deteſtamur, vt hoſtem publicum literarum, quarum conſeruator eſt & ipſa ſalus. O, quid dicam neſcio: ſed turpem notam temporum noſtrorum! quibus imperiti & ambitioſi quidam id effecerunt tandem, vt quibus literulis lux & honos debetur literarum ceterarum, quibuſque ſtudiis acceptam ferre coguntur altiora ſtudia ſuam dignitatem, imò vitam, ea in tenebras deiiciantur, omnique non honore tantùm ſpolientur, ſed ignominia contumeliaque notentur, & quid propius abeſt quàm morte iam multentur? Adeſte vos, adeſte, qui felicius inſtituti, rectius ſentitis; & euecti in ſublimius, eruditione valetis pariter & auctoritate. Retinete labantem diſciplinam, fulcite ruentem literarum gloriam, defendite earum decus, aduerſus ingratos, vt leuiter dicam, iſtos; iſtos, vt paullo dicam grauius, impiè audaces, quos in exitium noſtrum effrons imperitia accendit, armat ambitioſa inuidia, veſana temeritas impellit. Aduerte mentem præter ceteros, tu* BARVITI, *cuius eam doctrinam ſcimus, vt pepererit iſtam tibi dignitatem; eam dignitatem, vt tueri poſſis omnem viciſſim doctrinam. Suſcipe communem literarum cauſſam, & vtere ad eam defendendam illa auctoritate, quã ipſæ tibi in parte conciliarunt. Tuum patrocinium implorant, quem patronum ſibi prepararunt. Vindica ſpretum earum decus, quæ tantum in te contulerunt decus, vt ne poſſent aliquando ſperni. Age iam, cum ſpernuntur, noli deſidere tacitus, ne & ipſe ſpreuiſſe videaris. Abſit hoc vltimum ab illis malorum, & à te primum iſtud malefactum. Sed facies, quod tuum eſt, & quidquid eſt in te toto: neque profectò committes, vt illis defuiſſe dicaris, quibus ſi defueris, ipſi tibi dicêris defuiſſe. Patere verò te admonitum à me communis*

*cauſſæ,*

*cauſſa, priuata occaſione mea: cuius eſt ratio nata ab editione Plautinarum commentationum: quas cùm his diebus in vulgus proferre ſtatuiſſem, & ipſis mihiq; validè metuens ab illis, quos iam hoſtes & aduerſarios his ſtudiis apud te accuſaui, vndecunque patrocinium conquirerem, parti earum tuum quoq; nobiliſſimum nomen præſcripſi. Nec id tu commodare mihi recuſabis in eum vſum, cui lubentes alij ſuppeditarunt. Sit eius titulus tutela quaſi nauiculæ huic noſtræ, cui in altum immiſſæ iudiciorum publicorum mare, quia ſignum præfert eam illuſtre, non metuam calumniæ Auſtrum & æſtum obtrectationis, ſed Fauonium fauoris & auram beneuolentiæ placidiſſimumq; curſum ſperem. Mercem illa vehit, varias ad Plauti vulnera poſt tot curatores à tot annis ſananda medicinas: quas in grauiſſimis occupationibus tuis explorare tu quoque velis, ad animi remiſſionem, & ſi probabis, adiuuare deinceps, vt procuretur ijs optimi Comici ſanitas: quæ vna portus eſt, ad quem nauicula noſtra tuo iam auſpicio è littore ſoluta plenis bonæ ſpei ventis contendit.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI BACCHIDES

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Benè: rectè. Plenus ſanguinis. Iocus latentior aperitur. Verſus iteratus expungitur. Alia corriguntur.*

PRincipio Bacchidum rectè ſic hoc diſtinguitur ab aliis, ſed neſcio ſi & accipitur rectè:

*——quid agunt duæ germanæ meretrices cognomines?*
*Quid in concilio conſuluiſtis? BA. benè. PI. pol haud meretricium eſt.*

Nec enim hoc reſpondent meretrices, benè ſe conſuluiſſe, quamquam ſic interpretatur adoleſcens: ſed eius interrogationem reiiciunt honeſtâ illâ formulâ reticendi aliquid ſine iniuria quærentis: de qua Donatus ad illum Hecyræ Terentianæ locum:

*Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam triſtis? P. rectè, mater.*
Nam pro eodem in tali re *benè* & *rectè:* quamquam hoc ſæpius inuenias ita vſurpatum. Noſter Mercatore:

*DE. Vnde incedis? quid feſtinas gnate mi? CH. rectè, pater.*

Et Terentius iterum, Adelphis:

*Huic leges cogunt nubere hanc. Æ. perij. M. quid eſt?*
*Æ. Nil. rectè. perge.*

Itemque Eunucho:

*Rogo, numquid velit. rectè, inquit. abeo.*

Iocus eſt igitur in ambiguitate reſpõſionis. Illæ nihil ad eum pertinere videri volebant, quod conſuluiſſent: hic benè eas conſuluiſſe, quidquid eſſet, interpretatus cauillatur, ac mores earum conditionemq; ſugillat. Illud autem mox accipitur rectè, ſed non ſcribitur in optimis alias libris:

*BA. Hæc ita me orat, ſibi, qui caueat, aliquem vt hominem reperiam,*
*Ab iſtoc milite.*

Coniunctim & ſine accentu mediæ vocis iſta legenda, *ſibi qui caueat.* Ordo ſenſuſque verborum à Lambino diligenter oſtenſus, qui per ſe liquet tamen, niſi iis, quibus per ſe nihil liquet. Atque illa niſi paullò obſcurior altera lectio eſſet, poterat etiam ferri: quam nec ego damnare planè velim. In proceſſu colloquii huius lepidè & ſapienter de ſuadelis ac corruptelis meretriciis Piſtoclerus:

*——quia iſtac lepida ſunt memoratui,*
*Eadem in vſu, atq; vbi periclum facias, aculeata ſunt:*
*Animum fodicant, bona deſtimulant, facta & famam ſauciant.*

Vbi verius editiones priſcæ, *diſtimulant.* & verſu primo legendum verſus ſermoniſque cauſsâ:

*——quia enim iſthac memoratu lepida ſunt.*

At qui ſtatim his ſubiungitur verſus:

*Apage à me, apage. BA. ah. nimium ferus es. PI. mihi ſum.*
*BA. malaciſſandus es.*

abfuerit hinc, meo iudicio, melius: ineptiuſculè repetitus ex inferiore iſto loco:

*Vbi mihi pro equo lectus detur, ſcortum pro ſcuto accubet.*
*Apage à me, apage. BA. ah. nimium ferus es. PI. mihi ſum.*
*BA. malaciſſandus es.*

Illîc commodiſſimam habet ſedem, neq; tamen & hîc prorſus incommodam, niſi & iteratio ipſa inſuauis eſſet, & rectius alia cohærerent ſuperius, eiuſmodi inſertionem vix ferentia: tum quod maximum eſt, niſi affectus tam vehemens iſti adhuc rei minus conueniret. Nec enim dum incaluerat adoleſcens adeò: quem collatio palæſtræ & militiæ cum meretriciis agonibus & armis, omniumq; inibi damnorum ac dedecorum contemplatio ſic accendit,

tendit, vt exclamet denique, *Apage à me, apage.* Qui ſobriis iudiciis hoc expendent, mecum facturos ſcio: reliqui quid æſtiment, non laboro. Teneant, qui volent: ego fidenter eiicio priore, quo dixi, loco. Sequenti ſcenâ:

*LY. O barathrum, vbi nunc es, vt ego te vſurpem lubens?*

Diſtinguendum paullò aliter:

*O barathrum, vbi nunc es? vt ego te vſurpem lubens!*

Sententia non apparet alioqui ſatis. Non longè indidem:

*Nihil moror diſcipulos mihi eſſe iam plenos ſanguinis:*
*Valens afflictat me vacituom virium.*

Interrogationem rectè dertaxerunt nuper, & *iam* melius omninò quam *tam*: quod tamen ipſum quaſi legeretur, aut legendũ eſſet, ita Lambinus explicat *plenos ſanguinis.* Interpretatur enim, tam animoſos, tam calidos, &c. At non hoc Lydus dicit, quamquam conſequitur ex eo quod dicit. Iam pleni ſanguinis ei ſunt adulti, robuſti, & validi, quos nõ vult ſibi diſcipulos amplius, quãdoquidem valentiores illi afflictent ipſum ætate iam infirmum. *Afflictet* enim etiam ſcribo ad hanc ſententiam, elatam per modum, vt vocant, potentialem. Ac *iam* fortaſſe potius ad priora reſpicit, vt iungatur *iam eſſe*, vel *nihil iam moror.*

## CAPVT II.

*Verſus plures in vno loco variè diſiecti, in ordinem redacti. Ordo explicatione comprobatus.*

SVb finem eiuſdem ſcenæ:

*Iſtactenus tibi, Lyde, libertas data eſt*
*Orationis. ſatis eſt, ſequere me hac, ac tace.*

Aliter, & ſanè rectius interpungit Douſa F. *data eſt. Orationis ſatis eſt.* non tamen hoc ſatis. nam & *hac* delendũ verſus cauſsâ, quod neque libri veteres agnoſcũt. Sed nec illud ſatis omninò. Neſcio n. quid maius ſupereſt, ita quidẽ magnæ molis, vt tentare vix auſim. Audacia tamen ſumenda, ne tanta res intacta prætereatur. His ipſis verſibus claudi debere ſcena videtur, vt quæ ſequũtur alii duo, aliò pertineant: imò claudi non vtroque illorum, ſed altero ſaltem, vt prior & ipſe aliò referatur. Id quî poteſt? Vt poſſit, videro: prius alieno loco etiam illum eſſe ſuperiorem monſtrabo:

*PI. Iam exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo.*

Nimium, inquies, turbas, & moliris, quod vix emolieris. Ita ſoleo, cum mea commoui ſacra: nec de ſucceſſu equidem deſpero. Mane modò, & vide mecum ſodes hoc primùm: an nõ aptius illa cohærebunt, ſi non interrumpantur inſerto Piſtocleri verſu?

*PI. Omitte, Lyde, ac caue malo. LY. quid? caue malo?*
*O barathrum, vbi nunc es? vt ego te vſurpem libens!*

Ad minas diſcipuli ſic miſer exclamat pædagogus, & de iis queri tantum apparet ex deincipe verſu;

*Magiſtron' quemquam diſcipulum minitarier?*

Quòd ſi & illud ille addidiſſet hic, exceſſiſſe ſibi ex magiſterio eius ætatem; hic certè id quereretur etiam, & multò miſerabilius lamentaretur. Iam veſtigium in oratione huius nullum eſt, vnde colligas indignam illam vocem cum minis pariter emiſſam. Quid igitur eo verſu faciemus? Dicam tibi, ſi audire vis: quod auditum ſequi liberum cuiuis erit, aut negligere, quaſi obauditum. Non enim auſcultari me poſtulo: neque tamen ſententiam noſtram ſperni, aut ſi ſperni feram, non feram irrideri. Quod mihi videtur, ingenuè communico, animo Plauti aliorumque iuuandi: nec alio accipient liberalia ingenia, quibus ſolis hic deſudamus, & gratiam ab iis ita benè meritorum exſpectamus, vt interim & veniam ſperemus errorum. Illum ergo verſum cum altero hoc ſociandum iudico,

*Iſtactenus tibi, Lyde, libertas data eſt:*

& horum vtrumq; ſic collocandum, vt vltimos iſtos alios duos ſtatim ſequantur. Eos autem ipſos ſequi facio poſt illos ſuperiores:

*Compendium edepol haud ætati optabile*

*Feciſti, cum iſtanc nactu's impudentiam.*

ſed vt ordinem vniuerſum, ordiniſque rationem in omnibus facilius perſpicias, integer locus prolixius adſcribendus eſt, vbi leuiora ſimul alia concinnauimus:

*PI. Omitte, Lyde, ac caue malo. LY. quid? caue malo?*
*O barathrum, vbi nunc es? vt ego te vſurpem libens!*
*Video nimio iam multo plus quàm volueram.*
*Vixiſſe nimio ſatius eſt quàm viuere.*
*Magiſtron' quemquam diſcipulum minitarier?*
*Nihil moror diſcipulos mihi eſſe iam plenos ſanguinis.*
*Valens afflictet me vacuum virium.*
*PI. Fiam ego, vt opinor, Hercules: tu autem Linus.*
*LY. Pol metuo magis ne Phœnix tuis factis fuam,*
*Teque ad patrem eſſe mortuum renuntiem.*
*PI. Satis hiſtoriarum eſt. LY. hic vereri perdidit.*
*Compendium edepol haud ætati optabile*
*Feciſti, cum iſtanc nactu's impudentiam.*
*Edepol feciſti furtum huic ætati malum,*
*Quum iſtæc flagitia me celauiſti & patrem.*
*PI. Iſtactenus tibi, Lyde, libertas data eſt:*
*Iam exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo.*
*LY. Occiſus hic homo eſt. ecquid in mente eſt tibi,*
*Patrem tibi eſſe? PI. tibi ego, aut tu mihi ſeruus es?*
*LY. Peior magiſter te iſtac docuit, non ego.*
*Nimio es tu ad iſtas res diſcipulus docilior,*
*Quàm ad illa quæ te docui, vbi operam perdidi.*
*PI. Orationis ſatis eſt. ſequere me ac tace.*

Omnia

Omnia ſic apta inuicem ex ſe,nec quidquam interruptum,omnes vident: quorum rationes ſigillatim nihil opus eſt dari, & in parte iam dedimus ſupra: vnumque monemus nunc ſaltem, in quo maximum momentum totius traductionis. Accuſabat acriter adoleſcentem Lydus amiſſæ verecundiæ, acquiſitæ impudentiæ, denique furtiuæ calliditatis in flagitiis celandis, quæ omnia eſſent præter & contra ætatem. hanc ille non ferens diutius reprehenſionem. Hactenus, inquit, libertate monendi caſtigandique in me vſus fueris: nunc iam parce, poſtquam è magiſterio tuo ætas me eximit & ferulæ ſubducit. Ita dum ſub diſciplina pædagogi ſe amplius eſſe aut futurum negat: quid? inquit Lydus: Si ſub præceptore non es vlterius, ecquid patrem meminiſti te habere, ex cuius quidem poteſtate nondum exiiſti? Sed nihil proficit, & contumacius ſpernitur, pro ſeruo etiam increpatus: lapſuſque ad querelas perditæ in docendo operæ, & corruptæ aliunde inſtitutionis, tandem reuocatur & reprimitur ab imperioſo μαθητῇ olim, nunc δεσπότῃ, ſequique iubetur ac tacere. Is expoſtulationis modus, is eiuſdem ſcenæ finis.

## CAPVT III.

*Quámne. Strigo. Trico. Pluſculi verſus in numeros repoſiti: quidam aliter emendati explicatique: vnus præcipuè contra virum doctum correctus & aliò traiectus.*

SCenâ, *Mirum eſt*, rectè putant ſcribendum inſerto *ſi:*

*CH. Quia ſi illa inuenta eſt, quam ille amat, viuit rectè & valet.*

ſed id qui putant, eximere rurſus *ille* potuerant, quod in veteribus non eſt, vt numeri eſſent faciliores, qui ſic quoque non tamen faciles nimis. Ablato enim etiam hoc, amphimacer in medio manet, ſine quo reliquos pedes vſitatos non explicabis. Vt demum hîc autem, ſic ibi addunt *ea* veteres iidem:

*Anima eſt amica amanti: ſi ea abeſt, nullus eſt.*

plenioribus ſanè numeris, neque tamen aliàs defectis. Quod ſequitur:

*PI. Egon' vt quod ab illo attuliſſet nuntius,*
*Non impetratum id aduenienti redderem?*
*Regiones colere mauellem Accheronticas.*

in eo viri magni παρὰ προσδοκίαν argutia mihi accidit, *coleres* interpolantis, vt ſententia ſit ipſa præter exſpectationem. Relinquamus *colere*, nec vel alium audiamus, qui *me vellem* malit, etſi nihil id ſenſui detrahit, addit autem etiam ſermonis venuſtati. Sed ibidem *ab illo* non ego verbo iunxerim *attuliſſet*, ſed ipſi nomini *nuntius*, inductus locutione ſimili, quæ infrà:

*Nam illud animus meus miratur, ſi à me tetigit nuntius,*
*Quid remoratur.*

Et alibi: *Credo hercle te eſſe ab illo: nam ita nugas blatis.*
De illo loco diximus aliquid ad Curculionem:

*—— ecquid nam meminit Mneſilochi? PI. rogas?*
*Imo vnicè vnum plurimi pendit, CH. papæ!*
*PI. Imò vt eum credis, miſera amans deſiderat.*

Vnum obliti illic ſumus, etiam *miſerè* corrigendum videri: vt totus ſic ſcribatur vltimus verſus:

*Imò vt eam credis t miſerè amans deſiderat.*

Nam ingentem amorem vehemenſq; deſiderium voluit exprimere, cui magis aduerbium ſeruit quàm nomen. Paullo pòſt *hercle* delent illic veteres libri poſteriore loco:

*CH. Tantò hercle melior Bacchus. PI. imo. CH. imo hercle abiero potius.*

quod numeri tamen ferre videntur poſſe. At proxima ſcenâ neque numeri, neque ſenſus *hoc* ferunt illo loco, vnde iidem tollunt:

*Volcanus, Sol, Luna, & Dies, dei quattuor*
*Sceleſtiorem nullum hoc illuxère alterum.*

De numeris liquet: de ſenſu vt videas, ſequens verſus prius etiam emendandus. Is ita vulgò ſcribitur:

*NI. Quemne? Archidemidem? CH. quàm, inquam, Archidemidem.*

Si *hoc* præceſſerat, interrogare nihil neceſſe habebat, aut certè ſic debebat Nicobulus, *Quone? Archidemide?* Et ſit fortè, qui reſcribere ſic malit, vt illud retineat contra nos. At contra eum viciſſim ſerui reſponſum eſt, *Quàm, inquam, Archidemidem.* Ex quo fit, quod ego volo: *Quámne Archidemidem?* mutandum ſcilicet. Ambiguum erat ſerui illud prius, *Sceleſtiorem nullum alterum.* itaque ſenex interrogat, an alterum nullum, quàm Archidemidem? & ille iterum, ita verò, inquit, aio, quàm Archidemidem. Reſcribes ergò ſic planè:

*Sceleſtiorem nullum illuxère alterum.*
*NI. Quámne Archidemidem? CH. quàm, inquam, Archidemidem.*

Eâdem illâ ſcenâ porrò libri, quos viderim, omnes, & vidiſſe videor omnes:

*Damnatus demum vi coactus reddidit*
*Ducentos & mille Philippûm. NI. tantum debuit?*

Omnes, inquam, ita cum interrogatione legunt: ineptè. Quid enim ſenex quærat, quaſi neſciat, quantum ſibi debeatur? Et non quæſiiſſe patet ex ſerui ſequenti oratione, qua nihil reſpondet huius. Tolle notam igitur illam, & ſenem intellige, cùm de mille ducentis Philippis ſeruus inieciſſet, aſſentientem ſubieciſſe, rectè

reddi-

redditam ſummam: nam tantum omninò debuiſſe. Tantundem ſuprà memorauit idem ſeruus:

*Mille & ducentos Philippos attulimus aureos*
*Epheſo, quos hoſpes debuit noſtro ſeni.*

Iam in illum ibidem incidimus locum, cuius emendatione Muretus olim ſe iactitauit:

*CH. Poſtquam aurum abſtulimus, in nauem conſcendimus,*
*Domum cupientes. fortè vt aſſedi in ſtega,*
*Dum circumſpecto, atq; ego tum lembum conſpicor:*
*Longum eſt rigorem maleficum exornarier.*

Horum vltimo verſu egregiè ſe putabat reſtituiſſe, *ſtrigonem*: atque ita planè reponendum. Ego, quid alii, neſcio: me fateor equidem dubitare. Non dubitem enim *ſtrigonem* apud Latinos hominem dici maleficum? & id de lembo vſurpari? Dare exemplum debebat, ſi vellet omninò ſibi credi. Nam quòd Italorum ita vulgus hodie, nihil ad veterem linguam, in qua Strigones tamen ſiue Strigores agnoſco, ſed alio longè ſignificatu, apud Feſtum, & eius Caſtigatorem ter maximum Scaligerum, promto. Quid autem *exornarier* ad eius emendationis ſenſum? Liceat mihi contra talem virum liberè, quod ſentio, pronũtiare: Vana nobis hæc correctio videtur: ad quam longè nos alia nitimur via. Primùm alienum eo loco verſum eum dico, ne diuellantur iſti:

*Dum circumſpecto, atq; ego tum lembum conſpicor.*
*MI. Perij hercle. lembus ille mihi lædit latus.*

inter quos nihil interueniſſe ratio conuincit alluſionis. Friget hæc enim, nec apparet ſatis, niſi ſtatim vix mentione facta lembi, de latere læſo queratur exclamans & prætimens ſibi ſenex. Deinde locum ei alium habeo, cui dabitur opportuniſſimè, leuiter antè emendatus. *Rigorem*, vnde Muretus ſuum *ſtrigonem*, falſum manifeſtò: cuius vice, literarum iiſdem veſtigiis inſiſtens, ſcribo *triconem*. Nota viciſſitudo ſolennis inter G & C ex figuræ cognatione. T initio deperiit, occaſione verbi præcedentis *eſt*, cuius eadem vltima, quæ prima illius, litera. Nam de R & N verbum fieri non opus. Iam totum retraho ad iſta ſuperiora, vnde excidiſſe certò conſtabit, vbi, quàm conueniat, demonſtraro:

*NI. Quid, vbi ei oſtendit ſymbolum? CH. inſit dicere,*
*Adulterinum, & non eum eſſe ſymbolum:*
*Quotque innocenti ei dixit contumelias.*
*Adulterare eum aiebat rebus ceteris.*
*Longum eſt, triconem maleficum exornarier.*
*NI. Habetin' aurum? id mihi primum dici volo.*

Occipiebat ſeruus memorare contumelias, & facinora, quæ feciſ-

ſet Archidemides in filium herilem: ſed præfatur, longum fore, ſi exornandus & exactè deſcribendus ſit maleficus ille trico. Tum ſenex, ante omnia, relictis ceteris, id ſibi primum dici iubet, an ipſum tandem aurum habeant. Quæ ſententiæ ἀκολουθία nonne probat, & ſedem illam verſus huius germanam, & ipſam vocis æquè correctionem? *Triconem* dicit, lentum nomen: & iure *maleficum*, qui tam malis ſtrophis circumducere creditorem machinabatur. Lucillius ex eadem farina hominem eodem nomine cenſet apud Nonium, qui verſus eius hos laudat è Satyrar. lib. XI.

*Lucius Cotta ſenex Craſſi pater huius Panetij*
*Magnus trico fuit nummarius, ſoluere nulli*
*Lentus.*

Et Gellius (lib. II. c. 7.) alium indidem:

*Hic tricoſus, boninatorq; ore improbus duro.*

Ita namque rectè ſcribunt in Gellio meliores editiones, non *ſtrigoſus*: quod maximus vir tamen ad Virgilii Catalecta tenet & arguta explicatione tuetur: aduerſus quem Dii melius quàm vt aſſurgam. nec eo minus ab eo diſſentio, quod integrum omnibus ſcio. Quippe cuiuis vbique licet in his aliiſque ſtudiis ἀμφισβητεῖν: ſed ἀμφισβητεῖν μὲν, ἐρίζειν δὲ μή. Ceterùm in hac reſtitutione vnum eſt de quo quis dubitet: an commiſſis in eum modum verſibus, diſtinctio horum ſic etiam potius mutanda:

*Adulterare eum aiebat: rebus ceteris*
*Longum eſt triconem maleficum exornarier.*

## CAPVT IV.

*Multa variaq; ad Bacchides noua cenſura: tum emendata quædam aduerſus alios: in quibuſdam aliorum ſententia firmata.*

MEndoſum eâdem ſcenâ illud omnes poterât videre, nec quiſquam vidit tamen: at corrigere neque mihi quiuis potuit, nec ego ſanè poſſum.

*Quoniam vident nos ſtare, occeperunt ratem*
*Turbare in portu.*

Cedò enim, in portu nauem turbarunt, qui iam inde exierant, & auibus ventiſque citius nauem alteram inſequebantur? Ita enim iam iam narrauit:

*Vix portu exijmus, homines remigio ſequi,*
*Neq; aues, neq; venti citius.*

In altum nempe iam prouectos aliquantum apparet: vnde ſub veſperam ſe receperunt deniq; ad terram, vti mox ſubiungit:

*Reuorſionem ad terram faciunt veſperi.*

Niſi ſi medio in mari portum tibi exſtrues artificio nouo. Vlcus aperui: ceteram medicinam non tento. Tentaui olim *in ponto*.

ſed

ſed non placet nunc,ne olim quidem placitum ſatis. Hic autem verſus:

*Nos apud Theotimum omne aurum deponimus:*

paullò ſcribitur aliter in antiquis:

*Nos ibi apud Theotimum omne aurum depoſuimus.*

vtrubi ſincerius? neutrubi ſincerè fortè. Neque ſcias,vtro reſcribas horum modo: vel,

*Nos ibi apud Theotimum omne aurum deponimus:*

vel, *Nos apud Theotimum omne aurum depoſiuimus.*

Scenâ *Multimodis.*

*Nam vt in Epheſum hinc abij, hoc factum eſt, fermè abhinc biennium,*

*Ex Epheſo huc ad Piſtoclerum meum ſodalem literas*

*Miſi.*

diſtingui ſic volo,vt parentheſi iſta includantur (*hoc factum eſt fermè abhinc biennium:*) liquidiore ſenſu,magisq; ſtructurâ exquiſitâ. Deinde:

*Condignè is quam technam de auro aduorſum meum fecit patrem.*

Alii *qui* pro *quam* ſupponunt: quorum neutrum in veteribus aliquot libris. Ego certè malim *quoq;*. Talem enim particulam addere ſolet alteri *condignè*. Aulular.

*Condignè etiam meus med intus gallus gallin. &c.*

Sed & *quam* alius defendat, ſi per admirationem ſententia efferatur.Denique & abeſſe quodcunque poſſe,numeris ſenſuq; pariter integris,alius affirmet.Poſt pauca ſequitur:

*Nimio praſtat impendioſum te quam ingratum dicier:*

*Illum laudabunt boni,hunc etiam ipſi culpabunt mali.*

In priore verſu *te* non quadrare videtur ſatis cum ſententia poſterioris:magis certè quadret,ita ſi interpoles:

*Nimio praſtat impendioſum,quamde ingratum dicier.*

Scenæ ſequentis initium eſt:

*Nunc experiar,ſitne acetum tibi cor acre in pectore.*

in quo diuerſæ quorundam opiniones, aliis *aceto* ſcribentibus,aliis vti gloſſam delentibus hæc verba *cor acre.* Eorum illis non repugnem: his nunquam acceſſerim omninò,qui nullam adeò verſus habent rationem. Tamen aliquando fuit, cum ipſe *cor* ſolum ex additamento interpretationis eſſe iudicarem. Totum enim illud, an acetum acre tibi ſit in pectore, nihil ſonat aliud,niſi an cor habeas, vt noſter alibi loquitur,id eſt,an ſapias. Itaque ſic reſcribebam:

*Nunc experiar,ſitne,necne acetum tibi acre in pectore.*

cuius me coniecturæ neq; dum pœnituit: quia ſic planè ſimilis ſit locus illi,Pœnulo:

*Ecquid habet is homo aceti in pectore? CH. atq; acidiſſimi.*

Tum *necne* perire hîc potuit facilè,nihil vt vſquam magis. Sed per

me ſanè valeat & præualeat aliorum *aceto*: quo ſcillite qui cor decies purgarit, is demum videatur melius inuenturus. In ipſa deinde interiore ſcenâ verſui iſti:

*Eademne erat hac diſciplina, cum tu adoleſcens eras?*

nollem ademtum *olim*, quod veteres neq; ſententiæ planè ſuperuacuum, & verſui pænè neceſſarium habent. *Eademne erat hac diſciplina olim, cum tu.* Et iidem melius ſtatim:

*Idq; vbi obtigerat, hoc etiam ad malum accerſebatur malum.*

maximè, ſi verſus eo collocentur ordine, quo traducendos cenſeo cum Hier. Groſlotio, cuius ad aliquot Plauti locos eruditæ prorſus & elegantis ingenii teſtes à Douſa F. nobis exhibitæ coniecturæ. Nam ſenſus equidem concinnior, ita & verſibus coniunctis, & reſcriptis verbis:

*Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copia,*
*Digitum longè à pædagogo pedem vt efferres ædibus.*
*Idq; vbi obtigerat, hoc etiam ad malum accerſebatur malum,*
*Et diſcipulus & magiſter perhibebantur improbi.*

Id vbi contigerat, pedem nempe ſi puer ædibus extuliſſet ſine preceptore. *Quoi* illi fecerunt, qui retulerunt ad eum qui pœnas penderet Gymnaſii præfecto, ſecundum ſeriem vulgatam. At de diſcipulo & magiſtro quî congruit in illos? optime in puerum & pædagogum. Iam illa etiam rectius cohærebunt, planâ nec vſquam ſententiâ interruptâ:

*Ante ſolem exorientem niſi in palæſtram veneras,*
*Gymnaſij præfecto non mediocres pœnas penderes.*
*Ibi curſu, luctando, haſta, diſco, pugilatu, pila &c.*

Quæ diſertim adſcripſi, vt & ordinem illum nouum Groſlotii, qui meus idem iam olim, ſimulq; lectionem veterem, quam nunc reſtitui, magis confirmarem. Hinc non procul & lectio & diſtinctio optima illorum:

——*iſtoccine hic pacto poteſt*
*Inhibere imperium magiſter, ſi ipſus primus vapulet?*

Tamen paullò alia, nihilo deterior eſſe poſſit in eundem ſenſum:

——*iſtoccine hic pacto poteſt*
*Inhiberi imperium, magiſter ſi ipſus primus vapulet?*

Inferius Lambini hoc eſt, quod alii ſunt ſecuti:

*M N. Quid factum eſt? L Y. meretricem indignè deperit. M N. non tu taces?*

*L Y. At quæ acerrimè ac æſtuosè abſorbet, vbi quemq; attigit.*

Non ſequor ego: Gulielmium potius noſtrum, qui iam olim vulgatam aſſeruit:

*Atq; acerrimè ea eſt, abſorbet, vbi quemq; attigit.*

A quo tamen non diſſentio quidem vel hilum, ſed amplius neſcio quid muto, veterum auctoritate librorum, & verſus ipſius ſubiectione. Nam & hic breuior ſic eſt integro pede, & illi vocem inſerunt

runt

ſunt nimium quantum opportunam, ſi leuiter emendetur. Scribunt, *abſorbet viros, vbi quemq; attigit.* En quiſquam dubitabit, verum eſſe *viuos?* cuius ſunt veſtigia in illo ipſo etiam Lambiniano *aſtuosè.* Nam ſi reglutines male coalitas voces, *eſt vos* prodibunt, quarum poſterior è noſtro *viuos* decurtata. Repone igitur vel *abſorbet viuos*, vel *viuos abſorbet*, vtro verborum ordine males, quorum alter ex antiquorum diſerta ſcriptura fluit, alter ex corrupta, ſi quis eius habendam tamen aliquam rationem putet, Dionyſiaca lectione. Vehementiam & acritudinem, de qua ſermo eſt, meretriciæ voraginis auget valdè addita vox illa, vt viuos dicatur ſtatim, vbi vix, & quemcunque attigerit, abſorbere. De Bacchidum vtraque ſimile quid ſupra dixit idem pædagogus;

*Bacchides, non Bacchides, ſed Bacchæ ſunt acerrimæ,*
*Apage iſtas à me ſorores, quæ hominum ſorbent ſanguinem.*

## CAPVT V.

*Fruſtrare, I. inimicus in aliquem. Extentare. Ducere ſe aliquò. Præter alias correctiones miſcellas, ſimilia loca Plauti collata inuicem & illuſtrata. Inibi no, citationis apud eum formula notata.*

CErtiſſima inter alias & deprehendendi vitii & corrigendi ratio eſt ſimilium obſeruatio locorum, & in iis cum verborum ſingulorum, tum ſtructuræ ipſius vniuerſæ conſideratio collatioque. Ex ea locum nunc ſcenæ, *Reddidi patri*, & arguemus erroris, & emendabimus, qui minimè vitioſus alioqui poterat videri.

*PI. Eſt ne hic meus ſodalis? MN. eſtne hic hoſtis, quem aſpicio, meus?*
*PI. Certè is eſt. MN. is eſt. adibo contrà & contollam gradum.*
*PI. Saluus ſis Mneſiloche. MN. ſalue.*

Vt quadrent omnia, quæ vides geminis vbique & iiſdem vtriuſq; noſcitantium inuicem ſententiis conſtare, dico delendum & medio verſu, perſonaſq; in hunc modum alternandas:

*PI. Certè is eſt. MN. is eſt. PI. adibo contrà. MN. contollam gradum.*

Is Plauti modus eſt in noſcitatione, ſæpè vſurpatus ab eo: cui, etſi plura fortè ſunt, hæc tamen illuſtrando ſuffecerint exempla. Aulular. ſcenâ vltimâ:

*ST. Herumne ego aſpicio meum? LY. videon' ego hunc Strobilum ſeruum meum?*
*ST. Ipſus eſt. LY. haud alius eſt. ST. congrediar. LY. contollā gradum.*

Rudente, ſcen. *Intelligo.* ——*TR. cuia ad aures*
*Vox mihi aduolauit? AM. obſecro quis hic loquitur? quem ego video?*
*TR. Eſtne Ampeliſca hæc quæ foras è fano hoc egreditur?*
*AM. Eſtne hic Trachalio, quem conſpicor, calator Pleuſidippi?*
*TR. Ea eſt. AM. is eſt. Trachalio ſalue. TR. ſalue Ampeliſca.*

Perſæ initio:

*Quis illic eſt, qui contra me aſtat? T O. quis hic eſt qui contra me aſtat?*
*Similis eſt Sagariſtionis. S A. Toxilus hic quidem meus amicuſt.*
*T O. Is eſt profecto. S A. eum eſſe opinor. T O. congrediar. S A. contrà aggrediar.*
*T O. O Sagariſtio, dij ament te. S A. o Toxile, dabunt dij quæ exoptes.*

Deniq; & Epidico, ſcen. *Si quid eſt homini.*

*———P E. noſcito ego hanc.*
*Nam videor, neſcio vbi, me vidiſſe prius. eſtne ea an non*
*Eſt, quam animus retur meus? M V. Dij boni! Viſitaui antidhac.*
*P E. Certè ea eſt, quam in Epidauro pauperculam memini comprimere.*
*M V. Planè hic ille eſt, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam*
*Pepulit. P E. quæ meo compreſſu peperit filiam, quam domi*
*Nunc habeo. M V. quid ſi adeam? P E. haud ſcio an congrediar, ſi hæc ea eſt.*
*M V. Sin is eſt homo, ſicut anni multi me dubiam dant. P E. longa*
*Dies meum incertat animum. ſin ea eſt, quam incertò autumo* (ita diſtinxerim nunc ſimul) *hanc*
*Congrediar aſtu. M V. Muliebris adhibenda mihi malitia nunc eſt.*
*P E. Compellabo. M V. orationis aciem contra conferam.*
*P E. Salua ſis. M V. Salutem accipio mihi & meis.*

Porrò iam eadem ſcenâ iuſtiſſima eſt, iniuſtè ſemetipſum velut accuſantis interim, querela Piſtocleri?

*P I. Multi more iſto atq; exemplo viuunt, quos cum cenſeas*
*Eſſe amicos, reperiuntur falſi falſimonijs,*
*Lingua factioſi, inertes opera, ſublesta fide.*
*Nullus eſt, qui non inuideat rem ſecundam obtingere,*
*Sibi ne inuideatur ipſi ignaui rectè cauent.*

Inibi neſcio ſi *ſubleſti fide* ſcribendum, vt reſpondeat ceteris omnibus, *inertes opera, factioſi lingua, falſi falſimoniis.* Illud ſcio, rectè emendatum a V. N. præſtantiſſimoq; Douſa, *quoi non inuideant*: itemque à nobis vltimum verſum ad legem verſuum horum reconcinnatum:

*Ne ſibi inuideatur ipſis, ignaui rectè cauent.*

Sed addit de moribus eorundem φίλων ἀφίλων ipſe Mneſilochus:

*Sed etiam vnum hoc ex ingenio malo malum inueniunt ſuo:*
*Nulli amici ſunt, inimicos ipſi in ſeſe omnes habent.*
*Atq; ij ſe cum fruſtrantur, fruſtrari alios ſtolidi exiſtimant.*

Etiam hic poſtremus verſus non ſatis ad regulam factus: cui imperitorum, credo, manus nocuerunt, *fruſtrantur* & *fruſtrari* tritiore flexu reponentium, quæ poſuiſſet auctor minus hodie vſitato *fruſtrant* & *fruſtrare.* Nam vt verba traiiciantur etiam, *Atq; ij ſe fruſtrant, cum fruſt.* nihil opus. Certè ſi *fruſtrari* quidem Plautus hîc, quod patitur verſus, non tamen & alterum eâ formâ, quam reſpuit

ſpuit & longè ſpernit. Atqui illam ibidem notabis elegantem locutionem, *inimicos in ſe*: cuius ſimili Terentius dixit Phormione:

*Nunquam tam graues caperem inimicitias in veſtram familiam.*

Nec autem iſta mox in hac ſcena valdè diſſimilis:

*Ille quod in ſe fuit, accuratum habuit, quod poſſet mali*
*Facere, & in me inconciliare copias omnes meas.*

Etſi malim ibi ego, *Facere in me, & mi inconciliare*: de veterum vtriq; codicum ſcriptura, quæ manifeſtò talis eſt, niſi quòd *& mi* pro fulcimento verſus addidi, pro quo tamen *ac* vel *atq;* ſolum ſteterit ad ruinam adeo leuem ſuſtinendam. Scenæ, *Quid iſtuc*, ſecundus tertiuſq; verſus ſic legendi:

*Qua te mala crux agitat, ad iſtunc qui modum*
*Alieno vires tuas extentes oſtio?*

libros vt veteres ſimul & Lambinum alibi ſequaris. *Extentes*, experiaris omninò eſt, non tamen à *tendo*, vnde ille ducit. nam qui poteſt? Credo illum verſum ruminauit ſomnians, qui ſuperius ſcenâ *Nunc experiar*:

*Ibi ſuam ætatem extendebant, non in latebroſis locis.*

Deinceps illic habes:

*P L. Non it. negato eſſe ituram. abi & renuntia.*
*Alium illa amat, non illum. duc te ab ædibus.*

Fallor, an legendum? *negat eſſe ituram*. non puto falli. nam & verſus melior, & oratio Plautinior, & ſententia nonnihil etiam concinnior. *Duc te* autem *ab ædibus*, honeſtiſſima phraſis: cui ſimilis Amphitruone:

*Nam iam ad regem rectà me ducam, reſq; vt facta, eloquar.*

Vbi notant Pollionem Aſinium ſic quoque locutum lib. 10. Ep. Famil. 32. *Duxit ſe à Gadibus.* At cur Plautum non contulerunt Plauto? qui ſic iterum & Aulular. ſcen. *Picos*:

*Vbi ille abijt, ego me deorſum duco de arbore.*

Terentius etiam Hecyr. Act. 4. ſc. 1.

*Vxor vbi me ad filiam ire ſenſit, ſe duxit foras.*

## CAPVT VI.

*Ius & mos. Ingenio, non Genio tali aut tali natus. Eia, quin. Ecficere. Mendacij prehendere, & ſimilia, an dicantur. Animus ſperat, ſuperat. Corruptelæ aliquot à Plauto defenſæ, reiectis emendationibus alienis. Nouæ plures emendationes allatæ, quædam aliorum firmatæ. Multa inſuper in Plauto & aliis illuſtrata.*

ALia ſcena ſequitur, cuius hoc initium, *Petulans*; & ille proximus primo verſus:

*Sine modo & modeſtia ſum, ſine bono iure atq; honore.*

Eius vltimam vocem non malam, damno tamen, & repono *more*. Ius enim & mos iungi ſolent in eum modum, vel ſexcentis vnius Plauti locis: vix alterum vſquam apud quemquam. Statim in

quarto rectum eſt, *Maleuolente ingenio natus.* Et rectè Lambinus, quòd non probat *Genio* mutantes: vti nec ego, qui apud Terentium ſimiliter interpolant eandem locutionem. Heautontim. Act.3.ſc.1.

*Aut ego p. ofectò ingenio egregie ad miſeriam*
*Natus ſum.*

Nam & ibi ſunt, qui maluerunt *Genio egregio*: nulla ſanè cauſſa. Ingenio tali vel tali natum eſſe, merum Latium. Plautus infra:

*Sicut eum ſi conuenit, ſcio feciſſe: eo eſt ingenio natus.*

Ennius:

*Eo ingenio natus ſum: amicitiam atq; inimicitiam in fronte promtam gero.*

ſed exemplis quid fuerat opus? Ibidem porrò legitur etiam rectè:

——*P I.militis*
*Paraſitus modo venerat aurum petere: hinc eum ego meus*
*Dictis malis &c.*

rectius tamen diſtinxeris, & quidem cum antiquis, *aurum petere hinc: eum ego.* niſi Gulielmium potius audis *hunc eum* facientem. Qui continui ſequuntur ad finem vſq; pluſculi verſus, eos ita conſtituo, vt trochaici ſeptenarii omnes fiant.

*M N.Quid mihi id prodeſt? quid faciam? nihil habeo miſer: ille quidē*
*Hanc abducet ſcio. P I.ſi mihi ſit, non pollicear. M N.ſcio, dares.*
*Noui. ſed enim niſi amares, non habeam tibi tantam fidem.*
*Nunc agitas ſat tute tuarum rerum. egone vt putem opem mihi*
*Ferre poſſe inopem te? P I.tace modo, Deus nos aliquis reſpiciet.*
*M N.Nugæ. P I.mane. M N.quid eſt? P I. tuam copiam eccum video Chryſalum.*

Conferre cum vulgatis vltrò iam poteris; etiamſi non hîc aſſcribam tibi quem vocant textum, aut ſingulorum exhibeam rationem minutatim. Nec improbabis, ſciò, qui intelligis: nihilque ſecutum me videbis, niſi quò numeri ipſi rapiebant. Scenâ, quæ dehinc eſt:

*Non places, nec eſt temerè etiam. quin mihi reſpondetis?*

ſcribendum cenſeo, *Non places, nec eſt temerè. eia, quin reſp.m?* Tacitos & defixos aliquandiu mœſtitiâ, laceſſit hac noua compellatione, iubetque tandem reſpondere. Verum *eia* credo: poterat tamen, *etiam quid reſp.m?* quod ſi quis malet, per eum mihi liceat alterum tenere. Ibidem porrò:

*Iſthoc dicto dediſti hodie in cruciatum Chryſalum.*

Numeri flagitant *dedidiſti*: quo verbo vtitur etiam in hac re alibi. Aulular.

*Continuò hercle ego te dedam diſcipulam cruci.*

Mox etiam:

*C H.Vix videtur fieri poſſe. M N.perge, ac facile hac feceris.*

C H.Quàm,

*CH. Quàm, malùm, facile? quem mendacij prehendit manifeſtò modò.* Priore verſu non dubito quin rectè Palmerius *facile ecfeceris*: altero adhuc dubito an iuſtâ cauſsâ Gulielmius *manifeſtum*. Ei Latinum non videbatur *mendacij prehendere*, nec exempla huius locutionis vſpiam inueniri. Inueni tamen ego, in Apuleio quidem, cui non derogauerit auctoritatem ille, ſi alii fortaſſis, Apuleio non amici. Hic lib. 9. Metam. *Ac ponè eum Myrmex vinculis obrutus, non quidem coràm noxa deprehenſus, conſcientia tamen peſſima permiſtus lacrumis vberibus ac poſtremis lamentationibus inefficacem commouet miſerationem.* Quamquam auctoritatem ipſe fortaſſis Apuleius hîc defugerit, qui non iunxiſſe ſe *noxa deprehenſus*, ſed *coràm noxa*, poſſit dicere, ſuo quodam peculiari more, cuius exempla ſcio apud eum plura, nec vllum tamen habeo nunc ad manum. At vtcunque tergiuerſante illo, non defugiet mihi Gellius, cuius admiſerint item omnes. Is liquidò ſic lib. 11. c. 18. *ſeruos item furti manifeſti prenſos verberibus affici & e ſaxo praecipitari, ſed pueros impuberes praetoris arbitratu verberari voluerunt.* Niſi audaculus quis vt & hoc euertat, aiet vitioſam ſcripturam, & *furto manifeſto* legendum, quomodò paullò ibidem antè Gellius ſit locutus. *Nam furem qui manifeſto furto prenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt.* Suſpicetur ita, qui volet: mihi ſatis exemplum monſtraſſe, cui minimè, quod ad me, diffido. Quin eo nixus, in Plauto deinceps auſim loquendi genus idem alibi reſtituere, non hîc tantum tueri. Infrà ſcenâ *Atridae duo:*

*Dolis ego deprenſus ſum, ille mendicans pane inuentus interijt.*

Legerim *Doli ego deprenſus ſum*: quod non auderem tamen, niſi verſus hortaretur ipſe, qui vt porrò iuuetur, in fine ſimul ſcribo, *inuentu' interit*. Numeros quidem vix aliter conſtitues: quos magis Lambinus deſtruit, cum *In dolis* edit. Sed ad noſtram nunc ſcenam reuortor: vbi quod vulgatur:

*Si id capſo, geritote amicis noſtris aurum corbibus,*
*Si cui animus ſperat. P I. apud te eſt animus noſter Chryſale.*

emendari vix debet. Cur enim mutes phraſin optimam, quam & ſuperius habuiſti?

*Sperat quidem animus, quò eueniat Diis in manu eſt.*

Si tamen debet, quod velle Piſtocleri verba videntur; non debet equidem ita, vt quidam cenſent, *Si cui animus ſiet. P I. at apud te eſt:* ſed leuiore mutatione, vel imo mutatione nulla, ſaltem literulæ vnius inſertione, vt *ſuperat* fiat ex *ſperat*. Atque ita credam planè à poeta ſcriptum, cui *ſuperat* valet, ſupereſt: nec quidquam ad ſententiam loci magis aptum. Nihil ſupererat illis animi, qui totus erat apud ſeruum. Deinceps:

*P I. Quæ imperauiſti, imperatum bene bonis factum ilico eſt.*
*C H. Quid parauiſti? P. quæ parare tu iuſſiſti omnia.*

tollo digitum, & cedo iam iis, qui in priori verſu corrigunt, *bene* vel *en parata*: quod alter probat. Aliàs ipſe feceram pridem:

*Quod imperauiſti (imperatur benè bonis:) factum ilico eſt.*

Parentheſis ſententiæ non ſanè ineptæ, quæ Milite, ni fallor, eadem ſic effertur, *Facile eſt imperium in bonos.* Altero verſu vel tranſpones verba, *quæ tu parare*: vel inſeres ex antiquis, *quæ parare tu mihi iuſſ.* Ibidem adhuc:

*MN. Loquere porrò. CH. aſſcribe dum. MN. etiam loquere quid ſcribam modò.*

Non ſollicitem hoc, uiſi veteres paullo aliter: *etiam loquere, dum id ſcribam, modò.* valdè mehercule conuenienter. Inter ſcribendum pergere dictando Chryſalum vult, cuius tamen omnia ſe ſatis aſſecuturum. Cum poſceret enim plura; at prius hoc, inquit ille, aſſcribe. Tum iterum adoleſcens: quin tu verò, dum vel id ſcribo, loquere tamen interim, quod porrò ſcribam. Finis eius ſcenæ ſic conceptus eſt vbiq;:

*PI. Nunquid aliud? CH. hoc. atq; etiam, vbi erit accubitum ſemel,*
*Ne quoquam exſurgatis, donec à me erit ſignum datum.*
*PI. O imperatorem probum! iam bis bibiſſe oportuit.*
*MN. Fugiamus. CH. voſtrum curate officium, ego efficiam meum.*

Nec ego quidquam inibi culpo: niſi perſonam omiſſam vnam, qua penultimus verſus diuidatur. Aio enim Chryſalo verba iſta danda, *Iam bis bibiſſe oportuit*: quo nihil fuerit elegantius. In laudes ſerui erumpente Piſtoclero, morantibuſq; nonnihil vtriſque: increpat ille, & quin imperata facitis potius, inquit, quàm laudatis imperatorem? Abitum iam dudum, & bis bibitum oportebat: & adhuc ſtatis? Ibi, fugiamus, inquit alter, & cum dicto fugiunt vterq;. Repones igitur:

*PI. O imperatorem probum! CH. iam bis bibiſſe oportuit.*
*MN. Fugiamus.*

## CAPVT VII.

*Ceterùm. Reliquùm. Eſtne, pro Sitne. Pluries corriguntur Bacchides: locus vnus diligentius contra alios explicatur. Reſtituitur item Captiuorum prætermiſſus locus.*

PVſillum & vnicum hoc non præteribo tamen Scenâ, *Conſtringe:*

*CH. Quid illam, meretricemne cenſes eſſe? NI. quippini.*

Mutandum leuiter verborum duûm ordinem & verſus & libri veteres indicant: *meretricemne eſſe cenſes?* Illam autem quæ ſequitur, paullò in ea plura, neque momenti multò maioris obſeruaui. Repetitur inibi verſus,

*Faxo ſe haud dicat nactam quem derideat:*

qui ſuperius idem ferè ſcenâ *Amiciorem:*

*Ego ſaxo haud dicet nactam quem derideat.*

vt Plau-

vt Plautum videas ſui in eadem quoque fabula imitatorem. Sed poſt hunc, illi ſunt ſtatim:

*CH. Paciſci cum illo paullulâ pecuniâ*
*Potes. NI. paciſcere ergo obſecrò, quod tibi lubet,*
*Dum ne manifeſtò hominem opprimat, neue enicet.*

Malim ſcribere, *quò tibi lubet*, vel ex antiqua lectione *quid*, antiquum caſum *qui*. itemque mox:

*NI. Hem illoc paciſcere ſi potes, perge obſecro,*
*Paciſcere quiduis:*

lego *quiuis*. Auferendi enim caſus vtrobique reponendus. Illinc autem:

*NI. Quid fit? CH. ducentis Philippis rem pepigi. NI. Vah ſalus*
*Mea ſeruauiſti me.*

eiicienda vocula *rem*, quæ in verſu pariter & ſententia ſuperfluit. Ante hoc non omiſerim iſta:

*Vis tibi ducentos nummos iam promittier,*
*Vt ne clamorem hîc facias neu conuicium?*
*CL. Nihil eſt quod malim. CH. atq; vt tibi mala multa ingerât*
*CL. Tuo arbitratu. NI. vt ſubblanditur carnufex!*
*CH. Pater hic Mneſilochi eſt. ſequere, is promittet tibi.*
*Tu aurum rogato. ceterum verbum ſat eſt.*

In iis primùm quòd Nicobulo ſeni tribuunt hæc, *vt ſubblanditur carnifex*, & interpretantur, quaſi de ſeruo εἰρωνικῶς dicta: mihi parum placet. Melius credam, Chryſalo ipſo dari: qui nullâ ironiâ, ſed graui conuiciò in militem inuehatur. Eum enim ſubblandiri ait, quia *tuò arbitratu* dixerat velut palpans. Accedit, quòd tam propè ſtetiſſe ſenex non videtur, vt horum ſermonem exaudierit. Non exaudiit certè pactionem ipſam, vt è ſequentibus apparet: nec igitur reliquæ collocutionis etiam quidquam. Si tamen audiit, quod non dabo, & verba illa dixit, quod non dato priore non conſequitur; dixit is de milite quòque ipſo, non de ſeruo. Nam omninò militis illa non militaris & ſubmiſſa velutique blandiloquens oratio reſpicitur ac tangitur: ab vtro id demum fieri rectius exiſtimabis. Ego in Chryſalo maneo, cui conſtanter aſſcribo. Deinde *ceterum verbum ſat eſt*, rectè vt accipias vide. Non hoc dicitur, vnum in rem totam verbum ſufficere, quo aurum miles ſtipuletur: ſed *verbûm* poſitum pro verborum: vt Rudente, Scen. *Meamne ille.*

*In iure cauſſam dicito, hîc verbum ſat eſt.*

Et Truculento, Sc. *Date ſoleas:*

*Sequere me hac, verbum ſat eſt.*

Iam ſenſus iſte: ceterùm, id eſt de cetero, ſiue quod ad cetera attinet, verborum ſatis eſt: quaſi dicat, de rebus aliis nihil opus ad ſenem meminiſſe: nummos ſaltem rogato, id ſatis eſt, nec vltra in ſermonem alium deſcendes. Quippe metuebat ſeruus, ne ſi plura

miles fabularetur, ac de filii facto, quod futurum quidem videbatur, quereretur, ex verbis eius ſenex intelligeret, non eſſe vxorem Bacchidem, vti erat ab ipſo perſuaſus. Id ſi eueniſſet, patefactus & irritus fuiſſet omnis dolus ſtatim, qui pòſt demum meliore Chryſali tempore, per militem tamen ipſum innotuit ſeni, querenti miſerè & lamentanti ſcenâ *Quicunq; vbi ſunt*. Illic, ſi lubet, ordinem rei vide. *Ceterùm*, abſolutè ſic poni, vulgatiſſimum eſt: non item *Reliquùm* eadem formâ, quo Clitellariâ noſter vſus:

*Pol ad cubituram mater mage ſum exercita:*
*Reliquùm ad curſuram ſum tardiuſcula.*

Sed altera particula vti crebrior, ſic omiſſa videtur Captiuis, qui locus opportunè nunc incidit, vt de eo moneam, quod illic neſcio quomodo ſum oblitus. *S C. Quò illum:*

*Ornamenta abſunt, Aiacem hunc cum vides ipſum vides.*

Sententia quidem vult, ceterùm Aiacem ipſum vides, cùm hunc vides: ſed inferi verſus ſpernit. Non ſpernet, ſi vox ei ſua reſtituatur, pro qua malo iure irrepſit aliena. *Ornamenta* nunc legunt, & arma, clypeum, veſtitumque militarem interpretantur. Atqui vetus lectio eſt, *Armenta*: quam aſſerere non dubitem è fabella, qua fertur Aiax Vlyſſem in armentis perſecutus, atque ea occidiſſe, cum putaret ipſum, inſanus ex ira, quòd interemti Achillis arma ſibi negata ille impetraſſet. Huc reſpicitur apertè, atque aſſimilationis huius non occulta, & apta cauſſa: quòd Ariſtophontes item inſanus alium videre inſimulabatur, quam reuerâ quem videret. In Philocrate quippe falſo verum Tyndarum videbat, verè tamen, haud falsò. Cuius elegantiam alluſionis qui non intellexère, nec fabulam ſciuère, corruperunt Plauti germaniſſimam hanc ſcripturam:

*Armenta abſunt: ceterùm Aiacem, hunc cum vides, ipſum vides.*

Ita igitur reſtitue Captiuis, & *ceterùm* vel in verſus dimenſione contrahe in diſſyllabum, vel ipsâ ſcripturâ *cetrùm* repræſenta, quod alibi quoque memini nos factitaſſe. Porrò hîc ad alia. Illo verſu:

*Si tibi eſt machæra, & nobis veruina eſt domi.*

malim, *at nobis*. Machæræ militari verutum ſeu veru culinarium opponit etiam Truculento:

*Machæram longiorem habes, quàm hæc eſt: ſed verum*
*Sine dum petere, ſiquidem belligerundum eſt tecum.*

Vbi & illud:

*——ſi tu*
*Ad legionem bellator clues, at ego in culina clueo.*

Deinceps hoc:

*Illa autem in arcem abiuit ædem viſere*
*Mineruæ: nunc aperta eſt. i, viſe, eſtne ibi.*

non

non debet aut poteſt in fine per interrogationem efferri, quam appoſuit Lambinus. *Eſtne* Plauto valet, ſitne. Aulular.

*Ne perſentiſcat, aurum vbi eſt abſconditum.*

Ac fortaſſis ita fabulæ huius proximâ huic ſcenâ:

*Noſce ſignum, eſtne eius.*

Etiam illud malè diſtinguitur & apud illum & vbiq;:

*Quos dare promiſi militi: quos non dabo*

*Temere: & tum priuſquam filium conuenero,*

*Nunquam edepol quidquam temerè credam Chryſalo.*

In hunc modum debet, particulis etiam compulſis:

——*quos non dabo*

*Temerè etiam, priuſquam filium conuenero.*

*Nunquam edepol.*

## CAPVT VIII.

*Belli. Lartius. Illicdem. Teiuli. Congreditor. Præter verborum correctiones, in verſibus concinnãdis præcipuè laboratum. Silius etiam leuiter interpolatus.*

PRima ſequentis ſcenæ pars exſultationem continet ſerui iactabundi & quaſi ἐπινίκιον canentis ante victoriam. Ea verſibus concepta plerìſque omnibus fuiſſe Iambicis Octonariis videtur; quod non animaduertentes alii multa mutarunt imperitius, in editionibus antiquis rectè ſcripta. Sed & in ipſis mutanda ſunt etiam alia: quorum generis vtriuſque præcipua nos hîc dabimus nullo in re tam ſterili ieiunaque verborum apparatu.

*Nunc priuſquam huc ſenex venit &c.*

Hunc cum ſequente verſum antiqui melius ita:

*Nunc prius, huc quam ſenex venit, lubet lamentari, dum exeat:*

*O Troia, ô patria, ô Pergamum, ô Priame! periiſti ſenex.*

Continuus illis iſte:

*Qui miſerè male multabere quadringentis Philippis aureis:*

non patitur immutari ſibi *miſer*, quod alii voluerunt, niſi ex reliquo facias *hei*. Poſt aliquot, hi cohærent:

*Hic ipſum exurit: ego ſum Vlyſſes, cuius conſilio hæc geruntur.*

*Tum quæ hic ſunt ſcriptæ literæ, hoc in equo inſunt milites*

*Armati atq; animati probè. ita res ſucceſſit, meliusq; adhuc.*

Quorum primo reſtituendum *gerunt*, quod Lambinus interpolauit: Alter ſic ſcribendus totus:

*Tum quæ ſunt ſcriptæ literæ heic, in hoc equo inſunt milites.*

Vltimo nec commodè explicatur illud *meliuſque adhuc* neque rurſus commodè mutatur, *meliuſculè adhuc*. Quidquid vocis fuit ſub literis *meli*; certè *vſque* ſeparatum ab illis fuit, cum *adhuc* iungendum. Suſpicor fuiſſe *veli*, id eſt *belli*. Nam neque conſonantes geminabant priſci ſemper, & β τῶν, viciſſimque hoc illi

ſupponebant. *Belli* autem aduerbialiter, vt alibi ſæpè. Senſus omninò iſte: Ita rem vſque adhuc ſucceſſiſſe, vt probè, quod dixerat, non armati tantum milites ſint, ſed & animati. Succeſſus enim animos facit. In illo:

*Miles Menelauſt, ego Agamemnon; idem Vlyſſes Laërtius.*

Ita vocem vltimam contrahit, quaſi eſſet *Lartius*. Homeri exemplo, qui non ſemel Λαερτιάδης. Deinceps ſunt:

*Is Helenam abduxit, cui cauſſa nunc facio obſidium Ilio.*

*Nam illic eidem audiui Vlyſſem, vt ego ſum, fuiſſe & audacem & malum.*

Priore vel *cuia*, vel *quoius* legendum cum antiquis, aliorum λειπολογήμασι ſpretis. Altero *eidem* nec habent veteres, neque numeri ferunt: ferant tamen, ſi ſcribatur *illicdem*, nouo, imò veteri aduerbio: vel *illic item*. Mox:

*Dum ibi exquirit fata illorum. aſſimiliter mi hodie obtigit.*

*Vinctus ſum, ſed dolis exemi: item ſe ille ſeruauit dolis.*

Eorum hoc, *me exemi* prorſus inſere: illo *Iliorum* ſcribe de Gulielmii noſtri ſententia, & ſi voles, è libris veteribus etiam *ſibi*. Sequuntur tres, quorum eſt diuerſum à reliquis genus:

*Ilio tria fuiſſe audiui fata, quæ illi forent exitio.*

*Signum ex arce ſi periſſet, alterum etiam eſt Troili mors.*

*Tertium cum porta Scæa limen ſuperum ſcinderetur.*

Quos interpolare mihi ſanè religio ſit: neq; tamen valdè reluctantes in habitum refingas ceterorum:

*Tria audiui fuiſſe Ilio fata, illi quæ exitio forent:*

*Ex arce ſignum ſi periſſet; alterum etiam eſt Troili*

*Mors; tertium, cum porta Scæa limen ſuperum ſcinderet.*

Si tamen vltimum hoc verbum agendi formâ ſenſum habere patiendi admittes, quod ego non detrectauerim. Statim:

*Paria item tria eis tribus ſunt fata noſtra huic Ilio.*

Ante omnia *noſtro* emendabis: & dein verſum conſiderabis. Antiqui libri ſic: *Paria item tria tribus eis ſunt nunc fata.* Rectè ad legem horum tetrametrorum.

Deinde nec longè:

*Iam duo reſtabant fata tum, nec magis id ceperam oppidum.*

*Poſt vbi tabellas ad ſenem detuli, ibi occidi Troilum.*

Horum altero videris, ſi males *tetuli*, quod & ſuprà veteres illic præferebant:

*Egomet tabellas tetuli vt vincirer? ſine,*

Vbi *detuli* item vulgò. Priore ſcribes planè, *Iam duo reſtabant fata dum.* Minimo interuallo:

*Cognitum ab Helena eſſe, proditumq; Hecubæ. ſed vt olim ille ſe*

*Blanditiis exemit, & perſuaſit, ſe vt amitteret:*

*Item ego dolis me illo expuli periculo & decepi ſenem.*

Ne exorbitet à cõmuni reliquorum via duo priores horũ, feceris:

*Ab He-*

*Ab Helena cognitum eſſe proditumq; Hecuba: ſed vt ille ſe*
*Blanditiis olim exemit, & perſuaſit, vt ſe amitteret.*

Tertio emendabis *exſolui periclo.* Nihili enim ad eam rem verbum *expuli.* Alterum paullò antè vſurpauit: *Ibi vix me exſolui.*

Tamen non diſſimiliter admodum Silius lib. I.

*At parte ex alia, qua ſe inſperata iuuentus*
*Expulerat portis.*

At corrigendum ibi moneo *Extulerat.*

Sequentes ita ſcribo:

*Poſt eum magnifico milite, vrbes verbis qui inermis capit,*
*Conflixi, atq; hominem reppuli: dein pugnam conſerui ſeni.*
*Ego eum adeo vno mendacio deuici, vno ictu extempulò*
*Cepi ſpolia, is iam nunc ducentos nummos Philippos militi,*
*Quos dare ſe promiſit, dabit.*

Denique ne tricer hîc vlterius, proximos illos nimis aberrantes manifeſtò:

*Nunc alteris etiam ducentis vſus eſt, qui diſpenſentur*
*Ilio capto, vti ſit mulſum, qui triumphent milites.*

verbis tranſpoſitis pauculis concinno:

*Nunc alteris etiam ducentis vſus eſt, capto Ilio*
*Qui diſpenſentur, vti ſit mulſum, qui triumphent milites.*

Neque inter omnes vlla mihi reſtitutio melior videatur hac poſtremâ. Iam cum oratione ſerui, ratio verſuum pariter mutatur: & ex alio genere illi ſunt:

*NI. Cuia nam vox prope me ſonat? CH. ô Nicobule. NI. quid fit? quid,*
*Quod te miſi, ecquid egiſti? CH. rogas? congredere. NI. congredior.*

Sed iidem in hunc conſtituendi modum:

*NI. Cuia nam vox prope me ſonat? CH. ô Nicobule. NI. quid fit? quid, quod*
*Te miſi, ecquid egiſti? CH. rogas? congredere. NI. congreditor.*

Deerat priori ſyllaba: *congreditor* altero feci, cuius penultima longa, iuxta flexum ἀρχαϊκὸν, in eo ipſo verbo Plauto familiarem. Et vterque iubet inuicem alterum congredi ſiue congrediri. Mox etiam:

*Tacitus conſcripſit tabellas: obſignatas mihi has dedit:*

numeri volunt, *obſignatas has dedit mi.* Sed deinceps variè verſus miſcentur, & ille quaſi triumphalis ex genere ſuperiorum eſt tetrametrorum:

*Nunc ſuperum limen ſcinditur, nunc propè adeſt exitium Ilio.*

Ita namque & legendum inſerto *propè*: tum valdè decorum, tali verſu rem eam hîc dici, qualibus antea fuerat prædicta.

Illis in extremo variantium verſuum:

*Verùm qui ſatis videat, grandes ſatu ſunt. N I. animum aduorte igitur.*

*C H. Nolo inquam. N I. at volo inquam. C H. quid opus eſt? N I. at enim id, quod iubeo, facias.*

*C H. Iuſtum eſt. tuus tibi ſeruus tuo arbitratu ſeruiat.*

partim deeſt, partim ſupereſt aliquid. Quantum ego rationem omnium video, ſic optimè componentur:

*Verùm qui ſatis videat, grandes ſatis ſunt. N I. aduerte igitur.*

*C H. Nolo inquam. N I. at volo inquam. C H. quid opuſt? N I. at enim id, quod te iubeo,*

*Facias. C H. iuſtum eſt. tuus tibi ſeruus tuo arbitratu ſeruiat.*

Contrahitur vltima vox in diſſyllabam.

## CAPVT IX.

*Neq; haud. De ſede verſus vnius, de alterius lectione & ſenſu diſputatum. Alij leuius correcti. Scenula tota in numeros repoſita.*

EMerſimus è fluctibus æſtuantium numerorum, qui placidiores & conſtantiores excipiunt nunc, negotii nobis nihil, aut parum facturi. Sed verſus ecce dubius ſe offert, dubius inquam ſuę ſedis, vt mihi quidem videtur. Nam quod Chryſalus dicit, *Inde à principio iam impudens epiſtola eſt,* Vulgò poſt iſta Nicobuli:

*Auſculta porrò, dum hoc quod ſcriptum eſt pellego:*

vereor, ne dicere debeat anterius paullò. ſed illic rurſum hæreo, magiſne conueniat hoc ordinari modo:

*C H. Malum quidem hercle magnum, tibi dico. N I. quid eſt?*

*C H. Inde à principio iam impudens epiſtola eſt.*

*Non prius ſalutem ſcripſit? N I. nuſquam ſentio.*

an iſto:

*C H. Malum quidem hercle magnum, tibi dico. N I. quid eſt?*

*C H. Non prius ſalutem ſcripſit? N I. nuſquam ſentio.*

*C H. Inde à principio iam impudens epiſtola eſt.*

*Non dabis, ſi ſapies.*

Vtrouis ſanè horum loco fuerit benè: neq; malè tamen eſt prorſus, quo vulgò collocatur. Vbi malet quiſq;, ſedem ei aut faciet nouam, aut veterem relinquet. Ex illo:

*N I. Prius te cauiſſe ergo, quàm pudere æquum fuit.*

eximendum *te*, numerorum denuò cauſsâ: at ex iſto, *abs*, non niſi quia poteſt abeſſe, & abeſt alicunde:

*N I. Nunc ſi me fas eſt obſecrare abs te pater.*

Poſt plures, hi leguntur:

*C H. Nihil ego tibi conſilij hodie quidquam dabo,*

*Neq; ego haud committam, vt ſi quid peccatum ſiet,*

*Feciſſe dicas de mea ſententia.*

In primo verba pones ordinatius: *Nihil ego tibi hodie conſilij*: altero

non

non mutabis *haud*, vt neſcio qui: nec item *Neq;*, cuius loco Lambinus cogitabat *Namq;*, ſi ſcriptura non eſſet emendata. Eſt verò illa: nec Plauto inſolens duas iungere negationes Græcorum more. Sic Epidico habuimus:

*Non fugio. domi adeſſe certum eſt. neq; ille haud obijciet mihi,*
*Pedibus ſeſe prouocatum.*

Mox: *Duæ conditiones ſunt, vtram tu accipias vide.*
Inuerte, *tu vtram ac.* Pauculis interiectis:

*NI. Næ ille edepol Epheſi multò mauellem foret,*
*Dum ſaluus eſſet, quàm reueniſſet domum.*
*Quid ego iſtuc quod perdundum eſt properem perdere?*

Miram nobis comminiſcitur Lambinus vltimi verſus explicationem: imò ridiculam verius, quam miram. Diſtinctio induxit illum, quam non aptam videre poterat homo tam argutus, ſi quam aciem in interpretationibus abuſus eſt ſæpe, fuiſſet vſus potius ad emendationes. Interpunges:

*Quid ego iſtuc? quod perdundum eſt, properem perdere.*

Optabat ſenex, Epheſi hærere filium, quàm domum rediiſſe: quod deinde vanum votum reiicit: & quid ego, inquit, hoc fruſtra? ſatius eſt perdere feſtinem, quod eſſe video perdundum. Itaque ſtatim argentum abit promere, Chryſalo manere iuſſo. Veriſſima hæc & ſimpliciſſima ſententia: ſimplicior autem fortaſſe, ſi ſcribatur, *Quid ago? iſtuc quod perd.* non tamen, an verior etiam, ſcio. At argutari ſi mihi libeat, variare perſonas poſſim ad iſtud exemplum: *CH. Quid ego? NI. iſtuc quod p.* Cum de filio dixiſſet ſenex, malle domum non rediiſſet, laſciuus & inſultans hero ſeruus ad ſpectatores, vel ſecum (nam ipſe ſenex non exaudierit omninò:) quid de me, forſan inquit, cenſes? etiamne me Epheſi adhuc malles, qui ſi non rediiſſem, hoc te argento tanto tam pulcrè non emungerem? Callidè & facetè, de quo docti iudicabunt: quibus teſtor inantè, primò quod attuli tam ſimplex nondum diſplicere, imò per adhuc placere mihi præ iſto argutiore. Sed iam noua tempeſtas oritur in ſequente ſcena verſuum turbatorum, quam tranquillabo facilè tamen, ac totam ſcenam, vt reſtituendam ſuis numeris puto, ſimul aliis quibuſdam emendatis, hic apponam: quæ omnia per ſe quiſque dein ad vulgatas editiones comparabit.

PHILOXENVS.

*Quàm magis in pectore meo foueo, quas meus filius turbas turbet:*
*Quam ſe ad vitam, & quos ad mores præcipitem inſcitus capeſſat:*
*Magis cura eſt, magisq; afformido, ne is pereat, neu corrumpatur.*
*Neq; placitant mores, quibus video vulgò gnatis parentes*
*Eſſe, ſcio ego, fui illa ætate, & feci illa omnia, ſed modeſto more.*

*Duxi, habui ſcortum: potaui, edi: donaui, ſed enim id rarò.*
*Ergo ego dare me ludum meo nato inſtitui: vt animo obſequium*
*Sumere poſſit: æquum eſſe puto. ſed nimis nolo deſidiæ*
*Ei dare ludum. Nunc ad Mneſilochum, quod mandaui, viſo,*
*Ecquid ad virtutem eum, aut ad frugem opera ſua compulerit:*
*Sicut eum ſi conuenit, ſcio feciſſe: eo eſt ingenio natus.*

## CAPVT X.

*It, abit dies, ſol. Veſper hic eſt. Ingens in animo cohibile. Reliqua in Bacchides cenſura multa. Scena integra verſus conſtituti. Poſt, alia verſuum, ſenſuum, perſonarum errata remota. Pleraq; explicationibus aduerſus alios illuſtrata. Fragmentum deniq; Bacchidum contra alium emendatum.*

TRaduco me fortaſſis apud quoſdam induſtriâ meâ, quibus vel ſtultum videbitur, alienos verſus ſcribere; vel irritum, in Plautinis adeò laborare. Non tamen eo reuocor, vnam quin eius hîc etiam ſcenam totam demerear mihi, dehinc leuius iſta huius generis, nec leuia vbique omnia, ſed enormia maximè curaturus: ita quidem vbertim nuſquam vno loco, quantumuis obſeruata pluria, congeſturus. Hæc autem, cui nunc immineo, ſcena vehementer habet opus iſta caſtigatione, cuius laceri plerique verſus, potiſſimùm ſub finem. at ne ſingulis excerpendis fruſtillatim comminuatur, aſſcribetur hîc integra, vt in aliis fecimus antè, miſtis & quæ ſana erant, & quæ nunc ſanata. quæ videre ſingulatim vnuſquiſq; tamen & iudicare poterit ac debebit ex collatione vulgarium librorum.

*NI. Quicunq; vbi vbi ſunt, qui fuere, quiq; ſunt futuri poſthàc*
*Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones: hos*
*Solus ego omnes longè anteeo ſtultitia & moribus indoctis.*
*Perij. pudet. hoccine me ætatis ludum bis factum eſſe indignè?*
*Magis quàm id repeto, tam magis vror, quæ meus filius turbauit.*
*Perditus, atq; etiam eradicatus ſum: omnibus exemplis crucior.*
*Omnia me mala conſectantur, omnibus exitiis interij.*
*Chryſalus me hodie lacerauit, Chryſalus me miſerum ſpoliauit.*
*Is me ſcelus vſq; attondit dolis doctis indoctum, vt libitum eſt.*
*Ita miles memorat meretricem eſſe, ille quam vxorem eſſe aiebat.*
*Omniaq;, vt quidq; actum eſt, memorauit. eam ſibi hunc annum conductam,*
*Reliquum id auri factum, quod ego ei ſtultiſſimus homo promiſiſſem.*
*Hoc eſt, hoc eſt, quod peraceſcit: hoc eſt demum, quod percrucior.*
*Me hoc ætatis ludificari. imò edepol ſic ludos me factum*
*Cano capite atq; albâ barbâ: ſic miſerum me auro eſſe emunctum?*
*Perij! ſeruum meum me non nauci facere eſſe auſum? atq; ego, ſi alibi*

*Plus*

*Plus perdiderim, minus agrè habeam, minuſque adeo id mihi damno ducam.*

*PH. Certò hic propè me mihi loqui neſcio quis viſuſt. ſed quem video,*

*Hic quidem pater Mneſilochi eſt. NI. euge, ſocium arumna & mali mei video.*

*Philoxene ſalue. PH. & tu. vnde agis? NI. vnde homo miſer & infortunatus.*

*PH. At pol ego ibi ſum, eſſe vbi miſerum hominem decet atque infortunatum.*

*NI. Igitur pari fortuna, atate vti ſumus, vtimur. PH. ſic eſt: ſed tu,*

*Quid tibi eſt? NI. pol mihi prorſus idem eſt quod tibi. PH. numquid nam ad filium*

*Ægritudo hac attinet? NI. admodum. PH. idem in pectore mihi eſt morbus.*

*NI. At mihi Chryſalus optimus homo perdidit filium, me, atque omnem*

*Rem meam. PH. quid tibi ex filio nam, obſecro, agrè eſt? NI. ſcies, id: perijt,*

*Cum tuo, ambo aquè habent amicas. PH. quî ſcis? NI. vidi. PH. hei mihi, diſperij.*

Hactenus vnius omnes verſus generis, cuius fuerunt & ſcenæ ſuperioris, trochaici nempe tetrametri acatalectici: qui ſequuntur iam vltimi tres, catalectici ſunt, vnâ ſyllabâ prioribus impares: quos non apponerem, niſi mendum ſimul inde non contemnendum ablaturus:

*NI. Quid dubitamus pultare, atque huc euocare ambos foras?*

*PH. Haud moror. NI. heus Bacchus, iube ſis actutum aperiri fores,*

*Niſi mauoltis fores & poſtes comminui ſecuribus.*

Scripſi *ambos*, non *ambas*. Nec enim Bacchides euocaturi erant, ſed filios ſuos: quos & produci emittique ſibi vnà cum ſeruo poſtulant ſequente ſcena. Qua ſcena quæ non rectè videntur habere nobis, huic capiti adiungam, & Bacchides dein, germanum ſororium iugum, abiungam. Scribitur in ea:

*BA. Soror, eſt quod te volo ſecretò. SO. ehò amabo. NI. quò illa abeunt?*

Vocanti ſorori non aptè reſpondet altera, *ehò amabo*: quod ipſum eſt vocantis. An igitur nihil eâ reſpondere faciemus, & ſeni dabimus iſta verba? *NI. eho amabo, quò illa abeunt?* Non ineptè: quanquam nec admodum ſeni conuenerit hoc *amabo*, lene ſcilicet nimis pro irato. Fortè traducendum ita:

*BA. Soror, eho amabo, eſt quod te volo ſecreto? NI. quò illa abeunt?*

Vtrum malis, neſcio quãtum; vtrouis modo nihil alteram reſpondere, nihil intereſſe iudicabis. Poſt multa:

*NI. Niſi abeas, quamquam tu bella es, malum tibi magnum dabo iam. BA. patiar.*
*Non metuo ne quid mihi doleat, quod ferias. NI. vt blandiloqua eſt?*
*Hei mihi metuo. SO. hic magis tranquilluſt.*
*I hac mecum intrò, atque ibi, ſi quid vis, filium concaſtigato.*

Quid cauſſæ eſt, cur ſenex metuat ſibi? an ne & ipſe inducatur blanditiis meretricis, & iam labaſcat? Non opinor. nec enim è ſequentibus hoc apparet: vbi diutiuſculè conſtat adhuc in ſuo rigore. Magis credã, meretricis ipſius ea verba: quæ cùm minas ſenis & verbera nihil ſe metuere dixiſſet, ad ſororem iam conuerſa, tamen metuere fateatur, ſiue ne ab irato ſene vapulet, ſiue ne fruſtrà conetur eum labefactarę. Cui opportuniſſimè ſubiunxerit altera mox, *hic magis tranquillus eſt:* ſed ſubiunxerit hoc tantum. Nam quæ ei reliqua aſſeribuntur, eius non ſunt, ſed ſororis, cuius nomen literis BA. notatur: in quo diſcrimine deinceps etiam error, vbi perſonæ huius indices literæ ſcriptæ pro alterius, quæ per iſtas SO. deſignari aliàs ſolet. Huic Philoxenum tractandum delegarat illa, quæ Nicobulum ſibi legerat iratiorem. Ne res igitur & ſenſus ipſi confundantur, ita perſonas ſuis, vt alibi, peculiaribus notis hìc quoque diſtingues.

*——BA. patiar.*
*Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias. NI. vt blandiloqua eſt!*
*BA. Hei mihi metuo. SO. hic magis tranquilluſt.*
*BA. I hac mecum intrò, atque ibi, ſi quid vis, filium concaſtigato.*
*NI. Abin' à me ſcelus? BA. ſine, mea pietas, exorem. NI. exores tu me?*
*SO. Ego quidem ab hoc certè exorabo. PH. imò ego te oro, vt me intrò abducas.*
*SO, Lepidum te! PH. at ſcin' quo pacto me ad te intro abducas? SO. mecum vt ſis.*
*PH. Omnia quæ cupio commemoras.*

Deinceps fruſta illa verſuum duo:

*Quem quidem ego vt non excruciem,*
*Alterum tantum auri non meream.*

non incommodè coniunxeris, & verſum vnum reliquis ſimilem feceris, additione perquam leui facilique:

*Quem quidem ego vt nõ excruciem, alterum tantum auri non meream mi.*

Sequitur aliud, ſed in interpunctο, erratum:

*NI. Age iam id, vt vt eſt, & ſi eſt dedecorum, patiar facere: inducam*
*Animum.*

Durius

Durius *patiar facere*, nec à Plauto, qui *facere* ſequentibus iunxit, vt ſic diſtinguas: *patiar: facere inducam animum.* Terent. Andr. *Per ego te deos oro, vt ne illis animum inducas credere.* In illis vitii prorſus nihil, quæ ſaltem vt intelligantur recte, cõtra Lambinum nobis interpretanda:

*NI. Quod ſemel dixi, haud mutabo. BA. It dies, ite intrò accubitum.*

*Illi vos exſpectant intus. NI. quam quidem actutum emorimur.*

Hæc enim poſtrema nihil ille vult aliud valere, quam: Satius eſt, nos continuò emori, quam talia flagitia admittere filiis & ſeruis noſtris arbitris. Nihil alienius: nec vlla vi talis inde ſenſus poteſt extorqueri. Quantum ego video, Plautus hoc vult, iocans quidem ſuo more. Cum Bacchis diceret, exſpectant vos filii; ſubiicit argutans ſenex, id exſpectant quidem illi, quam mox emoriamur: non aduentum noſtrum deſiderant, ſed mortem, vt ſcortari liberè, ſuaque ex ſententia ſine metu agere omnia poſſint, & vobiſcum voluptuantes benè ſibi facere ſuo modo. Sæpè tales in Comœdiis filii amatores, quibus vnicè paterna mors in votis. Ex iis Philolaches ſequenti fabulâ:

*Vtinam meus nunc mortuus pater ad me nuntietur,*

*Vt ego exheredem meis bonis me faciam, atq; hic ſit hæres!*

Imò hac ipſa Piſtoclerus:

*Scribe. MN. quid ſcribam. CH. ſalutem tuo patri verbis tuis.*

*PI. Quid ſi potius morbum & mortem ſcribat? id erit rectius.*

Eam igitur illis verbis ſententiam ſubeſſe puto. Quod ibidem autem *it dies*, id Pſeudolo quoque, *SC. Pſeudole:*

*LE. It dies. ego mihi ceſſo, i præ puere.* & Rudente, *SC. Heus manc.* Catulli hoc aliis notatum, *Abit dies*: cui Plauti item ſimile, *ſol abit*, quod Mercatore, SC. *Diuum atq; hominum.* Sed vnum hîc etiam nobis ſupereſt, in quo Lambinus æquè turpiter allucinatur.

*BA. Veſper hic eſt, ſequimini.*

Interpretatur *hic*, domi noſtræ, & *veſperem*, nuptias. Veſperi enim ſponſa viri domum deducebatur, & cantabatur Hymenæus. Ita prorſus. Sed quid iſta huc? aut quò tam longè explicatio ducta? Malam rem iſtis nugis: quas miror & indignor aliis probatas. *Hic* prouocabulum eſſe debet, non aduerbium, & δεικτικῶς pronuntiari: vt *Hoc* alibi ſolet. Terent. Heautontim. *Luciſcit hoc iam.* Curculione noſtri: *Nam hoc quidem edepol haud multò poſt luce lucebit.* Nec aliud hîc quidquam intelligitur, niſi veſperem iam eſſe, vel aduentare veſpertinum tempus, in quem ſenſum, ire diem, paullò antè dixerat: & hac ſubiectione, cœnæ horam eſſe monet, vt introeant tandem & accumbant. Claudamus Bacchides fragmento Bacchidum, quo ipſo, ni fallor, eaſdem Gulielmius noſter inchoauit. Apud Nonium in *Modicum;*

*Quibus ingens in animo vtibile eſt modicum & ſine vernilitate.* Ille noſter corrigebat, *Quibus ingenium animi vtibile, eſt modicum*: cui non oblucter, maximè quia ſententiam facit non ineptam: vix germanam tamen illam è verbis nec ipſis fortè germanis. Opinor à Plauto ſcriptum, *cohibile eſt & modicum*. Neque forſan *ingens in animo* mutandum, quod ſonat τὸ μεγαλόψυχον, & illud ferox atque vix domabile animi iuuenilis. Agitur planè de iuuenibus ex eo genere, quibus animi illud ingens non ſit effræno, ſed cohibile, modeſtum, & ſine laſciuia procaciori.



Digitized by Google

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI MOSTELLARIAM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD

Nobiliſſimum & Excellentiſſ. virum

ALEXANDRVM MASSARIAM

Philoſophum & Medicum Clariſſimum.

*Pſum hoc anni tempus,* ALEXANDER MASSARIA V. CL. *admonet me & periculi olim mei ſummi, & tua iuxtà maxima in me benignitatis: cuius quidē numquā tamē obliuiſcor, & vtrūq; ante oculos verſatur aſſiduò mihi; dum neq; diſcriminis illius imago, quo ad ipſum limen fati ſic acceſſi propè, vt non poſſe propius opinione omnium putarer; neq; fidelis opera, quam in reſtauranda tu ſalute mea tam diligenter, imò ſollicitè ponebas, perit. Sed vt alia ſunt aliorum temporum bene merita in me huius & alterius generis tua, qua recolo ſolenni ſemper ſua vice: ſic huius nunc maximè celebro memoriam, cuius iſti dies ingerunt annuam recordationem & quaſi præſentem contemplationem. Memineris enim tu quoque, vt ante triennium hodie Patauij apud vos graui diuturnoq; morbo decubuerim, vbi ſalus à pleriſq; iam mea deſperata erat, & à te quoq; ipſo penè depoſita: cum reniterereris tamen ſolus omnibus ingenij induſtriaq; viribus, neq; concederes, vt in me ſuperato tuam ſuperaſſe morbus experimentis innumeris teſtatam medendi peritiam diceretur. Ibi tum quam mei curam*

*egeris, quid præſtiteris mihi ſigillatim enumerare non poſſum: & dixero ſatis vniuerſim, ſi ſalutem ac vitam debere me tibi profitear. Id quod ex animo profectò facio, feciq; antehac ſæpe, quoties ad quemcunque mentio incidit iſtius temporis mei: nec omitto, cùm res fert, alia tua prædicare plura beneficia, tum illam præcipuè incredibilem humanitatem, qua me ſemper & ſodalem meum D. Bucretium, V. Cl. ante Germanos illic omnes complectebaris. Ac ſolemus hoc inter nos admirabili cum voluptate ſæpius commemorare, ſimul alter alterum ad animi grati non priuata tantum, ſed publica etiam tibi ſigna prodenda incitare: quam ego quidem in partem vltro ſemper inclinaui, diuque hoc egi mecum, vt haberes aliquod à me monumentum, qualecunque poſſet à tenuitate noſtra proficiſci. Sanè in ipſa iam Italia ſuſcepi cogitationem eius rei, deſtinauique planè tum votiuam aliquam tuo nomini tabellam ſuſpendere prius adeò quàm à vobis in Germaniam redirem, vt abiens relinquerem certum obnoxiæ voluntatis meæ pignus. Verùm interceſſerunt ei deſtinationi multa illic impedimenta, neque mihi licitum peragere quod vehementiſſimè cupiebam, ingenti ſanè cum dolore, nonnullo etiam pudore, cum turpe cenſerem mihi diſcedere ſic velut ingratum. A quo tempore manſit tamen eadem voluntas, & cura excubauit in occaſionem: quam nunc tandem adeptus ſum neſcio quàm bonam, amittere quidem nolui qualem qualem. In Plautum quædam commentati ſumus, & iam edimus, vt amicis gratificemur. Hîc opportunum ratus etiam te inſerere, partem eorum atque in vnam adeò Comœdiam, vt reliquis, inſcribo tibi: quam tu paruam momentique parui non aſpernabere tamen, & patieris in hac moneta tantum tibi debitum perſolui. Abhorret quidem à ſublimitate tuæ profeſſionis humile genus hoc literarum: ſed idem à te non contemni ſcio, qui te amare & æſtimare liberaliores etiam Muſas ipſe mihi crebrò teſtatus es, & fidem in re præſenti facile feciſti. quo maiore fiducia cuſum in iſta officina libellum hunc offero tibi, tuoq; celeberrimo nomini conſecro non ingratum gratiſſimi teſtamentum*

*animi*

*animi futurum. Hoc enim ſolo titulo meum in te ſtudiũ nunc cenſebis, quod ſi declarare porrò illuſtrioribus argumentis potero, ſenties ita te coli, vt talis ac tantus vir, iſtâ eruditione, iſto inter ampliſſimos Academiæ veſtræ collegas loco, iſtâ vbique famâ, iſtis in omnium gentium homines ad audiendum te Magnum Medicorum Alexandrum vndique concurrentes beneficiis, mereris.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI MOSTELLARIAM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Tradere in piſtrinum. Obolerenlliam. Arbitrem. In vſu, in ſpecie. Moſtellariæ moſtella pluſcula correctione & interpretatione domita.*

QVæ Moſtellariæ nomen fecerunt monſtra, ſunt in ea præter ipſa Plautina generis alterius adhuc multa; ſpuria atq; irreptitia, quibus domandis non ſuffecerunt tot viri fortes & eximio eruditionis ingeniiq; robore: nec egò ſat dignus illis ſubſidiarius vel optio, tantum abeſt, vt Hercules aliquis ἀλεξίκακος vel λαπαγόναιος. Adnitar tamen poſt illos & ipſe quod poſſum, experiarque non claua, ſed calamo quid poſſim, ea quidem ſpe, vt ſubigere pleraq; confidam, à multis hanc fabulam purgaturus, donec exiſtat ille tandem Hercules, qui ab omnibus & hac & reliquas totumq; Plautum ad talos a vertice perpurgabit. Ac initio moſtella ſunt leuia quædam, a quibus initium commodè faciemus. Primâ ſcenâ leuiſſimum eſt in verſu:

TR. *Quid tibi, malum, hic ante ædes clamatio eſt?*

qui ſibi poſcit *clamitatio:* & in manuſcripta habuerunt, vnde *clamitas* in excuſis priſcis. Paullò grauius ſequitur ibidem in continuis aliquot, fluxæ ac malè vinctæ ſententiæ:

*GR. Tu vrbanus verò ſcurra, deliciæ popli,*
*Rus mihi tu obiectas? ſanè credo Tranio,*
*Quòd te in piſtrinum ſcis actutum tradier,*
*Cis hercle paucas tempeſtates, Tranio,*
*Augebis ruri numerò genus ferratile.*
*Nunc dum tibi libet licetq; pota, perde rem.*

Languet nimis etiam contentio, quam ſic animabis:

*———ſanè cedo, Tranio:*

*Quid? te in piſtrinum ſcis actutum tradier?*

*Cis hercle paucas tempeſtates &c.*

Tu me ruris, inquit, colonum increpas? cedo & concedo ſanè. quid te futurum autem putas? An breui te neſcis catenarum fore & piſtrini? Ominor ac ſpondeo tibi, paucos intra dies ad heri reditum ruſticus tu quoque fies, ſed ferratus, & ex genere annulatorum. *Tradier* autem in *trudier* non mutandum: Rudente:

*Quos mecum duxi, hunc qui ad carnificem traderent.*

Mox habes: *———at te Iuppiter,*

*Dijq; omnes perdant, oboluiſti allium.*

Cuius ſimiles locutiones in Sueton. Veſpaſ. cap. 8. *Adoleſcentulum fragrantem vnguento, cum ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam grauiſſimâ increpuit, Maluiſſem allium oboluiſſes: literaſque reuocauit.* Caligul. cap. 23. *Ille antidotum oboluiſſet, quaſi ad præcauenda venena ſumtûm.* Ad finem rectè:

*Paucorum menſium ſunt relicta reliquia.*

nec male *relica* ſiue *reliqua*. Finis ipſe non concipitur in hodie vulgatis, vt debet:

*Nunc rus abibo. nam herilem filium*

*Video corruptum hic ex adoleſcente optimo.*

Reſtituendus ex antiquis, inſerto *eccum*, ac diſtinctiunculâ iuuandus:

*Nunc rus abibo. nam eccum herilem filium*

*Video, corruptum hic ex ad. opt.*

Verſus ſenſuſq; volunt. Nec enim corruptum iam videt demum aut intelligit, ſed corruptum illum aduenire nunc commodùm videt in ſcenam prodeuntem. itaque *eccum* addit, & ne conſpiciatur, abit. Alterâ ſcenâ non multò potiora ſunt, quorum emendatione gloriari haud poſſis. Tamen videantur. Abſolutâ ædiũ ſtructurâ, dictiſque ædificiorum argumentis ingreditur alteram inſtitutæ orationis partem adoleſcens:

*———nunc etiam volo*

*Dicere, vt homines ædium eſſe ſimiles arbitremini.*

Credo *arbitrem* ſcribendum. Nam de ſe ſolo ait, quem diu ſecum hoc diſputaſſe profitebatur ſuprà ſcenæ principio:

*Eam rem volutaui & diu diſputaui,*

*Hominem cuius rei, quando natus eſt,*

*Similem eſſe arbitrarer ſimulacrumq; habere.*

*Id repperi iam exemplum.*

Quas abieci literas, illi appenderunt, quos inuſitatior offendebat verbi, Plauto creber ille tamen, flexus. Statim:

*Ei fundamenta ſubſtruunt liberorum,*

*Extollunt, parant ſedulò in firmitatem,*

*Vt &*

*Vt & in vſu boni, & in ſpeciem populo*
*Sint, ſibique aut materiæ neparcunt,*
*Nec ſumtus ibi ſumtui eſſe ducunt.*

Parum intereſt, *in vſu* ſcribas hîc, an *vſum*: itemque infrà:

*Ergo ſum in vſu Factus nimio nequior.*

Vbi caue feceris *inuſu*, vna voce, quod nuper ſunt commenti. Senſus abhorret, qui eſt idem illîc cum hoc ſuperiore: valetque, vel in vtendo, vt Bacchidib.

——*Quia iſtæc lepida ſunt memoratu:*
*Eadem in vſu, atq; vbi periculum facias, aculeata ſunt.*

vel ipſam notat vtilitatem, vt Manil. lib. 2.

*Effectu minor in ſpecie, ſed maior in vſu.*

Qui locus in Plauto *ſpeciem* confirmet etiam, pro qua voce malim omninò tamen ego *ſpecimen*. Id enim intellectus loci totius poſtulare videtur, vbi liberi ſic ædibus conferuntur, vt in exemplum hi quoque ſint populo pariter vt illæ: vnde quiuis ſpecimen ſibi expetat, & ſimiles ſuo vſque ſumtu procudant. Vim allegoricæ comparationis vniuerſæ cum reſpicis, & ſingula mutuò aptas, vides hoc requiri. Eodem loco nihil retulerit, *ibi* malis, an è veteribus *ſibi* in verſu, qui fractus turbatuſque cum reliquis ipſe temerè factus eſt hendecaſyllabus: *Nec ſumtus ſibi ſumtui eſſe ducunt.* Paullo pôſt.

*Vnum vbi emeritum eſt ſtipendium, igitur tum*
*Specimen cernitur, quò eueniat ædificatio.*

Vix abeſt, quin in iſta verſuū confuſione voculæ hîc aliquot perierint, & ſuo more Plautus ſcripſerit, *Specimen ſpectitur, certamen cernitur:* quod alibi repetit ſæpiculè. Sub finem:

*Quo neq; induſtrior de iuuentute erat.*
*Arte gymnaſtica, diſco, haſtis, pila,*
*Curſu, armis, equo: victitabam volupe,*
*Parſimoniâ & duritiâ diſciplinæ alijs eram.*

Laudes eaſdem Philolachi tribuit ſuprà villicus Grumio:

*Quo nemo adæquè iuuentute ex omni Attica*
*Antehac eſt habitus parcus nec magis continens.*

Et Atys apud Catullum de ſe ipſo item:

*Ego gymnaſii fui flos, ego eram decus olei.*
*Mihi ianuæ frequentes, mihi limina tepida,*
*Mihi floridis corollis redimita domus erat,*
*Linquendum vbi eſſet orto mihi ſole cubiculum.*

Cui poſtremo verſui è Bacchidibus illos contuleris:

*Ante ſolem exorientem niſi in palæſtram veneras,*
*Gymnaſii præfecto haud mediocres pœnas penderes.*

Vbi genera etiam armorum eadem ferè, quæ hîc, pædagogus enumerat Lydus:

*Ibi curſu, luctando, haſta, diſco, pugillatu, pila,*

*Saliendo ſeſe exercebant magis quàm ſcorto aut ſauijs.*

Sed iis miſſis, in hoc Moſtellariæ loco, quē propoſui, an credemus ita ſcripſiſſe Plautum, vt vulgatur? *victitabam volupe*. Negationē addidit ille, quam omninò ſententia repoſcit, *victitabam haud volupe*. Minimè delicatum in victu fuiſſe ait, qui quidem parſimonia & duritia fuerit aliis exēplo & diſciplinæ. Scio Lambini interpretationem: vixiſſe duriter, & tamen ita iucundè. Sed interpretatio eſt Lambini, qui prorſus hîc Lambinus.

## CAPVT II.

*Euge! Tum. Si. Varia loca & inſignia quædam variè inſigniterq; correcta, declarata. Verſus alienus, ſi fortè, monſtratus vnus: alij traiecti. Nonius reprehenſus.*

SCena *Iampridem* ſequitur: in qua errores mixti paruis magni. Minimus ille principio:

——*quam mihi amor & cupido*
*In pectus perpluit meum, neq; iam me vnquam obtegere poſſum.*

vbi nemo non malet *vſquam*. Deinceps nullus iſte forſan:

*PHILO. Ergo ob hoc verbum te, Scapha, donabo ego profecto hodie aliqui.*

Nam quis *Ergo* repudiarit? Nihilo minus, *Euge!* potuit auctor ſcripſiſſe, quomodo infrà in hac ipſa ſcena:

*PHILO. Lepidè dictum de atramento atq; ebore. euge! plaudo Scapha,*

Paullo pòſt omnino commutari perſonæ ſic debent, vt alii quoque, ni fallor, olim voluerunt:

*PHILE. Nolo ego te aſſentari mihi. SCA. nimis tu quidem ſtulta es mulier.*
*Ehò, mauis vituperari falsò, quam verò extolli?*
*Equidem pol, vel falsò, tamen laudari multò malo,*
*Quàm verò culpari aut alios meam ſpeciem irridere.*
*PHILE. Ego verum amo, verum volo mihi dici, mendacem odi.*

Pugnat in ſe locus alias confuſo diſcrimine perſonarum: cui dedit occaſionem illud *malo*, quod ancilla de ſe temporis, vt vocāt, præſentis flexu, præteriti ſignificatu: niſi ſi *malui* planè reſcribēdum, contractis extremis vocalibus in ſyllabam vnam. Senſus enim is eſt, olim ita ſe animatam, cùm forma ſua amoribus idonea fuiſſet. Nam nūc hac ætate non poteſt, vbi nec laudi, nec vituperationi tali in ipſa locus. Et fuerat eadem olim, quæ Philematium hodie: vt ipſa teſtatur infrà:

——*rem vide, quæ ſim, & quæ fui antè.*
*Nihilo ego, quàm nunc tu, amata ſum, atq; vni modò morem geſſi,*
*Qui pòl me, vbi ætate hoc caput colorem commutauit,*
*Reliquit, deſeruitq; me. tibi idem futurum credo.*

Vbi *crede* ſimul emendetur. Nam alteram perſuadere vult, vt credat: cóque prædixerat:

*Poſtremò ſi dictis nequis perduci, vt vera hæc credas,*
*Mea dicta ex factis noſce.*

Ante quæ fuit illud:

*SCA. Ecaſtor erras, quæ quidem illum exſpectas vnum, atq; illi*
*Morem præcipuè ſic geras, atq; alios aſperneris.*

Hîc ſi mutandum *exſpectas* neſcio: quod vſurpari ſic potuit, vt ſolent, manes aut moraris. Si tamen; *expetas* non præoptarim, quod alii fabricantur, ſed *exoptes* potius, quoniam & libri veteres *expectes*. Ac verſus hoc poſtulat magis, alterum pænè ſpernens: itaque Ciſtellariâ planè noſter:

*Quia ego illum vnum mihi exoptaui, quî cum ætatem degerem.*

Sed an temerè eſt, quòd in antiquis omnibus *Tu* præfixum legitur hîc τῷ *Ecaſtor?* Alii putarunt, qui reiecerunt: non ego. *Tum* inde faciendum mihi ſedet: quod ad ſenſum mirificè facit. Orabat Philematium moneri, ſi quid erraret: igitur (id valet, *tum*) hoc erras, inquit illa, quandoquidem vis moneri. Longè infrà:

*SCA. Video te nihili pendere præ Philolachete omnes homines.*
*Nunc ne eius cauſſa vapulem, tibi potius aſſentabor.*
*Si acceptum ſat habes, tibi fore illum amicum ſempiternum.*

Dubito, an non vltimus hîc verſus alienus, & è ſuperioribus repetitus, vbi ferè idem:

*SCA. Si tibi ſat acceptum eſt, fore amicum tibi ſempiternum,*
*Atq; illum amatorem tibi proprium futurum in vita,*
*Soli gerundum cenſeo morem, & capiundas crines.*

Nam in quam ſententiam hîc iteretur? Et plena eſt eorum, quibus hæret: nec ipſe nouam aliam abſoluit. Niſi fortè ſic illis iungetur, vt *ſi* quoniam interpretemur: vti ſolet interdum in Plauto, alibiq; ſolere item in Virgilium Seruius notauit. Id niſi eſt, ineptus ille planè: ac ne ſic quidē ſatis aptus. vt verear, eiiciendum eſſe: quod profectò malim etiam, ſi doctus aliquis mecum velit. Aliud huius mox iſtic ſedet:

*PHILO. Ob iſtuc verbum, ne, nequidquam, Scapha, tam lepidè dixeris,*
*Dabo aliquid hodie tibi peculi, Philematium mea.*

Quorſum voces adduntur, *Philematium mea?* Scaphæ peculium promittit, vnde ad amicam nihil. Et puncto ſententia claudenda poſt *peculi*. Reliqua an exclamatio ſunt impotentis amatoris? Ita videatur: ſed ſit nimis illa quidem nuda. Quid ergo? periit ne quis alius verſus? Neſcio. An Scaphæ danda hæc cum ſequentibus iſtis? *SCA. Philematium mea,*

*Suo quidque loco eſt. PHI. vide.*

Nec iſtud ſcio: multoq; minus credā. At quidquid de illis eſt, proximi verſus altera pars ſcribenda ſic planè:

*Vide capillum, ſatin compoſitū ſit commodè.*

abſq; interrogationis etiam nota. Nec enim Nonium nugatorem audies, qui generis mutationem ſomniat nobis in voce *capillum.* Plautina phraſis illa eſt: vide capillum, eſtne ſiue ſitne compoſitus cōmodè ſatis. Induxit eum & illius ignoratio, & ſcriptio hæc ambigua, *compoſituſt.* Iam maiore interuallo ſequitur inſignis locus, inſigni nobis emendatione demerendus:

> *PHI. Lubet & edepol mihi tecum. nam quod tibi lubet, idem mihi lubet,*
> *Mea voluptas.* *PHILO. hem iſtuc verbum vile eſt viginti minis.*
> *Cedò, amabo, decumbe. na emtum tibi dare hoc verbum volo.*

Hæc Lambinus quomodo interpretatur? nolle Philolachem gratuitum ſibi iſtud verbum, ſed amicæ pretium pro eo redditurum. Nugæ. Verba quî patiuntur? Emtum aliquid alicui dare, eſt ſcilicet, emere ſibi. O Plaute, non es Plautus, ſi ſic loqueris. Sed & priora, *Cedò, amabo, decumbe,* quid ſibi volunt? Interpres ibi quidem ſilet: an tamen ad decubitum inuitabit amicam in ipſa via? Nihil abſurdius: nec falſius quidquam hodierna lectione. Nos aliam tibi damus, tanto ſermonis elegantiâ (præfiſcinè dixerim) venuſtiorem, quanto ſententiâ commodiorem. Nec vllam vim affero verbis, etſi vnum diuido, cuius reliquum alii necto. Vide:

> ——*PHILO. hem iſtuc verbum vile eſt viginti minis.*
> *PHILE. Cedò, amabo, decem: benè emtum tibi dare hoc verbum volo.*
> *PHILO. Etiam nunc decem minæ apud te ſunt: vel rationem puta.*
> *Triginta minas pro capite tuo dedi.*

Perſonis etiam variaui: quod pariter oportet. Exſultabat amicæ verbo adoleſcens, quod tam charum ſibi ait, vt viginti minis non ſit carum. Ibi illa, iocone an ſerio? ſi emere velit, non viginti ſe poſcere, ſed vel decem, ac pulcrè venditurам, vt benè emat. At hic callidus æquè aduerſus obrepentem meretriculam, emtum ſibi iam tum id verbum reſpondet: ac ſi ratio ineatur, etiam vltrò reſiduas ſibi apud ipſam decem minas, præter illas viginti, quibus nunc verbum æſtimarit. Nam dediſſe pro eius capite, cum liberaret, minas triginta: quibus ſi viginti iſtas demat, ſupereſſe ſcilicet etiam decem, quas poſcat. Hæc vera loci ſententia, quam eruere non potuit, vt vt ſe torſerit miſer Interpres: nec potuit alius, ſine emendatione noſtra: quæ *decem* & *bene,* opportuniſſimè eduxit ex *decumbe: na.* In iis enim cardo verſatur vniuerſæ rei. Quando autem hoc benè ſucceſſit, attentemus aliud in eadem adhuc ſcena. Proximè fini verſus ita digeruntur:

PHI.

*PHI. Age accumbe igitur, cedo aquam manibus, puer. appone hic mẽſulam.*

*PHILO. Qui inuident, ne vnquam eorum quiſquam inuideat prorſus commodis.*

*PHI. Vide, tali vbi ſint, vbi vnguenta. PHILO. quid optu eſt? cum ſtacta accubo.*

Quos aio traiectos, & extimos duos cohærere, medium item cum illo, qui primum proximè antecedit. Ordo is omnium eſſe debet:

*PHILO. Bene igitur ratio accepti atq; expenſi inter nos conuenit.*

*Tu me amas, ego te amo: meritò id fieri vterq; exiſtimat.*

*Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo ſuo ſemper bono:*

*Qui inuident, ne vnquam eorum quiſquam inuideat prorſus cõmodis.*

*PHILE. Age accumbe igitur. Cedo aquam manibus, puer, appone hic menſulam:*

*Vide, tali vbi ſint, vbi vnguenta. PHILO. quid opus eſt? cum ſtacta accubo.*

Quis non videt, & Philolachetis orationẽ & Philematii continuã ſic habendam? Ad puerum illa iunctim omnia de diſcubitus apparatu: ille de amoris ſui felicitate, & huius vel inuidis, vel amicis: quæ eadem ipſa verba in illos uſurpare mihi lubeat, qui reſtituta hæc à nobis gaudebunt, aut inuidebunt.

## CAPVT III.

*Anni ſexaginta pro multis. Plurimis locis hac fabula contra alios emendata, explicata. Verſus vnus eiectus, plures concinnati.*

SVauiter & eroticè prorſus, ſi Veneri placet, argutatur Lambinus ad verſum proximæ ſcenæ:

*Sine cadere me. DE. ſino: ſed & hoc quod mihi in manu eſt.*

Quid credas id eſſe, quod in manu Delphio fuit? Florem ille cẽſet purpureum, vel aureum potius illum, quẽ Moly ſcriptor Priapeius indigerat, ipſamque radicem Callidamatis, aut ſuum ſibi fortaſſis etiam hortulum, vt alii opinentur, in quo mereatur illa ſcilicet pangi. O interpretationem dignam cachinno Catonis non ſeueri illius, ſed Catulliani, imo & illius, cui certè riſum expreſſerit inuito tam bellum & feſtiuum hoc commentum. Nec tamen errauerit fortaſſe longius, ſi ſcriptura ſit ſincera. De ea cum diligentius cogito mecum ego, legendum *tibi* videtur, non *mihi*. Potius enim Callidamates tenuerit aliquid Delphii, quidquid id fuiſſe tandem arbitremur. Forte mammam ſaltem aut manum: quo maximè videtur ſenſus ire. Nam cùm ſinere iuberet ille ſe cadere; facturam ita hęc ait, vt ipſo cadente cadat id quoque, quod teneat ſimul. Ipſa autem vnà caſuram innuit ſe: quod liquidò verſus ſequens interpretatur:

*Si cades, non cades, quin cadam tecum.*

Illius ergo aliquid, aut ipſam amplexus etiam tenuerit adole-

ſcens,& erit *tibi* reſcribendum. Sed tenue nimis hoc & friuolum, quod haud poteram tamen præterire. Non multo momenti plus in ſequenti:

*— DE. Cedò manum: nolo equidem te affligi.*
*CA. Hem tene,age,i ſimul quod' ego eam, an ſcis?*
*DE. Scio.*

Ac tamen hîc quoque non taceo, diſtinguendum ſermonem perſonis ſic videri:

*CA. Hem tene. DE. age,i ſimul. CA.quò d' ego eam an ſcis?*

Verùm nugatoriam iſtam ſcenam mittamus, & ſequentem perluſtremus. Ibi primum:

*Vbi ſunt iſti plagipatidæ, ferritribaces viri?*
*Iſti,qui haſtis trium nummorum cauſſa ſubeunt ſub falas?*
*Vbi aliqui quindenis haſtis corpus transfigi ſolent.*

Meritò Lambinus ſuſpectã habet in verſu medio vocem *haſtis*, quę ex proximo malè inſerta. Deleo cum illo ego, tãtò audacius, quia nõ exſtare video in antiquis Veneto & Colonienſi, quos ſæpe laudo, libris: ſed ex iiſdem ad caput verſus refero particulam *vel*, quã neglectam temerè reflagitat ipſe ſenſus: *Vel iſti, qui trium nummorum.* Diſcriminat enim, vt debet, hos, qui ſub falis, à verberonibus & ferriteris illis. Mox autem vbi de cruciariis:

*Sed ea lege, vt affigantur bis pedes, bis brachia:*

quia veteres alii libri *offringantur*; credam verum, quod habent iidem illi, quos modo dixi, *offigantur*. Sed hæc quoq; tenuia: grauius igitur aliquid propè finem eiuſdem ſcenæ. Locus primùm integer aſſcribetur: pòſt de eo noſtra cenſura.

*TRA. Pluma haud intereſt, patronus an cliens propior ſiet*
*Homini, cui nulla in pectore eſt audacia.*
*Nam cuiuis homini, vel optumo, vel peſſumo,*
*Quamuis deſubitò facile eſt facere nequiter:*
*Clauim cedò, atq; abi intrò, atq; occlude oſtium.*
*Verùm id videndum eſt, id viri docti eſt opus,*
*Quæ deſignata ſint & facta nequitiã,*
*Ne quid patiantur, quamobrem pigeat viuere:*
*Tranquillè cuncta, & vt proueniant ſine malo.*
*Sicut ego efficiam, quæ facta hîc turbauimus,*
*Profectò vt liqueant omnia & tranquilla ſint,*
*Neq; quidquam nobis pariant ex ſe incommodi.*

Horum qui quintus eſt verſuum, aio hinc delendum. Non ei locus hoc loco, cui verè ſuus eſt propius ad ipſum finem, vnde perperam iteratus & huc relatus. Illîc ecce legitur idem, legiq; planè debet:

*Clauim cedò, atq; abi intrò, atq; occlude oſtium:*
*Et ego hinc occludam.*

Iuſſerat efferri ſibi clauem Tranio ſuprà:

— cla-

*— clauem mihi harunc ædium Laconicam*
*Iam iube efferri intus, haſce ego ædes occludam hinc foris.*

Eam puer nunc fert demum: qui dum mitteretur à Philolache, ſecum interim ipſe ſolus omnia iſta quæ poſui. Et verò rumpi tam aliena inſitione quî tela ſermonis illa poteſt, quæ arctiſſimè ex ſe nexa?

*Nam cuiuis homini, vel optimo, vel peſſumo,*
*Quamuis deſubitò facile eſt facere nequiter.*
*Verùm id videndum eſt, id viri docti eſt opus,*
*Quæ deſignata ſint & facta.*

Sed eorum reliqua nihil attinet iteratò ſcribere, niſi quia & ipſa emendationis egent non vnius, atq; vnus fortè verſus etiam tranſpoſitionis. Itaq; reſcribo eadem in hunc modum:

*Verùm id videndum eſt, id viri docti eſt opus,*
*Quæ deſignata ſint & facta nequiter,*
*Tranquillè cuncta vti proueniant ſine malo,*
*Et ne quid pariant, quamobrem pigeat viuere:*
*Sicut ego efficiam, quæ facta hic turbauimus,*
*Profectò vt liqueant omnia & tranquilla ſint,*
*Neq; quidquam nobis pariant ex ſe incommodi.*

*Nequiter* legi primùm cum Douſâ F. nec pugno, ſi quis cum Palmerio malit *nequia*, vel retineat idipſum quod vulgatur. Ordinem deinde verſuum ſententiæ mihi præiuit ordo, qui talis in altero membro *Sicut ego efficiam*. Confer & videbis. Reſpondent ſibi mutuò verſus: huic

*Tranquillè cuncta vti proueniant ſine malo;*
ille *Profectò vt liqueant omnia & tranquilla ſint:*
illi *Et ne quid pariant, quamobrem pigeat viuere;*
iſte *Neq; quidquam nobis pariant ex ſe incommodi.*

Vnde præter æqualem ſeriem ipſorum, verbum etiam *pariant* reſtituimus, reiecto vulgari *patiantur*, & Lambiniano *patiatur*. Nam & verba ſe reſpiciunt inuicem: qua ratione non tamen auſus ſum in altero *tranquillent* facere, cum *liqueant* ſit in altero. Alioqui poterat venuſtè quoq; ſcribi: *Tranquillent cuncta & vt proueniant ſine malo*. Sed de his iamdudum ſatis. Alia ſcena ſequitur, *Habeo Neptune*: in qua non erat opus fortaſſe tam accurata annorum computatione, quam vir magnus inſtituit de Theuropidis & alterius, qui huic ædes vendidiſſet, ætate, ad iſtum locum:

*TH. Inſomnia? TR. mirum quin vigilanti diceret,*
*Qui abhinc ſexaginta annis occiſus foret.*

Sed nec altero opus, quò confugit: ad decorum ſcilicet in perturbatione ſerui mendaciũ. Non enim exactè ſubducendi ad liquidũ ſexaginta iſti anni, nec habẽdi planè pro ſexaginta: quos ꝑ multis poſuiſſe ſaltẽ hîc auctor poteſt, vt pariter eoſdẽ ꝑ ætate lõgiuſcula

Mercatore, ſcenā *Amicū amico.* Fracti autem & interpolati verſiculi iam proximi:

*Interdum ineptè ſtultus es.*

*TH. Taceo. TR. ſed ecce qua ille inquit.*

Quid verſiculos dixi? non ſunt: & verba vagantia ſine lege ſaltem, nec Plauti genuina. Leguntur alibi enim alia: ex quibus iſta eligo, & in vnum hunc verſum illigo:

*Interdum ineptè ſtultu's. TH. taceo. ſed ille quid?*

Inferius de induſtria Lambinus ineptiuit, cum optimam lectionem veterem mutauit:

*TH. Quid tute tecum loquere? TR. abſcede ab ianua.*

*Fuge obſecro hercle. TH. quò fugiam?*

Fugam clarè ſeruus ſuadet cum obſecratione: tamen ille fecit *Euge, obſecro hercle?* Quorſum hîc *Euge*, laudantis vox adeoque exſultantis? Nihil importunius: quod ſequutos miror illos, qui recenſitum cum iudicio Plautum aliàs dederunt. Paullò pòſt omnes libri:

*Ita me Dij amabunt, mortuum illum credidi.*

*Expoſtulare, quia percuſſiſſes fores.*

At ratio ſuadet *percuſſiſſem* ſcribi. Non de ſene cauſſatur, qui neque tetigerat: ſed de ſe ipſo, quem ſimulabat inſimulatum à mortuo, cum ab hero vocaretur:

*TH. Heu Tranio. TR. non me appellabis ſi ſapis.*

*Nihil ego commerui, neque iſtas percuſſi fores.*

Mox etiam:

*TH. Scio, quid modò igitur cur tantopere extimueras?*

Vel *quid* eiicies veterum auctoritate, vel potius diſtingues ex meo arbitrio:

*TH. Scio. quid modò igitur? cur tantopere extimueras?*

Vltimo verſu:

*Quid ego hodie negotij confeci, malùm?*

Quomodo conuenit in ipſo fine interiectiua particula, quam eſſe vult Lambinus? Magis emendari deceat?

*Quid ego hîc hodie negoti confeci malus?*

## CAPVT IV.

*Niſi quid. Ne gry quidem. Calida conſilia deos ſubijcere. Vulnera Plauti multa ſanata. De verſuum plurium lectione, ſenſu, loco diſputatum, Quatuor omninò eiecti, vnus tranſpoſitus. Alia contra alios dicta.*

IMmemor eſt ſui noſter ille, qui ſcenæ proximæ verſu:

*Manifeſta res eſt, niſi quid occurro prius:*

mutauit, *niſi quod occur.* idemque in Terentio genus alterum dicēdi probauit aſtruxitque Phormione, cum ſic emendaret:

*Ne quid propter tuam fidem decepta potiretur mali.*

Sed &

Sed & Plauti oblitus erat, qui hac ipſa iterum ſcena ſic:

*Ne inconciliare quid nos porrò poſtules.*

Et Pœnulo:

*Id ego, niſi quid dij aut parentes faxint, qui ſperem haud ſcio.*

Tacitus etiam in iſtum modum Annali 14. *Quod contrà ſubſidium ſibi ni ſi quid Burrhus & Seneca expergiſcerentur.* Abſtineatur igitur à non ſano tantùm, ſed pulcro etiam membro medicina: quam rectius ad ſequentia conuerterimus, vbi igne & ferro videtur opus. Vrendum enim & ſecandum in iſtis:

*T R. Numquid dixiſti de illo quod dixi tibi?*
*T H. Dixi hercle verò, atq; omnia. T R. væ miſero mihi.*
*Etiam fatetur de hoſpite? T H. imò pernegat.*
*T R. Cape hercle te obſecro cum eo vnà iudicem,*
*Sed eum videto vt capias, qui credat mihi.*
*Tam facile vinces, quàm pirum volpes comeſt.*
*Metuo ne techna mea perpetuò perierint.*

Irrepſerunt hîc iterati è ſequentibus quatuor verſus: quorum primus ſtatim, reliqui tres paullò inferius ſuo loco exhibentur. Eam repetitionem à Plauto cur eſſe non putem, duo dicam argumenta. Primo conſilium dat hero ſeruus, quod nullus ille dum petierat, nec venuſtè per ordinem rei vltrò ingeratur. Illîc demum illo quærente:

*Quid nunc faciendum cenſes?*

opportunè Tranio, *egon' quid cenſeam?* cum reliquis, hîc præmaturè collocatis. Ad hoc, malè diuellitur intempeſtiuâ illâ conſiliatione ſerui trepidatio, continuis his expreſſa verbis:

*——væ miſero mihi!*
*Metuo ne techna mea perpetuò perierint.*

Quæ cohærere prorſùm debent, atq; ita, deletis inſititiis, ipſe locus ordine germano reſcribi:

*T R. Nunquid dixiſti de illo, quod dixi tibi?*
*T H. Dixi hercle verò, atq; omnia? T R. væ miſero mihi!*
*Metuo ne techna mea perpetuò perierint.*
*T H. Quid tute tecum? T R. nihil enim. ſed dic mihi,*
*Dixtin' quæſo? T H. dixi inquam, atq; ordine omnia.*
*T R. Etiam fatetur de hoſpite? T R. imò pernegat.*
*T R. Negat? T H. negat, inquam. T R. perij oppidò, cum cogito.*
*Non confitetur? T H. dicam ſi confeſſus ſit,*
*Quid nunc faciundum cenſes? T R. egon' quid cenſeam?*
*Cape obſecro hercle te cum eo vnà iudicem:*
*Sed eum videto vt capias, qui credat mihi,*
*Tam facile vinces, quam pirum volpes comeſt.*

Non iudicet mihi quiſquam, niſi diligenter inſpectâ ſermonis ſerie, per quam videbit haud conſtare prorſus eiuſmodi inculcationem. Infrà corruptus alio modo locus iſte eſt, vbi clamantem da-

niſtam compeſcere & abſterrere fruſtrà Tranio laborat:

*TR. Quid? tute hominem, hominum omnium teterrime,*
*Veniſti huc externatum? agas quod in manu eſt.*
*Non dat, non debet. DA. non debet? TR. nec erit quidem.*

In eo legendum primò:

*TR. Quid tu te homo hominum omnium teterrime*
*Veniſti huc extentatum?*

Ita Lambini ſententia rectè fit, quam veram elicuit è non rectis omninò verbis. Aliorum ſcripturæ, quas affert & interpretatur idem, vanæ. Sed vltimum deinde hoc quid eſt? *nec erit quidem.* Variè mutant varii: nemo aptè. Nos emendamus, *ne gry quidem.* Non amo me aut mea, ſed aptiſſimè ſic emendamus ac veriſſimè. Literas vide; huc eunt: ſententiam; multò magis. Nihil planè deberi ſeruus ait: cui facit vnicè *gry* iſtud, notum & ex aliis, & Ariſtophane vel vno.

Statim nec hoc ſanum eſt:

*Ferre hoc poteſt? an manus, vt aliquò abeat foràs?*
*Vrbem exul linquat factus hinc cauſſa tui?*
*Cui ſortem vix dare licebit. DA. quin non peto.*

Nec ſatisfacit Gulielmii coniectura, *actus hinc.* Aliud latet in *factus hic*: vt ego opinor, ipſum *fœnoris.* quo repoſito clariſſimus eſt ſenſus:

*Vrbem exſul linquat fœnoris cauſſa tui,*
*Cui ſortem vix licebit dare?*

Verba enim ſic in altero etiam verſu tranſponenda. Quòd ſi literarum ſingulos apices rimaris, haud difficilem mutationem noſtram iudicabis, quam ſententiæ aptiſſimam aſpectu primo iam vidiſti. Non magno deinceps interuallo facinus iterum audax molior, & verſum exturbare paro, cuius hîc non eſſe veram ſedem aſſentientur omnes mihi, cum veram demonſtraro. Illorum alterum dico:

*DA. Non edepol nunc me tu tuis verbis territas.*
*Calidum hoc eſt, etſi procul abeſt, vrit malè.*

Quodnam hoc illud calidum? Infelix explicatio Lambini, cuius me miſeret ac tædet. Apage tam exſenſos ſenſus. Non eſt Daniſtæ verſus: Tranionis eſt, cui peſſimo facinore à temerariis ſcriptoribus ereptus. Illi infrà de calido mendacio argutanti reſtituendus:

*Calidum hercle audiui eſſe optimum mendacium:*
*Calidum hoc eſt, etſi procul abeſt, vrit malè.*

Quomodo niſi Plautus iunxit, nihil humani aut diuini à quoquam mihi credi volo. Quis dubitet autem, cui palatum vel leuiter ſapiat ad Plautinos iocos? Calidum mendacium ſeruus inſtituit, quod in re ſubita optimum dicatur: hoc verò verè calidum eſſe, quod è longinquo etiam vrat. Ludit nempe in vocis ambigui-
tate,

tate, quæ & calorem notat & celeritatem. Vnum tamen in verſus eius non traductione quidem, ſed lectione dubium. *Abeſt* an de mendacio ipſo, an magis de ſene, cui imminet, accipiendum? Vix equidem de neutro putem: ſcribamque lubentius *abes*, vltimâ, quod Plauto frequens, productâ: vel *aſtes*, vt per ſecundam perſonam ſententia exprimatur ad quemuis pertinens generatim. Simillimus quidem locus eſt Epidico, qui videatur hoc quodammodo ſuadere: ſcena, *Satin' ille.*

*A P. Apage illum à me. nam ille quidem Vulcani irati eſt filius.*
*Quaquà tangit, omne amburit: ſi prope aſtes, aſtu calefacit.*

De hoc, vt cuique videbitur: de traductione, nihil ambigi patiar aut mutari. Quid autem ſenſus illi ſubeſſe verſui dicemus, qui hos à nobis recens iunctos proximè iam conſequetur?

*Quidquid Dei dicunt, id rectum eſt dicere.*

An, vt Lambinus voluit, deorum ſubiectionem accipiemus, qui trepidis ac ſubitaneis in rebus vltrò conſilium ſuggerant? Atqui *dictant* tum, non *dicunt*, ſit legendum. Ac ſanè diuinitus obiici videatur, quod incogitabiles ipſi arripimus in anguſta neceſſitate. Non tamen huc reſpexiſſe Plautum hîc cenſeam, ſed corrupta eius verba, quæ in aliam longè ſententiam poſſint emendari. Mihi ſubit: *Quidquid dein ſit, nunc id certum eſt dicere.*

Videbat Tranio, diſcrimen imminere ſibi à tam calido mendacio, quod vreret iamnunc malè: contemtor illius tamen & huius ſemel placiti retinens, quidquid erit poſteà, inquit, nunc ne deprehendar, omninò dicam, quod in mentem vnum venit. Appoſitum id quis neget; verba, ſiue ſenſum ſpectet? De hoc quidem clarius: ſed de illis nec obſcurum. *Dein* quam facilè *dei* parit! *Dicunt* aliquanto ægrius, *ſit nunc:* tamen ſine vi maiore, leuiuſculè mutatis literis & traductis. Nam *certum* à Douſa F. mutuati ſumus, qui verè ſic, inuerſâ item priore ſyllaba vulgati *rectum*. Firmat, quod eſt in veteribus *decretum*: alterius quaſi lectionis, vt ipſe ait, interpretamentum.

## CAPVT V.

*Priuum. Iuerit, iuuerit. Cibo iuuari. Ratis an pars nauis? Nauis confertur. Auſpiciò. Correcta pluries Moſtellaria, & contra varios explicata, illuſtrata.*

NOndum omitto ſcenam, in qua modò fui: quia eſt etiam in ipſa, quod non debeat omitti. Illud haud ineptè ſanè vulgò nunc legitur:

*T H. Quod illud argentum eſt? T R. huic debet Philolaches*
*Paullum. T H. quantillum? T R. quaſi quadraginta minas.*
*D A. Ne ſanè id multum cenſeas, paullum id quidem eſt.*

At in antiquis ineptius quidem ita:

——*TR. quaſi quadraginta minas.*
*Ne ſanè id multum cenſeas. TH. paullum id quidem eſt?*
ſed vnde aptius nos aliquid extricamus. Illi verè Theuropidis verba faciunt, *paullum id quidem eſt:* non verè, præcedentia Tranionis. Daniſtæ enim ea prorſus. Iam nobis faciendum quid putes? Membra verſus ipſius aliter collocanda, vt ſenex prior, daniſta poſterior loquatur:
*TH. Paullum id quidem eſt? DA. ne ſanè id multum cenſeas.*
Rem diuinaui. Seni de argento quærenti, paullum eſſe reſpondebat ſeruus: vrgentique ſummam, ad minas quadraginta fatebatur. ibi ille admirabundus & in iram pronus, Paullum tibi quidem tot minæ videntur? inquit. Sed occupat Daniſta opportunè, blandeque palpat, ne multum id ſanè arbitretur: cui bonam gratiam Tranio refert, & capta inde occaſione inuehitur in ipſum, vt commotum ſenem aliò auertat ab inſtituta expoſtulatione:
*TR. Audin? videturne obſecro, hercle idoneus,*
*Daniſta qui ſit? genus quod improbiſſimum eſt.*
Tamen, vt fœneratorem illudat, herum non eludit: qui cauilli ac nugarum impatiens premit eum rurſus, & rem dicere iubet, verſibus, qui nec ipſi videntur incorrupti:
*TH. Non ego iſtuc curo, quis iſte ſit, vnde ſit:*
*Illud volo mihi dici, id me ſcire expeto.*
Interpolatos quidem è veteribus apparet: vnde pauculis leuiter mutatis ſic fortaſſe fuerint concinnandi:
*TH. Non ego iſthunc curo qui ſit: illud vnde ſit,*
*Volo mihi dici, id me priuum ſcire expeto.*
Diſtinctionem talem ſenſus flagitat vniuerſim: de verbis ſingulis non pugno. *Priuum* tamen è *primum* non malè ſcripſiſſe videor. id enim quod quærit, non primum, ſed ſolum cupit ſcire. Forſan eadem vocula ſuperius hac ſcenâ ſic mutanda:
*TR. Sortem accipe. DA. imò fœnus, id primum volo.*
Namq; fœnus ibi priuum poſcit, abſq; ſorte, quam deinde palàm ſe ait nolle. Sed iam hinc ad ſequentem ſcenam veniamus. Eius principium eſt hoc ipſum:
*Melius anno hoc mihi non fuit domi,*
*Nec quando eſca vna bene meruerit magis.*
In quo ſtatim offendo ad verbum *meruerit*, quod nullí bonæ ibi rei. Corrigo, *me iuerit*, id eſt iuuerit. Catull. *Non ita me Diui, vera gemunt, iuerint.*
Veriſſimè. Iam diu nullâ ſe eſcâ magis ait delectatum. *Iuuandi* verbum ſcitè in ea re vſurpatur, quia & voluptatem notat & vtilitatem. Iuuamur enim cibo, qui Græcis exinde ὄνειαρ appellatus: vt eruditè notarunt ad illum Captiuorum locum:
*Neq; vnquam quidquam me iuuat, quod edo domi:*
*Foris aliquantillum etiam quod guſto, id beat.*

Progre-

Progrediens non prætergredior illum locum:

*Sed ſimo, ita nunc ventus nauem noſtram ſubitò*
*Deſeruit. S I. quid eſt? quomodo peſſumè potuit?*
*Quane ſubducta erat tuto in terràm antehac?*

Vbi malè emendant, *peſſum ire potuit*. Non enim periiſſe dicitur, ſed periclitari nauis à vento deſerta. Poſſim vulgaram defendere: ſed malo aliter ipſe, perſonâ interiectâ:

*—— S I. quid eſt? T R. quomodo peſſimè potuit.*
*S I. Quane ſubducta erat.*

Quæritur ἀπαγγελικῶς, quid naui ſit? reſpondetur, ita eſſe, vt peius non potuerit. Quod mirum deinde videtur in ea, quæ quaſi in terram fuerit ſubducta. Quid autem in ſequentibus ſtatim iſtis:

*T R. Hei. SI. quid eſt? T R. me miſerum! occidi. S I. qui? T R. quia*
*Venit nauis, noſtra naui quæ frangat ratem.*

quid inquam eſt ratis? An non ipſa etiam pro naui? Velut pars tamen eius hîc vſurpatur. An rectè? Cenſent viri docti, quos video locutionem hanc vt Plautinam in ſcriptis ſuis imitari. At mihi mutandum aliquando viſum *noſtram vi qua frangat ratem*. Fortè non fruſtra: facilis enim in iis literis iſte error. Suſtineo tamen approbationem. Bacchidibus etiam vtraque iunguntur quidem:

*Bene nauis agitatur, pulcrè hæc confertur ratis.*

ſed indiſcreto ibi ſignificatu. Conferri dicitur agitata nauis alteri naui, vt concurrant ſcilicet ac mutuò impingant. Is enim verus ſenſus, quem nec Lambinus aſſecutus eſt, de appulſu ad portum nugatus; nec qui hunc reprehendit poſtea nobilis vir, qui ad compagines & coagmenta, ſtructuramque ipſam ratium trahit. Nihil vterque dicunt. De periculo ibi quoque imminente, imò præſente Chryſalus figuratè ſic loquitur, cum malum ſibi ſtrui videret ab hero, qui ſeruos arceſſebat ad ipſum vinciendum. Porrò eadem Moſtellariæ ſcenâ:

*Si quid erit quod illi placeat, de exemplo meo*
*Ipſe ædificato. T R. eon' voco huc hominem? S I. voca.*

Scribes: *T R. Eon', voco huc hominem? S I. i, voca.* Et *eon'* accipies planè verbum, non aduerbium cum Lambino. Deinceps in iis verbis, vnde nouæ initium ſcenæ perperam in antiquis factum:

*Nunc hunc haud ſcio an colloquar: congrediar:*
*Heus Theuropides.*

nimium quantum variant iidem antiqui, quibus ea quæ poſui Lambinus ſuppoſuit: rectè quidem, ſed in his etiam ipſis occultius adhuc videtur aliquod mendum. Non enim placet ea forma locutionis hoc loco, quam Lambinus eſſe vult, vt *haud ſcio*, ponat & affirmet. Quid huic & Ciceronis exemplis inter ſe ſimile? In modeſta affirmatione vtitur ille, nec alii quicunque minus: at ei qui locus hîc in tali re? Sed nec deliberat ſecum ſeruus, an herum ſit aditurus. Imò verò non aliâ cauſsâ veniebat, niſi vt alloquere-

tur, & vocaret ad ædes inſpiciendas. Patet ex ordine geſtæ & gerendæ rei. Haud ſcio igitur ego, an pro *haud ſcio an* deletis, vna voce reſcribendum *auſpicio*. Sanè & alibi ſic hæc vox diſſiluit ac mutauit, vt proueniret ex ea vel *haud ſitio*, vel etiam hoc ipſum *haud ſcio*: quod ſciunt in Plauto & eius emendatione verſati. Iam ſenſus pulcher & aptiſſimus rei. Ait ſeruus, bono ſe auſpicio herum compellaturum. *Auſpicio* enim valet *auſpicatò*, vt Epidico:

*Vt importem in coloniam hunc auſpicio commeatum.*

Infrà ſequitur:

*TH. Non videor vidiſſe poſtes pulcriores pol mihi.*

*SI. eo pretio emti fuerant olim.*

Nollem veterum editionum lectionem mutatam, quæ verba *Pol mihi* Simoni tribuunt rectius. Huic enim magis debentur, etſi conueniunt & illi. Cum pulcros poſtes laudaret alter, hic reſpondet, ſanè tali, id eſt pulcro pretio ſibi olim emtos. Nam ſic explicabis ſimpliciter: non cum Lambino, tali pretio, vt debeant pulcerrimi eſſe. Pulcrum, luculentum pretium: item pulcrè vendere, & ſimilia vbiq; in noſtro frequentata. Inferius:

*SI. Quid? quid eſt? TH. errabo potius quam perductet quiſpiam.*

*SI. Ædes dico. TH. ergo intrò eo ſine perductore. SI. i, licet.*

Non inuitus patiar ex antiquis addi *Per ædes*. nam & ſenſus clarior fit, & numeri poſſunt ferre. Reliqua autem per interrogationem efferenda: *TH. ergo intrò eo ſine perductore?* Denique vbi delicias Tranio facit in canicula abigenda:

*TR. abi dierecta. abin' hinc in malam crucem.*

*At etiam reſtas? abi iſtinc. SI. nihil periculi eſt, age.*

*Tam placida eſt quam eſt aqua.*

Suſpectum in reſponſione ſenis vltimum verbum *aqua*: & reperio alibi *aquila*, quod eſt tamen pro eodem. Sed an temerè fecerim ex hoc *ouicula*? Mihi non videar. Etenim facilis & mutatio talis, & res magis ſuadet ouiculam dici placidam, quàm aquam, tum tranquillam canem illi potius, quàm huic comparari. Non canem, ſed ouiculam meram eſſe ait ſenex. Vidento tamen alii, ſi quid aliud latet in vulgatioribus antiquis. Nam hi neſcio quid de fœta cane referunt, & mox etiam legunt, *Quando vis ire intrò, audacter licet*: vbi noſtri hodie, *Viſe: ire intrò audacter licet.*

## CAPVT VI.

*Peculium, as, opes de ſuo, à malo, de vetito. Theſauri è pauxillo, quaſi paxillo. Ferocem facere. Puere. Ei. Vitia verborum, verſuum, ordinis, perſonarum variis modis quamplurima tolluntur. Loca ambigua & ioca nouiter declarantur. Aſſenſum aliis, ab aliis diſſenſum.*

Vnum

VNum eſt ſcenâ *Quid tibi viſum*, quod reliqua pura omnia conturbat:atq; id in inſigni loco iſto:

*TR. Egone te ioculo modò auſim dicto aut facto fallere?*
*TH. Egon' abs te auſim non cauere ne quid committam tibi?*
*TR. Qui tibi nunquam quidquam, poſtquam tuus ſum, verborum dedi.*
*TH. Ego enim caui rectè. TR. eam mihi debes gratiã atq; animo meo.*
*TH. Sat ſapio, ſi abs te modò vno caueo. TR. tecum ſentio.*

Vitium in perſonis, inquam, eſt & verbis, ſed maius in illis. Senſus arguit manifeſtò. Nam quomodo Tranioni gratiam vllam debet ſenex, ſi ipſe rectè cauit? Quin ſibi debet omnem, atque ita ſenſit dixitq;. Scribo perſonis aliquot ſublatis, vnaq; inſuper literulâ mutatâ, cum alia interpunctione:

*TH. Ego enim caui rectè: eam mihi debeo gratiam atq; animo meo,*
*Sat ſapio, ſi abs te modò vno caueo. TR. tecum ſentio.*

Nunquam deceptum me, inquit, id equidem non tuæ fidei debeo, ſed meæ prudentiæ: qui tum rectè deniq; & quod ſatis eſt ſapio, ſi poſſum a te mihi ſaltem & ſtudeo cauere. Certa & perſpicuę veritatis emendatio hæc, cui nemo refragetur. Eiuſmodi eſt & illa proximâ ſcenâ, quam aliis debitam, non aſcribo mihi, ſed vt incertam à nuperis editoribus relictam, aſſero Plauto. Quid enim iſta lectione verius, quid elegantius, cui vulgatam ineptiſſimam prætulerunt?

*Sed hi ſi reprehenſi ſunt, faciunt à malo*
*Peculium, quod nequeunt facere de ſuo.*

Non ſenſus aliter ſit vllus idoneus, & locutionem non ſimilis Apuleii tantum probat Aſini lib. 9. *Niſi nos putatu es de malo haberei* Sed & Ouidii Faſtor. 5.

*Sed iam de vetito quiſq; parabat opes.*

Imò Plauti ipſius Ciſtellar:

*Item vt alia pariunt, quæ à malo quærunt ſibi.*

Nam ſic emendatur etiam illîc rectè, quod aliis æquè non eripio, ſed acceptum ab illis, illiſque referens acceptum, meo pariter aſſenſu firmo. Animaduertes autem, in hoc noſtro iam loco, non id planè phraſin eam valere, quod in aliis: ſed ambiguè & per iocum ad ſeruiles cruciatus ac pœnas accommodari. Serui enim ex fuga reprehenſi à malo peculium faciunt, id eſt, è verberibus theſaurum mali colligunt: quod ſequenti verſu magis explicatur:

*Augent ex pauxillo, theſaurum inde parant.*

Vbi non equidem corrigendum planè cenſeam cum Gulielmio noſtro *paxillo*, ſed quod vulgatur, id ambigua pronuntiatione ſimul pro hoc ipſo capiendum. Iocus enim hîc quæſitus etiam, vt ſpectatores vtrumque exaudirent, dubii, magiſne è palo ſeu paxillo, an paullo ſeu pauxillo peculium augeri diceretur. Hæc argutia Plautina: quam non eſt ille ſatis aſſecutus: ſecutum

autem eſſe Plautum nemo negabit mihi, qui rem conſiderabit attentius & ipſa verba. Ducunt enim hæc etiam eò ſingula. Et ordinem vide: Peculium faciunt: id ex pauxillo augent: ita theſaurum parant. Parantur enim theſauri paullatim augendo, & σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ apponẽdo. Neceſſe fuit hoc vel breuiſſimè oſtendi, ne iocus amplius falleret inſcientes. Infra in illis, quæ iungi cum hac ſcena debere Lambinus cenſuit, & cum illo ego, ſublatis è medio perſonis, quæ notatæ quaſi nouam ſcenam ordiuntur, & ad caput huius aſſcriptis ſimul vniuerſis. Nec enim interrumpit vel leui etiam interſpiratione Phaniſcus orationem continuam ſuam, priuſquam ab alio ſeruo reuocetur. Sed in illis traiectionem noto verſus vnius, ſi tamen vllus ibi legitimus verſus, ac non verborum dicere potius debui. quod vtcunq; ſit; hæc, quæ aſſcribam, traiecta videntur:

*P H. Mihi ſum, libet eſſe, quid id curas?*

Eorum ſedes non vera, quam nunc habent: ſed quam habebunt, ſi hoc ordine omnia reſcribantur:

*——S E R. mane tu, atq; aſſiſte illico.*
*Etiam reſpice. (f. reſpicis?) P H. mihi moleſtus ne ſis.*
*S E R. Vide vt faſtidit ſimia.*
*Maneſne ilico impure paraſite?*
*P H. Qui paraſitus ſum? S E R. ego enim*
*Dicam: cibo perduci poteris quouis.*
*P H. Mihi ſum. libet eſſe. quid tu id curas?*
*S E R. Ferocem facis. quia te herus tam amat.*

Vbi inſeruimus, ab vtraque parte cohærentia ſibi volunt. Cum paraſitum alter increpuiſſet, & vnde, oſtendiſſet: ſubiicit hic, ſibi ſe eſſe, qui ſit, atq; ita libère, nec quidquam illius intereſſe. Quod tam liberum reſponſum pro ſuperbia accipit ille, & ferocem ſe ſibi facere ait, quòd ab hero tam ametur. Caue enim cum Lambino mutes *facit*. *Facis* omninò retine, contra quod exemplum nullum ſtat eorum, quæ in diuerſum ab illo afferuntur. Non planè ſimile, ſed nec diſſimile prorſus eſt hoc illis, ſi commodè interpreteris. Atque ferocem alicui ſe facere, dixit alibi quoque noſter. Ad hæc, *ſum* & *eſſe*, quia paraſiticus ſermo, vergunt hîc in edendi ſignificatum, decorâ ambiguitate. Multa porrò minuta ſunt in hac ſeruorum confabulatione, ſed haud tanti, vt diligentius notentur. Sene interueniente, verſus eſt inter alios:

*P H. Puer nimium es delicatus. P H. ei aduerſum venimus.*

quo ſcribes, *Puere*, verſus ipſius cauſsâ: & eadem ibidem *ei*. Deinceps iam quoque ſunt friuola quædam, à quibus malo abſtinere. Sequitur ſcena *Perij hercle*: in qua de lacuna ſuſpiceris inſigni ante iſtum verſum:

*S I. Quaſo edepol huc me ſpecta, & reſponde mihi.*

Nam abruptus ſermo videtur, & debent alia præceſſiſſe, quibus ab ar-

ab argenti debitione ad ædium inſpectionem gradus fiat. Scilicet de ædium emtione alterum contendere, alterum negare prius, aliaque oportuit inuicem agere; quàm ad extremum hoc delaberentur. An verò de induſtria Plautus iſta diſſimulauit? Ita eſt. Conſultò reiecit omnem eam narrationem, ne ſæpius in ſcena contra legem Comicam, & cum ſpectatorum tædio, eadem iterarentur. Atq; id ipſe in fine innuit:

*TH. Eadem ego opera hac tibi narrauero,*
*Quis me exemplis hodie ille ludificatus eſt.*

Ceterùm paullo ante eum finem quod legis:

*TH. Hei mihi, diſperij, vocu non habeo ſatis.*
*Vicini, interij, perij.*

Vide ne ſcribendum tibi ſit, *Vicine:* vt ad hunc ſolum Simonem exclamet. Statim perſonæ malè mutatunt in nouitiis omnibus libris:

*Te ludificatuſt & me hodie indignis modis.*
*Quid tu ais? SI. hac res ſic eſt, ut narro tibi.*

Eas ex veteribus ita rurſum digeres:

*SI. Quid tu ais? TH. hac res ſic eſt vt narro tibi:*
*Ludificatuſt med hodie in perpetuum modum.*

Abſurda lectio altera: nec Theuropidi conuenit quærere, quid alter aiat: ſed cum ipſe ludificatum ſe diceret, miratur id Simo, & interrogat, vti ſolemus in re inopinatâ: atque ille ita prorſus eſſe reſpondet, vt dixerit, idemque iterum verbis fermè iiſdem dicit.

## CAPVT VII.

*Fores, quod oſtium. Illi. Captare cum aliquo. Captatio in gladiatoriâ: inde aliò traducta. Tranius. Plautus ſæpiſſimè, locis etiam difficillimis aliquot, correctus, illuſtratus. Lacuna in eodem ſuſpicio: Quadrigarij apud Gellium emendatio. Aliorum hinc inde correctiones atq; interpretationes reiecta.*

Difficilior eſt ſententia ob intricatiorem verborum ſtructuram, malamque ſimul interpunctionem iſtius loci Scenâ, *Qui homo.*

*Abij illà per angiportum ad hortum noſtrum clanculum,*
*Oſtium, quod in angiportu eſt horti, patefeci fores,*
*Eaq; eduxi omnem legionem, & mares, & feminas.*

In quorum medio verſu ordinando cum fruſtrà Camerarius & Lambinus laboraſſent, ad mutationem confugerunt, neque ſic tamen ſententiam ſatis expedierunt. Nos diſtinctionem aberrare leuiter dicimus primùm, quæ ſic concipienda:

*Oſtium quod in angiportu eſt, horti patefeci fores:*

deinde iam ordinem & ſenſum hunc eſſe patet: patefeci fores horti, quod eſt oſtium in angiportu. Figurata ſyntaxis, *fores, quod oſtium.* Horti fores erant oſtium in angiportu. Rem & narratio-

nem totam non aliter intelligere eſt, niſi hac mente. Ait ſeruus, per angiportum adiiſſe ſe ad hortum: eius horti fores, quæ ſint domus oſtium in angiportu, id eſt, per quas ibi commeatus ad ædes ipſas & retrò pateat, eas inquam fores patefeciſſe, atque illà manipulares ſuos quaſi ex obſidione in tutum eduxiſſe. Verſu deinceps illo:

*TH. Illico intra limen aſtate illic, vt cum extemplo vocem.*

ſcribes propter verſum *illi*, quod ſignificatu eodem Plauto alibi frequens, nec hîc tantùm interpolatum. Mox:

*TH. Doctè atq; aſtutè mihi captandum eſt cum illo, vbi huc aduenerit.*

Malè Lambinus, *captandus eſt cum illo*: quaſi dicat ſenex, cum Simone adiutore ſuo captandum ſibi eſſe Tranionem. *Captandum eſt* retineri prorſus debet: neſcio ſi & *cum illo*, quod valet cum Tranione. Durum enim, cum aliquo captare. Nam abſolutè poni magis amat. Actius Philocteta apud Nonium in *Cautim*:

*Contrà eſt eundum cautim & captandum mihi.*

Ac gladiatorium planè verbum eſt, vt hinc apparet, & magis è Lucani Poematio ad Piſonem:

*Arma tuis etiam ſi forte rotare lacertis,*
*Inq; gradu clauſis libuit conſiſtere membris,*
*Et vitare ſimul, ſimul & captare petentem.*

Quin *captatio* in diſciplinâ gladiatoria etiam apud Quintilianum lib.5.c.14. *Vt gladiatorum manus, quæ ſecunda vocantur, ſiunt & tertiæ, ſi prima ad euocandum aduerſarij ictum prolata erat: & quartæ, ſi geminata captatio eſt, vt bis cauere, bis repetere oportuerit.* Quæ non temerè attuli, ſed vt per occaſionem hanc Quadrigarii loco variè lancinato id ipſum verbum reddam, apud Gellium, in deſcriptione certaminis ſingularis Galli cum T. Manlio: *Ita vt antè dixi conſtiterunt. Gallus ſua diſciplinâ ſcuto proiecto cantabundus. Manlius animo magis quàm arte confiſus, ſcutum ſcuto percuſſit, atque ſtatum Galli perturbauit.* Pro *cantabundus* inepta voce, *contabundus* alii, alii *cautabundus*, alii neſcio quid ineptius etiam. Mihi certum, *captabundus* reponendum. Ita enim ex diſciplina ſe compoſuerat, vt aduerſarium captaret, proprio, vt oſtendi, in ea re verbo. Sed in Plauto non damnes tamen *cum illo*. Sic enim eadem formâ locutionis *cauere cum aliquo* dixit vltimâ ſcenâ:

*TH. Hercle mihi tecum cauendum eſt, nimis quam es orator catus.*

Porrò ibidem eſt:

*TH. Nunc ego illē huc veniat velim.*

Veteres *illum*, Plautiniſſime: & malum illis, qui mutarunt. Non longè ſequitur:

*Dixi ego iſtuc idem illi.*

quod ridiculè Lambinus interpretatur. Ego cenſeo, verſum vnum & fortaſſis alterum hic deeſſe. Nam Tranio quædam interfatus

eſt ad

tiſ ad Simonem redarguendum, quæ eadem iam ſenex dicit ſe quoque ipſi dixiſſe. Non vana ea ſuſpicio, quam ipſa quidem res ingerit. Nam quis è verbis eum extorqueat ſenſum, in quem Lambinus torquet? Nunc verò ad alium ſcopulum deferimur, vbi metuo, ne infelicius hæreamus. Statim eſt hic locus:

*——TR. quid ait? TH. ſeruos pollicitus eſt dare*
*Suos mihi omnes quæſtioni. TR. nugas. nunquam edepol dabit.*
*TH. Dat profectò. TR. quin & illum in ius iube ire. TH. iam mane.*
*Experiar, vt opinor, certum eſt. TR. mihi huc hominem cedo.*
*TH. Quid ſi igitur ego accerſam homines? TR. factum iam eſſe oportuit.*
*Vel iube ades mancipio poſcere. TH. imo hoc primum volo,*
*Quæſtioni accipere ſeruos. TR. faciundum edepol cenſeo.*
*Ego interim hanc aram occupabo.*

Et hætemus in vno ſanè: quo abſque foret, omnia faciſſimè conſtitueremus. Sed & ita non omittemus, & quod poſſumus, emoliemur. Quicunque verborum iſtorum ſenſus, *Vel iube ades mancipio poſcere*, in quibus & alii obhæſerunt; is quidem verſus,

*TH. Quid ſi igitur ego accerſam homines? TR. factum iam eſſe oportuit:*

tranſpoſitus eſt omninò: & verba præterea quædam non ſuæ perſonæ aſſcribuntur. Sic autem omnia putamus reſtituenda:

*TH. Dat profectò. TR. quin & illum in ius iube ire. TH. itan'? mane:*
*Experiar, vt opinor: certum eſt. mihi huc hominem cedo.*
*TR. Vel iube ades mancipio poſcere. TH. imo hoc primum volo,*
*Quæſtioni accipere ſeruos. TR. faciundum edepol cenſeo.*
*TH. Quid ſi igitur ego accerſam homines? TR. factum iam eſſe oportuit.*
*Ego interim hanc aram occupabo.*

Res ita geritur, quæ per ſe tamen clara. Non credere ſimulabat Tranio, ſeruos in quæſtionem datum iri: quod cum ſenex certus aſſeueraret; etiamſi dentur, inquit ille, tamen & ipſum in ius voca. Ibi quid faciundum ſibi, ſenex deliberat: & itane cenſes? inquit: manè, vt mecum etiam cogitem. Cumque cogitaſſet aliquandiu, inclinat eò, vt iure experiri velit: mox idem planè ſtatuit, &, vti ſolet in Comœdiis, poſcit hominem ſibi dari, vt ſtatim ad iudicem cum illo. Tum ſeruus vt magis incitaret, ſubiicit de ædibus mancupio poſcendis: ſed, vt nunc verba leguntur, dubiè, vti neſcias, quem poſcere eas velit. Lambinus ad filium Theuropidis trahit: incommodè, vt opinor. De Simone magis capi queat: neque commodè tamen hoc quoq; ſatis. An autem *iubeo* legendum? vt herum Theuropiden ipſum iubeat ſeruus vel mancipio negatas ſibi ædes poſtulare. Quidquid huius eſt; vbi Tranio hæc dixiſſet, differt ſenex itionem in ius, ne ſic elaberetur ille interim, quem comprehendere per ſeruos quaſi

quæſtionarios vellet, ac prius hos accipere velle quæſtioni ait, deinde legibus experiri. Quid faciat? aſſentit Tranio: cumq; vocaturus illos ſenex eſſet, id quoque permittit, ſed de loco ſibi cauet, non imprudens inſidiarum, quæ velut inſcio ſtruerentur. His quæ continua ſunt:

*——TH. quid ita? TR. nullam rem ſapis.*

in iis melius ſcribas, *nullam ad rem.* vt Perſâ, *Sapis multum ad genium.* quamquam *nullam rem* ſimpliciter interpretari potes, *nihil.* Inferius, admodum eſt controuerſa lectio in hoc verſu:

*Nunquam edepol hodie inultus deſtinauerit tibi.*

Nota enim Lambini aliorumque commenta. Rudem ego ſententiam dicam, ſed quæ fortè præualeat iſtis nimium argutis. Nam quid ſi ſcribatur?

*Nunquam edepol hæc hodie inultus deſignaueris mihi.*

Nuper ad Curtium oſtendimus errorem perpetuum in verbis *deſtinare & deſignare*: quem quis neget hic committi quoque potuiſſe? Mens quidem ſenis ita commodiſſimè exprimatur. E proximo iſto:

*TR. Ne faxis ſis. nam elixus eſſe quàm aſſus ſoleo ſuauior.*

deleto *ſis*, quod in antiquis eſt nullum, & verſus iubet non eſſe. Venimus ad vltimam ſcenam, quam leuiter hoc etiam capite percurremus. Primo eius verſu:

*Vbi ſomnum ſepeliui omnem atq; edormiui crapulam.*

dubites, an non *ſomno* verius. Nam mollius certè, crapulam ſomno, quàm ſomnum ipſum ſepelire. Niſi verba fortaſſis ipſa, commutatis eorum ſedibus, aliter iungenda:

*Vbi ſomnum edormiui omnem, atq; ſepeliui crapulam.*

Sed neutrum horum ego affirmarim. Poſt pluſcula ſanum illud quoque ſit?

*Fateor peccauiſſe, amicam liberaſſe, abſente te*
*Fœnori argentum ſumſiſſe.*

tamen inclino, vt *potauiſſe* putem reſcribendum pro *peccauiſſe.* Nam ordine omnia facinora commemorat, & peccata ſanè non vult videri. quamquam infra nihil etiam de potatione, ſed hercle de delicto Callidamates idem:

*——nos deliquimus:*
*Fœnus, ſortem, ſumtumq; omnem, quanti amica eſt, omnia*
*Nos dabimus.*

Illo verſu:

*CA. Tace parumper, ſine me viciſſim loqui, auſculta. TH. licet.*

tranſpone verba, *ſine viciſſim me loqui.* Vides numeros flagitare. Subinde locus iſte non habet optimè:

*Si hoc pudet, feciſſe ſumtum, ſupplicij habeo ſatis.*
*TR. Diſpudet dari iſtam veniam. quid me fiet nunc iam?*
*TH. Verberibus cædere lutum pendens, tametſi me pudet,*

Inter-

*Interimam hercle ego, ſi viuo. CA. fac iſtam cunctam gratiam.*
Camerarius ita ſuppleuit, *Diſpudet dari*: quem Lambinus & alii poſt ſecuti. At *Diſpudet* Tranionis profectò verbum non eſt, ſed Callidamatis: qui, cum ſenex ſatis eſſe ſibi diceret, ſi filium puderet, imò diſpudere eum, amplius aſſeuerat. Nec rationis eſt quidquam, cur vel pudeat veniæ iſtius ſeruum. Sed & reliqua ſic vitioſè cuduntur, quæ melius aliquantò in Lambinianis. Omnia ſic velim concinnari;

*Si hoc pudet, feciſſe ſumtum. ſupplicij iam habeo ſatis.*
*CA. Diſpudet, TR. dat* (vel, *dedit*) *iſtam veniam. quid me fiet nunc iam?*
*TH. Verberibus cadêre lutum pendens. TR. tamen, ſi me pudet?*
*TH. Interimam hercle ego, ſi viuo.*

Quia Philolachi veniam pudor conciliauerat, ipſe quoq; ſeruus indidem eundem ſibi ſperat: & cum verbera minaretur ſenex; tamenne, inquit, verberabor, ſi & me pudet? Simul irridet facilitatem ſenis, & inanes minas. Statim:

*Tranioni remitte quæſo hanc noxiam cauſſa mea.*

Aut in triſyllabum *Tranioni* contrahetur, aut *Tranio* reſcribetur, illo ſæpe in ſimilibus vſurpato flexu, quaſi *Tranius* eſſet nominandi caſus. Exempla vbique promta. Adhuc verſus ille peccat:

——*TH. tu quieſce hanc rem modò*
*Petere: ego illum verberibus, vt ſit quietus, ſubegero.*

ſed in ſola dimenſione, quæ verba traduci ſuadet in hunc modum:

*Petere: ego illum, vt ſit quietus, verberibus ſubegero.*

Adhuc etiam ille peccat idem ferè;

*Ibi vtrumq;, & hoc & illud poteris vlciſci probè.*

ſed vocula ei excidit, quam ex veteribus repones:

*Ibi tum vtrumq; & hoc &c.*

Et tandem a moſtellis parta nobis quies.

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI MENÆCHMOS

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD

Nobiliſſimum Virum

**ABRAHAMVM ORTELIVM**

Geographum Regium.

NON *miraberis aut quæres*, ORTELI CL. *quis vnde cur ad te quibus cum nugis veniam. Neque enim ſic aut nomen tibi iam ignotum meum; aut hoc literarum genus, quod affero, incognitum; aut cauſſa, cur affero, eſt obſcura, vt eiuſmodi me verſu ſis excepturus:*

Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; τί φέρεις; τί δὲ σοι ξένε ζητεῖς;

*Me quidem iam non hoſpitem planè in notitia tua lubenter agnoſces, in quam inductum ab optimo clariſſimoq;* MONAVIO *tuo, vel potius noſtro ( dat enim hoc mihi viri humanitas, vt etiam meus audiri non recuſet ) memineris ante pluſculum temporis: cum tu non ſpreuiſti quaſi Myſtagogum eiuſmodi, neque me difficulter admiſiſti tanto non notore ſolùm, ſed conciliatore nixum: quin vltrò complexus es ſtatim, habuiſtique comiter exinde crebris ad eundem mei ſalutationibus, quæ quidem humaniſſimæ indices mihi teſteſq; ſunt non beneuoli tantùm erga me animi, verùm amici, ac prorſus eximiæ cuiuſdã voluntatis, de qua non vereor & eximia mihi multa polliceri. Venio igitur ad te nũc,*

*ab ignoto tam procul remotus, quàm propè admotus ad amicum: cuius tu nomen neque mihi negabis, & ſi das, ita geram, vt omnibus modis tuear, nec indignus eo puter. ac veniendi cauſſa eſt non alia, niſi quam tu ipſe facilè cogitas, vt propius innoteſcam tibi, meque arctius ipſe conciliem per epiſtolam, cuius mittendæ fuit idem mihi Monauius noſter auctor, & hoc audenti maiorem fecit animum tua prauiis in me teſtata multis indiciis beneuolentia, quæ ſpem fiduciamque porrò dat amicitia tam vltrò inclinantis & pronæ, ſollicitatæ iam meis inſuper literis, vno iſto quaſi ictu facillimè in nos collapſuræ; iamque ei pectus hoc paro & aperio, locum, vbi molliter excipiatur, exceptà iucundiſſimè requieſcat, requieſcens officioſiſſimè foueatur. At ne ſolis cum iſtis literis venire viderer inanior ac nudus, vtque momenti haberent eæ plus ad te percellendum; adiunxi mihi & ipſis comites quaſique ſatellites Plautinas quaſdam commentationes: quæ ſua te mole magis vrgebunt, & ſi recuſes, extorquebunt id, quod à volente te tamen males impetrari; meque velut honeſtiorem facient honore ſuæ ſtipationis, vt dignior appaream illo amicitiæ tuæ, quam ambio ſolenniter, honore. Id verò commentationum genus eo depromtum vides ex genere literarum ſtudiorumque, quod, vt dicebam, non incognitum etiam eſt tibi, quamquam alienius videtur à ſublimiore tua profeſſione. Tu quidem maiora illa tractas, & orbem hunc terrarum animo tuo verſas vniuerſum, quem nobis exactiſſimè dimenſus es totum iam olim, & partes eius ſingulas, quas remotiſſimas & in obſcuro penitus iacentes admirabili vi ingenij, induſtria incredibili, ſtupenda felicitate perſecutus inueniſti, in claram lucem protraxiſti, radioque tuo ſolaribus æmulo radiis deſcriptas accuratiſſimè ſubieciſti omnium oculis in illuſtri ampliſſimoque Theatro tuo, & Herculis longè ſuperaſti fabuloſam gloriam verus Orbis Domitor, & domitor, quà patet, vniuerſi; cuius ille particulas neſcio quas perpaucas à poetis prædabundus obiiſſe & à monſtris repurgatas ſuperaſſe fertur: in his tamē tantis rebus*

*occupa-*

*occupatus, nunquam liberaliorem animi cultum neglexiſti, & auſteras inter iſtas ac ſpinoſas curas humaniorum diſciplinarum ſemper admiſiſti oblectationem, quarum tibi melle meracum illud etiam nunc temperas, & præ iſtis grauioribus has tenuiores minimè contemnis. Vnde mihi certa ſpes, nec has te meas leuiculas ad Plautum Diuinationes ſpreturum, quæ remiſſioni interdum tuæ poſſint inſeruire: nec indignas autem habiturum, quæ vel offerantur tibi priuatim, vel & publicè nomini tuo inſcribantur. Ego quidē id vtrumq; feci: alterum cauſſis, quas ſatis expoſui prius; alterum, vt non ſolum inter nos conficeret hic libellus arctiorem nexum, ſed & publicus eſſet animi aduerſùm te mei teſtis, & cultus à doctorum omni cœtu præclariſſimis tuis meritis debiti, à me ſoluti ſic in parte, & in totum agniti, monumentum, illud quidem non æternum, ſed nec ſtatim periturum, nec vno hæſurum in loco: quod nempe tui vis nominis vt appendicem ſibi conſecratam rapiet ſecum per omnes oras, ſuaq; per veſtigia vbiq; ducet, & ſi ſperare fas eſt, ſibi faciet coæuum, quod ipſum huic orbi coæuum erit, nec niſi cum illo obnoxio ſuo interibit. quod ſi meo non modò non ſperare, ſed nec optare licuit, vti profectò neutrum ego ſumo aut licere puto mihi; at tuo, Cl. Orteli, & augurari licuit, & libuit gratulari.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI MENÆCHMOS

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Epidamnus an & Epidamnium. De ianua compeditorum admonitiuncula. Cari paraſitici. Menæchmorum prologus & principium nouiter, itemq; cum aliis, & contra alios corrigitur aliquoties atq; explicatur.*

VIx a moſtellis aliqua nobis quies, & ecce rurſus ab inſanientibus Menæchmis ſollicitamur. Aggredi amur hos quoque

& in tempore, priuſquam inſania percipit, adhibeamus aliquid medicinæ. quod melius certè faciemus & opportunius, quàm ille Medicus ibidem. Nec perfacile tamen id eſt nobis, vt hic de ſe iactitabat, neque planè

*Sanos futuros, meo ego id promittam fide.*

Sed quod eſt in nobis, ſedulò fiet, & magna cum cura, ſine ſuſpiratione quamuis vlla, curabuntur. Age, ſublimes deferantur in noſtram medicinam, etſi quidem non inuiti, lubentes imò potius & volentes: quippe qui morbum ſuum agnoſcant iam, non negent, nec diſſimulent hodie, quod olim ſimularunt: poſtquam verè in eos expetiit inſania temerè quondam affectata. Iamq; deliramenta quæ loquuntur, ab initio, & ordine ad finem auſcultemus. Periochâ fabulæ:

*Hic fuerat auctus ille ſurreptitius.*

Negat hoc ſanum varietas in voce ***auctus***, quæ quanquam non malè, coactè ſanè tamen explicatur, ***adoleuerat:*** & ſi iſtum ſenſum volumus, cur non veterem ſcripturam malumus, ***altus*** vel ***alitus?*** At ego non hanc intrudo: iſtam vulgatam emendem libentius, & ſcribam:

*Huc fuerat ductus ille ſurreptitius.*

Ea mens prorſus eſt, raptum illuc abductum: niſi tamen ***auectus*** etiam coniicias indidem: quod non excludunt quidem numeri, licet difficilius admittant. ***Auctus*** qui retinebit contra nos, videat ne cum Lambino præter ætatis incrementum etiam de iure ciuitatis interpretetur. Si illuc trahi tam laxa vox poteſt, quidni debeat aliò vlterius, vt & hæreditate, & vxore, & liberis etiam fortaſſis, & aliis rebus multis auctus intelligatur? Valeat ineptum adeò commentum, & vapulet eius auctor. In Prologo qui verſus ſic ſcribitur:

*Ei nati ſunt filij duo gemini:*

verbo tranſpoſito rectius ſcribatur, ***filij gemini duo:*** quod vt vt tenue, magis tamen eſt ad numeros Plautinos: à quibus nimium quantum aberrat inferior iſte:

*Puer inter homines aberrauit à patre.*

Trochæum enim in Iambico quî feremus? Is equidem nunc tamen tertia regione. Mutes facilè, diſpoſitis aliter aliterque verbis: quorum hic præ omnibus ordo, qui poteſt multiplex iniri, mihi placet:

*Puer aberrauit inter homines à patre.*

pes primus vt tribrachys conſtituatur. Statim quo exemplo Plautus dixerit *Epidamnium*, quæ vrbs *Epidamnus* vbique, nec alio vſquam flexu nominata?

*Is puerum tollit auehitque Epidamnium.*

Sed ita non niſi per eos ſcriptum videtur, qui verſum refinxerunt. Huius enim cauſſâ, cum extrema illa vox eſſet, *i* literam

effi-

afficiendo iambo immiſerunt. Atque id nuper adeo: cum veteres *Epidamnum* habeant, qui iidem *in* addunt, haud temerè, & vnde ſpero verſum aliter inque priſtinum habitum reconcinnaſſere. Sic faciam:

*Is puerum tollit, in Epidamnumque auehit.*

Traiectio non inſolens: minus adiectio *in* particulæ, quæ bis hoc ipſo prologo deinceps iterata:

*Nunc in Epidamnum pedibus redeundum eſt mihi.*

Item: *Hodie in Epidamnum venit cum ſeruo ſuo.*

Mirum verò in illo verſu:

*Eumque hæredem fecit, qua ipſe obijt die.*

Mirum inquam factum, ſi eadem demum die, qua caſu obiit raptor, raptus eſt hæres inſtitutus. Hoc enim verba ſanè volunt: quod qui fieri potuit? aut ſi potuit, quid ita fingere Plauto fuit neceſſe? Valdè vereor ne ſit corrigendum, *quòm ipſe obijt diem*; alio, nec tam adſtricto ad ipſum fatalem diem ſenſu. Atque ita Pœnuli Prologo noſter: vbi hic idem omnibus verbis, literis, & apicibus verſus:

——*eumq; adoptat ſibi pro filio,*
*Eumq; hæredem fecit, cum ipſe obijt diem.*

Primâ ſcenâ in Paraſiti circumſpecta de cuſtodia fugitiuorũ cautione prudentique conſilio, variè de verbi *ianuam* ſanitate aut ſanatione fuit agitatum:

*Tum compediti ianuam lima proterunt,*
*Aut lapide excutiunt clauum.*

Nihil ego coniecturis aliorum derogabo, nihil addam: niſi moneam ſanè eos, qui porrò correctionem moliantur (nam adhuc quidem nemo verum tetigit, vt ego iudico:) non obſtinatè laborent in peculiari aliqua voce exſculpenda, cui neceſſariò adiuncta verba *lima proterunt* iungantur: quaſi prorſus aliò referri hæc non queant. Poſſunt enim, ac fortaſſe debent ad ſequentem *clauum*. Nam hunc vel excutere lapide, vel lima protercre compediti dicentur. Id ſi obſeruetur, faciliorem emendandi viam fore credo. Atque ipſe cogitaui aliquid in hunc modum: ſed non probo, locumque felicioribus ingeniis relinquo, quibus vſui ſine dubio erit hæc admonitiuncula noſtra, ſi non alii, certè quidem illi, vt ne temerè in quærendo, quod fortè non eſt, ſe defatigent. Ad eiuſdem ſcenæ finem, in explicatione eius verſus accedo planè Palmerio:

*Id quoque iam, cari qui inſtruuntur deſerit.*

ſed abeo leuiter in ſcriptura. Nam *quoniam* volo ex *quoque iam*, nectoque hanc ſententiam verbis verſus proximi, ne ſic abſoluta malè pendeat:

*Id quoniam, cari qui inſtruuntur, deſerit,*
*Nunc ad eum inuiſo.*

Aiebat paraſitus, interuallum dierum plurium interceſſiſſe, cum Menæchmi cœnas nõ frequentarit, ac domi interim de ſuo benè, an malè victitarit: iam autem poſtquam (id enim valet *quoniam*, vt alibi ſuperius oſtenſum) ſumtus & præſidium vitæ familiaris defecerit, ad illum reuiſere ſe velle, vt in antiquam Saturitatis almæ ſodalitatem recipiatur.

## CAPVT II.

*Egere aliquid. Scortum ducere: ad cœnam condicere. Ob induſtriam. Mille paſſuum mora. Expeditè fabulari. Variè multa emendantur, & quædam inſigniora. Refutantur aliorum ſuperuacua correctiones, ineptæ explicationes: noſtra firmantur.*

PArcè, nec ſemper, vbi opus erat, aliorum refuto emendationes: interim non abſtineo tamen, ſi quæ occurrant vaniores & inſignitè falſæ, maximè quæ ſine cauſſa vulgatam lectionem mutant, quin vno verbo aſſeram hanc & defendam. Sicut hîc Sc. *Ni mala:*

*Lanam, aurum, veſtem, purpuram benè prabeo, nec quidquam eges.*

fruſtrà corrigitur *quiquam*. Antiquè enim *egere* cum accuſandi etiam caſu: nec exemplum Catonis ignotum illis eſſe potuit apud Gellium lib. 13. cap. 22. quod ita ſcribendum, vt ſubiiciam: *Si quid eſt, quod vtar; vtor: ſi non eſt; egeo. Suum cuiq; per me vti atque frui licet. Vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illos, quia nequeunt egere.* Mox eadem ſcenâ illud emendationis eget, quam nemo tamen attentauit:

*Atq; adeo, ne me nequidquam ſerues, ob eam induſtriam*
*Hodie ducam ſcortum ad cœnam, atq; aliquò condicam foras.*

Malè verba *ad cœnam* prioribus nectuntur, poſterioribus nectenda. Scortũ enim ducere, ſingularis eſt phraſis, omnibus ferè Plauti comœdiis vſurpata; & ad cœnam condicere, pariter ſingularis, nec minus frequens. Traiice igitur verba:

*Hodie ducam ſcortum, atq; aliquò ad cœnam condicam foras.*

Quod ibidem eſt *ob eam induſtriam*, Plautina item eſt locutio, aliis non ita familiaris. Infra hac fabulâ:

*Ob iſtanc induſtriam etiam faxo amabit amplius.*

Diuerſi paullùm ſenſus ab hac illa *ob induſtriam* ſimpliciter, ſaltem pro de induſtria: cuius vnum hîc exemplum ſatis. Caſinâ:

*——illa autem quaſi ob induſtriam*
*Mihi aduorſatur.*

Sed hæc adhuc leuia errata, & quaſi primæ mentis aberrationes: plenum delirium in iſtis eſt:

*ME. Perge. PE. non pergo hercle ego, niſi ſcio qua gratia*
*Litigium eſt tibi cum vxore. ME. hoc mihi abs te caueo cautius.*
*Clam vxorem vbi ſepulcrum habeamus, & hunc comburamus diem.*

Et delirat æquè Lambinus interpretatione. Quid paraſiti intereſt,

eſt, cauſſam litigii ſcire quod Menæchmo cum vxore? Tum quomodo cauet hic ab illo ſibi, cui manifeſtò ſe prodit? Denique vltimus verſus vnde pendet? niſi ſic a paraſito cauetur, ſi vxor celatur. Nugæ. Longè latet aliud, quod ſagaciter è parte ſententiæ ſum odoratus, ac veſtigiis eius tenaciter hærens in totam abditiorem denique penetraui. Peccant interpuncta ſimul & perſonæ. Primùm ſic emenda:

*ME. Perge. PE. non pergo hercle ego, niſi ſcio qua gratia.*
*Litigium eſt tibi cum vxore: hoc mihi abs te caueo cautius.*
*ME. Clam vxorem vti ſepulcrum habeamus, & hunc comburamus diem.*

Iam ita cape. Iubet Menæchmus ſupparaſitari ſibi paraſitum: at ille renuit blandiri gratis, niſi ſciat qua mercede: atque ob eam cauſſam, inquit, diligentius abs te mihi caueo & præſcire certò præmium cupio, quia litigium tibi audiui cum vxore eſſe, vt haud facilè me domum ſis ad cœnam vocaturus. Reſpondet Menæchmus, Eo pretio, quidquid dices, dices, vt hunc diem luculentum nobis & hilarem, ipſa vxore clam, ſumamus. Quid elegantius & verius fuerit hac reſtitutione? Similem in errore ſimili ad ſcenæ finem dabo. Ibi vulgatur:

*ME. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium:*
*Mihi, tibi, atq; illi iubebo iam apparari prandium,*
*Inde vſque ad diurnam ſtellam craſtinam potabimus.*
*PE. Expeditè fabulatus, iam fores ferio? ME. feri.*
*Vel mane etiam mille paſſûm commoratus cantharum.*
*Placidè pulta. PE. metuis, credo, ne fores Samiæ ſient.*

In quibus æquè turpiter errat Interpres: neque potuit non errare in tam vitioſa lectione. Sed vitioſam ille neſciit, aut quiſquam poſt eum ſuſpicatus eſt. Tu ſcies, perſonas hîc quoque malè diſpoſitas, itemq; malè interpunctiones: & ad hoc exemplum mihi credes emendandum:

*PE. Expeditè fabulatu's, iam fores ferio? ME. feri:*
*Vel mane etiam. PE. mille paſſûm commoratu's cantharum.*
*ME. Placidè pulta. PE. metuis credo, ne fores Samiæ ſient.*

Liquida iam horum per ſe ſatis ſententia non poſtulat amplius declarari. Tamen hoc dico, quod non omnes videbunt; quid innuant iſta, *mille paſſuum commoratus es cantharum*: à quorum obſcuritate priſtina fluxit omnis deprauatio. Indicant ea paraſiti feſtinationem, & impatientiam moræ: qui cantharo & potationi deſtinatæ imminens, ægrè fert cohiberi ſe, quin ſtatim fores pulſet. Ait autem, *mille paſſuum commoratus es*, ſolitâ Plauto phraſi, qui ſic Truculento quoq;:

*AS. Quid iam me reuocabas improbe nihilique homo?*
*Quæ tibi mille paſſuum peperit mora mora.*

Præter id, notabis, opponi Expeditè fabulari, & Mille paſſuum

commorari, per tacitum iocum, quo ludit in metaphora ab itineribus ducta. Nam itinerum verbum propriè eſt *expedite*, à quo cum cœpiſſet, pergit in eadem figura, & de mora tot paſſuum ſubiungit. Ipſce ſcenæ finis an liber erroris?

*ME. Mane mane obſecro, hercle ab ſe ecca exit. PE. ô! ſolem vides,*
*Satin' vt occæcatus eſt præ huius corporis candoribus.*

Mihi non videtur: & legam ſanè diſtinguamque priore verſu ita primùm:

*Mane, mane obſecro hercle: eapſe ecca exit.*

deinde perſonam etiam paraſiti ſuſtulerim, & reliqua continuem omnia ſub Menæchmi, cui cenſeo magis conuenire, ſed cum leuicula etiam mutatione:

*ME. Mane, mane obſecro hercle: eapſe ecca exit. oh, ſolem vide:*
*Satin' vt occæcatuſt præ huius corporis candoribus!*

Hoc tamen docti prius arbitrabuntur: quorum iudicia non aliena à noſtro ſpero. Tenue quid in hac ſcena præterii, quod tamen hîc nunc dicatur:

*ME. Olfacta igitur hinc, Penicule lepide, vt faſtidis? PE. decet.*

Non placet reſponſio paraſiti, *decet*, languida: & quî eum faſtidire decet? Forte *licet* fuit, aſſentiendi formula ſolennis, quia nunc denique olfacturus eſt: aut *cedò*.

## CAPVT III.

*Iuſſo, iuſſim. Obſonatoris officiũ ac diſciplina. In verbis pauca, multa in perſonis & ſenſu nouantur. Omnia explicantur, illuſtrantur. Viri docti ſententia contra Lambinum reprehenſa; Lambini defenſa, cum noua ibidem additione: huiuſdem alibi vltrò damnata.*

PRincipium ſcenæ ſequentis in libris noſtris ſic conceptum legimus:

*ER. Anime mi, Menæchme, ſalue. PE. quid ego? ER. extra numerum es mihi.*
*PE. Idem iſtuc aliis adſcriptiuis ad legionem fieri ſolet.*
*ME. Ego iſtic mihi hodie apparari iuſſi apud te prœlium,*
*Hodie vt fieret, in eo vterque prœlio potabimus.*

Hæreo ego primùm de ſecundo verſu, an nõ Erotio tribui debeat, quo argutiſſima meretrix cœptam ſemel allegoriam ipſa perſequatur. Id verò non ſuſpicarer, niſi ſequẽtia Menæchmi verba inducerent eò. Is enim ex illo Erotii reſponſo ducere videtur occaſionem porrò allegoriæ eiuſdem continuandæ: quod tamen non videtur apertè ſatis, niſi verba prius emendentur, vel cenſeo ego prorſus emendanda:

*ME. Ergo iſti ac mihi hodie apparari iuſſi apud te prœlium.*

Lego, vt vides, *iſti ac mihi*: verè. Senſit ita planè Menæchmus, & de ſe ac paraſito etiam proximo verſu *vterque* capit, vti Lambinus olim interpretabatur, immeritò hîc à V. N. Douſa exploſus, qui

de Me-

de Menæchmo & Erotio contendit accipiendum, eo argumento, quia Peniculus extra numerum eſſe dictus ſit paullò antè. Ratio non ratio: quam cum alia, tum illud maximè refutat, quod ſequitur de adiudicatione, cum vtro noctem meretrix ſit futura. Neceſſariò ibi capies cum vtro iſtorum, Menæchmone ipſo, an paraſito. Nam quid abſurdius, quàm vt Erotium iudicare debeat, cum Menæchmo ſuo, an ſecum ipſa velit eſſe? Et quid erit, ipſam ſecum eſſe? Tum quæ paraſiti partes erunt, ſi cum amica ſolus Menæchmus eſt potaturus? Enimuerò illi promiſſa erat potatio iam anteriore ſcenâ:

*ME. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium.*
*Mihi, tibi, atque illi iubebo iam apparari prandium,*
*Inde vſq; ad diurnam ſtellam craſtinam potabimus.*

Et infrà certè non excluditur:

*ME. Iube igitur nobis tribus apud te prandium accurarier.*

Nec excludi profectò debet: & quia caſu poſteà excluſus fuit, inde nimirum omnes Menæchmo huic cum vxore & meretrice turbæ. Sed quid hæc talia colligo ad probandum, quod eſt per ſe diligentius intuenti manifeſtum? Ibidem *iuſſo* ſcripſi, ſiue tu males *iuſſim*: quorum vtrumuis alibi ſuprà repoſuimus. Nondum iuſſerat hic, ſed erat iuſſurus: vt conſtat ex hiſdem locis, quos iam iam notaui ex hac & priore ſcena. Altero iuſſurum ſe dicit, altero demum iubet. Atque ita Menæchmus ad Erotium ait: quia commodùm de re militari & aſſcriptiuis argutata es, vt ſermonem meum tuo attemperem, ac perſiſtam in comparatione, iuſſero mihi & aſſcriptitio huic alteri militi, quem extra numerum tu habes, tanquam integræ legioni prœlium parari: in quo hodie mox committendo, potando pugnemus, ac vter bellator melior inueniatur cantharo decertemus: teque adeò, cuius hæc eſt legio, victoriæ ſtatuo arbitram, quæ cum alterutro, cui adiudicabis, ex arbitrio tuo noctem iſtam agas. Quam paraphraſin adhibui, vt ſententia vniuerſa magis omnibus liqueſceret: ac facilius quiuis aſſentiretur mihi ſic iam initium totum reſcribendum:

*ER. Anime mi, Menachme, ſalue. PE. quid ego? ER. extra numerum es mihi,*
*Item vt aliјs* (vel, *illis*) *aſſcriptiuis ad legionem fieri ſolet.*
*ME. Ergo iſti ac mihi hodie apparari iuſſo apud te prœlium,*
*Hodie vt fiat: in eo vterque prœlio potabimus.*
*Vter ibi melior bellator erit inuentus cantharo,*
*Tua legio eſt, adiudicato cum utro iſtanc noctem ſies.*

Porrò in vna Douſica editione vitium eſt, quod ne latius ſerpat ac propagetur in alios libros, maturè euellendum & exſtirpandum:

*PE. Meretrix tantiſper perblanditur, dum illud quod rapiat videt.*
Verſus ſenſuſque *blanditur* expoſcunt, abiecto *per*, quod adhæſit à fine particulæ præcedētis. At in omnibus eſt grauius aliud in proximo, de quo nemini in mentem vnquam venit. Aperiemus nos, & oſtenſum eiiciemus.

*ME. Suſtine hoc, Penicule, exuuias facere, quas voui, volo.*
*PE. Cedò. ME. ſed obſecro hercle ſalta ſic cum palla poſteà.*
*PE. Ego ſaltabo? ME. ſanus hercle non es. PE. egone an tu magis?*
*ME. Si non ſaltas, exue igitur.*

Grauiſſimè perſonæ errant: nec bonum vllum ſenſum erueris è verbis, ita diſtributis. An Menæchmus exuit pallam, & Paraſito dat induendam, vt in ea ſaltet? Ita volunt: ſed falsò. Nec exuit ille, nec dat paraſito. Quid hic ergo poſcit, cum ait *cedò?* & quid huic ille ſuſtinendum tradit? Ego dicam. Exuuias facturus Menæchmus, id eſt pallam Erotio deſtinatam exuturus, pallium dat intereà peniculo ſuſtinendum: pallium, inquam, quod pallæ ſuperinduxerat occultandæ, & in quo alias prodibat in ſcenam, vt ſolet in Comœdiis palliatis. Id cum Peniculus reciperet, ſimul orat Menæchmum, vt exuto hoc, nudatâ illâ ſaltet iam in ſcenâ aliquantulum antè, quàm & ipſam deponat. Vbi hoc negat alter, adhuc quippe ſobrius, exuere ſtatim iubetur, & exuit, exutâque Erotium ſuum ex voto donat. Ita igitur, verbis nihil immutatis, perſonas ſaltem reconcinnabis:

*PE. Cedò. ſed obſecro hercle, ſalta ſic cum palla poſteà.*
*ME. Ego ſaltabo? ſanus hercle non es. PE. egone an tu magis?*
*Si non ſaltas, exue igitur. ME. nimio ego hanc periculo*
*Surripui hodie. Meo quidem animô &c.*

Quòd diſputant, vter minus ſanus, ſic accipiendum. Inſanum Menæchmus paraſitum arguebat, qui ſaltare ſe ſobrium & ſic palàm iuberet: at hic illum contrà, qui ſaltare nollet, & pallam tamen indutus eſſet, quæ non ſumebatur niſi in hunc ipſum præcipuè vſum. Et hoc ſanè alii docuerunt: mentem tamen intimam Plauti non viderunt. Paullò pòſt:

*ME. Scin' quid volo ego te accurare? ER. ſcio. curabo quæ voles.*

Non ſcit Erotium, nec credam ſimulanter affirmare: potius diſtinctione mutatâ aliter interpretandum, *ER. ſcio, curabo quæ voles.* Omiſſa particula *ſi* fuerit, vti crebrò venuſtèque ſolet, atque exſtiterit hic ſenſus: ſi ſciam, aut ſciero, curabo. Addam huc, quod in ſequente ſcena pariter corruptum. Vltimi verſus ſunt:

*ER. Elocuta ſum, conuiuas ceterùm cura. CY. licet.*
*Cocta ſunt, iube ire accubitum. ER. redi citò. CY. iam ego hic ero.*

Eorum priore Lambinus putidè exponit hæc, *conuiuas ceterùm cura:* quæ ſumi ſimul haud debent, ſed diſtinctione tali ſeparari: *ER. Elocuta ſum conuiuas: ceterum cura.* Atque ita libri veteres diſertim,

ſertim, qui & *tu* in fine adiiciunt, nõ ſanè penitus reſpuente verſu, ſenſu autem pænè flagitante. Quærit de conuiuis Cylindrus, quot & qui ſint futuri: his enumeratis, Erotium, dixi, inquit, illos: cetera iam tuum eſt curare, & vt cures vide. Reſpondet ille, curaturũ: imò cœnam iam paratam, nec per ſe moram eſſe, quin vel accubitum ſtatim eatur. Id adeò ex diſciplina Obſonatoris, quem pulchrè Martialis in hunc modum deſcribit nobis in Apophoretis, ſub eo ipſo lemmate *Obſonator.*

*Dic quotus, & quanti cupias cænare, nec vnum*
*Addideris verbum: cœna parata tibi eſt.*

Qui locus mirè cùm hoc Plautino conſentit: & eſt non diſſimilis alius Pſeudolo noſtri:

*Hem illic ego habito. intrò huc abi, & cœnam coque*
*Properè. CO. quin is accubitum? i, conuiuas cedò:*
*Corrumpitur iam cœna.*

## CAPVT IV.

*Certum facere. De verbis alicuius metuere, cauere ſibi. Au tergo! Scio, vt me dices. Cenſura noua in loca tacta aliis & intacta: contra illos emendata quædam & explicata. Plauto verſus olim fugitiuus nũc recens reſtitutus. Eadẽ totidemq; verba Plauti & Varronis in inuitatione ad diſcumbendum oſtenſa, forſan ei rei ſolennia.*

Lepida diſputatio eſt initio proximæ ſcenæ, de nautarum voluptate, vbi terram conſpiciant ex altò:

*ME. Nulla eſt voluptas nauitis, Meſſenio,*
*Maior, meo animo, quàm quando ex alto procul*
*Terram conſpiciunt. MES. maior, non dicam dolo,*
*Quàm ſi aduenions terram videas, quæ fuerit tua.*

In qua friget tamen altera pars Meſſenionis, qui aduerſus herum, maiorem contendit neſcio quam, non illam certè, quam Lambinus interpretatur. Quid enim hic locus ad decoctores, quos perſtringi putat ac notari? Dico, quod apud me ſentio: ſuperflua particula *Quàm* eſt, quę à ſtolidiſſimo homine adiecta pulcherrimam ſententiam euertit. Abiice tu, & lege:

*——ME. maior, non dicam dolo,*
*Si aduenions terram videas, quæ fuerit tua.*

Maximã voluptatem cẽſet Menæchmus, ſi terra ſaltem videatur: at maiorem hãc ſeruus, ſi terra patria videatur. Et verè hoc ex ipſa re, & magis è ſerui perſona, qui itinerum & diutinæ circumuectionis pertæſus, deſiderat vnicè patriam, & redire domum perpetuò ſuadet, vrgetq; herum magnã inſtantiã, vt deinceps eſt videre. Argutiola in verbo *fuerit* inanis eſt: nec in ea vllum ſententiæ huius impedimentum. Nec abnuam tamen, ſi quis emendare malit *fuat*: vt omnis ambiguitas tollatur. Deinde Plautinam tenuem phraſiñ non ſperne obſeruare;

*Ergo iſtuc quæro certum qui faciat mihi.*

qua vſus infrà iterum hac fabula, Scen. *Vt ætas:*

*Nec quid ſit, certius mihi facit.*

Et Pſeudolo: ——*nimis velim, certum qui*

*Mihi faciat, Ballio leno vbi hic habitat.*

Mox illo verſu:

*Verùm aliter viuus nunquam deſiſtam exſequi.*

emendant *vivum:* quod etſi confirmare ſimilis locus poſſit Rudente, Sc. *Quid mihi mel.*

*Neq; ſi viuit, eam viuam vnquam quin inueniam deſiſtam.*

tamen & *viuus* retineri poteſt, bono etiam ſenſu, vt dum ipſe victurus ſit, fratrem viuum an mortuum quærere ſit exſecuturus. Atq; hoc caſu Amphitruone dixit:

*MER. Tu me viuus hodie nunquam facies quin ſim Soſia.*

quamquam & ibi quidam mutat *viuo*, temerè & nec verſu nec ſententiâ conſultâ. Sed præter exemplum, ratio eſt etiam hîc illius vulgati retinendi. Non enim viuum tantùm exſequi ſtatuit, ſed & mortuum, vſq; dum mortuũ ſaltem certò ſciat, atq; in id vel omne vitæ ipſius ſuæ tempus impenſurus. Addo, niſi retineatur, inutilem vocem eſſe *aliter:* quod tenuius explicare nimis hercle tenue ſit ac ieiunum. Ad finem ſcenę magnâ negligētiâ verba quædam ac verſus integer in hodiernis libris eſt omiſſus:

*ME. Ego iſtuc cauebo: cedo dum mihi huc marſupium.*

*MES. Quid eo vis? ME. ne mihi damnum in Epidamno duis.*

Omiſſum enim negligentiâ puto, non eiectum de induſtria: qui ſententiæ abſoluendæ ſit neceſſarius, & planè Plautinus, & in pleriſq; veteribus exſtet. Reduco, & repono:

*ME. Ego iſtuc cauebo. cedo dum mihi huc marſupium.*

*MES. Quid eo vis? ME. iam abs te metuo de verbis tuis.*

*MES. Quid metuis? ME. ne mihi damnum in Epidamno duis.*

Occaſionem negligentiæ dedit affinitas verborum initialium in vtroq; poſteriore verſu, *Quid eo vis*, & *Quid metuis:* itemq; finaliũ, *tuis* & *duis.* Metuebat autem herus, quia ſermus ἔτυμον Epidamni deduxerat à damno. Id valet *de verbis tuis:* quæ Plautiniſſima locutio, & inferius hac Comœdiâ iterata:

*Nunc homo inſanire occœptat: de illis verbis caue tibi.*

Magnum flagitium commiſiſſem, ni ſuum tam elegantem verſum auctori vindicaſſem: quem miror in tot libris expoſitum, à nullo agnitum aut ſublatũ. Scenâ ſequenti, *Bene obſonaui*, ridiculæ ſententiæ, quin hercle nullius iſte verſus:

*Sed eccum Menæchmum videon' à tergo meo?*

Quomodo enim à tergo ſuo videre poſſit Menæchmum, niſi reſpiciat? Quid reſpiciat autem, cum ante eum ſit ille, non à tergo? Stabat enim vel ambulabat ad oſtium, quo pergebat ipſe rediens obſonatu. Ita directò eum antę ſe vidit, quod ſa-

nus iam quiuis per ſe videt. At non quiuis mihi corrigat!

*Sed eccum Menachmum videon'? au tergo meo!*

Tergo ſuo meruit tam tardus obſonator, etſi minimè quidem tardus, cum ante fores prius conuiuas adeſſe videt, aut videre potius videtur exſpectantes, quam è foro redierit ipſe cœnamq; apparârit. *Au* Plauti interiectio in metu & alia perturbatione, adeoque commiſeratione, ſæpius vſurpata. Nec quidquam verius iſtâ coniecturâ: neſcio ſi item illâ:

*Menæchme ſalue. ME. di te ament. ſcis quis ego ſum?*

*CY. Non hercle verò. vbi conuiuæ ceteri?*

Malim equidem, *CY. Noui hercle verò.* Neque tamen per εἰρωνείαν ſubſiſtere lectionem alteram negarim. Vlterius, benè emendarunt hoc:

——*ME. reſponde mihi*

*Adoleſcens, quibus hic pretijs porci veneunt*

*Sacres ſinceri? CY. nummo. ME. eum à me accipe.*

Sed melius adhuc poteſt, & debet forſan ex antiquis editionibus; *CYL. nummo vno. ME. en à me accipe.* Liquidò enim ex, *nummum vnum en.* Mutatio ſaltem facta caſus eſt, quæ eadem infra,

*Nummum illum quem mihi dudum pollicitus dare &c.*

quamquam ibi profectò minimè neceſſe eſt ad hanc formam iterum mutare, quod quidam faciunt audacius, non conſiderata locutione, quæ Plauto boniſque ſcriptoribus aliis frequens, vt pluribus exemplis Lambinus oſtendit ad hunc Amphitruone verſum:

*Naucratem quem conuenire volui, in naui non erat.*

Adhuc ibidem:

*CY. Iam ergo hæc madebunt ſaxo; nihil morabitur.*

Malo, *Iam ego.* Nam *ergo* non video cur probetur. Sequitur ſcena, *Sine fores:* In ea primùm verba:

*Vbi lubet, ire licet accubitum:*

totidem eademq; ſunt apud Varronem Ὕδρῃ Μενίππου: *Vbi lubet, ire licet accubitum. Accedo ſtrenuus, ſuſſilimus, quòd eſurigo findebat coſtas.* Vnde ſolennia ſuſpicari liceat fuiſſe vocationi vel inuitationi ad diſcumbendum. Inde longo interuallo:

*ME. Hercle quin tu rectè dicis: eâdem ignorabitur,*

*Ne vxor cognoſcat te habere, ſi in via conſpexerit.*

Fortè melius interpungas, *Ne vxor cognoſcat, te habere ſi in via conſpexerit.* Sed id ſi melius; melius etiam ſcribas *agnoſcat.* Paullò pòſt:

*Ehò Meſſenio accede huc. MES. quid negotij eſt? ME. ſcire vis?*

*MES. Quid ergo opuſt? ME. opus eſt. MES. ſcio, vt mendicus. ME. tanto nequior es.*

*Habeo prædam, tantum incepi operis,*

Non vnum in his peccatum, etſi nullum agnoſcit interpres ideoq; mirificas comminiſcitur explicationes. Primùm traſpoſita verba cum perſonis ſunt: *MES. Quid ergo opuſt? ME. opus eſt.* deinde corrupta illa, *ſcio vt mendices.* Emendò:

*ME. Opus eſt. MES. quid* (vel *quod*) *ergo opuſt? ME. ſcio, vt me dices. ME. tanto nequior(es.)*

*ME. Habeo prædam.*

Ait Menæchmus, cum ſeruũ vocaſſet, Opus ſibi eſſe, vel vt poſteà loquitur, Opus ſe incepiſſe. quærit ille, quodnam? Veretur hic ꝓfiteri ſtatim, & reprehenſionẽ conuiciaq; metuit à ſuo ſibi ſeruo. Itaq; præfatur, ſciò, quẽ me dicturus ſis: nequam ſcilicet ac nihili hominem. at ille, tanto igitur nequior es, qui ſciens tamen nõ caueas. Obſcurum illis fuit, *vt me dices*, qui mutarũt: & qui id mutarunt, reliqua etiam traduxerunt, vt iſta ſcilicet cohærerent, *Opus eſt, vt mendices.* Egregiè. Terentium non meminerant ſaltem, nec vel illum intellexerant ita quoq; loquentem Phormione: *Videas, te atq; illum vt narres.* Nam Plauti ſimilia plura dedimus alio loco: quibus hoc nunc addatur è Perſa: *PÆ. Satis iam dictũ habeo. SO. ſed quid tu? confitere, vt te autumo? PÆ. Fatear, ſi ita ſim.*

## CAPVT V.

*In diei ſingulas eſcas edere. An, iterum. Argutia in particulis Huic, Mihi, Tibi, cum verbo auferendi & eſuriendi. Leues aliquot emendationes in verbis: grauiores hæ deinde in verſu iterato, qui eiectus; tum interpretationes in obſcurioribus, qui correcti contra Interpretem & illuſtrati.*

NE illud quidem rectè Interpres, quod erat facilius tamen; ſcenâ *Plus annos.*

*Affatim eſt hominum indies, qui ſingulas eſcas edunt.*

Quos ille nobis fingit eſcarum ſingularum eſores? non vnius generis: vel qui domi prandent, vel ſoli cænant, vel qui cibo vno cõtenti dapes plures aut lautiores ſibi non apponunt. Nullos horum Plautus dixit, vt quos dixerit facilius tu videas, verba ſic ſcribito & interducito:

*Affatim eſt hominum, in dies qui ſingulas eſculas edunt.*

Et quid ego iam interpreter, illos dici, qui ſemel in die cibum ſumant? Alia ſcena eſt, *Potin vt quieſcas.* Ibi interpolata iſta:

*Non hercle is ſum, qui ſum, niſi hanc iniuriam*
*Meq; vltus pulcrè fuero. obſeruabo, quid agat,*
*Hominem. poſt deinde adibo ego hunc atq; alloquar.*

cognoſcimus è priſcis libris, qui ita: *Hunc primum. poſt hunc hominem adibo.* Ac facile eſt emendare:

*——— obſeruabo, quid agat,*
*Hinc primum: poſt deinde hominem adibo atq; alloquar.*

Poſtea non laborant hæc, niſi fortaſſis ab interpunctione:

*PE. Ne-*

*PE. Nequeo, quæ loquitur, exaudire, clanculum,*
*Satur nunc loquitur de me & de parti mea.*

Sed ab ea quoque leuiter: & leuis correctio,

*PE. Nequeo quæ loquitur exaudire. clanculum*
*Satur nunc loquitur.*

Rurſus alia ſcena, in qua vnum hoc notamus:

*ME. Nunquam hercle factum eſt. AN. an non meminiſti obſecro?*

Corrigendum hîc quoque ſcilicet *au*, quod item ſuperius paullò: *AN. au! non meminiſti obſecro?* Sed addatur & alterum, ſic ſcribendos iſtos verſus:

*ME. Non habeo. AN. at tu quandoq; habebis, tum dato.*
*Numquid vis? ME. hæc me curaturum dicito.*

quamquam in priore, *quandoq;* inuito nemini obtrudam: in altero, *me* alterum audacter quamuis expungo. Magnis nũc gradibus, vt vides, imus, ac facilè multa tranſimus. Sed erit breui, vt denuò adhæreſcamus. Scenâ, *Vt hoc:*

*Qui neq; leges, neq; æquum bonum vſquam Colunt.*

Inſerunt veteres, *neq; æquum neq; bonum.* Quis adeò recipere tergiuerſetur? Poſt pluria ibidem:

*ME. Dic mea vxor, quid tibi nunc ægrè eſt? PE. bellus blanditur tibi.*

non etiam ſpernas, quod quidam vetus habet, *quid tibi nam ægrè eſt?* Ac ſupra de ea forma non ſemel.

*Ellus* etiam, pro *bellus* queas ſuſpicari. Poſt pauciora:

*—ME. quid hoc èſt vxor? quid nam hic narrauit tibi?*
*Quid id eſt? quid taces? quin dicis quid ſit? VX. quaſi tu neſcius.*
*Palla mihi eſt domo ſurrepta. ME. palla ſurrepta eſt tibi?*

Hîc iam incipimus obhærere: ſed haud difficulter eluctabimur. Aio delendũm poſtremum horum verſum, qui præmaturè poſitus hîc & ſuperuacuè, paullò pòſt iterum, & ſuo demum loco ſcriptus;

*—— VX. quando nihil pudet,*
*Neq; vis tua voluntate ipſe profiteri, audi atq; ades:*
*Et quid triſtis, & quid hic mihi dixerit, faxo ſcias.*
*Palla eſt mihi domo ſurrepta. ME. palla ſurrepta eſt tibi?*

Vides, nunc demum effari vxorem, poſtquam ipſe fateri nihil vltrò voluit: atque id ipſa atteſtatur. vt mireris, quó iudicio quis idem ſupra dicentem fecerit, & quo animo tulerint hactenus alii, nec aduerterint ineptiſſimam repetitionem. Tu obterere nõ dubitabis: & obtrito, reliqua ſic nectes:

*Quid id eſt? quid taces? quin dicis, quid ſit? VX. quaſi tu neſcias,*
*Me rogas. ME. pol haud rogem te, ſi ſciam.*

Sed alteri loco, vbi rectè is verſus, quid argutiæ porrò ineſt?

*Palla eſt mihi domo ſurrepta. ME. palla ſurrepta eſt tibi?*
*PE. Viden' vti ſceleſtus captat? huic ſurrepta eſt, non tibi.*

*Nam profectò tibi ſurrepta ſi eſſet, ſalua nunc foret.*

Mirificè, vt ſolet, torquet ſe Lambinus: nec tamen proficit vel hilum. De ſcripturæ ſinceritate videndum primùm, mox de interpretatione. Germanam Plauti lectionem, vt ego iudico, non habemus: igitur nec ioci ſenſum aſſequimur ſatis. In particulis *huic* & *tibi* obſcuritas, quam diſcutere poſſum ſimilibus exemplis: ſed non poſſum ſine correctione. Cum enim Plauti argutationem alibi in iiſdem voculis iteratam conſidero, permutatæ hîc mihi videntur, & altera ſuppoſita alterius loco. Quòd ſi ita reſtituamus;

*PE. Viden' vti ſceleſtus captat? tibi ſurrepta eſt, non huic.*
*Nam profectò huic ſurrepta ſi eſſet, ſalua nunc foret:*

facile fit mentem odorari. Sed prius ſcire & hoc oportet, ad Menæchmum iſta paraſitum loqui, non eius vxorem: quod præter ſententiam ipſam, quæ verbis nunc ineſt, probat etiam ſequens Menæchmi ad illum ſermo: *Nihil mihi tecum eſt.* Senſus autem nunc iſte: Cum mirabundus per ſimulationem quæreret ab vxore maritus, an ſurrepta ei palla eſſet, atque ibi particulam *tibi* vocalius extuliſſet; nequam paraſitus, & vbique intentus ad inuidiam illi faciendam, cauillatur eam in aliam ex ambiguitate partem à captabundo ſic prolatam. Nam torquet *tibi*, quaſi ſit in tuum vſum, vel tuo bono: atque igitur redarguens eum, non huic, inquit, vxori tuæ, ſed tibi, vt tu loqueris, eſt ſurrepta: ſiquidem huic ſurrepta ſi eſſet iſtâ mente, ſalua ſcilicet eſſet. Ita ludere Plautum in ea phraſi, non mirabitur, qui ſimilia cogitabit loca. Tria nunc eorum mihi in memoria: nec ſcio ſi plura apud eum reperiuntur. Simillimus iſte Aululariæ ſcenâ *Foras foras:*

*STR. Quid tibi ſurripui? EV. redde huc ſis. STR. quid tibi vis reddam? EV. rogas?*
*STR. Nihil equidē tibi abſtuli. EV. at illud quod tibi abſtuleras cedo.*

Nec diſſimilis Captiuor. Scen. *Quanto in pectore:*

*HE. Eſurire mihi videre. ER. mihi quidem eſurio, non tibi.*

Et Pſeudolo, Sc. *Si vnquam:*

*Iuppiter te mihi ſeruet. SY. immo mihi.*

Hæc de hoc loco noſtra opinio: quam non ægrè feram ab alio conuelli, ſi melior afferatur. Oro autem, qui iudicaturi ſunt, ne temerè traductionem particularum in nobis damnēt, aut putent licentiorem. Equidem aliter quî poſſent tam intricatæ tricæ ſolui, nullam viam vidi.

## CAPVT VI.

*Non audes? Degerere. Se tenere. Plurium locorum noua, nec paucorum contra alios nouata emendationes cum explicationibus aliis noſtris.*

Dum

DVm falsò repetitum verſum vtrobiq; perſequor, & in ſuo denique cubili, vberiore cohærentium explicatione premo, neglexi interim prudens imprudens intermedium locum, cui debita nunc emendatio reddetur:

*——PE. ô hominem malum!*
*Vt diſſimulat! non potes celare: rem noui probè.*
*Omnia hercle ego edictaui.*

Lego *nouit*: vt de muliere capiatur. Nam hanc nouiſſe iam ait omnia, ſe edictante, nec poſſe, quamuis diſſimulet, celari. *Nouit* inquam lego: niſi tu males vxoris perſonam inſerere ex vetuſtis:

*Vt diſſimulat! VX. non potes celare; rem noui probè.*
*PE. Omnia hercle ego edictaui.*

Ego me, quàm libros, hîc ſequi malo: & ſentire me rectius ſcio, qui continuam orationem agnoſco. Scenâ eadem infrà legimus:

*ME. Ego faxo referetur. VX. è re tua, vt opinor, feceris.*
*Nam domum nunquam introibis, niſi feres pallam ſimul.*
*ME. Ego domum?*

Vltimum ſcilicet hoc per ἀποσιώπησιν explendum, Ego domum nunquam introibo? vt Lambino videtur. Mihi illa friget: & ſanè lubens immutata paullum ea verba annectam ſequentibus paraſiti:

*PE. Eho dum, quid mihi futurum eſt, qui tibi hanc operam dedi?*

Nam poſt vxoris verba diſcedit Menæchmus, reſtitanſque paraſitus abeuntem etiam illam quaſi reuocat, & mercedem operæ poſcit. Etſi forſan & quæ ſunt vxoris nunc verba, poſſunt eſſe paraſiti: qui priora ad Menæchmum abeuntem, quaſi conſulens & adſuadens, id quod videntur innuere voces *vt opinor*; reliqua ſic, vt correximus, ad vxorem nec ipſam vlterius morantem. Sed hoc vtro ſit modo, parum refert. Proxima ſcena, *Quis hic me*, ſine vitio prorſus ſit, abſque illo ſit vno grandi ſatis & enormi:

*ME. Nimis iracundè hercle. tandem heus tu, tibi dico, mane,*
*Redi. ER. etiamne aſtas? etiam audes meâ reuorti gratiâ?*
*ME. Abiit intrò, occluſit ædes: nunc ego ſum excluſiſſimus.*

Perſona Erotii tollenda, quæ nihil amplius nunc loquitur in ſcena, ſed irata in ædes ſe proripit, deſertumque miſerum Menæchmum nec verbulò dignatur. Ille autem fruſtrà ſic fugientem reuocat, vt aſcribam, interpunctis leuiter etiam correctis.

*ME. Nimis iracundè hercle tandem. heus tu, tibi dico, mane:*
*Redi: etiamne aſtas? etiamne audes meâ reuorti gratiâ?*
*Abijt intrò, occluſit ædes.*

Verbum *audes* decepit alios correctores, quod neſciebant valere, vis ſiue etiam dignaris. Ita enim ſuprà quoque:

& in tempore, priuſquam inſania percipit, adhibeamus aliquid medicinæ. quod melius certè faciemus & opportunius, quàm ille Medicus ibidem. Nec perfacile tamen id eſt nobis, vt hic de ſe iactitabat, neque planè

*Sanos futuros, meo ego id promittam fide.*

Sed quod eſt in nobis, ſedulò fiet, & magna cum cura, ſine ſuſpiratione quamuis vlla, curabuntur. Age, ſublimes deferantur in noſtram medicinam, etſi quidem non inuiti, lubentes imò potius & volentes: quippe qui morbum ſuum agnoſcant iam, non negent, nec diſſimulent hodie, quod olim ſimularunt: poſtquam verè in eos expetiit inſania temerè quondam affectata. Iamq; deliramenta quæ loquuntur, ab initio, & ordine ad finem auſcultemus. Periochâ fabulæ:

*Hic fuerat auctus ille ſurreptitius.*

Negat hoc ſanum varietas in voce *auctus*, quæ quanquam non malè, coactè ſanè tamen explicatur, *adoleuerat*: & ſi iſtum ſenſum volumus, cur non veterem ſcripturam malumus, *altus* vel *alitus*? At ego non hanc intrudo: iſtam vulgatam emendem libentius, & ſcribam:

*Huc fuerat ductus ille ſurreptitius.*

Ea mens prorſus eſt, raptum illuc abductum: niſi tamen *auectus* etiam coniicias indidem: quod non excludunt quidem numeri, licet difficilius admittant. *Auctus* qui retinebit contra nos, videat ne cum Lambino præter ætatis incrementum etiam de iure ciuitatis interpretetur. Si illuc trahi tam laxa vox poteſt, quidni debeat aliò vlterius, vt & hæreditate, & vxore, & liberis etiam fortaſſis, & aliis rebus multis auctus intelligatur? Valeat ineptum adeò commentum, & vapulet eius auctor. In Prologo qui verſus ſic ſcribitur:

*Ei nati ſunt filij duo gemini:*

verbo tranſpoſito rectius ſcribatur, *filij gemini duo*: quod vt vt tenue, magis tamen eſt ad numeros Plautinos: à quibus nimium quantum aberrat inferior iſte:

*Puer inter homines aberrauit à patre.*

Trochæum enim in Iambico quî feremus? Is equidem nunc tamen tertia regione. Mutes facilè, diſpoſitis aliter aliterque verbis: quorum hic præ omnibus ordo, qui poteſt multiplex iniri, mihi placet:

*Puer aberrauit inter homines à patre.*

pes primus vt tribrachys conſtituatur. Statim quo exemplo Plautus dixerit *Epidamnium*, quæ vrbs *Epidamnus* vbique, nec alio vſquam flexu nominata?

*Is puerum tollit auehitque Epidamnium.*

Sed ita non niſi per eos ſcriptum videtur, qui verſum refinxerunt. Huius enim cauſsâ, cum extrema illa vox eſſet, *i* literam effi-

efficiendo iambo immiſerunt. Atque id nuper adeo: cum veteres *Epidamnum* habeant, qui iidem *in* addunt, haud temerè, & vnde ſpero verſum aliter in que priſtinum habitum reconciunaſſere. Sic faciam:

*Is puerum tollit, in Epidamnumque auehit.*

Traiectio non inſolens: minus adiectio *in* particulæ, quæ bis hoc ipſo prologo deinceps iterata;

*Nunc in Epidamnum pedibus redeundum eſt mihi.*

Item: *Hodie in Epidamnum venit cum ſeruo ſuo.*

Mirum verò in illo verſu:

*Eumque hæredem fecit, qua ipſe obijt die.*

Mirum inquam factum, ſi eadem demum die, qua caſu obiit raptor, raptus eſt hæres inſtitutus. Hoc enim verba ſanè volunt: quod qui fieri potuit? aut ſi potuit, quid ita fingere Plauto fuit neceſſe? Valdè vereor ne ſit corrigendum, *quòm ipſe obijt diem*: alio, nec tam adſtricto ad ipſum fatalem diem ſenſu. Atque ita Pœnuli Prologo noſter: vbi hic idem omnibus verbis, literis, & apicibus verſus:

*—— eumq; adoptat ſibi pro filio,*
*Eumq; hæredem fecit, cum ipſe obijt diem.*

Primâ ſcenâ in Paraſiti circumſpecta de cuſtodia fugitiuorũ cautione prudentique conſilio, variè de verbi *ianuam* ſanitate aut ſanatione fuit agitatum:

*Tum compediti ianuam lima proterunt,*
*Aut lapide excutiunt clauum.*

Nihil ego coniecturis aliorum derogabo, nihil addam: niſi moneam ſanè eos, qui porrò correctionem moliencur (nam adhuc quidem nemo verum tetigit, vt ego iudico:) non obſtinatè laborent in peculiari aliqua voce exſculpenda, cui neceſſariò adiuncta verba *lima proterunt* iungantur: quaſi prorſus aliò referri hæc non queant. Poſſunt enim, ac fortaſſe debent ad ſequentem *clauum*. Nam hunc vel excutere lapide, vel lima protere compediti dicentur. Id ſi obſeruetur, faciliorem emendandi viam fore credo. Atque ipſe cogitaui aliquid in hunc modum: ſed non probo, locumque felicioribus ingeniis relinquo, quibus vſui ſine dubio erit hæc admonitiuncula noſtra, ſi non alii, certè quidem illi, vt ne temerè in quærendo, quod fortè non eſt, ſe defatigent. Ad eiuſdem ſcenæ finem, in explicatione eius verſus accedo planè Palmerio:

*Id quoque iam, cari qui inſtruuntur deſerit.*

ſed abeo leuiter in ſcriptura. Nam *quoniam* volo ex *quoque iam*, nectoque hanc ſententiam verbis verſus proximi, ne ſic abſoluta malè pendeat:

*Id quoniam, cari qui inſtruuntur, deſerit,*
*Nunc ad eum inuiſo.*

Aiebat paraſitus, interuallum dierum plurium interceſſiſſe, cum Menæchmi cœnas nõ frequentarit, ac domi interim de ſuo benè, an malè victitarit: iam autem poſtquam (id enim valet *quoniam*, vt alibi ſuperius oſtenſum) ſumtus & præſidium vitæ familiaris defecerit, ad illum reuiſere ſe velle, vt in antiquam Saturitatis almæ ſodalitatem recipiatur.

## CAPVT II.

*Egere aliquid. Scortum ducere: ad cœnam condicere. Ob induſtriam. Mille paſſuum mora. Expeditè fabulari. Variè multa emendantur, & quædam inſigniora. Refutantur aliorum ſuperuacua correctiones, ineptæ explicationes: noſtra firmantur.*

PArcè, nec ſemper, vbi opus erat, aliorum refuto emendationes: interim non abſtineo tamen, ſi quæ occurrant vaniores & inſignitè falſæ, maximè quæ ſine cauſſa vulgatam lectionem mutant, quin vno verbo aſſeram hanc & defendam. Sicut hîc Sc. *Ni mala:*

*Lanam, aurum, veſtem, purpuram benè prabeo, nec quidquam eges.*

fruſtrà corrigitur *quiquam*. Antiquè enim *egere* cum accuſandi etiam caſu: nec exemplum Catonis ignotum illis eſſe potuit apud Gellium lib. 13. cap. 22. quod ita ſcribendum, vt ſubiiciam: *Si quid eſt, quod vtar; vtor: ſi non eſt; egeo. Suum cuiq; per me vti atque frui licet. Vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere.* Mox eadem ſcenâ illud emendationis eget, quam nemo tamen attentauit:

*Atq; adeo, ne me nequidquam ſerues, ob eam induſtriam*
*Hodie ducam ſcortum ad cœnam, atq; aliquò condicam foras.*

Malè verba *ad cœnam* prioribus nectuntur, poſterioribus nectenda. Scortũ enim ducere, ſingularis eſt phraſis, omnibus ferè Plauti comœdiis vſurpata; & ad cœnam condicere, pariter ſingularis, nec minus frequens. Traiice igitur verba:

*Hodie ducam ſcortum, atq; aliquò ad cœnam condicam foras.*

Quod ibidem eſt *ob eam induſtriam*, Plautina item eſt locutio, aliis non ita familiaris. Infra hac fabulâ:

*Ob iſtanc induſtriam etiam faxo amabit amplius.*

Diuerſi paullùm ſenſus ab hac illa *ob induſtriam* ſimpliciter, ſaltem pro de induſtria: cuius vnum hîc exemplum ſatis. Caſinâ:

——*illa autem quaſi ob induſtriam*
*Mihi aduorſatur.*

Sed hæc adhuc leuia errata, & quaſi primæ mentis aberrationes: plenum delirium in iſtis eſt:

*ME. Perge. PE. non pergo hercle ego, niſi ſcio qua gratia*
*Litigium eſt tibi cum vxore. ME. hoc mihi abs te caueo cautius.*
*Clam vxorem vbi ſepulcrum habeamus, & hunc comburamus diem.*

Et delirat æquè Lambinus interpretatione. Quid paraſiti intereſt,

eſt, cauſſam litigii ſcire quod Menæchmo cum vxore? Tum quomodo cauet hic ab illo ſibi, cui manifeſtò ſe prodit? Denique vltimus verſus vnde pendet? niſi ſic a paraſito cauetur, ſi vxor celatur. Nugæ. Longè latet aliud, quod ſagaciter è parte ſententiæ ſum odoratus, ac veſtigiis eius tenaciter hærens in totam abditiorem denique penetraui. Peccant interpuncta ſimul & perſonæ. Primùm ſic emenda:

*ME. Perge. PE. non pergo hercle ego, niſi ſcio qua gratia.*
*Litigium eſt tibi cum vxore: hoc mihi abs te caueo cautius.*
*ME. Clam vxorem vti ſepulcrum habeamus, & hunc comburamus diem.*

Iam ita cape. Iubet Menæchmus ſupparaſitari ſibi paraſitum: at ille renuit blandiri gratis, niſi ſciat qua mercede: atque ob eam cauſſam, inquit, diligentius abs te mihi caueo & præſcire certò præmium cupio, quia litigium tibi audiui cum vxore eſſe, vt haud facilè me domum ſis ad cœnam vocaturus. Reſpondet Menæchmus, Eo pretio, quidquid dices, dices, vt hunc diem luculentum nobis & hilarem, ipſa vxore clam, ſumamus. Quid elegantius & verius fuerit hac reſtitutione? Similem in errore ſimili ad ſcenæ finem dabo. Ibi vulgatur:

*ME. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium:*
*Mihi, tibi, atq; illi iubebo iam apparari prandium,*
*Inde vſque ad diurnam ſtellam craſtinam potabimus.*
*PE. Expeditè fabulatus, iam fores ferio? ME. feri.*
*Vel mane etiam mille paſſûm commoratus cantharum.*
*Placidè pulta. PE. metuis, credo, ne fores Samiæ ſient.*

In quibus æquè turpiter errat Interpres: neque potuit non errare in tam vitioſa lectione. Sed vitioſam ille neſciit, aut quiſquam poſt eum ſuſpicatus eſt. Tu ſcies, perſonas hîc quoque malè diſpoſitas, itemq; malè interpunctiones: & ad hoc exemplum mihi credes emendandum:

*PE. Expeditè fabulatu's, iam fores ferio? ME. feri:*
*Vel mane etiam. PE. mille paſſûm commoratu's cantharum.*
*ME. Placidè pulta. PE. metuis credo, ne fores Samiæ ſient.*

Liquida iam horum per ſe ſatis ſententia non poſtulat amplius declarari. Tamen hoc dico, quod non omnes videbunt; quid innuant iſta, *mille paſſuum commoratus es cantharum:* à quorum obſcuritate priſtina fluxit omnis deprauatio. Indicant ea paraſiti feſtinationem, & impatientiam moræ: qui cantharo & potationi deſtinatæ imminens, ægrè fert cohiberi ſe, quin ſtatim fores pulſet. Ait autem, *mille paſſuum commoratus es,* ſolitâ Plauto phraſi, qui ſic Truculento quoq;:

*AS. Quid iam me reuocabas improbe nihilique homo?*
*Quæ tibi mille paſſuum peperit mora mora.*

Præter id, notabis, opponi Expeditè fabulari, & Mille paſſuum

commorari,per tacitum iocum, quo ludit in metaphora ab itineribus ducta. Nam itinerum verbum propriè eſt *expedite*, à quo cum cœpiſſet,pergit in eadem figura, & de mora tot paſſuum ſubiungit. Ipſe ſcenæ finis an liber erroris?

*ME. Mane mane obſecro,hercle ab ſe ecca exit. PE. ô! ſolem vides, Satin' vt occœcatus eſt præ huius corporis candoribus.*

Mihi non videtur: & legam ſanè diſtinguamque priore verſu ita primùm:

*Mane,mane obſecro hercle: eapſe ecca exit.*

deinde perſonam etiam paraſiti ſuſtulerim, & reliqua continuerim omnia ſub Menæchmi,cui cenſeo magis conuenire, ſed cum leuicula etiam mutatione:

*ME. Mane,mane obſecro hercle: eapſe ecca exit. oh, ſolem vide: Satin' vt occœcatus eſt præ huius corporis candoribus!*

Hoc tamen docti prius arbitrabuntur: quorum iudicia non aliena à noſtro ſpero. Tenue quid in hac ſcena præterii, quod tamen hîc nunc dicatur:

*ME. Olfacta igitur hinc, Penicule lepide,vt faſtidis? PE. decet.*

Non placet reſponſio paraſiti,*decet*,languida: & quî eum faſtidire decet? Fortè *licet* fuit,aſſentiendi formula ſolennis,quia nunc denique olfacturus eſt: aut *cedò*.

## CAPVT III.

*Iuſſo,iuſſim. Obſonatoris officiũ ac diſciplina. In verbis pauca, multa in perſonis & ſenſu nouantur. Omnia explicantur,illuſtrantur. Viri docti ſententia contra Lambinum reprehenſa; Lambini defenſa, cum noua ibidem additione: huiuſdem alibi vltrò damnata.*

PRincipium ſcenæ ſequentis in libris noſtris ſic conceptum legimus:

*ER. Anime mi, Menæchme, ſalue. PE. quid ego? ER. extra numerum es mihi.*

*PE. Idem iſtuc aliis adſcriptiuis ad legionem fieri ſolet.*

*ME. Ego iſtic mihi hodie apparari iuſſi apud te prœlium,*

*Hodie vt fieret,in eo vterque prœlio potabimus.*

Hæreo ego primùm de ſecundo verſu,an nõ Erotio tribui debeat; quo argutiſſima meretrix cœptam ſemel allegoriam ipſa perſequatur. Id verò non ſuſpicarer,niſi ſequẽtia Menæchmi verba inducerent eò. Is enim ex illo Erotii reſponſo ducere videtur occaſionem porrò allegoriæ eiuſdem continuandæ: quod tamen non videtur apertè ſatis, niſi verba prius emendentur, vti cenſeo ego prorſus emendanda:

*ME. Ergo iſti ac mihi hodie apparari iuſſi apud te prœlium.*

Lego,vt vides,*iſti ac mihi*: verè. Senſit ita planè Menæchmus, & de ſe ac paraſito etiam proximo verſu *vterque* capit, vti Lambinus olim interpretabatur,immeritò hîc à V. N. Douſa exploſus, qui

de Me-

de Menæchmo & Erotio contendit accipiendum, eo argumento, quia Peniculus extra numerum eſſe dictus ſit paullò antè. Ratio non ratio: quam cum alia, tum illud maximè refutat, quod ſequitur de adiudicatione, cum vtro noctem meretrix ſit futura. Neceſſariò ibi capies cum vtro iſtorum, Menæchmone ipſo, an paraſito. Nam quid abſurdius, quàm vt Erotium iudicare debeat, cum Menæchmo ſuo, an ſecum ipſa velit eſſe? Et quid erit, ipſam ſecum eſſe? Tum quæ paraſiti partes erunt, ſi cum amica ſolus Menæchmus eſt potaturus? Enimuerò illi promiſſa erat potatio iam anteriore ſcenâ:

*ME. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium.*
*Mihi, tibi, atque illi iubebo iam apparari prandium,*
*Inde vſq; ad diurnam ſtellam craſtinam potabimus.*

Et infrà certè non excluditur:

*ME. Iube igitur nobis tribus apud te prandium accurarier.*

Nec excludi profectò debet: & quia caſu poſteà excluſus fuit, inde nimirum omnes Menæchmo huic cum vxore & meretrice turbæ. Sed quid hæc talia colligo ad probandum, quod eſt per ſe diligentius intuenti manifeſtum? Ibidem *iuſſo* ſcripſi, ſiue tu males *iuſſim*: quorum vtrumuis alibi ſuprà repoſuimus. Nondum iuſſerat hic, ſed erat iuſſurus: vt conſtat ex hiſdem locis, quos iam iam notaui ex hac & priore ſcena. Altero iuſſurum ſe dicit, altero demum iubet. Atque ita Menæchmus ad Erotium ait: quia commodùm de re militari & aſſcriptiuis argutata es, vt ſermonem meum tuo attemperem, ac perſiſtam in comparatione, iuſſero mihi & aſſcriptitio huic alteri militi, quem extra numerum tu habes, tanquam integræ legioni prœlium parari: in quo hodie mox committendo, potando pugnemus, ac vter bellator melior inueniatur cantharo decertemus: teque adeò, cuius hæc eſt legio, victoriæ ſtatuo arbitram, quæ cum alterutro, cui adiudicabis, ex arbitrio tuo noctem iſtam agas. Quam paraphraſin adhibui, vt ſententia vniuerſa magis omnibus liqueſceret: ac facilius quiuis aſſentiretur mihi ſic iam initium totum reſcribendum:

*ER. Anime mi, Menæchme, ſalue. PE. quid ego? ER. extra numerum es mihi,*
*Item vt aliꝭ (vel, illis) aſſcriptiuis ad legionem fieri ſolet.*
*ME. Ergo iſti ac mihi hodie apparari iuſſo apud te prœlium,*
*Hodie vt fiat: in eo vterque prœlio potabimus.*
*Vter ibi melior bellator erit inuentus cantharo,*
*Tua legio eſt, adiudicato cum utro iſtanc noctem ſies.*

Porrò in vna Douſica editione vitium eſt, quod ne latius ſerpat ac propagetur in alios libros, maturè euellendum & exſtirpandum:

*PE. Meretrix tantiſper perblanditur, dum illud quod rapiat videt.* Verſus ſenſuſque *blanditur* expoſcunt, abiecto *per*, quod adhæſit à fine particulæ præcedētis. At in omnibus eſt grauius aliud in proximo, de quo nemini in mentem vnquam venit. Aperiemus nos, & oſtenſum eiiciemus.

*ME. Suſtine hoc, Penicule, exuuias facere, quas voui, volo.*
*PE. Cedò. ME. ſed obſecro hercle ſalta ſic cum palla poſteà.*
*PE. Ego ſaltabo? ME. ſanus hercle non es. PE. egone an tu magis?*
*ME. Si non ſaltas, exue igitur.*

Grauiſſimè perſonæ errant: nec bonum vllum ſenſum erueris è verbis, ita diſtributis. An Menæchmus exuit pallam, & Paraſito dat induendam, vt in ea ſaltet? Ita volunt: ſed falsò. Nec exuit ille, nec dat paraſito. Quid hic ergo poſcit, cum ait *cedò?* & quid huic ille ſuſtinendum tradit? Ego dicam. Exuuias facturus Menæchmus, id eſt pallam Erotio deſtinatam exuturus, pallium dat intereà peniculo ſuſtinendum: pallium, inquam, quod pallæ ſuperinduxerat occultandæ, & in quo alias prodibat in ſcenam, vt ſolet in Comœdiis palliatis. Id cum Peniculus reciperet, ſimul orat Menæchmum, vt exuto hoc, nudatâ illâ ſaltet iam in ſcenâ aliquantulum antè, quàm & ipſam deponat. Vbi hoc negat alter, adhuc quippe ſobrius, exuere ſtatim iubetur, & exuit, exutâque Erotium ſuum ex voto donat. Ita igitur, verbis nihil immutatis, perſonas ſaltem reconcinnabis:

*PE. Cedò. ſed obſecro hercle, ſalta ſic cum palla poſteà.*
*ME. Ego ſaltabo? ſanus hercle non es. PE. egone an tu magis?*
*Si non ſaltas, exue igitur. ME. nimio ego hanc periculo*
*Surripui hodie. Meo quidem animo &c.*

Quòd diſputant, vter minus ſanus, ſic accipiendum. Inſanum Menæchmus paraſitum arguebat, qui ſaltare ſe ſobrium & ſic palàm iuberet: at hic illum contrà, qui ſaltare nollet, & pallam tamen indutus eſſet, quæ non ſumebatur niſi in hunc ipſum præcipuè vſum. Et hoc ſanè alii docuerunt: mentem tamen intimam Plauti non viderunt. Paullò pòſt:

*ME. Scin' quid volo ego te accurare? ER. ſcio. curabo quæ voles.*

Non ſcit Erotium, nec credam ſimulanter affirmare: potius diſtinctione mutatâ aliter interpretandum, *ER. ſcio, curabo quæ voles.* Omiſſa particula *ſi* fuerit, vti crebrò venuſtèque ſolet, atque exſtiterit hic ſenſus: ſi ſciam, aut ſciero, curabo. Addam huc, quod in ſequente ſcena pariter corruptum. Vltimi verſus ſunt:

*ER. Elocuta ſum, conuiuas ceterùm cura. CY. licet.*
*Cocta ſunt, iube ire accubitum. ER. redi citò. CY. iam ego hic ero.*

Eorum priore Lambinus putidè exponit hæc, *conuiuas ceterùm cura:* quæ ſumi ſimul haud debent, ſed diſtinctione tali ſeparari: *ER. Elocuta ſum conuiuas: ceterum cura.* Atque ita libri veteres diſertim,

ſertim,qui & *tu* in fine adiiciunt, nō ſanè penitus reſpuente verſu, ſenſu autem pænè flagitante. Quærit de conuiuis Cylindrus, quot & qui ſint futuri: his enumeratis, Erotium, dixi, inquit, illos: cetera iam tuum eſt curare, & vt cures vide. Reſpondet ille, curaturū: imò cœnam iam paratam, nec per ſe moram eſſe, quin vel accubitum ſtatim eatur. Id adeò ex diſciplina Obſonatoris, quem pulchrè Martialis in hunc modum deſcribit nobis in Apophoretis, ſub eo ipſo lemmate *Obſonator*.

*Dic quotus, & quanti cupias cænare, nec vnum*
*Addideris verbum: cœna parata tibi eſt.*

Qui locus mirè cum hoc Plautino conſentit: & eſt non diſſimilis alius Pſeudolo noſtri:

*Hem illic ego habito. intrò huc abi, & cænam coque*
*Properè. CO. quin is accubitum? i, conuiuas cedò:*
*Corrumpitur iam cæna.*

## CAPVT IV.

*Certum facere. De verbis alicuius metuere, cauere ſibi. Au tergo! Scio, vt me dices. Cenſura noua in loca tacta aliis & intacta: contra illos emendata quædam & explicata. Plauto verſus olim fugitiuus nūc recens reſtitutus. Eadē totidemq; verba Plauti & Varronis in inuitatione ad diſcumbendum oſtenſa, forſan ei rei ſolennia.*

LEpida diſputatio eſt initio proximæ ſcenæ, de nautarum voluptate, vbi terram conſpiciant ex alto:

*ME. Nulla eſt voluptas nauitis, Meſſenio,*
*Maior, meo animo, quàm quando ex alto procul*
*Terram conſpiciunt. MES. maior, non dicam dolo,*
*Quàm ſi aduenient terram videas, quæ fuerit tua.*

In qua friget tamen altera pars Meſſenionis, qui aduerſus herum, maiorem contendit neſcio quam, non illam certè, quam Lambinus interpretatur. Quid enim hic locus ad decoctores, quos perſtringi putat ac notari? Dico, quod apud me ſentio: ſuperflua particula *Quàm* eſt, quę à ſtolidiſſimo homine adiecta pulcherrimam ſententiam euertit. Abiice tu, & lege:

——*ME. maior, non dicam dolo,*
*Si aduenient terram videas, quæ fuerit tua.*

Maximā voluptatem cēſet Menæchmus, ſi terra ſaltem videatur: at maiorem hāc ſeruus, ſi terra patria videatur. Et verè hoc ex ipſa re, & magis è ſerui perſona, qui itinerum & diutinæ circumuectionis pertæſus, deſiderat vnicè patriam, & redire domum perpetuò ſuadet, vrgetq; herum magnā inſtantiā, vt deinceps eſt videre. Argutiola in verbo *fuerit* inanis eſt: nec in ea vllum ſententiæ huius impedimentum. Nec abnuam tamen, ſi quis emendare malit *fuat*: vt omnis ambiguitas tollatur. Deinde Plautinam teneram phraſin non ſpernæ obſeruare:

*Ergo iſtuc quæro certum qui faciat mihi.*

qua vſus infrà iterum hac fabulâ, Scen. *Vt atas:*

*Nec quid ſit, certius mihi facit.*

Et Pſeudolo: ——*nimis velim, certum qui*

*Mihi faciat, Ballio leno vbi hic habitat.*

Mox illo verſu:

*Verùm aliter viuus nunquam deſiſtam exſequi.*

emendant *vivum*: quod etſi confirmare ſimilis locus poſſit Rudente, Sc. *Quid mihi mel.*

*Neq; ſi viuit, eam viuam vnquam quin inueniam deſiſtam.*

tamen & *viuus* retineri poteſt, bono etiam ſenſu, vt dum ipſe victurus ſit, fratrem viuum an mortuum quærere ſit exſecuturus. Atq; hoc caſu Amphitruone dixit:

*MER. Tu me viuus hodie nunquam facies quin ſim Soſia.*

quamquam & ibi quidam mutat *viuo*, temerè & nec verſu nec ſententiâ conſultâ. Sed præter exemplum, ratio eſt etiam hîc illius vulgati retinendi. Non enim viuum tantùm exſequi ſtatuit, ſed & mortuum, vſq; dum mortuũ ſaltem certò ſciat, atq; in id vel omne vitæ ipſius ſuæ tempus impenſurus. Addo, niſi retineatur, inutilem vocem eſſe *aliter:* quod tenuius explicare nimis hercle tenue ſit ac ieiunum. Ad finem ſcenę magnâ negligẽtiâ verba quædam ac verſus integer in hodiernis libris eſt omiſſus:

*ME. Ego iſtuc cauebo: cedo dum mihi huc marſupium.*

*MES. Quid eo vis? ME. ne mihi damnum in Epidamno duis.*

Omiſſum enim negligentiâ puto, non eiectum de induſtria: qui ſententiæ abſoluendæ ſit neceſſarius, & planè Plautinus, & in pleriſq; veteribus exſtet. Reduco, & repono:

*ME. Ego iſtuc cauebo. cedo dum mihi huc marſupium.*

*MES. Quid eo vis? ME. iam abs te metuo de verbis tuis.*

*MES. Quid metuis? ME. ne mihi damnum in Epidamno duis.*

Occaſionem negligentiæ dedit affinitas verborum initialium in vtroq; poſteriore verſu, *Quid eo vis*, & *Quid metuis:* itemq; finaliũ, *tuis* & *duis*. Metuebat autem herus, quia ſeruus ἔτυμος Epidamni deduxerat à damno. Id valet *de verbis tuis:* quæ Plautiniſſima locutio, & inferius hac Comœdiâ iterata:

*Nunc homo inſanire occœptat: de illis verbis caue tibi.*

Magnum flagitium commiſiſſem, ni ſuum tam elegantem verſum auctori vindicaſſem: quem miror in tot libris expoſitum, à nullo agnitum aut ſublatũ. Scenâ ſequenti, *Bene obſonaui*, ridiculæ ſententiæ, quin hercle nullius iſte verſus:

*Sed eccum Menæchmum videon' à tergo meo?*

Quomodo enim à tergo ſuo videre poſſit Menæchmum, niſi reſpiciat? Quid reſpiciat autem, cum ante eum ſit ille, non à tergo? Stabat enim vel ambulabat ad oſtium, quo pergebat ipſe rediens obſonatu. Ita directò eum antę ſe vidit, quod ſa-

nus iam quiuis per ſe videt. At non quiuis mihi corrigat!

*Sed eccum Menachmum videon'? au tergo meo!*

Tergo ſuo metuit tam tardus obſonator, etſi minimè quidem tardus, cum ante fores prius conuiuas adeſſe videt, aut videre potius videtur exſpectantes, quam è foro redierit ipſe cœnamq; apparârit. *Au* Plauti interiectio in metu & alia perturbatione, adeoque commiſeratione, ſæpius vſurpata. Nec quidquam verius iſtâ coniecturâ: neſcio ſi item illâ:

*Menæchme ſalue. ME. di te ament. ſcis quis ego ſum?*

*CY. Non hercle verò. vbi conuiua ceteri?*

Malim equidem, *CY. Noui hercle verò.* Neque tamen per εἰρωνείαν ſubſiſtere lectionem alteram negarim. Vlterius, benè emendarunt hoc:

——*ME. reſponde mihi*

*Adoleſcens, quibus hic pretiis porci veneunt*

*Sacres ſinceri? CY. nummo. ME. eum à me accipe.*

Sed melius adhuc poteſt, & debet forſan ex antiquis editionibus: *CYL. nummo vno. ME. en à me accipe.* Liquidò enim ex, *nummum vnum en.* Mutatio ſaltem facta caſus eſt, quæ eadem infra,

*Nummum illum quem mihi dudum pollicitus dare &c.*

quamquam ibi profectò minimè neceſſe eſt ad hanc formam iterum mutare, quod quidam faciunt audacius, non conſiderata locutione, quæ Plauto boniſque ſcriptoribus aliis frequens, vt pluribus exemplis Lambinus oſtendit ad hunc Amphitruonis verſum:

*Naucratem quem conuenire volui, in naui non erat.*

Adhuc ibidem:

*CY. Iam ergo hæc madebunt faxo; nihil morabitur.*

Malo, *Iam ego.* Nam *ergo* non video cur probetur. Sequitur ſcena, *Sine fores:* In ea primùm verba:

*Vbi lubet, ire licet accubitum:*

totidem eademq; ſunt apud Varronem ταφῃ Μενίππου: *Vbi lubet, ire licet accubitum. Accedo ſtrenuus, ſuſſilimus, quod eſurigo findebat coſtas.* Vnde ſolennia ſuſpicari liceat fuiſſe vocationi vel inuitationi ad diſcumbendum. Inde longo interuallo:

*ME. Hercle quin tu recte dicis: eàdem ignorabitur,*

*Ne vxor cognoſcat te habere, ſi in via conſpexerit.*

Forte melius interpungas, *Ne vxor cognoſcat, te habere ſi in via conſpexerit.* Sed id ſi melius; melius etiam ſcribas *agnoſcat.* Paullò poſt:

*Eho Meſſenio accede huc. MES. quid negotii eſt? ME. ſcire vis?*

*MES. Quid ergo opus? ME. opus eſt. MES. ſcio, vt mendicos.*
*ME. tanto nequior es.*

*Habeo prædam, tantum incepi operis.*

Non vnum in his peccatum, etſi nullum agnoſcit interpres ideoq; mirificas comminiſcitur explicationes. Primùm traſpoſita verba cum perſonis ſunt: *MES. Quid ergo opuſt? ME. opus eſt.* deinde corrupta illa, *ſcio vt mendices.* Emendò:

*ME. Opus eſt. MES. quid* (vel *quod*) *ergo opuſt? ME. ſcio, vt me dices. ME. tanto nequior* (*es.*)

*ME. Habeo prædam.*

Ait Menæchmus, cum ſeruũ vocaſſet, Opus ſibi eſſe, vel vt poſteà loquitur, Opus ſe incepiſſe. quærit ille, quodnam? Veretur hic ꝯfiteri ſtatim, & reprehenſionẽ conuiciaq; metuit à ſuo ſibi ſeruo. Itaq; præfatur, ſcio, quæ me dicturus ſis: nequam ſcilicet ac nihili hominem. at ille, tanto igitur nequior es, qui ſciens tamen nõ caueas. Obſcurum illis fuit, *vt me dices*, qui mutarũt: & qui id mutarunt, reliqua etiam traduxerunt, vt iſta ſcilicet cohærerent, *Opus eſt, vt mendices.* Egregiè. Terentium non meminerant ſaltem, nec vel illum intellexerant ita quoq; loquentem Phormione: *Videas, te atq; illum vt narres.* Nam Plauti ſimilia plura dedimus alio loco: quibus hoc nunc addatur è Perſa: *PÆ. Satis iam dictũ habeo. SO. ſed quid tu? confitere, vt te autumo? PÆ. Fatear, ſi ita ſim.*

## CAPVT V.

*In dies ſingulas eſcas edere. Ac, iterum. Argutia in particulis Huic, Mihi, Tibi, cum verbo auferendi & eſuriendi. Leues aliquot emendationes in verbis: grauiores hæ deinde in verſu iterato, qui eiectus; tum interpretationes in obſcurioribus, qui correcti contra Interpretem & illuſtrati.*

NE illud quidem rectè Interpres, quod erat facilius tamen; ſcenâ *Plus annos.*

*Affatim eſt hominum indies, qui ſingulas eſcas edunt.*

Quos ille nobis fingit eſcatum ſingularum eſores? non vnius generis: vel qui domi prandent, vel ſoli cænant, vel qui cibo vno cõtenti dapes plures aut lautiores ſibi non apponunt. Nullos horum Plautus dixit, vt quos dixerit facilius tu videas, verba ſic ſcribito & interducito:

*Affatim eſt hominum, in dies qui ſingulas eſculas edunt.*

Et quid ego iam interpreter, illos dici, qui ſemel in die cibum ſumant? Alia ſcena eſt, *Potin vt quieſcas.* Ibi interpolata iſta:

*Non hercle is ſum, qui ſum, niſi hanc iniuriam*
*Meq; vltus pulcrè fuero. obſeruabo, quid agat,*
*Hominem. poſt deinde adibo ego hunc atq; alloquar.*

cognoſcimus è priſcis libris, qui ita: *Hunc primum. poſt hunc hominem adibo.* Ac facile eſt emendare:

*——— obſeruabo, quid agat,*
*Hinc primùm: poſt deinde hominem adibo atq; alloquar.*

Poſtea non laborant hæc, niſi fortaſſis ab interpunctione:

*PE. Ne-*

Digitized by Google

*PE. Nequeo, quæ loquitur, exaudire, clanculum,*
*Satur nunc loquitur de me & de parti mea.*

Sed ab ea quoque leuiter: & leuis correctio,

*PE. Nequeo quæ loquitur exaudire. clanculum*
*Satur nunc loquitur.*

Rurſus alia ſcena, in qua vnum hoc notamus:

*ME. Nunquam hercle factum eſt. AN. an non meminiſti obſecro?*

Corrigendum hic quoque ſcilicet *au*, quod item ſuperius paullò: *AN. au! non meminiſti obſecro?* Sed addatur & alterum, ſic ſcribendos iſtos verſus:

*ME. Non habeo. AN. at tu quandoq; habebis, tum dato.*
*Numquid vis? ME. hac me curaturum dicito.*

quamquam in priore, *quandoq;* inuito nemini obtrudam: in altero, *me* alterum audacter quamuis expungo. Magnis nũc gradibus, vt vides, imus, ac facilè multa tranſimus. Sed erit breui, vt denuò adhæreſcamus. Scenâ, *Vt hoc:*

*Qui neq; leges, neq; æquum bonum vſquam Colunt.*

Inſerunt veteres, *neq; æquum neq; bonum.* Quis adeò recipere tergiuerſetur? Poſt pluria ibidem:

*ME. Dic mea vxor, quid tibi nunc ægrè eſt? PE. bellus blanditur tibi.*

non etiam ſpernas, quod quidam vetus habet, *quid tibi nam ægrè eſt?* Ac ſupra de ea forma non ſemel.
*Ellus* etiam, pro *bellus* queas ſuſpicari. Poſt pauciora:

*—ME. quid hoc eſt vxor? quid nam hic narrauit tibi?*
*Quid id eſt? quid taces? quin dicis quid ſit? VX. quaſi tu neſcias.*
*Palla mihi eſt domo ſurrepta. ME. palla ſurrepta eſt tibi?*

Hic iam incipimus obhærere: ſed haud difficulter eluctabimur. Aio delendum poſtremum horum verſum, qui præmaturè poſitus hic & ſuperuacuè, paullò pòſt iterum, & ſuo demum loco ſcriptus:

*—VX. quando nihil pudet,*
*Neq; vis tua voluntate ipſe profiteri, audi atq; ades:*
*Et quid triſtis, & quid hic mihi dixerit, faxo ſcias.*
*Palla eſt mihi domo ſurrepta. ME. palla ſurrepta eſt tibi?*

Vides, nunc demum effari vxorem, poſtquam ipſe fateri nihil vltrò voluit: atque id ipſa atteſtatur. vt mireris, quo iudicio quis idem ſupra dicentem fecerit. & quo animo tulerint hactenus alii, nec aduerterint ineptiſſimam repetitionem. Tu obterere nõ dubitabis: & obtrito, reliqua ſic nectes:

*Quid id eſt? quid taces? quin dicis, quid ſit? VX. quaſi tu neſcias,*
*Me rogas. ME. pol haud rogem te, ſi ſciam.*

Sed alteri loco, vbi rectè is verſus, quid argutiæ porrò ineſt?

*Palla eſt mihi domo ſurrepta. ME. palla ſurrepta eſt tibi?*
*PE. Viden' vti ſceleſtus captat? huic ſurrepta eſt, non tibi.*



Digitized by Google

*Nam profectò tibi ſurrepta ſi eſſet, ſalua nunc foret.*

Mirificè, vt ſolet, torquet ſe Lambinus: nec tamen proficit vel hilum. De ſcripturæ ſinceritate videndum primùm, mox de interpretatione. Germanam Plauti lectionem, vt ego iudico, non habemus: igitur nec ioci ſenſum aſſequimur ſatis. In particulis *huic* & *tibi* obſcuritas, quam diſcutere poſſum ſimilibus exemplis: ſed non poſſum ſine correctione. Cum enim Plauti argutationem alibi in iiſdem voculis iteratam conſidero, permutatæ hîc mihi videntur, & altera ſuppoſita alterius loco. Quòd ſi ita reſtituamus;

*PE. Viden' vti ſceleſtus captat? tibi ſurrepta eſt, non huic.*
*Nam profectò huic ſurrepta ſi eſſet, ſalua nunc foret:*

Facile ſit mentem odorari. Sed prius ſcire & hoc oportet, ad Menæchmum iſta paraſitum loqui, non eius vxorem: quod præter ſententiam ipſam, quæ verbis nunc ineſt, probat etiam ſequens Menæchmi ad illum ſermo: *Nihil mihi tecum eſt.* Senſus autem nunc iſte: Cum mirabundus per ſimulationem quæreret ab vxore maritus, an ſurrepta ei palla eſſet, atque ibi particulam *tibi* vocalius extuliſſet; nequam paraſitus, & vbique intentus ad inuidiam illi faciendam, cauillatur eam in aliam ex ambiguitate partem à captabundo ſic prolatam. Nam torquet *tibi*, quaſi ſit in tuum vſum, vel tuo bono: atque igitur redarguens eum, non huic, inquit, vxori tuæ, ſed tibi, vt tu loqueris, eſt ſurrepta: ſiquidem huic ſurrepta ſi eſſet iſtâ mente, ſalua ſcilicet eſſet. Ita ludere Plautum in ea phraſi, non mirabitur, qui ſimilia cogitabit loca. Tria nunc eorum mihi in memoria: nec ſcio ſi plura apud eum reperiuntur. Simillimus iſte Aululariæ ſcenâ *Foras foras:*

*STR. Quid tibi ſurripui? EV. redde huc ſis. STR. quid tibi vis reddam? EV. rogas?*
*STR. Nihil equide tibi abſtuli. EV. at illud quod tibi abſtuleras cedo.*

Nec diſſimilis Captiuor. Scen. *Quanto in pectore:*

*HE. Eſurire mihi videre. ER. mihi quidem eſurio, non tibi.*

Et Pſeudolo, Sc. *Si vnquam:*

*Iuppiter te mihi ſeruet. SY. immo mihi.*

Hæc de hoc loco noſtra opinio: quam non ægrè feram ab alio conuelli, ſi melior afferatur. Oro autem, qui iudicaturi ſunt, ne temerè traductionem particularum in nobis damnẽt, aut putent licentiorem. Equidem aliter quî poſſent tam intricatæ tricæ ſolui, nullam viam vidi.

## CAPVT VI.

*Non audes? Degerere. Se tenere. Plurium locorum noua, nec paucorum contra alios nouata emendationes cum explicationibus aliis noſtra.*

Dum

DVm falsò repetitum verſum vtrobiq; perſequor, & in ſuo denique cubili, vberiore cohærentium explicatione premo, neglexi interim prudens imprudens intermedium locum, cui debita nunc emendatio reddetur:

*——PE. ô hominem malum!*
*Vt diſſimulat! non potes celare: rem noui probè.*
*Omnia hercle ego edictaui.*

Lego *nouit*: vt de muliere capiatur. Nam hanc nouiſſe iam ait omnia, ſe edictante, nec poſſe, quamuis diſſimulet, celari. *Nouit* inquam lego: niſi tu males vxoris perſonam inſerere ex vetuſtis:

*Vt diſſimulat! VX. non potes celare; rem noui probè.*
*PE. Omnia hercle ego edictaui.*

Ego me, quàm libros, hìc ſequi malo: & ſentire me rectius ſcio, qui continuam orationem agnoſco. Scenâ eadem infra legimus:

*ME. Ego faxo referetur. VX. è re tua, vt opinor, feceris.*
*Nam domum nunquam introibis, niſi feres pallam ſimul.*
*ME. Ego domum?*

Vltimum ſcilicet hoc per ἀποσιώπησιν explendum, Ego domum nunquam introibo? vt Lambino videtur. Mihi illa friget: & ſanè lubens immutata paullum ea verba annectam ſequentibus paraſiti:

*PE. Eho dum, quid mihi futurum eſt, qui tibi hanc operam dedi?*

Nam poſt vxoris verba diſcedit Menæchmus, reſtitanſque paraſitus abeuntem etiam illam quaſi reuocat, & mercedem operæ poſcit. Etſi forſan & quæ ſunt vxoris nunc verba, poſſunt eſſe paraſiti: qui priora ad Menæchmum abeuntem, quaſi conſulens & adſuadens, id quod videntur innuere voces *vt opinor*; reliqua ſic, vt correximus, ad vxorem nec ipſam vlterius morantem. Sed hoc vero ſit modo, parum refert. Proxima ſcena, *Quis hic me*, ſine vitio prorſus ſit, abſque illo ſit vno grandi ſatis & enormi:

*ME. Nimis iracundè hercle. tandem heus tu, tibi dico, mane,*
*Redi. ER. etiamne aſtas? etiam audes meâ reuorti gratiâ?*
*ME. Abiit intrò, occluſit ædes: nunc ego ſum excluſiſſimus.*

Perſona Erotii tollenda, quæ nihil amplius nunc loquitur in ſcena, ſed irata in ædes ſe proripit, deſertumque miſerum Menæchmum nec verbulò dignatur. Ille autem fruſtra ſic fugientem reuocat, vt aſcribam, interpunctis leuiter etiam correctis.

*ME. Nimis iracunda hercle tandem. heus tu, tibi dico, mane:*
*Redi: etiamne aſtas? etiamne audes meâ reuorti gratiâ?*
*Abijt intrò, occluſit ædes.*

Verbum *audes* decepit alios correctores, quod neſciebant valere, vis ſiue etiam dignaris. Ita enim ſuprà quoque:

*ME. Dic modo quod te iubeo. PE. dico, homo lepidiſſime.*
*ME. Ecquid audes de tuo iſtuc addere? PE. atq; hilariſſime.*

Nam exempla alia pueris nota quid perſequamur? Ad ſcenam vltimi, vt diſtribuunt, actus primam veniamus. In ea quoq; vnum adhuc ſaltem, & id leuiſſimum:

*MV. At mihi negabas dudum ſurripuiſſe te,*
*Nunc eandem ante oculos attines. num te pudet?*

Muto, *non te pudet?* Nec adeò nihil intereſt, vtrum hìc horum malis: quæ quàm diuerſa ſint ſignificatione, vulgus haud aduertit. Pergo ad ſubſequentem, *Vt ætas.* Verſum,

*Neſcio quid vos velit ati eſtis inter vos duos:*

vna voce tranſpoſita reddas meliorem:

*Neſcio quid velit ati eſtis vos inter vos duos.*

Deinde:

*Vna opera prohibere ad cœnam ne promittat poſtules:*
*Neue quemquam accipiat alienum apud te.*

Cur *te* maluit, quam *ſe?* Statim: *—ſeruiren' tibi*
*Poſtulas viros? dare vna opera penſum poſtules.*

Veteres immittunt, *vnà illi operâ:* & ego verſus cauſſa, neq; excludente ſententia, admitto. Porrò ego nil muto:

*MV. At ille ſuppilat mihi aurum & pallam ex arcis modo:*
*Me deſpoliat, mea ornamenta iam ad meretrices degerit.*

Nulla enim cauſſa, cur *modo* & *tam* improbem. Sed nec abnuam pro illo, *domo*; pro hoc, *clam* ſupponi. Illud plerumq; hìc additū leges: *Ferebat, hodie tibi quam ſurripuit domo.* Item: *Palla eſt mihi domo ſurrepta.* Item: *Palla inquam perijt domo.* Item: *Cum pallam atque aurum meum Domo ſuppilas vxori tua, & tua Degeris amicæ.* Vbi *degerendi* verbum ſimul iterum vſurpat. Sed quid hæc ſuperſtitioſius inculco? Pòſt, omnes libri exhibent:

*ME. Tun' ſenex ais habitare me hic in illiſce ædibus?*
*SE. Tu negas? ME. nego hercle verò. MV. nimio hæc impudenter negas,*
*Niſi quò nocte hac emigraſti. SE. concede huc ſis filia.*
*Quid tu ais? num hinc emigraſti? ME. quem in locum autem obſecro?*
*SE. Non edepol ſcio. MV. profectò ludit te hic. SE. non tute tenes?*

Sed omnes malè, nec vno modo. Præcipuum id erratum, quòd non obſeruatur, hactenus cum Menæchmo ſolo colloqui ſenem, & deſtitiſſe paullò longius filiam, vt hæc omnia non exaudierit, nec interloquatur, niſi a patre vocata ibi demum, cum ait, *Concede huc ſis filia.* Tamen illam, quaſi propè aſtans ſermones vna miſceret, ad virum fecerunt loquentem ea, quæ ſenex ipſe ad generū: vti contrà, cum vltrò interrogatur, pro illa reſpondentem ſubſtituunt virum: omnia turpiter, & fœda confuſione. Repone ad noſtrum hoc exemplum:

*SE. Tun'*

Digitized by Google

*SE. Tun' negas? ME. nego hercle verò. SE. nimio hoc impudenter negas,*
*Niſi quò nocte hac emigraſti. concede huc ſis filia:*
*Quid tu ais? num hinc emigraſtis? MV. quem in locum.*

Ecce, negante falſo genero de habitatione, miratur eius impudentiam ſenex, & interim emigraſſe hac ipſa nocte aliò ſuſpicatur: quo nomine filiam vocat, & quærit, an igitur emigrarint? *Emigraſtis* enim ibi lego. Reſponſum autem huius non improbo, vt à Gulielmio noſtro conſtitutum: malo tamen ſcribere, vt libri veteres non mutilati planè referunt: *MV. quem in locum, aut quam ob rem obſecro?* Quod ſanè verſus tantum non flagitat, hians nonnihil, ſi *autem* Gulielmianum ſolum, elegans alioqui & ſententiæ aptum, recipiatur. Etiam diuido ibi vocabulum *tu te*. Nam bina ſunt, atque veteres quidam diſiunxerunt. Interrogat ſenex, an non ſe teneat, id eſt ædes ſuas norit. At bonus Lambinus mulieri tribuit, quæ miretur patrem ipſum non ſentire deriſionem Menæchmi illudentis.

## CAPVT VII.

*Pugnorum ſatio & meſſis. Cnui. Traducti aliquot verſus: plures à diuerſis vitiis purgati, & luce explicationum illuſtrati.*

Verſuum integrorum traductiones in hac Comœdia necdum monſtrauimus: offert ſe nunc exemplum vnum, & infrà ſuo loco alterum oſtendemus. Ille verſus:

*ME. Hei mihi, inſanire me aiunt, vltrò cum ipſi inſaniunt.*

multò legitur inferius, quàm vbi debet. Et pignus dem quoduis, niſi poſt hos ſuperiores ſtatim fuit collocandus:

*MV. Viden' tu illi oculos virere? vt viridis exoritur color*
*Ex temporibus atq. fronte! vt oculi ſcintillant! vide.*
*ME. Hei mihi, inſanire me aiunt, vltrò cum ipſi inſaniunt.*

Ac fortaſſis amplius, qui nunc ſequuntur etiam traiiciendi, vt ſit iſte deinceps ordo:

*MV. Vt pandiculans oſcitatur! quid nunc faciam mi pater?*
*SE. Concede huc, mea nata, ab iſtoc quam potes longiſſimè.*
*ME. Quid mihi melius eſt, quàm quando illi me inſanire prædicant,*
*Ego me aſſimulem inſanire, vt illos à me abſterream?*
*Euoë, Euie, Bromie, quò me in ſiluam venatum &c.*

De poſterioribus tamen his non affirmem, etſi valdè ſic concinna ſtructura: ſed concinna quidem, non & planè neceſſaria: quod de priore contendo, nec diſſenſurum quemquam puto diligentius examinantem. Iam illic:

*SE. Filia. MV. heus quid eſt? quid agimus?*

Non conuenit *heus*: magis *heu*, vel *hem*. Aut detur ipſum *heus* patri. Paullò pòſt diſtinguendum ita:

*Ibo adducam, qui hunc hinc tollant, & domi deuinciant,*



Digitized by Google

*Priuſquam turbarum quid faciat amplius. ME. enimuero niſi*
*Occupo aliquod mihi conſilium.*

Nam ſenis etiam eſt illud *amplius*, non Menæchmi. Mox mihi rectum eſt:

*Pugnis me vetas in huius ore quidquam parcere?*

quod ſcio qui mutare velit, *pugnos paſcere*, & alium, qui *ſpargere*: quia tanquam de ſatione & meſſe in hunc modum alibi. Hac fabula inferius:

*Hiſce ego iam ſementem in ore faciam, pugnoſq; obſeram.*

Rudente: *Iam hercle tibi meſſis in ore fiet mergis pugneis.* Abſtineo hîc, & velim vbique ipſe, mecumq; omnes, vbi neceſſitas nulla cogit. Ea cogere videtur, vt illîc verbum inſeratur, quod eſt in aliquo veteriorum codicum:

*ME. Haud male illunc amonit: nunc hunc ego perimam impuriſſimum.*

Nec verſus admodum reluctatur: quamquam hoc aliâs pleno, plena ſententia quoque eſt, ſi *amonebo* ſubintelligatur ἀπὸ κοινοῦ repetendum: aut pro *ego*, ſcribatur *ago* vel *agam*. Id in medio ſit. A paucis verſibus legendum planè ex antiquis:

*ME. Faciam quod iubes, ſecurim capiam ancipitem, atq; hunc ſenem*
*Exoſſabo, deinde dedolabo aſſulatim viſcera.*

Non enim rectè dices exoſſari viſcera ſeni, ſed ipſum: & illa ſaltem dedolari. Scenâ *Quid eſſe*:

*SE. Magna cum cura ego illum curari volo.*
*MED. Quin ſuſpirabo plus ſexcentos in dies.*
*Ita ego illum cura magna curabo tibi.*

Nec hæc, nec alia Lambini planè recta lectio: nec habet vllum locum illud *in dies*. *Sexcenties*, è cuius vltimis ſyllabis illud enatum, ſimpliciter ſcribendum: atq; ita verba deinceps in verſus digerēda:

*MED. Quin ſuſpirabo plus ſexcenties. ita*
*Ego illum cum cura magna curabo tibi.*

Inſerui *cum* de librorum veterum auctoritate, & ea ratione, quia repetere cum aliis verbis ſenis hoc quoque medicus debebat. Vltimum verſum:

*Atq; eccum ipſum hominem. obſeruemus quam rem gerat:*

totum medico aſſcribunt: vix puto rectè. Nam ille qui norit Menæchmum, niſi præmonſtratum? Igitur ſeni priorem partem demus, alteram ſaltem ipſi:

*SE. Atq; eccum ipſum hominem. ME. obſeruemus, quam rem gerat.*

Sequenti ſcenâ in perſonis itidem erratum:

*ME. Quin tu te ſuſpendis? MED. ecquid ſentis? ME. quidni ſentiam?*
*MED. Non poteſt hæc res ellebori iugere obtinerier.*

Ridiculum eſt, medicum interrogare, an ſentiat Menæchmus: & hic verò nimis reſpondeat molliter, ſi illud ab eo quæſitum. Rogat non niſi ſenex, & ipſum medicum, & nihil aliud, quàm ecquid ſentiat inſanum eſſe, qui ſic ſalutantem exceperit: tum medicus,

ſe verò

ſe verò ſentire, & tantum, inquit, eſſe morbum, vt ellebori iugere vix poſſit expugnari. Sic ergo reſtituatur:

*ME. Quin tu te ſuſpendis. SE. ecquid ſentis? MED. quid? ſi ſentiam? Non poteſt haeres.*

Paullò pòſt neſcio ſi verba ſenis etiam medico potius tribuenda:

*Iam hercle occeptat inſanire primulum.*

Suadet ratio ſanè quædam, & ſimilis deinde locus:

*MED. Nunc homo inſanire occeptat.*

Mox illud vitioſum:

*MED. Mane modò. etiam percontabor. SE. aliam occipis fabulam.*

Nec ſine vitio reſtituunt *accipias* vel *occipiſſe*. Non enim iubet alium ordiri ſermonem, qui à verbis ad rem veniri vult, & omnem morã damnat. Ego tentatim:

*MED. Mane modo: etiam percontabor alia. SE. occidis fabulans.*

Et puto verum tetigiſſe. Cum alia percontari etiam velle diceret medicus, grauatur hoc ſenex, & occidis hominem, inquit, tuis fabulis: ad vulgi dictum fortè ſimul alludens, quo medicus importunè garrulus fertur alter ægroto morbus. Ille tamen pergit, & inter alia quærit etiam iſtud:

*Perdormiſcin' vſq; ad lucem?*

ac reſpondet Menæchmus: *facilin' tu dormis curans?*

*Perdormiſco, ſi reſolui argentum, cui debeo.*

Sed nec quærit ille, nec hic reſpondet benè. Vt alia non arguam, verſus qui conſtat? Illene fert in fine verbum *curans?* quod ineptè interpretantur etiam, cùm aliquâ curâ vrgeris. Curare ſcilicet à quoquam ſic vnquam vſurpatum? & ſi ſit; verſus, inquam, an id feret? Mittam vel hoc, vel alia ibidem exagitare: magis operam dabo, vt omnia emendentur. Atque emendata ſic opinor fore:

*Perdormiſcin'? ME. vſq; ad lucem. MED. facilen' obdormis? ME. cubans*

*Obdormiſco, ſi reſolui argentum, cuui debeo.*

Ne mihi quiſquam nugas alias ad hunc locum. Duo Medicus interrogat, & reſpondet alter ad vtrumque: & vtrumque vterque rectè, aptè, verè. Primùm, totamne noctem continuè dormiat, an ſomno interuigilet interrupto, aut diu vigilet abrupto: deinde, quàm facili vtatur illo deo, & an promtè, aut ægrè obdormiſcat. Hic de ſe ita fatetur: & facillimè vix dum lecto compoſitum incipere ſtatim condormire, ſed ſi curis argentariis ſit liber; & hunc tam benè conciliatum ſomnum vno quaſi tractu perducere ad ipſam lucem. *Cuui* ſcripſi cauſsâ verſus, vt alibi *fuuit*, *pluuit*: quod qui nolet, vocalium in medio concurrentium alteram non elidat.

## CAPVT. VIII.

*Satin' hoc pro ſano? Sedatè ſeruire. Ora commentare. Noſcito. Re-*

*ſtitutio ordinis in verſu traiecto vno; in pluribus corruptis aliis, verborum, ſententia, numerorum; firmata vbiq; & declarata.*

ALia in eadem ſcena leuiora ſunt, quæ nolo tamen reticere. Iſte verſus ſcribitur ita rectè:

*Satin' hæc pro ſano maledicta maledictis reſpondeo?*

& ſe tuetur alio ſuprà ſimili:

*Hoc quidem edepol haud pro inſano verbum reſpondit mihi.*

Nec ego quidquam cupio mutare: tamen quia nonnullis in libris *hoc* reperitur, vide ſi ferri & illud poteſt diſtinctiunculâ mutatâ:

*Satin' hoc pro ſano? maledicta maledictis reſpondeo.*

Ferè clarior & planior ita ſenſus. An non, inquit, hoc tamquam ſanus facio, quod maledictis reſpondeo maledicta? Nonne oratio mea ſanitatis indicium eſt meæ, qui quidem parem regeram pro pari? Sed hoc nimis leue forſan, & potuerat taceri. Non nego: quin potuerat & illud:

*Ad me face vt deferatur. S E. itan' cenſes? M E D. quippini?*

neque tamen muſſo. Verſus enim nonnihil intereſt, vt plenius planiuſq; duæ voculæ ſcribantur:

*Ad me face vti deferatur. S E. itane cenſes?*

Etiam iſtud grauius non eſt, & nihilominus dicetur, vt ne Lambino concedamus:

*M E D. Elleborum potabis faxo aliquot hos viginti dies.*

Ita contendo legendum, quidquid ille contra amicum ſuum de altero *aliquos* argutetur. Hoc quoq; par ceteris:

——*tu ſeruos iube, hunc*

*Ad me ferant. S E. iam ego illic faxo erit. M E D. ego abeo. S E. vale.*

Sed non negligo propter verſum, qui *deferant* requirit. Et ſignificantiore hoc compoſito bis antea in hac re vſus. Denique iam illud ſuperat, atque vt ita dicam, præponderat aliâ leuitate:

*Quid illuc eſt, quod me hic homines inſanire prædicant?*

Imitor Lambinum. is *hice* fecit: ego amplius *med' hice*. Quid autem? an non ſatis cauſſæ, quod illud etiam iubet verſus?

Atqui vltimo iam verſu magnus error:

*Hic ergo vſq; ad noctem.*

Magnus? imò nullus. Omiſſum enim de induſtria verbum ſubintelligendum. Eſto. Libri tamen veteres aiunt non omiſſum, & legendum, *Hic ero.* Nunc ſi quid grauius in ſequenti ſcena, videamus. Scribunt hodierni libri:

——*propterea heri imperium*

*Exſequor benè & ſedate ſeruio.*

Priſci pro *ſedatè*, *ſedulo*. Sed nolo hîc illos prævalere. *Sedatè* pendet a ſuperiore iſto: *Cui cor modeſte ſitum eſt.*

Deinceps recentes vetereſq; pariter omnes ſcribunt:

*Metuam ego haud multum quidem, propè eſt, quando*
*Herus, quod ſtrenuè faciam, pretium exſoluet.*

Ego

Digitized by Google

Ego autem ita velim: *Metuam ego, haud malum quidem*. Non enim leuiter ſeſe metuere dicit, qui valdè ſanè metuit, vt ſuperior oratio teſtatur: ſed metuere quidem, non tamen malum. Herum metuit, ne peccet: non pœnam, vbi peccârit. Atque id contra morem ſeruorum aliorum: quos nihil aliàs metuentes tum demum ait metuere, poſtquam promeruerint malum. Se verò ad eorum exemplum eſſe, qui cum culpa carent, tamen interim metuunt, ſoli vtibiles heris, vt hîc, & iiſdem verſibus in Moſtellariâ prædicantur. Sed iam vnum aliquod maiuſculi momenti penſet aliorum tenuitatem. Verſus vltimi ſcenæ eius tranſpoſiti ſunt, atque in ordinem verum ita reponendi:

*——nunc fores pultabo, adeſſe vt me ſciat.*
*Sed metuo, ne ſerò veniam depugnato prœlio,*
*Neq; vtrum ex hoc ſaltu damni ſaluum ſcio eliciam foras.*

Qui nunc poſtremus eſt, in Colonienſi libro omiſſus erat: qua putes niſi traiectionis huius occaſione? Venetus habet ſanè: ſed *meum* legit pro *vtrum*: quo firmari videatur aliorum coniectura, *vt eum* reſcribentium. etſi quidem *vtrum* nunc hoc ordine magis mihi placet. Scenâ, *Per ego:* vbi nunc legimus:

*M E. Ecquis ſuppetias mihi audet afferre? M E S. ego, here, audaciſſimè.*

Plautus ſcripſerat:

*M E. Ecquis ſuppetias mi audet ferre? M E S. Ego, here, atque audaciſſimè.*

Ac ſtatim:

*Mittitis? M E. nunc obſecro te, quiſquis es, operam vt des mihi.*

perſonâ non mutatâ, ſed retractâ: *M E. Mittitis nunc? obſecro te.* Liberatorem nactus Menæchmus ad raptores ſuos confidentiuſculè, Videtis hunc, inquit, & iam me mittitis? Inferius:

*Nimis autem benè ora commentaui atq; ex mea ſententia.*

Non de mento aut commentatione commenta aliorum probo: *carmentaui* tamen aut *carminaui* nec admittam. Quin cò vſque Lambini interpretationem ſequar, vt dicat, ora iis verberibus conſcribillaſſe, tamquam librum commentarium literis. Longius non traham. Ora illorum pro commentario habuit, & in illis commentauit, quod hodie dicimus commentatus eſt. Porrò vbi manumiſſus Meſſenio tamen pro ſeruo futurum ſe ait patrono, atq; orat vt recipiatur:

*——ſed patrone te obſecro,*
*Ne minus imperes mihi, quàm cum tuus ſeruus fui.*
*Apud ted habitabo, & quando ibis, vnà tecum ibo domum.*

languidè & ineptè Menæchmus reſpondet, *Minimè*, quaſi abneget palam: quod ſi feciſſet, aliam ſeruus orationem ſubtexuiſſet, non iſtam; *Nunc ibo in tabernam &c.* Quin tu deles perſonam inculcatam, & coalitum id verbum diuidis viciſſim, continuato ſermone ſeruus vt ita narret:

*——& quando ibis, vnà tecum ibo domum.*
*Mane me: nunc ibo in tabernam: vaſa & argentum tibi*
*Referam.*

Iubet eum exſpectare ſe, dum eat & redeat: quod mox iterat, *heri me mane.* Neque de hac correctione vlli dubitandum. Mox:

*Alij me negant eum eſſe, qui ſum, at q; excludunt foras.*
*Etiam hic, eruum eſſe ſe meum aiebat, quem ego emiſi manu.*

Scribo, *At iam hic.* Opponit varia & diuerſa contrariaque mira. Proxima ſcena, *Men hodie*:

*——M E S. quin modò*
*Eripui homines, qui te ferebant ſublimem, quattuor,*
*Apud hasce ædes.*

Mira locutio, eripui homines: cùm hominibus eripuiſſet ipſum. Traiice verba:

*Eripui te, quem homines ſublimem ferebant quattuor.*

Hypallagen alii volunt, contra quos Lambinus putidius explicat, & de voce *quattuor* nugatur, vnico *t* ſcribendâ. O hominem acutum! Qualem autem verſum facit, ſi breuem ſyllabam iſtam? non equidem par ceteris erit, vti debet. Sed corruperat eum traiectio, vt alius videretur: nunc ſimilem reliquis è noſtra traiectione rurſus agnoſcis. Mox ibidem ediderunt nuper, *Quin ego accurro, teque eripio:* atque ita veteres ſane: verùm placet impenſius *Quòm* recentiorum. Contrà eadem particula in veteribus eſt ſequente ſcenâ *Si voltis*, vbi noſtri *quoad* ſuppoſuerunt:

*M. S O. Pol profectò haud eſt diſſimilis, meam quoad formam noſcito.*

Vtrum melius hic cenſebis? Ego *quòm* antiquom. Nam ſenſus eſt, non, quoad noſco; ſed, cum recognoſco meam formam. Id valet noſcitare: quod qui non ita ceperunt, particulam mutarunt. Eadem vltimâ ſcena:

*Tanquam ſi me emeris argento, liber ſeruibo tibi.*

malo verba collocare, vt in veteribus digeruntur, *ſi emeris me argento.* Et ibidem:

*O ſalue inſperate multis annis, poſtquam conſpicor, Frater.*

Lego diſtinguoq;:

*O ſalue inſperate, multis annis poſt quem conſp.*

Neſcio ſi quis hoc alius anteà monuit, vti dubiâ memoriâ ſuſpicor. ſed eſt tanti, denuò moneri, quia vera emendatio; & immeritò ſpreta, ſi ante nota. Simile Pacuuii Teucro:

*Quàm te poſt multis tueor tempeſtatibus!*

In fine:

*Venibit vxor quoq; etiam, ſi quis emtor venerit.*

Verſus hunc ordinem verborum magis velit: *Venibit quoq; vxor etiam.* etſi vltimam in *venibit* poſſe produci equidem & ſolere in noſtro quoq; plura alia ad eum modum non ignoto.

VALEN-

Digitized by Google

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI MILITEM

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

Clariſſimum Virum

ALDVM MANVTIVM P. F. A. N.

Antiquarium & Oratorem.

QVANTO *cum gaudio*, MANVTI CL. *Romam ſuperioribus annis properaueram, tanto cum dolore diſceſſi indidem, ſanè quidem vtroque maximo, fortaſſe tamen hoc acriore, quem quidem intimas fibras cordis animiq; ſinum omnem mihi ſenſerim penetrare, magis quàm illud anteà, quod ſummum quaſi pectus tantummodo pertentarat. quippe cuius egregij ſpe fructus erectus veniebam, eo maximam penè partem non potitus abibam. Nec enim in Vrbe quæſieram id tantum, quod plerique ſolent, eoq; contenti redeunt, vt antiqua illic monumenta & quæ monſtrari cunq; poſſunt inanima veteris magnificentiæ ſuâ iam ruinâ ſepulta ſigna, quæ nec ipſa quidem omnia mihi licitum meo modo perluſtrare: ſed hodierna & viua cum priſco ſplendore certantia decora viderem. viros inquam claros & doctos: quorum cum perpaucos mihi conuenire daretur & noſcere familiarius, te Manuti ne ſalutare quidem coràm aut intueri propius datum fuit. Impedimentum erat non aliud, niſi deplorata mea valetudo, quæ poſt Neapolitanum iter importuniſſimo ibi tempore me deprehenderat, atq;*

*inuitiſſimum ante diem cœlo Romano cedere, priſtinumque refouendi mei locum reuiſere cogebat. Itaq; cum menſem mihi illic deſtinaſſem non vnum, vix paucis exactis diebus, itinere ſubito Bononiam remigraui. Hic quantam me cum aliorum, tum tui non neglecti, ſed neceſſario poſthabiti iacturam feciſſe non ipſe putas, ſed me putare cenſes? tantam omninò, quantam reparare me poſſe non confido. quantum dolorem hinc atq; inde multis modis hauſiſſe? quantum profectò nec in hunc diem potui ſuperare. Neq; tamen in te fructus omnis periit mihi, quantumuis nec vidi ipſe nec conueni: percepi aliquid ex te per internuncium, comitem meum, cui cum dediſſem meas ſalutandi tui & compellandi vices, tam multa mihi retulit ex te humana & amica, vt non multo plura præſens potuiſſe videar experiri, neq; defuerit mihi quidquam præter ipſum conſpectum tuum & viuam imaginem exoptatiſſimæ faciei. Narrabat idem non de beneuolentia tantum in me inſigni, ſed ſtudiis quoq; tuis literarum: in quibus quid molireris, & diu agitaſſes, etiam monſtraueras comiter & mihi iuſſeras communicari. Et audiui ex eo iſta gratiſſima auditu omnia: inter cetera de Plauto, quem infinitis te poſt omnes correctores locis emendaſſe dixiſſes ſimul & prolato libro, variè quidem illo conſcribillato, oſtendiſſes. Percuſſit hoc me, qui in eodem auctore non indiligenter iam tum fuiſſem, & mirificè affecit: ſed percuſſit affecitque deſiderio maximè, & incredibili cupiditate videndi, quid præſtitiſſes: cuius exſpectationem ægerrimè tuli hactenus, & ferre quidem vlterius non poſſum. Quamobrem cum ad te ſcribere, literisq; confirmare quam tecum præſens abſens ad eum modum inij amicitiam, dudum conſtituiſſem, diſtuli ſemper eam operam, vſque dum mearum aliquid in eundem Plautum commentationum vnà poſſem mittere: quod occaſione nunc tandem nata facio, facioq; ſolam ob iſtam cauſſam, vt his noſtris, quæ qualia ſint iudicare tu debes, ad edenda tua, quæ futura ſperamus optima, vehementius inciteris, & ſolinas aliquando tam diuturnas, præcidaſq; longiores omnes, tibi quidem non minus indecoras, quàm nobis moleſtas & inuiſas mo-*

ſas mo-

Digitized by Google

*ſtæ moræ. Sit hic libellus tuorum flagitator, beneuolus tamen & à beneuolente: quem tu contrà humaniter audies, ac monitus promtè ſatisfacies omnium doctorum magnæ, meæ verò maximæ exſpectationi. De amicitia id te oro, recorderis initium eius, & quam tum erga me pronum oſtendiſti te, tam & fuiſſe conſtantem interea demonſtres, & eſſe deinceps eundem probes. Ego me ſic viciſſim geram, quomodo geſſi ab illo interuallo & antè ſemper, vt obſeruantia cultuq; tui perpetuo, quem egregiis in has literas & propriis & maiorum meritis ab ignoto etiam quouis tibi clariſſimoq; familiæ tuæ nomini vendicare potes, amorem tuum ac cœptam illam beneuolentiam tum iuſtè meritus videar, tum magis in poſterum mereri.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI MILITEM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Vt qui. Quin vt. Inſaniam & inſanè quomodo vſurpentur. Multæ Militis labes initio deterſæ, plerisq; interpretamenti fax adhibita. Verſus vnus maximè controuerſus, penſiculatiùs examinatus, & reſcriptus è Varrone.*

MEnæchmi, non pro inſanis falsò vel inſimulati, vel ſimulantes, ſed verè inſanientes, reſipuerunt maximam partem ab aliorum noſtraq; medicina: nunc Glorioſi Militis Clypeum videamus, quem ſi curare de mandato ipſius ita non poterimus, vt ſplendor ei clarior ſit,

*quàm ſolis radij eſſe olim, cum ſudum eſt, ſolent,*

vtque oculorum præſtinguat aciem lectoribus; à ſitu ſaltem & rubigine vindicabimus, exterſumque diligenter in nitorem tamen aliquem dabimus, vt hebetiorum oculos non feriat, ſed iuuet, & circumfuſam vndique caliginem illuſtratus illuſtret, aſpectuque ſui commendet ſe magis acutioribus etiam, exuto pruſtino horrore. Acroſtichide periochica, ſententia verſus eius claret ſatis:



Digitized by Google

*Licere vt quiret conuenire amantibus:*

ſed verba ſunt maculis interpolatorum nonnihil offuſcata. Nec enim *Licere vt quiret* à Plauto eſſe, cognoſcas ex antiquiore lectione, quæ diuerſa quidem nunc *Liceret vbi quiret*, nunc *Liceret vtique*: & ſcias indidem verum eſſe, *Liceret vt qui.* Plautina particularum harum coniunctio fefellit hactenus hic: quæ alibi tamen apud ipſum crebra. Captiuis SC. *Quò illum:*

*Et eum morbum mihi eſſe, vt qui me opus ſit inſputarier.*

Aſinariâ S C. *Nequeon.*

*An ita tu es animata, vt qui expers matris imperij ſies?*

Bacchidib. S C. *Ibo.*

*Adeon' me fuiſſe fungum, vt qui illi crederem?*

Non inſolens nimis accidet hoc ei, qui vulgatum cogitabit *vt ne*, itemque Plauti aliud *Quin vt*: in quibus vtriſque ſuperfluit *vt*, particularum geminatione: ſed magis in altero, ſiquidem *Quin* ipſum, vbi reſoluis, eſt *quine*: cui tamen etiam *vt* additum Aulular. S C. *Velim te:*

*Neq; occultum id haberi, neq; per metum muſſitari,*
*Quin participem pariter ego te & tu me vt facias.*

Iam primâ fabulæ ipſius ſcenâ, magna loci iſtius obſcuritas:

*P Y. Iſtuc quidem edepol nihil eſt. A R. nihil hercle quidem hoc,*
*Praut alia dicam: tu quæ nunquam feceris.*
*Periuriorem hoc homine ſi quis viderit,*
*Aut gloriarum pleniorem, quàm illic eſt,*
*Me ſibi habeto, & ego me illi mancupio dabo.*
*Ni vnum Epityrum edam apud illum, eſuriens inſanè benè.*

Obſcuritas inquam eſt: etſi Lambino, cui vbiq; omnia, hoc quoq; liquet. Sed per Muſas, qualis interpretatio eius eſt ad poſtremum horum verſum? Eum cogit ſententiâ cohærere cum ſuperioribus, à quîs planè diſſidet, & nullo poteſt modo iungi. Non per ſe poteſt, quia abſurdus, vt mox oſtendemus: non per illos, quia ſenſus eorum iam abſolutus non admittit. Etenim iſta plena oratio eſt, & omnia à ſe vlterius excludit:

*Periuriorem hoc homine ſi quis viderit,*
*Aut gloriarum pleniorem, quàm illic eſt,*
*Me ſibi habeto, & ego me illi mancupio dabo.*

Quis ferat his caudam illam ſuperuacuam appendi? quam vt poſſent quoquo modo ſubnectere, *Ni* fecerunt primò, deinde & amplius interpolarunt, abiectâ voce vnâ, reliquis aliquot traiectis:

*Ni vnum epityrum apud illum eſuriens inſanè edam.*

At in vetuſtioribus omnibus *Si* legitur, nec aliter apud Varronem lib. VI. de L. L. vbi planè etiam ſcribitur integer his omnibus verbis, quorum poſtremum tamen & antiquæ editiones omiſerunt:

*Si vnum*

*Si vnum epityrum edam apud illum eſuriens inſanè benè.*

Ita fluctuatum iam olim hic videmus: atque id opinor, quòd numeros non expedirent, qui difficillimi ſunt ſanè, neque tamen vt eorum ratio iniri nulla ab intelligente poſſit. Ad hoc neque illud viderunt, cui hæreret aduerbium *inſanè*. itaq; cum *eſuriens* iunxêre quidam, alii cum *edam*, inter quos eſt & Lambinus. Atqui velim ab his exemplum, vbi vſurpata locutio hæc ad id exẽplum. Quod ego memini; nunquam *inſanè* iſtâ formâ, cum pro *vehementer*, vt interpretatur ipſe Varro, ſumitur: nunquam aliis orationis partibus reperi iunctum, niſi nominibus, vt iſti, cum quibus loquẽdum iam mihi eſt, loquuntur, adiectiuis, aut inde aduerbiis formatis. Hinc apud Plautum, *inſanùm magnum negotium* Bacchidibus, *inſanè bonam porticum* Moſtellariâ *inſanùm malum* Trinummo: tum *inſanum valde* Neruolaria, è qua Nonius citat *Inſanùm valdè vteriq; deamat*: vnde vir magnus tamen eiicit ipſum *valdè* tanquam gloſſema, paullò inconſideratius. Quidni enim vtraq; iſta, quantumuis eiuſdem ferè ſignificatus, iunxerit Plautus? & verò iunxit neceſſariò, quando vt aio nunc & opinor, dicturus non fuit *inſanùm deamat*: quod non credam vſque eò, dum alio doceat exemplo, cui nihil inſit dubitationis. Itaque nec hic admitto dum, aut committo *inſanè* vel *eſuriens* vel *edam*, ſed prorſus *inſanè benè*. Atque eò diſtinctionem poni volo poſt *eſuriens*, ne ſententia confundatur amplius: quæ talis eſt iam denique totius verſus. Totius, inquam, & ſolius huius verſus. nam nouum diuerſumque à præcedentibus orditur ipſe & perficit ſenſum. Hunc vt clarius perſpicias, verba ſic ordinabis: *inſanè benè ſi eſuriens vnum epityrum apud illum edam*. Elliptica locutio eſt, & ad particulas eas intelliges, eſt vel erit: vti ſolet vulgò, cum dicimus: Benè, ſi hoc vel illud. Cum dixiſſet paraſitus, mancupio ſe futurum illius, qui periurum & glorioſum magis hominem vidiſſet: ſubdit, in iſta ſeruitute bene ac nimis bene futurum ſibi, ſi eſuriens vel epityrum vnum edat. Et iam plura de hoc verba fieri nihil eſt opus, oſtenſa lectione pariter & ſententiâ verâ. Nam veram illam, Varro probauerit ſatis; hanc etiam, verba ſingula totuſque locus accuratiùs examinatus. Ac de numeris iam ante dixi, difficiles quidem, ſed tamen à perito poſſe redigi in ſuas quoque leges. Illud leuius, ſed monendum poſtremò tamen, primo verſu integri loci huius, vt eum hic addaxi, non *hercle quidem hoc*, ſed *hercle hoc quidem* verbulo tranſpoſito legendum verſus cauſsâ, quomodo veteres ipſi planè. Porrò autem alia quoque leuiora huiuſdem ſcenæ hoc ipſo capite complectamur. Proximus priori loco verſus:

*PY. Vbi tu es? AR. eccum edepol. Vel elephanto in India:*

rectius diſtinguetur: *AR. eccum. Edepol vel eleph.*

Inferius:

*Factum eſt hercle, memini fieri,*

traiicienda, vt paullò antè, particula: *Factum hercle eſt.*
Etiam inferius:

*Triginta Sardi, ſexaginta Macedones*
*Sunt homines, tu quos occidiſti vno die:*

non ſcio ſi mutandum,

*——Macedones*
*Sunt, omnes tu quos occ. v. die:*

Etiam nunc inferius:

*A R. Rogitabant: hiccine Achilles eſt, inquit, tibi?*
*Imo eius frater, inquam. innuit illarum altera:*
*Ergo mecaſtor pulcher eſt, inquit, mihi*
*Et liberalis viſus. cæſaries quàm decet!*

Hîc primò non aptè quæſiſſe videtur quæcunque femina fuit, ſi fuit tamen aut quæſiuit vlla, an iſte miles paraſito pro Achille ſit. Rectius quæſierit, an is ipſe ſit Achilles: quod & reſponſo quadrat magis, cum non Achilles quidem, ſed eius frater affirmatur. Deinde, *innuit* valdè ſuſpectum, neque probius *annuit* Lambinianum, niſi cum alia diſtinctione. Poſtremò vetus lectio mutata imprudenter eſt: *vide cæſaries quàm decet.* Melior hæc alterâ, quam & verſus damnat. Eratque in conſpectu miles, cum iſta de eo dicerentur. Ergo totum locum reſcripſerim hunc in modum:

*A R. Rogitabant. hiccine Achilles eſt? inquit mihi.*
*Imò eius frater, inquam. annuit illa. tum altera,*
*Ergo mecaſtor pulcher eſt, inquit mihi,*
*Et liberalis. Vide, cæſaries quàm decet!*

## CAPVT II.

*Oppida ſcenica. D'ridiculo eſſe. Labiorum ductatio, & valga ſuauia poſt alios plenius explicata. Inscribi. Quod Dij volunt, vt Dij voluerunt, formulæ excuſſæ. Atq;. In vicem. Verſus traiectus vnus: plures variè correcti aduerſus alios & illuſtrati.*

PAlæſtrio iam deinceps in hanc fabulam ἀπολογίζεται, non optimo poetæ conſilio, neque præmeditatè aut cautè ſatis ad indecorum euitandum, quod oſtendit iam olim Gulielmius noſter. Sed is Palæſtrio cum ita narrat:

*Hoc oppidum Epheſuſt: inde eſt miles meus herus.*

multi variè locutum eum volunt. quidam *inde*, vt hîc excuſum, alii *indidem*, alii *ibidem*, vulgus librorum *idem*. Rursùm veteres editiones nihil habent horum, ſed ita ſcribunt omiſſo quocunque verbo:

*Hoc oppidum Epheſus eſt: miles meus eſt herus.*

Omnium fortaſſis hæc rectiſſimè. namque & verſus eſt ita plenus, & ſanè ad ſenſum quid addi referat aliud, ego non video. Quin ineptam cenſuerim additionem qualemcunq;. Cum enim Epheſi res tota fingatur agi, quorſum dicatur *ibidem* miles eſſe, quem ibi quidem

Digitized by Google

quidem neceſſe eſt fuiſſe? aut quid ad rem pertinet, Epheſium eum eſſe, vt *inde* vel *indidem* ſcribatur, quorum hoc verſus etiam difficilius admittit? Nugæ ſunt: quæ ſi non ſunt, aliud latere quid putem in vulgato *idem*. Forſan *in diem* fuit. vt in iſtum diem oppidum iſtud Epheſus fore dicatur per iocum, qualis in Prologis alibi ſæpè. Vt Menæch.

*Hæc urbs Epidamnus eſt, dum hæc agitur ſabula.*
*Quando alia agetur, aliud fiet oppidum.*

Et Truculento:

*Athenæ iſtæ ſi ato, ita vt hoc eſt proſcenium,*
*Tantiſper, dum tranſigimus hanc Comœdiam.*

Sed nec hoc probo: lubentiſſimeq; veteres, quas dixi, editiones ſequar. Ex quibus illo ſtatim verſu:

*Is derideculuſt quaquà incedit omnibus:*

colligo non ſincerum planè *derideculus*: & quia *deriſui* habent, eſſe gloſſam credo iſtam alterius æquiualentis vocis *derideculo*: quæ Plautina prorſus. Vt iam dehinc ſcribatur *Is derideculo eſt.* De quo nec ipſo pugnauero tamen. Quantulum enim intereſt, hoc, an alterum, quod nunc libros obtinet, præferatur? Sequitur continuò locus à pluribus iactatus:

*Itaq; hic meretrices labiis dum ductant eum,*
*Maiorem partem videas valgis ſuauiis.*

Nam quis non de valgis ſuauiis aliquid dicendum putauit ſibi? Nec omnia dixerunt tamen, & non omnes apta. Poſt omnes aptiſſimà præter omnes N. V. Douſa patet in Præcidaneis ad Petronium: ſed hic omiſit etiam (pace viri dixerim) vnum, in quo præcipua vis ſententiæ vniuerſæ. *Suauia* non baſia, ſed ipſa labia cum ſummo Scaligero accipit rectè: rectè idem *ductationem labiorum* pro contumelioſa non baſiatione, ſed ſubſannatione: minus rectè *valga ſuauia* pro ipſa oris, inter ſubſannandum, obtortione. Non enim hoc ait Plautus, valgis ſauiis militem a meretricibus aſſiduò tideri, ſed inde adeò, quòd aſſiduò labiis eum ductent, valga ſuauia ipſis eſſe. Dum perpetuò, quaquà incedit miles, per derideculum faſtidientes meretrices oris eum non laſciua, ſed contemnifica obtortione inſectantur, obtorta ſibi ipſis ora fecerunt, vt maxima earum pars ex ſannarum illa frequentatione videatur iam valgis ſuauiis, ſeu labia prauè diſtorta gerat. Hoc voluit poeta, poeticè ferè nimis: quod nemo tot interpretum animaduertit; aut animaduerſum, atque ita ſentire ſe, certè non expreſſit. Porrò quod vulgatur:

*Interim vt hic miles forte Athenas aduenit:*

ex antiqua lectione *Interim iuit hic*, emendandum eſt, *Interibi hic*. Mutatio ſolennis V & B huic etiam errori inter infinitos ſimiles mater. Et aduerbium priſcæ Plautinæq; notæ pro *interea* nemini ignotum. Mox:

*Eamq́; inuitam huc mulierem in Epheſum aduehit.*
*Ego, quanto citius poſſum, mihi nauem paro,*
*Vbi amicam herilem Athenis auectam ſcio.*

Malo primùm *auehit* in primo verſu cum veterib⁹, etſi parua cauſſa. Altero Latinum vix agnoſcam, *quanto citius poſſum*, quod eſt à Lambino: cui nec optime ſubſtituebat Gulielmius noſter *quantocyus*. Omnes veteres, *quantum vnus poſſum*. Accipio inde *quantum poſſum*, quo nihil Plautinius poteſt. At *vnus* an abiiciemus? Liceat, quando verſus abſque eo quidem conſtat. Quid autem, ſi traiiciamus potius? vt illis hæreat, *vnus mihi nauem paro*. Conuenienter hoc ſanè rei: ne comites diu exſpectauerit, ſed ſolus conduxerit ſibi ſtatim nauim, vt quam citiſſimè ad herum perueniret. Eliges, vtrum horum malis. nam vulgatum planè debes nolle. Dicam verò vnum etiam: tranſponendum videri eum ipſum verſum, vt iſte ſit ordo:

*Vbi amicam herilem Athenis auectam ſcio,*
*Ego quantum poſſum, mihi nauem paro,*
*Inſcendo, vt eam rem Naupactum ad herum nunciem.*

Et hunc ordinem meliorem, mihi iam perſuaſi: fortè nec ægrè tibi. Statim eſt:

*Vbi ſumus prouecti in altum, id quod Dij volunt,*
*Capiunt pradones nauim illam, vbi vectus fui.*

Sic magnus Lipſius conſtituit, & ait in rebus ſubitis ita ſolitos loqui. Vellem exempla dediſſet. nam quæ ego legi, non eò ſpectant. Apuleius Apolog. 2. *Verùm, vt Dij voluère, quaſi caca beſtia in caſſum hiauit.* Horat. lib. 1. Od. 12. *Et minax (ſic Dij voluère) ponto Vnda recumbit.*

Virgil. 5. Æneid.

*Iamq́; dies, ni fallor, adeſt, quem ſemper acerbum,*
*Semper honoratum (ſic Dij voluiſtis) habebo.*

Valer. Cato Diris:

*Tanta mea vita, cum diis, fecère rapinam:*

vt Scaliger quidem legit, & ad Græcorũ σὺν θεοῖς trahit, quod in malam etiam partem vult, ſine exemplo tamen is quoque, vſurpatum. Mihi, dicam apertè, nunquam potuit iſta formula in hoc loco ſe probare: nec multum dubito, quin è vulgato *id quod volunt*, corrigendum potius ſit *atq́; aduolant*. Intende in literarum ductum, ſenſum verborum: nec à meo iudicio lõgius abibit tuum. Interim ego mihi ſcribam:

*Vbi ſumus prouecti in altum, atq́; aduolant*
*Pradones, capiunt nauem illam, vbi vectus fui.*

Vſus elegantiſſimus particulæ *atq́;*, & iam notiſſimus. Bina tamen habe ſimillima exempla. Bacchidib.

——*forte vt aſſedi in ſtega,*
*Dum circumſpecto, atq́; ibi tum lembum conſpicor.*

Merca-

Digitized by Google

Mercatore:

*Poſtquam illic quod volui tranſegi, atq; ego conſpicor*
*Nauem ex Rhodo.*

Vſurpatur non planè pro *continuò*, *ſtatim*, vt vbique interpretantur; ſed ita in re inopinata & improuiſa, ſubitaneaq;.

Propius finem difficile eſt vt illud ſanum ſit:

*Et mox ne erretis, hac duarum hodie vicem*
*Et hic & illic mulier feret imaginem.*

Bis repeti quidem *duarum*, & iungi eum *vicem* ſimul & *imaginem*, durum eſt: neque ſententia valdè bona. Plautum ſcripſiſſe credo *in vicem*, id eſt per vices. Nam vicibus, nunc hic, nunc illic, ferebat imaginem duarum. Manifeſtò autem corruptum iſtud ibidem:

*Ita ſublinitum eſt os cuſtodi mulieris.*

Non enim dum ſublinitum erat: & omnia dicuntur in futurum. Veteres *ſublinitur*: quod bonum, niſi melius *ſublinebitur*.

## CAPVT III.

*Curas, an rugas cogitare. Conſilia, facinora coquere, decoquere. Inaudire. In maximum malum cruciatum inſilire. Illi, iſti. De ſublatione ædium in crucem, & ædium metaphorâ ad hominem ſeruum, opiniones aliorum refutatæ. Ædes, vt domus, pro familia. Pede, capite ſiſtere. Scenæ Militis duæ examinantur: multis locis contra viros doctos, pluribus aliàs emendantur, explicantur. Locus Truculento illuſtratur.*

SCenâ, *Niſi hercle*, parua ſunt etiam menda quædam, aliis non ſublata. Nos analecta, vt vbiq;, item illic conuerremus.

*PE. Quære, ego hinc abſceſſero abs te huc interim. illuc ſis vide*
*Quemadmodum abſtitit, ſeuera fronte, curas cogitans.*

Correctio facilis *aſtitit* vel *adſiſtit*, quam libri quoque ſuggerunt vetuſtiores. Non a ſene Palæſtrio, ſed ab hoc ille abſiſtebat, qui priore verſu ſe dicit abſceſſurum. Et ſtatus ſerui deſignatur: vt infrà per idem verbum: *Euge, euge, euſchemè hercle aſtitit*. Ibidem placet Douſica interpretatio τ͂ *cogitans*, vt ſit, cogens, quæ prima genuinaque verbi eſt ex origine ipſa ſignificatio. Sed ego *curas* etiam mutare tentabam, vt *rucas* fieret tranſpoſitis literis, quod eſt *rugas*. Rugarum quidem coactio ſeueræ iſti fronti maximè conuenerit: neq; curarum tamen congregatio minus.

Illicò ſequitur:

*Dextera digitis rationem computat, feriens femur*
*Dexterum ita vehementer, quod tactu ægre ſuppetit.*

Non poteſt ferri lectio hæc, quæ magni tamen viri correctio. Verba ſenſuſque abſurda. Veriſſimum, quod Lambinus excudit, non quia Lambinus probet, ſed quia veteres idem excuſi: *ita, vehementer quod facto opus eſt, ægrè ſuppetit*. Ita namq; diſtinctione iuuabis, vt ordo ſit verborum manifeſtior, & ex illo ſenſus. Femur, inquit,



Digitized by Google

ſerit, per iram fortaſſis aut pænè deſpetationem: adeò ægrè ſuppetit, quod vehementer eſt facto opus. Atq; ita demum verſus integer eſt, qui breuior alias vno pede. Mox etiam:

*Eccere autem capite nutat, non placet quod repperit.*

Mutat vir doctus, *nunc placet:* malè. Nondum repererat, quod placeret. Cur enim deinceps tantoperè laboret etiam in quærendo? Quin ipſa adeò nutatio capitis indicat diſplicere; nec conquieuit antè, quàm ſenex acclamat, *Habet opinor.* Repererat aliquid iam tum, ſed necdum probabat. Itaque amplius de eo deliberat: quo nomine ſubiicitur,

*Quidquid eſt, incoctum non expromet: benè coctum dabit.*

Sic enim illo verſu lego, non *expromit:* & diſtinguo cum illo, quem in altero non ſequor. Quidquid id conſilii eſt, inquit, benè percoquet, vt maturum det, non crudum. Qua metaphorâ libenter vtitur Plautus, aliiq; cum eo, in re conſiliorum. Noſter. Perſâ:

*Vſq; ero domi, dum excoxero lenoni malum.*

Porcius Latro Declamatione in Catilinam: *Conſilia nefaria facinoris in ampliſſimi ciuis M. Leccæ domo decoquebantur.* Sæpè Sidonius Apollinaris: vt lib. 2. Epl. 11. *Cumq; de capeſſendo diademate coniuratio Marcelliana coqueretur, nobilium iuuentutis ſigniferum ſeſe in factione præbuerat.* Deinde:

*Apage, non placet mihi profectò illa ædificatio.*
*Nam os columnatum poetæ ineſſe audiui barbaro.*

Optimè de hoc loco N. Douſa: cui nihil ego, niſi veterem lectionem ab illo neglectam reſtituo. Ea habet, *inaudiui eſſe:* quin melius ac verius, nemo dubitarit. Illud poſteà malè interpunctũ eſt:

*Arripe opem auxiliumq; ad hanc rem properè, hoc non placidè decet.*

Tu facito: *ad hanc rem. properè hoc, non placidè decet.*
At de iſto verſu quando tandem conuenietur?

*Magnum illic honorem incipiſſis, magna munis mœnia.*

Omnes aliquid dixerunt: nec mihi lubet meum ſomnium tacere. Quid, ſi mutes? *Magnam illic, homo, rem incipiſſis.* Vide, ſi placebit. Ego, an ſit emendatio verior, neſcio: ſed certè vix facilior eſt, id ſcio. Dicamne verò, quid illîc deſideretur?

*PA. Vt ſi illic concriminatus ſit aduerſus militem:*

Quidni dicam? A verſu enim deſideratur *ſiet:* id quod in veteribus exſtat. Inferius:

*At quem hominem inueſtigando ſumam operam, hinc diſſimulauero,*
*Qui fuerit conſeruus, qui hodie fuerit ſpectatus ſimiam.*

Verſu poſteriore, poſteriore loco ſcribe *fuit.* Numeris plurimum conſules, ſimulque ſententiæ nonnihil: quæ vt vniuerſa magis iuuetur, auſim & priorem verſum ita legere:

*At quam hominem inueſtigando ſumam operam, hanc diſſimulauero.*

Iam ordinatior equidē verborum ſtructura: Diſſimulabo operam,

quam

Digitized by Google

quam ſumam inueſtigando hominem, quis fuerit, qui ſimiam ſectatus fuit. Propius a fine:

*Res parata eſt, vi pugnandoq; hominem capere certa res eſt.*

Verſus cauſsâ voculas poſtremas duas in vnum contrahe, *reſt.* At ipſum verſum memini olim in ſcenam proximâ ablegare: de quo nunc quieſco. Poſtremo:

*Nam illic eſt Philocomaſio cuſtos meus conſeruus, atq; it foras.*

Emenda, *conſeruus, qui it foras.* Hæc in hanc ſcenam. Alia ſequitur, & in ea non pauciores adhuc mendæ, quædam etiam grauiores. Initio ſtatim:

*Certò edepol ſcio me vidiſſe hic proxima vicinia*
*Philocomaſium herilem amicam ſibi alium quærere.*

Vel verſus indicet vitium, quod & verba innuunt defectiora. Deeſt enim vox, quæ cum *alium* iungatur. Quæ inſerenda autem? an, *ſibi virum alium?* an, *amicam amicum ſibi alium quærere?* Ni verſus habenda ratio foret, non inſererem quidquam, ſed mutarem, *ſibi malum quærere.* Nunc quis ſcit, an non optimum fuerit, *clam* ſaltem particulam immittere, quæ deliteſcere videatur in vltima ſyllaba *rũ amicam?*

*Philocomaſium herilem amicam clam ſibi alium quærere.*

Nam ad *alium* ſubintelligi facilè aliud quid poteſt, quod exprimi non adeò neceſſe. Mox deinde:

*SC. Metuo. PA. quid metuis? SC. ne hercle hodie quantum hic familiarium eſt*
*Maximum in malum cruciatumq; inſiliamus. PA. tu ſali*
*Solus.*

Si hiatum admittis, quem non vbique cauit Plautus, in verſu; dele copulam appenſam voci *cruciatum*, vti ſine illa ſcribũt eam nobis codices antiqui. Et *maximus malus cruciatus* nonne ſic eleganter, vt *maxima mala crux* vel *res?* Poſt pauca:

*Atq; ego illâ aſpicio oſculantem Philocomaſium cum altero.*

Non damno *illâ*, malo tamen *illi*: quod eſt Plauto illìc, vt inferius hac ſcena *iſti*, pro iſtìc.

*PA. Nempe tu iſti ais eſſe herilem concubinam?*

Nam ita ſcribēdum ibi quoque, cum vulgò alterum vſitatius ſcribatur. Corrupta ſæpiſſimè illa, quæ verſuum ratio plerumq; nec rarò libri veteres produnt. Illo verſu tantùm ſuſpicor:

*Tuis nunc cruribus capitiq; fraudem capitalem hinc creas.*

Suſpicor, *cruribus ſcapuliſq;* & hoc inde, quia nec eleganter capiti capitalis fraus creari dicitur, nec aptè in ſupplicio verberali caput & crura iunguntur. Suſpicor etiam deinceps:

*Iterum ſi id verum eſt, tu ei cuſtos additus perieris.*

legendum, *additus, eo perieris*; vt reſpondeat ei, quod in præcedenti verſu, *hoc perieris*: tum vt verſus perficiatur, debilis alias & mancus. Sed mitto ſuſpicari: & iam de iſto loco iudico:

*Edepol facinus fecit audax. hoccine ſi miles ſciat?*
*Credo hercle has ſuſtollat ædes totas, atq; hinc in crucem.*

Tollunt ex altero verſu comma, & *atq;*, continuò interpretantur. hoc viris & iuuenibus doctis aſſentiar ſi ſit opus. in *ædiũ* metaphora non poſſum. nec eſt opus. Quod illud enim metaphoræ genus, aut quæ figura tandem alia, vt pro ædibus homo vnus capiatur? Atqui, aiunt, Pœnulo, Sc. *Quid nunc*, manifeſtum eius exemplum. Huccine ibatis? nec ſatis erat ibi ineptiſſe, niſi huc eædem nugæ accommodarentur? Sed quam illa vana Pœnuli explicatio, ſuo loco oſtendemus: nego ſaltem nunc hîc eidem locum. Quid igitur eſt, quod ædes in crucem ſublatum iri dicuntur? aut tolli qua ratione poſſunt? Labitur eò vir doctus, vt ad morem priſcum trahat, quo in magnis ſceleribus damnati non ipſi tantùm ſupplicio plecterentur, ſed ædes eorum quoque diruerentur. Id quid huc faciat, ego non video: nec ipſe fidit ſibi, cum tandem è Truculento ſimilem, vt videri vult, atq; eſt ſanè, quamquam nõ ex illius ſententia, locum affert, vbi de ædibus tanquam de homine Plautus etiam loquatur. Sc. *Date ſoleas.*

*Quantillo mihi opere nunc perſuaderi poteſt,*
*Vt ego his ſuffringam talos totis ædibus?*

Loquitur ille verò, ſed non tanquam de vno homine, nec quaſi quæ de homine alioqui propriè, μεταφορικῶς ibi de ædibus dicantur. Quin ædes & hîc & illîc pro ipſis ſumuntur hominibus, ſed pluribus, nec alio malo, niſi quo domum vulgò familiam appellamus. Ideò *tota ædes* vtrobique, vt totam familiam intelligamus. Atque in Milite familiares omnes capi debere, teſtes ſunt loci ibidem plures, qui cruciatum domui toti minitantur. Eius ipſius ſcenæ, in qua ſumus, initio verba erant, quæ paullò antè corrigebamus:

*——ne hercle hodie quantum hic familiarium eſt,*
*Maximum in malum cruciatum inſiliamus.*

Scenâ *Niſi hercle* fuit:

*PA. Sis iube tranſire huc quantum poſſit, ſe vt videant domi*
*Familiares: niſi quidem illa nos vult qui ſerui ſumus*
*Propter amorem ſuum omnes crucibus contubernales dari.*

Alia ſunt etiam loca: ſed cui rei cumulemus? Certum ſatis, familię toti militis crucem hanc imminere: quod cum ſit certũ, quid dubitationis relinquitur, ædes ibi totas ita prorſus interpretandas? Nec aliter eſt Truculenti loco: vbi familiæ meretriciæ miles talos ſuffringere minatur ita, quomodo Periplectomenes ſenex fieri iubet hac fabula militis hominibus:

*Niſi hercle defregeritis talos poſthac quemque in tegulis*
*Videritis alienum.*

Atque illa talorum eliſio crebra in Plauto alibi, vt appareat inter ſupplicia ſeruilia ſic taliſragium, vt cruriſragium fuiſſe. Hæc de locis

Digitized by Google

locis his opinio eſt noſtra, quam mihi non tantùm nouitas turbat vſurpationis huiuſce ædium pro familia domus, quantùm ſtabilit conſpirans in eam mentem ipſorum locorum ſententia: quam aliam eſſe non poſſe ſatis eſt demonſtratum. Hic in Milite tamen quòd aiebam aſſenſurum mē iis, qui *atque* pro ſtatim accipiunt, ſi opus ſit: aio nunc, opus non eſſe, ſi *hunc*, ex *hinc* legatur. Per *hunc*, ſcilicet hominem, ſe deſignet, vt reliquos familiares per *has totas ædes*. Sed aiet alius contra, nec hac mutatione opus eſſe: quod non negabo, patiarq; facilè ſententiam aliorum iſta parte præualere, dum noſtra præualeat alterâ potiore. Nunc huiuſdem ſcenæ reliqua ſubtexamus.

*PA. Sceledre, Sceledre. SC. quis homo interminat? PA. eſt te alter audacior?*

*Quis magis dys inimicis natus, quàm tu, atq; iratis?* SC. *quid eſt?*

Audebon' ſollicitare verbum *interminat?* Audacem me dixerint: tamen ſollicitabo. Non faciam autem temerè, ſed cauſsâ certâ neque paruâ. Ea eſt, quia nulla præceſſit interminatio, ſed inclamatio ſeu inuocatio nuda. Quod ſatis cauſſæ eſſe, qui cogitabunt, ſentient. At emendandum etiam planè mecum ſentient, ſi veſtigia conſiderabunt literarum, quas in hunc modum, eiectis perſonis inſititiis, mutamus:

*PA. Sceledre, Sceledre: quis homo in terris nam alter eſt te audacior?*

Præter literarum ductum, etiam ſententiam mihi nunc vide: qua nihil aptius fatebere, niſi malignus es aut imperitus. De diuulſione τῦ *quiſnam* alibi ſuprà non ſemel egimus. Et in fine verſus vna atque altera voeula traiieienda neceſſariò fuit, vt conſtaret verſus: cui ſic conſulendum erat etiam ſi vetus lectio retineretur. Infra:

*Vin iam faciam, vt ſtultiuidum te fatearis?* SC. *age face.*

Non imperfectus hic quidem eſt verſus, perfectior tamen, è veteribus addito alio verbo, *SC. age face, volo:* quod ſententiam illuſtrat etiam, & hîc fuiſſe pareat ex ſequenti verſu, vbi idem hoc repetit, ſcilicet quia præceſſit:

*PA. Neq; te quidquam ſapere corde, neq; oculis uti?* SC. *volo.*

Pòſt, verſus quoq; cauſsâ:

*PA. Quid nunc, ſi ea domi eſt, ſi faciam vt eam hinc exire videas domo:*

tranſpones verba, *exire hinc*. Porrò ibidem:

*SC. Conſilium eſt ita facere. PA. pedes ego iam illam huc tibi ſiſtam in viam.*

Non aptè cum Lambino *pedes* accipietur, pedibus iter faciens, nō alis ſublatus. nam quid hoc ioci intempeſtiui? *Pede* aut *pedibus* ſcribendum puto, vt iocetur in loquendi modo, quo aliàs *capite ſiſtere* dixit. Curculione:

*Quin cadat, quin capite ſiſtat in viam.*

Captiuis: *Nam qui obſtiterit, ore ſiſtet.* Infrà hac Milite:

*Hui illecebroſe! capite ſiſtebas cadum?*

Iam vltimum hic mendum, præpoſitionis omiſſæ in libris noſtris:

*Neq; cuiquam, quam illi noſtra meliuſt famulo familia.*

quam e veteribus induco rursùm, *quàm illi, in noſtra.*

## CAPVT IV.

*Multa variaq; in vnam ſcenam diuinationes, interpretationes nouæ, veteribus quibuſdam aliorum probatis & improbatis.*

PLenius & longius aliquanto caput hoc prius fuit: quam prolixitatem faſtidire pleroſq; ſcio. Sed abſoluere volui quas orſus eram ſcenas: neq; me ſanè iuuat inanitas in his maximè, quæ leuiora, numero debent, quando pondere non poſſunt, æſtimari. Sequitur Sc. *Præcepta*, & in ea primum iſtud:

*PA. At metuo, vt ſatis ſis ſubdola. PA. cedo vel doctas, docebo.*
*Memini malas, vt ſint malæ, mihi pol e quo ſuperſit.*

Hanc ſcripturam prætulerunt omnes: ego Col. Flor. & Aldinam, *mihi ſola ego ſuperſum.* Ait, ad alias malas collatam ſe à nulla, niſi à ſe ipſa ſuperari. Niſi tamen ex altera faciendũ cenſeas potius, *mihi pol quoq; ſuperſit.* Aliis malitiæ multum eſt: mihi vni plus ſatis & nimio nimis. *E quo* non fero prorſus. nam vnde? Nuſquam referas ſatis aptè. Sed ad alia.

*PH. Vbi iſte bonus ſeruus, qui propudij me maximè innocentem*
*Falsò inſimulauit? PA. hem tibi. hic mihi id dixit. PH. tibi quaſo? dixti*
*Tuten' vidiſſe in proximo hic, ſceleſte, me oſculantem?*

Verſu primo ſcribam *maximei*, antiquo flexu: vt non *maximè innocentem*, ſed *propudij maximi* iungas. Altero ridiculè Philocomaſium mirabunda quidem interrogat Palæſtrionem, ipſine Sceledrus dixerit: quaſi vel alii cuiquam ille, vel hæc ab ipſo Palæſtrione delatum ad ſe voluerit diſſimulare. Quin is eâ cauſsâ introierat, vt eam videret & de illius verbis, ipſo ſciente, inſimularet; quæ vnà exiens ſtatim quærit nunc hominem ſibi illum dari, qui detulerit ad ipſum. Corrigas non vno modo. Namque *tibi* vel omittere poſſis, quod non legitur illîc in veteribus, & iungere *quaſo dixti*: vel his iunctis, quia legitur illud tamen in illis ſuperius, iſtic collocare: *Falſo tibi inſimulauit?* Benè; tibi inſimulauit, id eſt, apud vel aduerſum te. Rurſum, quia blandius videtur ad criminatorem pro ſceleſto increpatum *quaſo*, retraxeris id quoq; aliò cum ipſo *tibi* leuiſſimè mutato:

*PH. Vbi iſte bonus ſeruus, qui propudij me maximi innocentem*
*Falsò inſimulauit? vbi quaſo? PA. hem tibi. hic mihi id dixit.*
*PH. dixti*
*Tuten' te vidiſſe.*

Namq;

Namq; & in tertio malim vt hîc ſcripſi, quàm vt in vulgatis: etſi minimi id inter reliqua momenti. Deinceps eſt:

*PA. Pergin' ſceleſte intendere atq; hanc arguere? PH. ecaſtor ergo*
*Mihi haud falſum euenit ſomnium, quod noctu hac ſomniaui.*
*PA. Quid ſomniaſti? PH. ego eloquar. ſed amabo aduortito animum.*

Verſus & loquendi ratio in horum primo tranſponi iubent Philocomaſii iſta *Ergo ecaſtor.* Vltimo *aduortite* legendum, & fortaſſis etiam *ambo.* Nam ad vtrumque ſanè ſomnium narrat, non vnum Palæſtrionem, quod audire & credere Sceledrum plurimùm referebat, nec aliâ niſi huius cauſſâ narratur. Quamquam patrocinari vulgatæ lectioni videtur illud Sceledri paullò pòſt:

*Palæſtrioni ſomnium narratur.*

Sed longè aliter eſt: & aliam non ita pridem illîc quoque lectionem fecit N. Douſa: *Palæſtrionis ſom. narratur.* Huic tamen accedere non poſſum ego. Contra enim omnem rationem eſt, Sceledrum ſcire aut ſuſpicari, Palæſtrionis hæc omnia conſilio & aſtu fingi, dici, geri. Muto perſonam, & Palæſtrionē ipſum facio dicere illum totum verſum:

*PA. Palæſtrionis ſomnium narratur. perge porrò.*

Ita eſt, nec poteſt lepidius. Ad ſpectatores verſus Palæſtrio ſomnii huius auctorem ſe iactat: mox illam narrare porrò iubet. Et verò fuerat ille auctor, qui fallaciam hanc de ſorore gemina cum ſene prius inſtitutam, ingreſſus ad Philocomaſium paullò antè, ei præmonſtrauit: niſi tamen ipſa ſcenam vltrò iuuat ſomnii fictione, cùm rem tantùm vniuerſim informatione rudi ab illo accepiſſet. Atq; ita nihilominus emendatio noſtra procedit. Transfert enim, & meritò, commenti totius in ſe primam laudem primus auctor. Inferius:

*Ita me inſimulat am perperam falſum eſſe ſomniaui.*

Lambinus *falsò.* ſed aduerbia bina vt iungantur? Antiquam lectionem reducendum potius, *perperam fuiſſe ſomniaui.* Statim:

*Heus hercle quàm præſentia omnia! abi intrò & comprecare.*

Accepto Cl. Paſſeratii *omina,* ſi non erunt meliora *ſomnia:* quibus nihil detrahit multitudinis numerus pro vnitatis. Sic quidē *apologus* etiam *præſens* Sticho dicitur, SC. *Ita me dij,* vt hîc ſomnium, quæ pariter quaſi coram geri viderentur. Ibidem mox:

*SC. Timeo quid rerum geſſerim hic, ita dorſus totus prurit.*
*PA. Scin' te periſſe nunc quidem domi certò? SC. certa res eſt,*
*Nunc noſtrum obſeruare oſtium voluiſſe. PA. at Sceledre quaſo.*

A doctiſſimo noſtrate Camerario eſt hoc *voluiſſe,* vnde Gulielmius noſter *volup eſt.* Nam Lambini *ne euolet,* obſecro taceatur. Nec tamen noſter ille rectiſſimè, qui reliqua interpretatur etiam ex ſua magis quàm Plauti mente. Verus ſcriptura eſt, *vbi eſſet.* Inde nihil exſculpo aptius, quàm *vbi eſt.* Oſtium vult obſer-

uare herilis domus, vbi tum Philocomaſium erat. Ita loquebatur initio fabulæ:

*Prædones capiunt nauem illam, vbi vectus fui.*

Sed de hoc quidquid eſt; priora malè diſtincta perſonis, malè intelliguntur: quæ certum eſt ſic reſcribenda:

*PA. Scin' te periſſe? SC. Nunc quidem eſt domi certò. certa res eſt,*
*Nunc noſtrum obſeruare oſtium.*

Non domi periiſſe Palæſtrio Sceledrum ait; ſed hic, domi certò eſſe iam Philocomaſium, quæ iam iam ipſo vidente erat ingreſſa: itaque certò ſtatuit oſtium nunc obſeruare. Maior autem turba in ſequentibus ibidem:

*SC. Me eam non vidiſſe arbitraris? PA. na tu hercle, obſecro, opinor,*
*Reſipiſce. ſi ad herum hæc res peruenerit, peribis pulcrè.*

Viderunt omnes, & quis non videat? non cohærere locum, & illa maxime verba *obſecro, opinor*. Itaque variè varii mutant, hic è Vaticano, ille aliter indidem, alius etiam aliter aliunde. Nihil omnium probo. Veteres editiones hoc legunt ordine: *Na tu hercle opinor obſecro reſpice.* Dico ſedem verborum mutatam, & fuiſſe in autographis, *opinor obſecro reſpice, na tu hercle.* Hinc ad emendationem pergo:

*SC. Me eam non vidiſſe arbitraris? PA. opinor? obſecro reſipiſce.*
*Na tu hercle, ſi ad herum hæc res peruenerit, periſti pulcre.*

Quid poteſt ordinatius, ſeu verba, ſeu ſententiam, ſeu verſus ipſos ſpectes? Omnia in vnum conſpirant: vt qui probaturus hoc non ſit, ei pauca noſtrorum futura ſint proba.

## CAPVT V.

*Commeatus parietem tranſtinet, vtrõq; continet, quomodo hic & Sticho accipienda. Scena iterum integra diligenter expenſa. Multi in ea verſus concinnati, mutata interpuncta, verba emendata, perſonæ diſtincta, ſententia explicata. Locus vnus confuſior, eximiè correctus & enarratus.*

LEntè pergo, vt in tam lenta materia poſſum: dum vbique teneor & circumuenior à multitudine vitiorum, quibus plenior eſt cognominis hæc Militi fabula, quàm ipſe olim gloriatum. Initio tamen ſcenæ ſequentis illud vitium fortè non eſt, & ſi eſt, leue eſt, nec niſi a diſtinctione:

*Quæ me in locis Neptuniis templiſque turbulentis*
*Seruauit ſæuis fluctibus, vbi ſum afflictata multum.*

Nam & hæc vulgaris bona, præ qua nihilominus malle poſſit alius iſtam:

*Seruauit, ſæuis fluctibus vbi ſum affl. multum.*

Leuius etiam erratum in verſus dimenſione deinceps:

*Sed facinus mirum eſt, quomodo hæc hinc nunc potuerit tranſire.*

Syllaba ſupereſt: & monoſyllabam voculam eximũt veteres libri,

*nunc,*

Digitized by Google

*nunc*,qua nec ad ſenſum quidquam opus. Nec eſt in ſimillimo geminoq; planè verſu ſcenæ præcedentis:

*Niſi mirum eſt facinus, quomodo hæc hinc potuerit tranſire.*

Pòſt item quis mendoſum illud affirmarit?

*SC. Men' rogas, hem, qui ſim? PH. quin ego hoc rogem quod neſciam?*

Veriſimile valdè tamen eſt, *homo qui ſim* ſcripſiſſe Plautum: ideò, quia ſic rogauerat Philocomaſium, *quis tu homo es?* Quæ ſequũtur pluſcula magnam habẽt ſimilitudinem cum illis Amphitr. ſc. primâ, vbi Soſiam ſic fecerat Mercurius, vt dubitaret de ſe ipſo, quis eſſet, an idem, qui ſemper, an mutatus, an deniq; ſe ipſum perdidiſſet ſui oblitus: quæ collata magnam lectori parient voluptatem. Inferiùs nec illud vitioſum manifeſtò:

*At iſtuc non decet, & meo adeò hero facis iniuriam.*

*PH. Egone? PA. tute.*

quamquam multò magis Sceledro tam vehementi accuſatori cõuenerit illud *tute*, quam Palæſtrioni, ſecundas velut agenti, & ex ſimulatione leuiter interdum ſcenæ ſeruienti. Sed iſte verius planè iam in verſus legem enormiter peccat:

*An iſta non ſit Philocomaſium, atq; eius alia ſimilis.*

Verba collocant aliter antiqui, *atq; alia eius ſimilis ſit*: rectè, ſi *ſiet* in ipſo fine ſcribas. Porrò autem grauius & occultius mendum:

*PA. Sceledre, manibus amiſiſti prædam. SC. tam ea eſt, quàm potis,*
*Noſtra herilis concubina. vin' tu hoc facere ſtrennuè?*
*PA. Quid faciam? SC. affer mihi machæram huc intus. PA. quid facies ea?*

In his, & quę ſequũtur aliquantò plura, perſonæ vices inter ſe mutarunt. Nam vt nunc res eſt, Sceledrus Palæſtrionem in ædes ad machætam efferendam ire iubet, qui ipſe tamen iit, in ſcena illo reſtitante. Patet hoc ex inferiore loco:

*SC. Heus Palæſtrio, machæra nihil opus. PA. quid iam? aut quid opus eſt?*
*SC. Domi eccam herilem concubinã. PA. quid? domi? SC. in lecto cubat.*

Quid clarius, quàm Sceledrum redire, & renuntiare quæ vidiſſet intus? Ad hoc, iuſſe liquet eundem ad machætam efferendam, qui nunc non allatâ nihil opus eâ dicit. Tum, Palæſtrio certè, dum ille abeſt, ad ſpectatores interim iſta loquitur:

*Neq; eques, neq; pedes profectò quiſquam tanta audacia,*

cum reliquis quæ adhærent. Tamen hunc ab illo mitti faciunt in ædes: quo fieri nihil abſurdius poteſt. Primùm adeò perſonas tibi concinnabo: dein artificium & aſtum Palæſtrionis in hac tota re monſtrabo.

*——SC. tam ea eſt, quàm potis,*
*Noſtra herilis concubina. PA. vin' tu hoc facere ſtrennuè?*
*SC. Quid faciã? PA. affer mihi machærã huc intus. SC. quid facies eã?*

*PA. Introrumpam rectà in ædes, quemq; hîc intus videro*
*Cum Philocomaſio oſculantem, eum ego obtruncabo extempulò.*
*Viſane eſt ea eſſe? SC. Imo edepol planè ea eſt. ſed quomodò*
*Diſſimulabat? PA. abi macharam huc efferr. SC. iam faxo hîc erit.*
*PA. Neq; eques neq; pedes profectò quiſquam tantâ audaciâ,*
*Qui æque faciat confidenter quidquam, quàm quæ mulieres*
*Faciunt: vtrobiq; orationem doctè vt edidit!*
*Vt ſublinitur os cuſtodi cauto, conſeruo meo.*

Simulat Palæſtrio vindicaturum ſe iniuriam illatam herô, ſi ſit eâ Philocomaſium, quæ ad vicinum introiiſſet: itaque in ædes heriles abire Sceledrum iubet & machæram efferre ſibi, qua obtruncet quemcumque oſculantem cum ea vidiſſet. Id autem hoc vaferrimo conſilio: vt, quando Philocomaſium in vicini domum ingreſſa nunc primùm eſſet, ille ſtatim in heri ædibus offenderet eampſe, atque ita non eſſe eandem perſuaderetur. Sed callidiſſimus mortalium & ad omnia fingenda promtiſſimus, vbi hoc conſtituiſſet, iamq; iturus eſſet alter, repente dubitare de conſilio iſto ſe ſimulat, an introrumpendum omninò cum gladio ad vicinum ſit: quippe non explorata ſatis re, neque certò agnita muliere, ſi ſit prorſus herilis illa amica. Inde quaſi ſui pœnitens impetumque reuocans, amplius à conſeruo quærit, *Viſane eſt ea eſſe?* qui vt labantem erigat & impellat hæſitantem, reſpondet, *imò edepol planè ea eſt.* Sed idem addit, *Sed quomodò diſſimulabat!* id quod non interpretabere, tanquam interroget vltrò, quomodo potuerit diſſimulare? Non interrogatio eſt, ſed admiratio: & hoc ait, Planè quidem illa eſt: ſed quàm vafrè & aſtutè diſſimulabat! Ibi Palæſtrio cõfirmatus abire denuò ad efferendũ iubet: atq; illo abeunte, manens in proſcenio pronuntiat illos ſex proximos continuos, vt iam antè dixi, verſus. Quorum poſtremus,

*Nimis beat, quod commeatus tranſtinet iam parietem:*

creditur ab omnibus rectè ita legi, à quibus vnus excludo me, nec aſſentior, quomodo ligna tranſtinere duos parietes dicuntur, ſic & commeatum dici poſſe parietem hunc tranſtinere. Quæ enim commeatus & tigni in hanc mentem ſimilitudo? Neq; tamẽ mutatione magna opus ſit: ſed vocula *iam* in *trans* mutata rem confecerit. id adeò magis, quia eius loco veteres hanc ipſam diſertè habent, qui verbum tamen ipſum *tranſtinet* non habent. Commeatus tranſtinet trans parietem, locutio eſt, ſimillima illi quæ Sticho, SC. *Cum benè.*

*Eâ ibo obſonatum, eâdem referam obſonium*
*Per hortum: vtroq; commeatus continet.*

Ex quo loco volebam etiam olim hîc *continet:* ſed nunc cauſſam fuiſſe vanam intelligo. Quin iam neque *iam* fortaſſis immutandum videatur, ſi *tranſtinet parietem* reſoluas, & præpoſitionem à verbo compoſito, vt ſæpè ſolet, ablatam nomini iungas: vt com-

meatus

meatus tenere trans parietem intelligatur. Ac *tenere* non aliter etiam Stichi illo loco forſan vſurpatũ. nam *continet* eſſe Plauti more poteſt, ſimul tenet i cui opinioni & particula *vtroque* & tota ibi ſententia fauet. At ſi qui ſuperiore in loco Palæſtrionis illam, quã fecimus, hæſitationem minus eſſe cõmodam cenſeant, illis alium proponam dirigendarum perſonarũ modum: qui ſanè mihi quoque nunc vehementius probetur:

*PA. Scelestè manibus amiſiſti prædam. tam ea eſt, quàm potis,*
*Noſtra herilis concubina. Vin' tu hoc facere ſtrenuè?*
*SC. Quid faciam? PA. affer mihi macharam huc intus. SC. quid facies eâ?*
*PA. Introrumpam rectà in ædes, quemq; hic intus videro*
*Cum Philocomaſio oſculantem, eum ego obtruncabo extempulò.*
*SC. Viſane eſt ea eſſe? PA. imo edepol planè ea eſt: ſed quomodo*
*Diſſimulabat? abi macharam huc effer. SC. iam faxo hic erit.*
*PA. Neq; eques neq; pedes profectò &c.*

Hæc explicatione iam vlteriore non egent, tam ſunt omnia clara; ſed nec confirmatione, tam vidẽtur eſſe certa & indubitata. Quod autem eâdem adhuc ſcenâ ſic excuditur prope finem:

*SC. Quid iam? PA. quia hanc attingere auſus mulierem hic in proximo.*

ſententia melior in ea ſuadet, *hinc è proximo*. Nã non id dicere vult, quòd in publico alicubi mulierem attigiſſet, quam attigerat in eo ipſo quo nunc vterque abſtabant loco: ſed quòd è vicini proximi ædibus aliquam ſic tractaſſet.

## CAPVT VI.

*Perrectum in Milite emendando. Correctiones quædam nouiter allatæ: veteribus aliorum detractum, vel additum. Traiectio vna firmata: altera timidè tentata.*

RECtiſſimè vir magnus viderat, ſequente ſcena, *Satin' abijt*, tranſponendum inter illos verſum:

*SC. Ita ſum coactus Periplecomene, vt neſciam*
*Vtrum me poſtulare prius tecum æquum ſiet,*
*Niſi iſtac non eſt hæc, neq; iſta ſit mihi:*
*An me expurgare hic tibi videatur æquius.*

Sed reliquos etiam corrigendos leuiter non viderat: quos è veteribus libris partim, partim ex verſuum ſenſuſque conſiderata ratione ſic reſtitui nos velimus:

*SC. Ita ſum coactus, Periplectomene, vt neſciam*
*Vtrumne poſtulare tecum æquum prius,*
*An me expurgare hic tibi videatur æquius.*
*Niſi ſi iſtac non eſt iſtac, neq; iſtac eſt mihi:*
*Sicut etiam nunc neſcio quid viderim.*
*Ita iſtac huius ſimilis eſt noſtra tua.*



Digitized by Google

In eadem deinde quamquam illud eſt non peſſimum:

*PE. Vidiſtin' iſtam? SC. vidi, & illam & hoſpitem*
*Complexam atq; oſculantem.*

tamen ſcribi interpungique malo: *SC. vidi & illam, & hoſpitem Complexum atq; oſc.* Porrò etiam quæ in Vaticano fuit, eadem eſt in pleriſque antiquioribus iſtius verſus lectio:

*SC. Nunc demum à me inſipienter factum eſſe arbitror.*

de qua nemini hærendum amplius, vti nihil habendum inſipientius vulgatâ. Probat vnicè quod ſubditur, *at non malitioſè tamen Feci.* Vlterius:

*Dato excruciatum me, egomet me dedam tibi.*

ἐμφατικώτερον, *Da tu excruc.* Egomet, inquit, tibi me dedam: tu me porrò da excruciandum tuo arbitratu. Adhuc vlterius:

*PE. Na tu hercle, ſi te dij amant, linguam comprimes.*
*Poſthac etiam illud, quod ſcies, neſciueris,*
*Nec videris, quod videris. SC. benè me mones.*
*Ita facere certum eſt me. ſatin' oratus abijt?*
*Nunquid nunc aliud me vis? PE. ne me noueris.*

Priores hîc verſus ita ſcripſi, vt vellem ſcriptos vbique: de poſterioribus etiam videndũ. In iis, quis oculis ſincerè vtilitatem obtinens ineptiam non peruiderit illorũ? *ſatin' oratus abijt?* Nec interlo... ſeruum ſic deceat, neq; ſenex abierat certè: qui nec abit vſquã ante abitũ illius. Manet enim poſt ipſum: & digreſſurus hic ab eo, quærere id voluit, ſatis ne ſibi exoratus eſſet & placatus. In eam mentem ſcribo, leuiſſimè à veteribus adiutus:

*Ita facere certum eſt. ſed ſatin' oratu's? PE. ſatis.*
*SC. Nunquid nunc aliud me vis?*

Niſi tamen coacta minus ſcriptura videbitur: *ſed ſatin' oratu's? PE. abi.* quam numeri non abhorrent planè. Solet enim Plautus interdum produſcere verbum *es*: ne trochæum putes cõtra ius faſque iambis immiſceri. Ibidem ſtatim:

*Vt miles cum extemplo à foro adueniat domum,*
*Domi comprehendat vnà.*

Corrige: *Domi comprehendar. vnà hic & Palæſtrio*
*Me habent venalem.*

Ac diſtinguit ita quidem Colonienſis vetus: à nobis autem *t* in *r* conuertimus ſaltem. Statim etiam:

*Nam nunc ſatis & plus nimio merui mali.*

Verſus *commerui* requirat: ſed veteres melius inſerunt, *Nam iam nunc ſatis.* Ita igitur potius expleatur. Iam abit Sceledrus, & remanens ſenex de ἀναιδείᾳ eius ita infit:

*PE. Illic hinc abſceſſit. ſat edepol certò ſcio,*
*Occiſam ſæpe ſapere plus multò ſuem,*
*Cum manducatur, ne id quod vidit viderit.*

Parentheſin hîc nobis Lambinus ſtruit: nolo eam ego. Nihil enim

ſen

ſenſe c[?] hærent illa, *Illic hinc abſceſſit, ne id quod vidit, viderit.* Quid veteres autem? Per interrogationem efferunt hæc ſeparatim, *ne id quod vidit viderit?* quaſi miretur ſenex, & hòc dicat: Vtine non viderit id quod vidit? Quam ſententiam non abſurdam difficulter ex iis verbis integram confieri putem. Et eſt aliud, quod ſuſpicor. Quid hoc? ne ſedem commutauerint inter ſe bina diuerſorum verſuum membra. Fluxerit enim oratio percommodè ab hac traiectione:

*Cum manducatur. vſque adhuc actum eſt probè.*
*Nam illum oculi atq; aures atq; opinio*
*Tranſit, ete ad nos, ne id quod vidit, viderit.*

Tamen ægre patior diuelli iam hæc:

*——— vſq; adhuc actum eſt probè:*
*Nimium feſtiuam mulier operam præbuit.*

Sed potius quam à tam commoda traiectione deſiſtam, vnà cum parte illa verſus hunc integrum eòdem tranſtulerim: quod etſi non neceſſarium, tamen ſi quis velit, non incommodum fore dico. Poſtremus eius ſcenæ verſus quot medicos ſortitus eſt & interpretes?

*Ibo intrò: ne, dum abſum, illis ſortito fuam.*

Nec abſurda magnorum virorum ingenioſa commenta, quantumuis diuerſa, cenſeo: ſimplicem tàtùm ex veteri ſcriptura profe[r]am ſententiam, de qua doctiores illi ipſi ſententias porrò ferant. Legunt priſci libri, *illi in ſortito ſiem.* Si *ſient* ſcripſeris, an non alia toleraueris? *Sortito* [Greek] in inflexione, pro ſortitu: quo de nomine ad Caſinam ſuperius agebamus, atque actum ipſum ſortiendi interpretabamur. Iam verò ſenex hic nihil aliud metuit, quam ne reliqui ſenatores illi, dum ipſe abſit, in ipſo opere ſint, ſortitionem iam aggreſſi. Qui ſenſus idem facilior etiam è vulgatiore lectione, *illi ſortiti ſiant.* Sed non addo amplius, nec iudicium interpono de tam controuerſo loco: qui hoc ipſum quidquid eſt quod dixi, iam vltrò dixi in iudicium à me mitti aliorum.

## CAPVT VII.

*Quis homo ſit magis? Vt. Autem. Merces, i. merx. Quidnis ſatis eſt. Scena tota recenſita. In ea traiectio oſtenſa; verſus concinnati; verba, perſona, interpuncta, alia atque alia variè, nec pauca contrà alios, correcta, explicata. Ioci quidam etiam enarrati. Etiam Turpilij locus defenſus.*

LOngam & longè lepidiſſimam illam ſcenam iam ordiamur, in qua tam pro iuuene ſe gerit facetiſſimus noſter ſenex. Huius principio turpiſſimam deprehendo luxationem eius quidem loci, an quo magni viri ſe exercuerunt, neque de illa, quod admirari cogor, quidquam tamen fuere ſuſpicati.

*——— nam opus eſt nunc tuo loco,*
*Vnde inimicus ne quis noſtris ſpolia capiat conſilijs,*
*Vnde inimicus ne quis noſtra ſpolia capiat auribus:*
*Nam bene conſultum, inconſultum eſt, ſi inimicis ſit vſui:*
*Neq; poteſt, quin, ſi id inimicis vſui eſt, obſit mihi.*
*Nam bonum conſilium ſurripitur tibi ſæpiſſime,*
*Si minus cum cura aut catè locus loquendi lectus eſt.*

Vt de binis minimo ſecus ſimillimis & iiſdem pænè verſibus nihil dicam, quos non ſic à Plauto factos, ſed ab hæſitatione deſcriptorum natos geminos nimirum ſuſpicor: ceterorum ordinem confuſum ſententiæ conuincit ordo, qui quidem talem illum retexi vult, vt ipſe retexatur ac retegatur:

*——— nam opus eſt nunc tuo loco,*
*Vnde inimicus ne quis noſtr. &c.*
*Nam bonum conſilium ſurripitur tibi ſæpiſſimè,*
*Si minus cum cura aut catè locus loquendi lectus eſt.*
*Iam (vel Tum) benè conſultum, inconſultum eſt, ſi inimicis ſit vſui:*
*Neq; poteſt, quin, ſi id inimicis vſui eſt, obſit tibi.*
*Quippe ſi reſciuerint inimici conſilium tuum,*
*Tuopte tibi conſilio occludunt linguam & conſtringunt manus:*
*Atq; eadem quæ illis voluiſti facere, ſu, faciunt tibi.*

Iam demum ſenſus omnis in aperto: quem qui verum aut antea vidit, aut nunc non videt, vterq; non ſcio quo ſit ipſe ſenſu. Sequitur ab exiguo interuallo:

*PE. Ecce nos tibi obedientes. PA. facile eſt imperium in bonis.*

Legendum *bonos:* quod videor alibi monuiſſe. Continuò ſequitur:

*Sed volo ſcire, eodem conſilio, quod intus meditati ſumus,*
*Si gerimus rem. PE. magis ad rem non poteſt eſſe vtibile.*
*PA. Imò quid tibi Pleuſides? PL. quodne vobis placeat diſpliceat mihi?*
*PE. Quis homo ſcit magis vſquam, quàm tu, loqui lepide & commode?*

Variè, ſed leuiter omnes peccant verſus. Longior hic, ille breuior, alius aliàs non ſatis expeditus. In conſilium veteres adhibui, qui nonnihil aſſuaſerunt præter quod ipſe ſtatuiſſem:

*Sed volo ſcire, eodem conſilio, quod meditati intus ſumus,*
*Si gerimus rem. PE. imò: magis adeò ad rem eſſe vtibile non poteſt.*
*PA. Quid tibi Pleuſides? PL. quodne placet vobis, diſpliceat mihi?*
*PE. Quis homo ſcit magis vſquam, quàm tu, commode & lepide loqui?*

Quamquam de poſtremo melius fortè conſuli poterat, ſi ſcriberetur:

*PE. Quis homo ſit magis vſquã, quàm tu? loquere lepide & commodè.*

Nota locutio, *hominem eſſe*, crebra M. Tullio etiam, & quibuſcunque priſcis. Rurſum interuallo paruo:

Eaq;

*Eaq; expetere te ex opibus ſummis mei honoris gratia.*

Benè *honoris*, quoniam erga hoſpitem. *Amoris* tamen antiqui, nec id peius: atq; ita ſæpius poſtea de re eadem. Iam maiuſculo:

*PE. Vt apud te exemplum experiundi habeas, ne petas foris.*

*Nam qui ipſe haud amauit, ægrè amantis ingenium inſpicit.*

Poterat deſiſtere Lambinus a perſonarum mutatione, ſi quomodo & ſeni verſus prior conueniret, attendiſſet. Eum ei ſic accommodare par eſt. Non foris exemplum petendum eſt, qui ipſe habeat in ſe, in ſe olim expertus. Ita mihi non aliundè amantium rationes diſcendæ, notæ mihi ipſi pridem & vſu pernotæ: vt facilius ſeruire tuis & indulgere nunc poſſim. Qui enim ipſe nunquam amauit, ægrè amantis ingenium perſpexerit, nec rectè aut promtè conſuluerit. Ego verò vetus amator ab adoleſcentia percallui omnia, & ſcio comitatem in te exercere: qui ne nunc quidem hoc ætatis exaruerim è voluptariis rebus, nec planè ab amoribus ſim alienus. *Vt* in initio horum neque mutari attinebat, etiamſi veteres ipſi *Quum*. Valet illud, quando, vel vbi, quomodo ſæpiculè in Catullo. *At* autem proximo verſu facilè conceſſerim:

*Et ego amoris aliquantum habeo humoriſq; meo etiam in corpore.*

qui longior eſt iuſto, niſi *meo* eximas exemtum editionibus priſcis. Quæ eædem inſerunt rurſus, *vnquam*, minus tamen alias defecto illi:

*Item ero: neq; ego vnquam oblocutor ſum alteri in conuiuio.*

Sed pleniores numeri, cum id receptum. Eiuſmodi verſuum minutiora errata plura atq; infinita ſunt: quæ nec omitti, nec annotari omnia decet. Longius hinc, rectè Cl. Pithœus:

*Tum ad ſaltandum non cinædus malacus æquè eſt quam ego.*

Sed vel *atq; ego* ſcribes etiam, vel *quamde ego*. Pòſt:

*Libera ſunt ædes, liber ſum: ego me vti volo liberè.*

Lambinus ita: veteres aliter, quorum elegantiſſimum *autem* doleo ſic extruſum. Repono:

*Libera ſunt ædes, liber ſum autem ego, me vti volo liberè.*

Diximus alibi de eo; & hîc exemplum tamen iterum habe ex inferiore Milite:

*Facile iſtuc quidem eſt, ſi & illa vult, & ille autem cupit.*

Ait ſenex, & ſe & ædes liberas eſſe: tum velle, vt liberè quiſque ſe & ſuis vtatur. [illegible] *vti* poſuit. Numeros autem explicabis, ſi pedem primum amphimacrum capias, aut ipſum *libera* in diſſyllabũ contrahas pro ſpondæo. Multò inferius:

*Illi inter ſe certant donis, ego mecum muſſito.*

*Bona mea inhiant, certatim dona mittunt & munera.*

Priore verſu non *at ego* cum Lambino, ſed *egomet mecum* facito. Altero *nutricant & munerant* è Vaticano accipiendum: præter hoc ex ſyllaba priore τῦ *dona*, quæ inſuper habetur, *ideò* legendum: *certatim ideò nutricant & munerant*. Sequenti proximè:

*PA. Nimis bona ratione, nimiumq; aperta tu multum vides.*

Propter verſum, *nimi; q; aperta.* Hunc ſequenti:

*Et tibi ſunt gemini & trigemini, ſi te benè habes, liberi.*

Malim *Ei tibi ſunt:* nempe cognati. Atq; etiam, *ſi te benè habens,* nutricando nempe certatim, vt dixit, & munerando. Deinceps:

*PL. O lepidum caput. ita me dij deæq; ament, æquum fuit*
*Deos parauiſſe, vno exemplo ne omnes vitam viuerent.*
*Sicut merci pretium ſtatui, pro virtute vt veneat,*
*Quæ improba eſt, pro mercis vitio dominum pretio pauperet,*
*Itidem diuos diſpertiſſe vitam humanam æquum fuit.*

Oratio non concinna. Facio:

*Sicut merci pretium ſtat, vti pro virtute veneat,*
*Quæ improba eſt merces, pro vitio dominum pretio pauperet:*
*Itidem diuos diſp.*

Veteres apertè *ſtat* habent, cui cum iunctum *vti*, denegarunt vtraque in vnum *ſtatui*. *Merces* autem, pro merx, nominandi caſu dictã Cariſius notat. Non multis interiectis:

*Nam hoſpes nullus iam in amici hoſpitium diuerti poteſt.*

Volebam *nullus vſquam in amici.* ſed veteres, *tam in amici* benè. Nemo ad tam amicum deuerterit, quin, quæ continuò narrat, experiatur. Ille verſus:

*Commodulum obſona, ne magno ſumtu, mihi quiduis ſat eſt.*

in mentem reuocat mihi Turpilianos iſtos:

*Profectò vt quiſq; minimo contentus fuit,*
*Ita fortunatam vitam vixit maximè:*
*Vti Philoſophi aiunt iſti, quis quiduis ſat eſt.*

In quibus locutionem hanc vir maximus corrupit, ſubſtituens, *quis vis* (ſiue *vix*) *ſat eſt.* Peſſimè, & contra Poetæ omnem mentem, ipſiusque rei veritatem. Lucillius ſic alicubi quoque:

*Cum tectum eſt, quiduis ſatis eſt.*

Sed de Plauto tantùm nunc curemus, & hanc adeò ſcenam porrò, quantum poteſt, percurramus. Igitur vbi voracium hominum ſimulatam abſtinentiam, & deinde manifeſtam ingluuiē deſcribit:

*Sed percellunt ſe & procumbunt, dimidiati dum appetunt.*

malim diſtingui, *& procumbunt dimidiati, dum appetunt.* Genuinam ſententiam ſi attendis & diſcubitus rationem cogitas; aſſentieris. Dum ſuperiore toto corpore, id eſt dimidiati procumbūt, ac proni imminent iis, quæ poſita longiuſculè fortè ſunt, præ nimio appetendi ſtudio, ſe veluti percellunt. Mox:

*—— PE. haud centeſimam*
*Partem dixi, atq; otium nunc ſi ſit, poſſim expromere.*

Veteres, *otium rei ſi ſit:* rectè, vt *nunc* ſequenti verſui reddatur, vnde malo iure irrepſit in hunc anteriorem. Illius & numeri poſcūt, & librorum auctoritas tranſſcribit addicitque viciſſim ei ſuum iſtum fugitiuum:

*PA. Igi-*

*PA. Igitur id quod agitur, nunc huic primùm præuorti decet.*

Inde non procul:

*PA. Herus meus ita magnus mœchus mulierum eſt, vt neminem*
*Fuiſſe aquè, neq; futurum credam. PL. credo ego iſtuc idem.*

Quæ nunc Pleuſidis verba ſunt, eſſe Periplectomenis velim: cui magis certè conueniunt, vel ea ratione, quòd militem ciuem & vicinum benè noſſet, de cuius moribus nihil magnoperè Pleuſidi conſtare potuit in Epheſo hoſpiti nouitio & rudi. Firmare id poſſit ſequens etiam ſeni huic proprius locus:

*PE. Edepol quin te de iſto multi cupiunt non mentirier.*
*Sed egò ita eſſe, vt dicis, teneo pulcrè.*

Qui ipſe difficilis, impeditus, & obſcurus Lambino viſus ſententiam non videnti. Tamen conatur: ſed vt qui in tenebris palpant, fruſtra. Lego primùm ego *nunc*, in vicem τῷ *non*: iam facilè ſic expono. Cùm ambigua locutione Palæſtrio ſectari omnes vltrò mulieres in Epheſo militem dixiſſet, hic bonus ſenex eſſe quidem ita ſubiicit, & verum ſe ſcire, ſed eſſe multos vel hîc nunc in iſto theatro, qui mentiri eum cupiant, optentque falſum vtrumuis, ſiue ab vxoribus eorum appeti herum ſuum, ſiue contra ab hoc illas prædicaſſet. Nolint omninò militem talem, qualis memoratur, vxoribus ſuis, atq; etiam vel amicis & filiabus metuentes. Porrò iam:

*Vtiq; eam hic ornatam adducas matronarum modo.*

Verſus & libri ſuadent, *huc ornatam add. in matr. modum.*

Poſteà: —— *PE. audio.*

*PA. Ne me ſurdum verbera: tu ſi audis, ego rectè militi*
*Dabo, à tua mihi vxore dicam delatum & datum,*
*Vt ſe deamet conciliarem.*

Iocum ſubeſſe ſuſpicor, quem non aſſequor, in verbis, *Ne me ſurdum verbera, tu ſi audis.* Interea dum quæram amplius, facilè patior à Lambino partem eorum dari Periplectomeni: ſed tum Palæſtrionem dicere ſtatim malim: *tum, ſi audis.* Ceterùm Gulielmium noſtrum non ſequor *meis* reponenti pro *militi*, quantumuis ita veteres quidam libri. Sed verſus alterum non patitur. Benè. Quid ſequenti autem verſu fiet, ſi ratio ducetur huius ſaltem? Is enim etiam laborat: nec vtrique rectius ſubueneris, niſi vocibus permutatis:

—— *ego rectè dabo*
*Militi: à tua mi vx.*

Nec in reliquis eundem noſtrum probo: magis, & omnium maximè, Pii lectionem, *Vt ſeſe ad eum conciliarem.* Tamen nec meum damnare poſſum ſomnium, *Vt ſed eomet conciliarem.* Eomet, id eſt, eo ipſo annulo: aptè. Quòd ſi veſtigia vulgata etiam vides, nihil ad ea propius accedat. In fine:

*Vt nunc etiam hic agis, actutum partes defendas tuas.*

T 3

Malo *defendes*. ſed quantillum auxilium iſtud? Ipſe totus verſus cuius eſt ſententiæ? Tacet Lambinus, aliique. Mihi perſtringere videatur actorem, vti ſæpe ſolet in ipſos hiſtriones obiter inuehi, ſi poſſint omnia illuc trahi. Priora quidem ſponte eunt, *Vt nunc etiam hic agit*: ſed reliqua non ſequuntur. Igitur in aliam mentem emendarim:

*Vnus etiam hic aget, actutum partes defendas tuas.*

vel, *ac tu tum partes defendes tuas.* Iubet eum properare, ac partes ſuas celeriter curare. nam vnum ſaltem etiam interim acturum, dum neceſſe ſit eſſe ipſum & mulierem cum ancillula paratos. Vnus quidem Lucrio puer in proſcenium venit, & illi mox compoſitâ fallaciâ ſtatim: ſi id eſt, quod Palæſtrio ſentit, vti ſanè certo non poſſum iudicare.

## CAPVT VIII.

*Niſi quia. Eapſe, bis. Aures merum orationis adbibunt. Regio conſilij. Fundare nauem, non profundare. Rogare? Quin? pro quidni? Aliæ locutiones. Bina ſcena coacta in vnum caput. Earum plurima omnis generis, vt vno verbo comprehendantur, emendationes, cum interpretationibus neceſſarijs. Aliorum commenta ibidem refutata ſparſim aut in melius flexa.*

TAndem emenſi ſumus illam enormis ferè prolixitatis ſcenam: ſequentes duas hoc iam capite pertreptabimus, quando percurrere non licebit. Priore *Quantas res:*

*LV. Non opera eſt Sceledro. PA. quid iam? LV. ſorbet dormiens.*
*PA. Quid? ſorbet? LV. illud, ſtertit, volui dicere.*
*Sed quia conſimile eſt, quod ſtertas, quaſi ſorbeas.*

Locus ipſe claret: verſus poſtremus non ſincerus. Suſpendit lectorem, quaſi alius ſit exſpectâdus, ſententiam abſoluturus. At Plautus ita ſcripſit, quod eſt plenius;

*Niſi quia conſimile eſt, quòm ſtertas, quaſi ſorbeas.*

Sic ſolet vſurpari *Niſi*: cui gloſſema ſuppoſuerunt *Sed*, non eiuſdem vſus. Et quamquam vulgò per id interpretantur, non reſpondet tamen omninò. Dein:

*Dimiſit Nardini vini amphoram cellarius.*

Omnes offendit hoc *dimiſit*: quidni me? Nolo tamen quidquam eorum, quæ comminiſcuntur, etſi N. Douſæ *demiſit* in ſpeciem valdè probum. Simplicius eſt & verius *Demſit*. *Vini* eiciunt ibidem propter verſum: ego muto è veteribus *vnam*; ſcriboque totum ex antiqua etiam diſtinctione;

*——tetigit calicem. clanculum*
*Demſit nardini vnam amphoram cellarius.*

Quæ denique ipſa verba vereor ne Palæſtrioni danda ſint, ex hoc pueri ſermone rem ſuſpicanti, & porrò ſtomachanti. *Ehe tu ſceleſte.* Poſt alia:

*Neq; equidem heminas octo expromſi in vrceum,*
*Neq; ille hic calidum ebibit in prandium.*

Verſus & ſententia ducunt ad correctionem:

*Neq; ego quidem h. octo exp. in vrceum,*
*Neq; illic illinc calid. ebib. in prandium,* aut *prandio.*

Statim excuditur:

*——L V. quia enim obſorbui,*
*Nam nimis calebat, amburebat gutturem.*
*Alij ebrij ſunt, alia poſtquam potant via.*
*P A. Bono ſuppromo & promo cellam creditam.*

Hærent in emendatione τῶν *poſtquam* & *via*, nec pergunt, quaſi nihil aliud vitioſum. Et *poſcam* quidem verè: *trna* vel *ama* nimis acutè. Ceterùm tranſpoſitos verſus eſſe quis vidit? Nos ita concinnamus.

*——amburebat gutturem.*
*P A. Bono ſuppromo & promo cellam creditam!*
*Alij ebrij ſunt, alij poſcam potitant,*
*L V. Tu idem hercle faceres.*

Aut ſi tranſpoſitos non concedes, illud quidem cogêris, Palæſtrionis eſſe binos verſus, quos ei coniunctim aſſeruimus. Quid clarius, quàm eum ſtomachari in mores & inæqualem conditionem conſeruorum, indignarique aliis poſcam potandam, alios vino optimo inebriari? Infrà:

*Ne dixeritis obſecro huic veſtram fidem.*

Veterem ordinem verborum quis aut cur mutauit?

*Ne dixeritis huic, obſecro veſtram fidem!*

Ibidem poſtremò:

*Quia Sceledrus dormit, hunc ſubcuſtodem ſuum*
*Foras ablegauit à ſe, dum huc tranſiret, placet.*

Verſus alter exorbitat: redibit in viam traductione, *dum à ſe huc*; quamquam & illud ipſum *à ſe* mutari in *eapſe* debet. Debet, inquam: cùm in antiquis ita ſit liquidò perſcriptum. Repones ergo:

*Foras ablegauit, dum eapſe huc tranſiret: placet.*

Ad alteram nunc ſcenam, quæ hoc capite nobis inſtituta. Ei inter collocutorum perſonas præfigitur etiam *Milphidippa* ancillula: cui' nomẽ deleri melius ſit, quia nullæ eius in ipſa ſcena ſermonis partes, ſed adhuc κωφὸν πρόσωπον heram ſaltem pediſſequio comitatur. Inibi verò primùm:

*A C. Stultitia atq; inſipientia inſulſa atq; maxima hæc ſit.*

credo emendandum *inſulſitas q; maxima*: etſi nihil quidem cogit. Quis tamen elegantius illud non agnoſcat? Sequitur:

*P E. At melius eſt monerier. A C. meretricem commoneri*
*Quàm ſanè magni referat, mihi clam eſt. quin ego me fruſtro,*
*Poſtquam admi, ere aures mea tua moram orationis,*
*Tibi dixi, miles quemadmodum potis eſſes aſſecari.*

Notæ aliorum hîc notæ. *adbibere* & *oratn.* illud accipio, non hoc item: pro quo ipſe faciebam olim *merum*: vt in tralatione maneret, merum orationis adbibere. Viderint alii, ſi benè. Quæ turbæ autem vbique in his verbis, *aſſecari, deartuari, deaſciari, deruncinari, detruncari*, & ſimilibus? Hìc *deaſciari* verum eſſe inde puto, quòd manuſcripti Lambiniani *dea'dare* habuerunt. In eo ſi *d* coalitum reſoluas in *ci*, vides idem verbum eſſe. Sed nihilne aliud in toto loco? Præcipuum nondum etiam dixi. *Fruſtro*, quod maximè putant, minimè ſincerum. *me fruſtro* mutari vult, *met vltrò*. Iam vide vt omnia ſint perpurgata:

*——quin egomet vltrò,*

*Poſtquam adbibêre aures mea tua merum orationes,*
*Tibi dixi, miles quemadmodum potis eſſes deaſciari.*

Sententiam quid ingeram tibi? quæ nunc commoda demum & clara. Nihil ſe meretrix arguta monēdam ait, quæ ipſa, cum paullum audiiſſet ex ſene rei deſtinatæ, vltrò modum ei dixerit perficiendæ. Sed ſubiicit ille:

*P E. At nemo ſolus ſapit. nam ego multos ſæpe vidi*
*Regionem fugere conſilij prius, quam repertam habere.*

Vbi rectiſſimè præeunte Palmerio corrigimus:

*Regionem fugere conſilij, prius quam compertam habuêre.*

ſiue cum Lambino etiam *haberent*. Sed non in eo tantum momenti: maximum in ſententia eruta: multos aberrare ſæpè à conſilii regione, quam compertiſſimam habuerint antè. Nam apage, qui *Rationem* mutant. Illa voce libenter in conſiliis & fraudibus vtitur noſter. Suprà:

*Dum in regionem aſtutiarum mearum te induco.*

Et Pœnuli prologo alias ſimiles coniungit:

*Eius nunc regiones, limites, confinia*
*Determinabo, ei rei ego ſum factus finitor.*

Lambini interpretatione nihil abſurdius. Abſurda autem porrò vulgi lectio:

*P E. Ergo iſtuc metuo, quo venit vobis faciundum vtrumq;:*
*Nam id proderit mihi malitia, malè quod facietis amba.*

Quidam *malitia* tentauit: ſed non hoc ſatis, neq; verum. Scribo:

*P E. Ergo iſtuc metuo, quòd venit vobis faciundum vtrumq;.*
*Nam id proderit mihi, militi malè quod facietis amba.*

Dixerat Acroteleutium: malè, memoriter agere mulieres; benè, obliuiosè. Tum igitur, inquit ſenex, idipſum in vobis metuo, quibus vtrumque eſt agendum, malè & benè ſimul. Etenim dum militi malè facietis, mihi facietis bene: quando quod illi obeſt, idem mihi prodeſt. At rurſus illa:

*A C. Dum neſcientes quid bonum faciamus, ne formida.*
*P E. Mala nulla meretrix eſt. A C. ne pauе, peioribus conuenimus.*

Quorum

Quorum valdè controuerſa lectio, maximè verſus poſterioris. Ego varie conieci, ſed plerorũq; pœnitet. Quod vnum hic afferri dignum mihi viſum, illud eſt:

*A C. Dum ne inſcientes quid bonum faciamus, ne formida.*
*Mala nulla meretrix eſt, ne paue: peiora ibus conueniunt.*

Eludit alterum metus & cautionis eius partem: & noli formidare, ne quid bonum faciamus, inquit, dum ne faciamus inſcientes. Non malæ vocandæ meretrices ſunt, ſed peiora iis nomina conueniunt. Quid autem vererear tamen apponere & aliam coniecturam, ſi cui magis ſe probare poſſit?

*A C. Dua ne ſcientes quid bonum faciamus, ne formida.*
*Mala vna meretrix eſt: nunc dua peiores huc conueniunt.*

Sed ex ariolationibus noſtris erit fortaſſis alius, qui verum eliciat oraculum: atque eo nomine lubentius incerta talia communicamus. Ex quo tamen genere non illud eſt, quod ſtatim:

*——— P A. ceſſo ego illis obuiam ire?*
*Venire ſaluum gaudeo, lepido hercle ornatu incedit.*
*P E. Bene opportuneq; obuiam es Palæſtrio: hem tibi adſunt*
*Quas me iuſſiſti adducere, & quo ornatu. A C. heus noſter eſto.*
*P A. Palæſtrio Acroteleutium ſalutat.*

Ante alia corrigendum hic *incedis*, quomodo veteres ipſi legunt. Alloquitur ipſum ſenem Palæſtrio prior: & in ſalutatione *te* omiſſum eſt, *Venire ſaluum gaudeo.* Pòſt deinde correctum bene verbis coniunctis, *heus noſter eſto*: quæ tamen Acroteleutio data, non rectè. Vt quid enim illa pronuntiet? & ad quem? Non ad ſenem: quia nulla in eo ſic collaudando cauſſa. Non ad Palæſtrionem: quia non norat hominem, neq; conſcium ſciebat adeò non auctorem & architectum eius omnis rei. Palæſtrionis ipſius ſunt, me iudice: qui ſenem collaudat ob benè conciliatas tam lepidas mulierculas. Sub eius igitur perſona continuanda hæc cum ſequentibus: ——— *P A. heus noſter eſto.*

*Palæſtrio Acroteleutium ſalutat. A C. quis hic amabo eſt?*

Nam ſene prius ob diligentiam laudato, conuertitur ad mulierem mox & familiariter etiam ſalutat. Porrò:

*P E. At tua præcepta: de meo nihil his nouum appoſui.*

Bona, nec mutanda fortè ſcriptura: tamen quia *ipſe* veteres habent, vide an ſic fuerit:

*P E. Ad tua præcepta de meo nihil ipſe nouum appoſui.*

Ex iiſdem, proximo verſu:

*A C. Nempe ludificari militem tuum herum vis? P A. elocuta es.*

colligas *rem locuta es.* Deinde:

*P A. Atq; huius uxorem eſſe te volo aſſimulari. A C. fiat.*

probo magis aliorum *aſſimilare*: tum corrigo *fiet*. Ita enim ait ſemper, futurum eſſe, quod ille præit. Mox:

*Quem ego militi darem tuis verbis. A C. nunc vera dicis.*

Inſulsè *nunc* additur: quaſi, quæ antè non vera dixiſſet. Fortè *cun-ctis* fuit: aut ipſum *nunc* antecedentibus eſt nectendum Palæſtrionis. Et ſtatim:

*Bene lineatam ſi ſemel carinam collocauit,*
*Facile eſſe nauem facere, vbi fundata & conſtituta eſt.*
*Nunc hæc carina ſatis profundata bene & ſtatuta eſt.*

Ignotum verbum *profundare*: & cuius vis, ſi qua eſt, abhorret ab hoc loco. Valeat enim profundum facere, quomodo explicaſſe video & rideo Lambinum. At hîc ſenſus requirit, fundamentum ponere, quod dixit priore verſu *fundare*. Mirum eſt, niſi diuinaui verum. *Pro* decurtatum ex *probè*: quod proximo deinde verbo agglutinatum. Reſtituo:

*Nunc hæc carina ſatis probè fundata & benè ſtatuta eſt.*

Quamquam in antiquioribus veſtigium nullum eius eſt, ſed hæc lectio, non dubium quin interpolata: *ſatis & fundata eſt bene & ſtatuta.* Poſt pauca:

*P A. Nempe tu nouiſti militem meum herum? A C. rogare mirum eſt?*
*Populi odium quin nouerim?*

Diſtinguebat aliter & legebat Guliemius noſter: *A C. rogare? mirum. Populi od. quin nouerim.* Non alias malè. Atque ita principio fabulæ, ſi emendes:

*P Y. Habes tabellas? A R. hui rogare? habeo & ſtilum.*

Sic enim melius ex τῷ *vis*, quàm Palmerianum *vah*. Et Terent.

*Ah rogitare? quaſi difficile ſiet.*

Et Horat. Epod.

*Rogare longo putidam te ſeculo,*
*Vires quid eneruet meas?*

Atqui licet aliàs, vt dixi, non malè: non tamen & hoc loco benè. Præſto enim ſcripturam vulgatam ſanam: quam non videri fecit ignotior particulæ *Quin* ſignificatus. Eam pro *Quidni* poni dicebamus ad Amphitruonem, vbi item non intellecta mutabatur. Sed ita perſpicuè & indubitatò hîc ſuprà, S C. *Inde ignem.*

*S C. Men rogas homo qui ſim? P H. quin ego hoc rogem quod neſciam?*

Ibi dum nemo ſollicitauit: & Muſis gratia, cum etiam nemo. Ne tamen tralatitiam nimis putent locutionem, *rogare mirum eſt*: vſurpauit eandem & hîc ſuprà Plautus:

*P A. Præcepta facito vt memineris. P H. toties monere mirum eſt.*

Iam illa hîc in proximo:

——*P A. num ille etiam te nouit? A C. nunquam vidit.*
*Qui nouerit me, quis ego ſim?*

potes abſque interrogatione, coniunctimque legere: *numquam vidit, Qui nouerit me quis ego ſim.* Dein verſus cauſſa e veteribus.

*P A. Vos modo curate. ego illum probè iam oneratum huc acciebo.*

non *accibo*. Poſtremò: ——*hunc ſi dolum dolamus,*

*Quid tibi ego mittam muneris? A C. datne abs ſe mulier operam?*

P E. Lo-

*P E. Lepidus ſum, & comis ſum. A C. confido conſuturum.*

Vir magnus in nequiorem iſta ſententiam commutauit, *datne mulier ab ſe operam?* contra Plauti ſenſum. Non quærit enim ſenex, quid mittendum muliereulæ ſit muneris, aut illa reſpondet, quid velit: ſed quaſi per admirationem, quantum, ait, muneris tibi mittam? Notum ita *quid* vbique frequentari. Locus ſimilis Pſeudolo, SC. *ſi vnquam:*

*P S. I intro. ſed ego quæ tibi bona*
*Dabo & faciam, ſi hanc rem ſobriè accuraſſis!*

In meretriculæ autem verbis *eapſe* corrigendum pro *ab ſe:* quod ſæpè & alii & nos interpolatum ſic in hac etiam Comœdia capite hoc ipſo oſtendimus. Inepta verò etiam ſenis iſta: *Lepidus ſum & comis ſum.* nec aptiora Palmerius fecit, *Lepida eſt & comis eſt.* Emendabis aptiſſimè, *Lepidiſſimam & comiſſimam:* operam ſcilicet, de qua quæſitum erat ab Acroteleutio, an vllam Philocomaſium ipſa daret. Lambino enim ſuum *Lepida ſunt & comis ſunt* condonemus: qua de lectione dicendum aliàs, quod ipſe de Camerariana. Hæc ſcripturæ compendio peccant ſolùm *Lepidiſſam & comiſſam.* Talia autem epitheta *operæ* quis addi neſcit? Vbiq; in Plauto, lepida, feſtiua, benigna, amicabilis, adiurabilis. Et hic v trum, operam à Philocomaſio talem dari, qualem ſenex prædicat è noſtra correctione. Sed & reliqua verba non ſatisfaciunt, *A C. confido conſuturum,* maximè, ſi ſequentibus ſententiâ copulentur. Aldinus codex caſu, an de induſtria, habet, *ac confido:* quaſi ſenex etiam loquatur hæc, neque *ac* nota ſit perſonæ nouæ. Id adeò placet. Nam confidere ſe dicit ſenex omninò rem conſuturam, quando omnes cum ipſa Philocomaſio ſimul tam bonam operam nauent. Ita ſequentibus præponenda Acroteleutii perſona: cui certè non conueniunt hæc magis, quàm ſeni, de fallacia tota rectius iudicanti.

## CAPVT IX.

*Liberi per impoſitionem feſtuca, non & ingenui ſtatim per eandem. Ius ingenuitatis aliud, præter libertatem. De quibus incaute aliorum aſſeueratio & confuſio notata, correcta. Plautinus aliquot verſibus medicina luxq; facta.*

V*oluptas eſt quod agas, ſi id procedit lepidè ex ſententia,* ait noſter proximâ ſcenâ: vere. Nec igitur mihi voluptas, quod hîc ago, quando procedit neſcio an lepidè, non certè prorſus ex ſententia. Tardè nimis enim progredior, & minuta pleraque errata moranturmultum, quæ vt ipſi mihi fatigationem, ita lectori metuo nauſeam ac tædium obiectura. Sed duremus: & parua quoq; non paruum habere momentum putemus, ſine quibus ipſa conſtare magna non poſſunt. Ergo vt quidque ſub manus venerit, leue ſit aut ponderoſius, expendamus: & in iſta Milite porrò ſi non mili-

tari, at quo gradu poſſumus, graſſemur. Eâ ipsâ ſcenâ, cuius ipſe primus verſus huic exordiolo capitis huius occaſionem dedit, tenuia ſunt quædam, & ea pauca, quod gaudeo, maioribus occupatis pridem, quod non doleo. Verſum iſtum,

*PA. Circumſpicito, dum ne quis noſtro hic auceps ſermoni ſiet:*

ſcribe & diſtingue,

*Circumſpicito dum, ne quis auceps noſtro hic ſer. ſiet.*

Illi,

*PY. Quid hic? vnde eſt? PA. à luculenta atq; feſtiua femina:*

inſere, *atq; à feſtiua.* Tum alium deinde:

*Eius nunc mihi annulum ad te ancilla, porrò vt deferrem dedit.*

de veterum librorum ſententia partim, partim mea opinione corrig::

*Eius hunc mi annulum antilla, ad te porrò vt deferrem, dedit.*

Statim:

*PY. Quid? ea ingenua an feſtuca facta, ſerua an libera eſt?*

Ingenioſiſſimè doctiſſimeque Douſa F. hunc emendauit, cui nos numerorum cauſſa tenue neſcio quid adiicimus, quod vix apparebit:

*PY. Quid ea' ingenuan', an feſtucâ facta è ſerua libera eſt?*

De ſententia optimè ille. Nec enim, an ſerua eſſet, militem quæſiſſe patet è Palæſtrionis reſponſo: neque an ingenua per feſtucæ impoſitionem facta, potuit quærere. Nemo enim ſic ingenuus fit, ſed liber. Vbi (vt aliorum aſſertionem temerariam mittam, etſi magni viri fuerunt, qui libertos & ingenuos per feſtucam pariter fieri imprudentiſſimè ſcripſerunt.) verba paullò inconſideratiora notabis eius, quem dixi, cum ingenuum neminem fieri poſſe ait, niſi qui antè fuerit. Imò verò facti ingenui etiam, qui non nati, prorſus vti liberi: ſed non, niſi antè liberi. Quomodo forſan & illius verba capienda, vt ambiguitas tantùm in iis, non inconſiderantia culpanda. Poſt libertatem indultam quidam & in ingenuitatem aſſerebantur: neq; hæc eſt autem plena & iuſta libertas, vt alii opinantur. Non enim ingenuitatis ius datum omnibus, qui manumiſſi etiam iuſta libertate: de qua eruditiſſimè fax vnica priſcorum rituum I. Lipſius ad Annal. Taciti XIII. Ingenuos & libertinos clarè Seneca diſcriminat De beata vita c. 24. *Hominibus prodeſſe natura iubet, ſerui liberiue ſint, ingenui an libertini, iuſtæ libertatis an inter amicos data.* Sed clarius & ad noſtram rem aptius Suetonius Octauio c. 74. *Valerius Meſſalla tradit, neminem vnquam libertinorum adhibitum ab eo cœnæ, excepto Mena, ſed aſſerto in ingenuitatem poſt proditam Sex. Pompeij claſſem.* Mena libertus paternus Sex. Pompeii, claſſis eiuſdem præfectus cum Menecrate fuit, at teſtantibus multis & in his Velleio noſtro lib. 2. Huic quaſi præmiū aut mercedem proditæ eius claſſis Auguſtus ingenuitatem præter alia ornamenta dedit, diu antè libertino. Sed in Plauto inſignis

gnis item porrò hic eiuſdem elegantiſſimi Douſæ emendatio:

*Sed quis ea eſt? P A. ſenis huius vxor Periplectomeni in proximo.*

*Ea demoritur te, atq; ab illo incipit abire, odit ſenem.*

Ita ſublatis interſecantibus perſonis reſtituit, pulcherrimè. Videatur autem etiam *incipit* mutandum, *hinc cupit*: quod tuear ego tamen ſimili infrà locutione. S C. *Quid modi.*

*Quæſo vt memineris, ſi fortè liber fieri occœperim.*

Deinde eſt: ——— *P Y. cupio hercle equidem ſi illa vult.*

*P A. Quæ cupit.*

Veteres cum interrogatione omnes, *Quæ cupit?* melius omninò præ iſto altero languore. Sed quidam & *ne cupit.* Inde verum *Quæne cupit?* Quid ais, inquit, ſi illa velit? quæ quidem non vult, ſed cupit. In triuiis decantatum plus eſſe cupere, quam velle: vnde multum differant etiam cupiditas & voluntas. Et *Quæne* ſimileſque dictiones cum ab aliis, tum a nobis ſatis alibi illuſtratæ. Scenâ eâdem ſubſiſtit verſus infra menſuram & deficit vno ipſo pede:

*Dono habere ſibi, auferre abs te quo lubeat ſibi.*

Sed melius haud expleas, quàm *auferre abs te, abire quò lubeat ſibi.* Cui proximus:

*P Y. Places vt dicis, ſed ne iſtam amittam, & hæc mutet fidem.*

requirit *iſtanc*, vel *ſed enim ne iſtam.*

## CAPVT X.

*Circus ad ludos. Sermo cinerem non quæritans. Vileſt. Siſti. Multa porro in Militem emendationes locorum variorum, vt res & ordo tulit. Defenſa quædam contra alios, quædam aliter mutata. Pleraq; omnia dilucide expoſita, & firmata.*

SVperuacuam moliti ſunt emendationem viri docti primo ſcenæ proximæ verſu, qui rectiſſimè ſcribitur ſic:

*Iam eſt ante ædes circus, vbi ſunt ludi faciendi mihi?*

niſi quòd interrogatio detrahenda etiam, & multò fugienda magis aliorum lectio *Iamne*, quam vel ipſa carminis mẽſura damnat. Ancillula cum prodiiſſet, vidit ſtatim adeſſe quos volebat: nec igitur quærit ſibi circum, ſed paratum ait eſſe, vt ludos ſubitò committat. Quod dicendi genus etiam in Cornicularię fragmento noſtri inuenimus:

*Quid ceſſamus ludos facere? circus noſter ecce adeſt.*

Mox verſus excurrit & ſyllaba amplius trahit iſte:

*M I. Numquis nam hinc propè adeſt, qui rem alienam potius curet, quàm ſuam.*

Subueneris facili medicina, *qui aliena potius curet quàm ſua.* In eodem etiam vel *hic* legendum, vbi iam *hinc*; vel cum Douſa F. *abeſt*, vbi *adeſt*. Sed in proximo ille nimis exorbitat, nec vlla tenetur, in principio potiſſimùm, lege:

*Domo ſi ibit, ac dum huc tranſibit, quæ huius cupiens corporis eſt.*

Lego: *Domina ſi domo huc tranſibit, quæ h. c. corpor. ſt.*

Deinceps ridiculè interpretatur hoc Lambinus:

*Edepol huius ſermones haud cinerem quæritant.*

Nec tamen facilius ferè quidquam. Non requirunt cinerem, quo eluantur, nitidentur: quippe iam tum terſi ac ſplendidi. quod elucet clariſſimè è ſequenti verſu, qui ab ipſo Plauto poſitus in interpretamentum prioris:

*P A. Quo argumento? P Y. quia enim loquitur laut. & minimè ſordidè.*

Sordida cinere defricari, & eius in eluendo maximum vſum quis neſcit? At difficilior iam locus, in quo multi conniri parum effecerunt:

*Hercle verò iam allubeſcit primulum, Palæſtrio.*

*P A. Priuſne quàm illam oculis tuis? P Y. video id quod credo tibi,*

*Cum hac locutus. illa autem abſens adigit me, vt amem hercle hanc quidem.*

Parum, inquam, ab aliis effectum, & eo minus, quòd numeros plerique neglexerunt. Hos non minus, quam ſenſum, verbaque ſingula nos ſpectamus. In verbis magnæ turbæ: ſenſus non fuit vllus, quàm iſtorum: *illa autem abſens adigit me vt amem hercle hanc quidem.* Pugnant cum ratione; contráque colligendum ſit, hæc autem præſens ſubigit vt amem illam abſentem. Sed non iunxit ita Plautus. Et ſerui verba ſunt vltima, *hercle hanc quidem*, cum ſequentibus continuanda. Cetera diſiecta, nec poſita ſuo loco. Nobis omnia videntur in hunc modum aptiſſimè emendata fore:

*P A. Priuſne quàm illam oculis? P Y. tuis video id quod credo tibi.*

*Quid illa autem abſens, cum hac locutu ſubigit me vt amem? P A. hercle hanc quidem*

*Nihil tu amaſſis: mihi hæc deſponſata eſt. tibi ſi illa hodie nupſerit,*

*Ego hanc continuò vxorem ducam*

Bardus & elephantino verè corio circumtectus miles, nihil ſentiens aut ſapiens, niſi ſenſu & corde alieno, cum rueret in amorem nondum viſæ, vidiſſe tamen ait, quia videret oculis Palæſtrionis, quibus id videat omne, quod ipſi credat. Et ſanè quod alii credimus, noſtris an illius oculis videamus haud multum refert: vnò videmus quaſi coràm, quod abſens abſentes credimus ita eſſe. Poſt quam ſententiam, oculis animoque in præſentem ancillulam defixus, & ex illa dominam æſtimans, Quid illa, inquit, formâ tandem ſuâ faciet, cum hæc ſermone me coegerit in amorem? Hoc etſi ambiguum, vtram amari iam à ſe dixiſſet: tamen impotentiam heri ſui tam, vt ille ait, omninoli noſcens & videns ſeruus, metuit aut ſimulat metuere de ancilla ipſa: quam ab eo vetans affectari, ſibique relinqui iubens, Hanc quidem, inquit, ne amaueris tu, & abſtine à mea mihi deſponſata. Hac in emenda-

tione

tione tam perſpicua nihil vides me permiſiſſe mihi magnopere, præter verborum trium traductionem, vnius inſertionem, & vnius denique mutationem. Quorum poſtremum libri veteres, in quis apertè *ſubigit*, ſuaſerunt: reliqua ſententiæ ratio coegit, aliàs defectæ turbatæq;, nec aliter aut vix concinnandæ. Poſt multa, in quibus leuiuſcula quædam tranſilio:

*PY. Age age, vt tibi maximè concinnum eſt. PA. nullum eſt hoc ſtolidius ſaxum.*
*Redeo ad te. quid me voluiſti? MI. quo pacto hoc dudum accepi,*
*Iſtuc fero ad te conſilium. PA. quaſi hunc depereat. MI. teneo iſtuc.*

Scribunt, *Redeo ad te*, &c, ad militem, interpretantur, inconuenientiſſimè. *Venio* debebant, & ad Milphidippam. A milite dimiſſus iam erat, cum is diceret, *Age age vt tibi maximè concinnum eſt*: & abierat, interque eundum illud in eum conuicium fuderat, *nullum eſt hoc ſtolidius ſaxum.* Non ſatis verò ſcio, ſi perſonæ deinceps aliter ibidem tribuendæ. Videntur quidem ita locari melius:

*Iſtuc fero ad te conſilium, quaſi hunc depereat. PA. teneo iſtuc.*
*Collaudato formam.*

Ac ſtatim veteres in eis mutant, ancillæ continenter aſſcribentes hos verſus:

*MI. Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi vt dudum demonſtraui.*
*Tu contrà cura, & contempla, & de meis venator verbis.*

Ita quoque melius, niſi valdè iudicii fallor. Ait, inſtructam ſibi omnem dolorum aciem, nec amplius ſe monendam: ipſe modò contra ſit intentus, & de ſuis verbis captet occaſiones adiuuandi. Porrò illic:

*——PY. magnum me faciam*
*Nunc, quoniam illæc me collaudat. PA. viden' ignauum, vt ſeſe infert?*

Verſus de alia paullò ſcriptura ſententiaq; monet: *PA. vide ignauum. vt ſeſe infert.* Et ſequenti è veteribus inſerendum prouocabulum:

*Quin tu huic reſpondes? hæc illæc eſt ab illa, quam tibi dudum.*

Plurium interuallo:

*Minus à nemine accipies. MI. heu ecaſtor nimis vile eſt tandem.*

Lege *vileſt*, pro vilis eſt: qua de ſcribendi ratione diximus ad Amphitruonem. Non hinc longè:

*MI. Heu ecaſtor hominem periturum! PA. vt ludo? MI. quid ego vt ſublecto os? PA. ſcitè.*
*MI. Sed amabo mitte me actutum.*

Trahit verſus prior vltra menſuram integro pede. Non ergo ſuſpicari liceat, vltimam vocem eius abiiciendam, quæ gloſſema

Y 5

poſſit eſſe? Imò ita verò: ſed & altera demenda fortaſſe, quæ ... ſerit peiore iure. Nec enim *ſublectare* puto dicimus *os*, vt *ſubl...* ſimpliciter autem ſublectare: quod hîc aptiſſimum. Scribo igitur:

*MI. Heu ecaſtor hominem periurum! PA. vt ludo? MI. quid ego ...*
*ſublecto?*
*Sed amabo mitte.*

Deinde ſequitur:

*Dic me omnia quæ vult facturum. MI. facis nunc vt facere æquum,*
*Quum quæ vult, eadem tu vis. PA. non hic inſulſum habet ingeni...*
*MI. Quumq; me oratricem haud ſpreuiſti, ſiuiſtiq; exorare ex te.*

Palæſtrio interiectus de quo loquitur? Si de milite; interroga... nis addenda nota: ſi de ancilla, quod magis opinor, *hæc* ſcr... dum. Verſus autem vltimus, ne non ſit verſus, ita reponendus:

*MI. Quumq; me oratricem haud ſpreuiſti, ſiſtiq; te exorare.*

Huic etiam proximus *admoderari* poſtulat in fine, non *admod...ri*. Sequitur ſcena, *Quid mihi nunc*. A principio non procul:

*Aurum atq; veſtem omnem muliebrem habeat ſibi,*
*Quæ illi inſtruxiſti, ſumat, habeat, auferat.*

Bis *habeat* poni ſanè nolim: atque altero verſu correxerim, *ſumat, ... abeat, auferat*. Dein:

*Quibuſcum comitata recte deueniat domum.*

Forte, *Quibus concomitata*. Porrò autem:

*PA. Cubare in naui lippam atq; oculis turgidis*
*Nauclerus dixit, qui illas aduexit, mihi.*
*PY. Is ad quos nauclerus hoſpitio diuortitur?*
*PA. Quid vis? PY. ecquid fortis? PA. abi ſis hinc.*

Veteres vbi conſulo, naſcitur alia mihi lectio, quam vulgatæ ... fero fidenter:

*Nauclerus dixit, qui illas aduexit, mihi.*
*Is ad hos nauclerus hoſpitio diuortitur.*
*PY. Quid is? ecquid fortis? PA. abi ſis hinc.*

Ita plane illi, de verbis: perſonas a nobis accommodatas ſcies ... turpiter in illis etiam errant. Deinceps:

*PY. Hoc age nunc iſtuc, quod das conſilium mihi?*
*PA. Te cum illâ verba facere de iſtâ re volo.*

Libet etiam perſonas variare:

*PY. Hoc age nunc. PA. iſtuc. PY. quod das conſ. mihi?*

Reuocat à dicterio ſeruum miles, & iubet hoc agere. respondet ... le, agere ſe iſtuc ipſum. Inferius:

*PY. Ibo igitur intrò. tu hîc ante ædes interim*
*Speculare, vt vbi illæc prodeat, me prouoces.*
*PA. Tu modo iſtuc cura, quod agis. PY. curatum id quidem eſt.*

Quid, ſi & hîc eaſdem mutes:

*PA. Tu modo iſtuc cura, quod ais. curatum id quidem eſt.*

Tu tuum cura negotium, ait ſeruus: nam quod me iubes, ve...
ſpe...

ſpeculer ante [illegible] ad te prouocem, id quidem tam cito. Sed ego hic nolo quid [illegible] auctor tibi fieri, cùm nihilo deterior vulgata ſit le[illegible], quæ poſſit vel et melior defendi. Verſu poſtremo:

*Vna exeunte[illegible] video hinc è proxumo.*

tranſpone ſi vis, *Vnà video exeuntes.*

## CAPVT XI.

*Quod exercitus. Ordine ire. Tamen-etſi, in tmeſi. Deos teq; ſpero. Vereri [illegible]. Aliæ loquendi formulæ, quas non eſt minus [illegible]. Correctiones aliorum veteres aſſerta quædam, alia refutata: [illegible]na noſtra plures varij generis allata. Loca ipſa diligenter ex[illegible] & interpretationibus illuſtrata.*

IN[illegible]us facio ut ab aliis dicta reperam: faciundum in hac opera tamen eſt aliquando, cũ optimè a quibuſdam monita ſperni video, quibus aſſ[illegible] negare non poſſum, quam merentur. Vel [illegible] ſequente *Sequimini*, non ſemel emendationes rep[illegible]unt G[illegible] noſtri & Palmerii, quibus elegantius tamen [illegible] nihil neque certius. Tribus verbis has vindicabo: pòſt noua a me dabo. In illis:

*——ſi præſenſerit*
*Mih[illegible] nihil hinc ferri poterit. huius nunc quam maximè*
*Op[illegible]*

exp[illegible] maluerunt *huius*, Acroteleutii, quàm diſtinguere, vt e[illegible] nihil hinc ferri poterit huius. *Nunc quàm max.* Quaſi verò ſolius Acroteleutii dolis opus foret, quod ſequentia [illegible]tellunt pariter & præcedentia. Vim ſimilitudinis primò non attenderunt: qua ſicut aſcendenti ſurſum ex alto puteo periculum ma[illegible] eſt in ſummo, ne recidat; ita hic præcipuè cauendum nunc ſeruus ait, vbi rem propè perduxerint ad ſupremum. Deinde omnium requiri vigilantem operam & inde patet, cum Pleuſides enumerat, qui, quot, & quales excubent in eam rem induſtria communi. Mox cum Palmerio fuit omninò ſcribendum, cuius no[illegible] tamen correctionem leuiter adiuuamus:

*P A. [illegible] apud nos fallaciarum exercitu[illegible], certò ſcio,*
*Oppidum quo[illegible] videtur poſſe expugnari dolis.*

Quantus exercitus, inquit, fallaciarum nobis eſt, facilè quoduis oppidum poſſit expugnari. *Quod exercitus*, pro quantum exercitus, cur admittere noluerunt? cur item nec illam dictionem *Ordine* [illegible] in ſequenti veriſſima eiuſdem coniectura?

*A C. Quaſiq; [illegible] tus cauſſa amoris ex hoc matrimonio*
*A[illegible] cup[illegible] iſtius ſummæ nuptiarum. P A. ordine is:*
*N[illegible] num hoc haſce etiam &c.*

C[illegible] la[illegible] Acroteleutium capita doli, ſeruus, ordine, inquit, & [illegible] omnia narras, niſi tamen vnum etiam tibi hoc addendum. Ante hoc erat:

*P A. [illegible] lepidè & facetè & lautè ludificarier*

*Volo. A C. voluptatem mecaſtor mihi imperas. P A. & ſcin quem*
*ad modum?*

Emendauit alius, *at ſcin.* non valdè neceſſarium id, aut verſui non ſufficiens tamen. Is vt pedibus bonis ſit, *Voluptatem ecaſtor mi im perас* legendum, & ſecundam in *voluptatem* etiam ſyllabam Plauti more corripiendum. Deinde:

*A C. Bene mones. P A. ſed vbi illi exieris intus, iſtuc te procul*
*Ita volo aſſimulare.*

Scribas *iſtic*, cum antiquis. Et ſtatim:

*Quaſiq; eius opulentitatem reuerearis, & ſimul*
*Formam amœnitatis illius, faciem, pulchritudinem*
*Collaudato.*

Mutare tentant *Formam* in *Famam*. Potius *amœnitatis* capiamus amœnitates. quamquam diſertè reponere malim ego:

*Formam, amœnitatem illius, fac. pulchr.*

Dehinc in proximo:

*P A. Sat habeo, nunc tibi, auſculta, quæ imperabo. P L. dicito.*

emenda: *nunc tu auſculta, tibi quæ imper.* Item propè:

*Facito vt venias ornatus huc ornatu nauclerico:*

fac tranſpoſitâ particulâ, *venias huc ornatus orn.* Et inferius:

*Vt ſi itura eſt Athenas, eat tecum ad portum cito.*

traducto item verbulo, *itura Athenas eſt.* Quæ omnia verſus po-poſcunt, & libri veteres in pleriſque aſſentiuntur. Scenâ, quod volui.

*P A. Etiam me? quomodo ego viuam ſine te? P Y. age, es bono animo,*
*Idem ego te liberabo. nam ſi poſſet vllo modo*
*Impetrari vt abiret, ne te abduceret, operam dedi.*
*Verùm oppreſſit. P A. deos ſperabo, teq; poſtremo. tamen*
*Etſi iſtuc mihi acerbum eſt.*

Totum hoc ſic reſtituo:

——*P Y. age, es animo bono:*
*Idem ego te liberabo. nam ſi poſſem vllo modo*
*Impetrare vt abiret, ni (vel etiam, nec) te abduceret, operam dedi.*
*Verùm oppreſſit. P A. deos ſperabo, teq;. Poſtremo, tamen-*
*Etſi iſtuc mihi acerbum eſt.*

De aliis dici nihil eſt opus. Aduerbium vetus *tamenetſi* in tmeſi hic eſt, vt Caſina oſtendit eſſe noſter Gulielmius fine ſcenæ *Maxime.* Formula *Deos teq; ſpero*, Ciſtellariâ etiam SC. *Audire.*

*P H. Deos, teq; ſpero. L A. eoſdem ego.*

*Poſtremò* nouam ſententiam inchoat apud Plautum ſolenniter. Scenæ porrò ſequentis initium eſt:

*M I. Hera eccum præſto militem. A C. vbi is eſt? M I. ad læuam.*
*A C. video.*
*M I. Aſpicito limis oculis, ne ille nos ſe videre ſentiat.*
*A C. Video. M I. edepol nunc nos tempus eſt malas peiores fieri.*

*A C. Tuum*

*A C. Tuum eſt principium, obſecro. tute ipſum conueniſti.*
*Ne parce voci, vt audiat. M I. cum ipſo pol ſum locuta*
*Placidè ipſa, vt lubitum eſt mihi.*

Multa hic inepta: quæ ne refutem longius, vide quomodo corrigam: vnde perſpicies etiam pòſt ineptitudinem priorem.

*M I. Hera eccum præſto militem. A C. vbi is eſt? M I. ad læuam videto.*
*Aſpicito limis oculis, ne ille nos ſe videre ſentiat.*
*A C. Video. edepol nunc nos tempus eſt malas peiores fieri.*
*M I. Tuum eſt principium. A C. obſecro, tute ipſum conueniſti?*
*Ne parce voci.*

Prior ancilla militem videt, nec hera ſtatim, ſed tertio verſu, poſt illius aſtutam cautionem. Tum ipſa ad dolos ſe illamque incitat: illa autem, incipe ſaltem, inquit: nam tuum eſt ordiri. Orditur ergo, clara voce: quam vt imitetur & ancilla, monet. Initium autem callidè ſumunt ab admiratione, quòd magnificus homo miles ab ancillula ſe paſſus ſit conueniri: quod antea non ſic intelligebatur. Sanè omnia languida erant & exanima, quæ nunc viuunt vigentque, poſita in ſcena rei & actione. Sed & ſtatim malè ad hanc veram loci ſententiam illud:

*PY. Audin' quæ loquitur? P A. audio. quàm læta eſt, quia adit ad te!*
*M I. O fortunata mulier! P Y. vt amari videor! P A. dignus es.*

Dabit Milphidippæ verba, *O fortunata mulier!* quaſi beatam exclamet heram, quæ amore potiatur iſtius herois. At contrà Acroteleutium ipſa hæc dicit, & felicem ancillam prædicat, quæ ab eodem illo tam benignè admiſſa ſermonem cum eo miſcuerit ita placidè & ſuo, vt iactabat, arbitratu. Huc quadrant magis omnia, quæ cum Palæſtrione miles interim, ducta ex illarum oratione, & eius iſto ſenſu. Scribes autem in fine poſterioris verſus *dignu's* contractis vocibus, numerorum cauſsâ. Poſteà:

*A C. Veneri pol habeo gratiam, tandemq; & oro & quæſo,*
*Vt eius mihi ſit copia quem amo quemq; expetiſſo.*

Non placet *tandem*: *eandem* emendo: vti contrà Epidico SC. *Rem tibi*, faciebamus *tandem* ex *eandem*. Pauculis hìc interiectis:

*A C. Si pol me ducere volet vxorem, genua amplectar*
*Atq; obſecrabo aliquo modo: ſi non quibo impetrare,*
*Conſciſcam letum.*

Aut verbum mutabis *obſecrabo* in *exorabo*: aut interpunges aliter, *Atq; obſecrabo: aliquo modo ſi non quibo impetrare, Conſc.* Nam quid eſt, aliquo modo obſecrare? Omnibus modis ait ſe tentaturam: ſi non poſſit aliquo impetrare, morituram. Forſan & *velit* legendum, vbi *volet*. *Exorabo* ſi males, alia diſtinctione non opus. nec opus eadem, ſi velis *exobſecrabo*. Nam horum vtriuis rectè iungetur *aliquo modo*. Statim:

*P Y. Prohibendam mortem mulieri video. mulierem adibon'? P A. minime.*

*Nam tu te vilem feceris, ſi te vltrò largiere.*

Verſus prior excurrit vltra ſpatium huic generi finitum. E... vlti- mam vocem in caput alterius retrahe: qui tamen ipſe ... bit idem viciſſim. Sed diæreſione apta ſuccurrendum illi. *In fe- ris* exteratur ſibilus, in triſyllabum *largiere* contrahatur.

Statim etiam:

*Sine vltrò veniat, quæritet, deſideret, te exſpectet.*
*Summouere iſtam vis gloriam quam habes? caue ſis faxis.*

E Camerarii libris hæc lectio: vnde Lambini & vulgi nimium re- cedit. Nos illam ſequimur magis, quibus fides & religio viri illius in tractandis manuſcriptis explorata. Nec tamen in iis *ſumm...* fuiſſe planè credimus, aut ſi fuit, emendandum fuiſſe *Niſi im- minuere*. Ita namq; velim:

*Niſi imminuere iſtam vis gloriam quam habes: caue faxis.*

Statim etiam nunc:

*AC. Eo intrò. abi tu, illum euocato foras, mea Milphidippa.*

Rei aptius ſit, *Ehò, intrò abi tu.* Nec enim ipſa it, ſed ire ancillam iubet. qua recuſante, eundum ſibi ait eſſe. nam non poſſe lon... durare. Iam hinc longiuſculè:

*PY. Naſo pol iā hæc quidem videt plus quam oculis. PA. cæca ...*

Non multum intereſt, contiuuet hæc miles, an vltima P... ſubiiciat: etſi illuc è veteribus quidam inclinant. Deinde ...

*MI. Non edepol tu illum magis amas, quam egomet, ſi per te l...*

Fortaſſis *ames*: ſed fortaſſis. Iam rarâ gemmula ſermonis hoc ca- put obſignemus. Eſt ibidem:

*AC. Mea Milphidippa, adi obſecro & congredere. PY. vt me v...*

In veteri quodam vidi, *vt mei veretur!* non, vt opinor, temere. Sic certè Appuleius imitator vbiq; Plauti, lib. 2. Aſin. *Quin, inquit, iam ipſe parentem tuam accedis & ſalutas? Vereor, inquam, ignotæ mihi feminæ.* Et quis renuat veteres plures ſic locutos, etſi plura non fa- cilè inueneris apud alios exempla?

## CAPVT XII.

*De loci inſignis emendatione Gulielmiana diſputatum: ea reprobata ipſe conſtitutus aliter, eiectis vocibus inſititiis è repetitione ... buſq; compoſitis ad ſuam legem. Aliæ deinde correctiones, in ... bus & transpoſitio, ſed ambigua.*

NON negligendus eſt nobis eadem ſcenâ locus iſte:

*MI. Verbum hercle non facere potis, ſi acceſſerit propè ad te*
*Dum te obtuetur, interim linguam oculi præciderunt.*
*PY. Leuandum morbum mulieri video. MI. viden' vt tremit at ... extimuit.*
*Poſtquam te adſpexit. PY. viri quoq; armati idem iſtuc faciunt.*
*Ne tu mirere mulierem. MI. iube domum ire, melius eſt. PY. ſed quid vult me facere?*



Digitized by Google

*MI. Auſpicatò tecum viuere volt atq; ætatem exigere.*

Verſu primo notarunt ad oram librorum, *poteris* ſcribendum. Errasse typographum puto, & *poterit* ipſos voluiſſe, quod res vult, etſi non admodum. Altero recepi veterem lectionem, quam olim magnus Lipſius aſſeruit: cui probandæ quamquam librorum auctoritas, & ſententia verborum ſatis eſt, valdè facit tamen etiam ſuperſtitiosior non diſſimilis orationis forma, cùm animum per oculos deficere ſibi Acroteleutium quereretur. In tertio metricum erratum eſt. Toto.n. pede ſuperat hic ceteros æquales. Et ab eo libens mutuetur aliquid aliquantò defectior quartus. Tmeſin admiſit iterum Plautus, & in *extimulis* ſyllaba prima tertii adhuc ſola eſt, reliquæ deinde quarti. Quintum ex emendatione Gulielmii noſtri in optima nuper editione ſic reſcripſerunt: de quo vellem tamen ab vtriſque aliter conſultum. Nam vt vt argutè Gulielmius commentum ſuum explicet, ipſum verſum quomodo vel ipſe vel poſt eum ſuffraganei editores explicabunt? Numeri inquam non aſtipulantur, quos neglectos non oportebat. Iam quæ illorum menſuratio? Si generis eiuſdem cum reliquis capiemus, vti neceſſe eſt, tres omninò pedes abundabunt, quos in leges cogere non poſſis vlla contractione. Superfluit totum iſtud, *ſed quid vult me facere.* Id autem ad ſenſum maximè eſt neceſſarium. Ideoq; vt locus et ſit, alia potius videntur abiicienda. Hìc dum omnia circumſpicio, prodit vltrò ſe quiddam alienum. Eſt enim profectò alienum, quod Gulielmius ablatum à fine prioris verſus in hunc medium inculcauit. Ille ſic legebatur antea:

*Poſtquam te aſpexit. PY. viri quoq; armati idem iſtuc faciunt. iube*
*domum ire.*

Cui noſter adimenda optimo conſilio cenſuit iſta, *iube domum ire*: ſed eadem peſſimo tranſtulit in ſequentem. Verùm, quid aliud faceret, in[illegible]is, ſententia ſic ſuadente? Non ſuaſit illa tantopere, quanto verſus ipſe diſſuaſit: & huius omninò pace fieri debuit, quidquid illius potuit. Non potuit autem eius quidquam, ſi rectam viam tenuiſſet. Ac miror, qua ingenii perſpicacitate fuit, non vidiſſe, irrepſiſſe hìc illas ipſas tres voculas, quæ paullò quidem pòſt ſuo loco iterum leguntur:

*MI. Quia ædes dotales huius ſunt. PY. itane? MI. ita pol. PY. iube do-*
*mum ire.*

Hinc quocunq; modo repetitas, & illìc perperam collocatas audacter affirmo. Quod qui difficilius credet, ille verò ſimilia multa in Plauto loca neſcit, vbi prorſus idem contigit, ad quæ non amplius ſtupemus. Sic ſcilicet æui ſuperioris deſcriptores graſſatos in auctore noſtro ſcimus, vt tam incredibile nihil obiici nobis poſſit, quin ab eorum temeritate partim, partim negligentia pronenire potuiſſe credamus, adeoq; miremur, id quantillum eſt, quod ſanum habemus, ita ſanum ad nos peruenisse. Deletis igitur hìc illis, verſum facilè conſtituemus. Habent editiones ante hanc Douſicam omnes:

*Ne tu mirere melius mulierem. ſed quid vult me facere?*

Rectè, niſi quòd emendandum *melius*, & *plus* ſcribendum. Quam im mutationem ne mireris, eadem adhibita ab ipſo Gulielmio Moſtellariâ, & a doctis comprobata. SC. *Illi buceda.*

*Vide ſis ne forte ad merendam quopiam deuorteris,*

*Atq; ibi ne pluſcule quam ſat fuerit biberis.*

Illic eſt etiam vulgò *meliuſcule*: quæ mendæ ſimilitudo ma[illegible] trobique veriſimilem facit emendationem. Ita cenſemus [illegible] de toto loco, cuius maximè controuerſam iſtam partem ita de[illegible] reſcribes:

*PY. Leuandum morbum mulieri video. MI. viden' vt tremit atq.* [illegible]

*Timuit, poſtquam te aſpexit? PY. viri quoque armati idem iſtuc faciunt,*

*Ne tu mirere plus mulierem. ſed quid vult me facere?*

*MI. Ad ſe ad eas, ſecum viuere vult atq; ætatem exigere.*

Nam in vltimo quidem planè cum Gulielmio ſcribimus [illegible], [illegible] merorum cauſſa, & quia conſtat lectionem alteram ex [illegible] veteri interpolatam. In fine huius etiam ſcenæ vix illa perſon[illegible] legimus diſtincta, vt Plautus voluit:

*PY. Sed quid ego video? PA. quid vides? PY. neſcio quis eccum incedit,*

*Ornatu quidem thalaſſico. PA. iam nos, volt hic profectò:*

*Nauclerus eſt hic quidem, videlicet acceſſit hanc hinc credo.*

Melius ad ſcenam certè fuerit in hunc modum:

*Nauclerus eſt hic quidem. PY. videlicet acceſſit hanc hinc. PA. credo.*

Cum nauclerum eſſe Palæſtrio diceret, ſtatim miles de illo [illegible]catur, qui concubinam ſit arceſſiturus: idq; diſſimulator ille [illegible] ucit etiam ſe credere, cum eſſe planè ſciret. Alternati ſer[illegible] verba ipſa quoque ſuadent, *videlicet* & *credo*, quæ ineleganti[illegible] coniunguntur. Scenâ, *Si alium.*

*Verum cum multos multa admiſſe acceperim*

*Inhoneſtum propter amorem atq; alienum à bonis.*

Multò verior, quæ veterior lectio:

*Inhoneſta propter amorem atq; aliena à bonis.*

quam poſthabitam notitiæ miror, Indecorè de inhoneſto am[illegible] Pleuſides meminerit: niſi ſic argumentari eum putant, ſi prop[illegible] illum fecerint alii alia, ſibi hoc licere magis propter ſuum hon[illegible]ſtiorem. At non eſt ita. Multa alios inhoneſta atque a bon[illegible] na feciſſe dicit amoris cauſſa: quæ ſi condonata ſint illis, ve[illegible] ſibi faciliorem fore non inhoneſtæ huius aſſimulationis. Po[illegible] ſum autem hunc deeſſe alium explendæ ſententiæ, mihi [illegible]bium eſt: vti neque parentheſin in illo fero, qui nunc pro[illegible] Abſoluit Pleuſides inſtitutam ſententiam: cui cum ſubiun[illegible] exempla vellet, ac de Achille ordiretur, aſtantem cum Pa[illegible] ne militem videt, atque eo repreſſus commutandam ſibi [illegible]tionem,

tionem, & commutat. Ibidem in iſtis ſuſpicionem veterem meam dicam, quæ nunc minus placet, & ferè ſuperuacanea videtur:

*PY. Iamdudum res parata eſt. heus Palæſtrio*
*Aurum, ornamenta, veſtem pretioſam omnem ferat.*
*Duc adiutores tecum ad nauim, qui ferant.*
*Omnia compoſita ſunt. quæ donaui, auferat.*

Offendebat me toties iteratum idem in verſuum aliquot fine verbum, & exaſperabant magis aſperiuſculi numeri in ſecundo. Denique mutabam ſic & traducebam:

*——— heus Palæſtrio*
*Duc adiutores tecum ad nauim, qui ferant*
*Aurum, ornamenta, veſtem pretioſam omnem hera.*
*Omnia compoſita ſunt. quæ donaui, auferat.*

Ex *ferat*, *hera* fit clementiſſimè: & erat Palæſtrio nunc Philocomaſio ſeruus, à milite ſuprà illi datus:

*——— donauiq; ei*
*Quæ voluit, quæ poſtulauit. te quoq; ei dono dedi.*

Atque hinc infra queritur ipſe muliebres ſibi mores diſcēdos. Sed non probare nitar aliis, quod mihi non antè ſatis.

## CAPVT XIII.

*Labra labellis artè ferruminare. Inueſtigando operæ parcere. Diſpennere, diſtennere, tennere, tenus. Plurima adhuc in Milite variè correcta, ſimul explicata.*

SEnſim iam magis magiſq; fini propinquamus, & breui Militem amittemus, verberatum tamen etiam nonnihil, vt boni conſulat, ſi vaſis ſaluis abeat, ſaltem nec inteſtatus. Punctiones aliquot adhuc ſtili noſtri ſentiet: quo fieri certè poteſt vt vulnera vltrò faciam ei, dum meditor medicinam. Sed innoxia erunt, ſpero, ſi quæ erunt: & ſectionem quidē abſtinemus omninò, neq; de induſtria nihili factum cupimus virum bonum. Scenâ *Quid modi*.

*PH. Ibo, quamquam inuita facio. pietas ſic cogit. PL. ſapis.*

Mœchiſſat hic verbum *cogit*, quod à Lambino conciliatore. Veteres ſcribunt *ſic cohibet*. Legitimi iuris eſt credo, *ſicce iubet*. Adultera deinde Lambini eiuſdem interpretatio iſtorum:

*——— PY. nimium hæc flet. PH. nequeo*
*Cum te video.*

Ait, non poſſe lacrimis Philocomaſium temperare ad militis aſpectum. Minus id est quàm pro re. Cum ipſe diceret miles, nimis eam flere: illa hoc ait, non poſſe nimis ſe flere, vbi illum talem virum videat vltimò, & cogitet amplius non videndum. Mox Palæſtrio:

*Nam nihil miror ſi libenter Philocomaſium hic erat.*
*Forma huius, mores, virtus animum attinuere hic tuum,*
*Quom ego ſeruus, quando aſpicio hunc, fleo, quia diiungimur.*



Digitized by Google

Quorum medius verſus niſi parentheſi claudẽdus, vltimus eſt ea- rundem faciendus. Nam illi quidem ſententia cohærent pro...

*Nam nihil miror, ſi libenter tu Philocomaſium hic eras,*
*Quom ego ſeruus, quando hunc aſpicio, lacrumor, quia diiungimur.*

Ita ſimul enim ex antiquis ſcribendi fortè potius, parua diuerſi... te, quæ non ſenſum, ſed numeros ſpectat. Deinceps non fuit ipſe miles manifeſtò magis in adulterio deprẽſus, quam is locus, aliorum pridem ſuperuentu & incuſatione:

*PA. Nihil æquam moror. PY. cur? PA. malo ne ipſe interuene- ris,*
*Quæſo dum reſpitito, capita inter ſe nimis nexa hice habent.*
*Non placet, labra & labella inter ſe ferunt admodum.*

Ac de ſingulis hic erratis abundè dixerũt plures: quos inter ad reſtitutionem veram proximè Palmerius acceſſit, luculentiſſime totum inſuper locum interpretatus. Eius recipimus pleraque, & addimus a nobis iſtud. Antiqui codices in poſtremo verſu omnes, *Labra labellis ferruminarit acre malum.* inde præter alia ſumtum ap... ſimum huic rei verbum *ferruminant*, probo. ſed amplius, *acre* negligendum non fuiſſe contendo. Nos *arte* facimus ex eo, quod eſt arctè. Totum autem ſic ſcribo:

*— PA. malo merum. ne ipſe interueneris*
*Quæſo, dum reſipiſcit. PY. capita inter ſe nimis nexa hice habent.*
*Non placet. labra labellis ferruminant arte admodum.*

Perſonas ita diſtinguere cur maluerim, à Palmerio pete. Sequit...

*PL. Tentabam ſpiraret an non. at eam ad nos iam oportuit.*
*Sin magis vis, ambos mittam. PA. nolo retineat, fleo miſer.*

De his ille, quem ſecutus ſum prius, non optumè. Mihi liquet è veteribus, militis eſſe verba, *nolo retineat.* quæ ſub eius perſona diſtingues, *PY. nolo. retineat.* Aiebat nauclerus, vel ambos ſe miſſos facturum (quod rectè de Philocomaſio & Palæſtrione capiunt) ſi miles ita velit. nam ſua nihil intereſſe. Tum ille, nolo, inquit: & retineat Philocomaſium etiam ſeruum, quem dono ſemel dedi. Reliqua Palæſtrio ipſe aſſlens dicat, *fleo miſer*, an Pleuſides, *flet miſer*, in haud magno diſcrimine ponam. Poſt illa:

*PY. Age Palæſtrio, bono animo es. PA. heu, nequeo quin fleam.*

Geminandum erat *heu heu*, niſi veteres inſererent *heu mihi.*
Statim:

*PH. Sed quid hoc, quæ res eſt? quid video? lux ſalue.*
*PL. Iam reſipiſti? PH. obſecro quem amplexa ſum*
*Hominem? perij! ſumne ego apud me?*

Primus verſus integer non eſt, alter alterius generis: qui tamen conformari cæteris poſſit ex antiquis, traducto in eius initiũ Philocomaſii nomine, quod inſertum illic præcedenti:

*PL. Philocomaſium, iamne reſipiſti? PH. obſecro q. a. ſum,*

A primo nihil, me iudice, niſi lucis epithetõ aliquod abeſt. Fortè,

*lu-*

*lux ſalue candida* aut alia talis. qua addita ſit & ipſe reliquis par & plenus. Etſi [illegible] numerorum non alias abſ[illegible] hic aſ[illegible], ſi quis contra te [illegible]: ſed & idem, quales ſint igitur, oſtendit. Illis mox verſus *PY. Quid iſtuc negotij?* inſerendũ verbum e priſcis, *[illegible] negotij?* Videbis, id moneri. ſed vide numeros, qui [illegible] paullo [illegible] etiam traduci illa volunt, *Ne quis hoc tibi* [illegible] idem vitium & iſtic indicant:

*Cum venit in mentem, vt mores mihi mutandi ſient,*
*Muliebres mores diſcendi, obliuiſcendi ſtratiotici.*

Forte ſic Plautus reliquit:

*Cum venit in mentem, mores vt mihi mutandi ſient,*
*Diſcendi muliebres, obliuiſcendi ſtratiotici.*

Deinde [illegible] gemino [illegible] ſcripſit iterum *fuerim*, eorundem cauſſa.

*PA. Cogitato identidem, tibi quam fidelis fuerim.*

Poſt, [illegible] illud emendatur, ſi & rectè diſtinguatur:

*PY. Scio & perſpexi ſæpe, verùm cum antehac, tum hodie maximè.*
*PA. Scis imo hodie: verùm factis faxo pòſt diſces* (aut etiam *dices*) *magis.*

Finis ſcenæ manifeſtò interpolatus:

*Stultus feci, qui hunc amiſi. ibo nunc intrò nunc iam*
*Ad amores meos. e iam ſenſi hinc. ſonitum fecerunt fores.*

Priore verſu bis habes *nunc*, malè. Melius veteres, *ibo hinc intrò nūc iam*. Altero ſcribendum erat, *& iam* diuiſim, aut *ſed iam*, niſi aliud lateret, quod non educo. Veteres illi enim *quia exit hinc*, ad ſenſum commodè, non ad verſum. Penultimâ ſcenulâ quod eſt:

*Inueſtigabo, operæ ego non parcam meæ.*

eſt vnde potius legas. *Inueſtigando ego operæ n. p. meæ.* Sic dictũ, operę inueſtigando parcere, vt ſuprà, operam inueſtigando ſumere. Scenâ vltima mirum eſt vbique ſic malè interpungi iſtud:

*PY. Perij. CA. haud etiam numero hoc dicis. iamne in hominem inuolo.*

Ait nondum numerò, id eſt citò nimis dicere. Dicebat imò, neque dum perierat. Diſtingue poſt *haud etiam*. Nondum periſti, inquit. *numero hoc dicis*: præmature periiſſe te dicis, prius peribis. Hoc ſenſu nihil venuſtius, nihil abſurdius vulgato. Deinde:

*PY. Ita me dij ament, vltrò ventum eſt ad me. PER. mentitur. PY. perij.*

Non diſplicet iſta tam crebra militis exclamatio periiſſe ſe quiritantis. Hic tamen veteres libros cenſeo magis audiendos, qui legunt: ——*PER. mentitur. feri.*

*PY. Mane dum narro.*

Verſus ſequentis ſic verba digeres.

*PE. Dic. PY. oratus ſum huc venire ad te. PE. quare auſus? hem tibi.*

In illo:

*PE. Vbi lubet, diſtendite hominem diuorſum & diſtendite.*

non lubet argutari cũ Nonio in *diſpennite*, quod pro *diſpendite* nobis ſupponit: alioqui poteramus & in altero *diſtendite*, quod mutare facillimum erat in *diſtennite*. *Tennere*, verbum antiquũ, quod in Terentii Phormione Donatus notat: vnde & *tentus*, quod Nonius in Bacchidibus noſtri laqueũ interpretatur in aucupio tendi ſolitum ſiue tenni. Proximum ſic ſcribe:

*Obſecro hercle te, mea verba vt audias priuſquam ſecer.*

Mox negatio ſupereſt in iſto:

*PE. Iura te non nociturum eſſe homini de hac re nemini.*

Eam in *nunc* mutari debere certum: quod Lambini libri habent etiam illâ retentâ. Sed ita compones:

*Iura te nociturum eſſe homini nunc hac de re nemini.*

Hunc in vicinia ſcribes ex antiquis pleniorem:

*Si te ſaluum hinc mittimus ire Venerium nepotulum.*

Paullò inferius:

*PE. Si poſthac prehendero, ego te hic arcebo teſtibus.*

Sententiæ verſuſque cauſſâ diſtinguito ac ſcribito:

*PE. Si poſthac prehendero ego ted hic, arcebo teſtibus.*

Poſtremo propter etiam verſum:

*Namq; illic, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat*

Non *ille*. Iamque & nos tandem ſoluimus ac mittimus mitem ſatis Militem, qui viderit, mihine cognoſcenti, an ignoſcenti ſeni gratiam debeat maiorem.

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI MERCATOREM

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

Clariſſimum virum

JOANNEM CASELIVM IVRISCONſultum, Philoſophum, & Oratorem.

*D Rama tibi viſa fuit nuper epiſtolà quædam mea,* CL. CASELI: *quod non mihi tantùm, ſed ipſi Bucretio etiam noſtro perſcripſiſti. Ne hoc fruſtrà dixeris, ecce tibi verum ἔρανον, Plautinam fabulam: in quam illud cenſorium mihi ius ſumſi, quod tu multos in multa ſibi ſumere interdum ſtomacharis. Etenim memini, quid ad alios ſæpè, quid ad me olim & in ſermonibus coram & per literas in eos, quos hodie Criticos inuidioſo nomine appellamus, indignanti propior dixeris, quaſi nugas quaſdam inutiles pleriq; conſectarentur, & eruditionem ſolidam rerumq; cognitionem negligerent, in verbulis ſolis occupati: cum de me quoque idem veritus aut ſuſpicatus, egiſti diligenter, vt inde me abſtraheres & reduceres, qui calore iuuenili temerè prolapſus atque altius immerſus viderer in iſtam ſectam. At ego, optime Caſeli, monita tua & libenter audiui, & audita numquam ſpreui: neque tamen efficere id potuiſti, quod neque voluiſti credo penitus, vt relinquerem prorſus id ſtudiorum genus, quod maximè & naturam mihi ſentiebam conciliaſſe. quamquam vt inter illos Criticos eſſem,*

Digitized by Google

*ego quidem nunquam affectaui, nec eo titulo volo me cenſeri & qui cenſentur, eos nec ipſe omnes probo, neque certe vel animus mihi vel facultas eſt tueri: qui ipſi quiſque viderint, in his literis quid quatenus ſequantur, & quam ſibi, verborumne an rerum, ſolidam an inanem, ſtudeant cognitionem comparare. Me ſcio nec vmbram doctrinæ venari, & quamdiu bonorum auctorum lectioni fui deditus accuratiori, non neglexiſſe potiora alia: quæ neq; nunc negligo, adeoq; ſpero conſtituram mihi operæ vbiq; meæ rationem. Nunc Plauto menſes aliquot dedi, quem a puero amaui iuxta (non enim dicam, ante) Ciceronem: & in illum quæ diuerſo tempore, vt quemq; legeram, ſum ab aliquot annis commentatus, ex aduerſarijs meis hinc inde ſparſa collegi, in vnum volumen digeſſi, & hortatibus aliorum iam edo. Quod ſanè factum minimè tu reprehendes, qui Latinæ linguæ & ipſe, imò vnus præter alios vir optimè, vtq; ſit, annos iam plurimos inter cetera tui muneris enixè docendo ſcribendoq; laboras, atq; idem eandem e Plauto iuuari præcipuè non infiteris, quem ideò Comicum & amas vnicè, vt vna cum Terẽtio, noſtri non tam æmulo, quam imitatore, in delicijs habes. Ut verò videas tamen propius, in hoc nunc poeta ſitne reprehendendum tibi ſtudium meum, accipe particulam hanc noſtrarum Commentationum: quarum quantum eſt in vnam Comœdiam eo peculiariter ad te nomine mitto, ſed & alijs pluribus in publicum inſcriptione ſolenni tibi dico. Nam cenſere quidem inprimis iſta noſtra debes, vt & tu, quod hîc operæ pretium a me factum, quidque laudis aut culpæ meritum; & ego, quouſque ſuſtinere ſerium ſeuerumque iudicium tuum in his literis vniuerſis poſſim, experiamur: ſed vbi cenſuram eam priuatam peregeris, illud mihi cõcedes non iniuſtus, vt in publico vtar præſcriptione tui apud doctos omnes clariſſimi, bonis grati, malis etiam venerandi nominis ad eorundem commendationem ac tutelam: ſimul, vt hunc ex humaniore literatura depromtum libellum exſtare faciam quaſi monumentum animi grati cum vt erga præceptorem, à quo ei literaturæ primò ſim legitimè initiatus, & ſub quo progreſſus inibi verà deinceps via,*

*proſe-*

*profecerim id totum, quantulumcumque eſt quod profeci; tum vt aduerſus amicum, qui patroni mihi ſemper ab vltima pueritia poſt demortuum parentem loco fuerit & conſilijs, officiis, beneficiis perpetuis præſentem, abſentem, iuuerit, fouerit, ornarit, etiamq; nunc humaniſſimè & benigniſſime complectatur: quæ merita omnia & plurima & maxima agnoſco, nec poſſum niſi hoc vno genere remunerari: quamquam neq; ſic remuneror: & tamen ita volui ac tentaui, ne cum omni remunerandi facultate voluntas etiam ipſa mihi deeſſe videretur: deniq; vt tenebras obſcuri huius ſcripti luce diſcuterem clariſſimæ tuæ famæ: cui inſuper etiam quaſi ſoli nubem velut iſtam humentem obiicio & ſtatuo exaduersùm, vt illius exceptis radiis, colorem ducat à fulgore veſtro, nouamq; nouo exemplo Iridem mihi pariat, quæ cum tuo nomine numquam occaſuro ipſa duratura perpetuò pòſteris in ſignum ſit mutuæ inter nos gratiæ, meiq; tuis æternis meritis æternùm obnoxii affectus.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI MERCATOREM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Cenſura in Mercatoris initium. Loca quædam dubia poſt alios tentata, atq; alio modo, ſi fortè, conſtituta.*

MErcator Plautinus adulterinas & improbas quaſdam bonis incorruptiſq; mixtas diu merces venditauit, quas Ædiles noſtri non diligenter ſatis omnes inſpexêre. Nos quæ ſic fefellerũt, ventilabimus hic & excutiemus, æſtimabimuſque, pro virtute vt cuique pretium ſiet, nec amplius tam dolo malo incauti decipiantur emtores. Prologo exponitur:

*Sed ea vt ſim implicitus dicam, ſi opera eſt auribus,*
*Atq; ad aduertendum animum adeſt benignitas.*

Id initio ſtatim non ſincerum veteres arguunt libri, & ipſi numeri, qui mihi ſuadent interpolare ſola tranſpoſitione particulæ vult: *Atq; aduertendum ad animum.* In hoc tamen nõ erat magna fraus in verſibus proxmis admodum ſanè magna:

*Et hoc parum etiam more maiorum inſliti.*

*Per me ea percontatus ſum vos, ſumq; iudex illico.*

Nam quid hîc omnino ſanitatis? Et Dii ne ſirint, vt Lambini & Alciati recipiamus emendationes, quibus vix putidius aliquid poterat dari. Dicam ego meam, ſed ambiguã; ac duplicem adeò ſententiam, cum venia doctorum, ſi neutra acceptabilis, etſi quidem vtraque magis, vt ipſe iudico, quàm illorum quos damnaui. Lacuna mihi viſa hîc olim fuit aliquot verſuum, qui inter hos & ſuperiores interiecti cõtinuiſſent principium narrationis illius, quam inſtituebat adoleſcens de nouitiis his & veteribus etiam amoribus ſuis in ipſa patria, quamque ab initio repetit poſteà,

*Illuc reuerti certum, vt conata eloquar.*

Hoc poſito, verſus iſtos ſic ſcribebam:

*Et hoc parum etiam. more maiorum inſtiti,*

*Pergræcatus ſumtuoſusq; fui inde illico.*

Et capiebam, quidquid præceſſiſſet, quod diceret à ſe factum, id quidem parum etiam eſſe. nam aliorum exemplo & quaſi de maiorum more pergræcari ſe incepiſſe & ſumtuoſum illico fieri: quæ vitia mox hac occaſione præcipua ſectari narraret amorem, maximè de elegantiæ damnoſiſſimo ſtudio queſtus. Hæc olim mens fuit: quam etſi non improbo nunc prorſum, tamen quod recens cogitaui, multo placet impenſius, eò quia lacunam abolet, quam prius inducebam. Nullus enim videbitur eſſe defectus, ſi mutatione minori quoque & omnium facillima legatur:

*Et hoc parum etiam more amatorum inſtiti:*

*Percontatus ſum vos, neq; ſum iudex illico.*

Cum narraturus Charinus eſſet amorum ſuorum initium atque ordinem, præfatus veniam velut quæſierat, an vacaret ſpectatoribus, & benignè ſe eſſent audituri. Id nunc percontatum ſe eſſe prius, damnat, neque feciſſe ait amatorum modo, qui cum ratione parum agant ſcilicet, & quod ipſis lubeat dicant ſine reſpectu, vt loquuntur, aliorum. Indicare decuiſſe potius ſtatim, quàm delicias facere præfatiunculâ & modeſtiâ amatoribus aliena. Quò pertineat, quod infrà de multiloquio & pauciloquio affert: quãquam illud excuſat etiam ibi, æquè præter amantium morem. Videant eruditi, quid in vtraq; coniectura ſit, & vtram, aut adeò an aliquam harum velint amplexari. Voces, quas vtrobique neglexi, *Per me ea*, ſpuriæ ſunt prorſus & a librariorum interpretumq; hæſitatione natæ. Iam ab hoc ſcrupoſo loco ad planiora alia progrediamur. Eſt etiam in Prologo:

*Inhæret etiam auiditas, deſidia, iniuria.*

Nec

Nec eſt malè ſit fortè melius tamen *incuria*, quàm *iniuria*, ſi verba vtrinque proxima ſpectentur. Ibidem mox:

*[illegible] ipio atq; animus ephebis ætate exijt,*

*Atq; animus ſtudio amotus puerili eſt meus.*

rectè vidit elegantiſſimus Douſa F. repetitum in priori verſu *animus* è ſequenti. neque ceteram correctionem eius improbo. moneo tantùm, ipſe aliique videant, an non repetitum ſimul & *atque*, iunctum hic & illic alteri: quo abiecto pariter, etiam leuius emendari poſſit,

*Principio vt ex ephebis ætate exij,*

*Atq; animus ſtudio.*

Minor hæc mutatio, neque minus Plautina locutio. Deinde:

*Summo hæc clamore: interdum mihi ſe colloqui*

*Abnuere, negitare adeo me natum ſuum.*

Plane cenſeam è veteribus reponendum, *interdum muſſans, colloqui Abnuere.* planè inquam. nam cur mutemus vlterius cum aliis idipſum, quod ſic liquidò ibi ſcriptum, & rei maximè aptum? Interuallo maiuſculo, vt nos facimus interualla.

*Nullum, metretas qua trecentas tolleret,*

*Paraſſe, atq; eapſe merces vectatum vndiq;,*

*Adeo dum, quæ tum haberet, peperiſſet bona.*

Magni Scaligeri hoc, quod in textum à Lambino receptũ iam olim. Non ſecutus eſt Gulielmius noſter, cuius nec ipſe ſequor æquè ingenioſam coniecturam. Hic faciebat, *atq; ea ſe in Perſis vectatũ vndique.* At diſſentaneus à ſe ipſo ſenſus, in Perſis ſimul & vndiq; vectari. Nec dicturus fuiſſe Plautus videtur, in Perſis. Ab altero etiã, ne ſequar, deterret me *vectatũ* agendi ſignificatu. Mihi ipſi ſuccurrebat, *atq; ea ſemet Sic vectatũ vndiq;*. Cũ inuerti, & in reliquis proximè item ad veſtigia vulgata accedo. Scenâ primâ:

*Simul autem planiſſimè eos, qui aduerſum eunt, aſpellito.*

Præter quæ alii hîc mutant, etiam *erunt* malim ego, quod in veterum aliquo vidi. Eſſe & fieri aduorſum alicui, crebra Plauto phraſis. Atque mox:

*Et currendum & pugnandum & ante iurgandum eſt in via.*

Credo *&* *autem* potius ſcriptum, quod ſic mutarat in *ante* Caſinæ quoque Prologo, vbi de particula ea diximus ſatis. Ibidem:

*Quam reſiſto, tam maximè res in periclo vortitur.*

Alio verborum ordine veteres, *Quam maxime reſiſto, tam res in p. v.* & indubitatò meliore. Iambicus tetrameter ita verſus eſt, quales & priores eſſe videntur, & ſequentes ad illum vſque,

*AC At tu edepol calidam picem bibito, ægritudo abſceſſerit.*

à quo mutari in ſeptenarios trochaicos incipiunt.

## CAPVT II.

*Balnea veterum à via & aliàs, laſſitudini eximenda. Iubet ſcire me.*

corrigendum fortaſſis *amba* primò: deinde certò, *Poſterius quam mercatus fueram*, ſine accentu, ſine alia interpunctione. Senſus eſt Cum iam antè capram haberet domi, veritus eſt illi alteram nouitiam committere, ne inter ambas non conueniret, & altera noceretur. igitur hanc, quam poſterius fuerat mercatus, in cuſtodiam Simiæ dedit. Mox tenuis eſt iocus in verbo *ambadedere*, quem vix quiſquam hactenus attendit.

*Dicit capram, quam dederam ſeruandam ſibi*
*Suæ vxoris dotem ambadediſſe. oppido*
*Mihi illud videri mirum, vt vna illæc capra*
*Vxoris Simiæ dotem ambadederit.*

Ludit in verbo, quod dixi. Sonus in eo eſt vocis *ambo*: cui opponit *vnum*. Et ait mirari ſe, quomodo vna capra dotem ambadederit. Hoc ita niſi accipias, nihil in iis verbis ſalis eſt: quamquam & illud ſimul ridiculè miratur, quomodo capra vnica totam dotem arrodere circumquaque potuerit. Id quod manifeſtius apparet: neque minus tamen occultior ille iocus ibidem captatur. Scena *Profecto ego.*

*DE. Decide collum, ſi falſum eſt vti loquar.*

Non Lambini, non aliæ lectiones placent. Vellem ſcriptum, *ſi falſum eſt, nec vti loquor.* Ibidem poſt:

*Neſcias ne obiurga. hoc non voluntas me impulit.*

Melior lectio, *Ne ſis, ne obiurga*: de qua monitum ab aliis puto. *Hoc* alii volunt eſſe *huc*: optimè: atque ita Seruius ac Priſcianus in Marone:

*Hoc tunc ignipotens cælo deſcendit ab alto*

Libri tamen veteres aliter, neq; malè, diſtinguunt, *ne obiurga hoc*: quaſi ſit, propter hoc. Ad finem:

——*Sed optumè gnatum meum*
*Video eccum, opperior hominem, hoc nunc mihi viſo eſt opus.*

Scribi interpungique aliter verſus ac ſententia volunt:

*Video, eccum: opperiar hominem: hoc nunc mihi viſo opuſt.*

Ni ſic *eſt* in fine traiicias, *hominem* ſit delendum. Sed traiiciendum magis illud, atque idem pariter penultimo verſu:

*Nam eo dono aduexe audiui. ſed præcauto eſt opus.*

Fac, *ſed præcauto opuſt.*

## CAPVT III.

*Porro—ſcena examinata. Multa in iis emendata verborum perſonarumq; mutationibus: numeri refecti: verſus etiam vnus traductus. Expoſita, quibus opus fuit, & declarata.*

SVbauſcultemus nūc riualium patris ac filii de muliercula ſibine, an aliis? imò ſibi ridiculo certamine laborantium verecundam contentionem. Ea ſcenā proximā, *Homo me*, continetur: in qua hoc leue mendum, ſi eſt mendum tamen:

*DE. Ita volo. ſed iſtuc quid eſt tibi? quid commutatuſt color?*

Dices eſſe, quantulumcunque eſt, ſi lectionem meliorem hanc agnoſces: *ſed iſtuc quid eſt, tibi quòd commutatuſt color?* Inde porrò maiuſculo interuallo:

*DE. Vt morata eſt? CH. nullam vidi melius mea ſententia.*
*DE. Mihi quidem edepol viſa eſt, cum illam vidi. CH. eho an vidiſti pater?*

Magis adhæream veteribus, qui verſu altero *Sic quidem edepol viſa eſt.* Elegans deinde locutio:

*Vellicent, vocent, moleſti ſint, occentent oſtium.*

quæ eadem Perſâ:

*At enim illi noctu occentabunt oſtium, exurent fores.*

Statim: *Mihiq. obijcient lenocinium facere.*
potius ſit, *obijciant*: quo flexu reliqua ſunt omnia verba. Porrò:

*CH. Dixit ſe redhibere, ſi non placeat. DE. nihil iſtoc opuſt.*
*Litigare ego nolo vos, quàm tuam autem accuſari fidem*
*Multo edepol, ſi quid faciendum eſt, facere damni mauolo,*
*Quàm opprobramentum aut flagitium muliebre efferri domo.*

Inconcinnum, vt diuerſæ ſententiæ vtrinqueſecus adhæreant iſti vni, *Multò mauolo.* Mutandæ paulùlum & interpunctiones, & vocula vna:

*Litigare nolo ego vos, neq. tuam autem accuſari fidem.*
*Multò edepol ſi quid f. e. f. d. mauolo,*
*Quàm opprobr.*

Ex altero *quam*, *neque* feci: & ſubintelligitur, neque volo. De particula *autem* ſic poſita & hîc & alibi ſupra dictum. Verſu vltimo ſuſpectum etiam *efferri domo*, pro quo ſubſtituant alii melius, qui poſſunt. Mox inde:

*DE. Tace modo, ſenex eſt quidam, qui illam mandauit mihi*
*Vt emerem ad iſtam faciem.*

Non *illam* Plautus, ſed *olim* videtur ſcripſiſſe. Et hinc mox:

*DE. Eccum illum video, iubet quinq. me addere etiam nunc minas.*
*CH. Hercle illunc dij infelicitent, quiſquis eſt. DE. ibidem mihi*
*Etiam nunc annutat, addam ſex minas. CH. ſeptem mihi.*

Fuit cum paullò hîc aliter vellē: *quiſquis eſt. totidem mihi. DE. Etiam nunc an.* vt filius contra patris illas triginta quinq; minas, totidem licitetur, eadem ratione, quâ ſtatim contra ſex alias, ſeptem. Sed ſuperuacuum id fortè, quamuis admodum ſanè decorū. Verſui illi vocula in libris omnibus deeſt, quam hîc inſerui:

*Potin' vt ne licitere aduerſum animi mei ſententiam?*

in quo turpiter etiam vna ſupereſt in optima editione, *Potin' ne vt ne.* Pòſt, vbi multa comminiſcitur adoleſcens, quæ venditionem impedire poſſe ſperat, ante alia patri obiicit, non poſſe mancupio illam tradi mancupio non acceptam:

*CH. Non ego illam mancupio accepi, ſed ille illam accepit. DE. ſine.*

Vbi cum ſe accepiſſe negat, quis ille eſt, quem affirmat accepiſſe? An, cum quo communem ſibi poſteà dicit? Nugæ. Corrigendum aio:

*CH. Non ego illam mancupio accepi. DE. ſed ille illam accipit ſine.*

Reiicit pater obiectionem filii. Nihil referre de mancupio: quoniam licet ipſe non acceperit, accipere tamen illum ſenem: id eſt, ita emere, tanquam ſi mancupio vendatur, nec eo deterreri ab emtione, quòd euictionis periculum non præſtetur. Propius ſcenæ finem:

*Ibi venibit. CH. vin' me tecum illo ire? DE. nolo. CH. non placet.*
*DE. Melius eſt te, quæ ſunt mandata res, tibi præuortier.*

Tolle comma, quo nunc loco eſt, & poſt *tibi* repone. Verborum enim hic ordo ac ſenſus: melius eſt te præuorti iis rebus, quæ tibi ſunt mandatæ. Verſu priore neſcio ſi tollenda Charini perſona: cui etſi minimè quidem placebat, ad portum vna non ire, tamen leuior eſt ea dictio quàm pro eius affectu. Senex igitur iſta potius continuet: *nolo, non placet. Melius eſt te.* Proxima ſcenæ vnum noto, quod eſt perpuſillum.

——— *EV. atque eximam*
*Mulierem pretio. CH. qui potius, quàm auro expendas? EV. vnde ac erit id?*

Gloſſema eſt verbum *erit*, quod cum non habent meliores libri, tum verſus omnino iubet abolere. Scenæ, quæ deinceps, principium hoc ipſum diſtingui ſic quidam volunt:

*Amice amico operam dedi. vicinus quod rogauit,*
*Hoc emi mercimonium. mea es tu, ſequere ſane.*

Sed fruſtrà abhorrent locutionem, *dedi operam quod rogauit*, Plauto perquam familiarem. Satis vnum exemplum Caſinâ.

*Quàm iſtanc operam à med impetres quod poſtulas.*

In ſcena deinceps interiore turbatus ordo verſuum peruulgatus:

*PA. Ecaſtor iam biennium eſt, cum mecum rem cœpit habere:*
*Nunc, quando amicum te ſcio eſſe illius, indicabo.*
*LY. Quid ais tu? &c.*

Reſtituo fidenter hunc à me nouum.

*PA. Ecaſtor iam biennium eſt, cum mecum rem cœpit habere,*
*LY. Quid ais tu? iam biennium eſt cum tecum habet rem? PA. certo.*
*Nunc quando amicum te ſcio eſſe illius, indicabo:*
*Inter nos coniurauimus, ego cum illo &c.*

Qui ſapit, probabit. atque etiam illud fortè deinceps, vbi verba perſonis ſic interpartiri velim:

——— *PA. amabo an maritus ille eſt?*
*Neq; eſt neq; erit. LY. nolim quidem. homo hercle periurauit.*

*PA. Nul-*

*PA. Nullum adoleſcentulum plus amo.*

Magis profectò conuenit, Lyſimachum loqui ſecum de periurio vicini ſenis, quam de adoleſcentis Paſicompſam. Ille ſciebat enim certò periuraſſe, ſi vera mulier narrabat: hæc dubitare tamen poterat, & noto amatori plus adhuc fidere, quàm ante iſtum diem non viſo ſeni. Sceunlâ, quæ continenter hanc inſequitur, *Tandem impetraui*, non probus alter iſtorum verſus:

*Demum igitur cum ſenex ſis, tunc in otium*
*Te colloces, dum poteſtur; id iam lucro eſt.*

Verba traduces, *Te, dum poteſtur, colloces.* ita pedibus incedet quibus debet.

## CAPVT IV.

*Vnum hoc. Deferre, dare, ſpondere dotis. Aliorum quædam refutata. Terentij locus defenſus. Plautus ſæpiculè correctus, illuſtratus: in eodem repetitio importuna duorum verſuum oſtenſa.*

SCenâ *Addam e*

*Quid ſi igitur vnum, factum hoc ſi cenſes, coquum*
*Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat.*

De emendatione Gulielmio magis aſſentior quam aliis; de diſtinctione verò mihi potius etiam quam illi. Scribendum:

*Quid ſi igitur vnum faciam hoc? ſi cenſes, coquum*
*Aliquem arrip.*

Et *faciam* quidem apertè libri veteres: *vnum hoc* ſic apud Terentium Adelph.

*ST. Labaſcit. vnum hoc habeo: vide ſi ſatis placet.*

Quod ipſum illic aggreſſus eſt mutare quidam, ineptè ſic ſcribi ratus, & id certò ſe ſcire affirmans. At nos contra ſcimus, elegantiſſimum rectiſſimumque hoc: quod ipſe ſubſtituit, alieniſſimum à loco, neque vel cum numeris quidquam validius pugnare. Frequentius *vnum* ſolum in oratione ſic Comici vſurparunt. Noſtri Bacchidib.

*Magis vnum in mente eſt mihi nunc, ſatis vt commodè*
*Pro dignitate obſonij hæc concuret coquus.*

Caſinâ: *Cedo. mane. vnum venit in mentem modò.*

Menæchm. *Nihil equidem paueo, niſi vnum, palla pallorem incutit.*

Suprà hîc: *Vnum quidem hercle iam ſcio, periiſſe me.*

Terent. Heautont.

*Magis vnum etiam inſtare, vt hodie conficerentur nuptiæ.*

Proximâ huic ſcenâ inſititios eſſe duos verſus cenſeo:

*Diuumq; atq; hominum quæ ſpectatrix atq; hera eadem es hominibus*
*Spem ſperatam cum obtuliſti hunc mihi, tibi grates ago.*

qui iidem infra conſtituunt initium Scenæ ſecundæ quinti Actus: vbi germana eorum ſedes: non hîc. Etenim qui tanta conducerit hic exſultatio? Viſone vix ſodali rapiatur in gaudiũ tantum

*Ne tu mirere melius mulierem, ſed quid vult me facere?*

Rectè, niſi quòd emendandum *melius*, & *plus* ſcribendum. Quam mutationem ne miteris, eadem adhibita ab ipſo Gulielmio Moſtellaria, & a doctis comprobata. SC. *Illi buceda.*

*Vide ſis ne forte ad merendam quopiam deuorteris,*
*Atq; ibi ne pluſculè quam ſat fuerit biberis.*

Illîc eſt etiam vulgò *meliuſculè*: quæ mendæ ſimilitudo magis vtrobique veriſimilem facit emendationem. Ita cenſemus non de toto loco, cuius maximè controuerſam iſtam partem ita deinde reſcribes:

*PY. Leuandum morbum mulieri video. MI. viden' vt tremit atq; ex-*
*Timuit, poſtquam te aſpexit? PY. viri quoque armati idem iſtuc fa-*
*ciunt,*
*Ne tu mirere plus mulierem, ſed quid vult me facere?*
*MI. Ad ſed eat, ſecum viuere vult atq; ætatem exigere.*

Nam in vltimo quidem planè cum Gulielmio ſcribimus ita, numerorum cauſſa, & quia conſtat lectionem alteram ex ſimplici veterę interpolatam. In fine huius etiam ſcenæ vix illa perſonas legimus diſtincta, vt Plautus voluit:

*PY. Sed quid ego video? PA. quid vides? PY. neſcio quis eccum in-*
*cedit,*
*Ornatu quidem thalaſſico. PA. iam nos, volt hic profectò:*
*Nauclerus eſt hic quidem, videlicet accerſit hanc hinc credo.*

Melius ad ſcenam certè fuerit in hunc modum:

*Nauclerus eſt hic quidem. PY. videlicet accerſit hanc hinc. PA. credo.*

Cum nauclerum eſſe Palæſtrio diceret, ſtatim miles de illo ſuſpicatur, qui concubinam ſit acceſſiturus: idq; diſſimulator ille ſubiicit etiam ſe credere, cum eſſe planè ſciret. Alternari ſermonem verba ipſa quoque ſuadent, *videlicet* & *credo*, quæ ineleganter coniunguntur. Scenâ, *Si alium.*

*Verùm cum multos multa admiſſe acceperim*
*Inhoneſtum propter amorem atq; alienum à bonis.*

Multo verior, quæ veterior lectio:

*Inhoneſta propter amorem atq; aliena à bonis.*

quam poſthabitam nouitiæ miror, Indecorè de inhoneſto amore Pleuſides meminerit: niſi ſic argumentari eum putant, ſi propter illum fecerint alii alia, ſibi hoc licere magis propter ſuum honeſtiorem. At non eſt ita. Multa alios inhoneſta atque a bonis aliena feciſſe dicit amoris cauſſa: quæ ſi condonata ſint illis, veniam ſibi faciliorem fore non inhoneſtæ huius aſſimilationis. Poſt verſum autem hunc deeſſe alium explendæ ſententiæ, mihi non dubium eſt: vti neque parentheſin in illo fero, qui nunc proxime. Abſoluit Pleuſides inſtitutam ſententiam: cui cum ſubiungere exempla vellet, ac de Achille ordiretur, aſtantem cum Palæſtrione militem videt, atque eo repreſſus commutandam ſibi ait orationem,

tionem,& commutat. Ibidem in iſtis ſuſpicionem veterem meam dicam, quæ nunc minus placet, & ferè ſuperuacanea videtur:

*PT. Iamdudum res parata eſt. heus Palæſtrio*
*Aurum, ornamenta, veſtem pretioſam omnem ferat.*
*Duc adiutores tecum ad nauim, qui ferant.*
*Omnia compoſita ſunt. quæ donaui, auferat.*

Offendebat me toties iteratum idem in verſuum aliquot fine verbum, & exaſperabant magis aſperiuſculi numeri in ſecundo. Denique mutabam ſic & traducebam:

*—— heus Palæſtrio*
*Duc adiutores tecum ad nauim, qui ferant*
*Aurum, ornamenta, veſtem pretioſam omnem hera.*
*Omnia compoſita ſunt. quæ donaui, auferat.*

Ex *ferat, hera* fit elementiſſimè: & erat Palæſtrio nunc Philocomaſio ſeruus, à milite ſuprà illi datus:

*—— donauiq; ei*
*Quæ voluit, quæ poſtulauit. te quoq; ei dono dedi.*

Atque hinc infra queritur ipſe muliebres ſibi mores diſcēdos. Sed non probare nitar aliis, quod mihi non antè ſatis.

## CAPVT XIII.

*Labra labellis artè ferruminare. Inueſtigando operæ parcere. Diſpennere, diſtennere, tennere, tenus. Plurima adhuc in Milite variè correcta, ſimul explicata.*

SEnſim iam magis magiſq; fini propinquamus, & breui Militem amittemus. verberatum tamen etiam nonnihil, vt boni conſulat, ſi vaſis ſaluis abeat, ſaltem nec inteſtatus. Punctiones aliquot adhuc ſtili noſtri ſentiet: quo fieri certè poteſt vt vulnera vltro faciam ei, dum meditor medicinam. Sed innoxia erunt, ſpero, ſi quæ erunt. & ſectionem quidē abſtinemus omninò, neq; de induſtria nihili factum cupimus virum bonum. Scenâ *Quid modi.*

*PH. Ibo, quanquam inuita facio. pietas ſic cogit. PL. ſapis.*

Mœchiſſat hìc verbum *cogit*, quod à Lambino conciliatore. Veteres ſcribunt *ſic cohibet*. Legitimi iuris eſt credo, *ſicce iubet*. Adultera deinde Lambini eiuſdem interpretatio iſtorum:

*—— PT. nimium hæc flet. PH. nequeo*
*Cum te video*

Ait, non poſſe lacrimis Philocomaſium temperare ad militis aſpectum. Minus id eſt quàm pro re. Cum ipſe diceret miles, nimis eam flere: illa hoc ait, non poſſe nimis ſe flere, vbi illum talem virum videat vltimò, & cogitet amplius non videndum. Mox Palæſtrio:

*Nam nihil miror ſi libenter Philocomaſium hic erat.*
*Forma huius, mores, virtus animum attinuere hic tuum,*
*Quom ego ſeruus, quando aſpicio hunc, fleo, quia diſiungimur.*

Quorum medius verſus niſi parentheſi claudẽdus, vltimus eſſe rurſum faciendus. Nam illi quidem ſententiã cohærent primus:

*Nam nihil miror, ſi libenter tu Philocomaſium hic eras,*

*Quom ego ſeruus, quando hunc aſpicio, lacrumor, quia diiungimur*

Ita ſimul enim ex antiquis ſcribendi fortè potius, parua diuerſitate, quæ non ſenſum, ſed numeros ſpectat. Deinceps non fuit quo miles manifeſtò magis in adulterio deprẽſus, quam is locus, aliorum pridem ſuperuentu & incuſatione:

*PA. Nihil aquam moror. PY. cur? PA. malo ne ipſe interueneris,*

*Quæſo dum reſpitito, capita inter ſe nimis nexa hice habent.*

*Non placet, labra & labella inter ſe ferunt admodum.*

Ac de ſingulis hic erratis abundè dixerũt plures: quos inter ad reſtitutionem veram proximè Palmerius acceſſit, luculentiſſime totum inſuper locum interpretatus. Eius recipimus pleraque, & addimus à nobis iſtud. Antiqui codices in poſtremo verſu omnes, *labra labellis ferruminauit acre malum.* inde præter alia ſumtum aptiſſimum huic rei verbum *ferruminauit*, probo. ſed amplius, *acre* negligendum non fuiſſe contendo. Nos *arte* facimus ex eo, quod est arctè. Totum autem ſic ſcribo:

*— PA. malo merum. ne ipſe interueneris*

*Quæſo, dum reſipiſcit. PY. capita inter ſe nimis nexa hice habent.*

*Non placet. labra labellis ferruminant arte admodum.*

Perſonas ita diſtinguere cur maluerim, à Palmerio pete. Sequitur:

*PL. Tentabam ſpiraret an non. at eam ad nos iam oportuit.*

*Sin magis vis, ambos mittam. PA. nolo retineat, fleo miſer.*

De his ille, quem ſecutus ſum prius, non optimè. Mihi liquet è veteribus, militis eſſe verba, *nolo retineat.* quæ ſub eius perſona diſtingues, *PY. nolo. retineat.* Aiebat nauclerus, vel ambos ſe miſſurum (quod rectè de Philocomaſio & Palæſtrione capiunt) ſi miles ita velit. nam ſua nihil intereſſe. Tum ille, nolo, inquit: & retineat Philocomaſium etiam ſeruum, quem dono ſemel dedi. Reliqua Palæſtrio ipſe aſſiens dicat, *fleo miſer,* an Pleuſides, *flet miſer,* in haud magno diſcrimine ponam. Poſt illa:

*PY. Age Palæſtrio, bono animo es. PA. heu, nequeo quin fleam.*

Geminandum erat *heu heu,* niſi veteres inſererent *heu mihi.* Statim:

*PH. Sed quid hoc, quæ res eſt? quid video? lux ſalue.*

*PL. Iam reſipiſti? PH. obſecro quem amplexa ſum*

*Hominem? perij! ſumne ego apud me?*

Primus verſus integer non eſt, alter alterius generis: qui tamen conformari ceteris poſſit ex antiquis, traducto in eius initiũ Philocomaſii nomine, quod inſertum illic præcedenti:

*PL. Philocomaſium, iamne reſipiſti? PH. obſecro q. a. ſum,*

At primo nihil, me iudice, niſi lucis epithetõ aliquod abeſt. Forte

*hae* [illegible] *can*[illegible] *da* aut [illegible] talis qua addita ſit & ipſe reliquis par & pl[illegible]. Etſi mutation[illegible] n numerorum non alias abſurdam hic aſſenſero, ſi quis [illegible] det: ſed & idem, quales ſint igitur, oſtendet. [illegible] mox verba, *P*[illegible] *Quid iſtuc negotij?* inſerendũ verbum ẽ priſci [illegible] kidebis, id moneri. ſed vide numeros, qui po[illegible]nt [illegible], paullò [illegible] etiam traduci illa volunt, *Ne quis hoc tibi* [illegible]. Iidem vitium & iſtic indicant:

*Cum venit in mentem, vt mores mihi mutandi ſient,*
*Muliebres mores diſcendi, obliuiſcendi ſtratiotici.*

Forte [illegible] Plautus reliquit:

*Cum venit* [illegible] *mentem, mores vt mihi mutandi ſient,*
*Di*[illegible]*endi muliebres, obliuiſcendi ſtratiotici.*

Deinde cer[illegible] e[illegible] emino[illegible] ſcripſit iterum *fuerim*, eorundem cauſſa.

*P*[illegible] *C*[illegible]*gitato idem idem, ſibi quam fidelis fuerim.*

R[illegible] illud emendetur, ſi & rectè diſtinguatur:

*P*[illegible] *Sto & perſpe*[illegible] *ſæpe, verùm cum antehac, tum hodie maximè.*
*PA Scis imo hodie: verùm factu faxo poſt diſces (aut etiam dices) magis.*

F[illegible] ſcenæ manifeſtò interpolatus:

[illegible]*tulet feci, qui hunc amiſi. ibo nunc intrò nunc iam*
*A*[illegible] *miteres meos. e*[illegible] *iam ſer*[illegible] *hinc. ſonitum fecerunt fores.*

Priore verſu bis habes *nunc*, malè. Melius veteres, *ibo hinc intrò nũc iam*. Altero ſcribendum erat, *& iam* diuiſim, aut *ſed iam*, niſi aliud lateret, quod non educo. Veteres illi enim *quæ exit hinc*, ad ſenſum co[illegible]è, non ad verſum. Penultimâ ſcenulâ quod eſt:

*Inu*[illegible] *abo, operæ ego non parcam meæ.*

eſt vnde potius legas, *Inueſtigando ego operæ n. p. meæ*. Sic dictũ, operę inueſtigando parcere, vt ſuprà, operam inueſtigando ſumere. Scenâ vltimâ mirum eſt vbique ſic malè interpungi iſtud:

*PY. Perij. CA. haud etiam numero hoc dicis. iamne in hominem inuolo.*

Ait nondum numerò, id eſt citò nimis dicere. Dicebat imò, neque dum perierat. Diſtingue poſt *haud etiam*. Nondum periiſti, inquit. *numero hoc dicis*: præmature periiſſe te dicis, præut peribis. Hoc ſen[illegible] nihil venuſtius, nihil abſurdius vulgato. Deinde:

*PY.* [illegible]*ta me dij ament, vltro ventum eſt ad me. PER. mentitur. PY. perij.*

Non [illegible]plicet iſta tam crebra militis exclamatio periiſſe ſe quiritantis. Hic tamen veteres libros cenſeo magis audiendos, qui legunt: ——— *PER. mentitur. feri.*

*PY. Mane dum narro.*

Verſus ſequentis ſic verba digeres

*PE. Dic. PY. oratus ſum huc venire ad te. PE. quare auſus? hem tibi.*

In illo

*PE. Vbi lubet, diſtendite hominem diuorſum & diſtendite.*

non lubet argutari cũ Nonio in *diſpennite*, quod pro *diſpendite* nobis ſupponit: alioqui poteramus & in altero *diſtendite*, quod mutare facillimum erat in *diſtennite*. *Tennere*, verbum antiquũ, quod in Terentii Phormione Donatus notat: vnde & *tenus*, quod Nonius in Bacchidibus noſtri laqueũ interpretatur in aucupio tendi ſolitum ſiue tenni. Proximum ſic ſcribe:

*Obſecro hercle te, mea verba vt audias priuſquam ſecer.*

Mox negatio ſupereſt in iſto:

*PE. Iura te non nociturum eſſe homini de hac re nemini.*

Eam in *nunc* mutari debere certum: quod Lambini libri habent etiam illâ retentâ. Sed ita compones:

*Iura te nociturum eſſe homini nunc hac de re nemini.*

Hunc in vicinia ſcribes ex antiquis pleniorem:

*Si te ſaluum hinc mittimus ire Venerium nepotulum.*

Paullò inferius:

*PE. Si poſthac prehendero. ego te hic arcebo teſtibus.*

Sententiæ verſuſque cauſſâ diſtinguito ac ſcribito:

*PE. Si poſthac prehendero ego ted hic, arcebo teſtibus.*

Poſtremo propter etiam verſum:

*Namq; illic, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat*

Non *ille*. Iamque & nos tandem ſoluimus ac mittimus mitem ſatis Militem, qui viderit, mihine cognoſcenti, an ignoſcenti ſeni gratiam debeat maiorem.

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI MERCATOREM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD

Clariſſimum virum

JOANNEM CASELIVM IVRISCONſultum, Philoſophum, & Oratorem.

*D*RAma *tibi viſa fuit nuper epiſtolà quædam mea*, CL. CASELI: *quod non mihi tantùm, ſed ipſi Bucretio etiam noſtro perſcripſiſti. Ne hoc fruſtrà dixeris, ècce tibi verum* δρᾶμα, *Plautinam fabulam: in quam illud cenſorium mihi ius ſumſi, quod tu multos in multa ſibi ſumere interdum ſtomacharis. Etenim memini, quid ad alios ſæpè, quid ad me olim & in ſermonibus coram & per literas in eos, quos hodie Criticos inuidioſo nomine appellamus, indignanti propior dixeris, quaſi nugas quaſdam inutiles pleriq; conſectarentur, & eruditionem ſolidam rerumq; cognitionem negligerent, in verbulis ſolis occupati: cùm de me quoque idem veritus aut ſuſpicatus, egiſti diligenter, vt inde me abſtraheres & reduceres, qui calore iuuenili temerè prolapſus atque altius immerſus viderer in iſtam ſectam. At ego, optime Caſeli, monita tuá & libenter audiui, & audita numquam ſpreui: neque tamen efficere id potuiſti, quod neque voluiſti credo penitus, vt relinquerem prorſus id ſtudiorum genus, quod maximè & naturam mihi ſentiebam conciliaſſe. quamquam vt inter illos Criticos eſſem,*

*ego quidem nunquam affectaui, nec eo titulo volo me cenſeri. & qui cenſentur, eos nec ipſe omnes probo, neque certe vel animus mihi vel facultas eſt tueri: qui ipſi quiſque viderint, in his literis quid quatenus ſequantur, & quam ſibi, verborumne an rerum, ſolidam an inanem, ſtudeant cognitionem comparare. Me ſcio nec vmbram doctrinæ venari, & quamdiu bonorum auctorum lectioni fui deditus accuratiori, non neglexiſſe potiora alia: quæ neq; nunc negligo, adeoq; ſpero conſtituram mihi operæ vbiq; meæ rationem. Nunc Plauto menſes aliquot dedi, quem a puero amaui iuxta (non enim dicam, ante) Ciceronem: & in illum quæ diuerſo tempore, vt quique legeram, ſum ab aliquot annis commentatus, ex aduerſariis meis hinc inde ſparſa collegi, in vnum volumen digeſſi, & hortatibus aliorum iam edo. Quod ſanè factum minimè tu reprehendes, qui Latinæ linguæ & ipſe, imò vnus præter alios eis optimè, vtq; ſit, annos iam plurimos inter cetera tui muneris enixè docendo ſcribendoq; laboras, atq; idem eandem è Plauto iuuari præcipuè non inficieris, quem ideo Comicum & amas vnicè, vt vnà cum Terẽtio, noſtri non tam æmulo, quam imitatore, in delicijs habes. Vt verò videas tamen propius, in hoc nunc poeta ſitne reprehendendum tibi ſtudium meum, accipe particulam hanc noſtrarum Commentationum: quarum quantum eſt in vnam Comœdiam eo peculiariter ad te nomine mitto, ſed & alijs pluribus in publicum inſcriptione ſolenni tibi dico. Nam cenſere quidem inprimis iſta noſtra debes, vt & tu, quod hic operæ pretium à me factum, quidque laudis aut culpæ meritum; & ego, quouſque ſuſtinere ſerium ſeuerumque iudicium tuum in his literis vniuerſis poſſim, experiamur: ſed vbi cenſuram eam priuatam peregeris, illud mihi cõcedes non inuitus, vt in publico vtar præſcriptione tui apud doctos omnes clariſſimi, bonis grati, malis etiam venerandi nominis ad eorundem commendationem ac tutelam: ſimul, vt hunc ex humaniore literatura depromtum libellum exſtare faciam quaſi monumentum animi grati cum vt erga præceptorem, à quo ei literaturæ primo ſim legitimè initiatus, & ſub quo progreſſus inibi verâ deinceps viâ,*

proſe-

*profecerim id totum, quantulumcumque eſt quod profeci; tum vt aduerſus amicum, qui patroni mihi ſemper ab vltima pueritia poſt demortuum parentem loco fuerit & conſilijs, officiis, beneficiis perpetuis præſentem, abſentem, iuuerit, fouerit, ornarit, etiamq; nunc humaniſſimè & benigniſſime complectatur: quæ merita omnia & plurima & maxima agnoſco, nec poſſum niſi hoc vno genere remunerari: quamquam neq; ſic remuneror: & tamen ita volui ac tentaui, ne cum omni remunerandi facultate voluntas etiam ipſa mihi deeſſe videretur: denique, vt tenebras obſcuri huius ſcripti luce diſcuterem clariſſimæ tuæ famæ: cui inſuper etiam quaſi ſoli nubem velut iſtam humentem obiicio & ſtatuo exaduersùm, vt illius exceptis radiis, colorem ducat à fulgore veſtro, nouamq; nouo exemplo Iridem mihi pariat, quæ cum tuo nomine numquam occaſuro ipſa duratura perpetuò poſteris in ſignum ſit mutuæ inter nos gratiæ, meiq; tuis æternis meritis æternùm obnoxii affectus.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI MERCATOREM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Cenſura in Mercatoris initium. Loca quædam dubia poſt alios tentata, atq; alio modo, ſi fortè, conſtituta.*

MErcator Plautinus adulterinas & improbas quaſdam bonis incorruptiſq; mixtas diu merces venditauit, quas Ædiles noſtri non diligenter ſatis omnes inſpexére. Nos quæ ſic fefellerũt, ventilabimus hîc & excutiemus, æſtimabimuſque, pro virtute vt cuique pretium ſtet, nec amplius tam dolo malo incauti decipiantur emtores. Prologo exponitur:

*Sed ea vt ſim implicitus dicam, ſi opera eſt auribus,*
*Atq; ad aduertendum animum adeſt benignitas.*

Id initio ſtatim non ſincerum veteres arguunt libri, & ipſi numeri, qui mihi ſuadent interpolare ſola tranſpoſitione particula vni vt *Atq; aduertendum ad animum.* In hoc tamen nō erat magna fraus in verſibus proximis admodum ſanè magna:

*Et hoc parum etiam more maiorum inſtiti.*

*Per me ea percontatus ſum vos, ſumq; iudex illico.*

Nam quid hic omnino ſanitatis? Et Dii ne ſinant, vt Lambini & Alciati recipiamus emendationes, quibus vix putidius aliquid poterat dari. Dicam ego meam, ſed ambiguā, ac duplicem adeò ſententiam, cum venia doctorum, ſi neutra acceptabilis, etſi quidem vtraque magis, vt ipſe iudico, quàm illorum quos damnaui. Lacuna mihi viſa hîc olim fuit aliquot verſuum, qui inter hos & ſuperiores interiecti cōtinuiſſent principium narrationis illius, quam inſtituebat adoleſcens de nouitiis his & veteribus etiam amoribus ſuis in ipſa patria, quamque ab initio repetit poſteà,

*Illuc reuerti certum, vt conata eloquar.*

Hoc poſitò, verſus iſtos ſic ſcribebam:

*Et hoc parum etiam, more maiorum inſtiti,*

*Pergræcatus ſum tum ſumq; ſui inde illico.*

Et capiebam, quidquid præceſſiſſet, quod diceret à ſe factum, id quidem parum etiam eſſe. nam aliorum exemplo & quaſi de maiorum more pergræcari ſe incepiſſe & ſumtuōſum illico fieri: quæ vitia mox hac occaſione præcipua ſectari narraret amorem, maximè de elegantiæ damnoſiſſimo ſtudio queſtus. Hæc olim mens fuit: quam etſi non improbo nunc prorſum, tamen quod recens cogitaui, multo placet impenſius, eò quia lacunam abolet, quam prius inducebam. Nullus enim videbitur eſſe defectus, ſi mutatione minori quoque & omnium facillima legatur:

*Et hoc parum etiam more amatorum inſtiti:*

*Percontatus ſum vos, neq; ſum iudex illico.*

Cum narraturus Charinus eſſet amorum ſuorum initium atque ordinem, præfatus veniam velut quæſierat, an vacaret ſpectatoribus, & benignè ſe eſſent audituri. Id nunc percontatum ſe eſſe prius, damnat, neque feciſſe ait amatorum modo, qui cum ratione parum agant ſcilicet, & quod ipſis lubeat dicant ſine reſpectu, vt loquuntur, aliorum. Iudicare decuiſſe potius ſtatim, quam delicias facere præfatiunculâ & modeſtiâ amatoribus alienâ. Quò pertineat, quod infrà de multiloquio & pauciloquio affert: quanquam illud excuſat etiam ibi, æquè præter amantium morem. Videant eruditi, quid in vtraq; coniectura ſit, & vtram, aut adeò an aliquam harum velint amplexari. Voces, quas vtrobique neglexi, *Per me ea*, ſpuriæ ſunt prorſus & à librariorum interpretumq; hæſitatione natæ. Iam ab hoc ſcrupoſo loco ad planiora alia progrediamur. Eſt etiam in Prologo:

*Inhæret etiam auiditas, deſidia, iniuria.*

Nec

Nec eſt malè: ſic fortè melius tamen *incuria*, quàm *iniuria*, ſi verba vtrinque proxima ſpectentur. Ibidem mox:

> *Principio atq; animus ephebis ætate exijt,*
> *Atq; animus ſtudio amotus puerili eſt meus.*

rectè vidit elegantiſſimus Douſa F. repetitum in priori verſu *animus* è ſequenti. neque ceteram correctionem eius improbo. moneo tantùm, ipſe aliique videant, an non repetitum ſimul & *atque* iunctum hîc & illic alteri: quo abiecto pariter, etiam leuius emendari poſſit,

> *Principio vt ex ephebis ætate exij,*
> *Atq; animus ſtudio.*

Minor hæc mutatio, neque minus Plautina locutio. Deinde:

> *Summo hæc clamore: interdum mihi ſe colloqui*
> *Abnuere, negitare adeo me natum ſuum.*

Planè cenſeam è veteribus reponendum, *interdum muſſans, colloqui Abnuere.* planè inquam. nam cur mutemus vlterius cum aliis idipſum, quod ſic liquidò ibi ſcriptum, & rei maximè aptum? Interuallo maiuſculo, vt nos facimus interualla:

> *Nam, metretas quæ trecentas tolleret,*
> *Paraſſe, atq; eapſe merces vectatum vndiq;,*
> *Adeo dum, quæ tum haberet, peperiſſet bona.*

Magni Scaligeri hoc, quod in textum à Lambino receptū iam olim. Non ſecutus eſt Gulielmius noſter, cuius nec ipſe ſequor æquè ingenioſam coniecturam. Hic faciebat, *atq; ea ſe in Perſis vectatū vndique.* At diſſentaneus à ſe ipſo ſenſus, in Perſis ſimul & vndiq; vectari. Nec dicturus fuiſſe Plautus videtur, in Perſis. Ab altero etiā, ne ſequar, deterret me *vectatū* agendi ſignificatu. Mihi ipſi ſuccurrebat, *atq; ea ſemet Sic vectatū vndiq;* Cū inuenti, & in reliquis proxime item ad veſtigia vulgatà accedo. Scenâ primâ:

> *Simul autem planiſſimè eos, qui aduerſum eunt, aſpellito.*

Præter quæ alii hîc mutant, etiam *erunt* malim ego, quod in veterum aliquo vidi. Eſſe & fieri aduorſum alicui, crebra Plauto phraſis. Atque mox:

> *Et currendum & pugnandum & ante iurgandum eſt in via.*

Credo *&* *autem* potius ſcriptum, quod ſic mutarat in *ante* Caſinæ quoque Prologo, vbi de particula ea diximus ſatis. Ibidem:

> *Quam reſiſto, tam maximè res in periclo vortitur.*

Alio verborum ordine veteres, *Quam maximè reſiſto, tam res in p. v.* & indubitatò meliore. Iambicus tetrameter ita verſus eſt, quales & priores eſſe videntur, & ſequentes ad illum vſque,

> *AC. At tu edepol calidam picem bibito, ægritudo abſceſſerit,*

à quo mutati in ſeptenarios trochaicos incipiunt.

## CAPVT II.

*Balnea veterum à via & aliàs, laſſitudini eximenda. Lubet ſcire me.*

*Traiectiones verſuum duæ oſtenſa: alia multa variè correcta, explicata. Iocus etiam tenuior interpretatus.*

ORdo verſuum ille non peſſimus eſt eâdem prima ſcenâ:

*Perij, animam nequeo vortere, nimis nihili tibicen ſiem.*
*CH. At tu edepol ſume laciniam atq; abſterge ſudorem tibi.*
*AC. Nunquam edepol omnes balnea mihi hanc laſſitudinem eximent.*

Vix ſcio tamen, an non melior futurus à tranſpoſitione, vt poſt mentionem laſſitudinis ac balnearum ſubiiciatur de ſudore abſtergendo: quod fore commodius videtur, quam vbi ſe nihili tibicinem ſeruus dixit. Hunc in modum, inquam, verſus forte diſponendi:

*Perij! animam nequeo vortere. nimis nihili tibicen ſiem.*
*Nunquam edepol omnes balnea mihi hanc laſſitudinem eximent.*
*CH. At tu edepol ſume laciniam atq; abſterge ſudorem tibi.*
*AC. Domin' an foris.*

Sed hoc valdè quidem dubium. Quòd autem ait balneas laſſitudinem ſibi non exemturas, ſcire licet, veteres ita ſe lauacris refouere ſolitos à defatigatione quacunque: vt Truculento Sc. *Piſces.*

*AS. Non quis parumper durare opperirier:*
*DI. Quin hercle laſſus iam ſum durando miſer.*
*Mihi quoque præ laſſitudine opus eſt vt lauem.*

Atque hinc potiſſimum inter cauſſas tamen alias illæ peregrè venientium lauationes: quarum in Plauto exempla multa. Amphitr. Sc. *Satin' parua.*

*Ain' heri nos adueniſſe huc? AL. aio, aduenienſq; illico*
*Me ſaluſtauiſti, & ego te, & oſculum retuli tibi.*
*AM. Iam illud non placet principium de oſclo. perge iam exſequi.*
*AL. Lauiſti. AM. quid poſtquam laui? AL. accubuiſti.*

Epidico Sc. *Male morigerus.*

*ST. Epidice fateor. EP. abi intrò, ac iube huic aquam calefieri.*

Etiam apud Appuleium lib. 1. Metamorph. *Et vocatâ ancillulâ, Fotis, inquit, ſarcinulas hoſpitis ſuſceptas cum fide conde in illud cubiculum, ac ſimul è promtuario oleum vnctui, & lintea terſui, & cetera hoic eidem vſui profer ocyter, & hoſpitem meum produc ad proximas balneas. ſatis arduo itinere atq; prolixo fatigatus eſt.* Et apud alios vbiq; ſcriptorum. In Plauto ibidem porrò non videtur & hoc mendoſum:

——— *CH. ego animi pendeo.*
*Quid illud ſit negotij, lubet ſcire, ex hoc metu vt ſim certior.*

tamen & hoc è parua veterum librorum diuerſitate ſic amplius lubenter mutarim:

——— *CH. ego animi pendeo.*
*Quid illud negotij ſit e lubet ſcire ex hoc me, vt ſim certior.*

Locutio, *lubet ſcire me*, Plautiniſſima, & ex earum genere, in quibus

bus additæ verbis infinitiuis particulæ *me, te, ſe,* ac ſimiles abundant. quorum exempla etſi non erat opus vlla poni, duo tamē hîc leguntor. Infrà hac fabula:

*Non poſſum durare. certum eſt exulatum hinc ire me.*

Milite ſuprà: —— *verear magis*

*Me amoris cauſſa iſtoc ornatu incedere.*

Vbi malè, qui *Mei* volunt emendare. Deinceps: —*CH. liberum*

*Caput tibi faciam, paucos menſes. AC. palpo percutis.*

Rectè inſerunt viri docti *eis*, ſed non ſuo loco. Is autem eſt, *faciam paucos eis menſes.* Nam latet ea particula in poſteriore ſyllaba vocis iam antecedentis. Inferius vix eſt vt ſuo locô verſus ille totus ſit:

*Hoc quidem te interrogo, reſponde. AC. quin tu ſi quid vis roga.*

Ac me ſi audias, hunc facias ſeriem omnium iſtorum:

*AC. Eloquar, quandoquidem me oras. tuus pater. CH. quid meus pater?*

*AC. Tuam amicam. CH. quid eam? AC. vidit. CH. vidit? væ miſero mihi.*

*Qui potuit eam videre? AC. oculis. CH. quo pacto? AC. hiantibus.*

*CH. I hinc dierectus à me.* (hæ voculæ cauſsâ verſus ex antiquis inſerendæ.) *nugare in re capitali mea.*

*AC. Qui, malùm, ego nugor, ſi tibi, quod me rogas, reſpondeo?*

*CH. Hoc quidem te interrogo, reſponde. AC. quin tu ſi quid vis roga.*

*CH. Certen' vidit? AC. tam hercle certè quàm ego te ac tu me vides.*

Nihil audacius affirmo, ſed omnino germanus hic auctoris ordo: qui tam clarus, vt explicatione non debeat vlla comprobari. Pôſt, locutionem non egô iſtam damnô:

*Neq; quiſquam hominem conſpicatus eſt, donec in naui ſuper.*

neque minus amô coniecturam amici, *donec in nauim ſubit.* Vltimum ſit hoc hac ſcena quod nunc dicam. Tribus continuis iſtis verſibus immittendæ ſingulæ voculæ, quas adeò numeri ab editionibus priſcis repoſcunt:

*Perij. AC. hem iſtuc nunc vnum verbum dixiſti veriſſimum.*

*Stultitia iſtuc eſt. CH. quid faciam? credo nam non credet pater,*

*Si illam matri meæ me emiſſe dicam.*

Vide iam ipſe, quid atque vbi cuique acceſſerit. Sequitur ſcena *Multis modis:* cuius initium planè idem & Rudente, ſed illic auctius vno verſu, qui mirum niſi debuit hîc quoque non omitti. Si tanti eſt, vltrô confer & expende. Hic ſub initium autem in ſomnii narratione:

*Ei ne noceret, quam domi antè habui capram,*

*Neu diſcordarent, ſi ambo in vno eſſent loco,*

*Poſteriùs quàm mercatus fueram, viſus ſum*

*In cuſtodiam eam Simiæ concredere.*

X 2

corrigendum fortaſſis *amba* primò : deinde certò, *Poſterius quam mercatus fueram*, ſine accentu, ſine alia interpunctione. Senſus eſt Cum iam antè capram haberet domi, veritus eſt illi alteram nouitiam committere, ne inter ambas non conueniret, & altera noceretur. igitur hanc, quam poſterius fuerat mercatus, in cuſtodiam Simiæ dedit. Mox tenuis eſt iocus in verbo *ambadedere*, quem vix quiſquam hactenus attendit.

*Dicit capram, quam dederam ſeruandam ſibi*
*Suæ vxoris dotem ambadediſſe. oppido*
*Mihi illud videri mirum, vt vna illæc capra*
*Vxoris Simiæ dotem ambadederit.*

Ludit in verbo, quod dixi. Sonus in eo eſt vocis *ambo* : cui opponit *vnum*. Et ait mirari ſe, quomodo vna capra dotem ambadederit. Hoc ita niſi accipias, nihil in iis verbis ſalis eſt: quamquam & illud ſimul ridiculè miratur, quomodo capra vnica totam dotem arrodere circumquaque potuerit. Id quod manifeſtius apparet: neque minus tamen occultior ille iocus ibidem captatur. Scena *Profectò ego*.

*DE. Decide collum, ſi falſum eſt vti loquar.*

Non Lambini, non aliæ lectiones placent. Vellem ſcriptum, *ſi falſum eſt, nec vti loquor*. Ibidem pòſt :

*Neſcis? ne obiurga. hoc non voluntas me impulit.*

Melior lectio, *Ne ſis, ne obiurga* : de qua monitum ab aliis puto. *Hoc* alii volunt eſſe *huc* : optimè : atque ita Seruius ac Priſcianus in Marone :

*Hoc tunc ignipotens cælo deſcendit ab alto*

Libri tamen veteres aliter, neq; malè, diſtinguunt, *ne obiurga hoc* : quaſi ſit, propter hoc. Ad finem :

——*Sed optimè gnatum meum*
*Video eccum, opperior hominem, hoc nunc mihi viſo eſt opus.*

Scribi interpungique aliter verſus ac ſententia volunt :

*Video, eccum. opperior hominem : hoc nunc mihi viſo opus?*

Ni ſic *eſt* in fine traiicias, *hominem* ſit delendum. Sed traiiciendum magis illud, atque idem pariter penultimo verſu :

*Nam es dono aduexe audiui. ſed præcauto eſt opus.*

Fac, *ſed præcauto opus eſt*.

## CAPVT IIII.

*Porro—ſcena examinata. Multa in iis emendata verborum perſonarumq; mutationibus : numeri refecti : verſus etiam vnus traductus. Expoſita, quibus opus fuit, & declarata.*

SVbauſcultemus nūc riualium patris ac filii de muliercula ſibine, an aliis? imò ſibi ridiculo certamine laborantium verecundam contentionem. Ea ſcenā proximā, *Homo me*, continetur : in qua hoc leue mendum, ſi eſt mendum tamen :

*DE. Ita volo. ſed iſtuc quid eſt tibi? quid commutatuſt color?*

Dices eſſe, quantulumcumque eſt, ſi lectionem meliorem hanc agnoſces: *ſed iſtuc quid eſt, tibi quòd commutatuſt color?* Inde porrò maiuſculo interuallo:

*DE. Vt morata eſt? CH. nullam vidi melius mea ſententia.*
*DE. Mihi quidem edepol viſa eſt, cum illam vidi. CH, ehò an vidiſti pater?*

Magis adhæream veteribus, qui verſu altero *Sic quidem edepol viſa eſt.* Elegans deinde locutio:

*Vellitent, vocent, moleſti ſint, occentent oſtium.*

quæ eadem Perſâ:

*At enim illi noctu occentabunt oſtium, exurent fores.*

Statim: *Mihiq. obijcient lenocinium facere.*
potius ſit, *obijciant*: quo flexu reliqua ſunt omnia verba. Porrò:

*CH. Dixit ſe redhibere, ſi non placeat. DE. nihil iſtoc opuſt.*
*Litigare ego nolo vos. quàm tuam autem accuſari fidem*
*Multo edepol, ſi quid faciendum eſt, facere damni mauolo,*
*Quàm opprobramenticum aut flagitium muliebrè efferri domo.*

Inconcinnum, vt diuerſæ ſententiæ vtrinqueſecus adhæreant iſti vni, *Multò mauolo.* Mutandæ paululum & interpunctiones, & vocula vna:

*Litigare nolo ego vos, neq. tuam autem accuſari fidem.*
*Multò edepol ſi quid f. e. f. d. mauolo,*
*Quàm opprobr.*

Ex altero *quam, neque* feci: & ſubintelligitur, neque volo. De particula *autem* ſic poſita & hîc & alibi ſupra dictum. Verſu vltimo ſuſpectum etiam *efferri domo*, pro quo ſubſtituant alij melius, qui poſſunt. Mox inde:

*DE. Tace modo, ſenex eſt quidam, qui illam mandauit mihi*
*Vt emerem ad iſtam faciem.*

Non *illam* Plautus, ſed *olim* videtur ſcripſiſſe. Et hinc mox:

*DE. Eccum illum video, iubet quinq. me addere etiam nunc minas.*
*CH. Hercle illunc dij infelicitent, quiſquis eſt. DE. ibidem mihi*
*Etiam nunc annutat, addam ſex minas. CH. ſeptem mihi.*

Fuit cum paullò hîc aliter vellê: *quiſquis eſt. totidem mihi. DE. Etiam nunc an.* vt filius contra patris illas triginta quinque minas, totidem licitetur, eadem ratione, quâ ſtatim contra ſex alias, ſeptem. Sed ſuperuacuum id fortè, quamuis admodum ſanè decorũ. Verſui illi vocula in libris omnibus deeſt, quam hîc inſerui:

*Potin' vt ne licitere aduerſum animi mei ſententiam?*

in quo turpiter etiam vna ſupereſt in optima editione, *Potin' ne vt ne.* Pòſt, vbi multa comminiſcitur adoleſcens, quæ venditionem impedire poſſe ſperat, ante alia patri obiicit, non poſſe mancupio illam tradi mancupio non acceptam:

*CH. Non ego illam mancupio accepi, ſed ille illam accepit. DE. ſine.*

Vbi cum ſe accepiſſe negat, quis ille eſt, quem affirmat accepiſſe? An, cum quo communem ſibi poſteà dicit? Nugæ. Corrigendum aio:

*CH. Non ego illam mancupio accepi. DE. ſed ille illam accipit ſine.*

Reiicit pater obiectionem filii. Nihil referre de mancupio: quoniam licet ipſe non acceperit, accipere tamen illum ſenem: id eſt, ita emere, tanquam ſi mancupio vendatur, nec eo deterreri ab emtione, quòd euictionis periculum non præſtetur. Propius ſcenæ finem:

*Ibi venibit. CH. vin' me tecum illo ire? DE. nolo. CH. non placet.*

*DE. Melius eſt te, quæ ſunt mandatæ res, tibi præuortier.*

Tolle comma, quo nunc loco eſt, & poſt *tibi* repone. Verborum enim hic ordo ac ſenſus: melius eſt te præuorti iis rebus, quæ tibi ſunt mandatæ. Verſu priore neſcio ſi tollenda Charini perſona: cui etſi minimè quidem placebat, ad portum vna non ire, tamen leuior eſt ea dictio quàm pro eius affectu. Senex igitur iſta potius continuet: *nolo, non placet. Melius eſt te.* Proxima ſcena vnum noto, quod eſt perpuſillum.

——*EV. atque eximam*

*Mulierem pretio. CH. qui potius, quàm auro expendas? EV. vnde ad erit id?*

Gloſſema eſt verbum *erit*, quod cum non habent meliores libri, tum verſus omnino iubet abolere. Scenæ, quæ deinceps, principium hoc ipſum diſtingui ſic quidam volunt:

*Amicè amico operam dedi. vicinus quod rogauit,*
*Hoc emi mercimonium. mea es tu, ſequere ſanè.*

Sed fruſtrà abhorrent locutionem, *dedi operam quod rogauit*, Plauto perquam familiarem. Satis vnum exemplum Caſinâ.

*Quàm iſtanc operam à med impetres quod poſtulas.*

In ſcena deinceps interiore turbatus ordo verſuum peruulgatus:

*PA. Ecaſtor iam biennium eſt, cum mecum rem cœpit habere:*
*Nunc, quando amicum te ſcio eſſe illius, indicabo.*
*LY. Quid ais tu? &c.*

Reſtituo fidenter hunc à me nouum:

*PA. Ecaſtor iam biennium eſt, cum mecum rem cœpit habere,*
*LY. Quid ais tu? iam biennium eſt cum tecum habet rem? PA. certo:*
*Nunc quando amicum te ſcio eſſe illius, indicabo:*
*Inter nos coniurauimus, ego cum illo & ille.*

Qui ſapit, probabit: atque etiam illud fortè deinceps, vbi verba perſonis ſic interpartiri velim:

——*PA. amabo an maritus ille eſt?*
*Neq; eſt neq; erit. LY. nolim quidem. homo hercle periurauit.*

*PA. Nul-*

*PA. Nullum adoleſcentulum plus amo.*

Magis profectò conuenit, Lyſimachum loqui ſecum de periurio vicini ſenis, quam de adoleſcentis Paſicompſam. Ille ſciebat enim certò periuraſſe, ſi vera mulier narrabat: hæc dubitare tamen poterat, & noto amatori plus adhuc fidere, quàm ante iſtum diem non viſo ſeni. Scenulâ, quæ continenter hanc inſequitur, *Tandem impetraui*, non probus alter iſtorum verſus:

*Demum igitur cum ſenex ſis, tunc in otium*
*Te colloces, dum poteſtur: id iam lucro eſt.*

Verba traduces, *Te, dum poteſtur, colloces*. ita pedibus incedet quibus debet.

## CAPVT IV.

*Vnum hoc. Deferre, dare, ſpondere dotis. Aliorum quædam refutata. Terentij locus defenſus. Plautus ſæpiculè correctus, illuſtratus: in eodem repetitio importuna duorum verſuum oſtenſa.*

SCenâ *Addam:*

*Quid ſi igitur vnum, factum hoc ſi cenſes, coquum*
*Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat.*

De emendatione Gulielmio magis aſſentior quam aliis; de diſtinctione verò mihi potius etiam quam illi. Scribendum:

*Quid ſi igitur vnum faciam hoc? ſi cenſes, coquum*
*Aliquem arrip.*

Et *faciam* quidem apertè libri veteres: *vnum hoc* ſic apud Terentium Adelph.

*ST. Labaſcit. vnum hoc habeo: vide ſi ſatis placet.*

Quod ipſum illic aggreſſus eſt mutare quidam, ineptè ſic ſcribi ratus, & id certò ſe ſcire affirmans. At nos contra ſcimus, elegantiſſimum rectiſſimumque hoc: quod ipſe ſubſtituit, alieniſſimum à loco, neque vel cum numeris quidquam validius pugnare. Frequentius *vnum* ſolum in oratione ſic Comici vſurparunt. Noſtri Bacchidib.

*Magis vnum in mente eſt mihi nunc, ſatis vt commodè*
*Pro dignitate obſonij hæc concuret coquus.*

Caſinâ: *Cedo. mane. vnum venit in mentem modò.*

Menæchm. *Nihil equidem paueo, niſi vnum, pallâ pallorem incutis.*

Suprà hîc: *Vnum quidem hercle iam ſcio, periiſſe me.*

Terent. Heautont.

*Magis vnum etiam inſtare, vt hodie conficerentur nuptiæ.*

Proximâ huic ſcenâ inſititios eſſe duos verſus cenſeo:

*Diuum atq; hominum quæ ſpectatrix atq; hera eadem es hominibus*
*Spem ſperatam cum obtuliſti hunc mihi, tibi grates ago.*

qui iidem infrà conſtituunt initium Scenæ ſecundæ quinti Actus: vbi germana eorum ſedes: non hic. Etenim qui tanta conuenerit hic exſultatio? Viſone vix ſodali rapiatur in gaudiũ tantum

X 4

Charinus, vt re, quam ferret, neque cognitâ triumphet? Et quam repente deiicitur viciſſim! Nec hærent his commodè, quæ ſequuntur. Illa verò commodiſſimè reliquis, ſi quæ volumus eximantur:

*Sed iſne eſt, quem currentem video? is ipſus eſt. ibo obuiam.*
*Numquid reſtas? eheu diſperij. Vultui neutiquam huius places.*

Propono tamen hoc, non quia prorſus audiri me velim & haberi pro ſententia quod dixi: ſed quaſi refero ad Senatum literatorum, quorum iudiciis examinetur & ſtet cadatque ſuſpicio noſtra. Ante hæc:

*Sed tandem ſi podagroſis pedibus eſſet Eutychus,*
*Iam à portu rediiſſe potuit.*

Ne produxiſſe primam videatur Plautus in *podagroſis*, aut aliàs nõ conſtet verſus, deme voculam alterius verſus initio, & huic inſere:

*Sed tandem iam, ſi podagroſis pedibus eſſet Eutychus,*
*A portu red. pot.*

Pòſt, cum verſum ſenſumque conſidero:

*Odioſa eſt oratio, cum rem agas, longinquum loqui:*

Labor, vt ſcribendum putem, *cum rem aueas*. Minuta alia ſcenæ eiuſdem pudet conſectari: niſi vnum, quod à fine propius abeſt:

*Si id fore ita, ſi ita animo acceptum eſt certum, id pro certo ſi habes.*

Ecquis eſt qui ferre ἐμβαλογίαν tam inſulſam poſſit? Ego de magna interpolatione olim ſuſpicatus ſum: nunc cenſeo mitius, & Plautum ſic ferè ſcripſiſſe perſuaſum & acceptum habeo:

*Si id fore ita ſat animo acceptum eſt certo, id pro certo ſi habes.*

quamquam etiam dubitando locus, ne fuerit, *certum id aut pro certo ſi habes*. De prioribus certum, *ſat* conficiendum ex altero *ſi ita*. Sequimur ad ſequentem ſcenam:

*SY. Da ſanè hanc virgam lauri. DO. abi tu intrò. SY. eo.*

Eſt qui perſonas deleat liber, & cõtinenter omnia Dorippę aſſcribat, præter extremum Syræ *eo*. Non damno: & fuerit tum *da*, porrige, non, in aram impone. Sed neq; vulgatum noſtrum ſuſtineo mutare: cui è veteribus aliis inſerere tutius eſt, *abi iam tu intrò*. Ne alterum quidem ibidem auſim reiiçere:

*DO. Quid? mulier? SY. mulier meretrix. DO. verón' ſeriò?*

Et tamen eleganter perſonæ varientur: *DO. veron'? SY. ſeriò. Nimium ſcis ſapere.* Porrò alia ſcenula *Parumne*.

——*ſed coquos quaſi in mari*
*Solet hortator remiges hortarier,*
*Ita hortabatur.*

Deeſſe videtur, *Solet olim hortator*, ne claudicet verſus: etſi non neſcio produci interdum in *e* deſinentia eiuſmodi verba, maximè, ſi, vt hic, aſpiratio excipiat, quæ quaſi ſit pro conſonante. Sed in hoc genere vix id putem admittendum. atque *olim* ſic ſolet interiici in re comparationis. Milites

Quam

*Quàm ſolis radij eſſe olim cum ſudum eſt ſolent.*

Iterum alia ſcena, quæ huic proxima:

*Hem cui decem talenta dotis detuli.*

Notare iuuat locutionem non protritam, *deferre dotis.* Ita verba enim hîc iunxerim; vt *dare dotis* eadem formâ dictum & à noſtro, & à Catone apud Nonium in verbo *Receptitium.* Ibi ille: *Mulier & magnam dotem dat, & magnam pecuniam retinet. Ex ea igitur re familiari, ex qua ſibi dote data retinuit pecuniam, à viro fortè irata repetere inſtituit. Apponit ei flagitatorem receptitium, hoc eſt, proprium ſeruum, quem reliqua pecunia receperat, nec dederat dotis, & exceperat.* Plautus noſter Perſâ, S C. *Quæ res.*

*Si hoc accuraſſis lepidè, cui rei operam damus,*
*Dabuntur dotis tibi inde ſexcenti logi.*

Idem Ciſtellar. SC. *Audire.*

*Vnde tibi talenta magna viginti pater. Det dotis.*

Nec aliter Aululariâ nunc capio, SC. *Præſagibat.*

*Atq; eam deſponde mihi. E V. at nihil eſt, dotis quod dem.*

Ita diſtinxerim, nec aliorum aliam admiſerim lectionem. *Spondere* etiam *dotis* eſt Trinummo, SC. *Neq; fuit.*

*——L Y. ſponden' ergo tuam gnatam vxorem mihi?*
*C H. ſpondeo, & mille auri Philippûm dotis. L Y. dotem nil moror.*

Vbique interpreteris, in dotem: & ſubintelligas, nomine ſeu loco dotis.

## CAPVT V.

*Plauti multa, magna minuta, vulnera obligata. Loca turbata, conſtituta: fracta & mutila, de ingenio expleta & reſecta. Verſus dubia ſedis, vix tandem in certâ conſtitutus. Pſeudolus etiam correcta. Explicationes addita, vbi & quantum opus fuit.*

ACriter & inſtanter eadem ſcenâ vrget Dorippa maritum trepidantem, neque aut cuia deprehenſa mulier ſit, aut quod eius nomen, vel illi fatentem, vel apud ſe inuenientem. Ea pars turbata videtur nonnihil:

*L Y. Illa eſt. num etiam vis nomen dicam? D O. nihil agis.*
*Manifeſtò teneo in noxia. L Y. qua noxia?*
*Iſta quidem illa eſt. D O. quæ illa eſt? L Y. illa. D O. io illa.*
*L Y. Iam ſi nihil vſus eſſet, iam non dicerem.*
*D O. Non tu ſcis quæ ſit illa? L Y. imo etiam ſcio.*
*De iſtac ſum iudex captus. D O. captus? iam ſcio.*

Ac mei arbitrii ſit, ita refingam:

*Iſta quidem illa eſt. D O. quæ illa eſt illa? illa io!*
*Non tu ſcis quæ ſit illa illa? L Y. imò etiam ſcio.*
*D O. Iam. L Y. ſi nihil vſus eſſet, iam non dicerem:*
*De iſtac ſum iudex captus.*

Exagitat vxor hæſitationem viri, & eò toties vocem eius illam re-



Digitized by Google

petit, quæ velut effutitia & nugatoria in eo dicendo quod neſcitur. Ita Trinummo, cum Sycophantam Charmides teneret.

*——CH. quod eſt ei nomen? SY. quod edepol homini probo.*
*CH. Lubet audire. SY. illi edepol, illi illi illi, væ miſero mihi.*

Dein, cum ſcire tamen ſenex diceret, illa quæ eſſet; hæc, *Iam*, inquit: quo verbo vno vehementiſſimè premit, & extorquet tandem aliquam confeſſionem. Itaque tergiuerſari non auſus amplius miſer ille, non tamen ſe dicturum ait eſſe, niſi plane ſibi neceſſe iam videret: atque commentus interim, quodcunque ſubuenire potuit, id profitetur. Scena ſequente.

*CO. Non eſtis cenaturi? LY. iam ſaturi ſumus.*
*Sed interij. DO. quid ais tu?*

Languidum nimis hoc, *Sed interij*. Fortè ſcriptum, *St. interij*. Silentii nota ſilere iterum iubet coquum, vt prius:

*LY. Abi. CO. quid abeam? LY. ſt. abi. CO. abeamne? LY. abi.*

Deinde minus etiam mendum:

*Non ego ſum, qui te dudum conduxi. CO. quid eſt?*
*Imo hercle tu iſtuc ipſus.*

Tamen mendum: & ſcribes *iſtic*, vt eſt in antiquis, & ſexcenties in Plauto, pro iſte. Forſan & ibidem, *conduxit*. Paullò inferius:

*LY. Cras petito, dabitur. nunc abi. DO. heu miſera mihi.*

Melius ex iiſdem veteribus ipſi ſeni relinquas verba, quæ Dorippæ nunc legimus aſſcripta: vt continuet ille:

*——nunc abi. heu miſero mihi!*
*Nunc ego verum illud verbum eſſe experior vetus.*
*Aliquid mali eſſe propter vicinum malum.*

Proximæ ſcenæ initio:

*Hera quem me miſit ad patrem, non eſt domi.*

Magis etiam figurata, neque Plautina minus locutio in priſcis, *Hera quò me miſit ad patrem*. Et hanc reſtitui velim.

Poſteà ibidem:

*SY. Sua quidem ſalute ac familia maxima.*

Veteres quos vbique laudo, inſerunt *omni*. Scribo, *familia omni*, id eſt totius. Iam ad illam progredimur ſcenam, cuius initium alibi in media ſcena temerè inſertum ſupra cenſebamus. Eſt autem alter iſtorum verſus:

*Spem ſperatam quoniam obtuliſti hanc mihi, grates ago:*

ſcribendus fortaſſe potius ad illud prius exemplum.

*Spem ſperatam quom obtuliſti hanc mihi, tibi grates ago.*

Meliores enim numeri, pleniorq; ſenſus. Ac deinceps æquè numeris ac ſenſui deſit aliquid in iſto:

*Domi erat quod quæritabam: ibi ſex ſodales repperi.*

Facilè ſuppleam à me: *Domi erat quod foris quæritabam.*

Nec abnegabis id germanum, qui Plauti perpetuum morem in parti-

particulis iis ſic iungendis noſti. Inferius iterum contrahes *certa res eſt*, quod non ſemel anteà notaui:

*EV. Cogito, quonam ego illum curram quaritatum. CH. certa res eſt.*

Porrò deinde locus mutilus fortaſſe, certè quidem manifeſtò interpolatus.

*Recipe te ad terram Charine huc. nonne ex aduerſo vides?*
*Nubis ater imberq; inſtat, aſpice nunc ad ſiniſtram*
*Cœlum vti ſplendore eſt plenum ex aduerſo vides.*

Inculcatum primò eſt poſterius hoc *ex aduerſo vides*: deinde & illud *aſpice nunc ad ſiniſtram*. Alterum repetierunt, quia neceſſarium viſum eſt in vtraque parte, cum nihil pugnet contra rationem magis. Alterum fecerunt illi, qui antea legiſſent *Reſpice ad dextram*, quod eſt in antiquioribus libris. Quid autem dextrum aut ſiniſtrum hic faciat, ego hercle non video. Sed neque de terra conuenit admodum: quando erat ipſe ſanè adhuc in terra. Latet alia vox in vtrauis iſtarum: quam quis ingenii acie ſe peruidere ſperet, ac in reliquis genuinam item aſſequi ſcripturam? Totum nos tamen in duos verſus coegimus, non Plautinos ipſos, ſed è Plautinis noſtros, vt reſectis alienis iſtis ſententia tantū nuda compareret:

*Recipe te retrò Charine huc. non ex aduerſo vides?*
*Nubis atra imberq; inſtat. cœlum hic plenum ſplendoris eſt.*
*CH. Religionem illic obiecit.*

Deinceps vulgatur:

*EV. Maximè quod vis audire, id audies quod gaudeas.*
*Sta illico. amicum aduenio multum beneuolens. CH. quid eſt?*

Verſus alter labitur, & ſententia volente quoque reſtituas ſanè *nuncius* pro *amicus*. Nec longè illud:

*CH. Ego iſtum in tranquillo & tuto ſiſtam tibi, ne time.*

numeris non optimis. Eximunt veteres *tibi*, qui ſcribunt iidem *tranſquieto*. Mirum ni in vna voce duæ latent, & verſus ſic legendus, Eutychi præfixâ perſonâ, quæ in optima, quàm hîc ſequimur, editione malè mutauit in Charini:

*EV. Ego iſtum in tranquillo & quieto & tuto ſiſtam, ne time.*

quamquam ex vulgata lectione verſum etiam optimū ſic cōficias:

*EV. Ego tibi iſtum in tranquillo & tuto ſiſtam, ne time.*

Etiamq; paullò pòſt:

*EV. Faciam. CH. longinquum iſtuc amanti eſt. EV. etiam metuis? o-*
*Commonſtrabo. amicior mihi nullus viuit atq; is eſt* [mnia
*Qui illam habet.*

Ait Eutychus, vt hæc diſtinctio eſt, omnia ſe commonſtraturum: quæ qualia ſint, non ſcio. Nihil præter amicam videre cupiebat Charinus, & hanc ſolam it ei monſtratum. Neque melior autem interpunctio in Lambinianis: *etiam metuis omnia. Commonſtrabo.* Perſona interpoſita ſticulam hanc dirimet:

——*EV. etiam metuis? CH. omnia.*

*E V. Commonſtrabo.*

Sic Terent. Heauton. *C. ita aiunt, & tu credis? M. omnia.*
Statim:

*C H. Non curo iſtuc, illam quæro. E V. de illa ergo ego dico tibi.*
*Sane hoc non in mentem venit dudum vti tibi dicerem.*

Verſu priore ſcribendum fortè *iſtunc*. Alter alienus hoc loco mihi videtur, nec planè ſcio quid eo faciam. Nam quid eſt quod dicere ſe prius oblitum dicit? An hoc de amica reperta? non poteſt. Nunc enim ipſum repererat illam primùm & hunc conuenerat. Quomodo igitur aut obliuiſci dudum potuerit, aut narrandi, ſi meminiſſet, habuerit occaſionem? Sed aliud quid fuiſſe oportet. Si aliud omninò; nihil id profectò ad hunc locum. De amica enim ſola agitur & ſatagitur. Quòd ſi delendus hinc, in hac quidem Comœdia locum illi vix alium diſpicio. Sed an planè delendus, alii diſpiciunto. Sed & hoc deinde vidento, an non dari commodiuſculus eidem locus poſſit tamen hac ipſa ſcenâ, vt illùc referatur:

*E V. Mane parumper, atq; hoc audi. C H. tape ſis puer hoc pallium.*
*E V. Sanè hoc non in mentem venit dudum vti tibi dicerem:*
*Mater irata eſt patri vehementer.*

Diſtulit diu cauſſam Eutychus profiteri, cur adeò rectà ad amicam ſtatim ſodalem non introduceret: nunc quia videt tandem, vt retineatur fugitiuus, celari non poſſe; ſimulat hactenus in mentem ſibi non veniſſe vt dudum diceret, quod dicturus planè de induſtria non erat, verecundiâ præpeditus in parentes, quorum iras ac diſſenſum ſuper iſta ipſa amica prodere erubeſcat. Sequitur alius porrò locus, cui ſedem, quam obtinet, etiam negem ſuam:

*C H. Vera dicis. E V. nihil Charine te quidem quidquam pudet.*

Nec enim ſententiâ conuenit admodum iis, quibus interſeritur: atque hi multò melius cohæreant non interrupti, ſcriptique in hunc modum:

*E V. Egomet vidi. C H. quis eam adduxit ad vos? quis? E V. iniquè rogas.*
*Quid tua refert, qui cum iſtæc venerit. C H. dum iſtic ſiet.*

Alteri *quis* immiſi, propter verſum, quod ſi males, Eutycho tribui etiam poteſt: altero ſcripſi propter ſenſum *iſtic*: id eſt, domi veſtræ, vbi quidem eſſe ille dixerat. Iam autem ſi mihi dabis, abeſſe melius hinc eum intermedium verſum: locum in hac ſcena commonſtrem alium, vbi commodius adeſſe videatur. Sed leuiſſima opus eſt antè mutatione, vt *dixi* ſcribam vice *dicis*. Et hoc cur graueris, nihil eſt cauſſæ. *Dicis* enim traiectâ ſaltem literulâ *dics* gignit: quod eſt ipſum *dixi*. Quæ antiquâ ſcriptura non intellecta potuit occaſionem dediſſe & mutandi in *dicis*, & deinde aliò verſus traducendi. Sed nihil affirmo. Tantùm non malè collocatum iri dico poſt inferiorem multò verſum iſtum:

*CH. Nam*

*CH. Nam hic quod dixit, id mentitum eſt. EV. vera dixi equidem tibi.*

*Vera dixi. nihil Charine te quidem quidquam pudet.*

Hoc quoque doctiorum ac magis ingenio valentium iudiciis æſtimandum lin[quo]. Interim illud aio, verſu, cui alterum nunc adiunximus, ſcript[um] olim *id mentitu'ſt*: nec id reſoluendum fuiſſe in *mentitum eſt*, ſed *mentitus eſt*. Quod idem vitium Pſeudolo hæret etiam SC. *viſo*.

*Malum & ſcelestum, & periurum aiebat eſſe me.*

*SI. Pol haud mentitum eſt.*

Ibi pariter emenda. Sed hac etiam ſcenâ noſtrâ quædam ſunt minuta, non prætermittenda, cùm non ſuppetunt grauiora.

*EV. Quid ſi optabo? CH. deos orato, vt eius faciant copiam.*

Iocus elegantior, credo, fuerit, & irriſio apertior, ſi *orabo* cum veteribus legamus. Nam cum optare iuſſiſſet Charinus, ipſius erat, optatum præſtare. Is autem in miſeria etiam ſua facetus, non ſe præſtiturum, quod ſodalis exſpectabat; ſed, quod non exſpectabat, oraturum deos ait, qui præſtent. Deinde mox:

*Sed quin ornatum hunc reiicio. heus aliquis, heus actutum huc foras*

*Exite, illinc pallium mihi huc ferte. EV. hem nunc tu mihi vt places?*

[Reti]nente librorum veterum auctoritate, ſuadentibus ſimul nu[meris], verſu priori demo alterum *heus*; & iungo *heus aliquis actutum huc foras Exite*. poſteriori item demo *vt* cum ipſa interrogatione. Scripſit enim ſolens Plautus, *hem nunc tu mihi places*.

Statim:

*CH. Optimè aduenient puere, cape chlamydem atque hæc. iſtinc ſta illico.*

Malim *aduenis*, & *iſtic*. Paullulò poſt inſeres particellam non ſenſui, ſed verſui neceſſariam, è priſcis:

*CH. Quid maneo? EV. tempus non eſt nunc introeundi. CH. enicas.*

Ad finem:

*Hic homo non ſanus eſt. CH. medicari amicus quin properas?*

Exterendum e de medio verbi *properas*, numerorum cauſſâ.

## CAPVT VI.

*Scenula paucorum verſuum, multis grauibusq. traiectionum & interpunctionum mendis liberata: tota enarrata.*

SIngularem ſcenam faciunt iſtos quinque verſus, in quibus tam paucis mirabere, lector, errores committi potuiſſe tot & tam grandes.

*DE. Quaſi tu nunquam quidquam aſſimile huius facti feceris.*

*LY. Nam mea uxor propter illam tota in fermento iacet.*

*Edepol nunquam tam, ne quid facerem, vix viuus ſum miſer.*

*DE. At ego eam expurgationem habebo, vt ne ſuccenſeat.*

*Sequere me. ſed exeuntem filium video meum.*

Primò tranſpoſitos ſecundum & tertium ipſa ſententia clamat, magis quidem, ſi qui nunc tertius eſt recte ſcribatur ac diſtinguatur. Deinde perſonæ errant in fine. Nec enim Demipho ſuum videt exeuntem filium, ſed Lyſimachus ſuum. Exit enim Eutychus, nec Charini deinceps vllæ in ſcena partes. qua cauſſa delendum etiam huius nomen poſtea, quod ineptè præſcribitur, inter alioſium, vltimæ ſcenæ. Hæc omnia non ab alijs animaduerſa pridem, iſta eſt equidem admirandi cauſſa. Quibus hoc addas, non cogitatum, indecorè Demiphonem præcedere Lyſimachum in ipſius ædes, & eum ſequi ſe iubere: niſi ſi tanquam conciliator illi viam aditumque fortaſſis facit ad vxorem, atque eò prior ingreſſurus alterum vt obnoxium ducit. Hoc tamen abnegat ea ratio, quæ ab exeunte ſumitur filio: cuius quia pater Lyſimachus, is ſequi Demiphonem iubebit. Quamquam contra viciſſim alius dixerit, *Sequere me* Demiphonis adhuc eſſe verba, reliqua Lyſimachi tantùm. Et non acceſſerim ego. nam eiuſdem perſonæ totus videtur eſſe verſus, qui duabus diuidi ſe vix feret. Sed iam totam ſceniulam è correctione noſtra ſic reſcribemus:

*DE. Quaſi tu nunquam quidquam aſſimile huius facti feceris.*
*LY. Edepol nunquam: caui ne facerem. vix viuus ſum miſer:*
*Nam mea vxor propter illam tota in fermento iacet.*
*DE. At ego eam expurgationem habebo, vt ne ſuccenſeat.*
*LY. Sequere me, ſed exeuntem filium video meum.*

Liquida omnium ſententia nunc, & indubitatò ſcriptura vera. In qua iocus tamen fortaſſis occultus à diſtinctione. Nam cum negat Lyſimachus quidquam ſe feciſſe conſimile, *Edepol nunquam* ludere potuit ita Plautus, vt ſolet alibi, vt continuè pronuntiari voluerit & iſta, quæ ſunt ab illis ſenſu disiuncta, *Edepol nunquam caui ne facerem.* Quomodo fit contraria planè ſententia, & dum ſe vult excuſare ſenex, vltrò ſimul accuſat, ad riſum ſpectatoribus mouendum: quò ſunt multa talia Plauti noſtri comparata, certè plura, quam nos opinamur, hebetes nimis ad omnes tenuiculos hoſce iocos & occultos vbique ſales perſpiciendos atque intelligendos.

## CAPVT VII.

*Iterum traiectio verſus, aliaq; turpes interpolationes remotæ. Correcta alia quamplurima varijs modis. Quædam loca diligentius excuſſa, & dilucidè explicata.*

VLtimæ nunc ſcenæ merces videamus, an ſint omnes Plautinæ. quod ab initio nego. Namque initio in ipſo ſtatim interpolatio ſe prodit, quam item mireris antehac non deprehenſam. Iterum verſus traiecti: quique primus eſt nunc, eſſe ſecundus, & contrà debet. Hoc adeò binis argumentis patet. Etenim & veteres ita libri palam ordinant, quorum non eſt pro nihilo ſemper auctori-

auctoritas habenda: tum ratio qualemcunque hic firmat auctoritatem. Quid enim? an ex ſolo iſto Eutychi *Iam redeo*, ſpem bonam capere Demipho potuit, vt diceret, principium ſibi placere? Nihil id principium ad huius & alterius ſenis rem. At in ſecundo verſu eſt, quod eò facit, & vtrique meritò placet. Ad hoc, an ferri poteſt, compellante ſene, adoleſcentem, quaſi non exaudierit, ſecum aut cum alio loqui prius, ac deinde velut vltrò conuerti ad illos? Aio non diuellenda iſta. *Quid agis? quid fit Eutyche?* & *Optima opportunitate*. Planè reſtituendum, vt ſubiciam:

*E V. Ad patrem ibo, vt matris iram ſibi eſſe ſecuram ſciat:*
*Iam redeo. D E. placet principium. Quid agis? quid fit, Eutyche?*
*E V. Optima opportunitate ambo aduenistis. L Y. quid rei eſt?*

Ordinem à libris quibus dixi mutuatus ſum, etſi videram ipſe per me vel ſine libris hunc requiri. nec tamen & verba prorſus illi omnia ſic ſcribunt, & perſonas diſtinguunt, vt hic nos exhibemus. Res autem non fert aliter: & Eutychus ad Charinum in ædibus Lyſimachi reſtitantem proloquitur iſta prima, quę Demipho placere ſibi ait, nuntii ſane boni omen in ſe continentia: qua ſpe erectus alloquitur eum ſtatim, & rem plenius audire geſtiens, quærit: cum ille viciſſim aduentu ſenum lætus, opportunè ſibi eos offerri gratulatur, ac porrò nuntium ipſum perfert. In qua etiam parte vix eſt vt non aliquid inſinceri:

*E V. Vxor tibi placida & pacata eſt. te tte dextras nunc iam*
*L Y. Dij me ſeruant. E V. tibi amicam nullam eſſe nuncio.*
*D E. Dij te perdant.*

Nam pares equidem & inter ſe reſpondentes ſibi ſenum reſponſiones a Plauto factas putem: & ſi Lyſimachus, *Dij me ſeruant*, dixerit; Demiphonem ſubiecisse, *Dij me perdant*: ſin hic ſubiecerit, *Dij te perdant*; illum dixiſſe, *Dij te ſeruent*. Horum vtrum verius neſcio, elegans vtrumque ſcio: nec niſi alterutrum ſcripſiſſe poetam credo. Malè deinde interrogatio addita verbis illis eſt: *L Y. quin tibi ambo operam damus?* quam aufer. Inferius, imaginem prouerbii viſum Lambino eſt habere illud:

*D E. Iam obſecro vobis hercle habete cum porcis cum fiſcina.*

Et habet: ſed explicatum ab eo non, vt opinor, aptè ſatis. quod neque in nobis eſt: niſi fortè non *porcis*, ſed *porris* aut *ſportis* ſcriptum, quod olim hariolabamur, vt illi noſtrati ſimile ſit, Pecuniam cum crumena. Quidquid autem eſt de verbis & ſenſu, verſum ita concinno:

*D E. Iam obſecro hercle, habete vobis cum p. cum fiſc.*

Quæ continuò ſequuntur:

*E V. Redde filio, ſibi habeat. D E. iam vt volt, per me ſibi habeat licet.*
*Semper edepol. E V. quoniam vt aliter facias non eſt copia.*

occultum fouent mendum, quod non patiar inſignem loci venuſtatem amplius obſcurare. Corrigo:

Digitized by Google

*——D E. iam vt vult, per me ſibi habeat licet.*

*E V. Temperi edepol, quoniam vt aliter ſ. n. e. c.*

Irridet Eutychus intempeſtiuam ſenis facilitatem, & tandem nūc, inquit, filio concedis, poſtquam aliter non potes: non vltrò ac voluntate, ſed ingratiis & coactus. *Temperi* vel *Tempori* Plautinum aduerbium, pro maturè, ſuoq; tempore: cui per ironiam contrarium hìc notat. Poſt aliquanta:

*L Y. Ora vt ignoſcat delictis tuis atq; adoleſcentia.*

Ipſumne Demiphonem Lyſimachus orare iubet? At quem? filium ſuumne an ipſius? Equidem non aderat Charinus, qui orandus eſſet: & oratorem verò ſibi parat ille Eutychum, non ipſum orat. Nam hic quid oretur? Ignoſcere Charini erat, in quem deliquerat pater. Non conuenit igitur iſta lectio: quam in ſenſum aptiſſimum refingo leuiſſima mutatione. *Huius* emendo pro *tuis*. Loquitur æquali ſuo Lyſimachus, & filium orat, orare atque intercedere apud filium illius pro illo velit. Ora Charinum, mi Eutyche, inquit, vt huius boni ſenis adoleſcentiæ, delictiſque per eam, ignoſcat: ſalſiſſimè rem indignam perſtringens, cùm quo modo quibus delictis quam veniam filii rogare ſolent à patribus, eodem iiſdem eandem patri à filio nunc rogari cupit. Etiam mox apertius eſt mendum:

*L Y. Miſſas iam ego iſtas artes faciam. D E. & quidem ego dehinc iam.*
*L Y. nihil.*

Facturum ſe miſſas nunc ait artes illas Lyſimachus, qui ab iis iam olim alienus. Scribe: *Miſſas ego iſtas artes feciiam.* aut ſaltem vt veteres omnes manifeſtè præferunt, *Miſſas iam ego iſtas artes feci.* Futurum aiebat Demipho, vt in re ſimili gratiam aliquando parem Lyſimacho referre poſſit. Hic non futurum reſpondet: quia pridem amare deſierit, & à ſe ſpreuerit artes eas ætati ſuæ indecoras: quod idem ſe quoq; alter in poſterum facturum ſubiungit. Inferius:

*L Y. Vide. E V. me vide. L Y. ſatis habeo, id quæſo hercle etiam vide.*

Scribendum: *L Y. ſatis habeo: at quæſo hercle, etiam vide.* Timidus pater etſi credit filio, vix tamen credit: & ſatis habeo, inquit, tamen adhuc vide, an omninò res certa ſatis. Poſtremò:

*E V. Eamus intrò, imò dicamus, ſenibus leges cenſeo*
*Priuſquam abeamus.*

Suſpicor, neque de nihilo, perſonas variandas. Nec enim omnia iſta conueniunt vni Eutychus. Introeundum alius cenſet: & vter ſenum quæſo potius, quàm Demipho, qui ſuprà idem vſerat, Lyſimacho adhuc trepidante, & vxoris conſpectum fugiente magis quàm appetente? Illi iam obnititur Eutychus, & priuſquam abeatur, condi leges etiam vult, quibus ſenes deinceps teneantur. Itaque ſic repones. *D E. Eamus intrò. E V. imò dicamus.*

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI PSEVDOLVM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD

Clariſſimum Virum

ANTONIVM RICCOBONVM

Iuriſconſultum & Oratorem.

*CVM quod ante diſceſſum ex Italia meum præſtare cogitaueram pridem, vt veſtratibus aliquot magnis doctisq; viris, qui per id tempus ibi præcipuè me amaſſent ac fouiſſent, literarium quoddam animi in eos grati mei monumentum exhiberem, id nunc tandem in Germania præſtare vix aliquando mihi datum ſit, nec id ſanè ipſum, vt velim, ſed quomodocunq; poſſum, iamq; his diebus per occaſionem Plautinarum commentationum diu ſuſceptum illud votum ſoluiſſem pleriſq; nefas mihi fuit,* CL. RICCOBONE, *te præterire, quem inter illos, ſi ex ſuis quemq; virtutibus æſtimem, loco non poſtremo; ſi ex amore & beneuolentia mei, habeo penè primo. Namq; & vir talis es, cuius in illo orbe non admodum hodie multi ſimiles, in his maximè dico noſtris literis, quæ ab Humanitate non humile nomen ac ſordidum, ſed ſublime ſplendidumq; ſunt ſortita: & idem mei ſic amans, vt perpaucos Italorum norim, quos in hac tibi parte componam, vix certè vllos anteponam. Ac de eruditione quidem tua nihil eſt mihi prædicandum, qui te iam ipſe pridem ſcriptis pluribus vbique diffuſis celebraſti ſatis, & viua quotidie docendi voce in illuſtri ſchola iſta veſtra laudes tuas in aures*

*animoſque nationum omnium te cum ſtupore audientium*
*magis ac magis diſſeminas: de amore autem mei tacere non*
*debeo, neq; poſſum: quem tu non humanitate tantùm ſermo-*
*nis & ſuauiſſimæ conuerſationis comitate ſemper oſtendiſti,*
*ſed multis inſuper officiis ac ſtudiis ſæpe præſenti mihi com-*
*probaſti: nunc abſenti etiam teſtaris eiuſmodi literis, quæ be-*
*neuolentia à ſe pleniſſimæ, ſunt eiuſdem eò pleniores, quòd æ-*
*ſtimatione quadam mei ſunt plenæ ſimul & honorifico iudi-*
*cio, orto ſcilicet ab illa ipſa beneuolentia, quæ quantum ipſa*
*mihi vellet reſpexit magis, quàm quid ego promererer. Ea-*
*rum vnas commodùm accidit vt acciperem hoc ipſo tempore,*
*quo iſtum libellum tibi meditabar: ad quem maturandum*
*fuerunt mihi protelum vltrò ſanè properanti maximum: &*
*confectum ecce mitto nunc ad te ſolenni appenſa dedicatiun-*
*cula, quæ tuo eum clariſſimo nomini conſecret in publicum,*
*& quaſi præconium differat vbiq; ſancti amoris in me tui,*
*meaq; deuotæ viciſſim erga te obſeruantiæ & religioſi cultus.*
*Caue, Riccobone, ſpreueris animi gratum ſe probare cupien-*
*tis hoc teſtimonium: quod eo tu nomine, ſi te noui, libenter ac-*
*cipies, & valere tantum patieris apud te, quantum non ipſe li-*
*bellus exigui momenti ab acri iudicio tuo, ſed affectus ille ſin-*
*cerus à candore tuo beneuolo videbitur mereri. Tamen & a-*
*crem iudicij vim huc adhibe ſanè, & quæ probare, quæ non*
*poſſis, diſpice ſimul, adeoq; notam impone liberè ſingulis, his*
*laudis, illis culpæ: vt omnia non amoris tui tantùm honoraria*
*prærogatiua, ſed & cenſuræ iuſto iure ſint vulgo commenda-*
*ta, nec minus accipiant aduerſus ingenioſiores æmulos à caſti-*
*gatione tua ornamentum, quàm aduerſus inuidos ma-*
*ligniores ab approbatione muni-*
*mentum.*

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI PSEVDOLVM DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

## CAPVT I.

*Pſeudoli initio verſus concinnati: lacuna oſtenſa. Terentij imitatio. Verſus biom Bacchidibus. Horridulæ papillæ: Macrobij inde locus reiectus. Neparcus. Flere drachmis, plorare lacrumis. Perſona eiecta. Publ. Intus egredi. Loca plurima correcta & interpretata.*

NON ſine cauſſa M. Tullio placuit tantopere Plauti PSEVDOLVS, quanto placuiſſe ſibi poſteris etiam voluit teſtari. Is tamen hodie ſi relegeret eandem, neſcio an probaturus & dilaudaturus ad eundem modum foret. Ita multis locis ne nobis quidem placere nunc poteſt cenſoribus minus acutis. Nec enim minus huic fabulæ peſtis illa nocuit, quæ ceteras omnes miſerrimè [illegible] fecit. Vt autem dignior ſit commendatione tanta Ciceronis, operam quoque noſtram non deſiderabit longius, quæ multam [illegible] iam diu ſenſit. Tollemus vitia, quæ poterimus, leuiora pleraque: ſed quibus ſublatis adiutam ſe tamen nonnihil [illegible] & propius ad illam priſtinam dignitatem acceſſiſſe.

Prologo:

*Aures, oculi, animus ampliter fient ſaturi.*

V[illegible] numeros ſuos reddes, poſtremas voces ſi retrò legas, ac ſcribas:

*Aures, oculi, animus ſaturi fient ampliter.*

Quid idem pæne faciundum in ſequenti?

*[illegible] qui ieiunus venerit aut ſitiens.*

Nam hic verborum legitimus ordo, *qui ieiunus aut ſitiens venerit.*

Ad finem vana Lambini interpretatio eſt illorum:

*Curas malas abijcite iam, ut otioſi hodie,*
*Exporgi melius eſt lumbos atq; exſurgier.*
*Plautina longa fabula in ſcenam venit.*

Ait dicturum fuiſſe Plautum, Exporgite frontem: ſed riſui mouendo ſubſtituiſſe, lumbos. Vanè hoc inquam: niſi mea ſuſpicio [illegible], abeſſe & deeſſe hic verſum vnum & fortaſſis alterum ante poſtremos duos, qui cum proximè ſuperiore ceteriſque iſtis ipſis eiuſmodi ſententiam continuarint: Abiicite iam malas curas, vt otioſi nobis operam hodie detis. Si qui autem negotioſi ſunt, eos exſurgere atque abire melius eſt: nam longa

fabula in ſcenam agenda venit. In quam ſuſpicionem me quidem non ſententia ſolùm tam apta ducit, ſed ipſa verborum [illegible] & numerorum hiantium incompoſita ſtructura trahit. *Vt o[illegible] die*, defecta verba ſunt: eadem ad numeros illius, in quo ſunt poſita, verſus nihil faciunt: & alium potius ordiuntur, quam iſtum claudunt: certè melius ordiantur, quàm claudant.

Scenâ primâ:

*C A. Idem animus nunc eſt. P S. fac me certum quid tibi*
*Sit. iuuabo te aut re aut opera aut conſilio bono.*

Scripſiſſe videtur Plautus, *quid tibi eſt*: de qua locutione ſæpè. Reliquum verſum, *Iuuabo te aut re &c.* Terentium imitatum pueri omnes viſcant. Poſtinde:

*Lege vel tabellas redde. P S. imo enim pellegam.*
*Aduertito animum. C A. non adeſt. P S. at tu cita.*
*C A. Imo ego tacebo, tu hinc eum ex cera cita:*
*Nam iſtic meus animus nunc eſt, non in pectore.*

Sanus hic locus: in quo tamen olim argutabar & leuiter mutabam: ——*C A. non adeſt: at tu cita.*

*P S. Enim ego citabo? C A. tu. hinc eum ex cera cita.*

quæ lectio certare cum altera poſſit, ſi vel ex dubiis veterum librorum veſtigiis, non prorſus ex ingenio hauſta foret. Vicinum verſum:

*C A. Quaſi ſolſtitialis herba paullisper fuit*

non capient rectè, qui non in medio diſtinguent, commate poſito poſt vocem *herba*. Nec enim coniunctim omnia efferenda, quæ mora quadam interſecari vult ſenſus. Non paullisper herbam aut velut herbam ſe fuiſſe dicit: ſed fuiſſe paullisper, vti herba ſolſtitialis eſt paullisper. Ea enim vt repente oritur, repentinò occidit: ita ipſe quoque vix natum, mox denatum ait, ſui interpres ipſemet ſequente verſu. Porrò:

*Cras ea quidem ſunt. C A. propè adeſt exitium mihi.*

Ne putes è tabellis etiam iſta verba, *Cras ea quidem ſunt*, recitari. Non ſunt è literis Phœnicii: ſed reliquis ſubiiciuntur à ſeruo. Is cùm legiſſet, proxima Dionyſia argento numerando præſtituta eſſe, ad herum verſus, ea ipſa craſtinò eſſe ſubdit: niſi malis ipſi Calidoro transſcribere, qui rationem dierum anxiè putans continuè pronuntiet hunc verſum. Phœnicium quidem eas literas ſcripſerat ante plures dies, non iſto, pridie Dionyſiorum: & geſtauerat eaſdem ſecum adoleſcens item multos.

Supra:

*Quid eſt, quod tu examinatus iam hos multos dies*
*Geſtas tabellas tecum?*

Iam deinceps iſte verſus:

*Iocus, ludus, ſermo, ſuauis ſuauiatio:*

idem Bacchidibus SC. *Iamdudum.* In proximo:

[illegible] *Papil-*

*Papillarum horridularum oppreſſiuncula.*

Vocem *horridularum* rectè Lambinus duriuſcularum interpretatur, malè Nonius prominentium: quanquam ita ſunt etiam illæ turgidulæ & ſoronantes. Sed durities reſpicitur hic magis, quæ contrectanti vel opprimenti quaſi horrere videtur & rigere. Quid illi voluerunt autem ſibi, qui nuper explicamenti vicem Macrobij locum ad librorum marginem appinxerunt? *Poſt quinquies ſeptem in: ipſis lac nutricis horreſcere.* Quid lactis horror ad mamillarum? & autem quis lactis horror? Quin horrere non dicitur ipſum ibi lac, ſed infans id abhorreſcere ſub tempus nominatum. Mireris, quo animo Macrobium legerint, qui ſenſum tam apertum non ceperint, & à Plauto tam alienum auſi tamen ſint Plauto comparare. Poſt alia:

*PS. Heu? id quidem tibi hercle ne parſis dabo.*

Forte *neparcus*: vt *neparcere* Moſtellar.

*Sibiq; aut materia neparcunt.*

Minimè parcus ero, inquit, in *ben* commodando ſeu dando, qui iugis mihi theſaurus eſt in noſtra domo. *Ne parſis* valeat, ne peperceris, quod difficulter in idoneum flexeris ſenſum. Vidi autem in quodam tribus verbis, *ne par ſis*: quod aptius iſto, non illo. *Neparcus* omninò melius vtroq;. Deinde:

*Sed quid de drachma facere vis?*

Eſt in aliquo etiam *te* pro *de*. σφάλμα typographi cenſeat quis, ego Plauti germanam ſcripturam. Tales nimirum particulas addi infinitiuis ſuperuacuò, ſuprà cum exemplis aliquot notaui. Quid vis te facere drachma, pro, quid vis facere drachma? Propè is verſus eſt.

*Certum eſt mihi ante tenebras perſequi tenebras.*

Voculas tranſpones, *ante tenebras tenebras perſequi.* Poſteà:

*Niſi tu illi drachmis fleueris argenteis,*

*Quòd tu iſtis lacrumis te probare poſtules,*

*Non pluris refert, quàm ſi imbrem in cribrum geras.*

Inclinat animus credere, ſcriptum à Plauto *plorare*, vbi nunc *probare*. Venuſta ſermonis alternatio, flere drachmis, plorare lacrumis. Melior etiam ſenſus: cui peruertendo fuit verbum *poſtulas*, non rectè à ſciolis acceptum. Inferius:

*CA. Satis ſi futurum eſt. PS. roga me viginti minas,*

*Vt me effecturum tibi, quod promiſi ſcias.*

*Roga. CA. obſecro hercle. PS. geſtio promittere.*

Obſecrare faciunt Calidorum, cum rogari ſaltem Pſeudolus vellet. Et rogandi formula proximo demum verſu expreſſa:

*CA. Dabiſne argenti mihi hodie viginti minas?*

Mihi certum, eiiciendam perſonam adoleſcentis, vt continuè ſerui ſint iſthæc omnia:

*Roga obſecro hercle, geſtio promittere.*

Ipſe promittere ſic geſtiens obſecrat alterum vt roget. Hoc verum, ægrè mihi aſſentientur iſti imperitiores, niſi quem ſimilem oſtendero locum: quem ſimillimum, immò prorſus eundem afferre poſſum è fabula hac ipſa. Nam infra S C. *Vt, o quæi rerum*, planè ita:

*Rogato hercle obſecro, geſtio promittere.*

Qui niſi fuiſſet ibi locus, ingenue fatebor, neq; hîc diuinatio mihi talis eſſet nata: quam certiſſimam ille nunc ſatis probat: et ſi res comprobat ipſa quoque ſeorſim alterum ſine altero locum vtrobique. Diſtinctiuncula verum ſenſum obſcurat illic etiam:

*Si neminem alium potero, tuum tangam patrem.*
*CA. Dij te mihi omnes ſeruent. verùm ſi potes,*
*Pietatis cauſsâ, vel etiam matrem quoq;.*

Sic hoc nunc accipitur, quaſi dicat: ſi pietatis cauſsâ potes, ſi pietas permittit. Id abſurdiſſimum. Aliter interpunge, *verùm ſi potes, Pietatis cauſſa vel etiam matrem quoq;.* Cum patri ſeruus imminere ſe dixiſſet, ita probat hoc bonus filius, vt velit etiam vel matrem inuadi, neque ea in re quidquam obſiſtere pietatem. Pietatis cauſsâ, poſitum ſic, vt Meâ cauſsâ, quod eſt, per me. Per pietatem, inquit, liceat tibi non patrem tantùm, ſed matrem quoque tangere, vt lubet. Ea germana Plauti mens: à qua longiuſculè alia abludat, ipſa quoque non inepta. Iocari enim ſic quoque filius poſſit: Si patrem adorieris, etiam matrem ne præteri, pietatis cauſsâ: quaſi impium ſit, vtriſque non idem fieri. Sed prior ſenſus vnicè verus: hunc eò poſui tantùm, ne ſi alii ſubueniſſet, ideo proferret vt nouum, & vt veriorem præferret, quia nobis non eſſet cognitus aut cogitatus. At ne illum quidem attuliſſem ego, niſi Lambinum aſſecutum non viderem, itemque vt aſſequerentur alii rudiores, quibus nos ſcribimus, vererer. Porrò ibidem:

*Nunc ne quis dictum ſibi neget, dico omnibus*
*Pubi præſenti, in concione, omni populo.*

Legendum in dimenſione verſus *poplo*, quiuis norit. In veteribus eſt *Præſenti pube*: quod melius, niſi *pubi* etiam caſus auferendi, vt *Luci, Parti*, atque alia ab antiquitate plura. Nec enim iunges *Dico pubi*: ſed formula peculiaris eſt *Præſente pube*, quam Feſtus explicauit. Vltimo verſu:

*CA. Atq; ipſe egreditur penitus periurum caput.*

Interpolatum eſt *penitus*. Me non fallit *intus* fuiſſe, cui prima ſequentis vocis præpoſita temere ſyllaba *penitus* genuit. *Intus egredi* Plautinum qui non agnoſcet, peregrinus in Plauto eſt, nec ſexcenta ſimilia vnquam legit. Vnum tale addo, ſi quis planè hoſpes huc venerit. Caſinâ:

*Eccum exit foras Charinus intus cum ſitella & ſortibus.*

CAPVT

## CAPVT II.

*Habere editionem, expurgationem, conuentionem: facere aſcenſionem, reuorſionem. ἔχειν τινὶ μομφήν. Praeſterga, quid vocis? ea emendata. Hedylium amicae nomen, non Sedulium. Malo, à vel de malo rem quaerere. Deuinxe, & ſimilia. Quorundam correctiones approbatae, quaedam reiecta: multa noſtra variorum locorum firmata, locis ipſis diligenter expenſis & explicatis. Inſuper corniculariæ noſtri leuiter emaculata.*

FAcile fuit emendatu ſecunda ſcena, quod mendoſe ſic legebatur:

*Nunc adeo hanc editionem: niſi animum aduertitis omnes &c.*

cum alter ibidem locus velut manu duceret ad certam correctionem:

*Audistin', vobis mulieres habeo hanc editionem.*

Itaque enim & in altero legendum *habeo*, non *adeo*, cuiuſuis erat animaduertere; nec quiſquam viderat tamen ante Douſam F. elegantiſſimum iuuenem: cui ſecundas nos agemus nunc, & pluribus loquendi genus iſtud exemplis illuſtrabimus. Fuit idem igitur & Mercatore S C. *Quaſi tu.*

*At ego tam expurgationem habebo, vt ne ſuccenſeat.*

Et ſimile Varronis eſt lib. 5. de L. L. *Poſt autem conuentionem habet, qui lustrum conditurus eſt.* Nec alia diſſimilia: vt *Aſcenſionem facere* Rudente S C. *Miris modis.*

*Ad hirundininum nidum viſa eſt ſimia*
*Aſcenſionem vt faceret admolirier.*

Et, *Reuorſionem facere* Bacchidib. S C. *Ibo.*

*Reuorſionem ad terram faciunt veſperi.*

Ac horum plura vbique ſunt obuia: ſuperiora non tam vbique, quibus ſimilius hoc Graecum ἔχειν τινὶ μομφήν. Euripides Oreſte:

ἐπίχαρις εἶναι ἀλλ' οὐ σοι μομφὰν ἔχω.

Deinceps in ea ſcena:

*Quin nunc doletne? bene ſic datur, ſi quis herum ſeruus ſpernit.*

Corrigendum, *Qui nunc? doletne?* Quod idem Amphitruone corrigebamus:

*A M. Qui nunc? mulier audin' illum? A L. ego verò, ac falſum dicere.*

In ſequenti loco:

*Haec, cum ego à foro reuertor, facite vt offendam parata,*
*Vorſa, praeſterga, ſtrata, lautaque, coctaque omnia vti ſint.*

planè ignotum mihi verbum obiicitur *praeſterga*, de quo vt notiſſimo omnes, quod ſciam, ſiluerunt. Me non pudet fateri, quod neſcio: ſed idem docere fortaſſe poſſim, quod alii ſciendo neſcierunt. Primùm meque alioſque hoc abſoluo, corruptam eſſe vocem. Deinde conflatam è duabus arbitror, & videre videor è quibus. At quibus ergo? *Sparſa terſa.* De his vnde didicerim, au-

di. Locus eſt Diomedis lib.1.cap.4. quo reſpexiſſe Grammaticum eum putauit ante nos eruditiſſimus Douſa F. ad hunc Plauti locum: ſed is putauit ac notauit aliâ cauſsâ, vt *Vorſa* ſolum explicaret. Atqui Diomedes non id ſolum verbum ponit eo loco, ſed adiunctum aliud, *Vorſa ſparſa*. Iam ſi certum eſt, quod mihi quidem certiſſimum, hunc Plauti locum in animo fuiſſe Diomedi; quid ſequitur, niſi *ſparſa* poſt *vorſa* in Plauto ſcriptum? Igitur id ipſum adeò *ſparſa* latet in prima ſyllaba corruptæ vocis *praſterga*: cuius literæ ſyllabæque reliquæ *terga*, gignunt alterum *terſa*. Quæ corruptio quam fuerit olim facilis, quid opus eſt monſtrari? Nam quis neſcit G & S literarum cognationem, vt *terga* ſcriptum ſit in vicem *terſa*? Neque eſt qui non videat, vt petire quædam literæ potuerint è *ſparſa*, vt in *pras* deſtrueretur. Nobis quando alterum Grammatici locus tam opportunus ſubiicit, quod per nos forte non inueniſſemus ipſi, alterum ipſæ vltrò literæ ingerunt; quid dubium relinquitur, quin abolita nihili voce *praſterga*, plane ſic in Plauto iam emendandum?

*Vorſa, ſparſa, terſa ſtrata, lauta, coctaq; omnia vt ſint.*

Sed ad eas etiam rationes alia duplex accedit, quæ pariter idem firmat. Namque & numeri nunc tandem veri alacriter exſurgunt, qui trepidabant hactenus vnâ ſyllaba defecti, & ſententia fit germaniſſima, præ qua ſpernit aliam omnem veritas ipſius rei. Scilicet ὕστερον πρότερον hic eſt, & à verriatore ſpargi nimirum aquula, deinde ſcopis verri ſolent ædes, quod leno ibi præcipiebat:

*Tibi hoc præcipio, vt niteant ædes.*

In *terſa ſtrata, lauta* confunditur etiam ordo: ſed reſpiciunt omnia ac ſingula verſum iſtum:

*Tu eſto lecti ſterniator, tu argentum eluito, idem exſtruito.*

Nam *cocta* referas ad illum,

*Tu qui vrnam habes, aquam ingere, face plenum aenum ſit citò:*

& qui ſubditur ei de caudicali prouincia, & ſecandis lignis: imò verò magis ad hunc inferiorem:

*Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aqua iaceant. ſatin' audis?*

in quo coniectura fortè Gulielmii noſtri vana, qui verbo *audis* abiecto perſonam Pſeudoli inſerebat eleganter, *PS. ſatin' Magnificè?* Verſus ſic mutilatur, quod non temere committendum. Et cùm hoc abſterret, tum nihil ad eiuſmodi mutationem cogit. Sententia enim ſic etiam nimis apta. At mouit eum, quod *audis* iſtud in veterib9 quibuſdam libris nullum exſtaret. Eſt ita: ſed exſtat idem in veteribus etiam non paucis. Nihil igitur hoc argumenti: nec illud firmum, quia poſt ſimile dictum Calidori. Quin ſi magis inſpicias, id ipſum ſit contra eum. Sed quid iſta ventilo? Conſideremus alia deinceps.

*Princi-*

*Principio Hedylium tecum ago, quæ amica es frumentarijs,*
*Quibus cunctis montes maximi acerui frumenti ſunt domi.*

Arguti, qui nuper ad Appuleium interpolarunt, *Principio Ædilis ſum*: quia Ædiles annonæ curatores, ſed falſi. Nominatim appellaturum ſe dixit vnamquamque ancillarum leno: & Hedylium nomen meretricium, quod in fragmento noſtri corruptum ſuſpicor è Cornicularia:

*Qui amant ancillam meam Sedulium oculitus.*

Nam *Hedulium* ſubſtituam ex hoc loco: & Græcanica plerumque erant iſtæc nomina potius quàm Latina. Verſu altero gloſſam habui aliquando vocem *acerui*, quæ *montes* interpretetur. Sed deleri verſus haud patiatur. Amicus quidam meus diuidebat & traiiciebat: *montes maximi frumenti ac erui ſunt domi*: cui non aſſentiebar: nec alteri, qui *aceruum frumentum* capiebat, vt alii alia Plauti, *lectus locus, cibus commeatus, rete iaculum*. Simpliciſſimum ſit copulã inſerere, *montes maximi ac acerui.* Mox deinde:

*Æſchrodora tu, quæ amicos tibi habes lenonum æmulos*
*Lanios, qui item vt nos iureiurando malo quærunt rem audi.*

Mutat vir doctus *malam*: malè, vt puto. Nec iunxerim tamen *malo iureiurando*, ſed *malo quærunt*: quæ ſit locutio ſimilis illis, *de vel à malo quærere*, de quibus & ab aliis alibi, & nobis ad Moſtellariam actum. Ac præpoſitio forſan & Ciſtellariæ loco fuerit ad hoc exemplum omiſſa, quam additam ab aliis ſuprà non improbaui:

*Item vt aliæ pariunt, quæ malo quærunt ſibi.*

Porrò ſtatim: *— eras quaſi Dircam olim (vt memorant) duo*
*Gnati Iouis deuinxere ad taurum, item hodie ſtringam ad carnarium,*
*id tibi*
*Profectò taurus fiet.*

Parentheſis *vt memorant*, nõ placet. Sublatâ eâ legerim libentius:

*— eras quaſi Dircam olim memorant duo gnatos*
*Iouis deuinxe ad taurum.*

Crebra Plauto & priſcis forma contractionum eiuſmodi *deuinxe, illexe, aduexe*, pro deuinxiſſe, illexiſſe, aduexiſſe. Paſſim exempla, quæ non deceat hîc cumulari. Verſus prior etiam breuior erat: itaque vocem ei de altero ſubiunxi, qua fortè necdum ei ſatisfactum. Continuò quod ſequitur:

*——— CA. nimis ſermone huius ira incendor.*
*PS. Huncine hic hominem pati colere iuuentutem Atticam!*

In eo non decernam. vtri, ſeruone an hero conueniat magis expoſtulatio vberior illa, cuius hîc initium: id auſim affirmare verius iſta tandem erit, eiuſdem & illud eſſe, quod præmittitur, *nimis ſermone huius ira incendor*. Coniunctim enim hæc ab vno eodemque efferenda, quorum ſententia nequit diuelli. Primùm iraſci ſe præfatur alteruter, mox in iram effuſus, idem liberè palam ſtomachatur. Pſeudolo non eripiam ego ſanè: ſed qui Calidoro daturus eſt,

mutabit infrà ſcilicet perſonas: *PS. vah tace. CA. quid eſt?* & deinceps conſimiliter. At cum magis cogito, nihil hoc opus, & [illegible] lo certè ſuperiora omnia tribuenda. Poſt aliquanta:

*Sed vbi vſq; ad languorem. tenes quorſum hæc ſit tendentia [illegible]*

Vix ita Plautus ſcripſerit, & damnare non poſſum [illegible] nationem, *quorſum hæcce tendant.* Ibidem hoc etiā non præ[illegible]

*—ſed ſcio, tu oleum haud magni pendis, vino te*

*Deuincis, ſine modo, reprehendam ego cuncta hercle vnà oper[illegible]*

Coniceceram, *ſine modo: rependam ego cuncta*: cum eſſe ſic p[illegible] di in editionibus antiquis. *Deuincis* eruditè explicatur, ſed [illegible] emendatur *Deungis*. De vino enim, vt de oleo loquitur leno, [illegible] pro oleo vinum Xyſtilis habebat.

## CAPVT III.

*Animo aliquid auſcultare. Licetne viuere? Lucro pietate non obſ[illegible] poteſt. Portere. Neplacet. Amatores, dum dant, lenonibus & amicis viuunt: mortui ſunt, cum iiſdem non placent. Explicationes [illegible] liorum & coniectura adiuta quadam, quadam abiecta. Locus [illegible] tilus depoſitus. Perſona ſæpius mutata. Plurìa loca emendata, declarata.*

NVgatur, vt ſolet, Interpres ad illud ſequentis ſcenæ *Pſeudole.*

*CA. Quid mihi es auctor, huic vt mittam, ne amicam hic meam proſtituat?*

*PS. Benè curaſſis, liquido es animo, ego pro me & te curabo.*

Emendatione prius opus, dein explicatione: imò non hac opus, quia ſatis illa clara: *PS. Ne curaſſis*, ſi tamen ſatis certa. Nam & ſic poſſit, *PS. Sine cura ſis*: & aliter, interpunctione mutatâ, ſyllabaq; geminatâ, *PS. Benè. ne curaſſis.* Elige, quod optimum putabis. In proximo non electioni aut dubitationi locus:

*CA. Quid opus eſt? PS. potin' aliam rem vt cures? CA. at. PS. bat.*

Vna enim vera emendatio, *CA. Quid opis eſt?* Minabatur lenoni præſens malum Pſeudolus: ibi adoleſcens, quid igitur auxilii ſit, quærit, non quid facto opus. Illud quoque:

*PS. In rem quod ſit prævortaris, quàm re aduerſa animo auſcultes.*

non dubium, quin ita corrigendum, *quàm rei aduerſa animo auſcultes.* Niſi tamen *re*, pro *rei*, vt *die, fide* & ſimilia. Senſus equidem is planè: Potius quod ex re eſt, agas, quam animo obtemperes iis agendis, quæ abs re ſunt, ſiue rei aduerſa. Animo aliquid auſcultare, ſic dictum, vt Obſequi quid alicui. Lambini hîc quoque futile interpretamentum. Poſt multa, viri docti recepta in textum eſt coniectura:

*—— BA. licet*

*Ne obſecro biuere, an non licet?*

At vulgatum *viuere* bono quoque ſenſu eſt: & geminus huic locus Milite:

*Mieci-*

Digitized by Google

*Mittite me obſecro. ſi poſſum hodie viua à vobis.*

Deinde impius leno, cui vnum lucrum Deus, admodum quàm religioſe de ſe narrat:

*BA. Reſpexeram iſtoc pretio. nam ſi ſacruficem ſummo Ioui,*
*Atq; in manibus exta teneam, vt porriciam, interea loci*
*Si lucri quid detur, potius rem diuinam deſeram.*

quod Pſeudolus auditum his verbis ſubſequitur:

*PS. Non poteſt pietate obſiſti huic, vt res ſunt cetera.*
*Deos quidem quos maximè æquum eſt metuere, eos minimi facit.*

In quibus non video, nec alios puto videre ſatis idoneam verſus prioris ſententiam. Mihi non temeraria ſuſpicio, dimidiam eius partem Pſeudolo non aſcribendam, ſed adhuc continuandam Ballioni:

*Si lucri quid detur, potius rem diuinam deſeram.*
*Non poteſt pietate obſiſti huic. PS. vt vt res ſunt cetera,*
*Deos quidem quos max.*

Leno, cui lucrum ante omnia, nulla pietate obſiſti lucro poſſe ait, nec impediri vel a religione. Tum ſeruus: Vt vt alia ſunt, deorum quidem ſceleratus iſte metum & reuerentiam ſpernit omninò, qui colendi timendique maximè erant: quid ſcilicet hominibus factutus & profanis in rebus, cui diuina ſic & ſacra ludibrio iocoque? *Vt* geminaui ad hanc mentem, quod hauſi tamen ex veterum diſerta lectione. Porrò:

*BA. Quid agitur Calidore? PS. amatur atq; egetur acriter.*

Calidorus interrogatus ipſe reſpondere debet, *CA. Amatur atq;.* Manifeſtum hoc: ſed manifeſtiùs mox iterum perſona ſuppoſita:

*PS. Et id eſt hoc quod te reuocamus, quæſo animũ aduerte. CA. audio.*
*Atq; in pauca.*

Non niſi cæcus erratum non animaduerterit: ſed ita negligentes fuerunt, vt quia Lambini ſic editio, caſu fortè (nam non vſq; adeò ſtolidus aut inſanus is homo. vt de induſtria mutarit:) imitati ſint inde, tametſi veteres apertè omnes libri. *BA. audio.* Quid liquet, ſi non hoc, Ballionem & compellari & reſpondere? quid abſurdum, ſi non hoc, Calidorum iſta loqui? Porrò etiam:

*PS. At dabit, parabit aliquid hos dies, manta modò.*

Corrigunt, *aliquid: tres dies m. m.* Ineptè. An verò quidquam aptius iſto?

*PS. At dabit, parabit: aliquot hos dies manta modò.*

Non tempus hic certum deſignat: & quamquam in tres denique dies conuenitur, antè tamen de ſex etiam agitur, vt videas de tribus hic iam tum abſurdè cogitari. Dein vanus eſt labor ingeniorũ ſine codicibus ſcriptis iſtud explendi:

*BA. Heus tu, poſtquam hercle iſti à menſa * ſurgunt,*
*Qui ſuum repetunt &c.*

Quam ineptæ, q̃ variæ ſunt in diuerſis libris diuerſorum inculca-

Digitized by Google

tiones? Mutilus eſt, eritque verſus, vſq; dum nouus Æſculapius è veteri manuſcripto verba quaſi membra deperdita reſtauret. De quo ſi ſpes vlla ſupereſt, neſcio: quæ ſuperſunt ipſa verba non Ballionis eſſe ſuſpiceris, ſed Pſeudoli ad Ballionem, cuius illis & nomen fortè præfigendum. Nam hic in partem hero, qui lenoni ſe excuſabat, ſe mutuo reperiendo, ſubuenire videtur, ne ab argentariis qui ſe impetrari iam argenti quidquã poſſe dicens. Quanquam ego non ſic ſtatui planè, ſed quid eſſe aut videri non temerè poſſit alius, indicaui. Vulgatur in ſequentibus:

*CA. Perij. an non tum lex me perdit quina vicenaria?*
*Metuunt credere omnes.*

Scio, Lambinus vt hoc interpretetur: ſed Lex profectò non perdebat adoleſcentem, ſi mutuo quid accepiſſet, ſed creditorem, qui dediſſet. Igitur id verbum *perdit*, vt mutandũ cenſuerim aliquando ſuſpicione mera, dicam. Legebam:

*CA. Perij. an non me lex dum porcet quina vicenaria?*

Adhuc iſta ætate lex, quam dicit, eum prohibebat vti conſilio lenonis. Obſtabat enim, quo minus mutuum ipſi crederetur. *Porcet dum*, id eſt, adhuc prohibet, vetat. Vetabat autem lex, non, vt minor annis quinque & viginti mutuo ſi poſſet alicunde quid impetrare, ſumeret; ſed, ne quis ei daret. nam qui dediſſet, repetendi nullum ius habebat. Eſt ibidem:

*Atq; ego te vivum ſaluumq; vellem. PS. ehò an iam mortuus?*
*BA. Illico vixit amator, vbi ille lenoni placet.*

Hæreo de ſententia. Nam dum placet, adhuc quidem lenoni viuit amator: quippe qui dare etiam poteſt, & quod perdat habet. At ditis omnibus, cum iam datis non ſuppeditat, ibi demum neque placet lenoni & pro mortuo habetur. An igitur emendandum? *neplacet.* Vbi non amplius placet, mortuus eſt. Locus ſimillimus Truculento, quem aſſcribam. Sc. *Ad fores.*

*AS. Dum viuit, hominem noueris. vbi mortuus eſt, quieſcat.*
*Te, dum viuebas, noueram. DI. an me mortuum arbitrare?*
*AS. Qui poteſt amabo plantius? qui antehac amator ſummus*
*Habitus, iſtunc ad amicam meras querimonias referre?*
*DI. Veſtrâ hercle factum iniuria, quæ properauiſtis olim*
*Rapere. otioſè oportuit, diu vt eſſem incolumis vobis.*

Eadem certè mens vtrobique: etſi nõ neſcio, poſſe quem acutiorem argutari in altero noſtro loco. Periiſſe enim & vixiſſe videri poteſt, eſtque adeò perditus, qui lenoni placet: id eſſet, qui amans a lenone bona apud eum ſua comedit, & vſque perpetuat dara. At hæc profectò ſententia loco alieniſſima. Nec enim de amatore quouis agitur hic, ſed egeno, quique vſui nulli eſt. vt ipſe leno ait. Hic talis ei minimè placet, & quia non placet, dicitur vixiſſe. Nec ſententiâ diſcrepat multum illud in hac ſcena ſuperius:

*CA. Qui tibi ſoſpitalis fuit. BA. mortuus eſt, qui fuit: qui eſt, viuus eſt*

Sta-

Statim: *Nam iſtuc quod nunc clamitare.*

Peſſimè retentum in optima editione vitii damnatum & emendatum iam olim verbum *clamitare*. Cur *lamentare*, quod multæ præeunt editiones, neglexerũt? Ea vera lectio: quam, præter alia, verbum deinceps *quærere* ſatis probat, vt alteram loquendi ipſa ratio refutat. Interuallo maiore:

*CA. Dic mihi obſecro, verum hercle ſeriò hoc, quod te rogo, eſt?*
*Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium?*

Malo legere:

*CA. Dic mihi obſecrò, verùm hercle ſeriò, hoc quod te rogo;*
*Non habes venalem &c.*

Et ſcio melius eſſe, nec aliter à Plauto. Non longè:

*Militi Macedonio: etiam quindecim hic habeo minas.*

Diſpeſce *&* *iam*: quod quia temerè coniunctum in Lambini libris temerè inde ſunt imitati. Nam vetuſtiores rectè. Poſt multa:

*Sicut hac eſt præſtituta numerando argento dies.*

Lambini hoc eſt, quod veteres damnant: *præſtituta ſumma argentaria*. Vnde olim Lipſius, *ſumma argentò dies*: rectè: niſi quòd verſus labat, & neglectæ literæ poſtremæ in *argentaria*, ex quibus illi opportunum fulcimentum. Feceris rectiſſimè: *præſtituta ſumma argento ei dies*. Poſt:

*Sed nunc Calidore operam te mihi volo dare. CA. quid imperas?*

Præopto ſcribere, *CA. quin imperas?* Ita ſe paratum oſtendit, vt ſtatim velit imperari. Sub finem:

*Pauci ex multis ſunt amici, homini qui certi ſient.*
*CA. Ego ſcio iſtuc. PS. ergo vtrumq; tibi nunc delectum para.*

Neſcio quid hoc interpretationis eſt ad *vtrumq;* vocẽ, cùm Lambinus amicum & incertum deſignari ait. *Vtrumq;* eſt vtrorumque, certorum ſcilicet amicorum & incertorum. Eorum delectus iubetur. Veteres tamen *vtrinq;*: quod ſenſui æquè aptum; nec ineptum *vtcumq;*, ſi quis ita malit. In ipſo fine:

*CA. Iam hic faxo aderit. PS. potin' vt abeas? CA. tibi moram dictis creas.*

rectius eximitur in antiquis Calidori perſona, vt Pſeudolus continuet iſta: *potin' vt abeas? tibi moram dictis creas.* Hic enim abire illum quam citiſſimè vult & hominem parare, qui cum illud ſaltem prius loqueretur *Iam hic faxo aderit*, nimis moratus videtur, & verbis his ſeipſum dicitur morari.

## CAPVT IV.

*Parum fides, plurimum maleſacta, ſatis inſomnia, affatim & parum miſeria, abunde libertas, ſatis præſidia: & ſimiles locutiones. Criminarer. Compedi. Chlamys viatoris. Mutata diſtinctiones, perſona, verba multa. Continuati non pauci verſus. Aliorum correctio-*

*——lepide lenonem: & quidem*
*Effectum hoc hodie reddam.*

Mox in iſto loco:

*Sed ſi non faxis, numquid cauſſa eſt, illico*
*Quin te in piſtrinum condam? PS. non vnum quidem*
*Diem modo, verùm hercle in omnes quantum eſt. ſed ſi effecero,*
*Dabin mihi argentum, quod dem lenoni illico,*
*Tua voluntate?*

Nimium verſus vnus excurrit, cui quod demes, alteri addes: ſed alteri prius etiam aliquid demes:

*Quin te in piſtrinum? PS. non vnum quidem diem modo,*
*Verùm hercle in omnes quantum eſt.*

Suppreſſit verbum *condam* ſenex, quod è gloſſa inſitum numeros turbauit. Neque hos iam tamen ſatis expedieris, niſi voculas *quidem diem* in vnũ cogas pedem, quod minimè duriter & Plauti more fiet. Atq; illo prorſus eodem ad finem ſcenæ huius vnum item pedem conſtituunt verba *Nouo modo*, iſthic:

*——nam qui in ſcenam prouenit*
*Nouo modo, nouum aliquid inuentum afferre addecet.*

Vbi inducendum Donſa F. putabat *inuentum*, non ab alia aut potiori cauſſa opinor, niſi quia verſus excedere menſuram videretur. Id quod non eſt, ſi iſto more metiaris. Sed retrogredior, vt iſtum locum ne omittam:

*Quid ſi hice inter ſe conſenſerunt, Calipho,*
*Aut de compacto faciunt, conſutis dolis,*
*Qui me argento circumuortant? PS. quis me audacior*
*Sit, ſi iſtuc facinus audeam facere? imò ſic Simo,*
*Si ſumus conſpecti, ſiue conſilium vnquam iniuimus*
*De iſtac re, aut ſi de ea re vnquam inter nos conuenimus,*
*Quaſi in libro cum ſcribuntur calamo litera,*
*Stilis me totum vſque vlmeis conſcribito.*

Delent veteres in quarto verſu *facere*: quod eripi ſibi facile & ſenſus & numeri patiuntur. At ſi retineas, ibidem *ſic* expungendum videatur. Videtur autem idem & in ſequentibus duobus faciendũ particulæ *vnquam*. Sed maximum eſt, quod emendandum cenſeo *compecti*, ex *conſpecti*. Quis non videt illud aptius? & hoc quis plurimis in locis illi neſcit ab indoctis librariis ſuppoſititium factum? Piget afferre variorum auctorum loca, quibus idem ſic corruptum docti pridem oſtenderũt. Hic inſimulatus ab hero ſeruus, de compacto ſeu compecto agere cum lenone, negat ſe cõpectos eſſe. nam quid referat conſpectos? aut conſpici qui potuerant, ſi clam conueniſſent? Scena *Proh Iuppiter*.

*Poſt ad oppidum hoc vetus continuò meum exercitum protinus obducam.*

Scri-

Scripſit auctor, vt conicio, *meum exercitum*. Conicio autem aliud in eius Scenæ fine:

*—— libet ſcire*
*Quid hic velit cum machara, & huic, quam rem agat, hinc dabo inſidias.*

Valdè ſuſpectum *& huic*. Audebon' dicere, quod timidè mecum ſentio? literas ſaltem pauculas ex integra voce reliquas eſſe, & ſcriptum olim:

*Quid hic velit cum machara, & chlamyde, quam rem &c.*

Chlamys viatoria veſtis erat, quod omnes iam norunt, & peregrini quicunq; chlamydati inducebantur: infraq; talis hic ipſe Harpax:

*Sed quis hic homo chlamydatus? BA. non edepol ſcio.*

itemq; Sycophanta, qui huius in locum subornabatur:

*Etiam opus eſt & chlamyde & machara & petaſo.*

## CAPVT V.

*Aliquid & alicui prauorti. Conſilii benè accidit. Eugepæ. Præter alias emendationes varias, perſonæ variantes multoties cõſtitutæ. Loca quædam poſt alios aliter tentata. Pleraq; interpretata.*

PRoximas tres ſcenas hoc capite perluſtrabo, in quibus plura quam grauiora nobis, nec leuiſſima tamẽ omnia relicta. Sunt, qui iſto verſu:

*Hoc prauortar principio, illa omnia miſſa habeo, quæ antè agere occœpi.*

mutant *Huic prauortar*. ignari: quaſi non vtroq; caſu æquè Plautus vtatur. Hoc ipſum Rudente eſt SC. *Pro Cyrenenſes.*

*TR. Obſecro hoc prauortere ergo. DA. quid negotij eſt?*

Deinde puer elementa prima doctus emendet, quod infrà vitium nuper admiſerunt:

*—— nam equidem Athenis antidhac*
*Numquam adueni.*

Et quid igitur ego moneam, emendandum *Athenas*? Simile prorſus eſt quod ſtatim:

*— nam olim cum abijt, argento hic dies*
*Præſtituta eſt.*

Vel *hac* ſcribendum, vel *Præſtitutuſt*: ſed magis illud. Porrò:

*HA. Si quidem hercle etiam ſupremi promtas theſauros Iouis*
*Tibi libellam argenti nunquam credam, dum tu ſtrennuas.*
*PS. Res erit ſoluta. HA. nunc iam potius ſic ſeruauero.*

Video retentare quoſdam à Gulielmio noſtro damnatum verbum *ſtrennuas*: quod ſi teneri planè debet, debet aliter perſona Pſeudoli collocari, vt is iunctim iſta loquatur: *PS. dum tu ſtrennuas. Res erit* (vel *erat*) *ſoluta*. Dum negãdo ita ſtrenuum hominem te oſtentas, interim poteſt res aut iam potuerat ſolui. *Promtes* etiam ibidem liber bonus non malè legit. Sequitur:

*HA. Verba multa facimus, herus ſi tuus domi eſt, quin prouocas,*
*Vt id agam, quò miſſus huc ſum. PS. quidquid eſt nomen tibi,*
*Si intus eſſet, euocarem.*

Sic iam accipere neceſſum hoc eſt, quaſi de nomine ſuo quæſitus Pſeudolus non dignetur de alterius viciſſim interrogare. At hoc putidum eſſe, tum per ſe, tum quia paullò pòſt rogat, omnes ſentiunt. Aberrauit hîc quoque perſona, quam in ſuum locum reduco:

*Vt id agam quod miſſus huc ſum, quidquid eſt nomen tibi,*
*PS. Si intus eſſet, euocarem.*

Pſeudolus Syrum ſe vocari dixerat interrogatus: cum faſtidiẽs militaris homo, quodcunq; tibi nomẽ eſt, inquit, herum ipſum foras prouocato, vt cum eo rem meam agam. nam tecum iam multa facio verba fruſtrà. Scripſi etiam *quod miſſus huc ſum*, vt alicubi inueni. *Quod* enim, propter quod. Statim non ſententiæ, ſed verſus cauſſa particulam *me* inſeres ex antiquis:

*Reddere hoc, non perdere, herus me miſit. nunc certè ſcio.*

Propius finem:

*PS. Tuo arbitratu maximè. HA. nam vt laſſus veni de via,*
*Me volo curare. PS. ſanè ſapis, & conſilium placet.*

Scribes & diſtingues:

*PS. Tuo arbitratu, maximè. HA. nam vt veni, laſſus de via*
*Me volo curare.*

Hæc ad illarum primam. In alteram leuiora nunc vide.

*Iam inſtituta, ornata, cuncta in ordine animo vt volueram*
*Certa deformata habebam.*

Verborum ordo melior ſit, *cuncta ordine in animo*, vel *cũcta in animo ordine*: ne *in* iungatur cum *ordine*, ſed *animo*. Deinde:

*Benè vbi quod conſilium diſcimus accidiſſe, hominem catum*
*Eum eſſe declaramus: ſtultum autem illum, cui vertit malè.*

Durum videtur, *conſilium benè accidiſſe*: certè vſitatius, *cecidiſſe*. Tamen *accidere* etiam in euentu, vt Terent. Andr.

*Hoc incertum eſt quorſum accidat.*

Atqui & pro *diſcimus*, *ſcimus* vel *reſcimus*. Ibidem:

*Euge par pari. aliud autem quod cupiebam contigit.*

Quis hoc mutare auſit? At qui fuerunt auſi iſtud vetus?

*Eugepæ! perro aliud autem quod cup. cont.*

Nihil dico, niſi vtrumque alteri certare: victoriam autem in hoc noſtrum inclinare. Neque in iſtam plura. Tertia in hoc ordine eſt *Dulcia atq; amara:* Vulgatur ibi:

*PS. Magnificè hominem compellabo. CA. cuia vox ſonat? PS. io io.*
*Te te te tyranne, te rogo, qui imperitas Pſeudolo*
*Quæro.*

Ter geminandum verſu primo, *io io io*: quando in omnibus ternario numero ſic paratragœdiatur. At quod Gulielmius altero *ter*

[illegible]

ego bl. ciebat, numeri admiſerint ægrè. *Te rogo* tamen etiam non admodum probarim: ſed neque amici coniecturam, *. et rege qui imper. Pſeudole* quamquam exſultanti ac triumphanti ſeruo iactatio talis haud aliena. Mox:

*CA. Illic homo eſt. vt paratragœdiat carnifex! CH. confer gradum*
*Contrà pariter.*

Confuſas hic etiam perſonas è libris liquet, & ſenſu. Repono:

*CA. Illic homo eſt. CH. vt paratragœdiat carnifex! CA. conf. gr.*

Calidorus ad ſeruum ſuum adhuc omnia, cui Charinus ignotus ipſi ignoto. Qua inter alias cauſſâ peſſimè deinceps quoque Charini perſonam ſuppoſuerunt vice Calidori: quod peccatum in aliis aliiſque libris crebrius aut rarius, in omnibus aliquoties, ſæpiſſimè in Douſianis. Atque operæ pretium eſt hìc locum integrum prolixius aſſcribere ad id exemplum, quo perſonis diſtingui planè debet.

*CA. Dic vtrum Spemne an Salutem te ſalutem Pſeudole?*
*PS. Imò vtrumq;. CA. vtrũq; ſalue. ſed quid actũ eſt? PS. quid times?*
*CA. Attuli hunc. PS. quid attuliſti? CA. adduxi volui dicere.*
*PS. Quid iſtic eſt? CA. Charinus. PS. euge iam* *
*CH. Quin tu quidquid opus eſt, audacter imperas? PS. iam gratiam.*
*Benè ſit, Charine, nolo tibi moleſtos eſſe nos.*
*CH. Vos moleſtos mihi? moleſtum eſt quidem. PS. tum tu igitur mane,*
*CA. Quid iſtuc eſt? PS. epiſtolam modo hanc intercepi & ſymbolum.*
*CA. Symbolum? quem ſymbolum? PS. qui à milite allatus eſt modo.*
*Eius ſeruo qui hanc ferebat cum quinq; argenti minis,*
*Tuam qui amicam hinc accerſebat, ei os ſubleui modo.*
*CA. Quomodo? PS. horum cauſſa hæc agitur ſpectatorum fabula.*
*Hi ſciunt, qui hic affuerunt, vobis poſt narrauero.*
*CA. Quid nũc agimus? PS. liberã hodie tuam amicam amplexabere.*
*CA. Egone? PS. tute, ego ipſus inquam, ſi quidem hoc viuet caput.*
*&c.*

Hæc perſonarum formula ſit vniuerſim: de verbis quædam etiam nunc dicemus. Tertius iſtorum verſus cum quarto defecto, ſic è veſtigiis priſcis debeat fortaſſe ſcribi:

*CA. Attuli hunc. PS. quid? attuliſti? CA. adduxi, volui dicere.*
*PS. Quis iſtic eſt? CA. Charinus. PS. euge! iam χαίρειν Χαρῖνον volo.*

Ludit in Charini nomine, quem valere & miſſum fieri vult, nõ vſui nunc illi, cui ſupra iuſſerat eiuſmodi hominem inueniri. Sequentium duorum fractus etiam alter, etſi minus apparet. Vtrumque concinnandum ſic puto:

*CH. Quin tu quidquid opuſt audacter imperas. PS. benè: ſet tamen*
*Gratia eſt Charine. nolo tibi moleſtos eſſe nos.*

Verba traduxi leuiter & correxi, quod vtrumque ſententia perſuaſit. *Benè* & *Gratia eſt* N. Douſa pater explicabit tibi, quem adhibe. Proximo, inſertâ è veterib⁹ particulâ legendum, *moleſtu eſt id qui. &c.*

Sic enim magis ſenſus eluceſcit. Id ipſum ſolum erat ei moleſtum, quòd excuſarent, & uti eius opera, ne moleſti eſſent, recuſarent. Vltimo, videantur etiam perſonæ ſic variandæ:

*CA. Egone? PS. tute. CA. ego? PS. ipſus, inquam.*

Sed verius eſt, abſque illa variatione voculã vnam corrigi: *PS. tute ergo ipſus inquam.* Poſt hæc, illa verba:

——*CA. ſi ſeruos eſt, Numquid refert?*

quid ſi Charino potius dentur? Hic enim quia paratum habebat hominem talem, ſed ſeruum quod ex ſequentibus ſtatim perſpicitur, eò prius aptè & cautè quærat, an ſeruum eſſe quidquam interſit. Porrò locus iſte fuit à magno Lipſio & Grutero diligenter poſt alios excuſſus, omniumque veriſſimè emendatus, tum explicatus.

*Sed iſtic ſeruus ex Caryſto hic qui aduenit, qui ſapit?*

*CH. Vſq; à cunabulis. PS. manuleatam tunicam habere hominẽ decet.*

A quibus ego non abeo, niſi in ipſis verſibus verbiſque paullò aliter conſtituendis. Numeri ſic enim poſcunt, quibus ſententia nec impeditur ſed iuuatur:

*Sed iſtic ſeruus, ex Caryſto qui huc aduenit vſque, quid ſapit?*

*CH. A cunabulis. PS. manul.*

Etiam ſtatim numeri nutant:

*PS. Quid ſi opus ſit, vt dulce promat indidem ecquid habet?*

*CH. Rogas? murrhinã, paſſum, defrutum, melinam, mel quoiuſmodi.*

Vox prima verſus alterius appendenda fini prioris, quod veteres ipſi libri præeunt, & particella *tum* alteri inſerenda:

——*ecquid habet? CH. rogas?*

*Murrhinam, tum paſſum, def.*

## CAPVT VI.

*Miniſterijs, negotijs præfulciri. Si erat coquus, Si homo eſſes. Drachmâ, nummo, aſſe, gratuitò eſſe. Numerus ſingularis pro plurali, & contrà. Cum aliquo cauere, captare, orare, obſecrare. Prorſus, prorſus, & cognatæ voces. De tractatione loci vnius, plurium alia correctione, dubiâ quorundam ſententiâ, & loci explicatione variè diſceptatum. Verſus vnius in Varrone diuerſa ſcriptura monſtrata.*

PErgo ad alias: & quæro, quid in illa *Cui ſeruitutem ſit, miſerijs præfulciri.*

*Velut hæc mihi euenit ſeruitus, vbi ego omnibus*

*Paruis magniſq; miſerijs præfulcior.*

Mirum verò, ni emendandum *miniſterijs*. Nã & id conqueritur puer, omnia in ipſum miniſteria imponi, & Plauti lepidiſſima phraſis eſt, miniſterijs vel negotijs aliquem præfulcire. Perſæ initio:

*Quin mihi imperet, quin me ſuis negotijs præfulciat.*

quem locum optimè contra alios, qui *præfuciat*, id eſt *præficiat*, impruden-

prudenter mutabant. Gulielmius defendit & eruditè illuſtrauit. Iam in ſequenti [illegible]rum. ſenſus duplex poteſt illorum eſſe:

*Sed cur ſedebas in foro, ſi eras coquus*
*Tu ſolus præter alios?*

Nam vt nunc diſtinguitur, coquũ ſolum præter alios, præſtantiſſimum inter [illegible] ceteris. At ſi comma poſt ipſum *coquus* colloces, exoritur alia locoq; aptior, vt mihi videtur, ſententia. Quæritur enim, cur ſolus præter alios in foro deſederit: atq; id reſpondetur,

*Hoc ego fui hodie ſolus obſeſſor fori.*

Seorſim igitur accipienda verba, *ſi eras coquus*, elegantiſſimo quoque ſenſu. Sic nempe hoc dicitur, vt vulgarius iſtud, *ſi eſſes homo.* Subſequitur mox:

*Illi drachmis iſſent miſeri, me nemo poteſt*
*Minoris quiſquam nummo vt ſurgam ſubigere.*

Omnium hic optima N. Douſæ mihi lectio ſit, *Illi drachma iſſent*, niſi magis amorem an iudicio in Gulielmii noſtri inclinarem, *Illi drachmis ſunt*. Monet honeſtiſſimum loquendi genus, cuius vni, quod ipſe dat, exemplo paucula hæc ſuperaddo. Tullius Diuinat. in Verr. *Cum eſſet tritici modius HS. II. pro frumento in modios ſingulos duodenos ſeſtertios exegiſſe.* Varro: *Aſſe vinum, aſſe pulmentarium eſt. Eas, quo natura aurigatur neceſſitudo.* Sic enim eum locum poſt alios emendatum volo. Ac ad hanc formam Plauti iam quoque Ciſtellariâ legerim, Sc. *Niſi quid:*

*At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratuito eſt.*

De cetero, volebat & altero verſu quidam amicus meus mutare:

*Minori qui, quàm nummo, vt ſurgam, ſubigere:*

cui rectum vulgatum non poteram perſuadere. Verborum tamen hic ordo ſententiam eandem facit: me nemo quiſquam ſubigere poteſt, vt ſurgam minoris nummo, ſeu quàm nummo. Poſt multa, in ioco iſto elegante, qui pridem ab aliis explicatus:

*CO. Vbi omnes patinæ feruent, omnes aperio.*
*Is odos demiſſis pedibus in cœlum volat.*
*Eum odorem cœnat Iuppiter quotidie.*
*BA. Odor demiſſis pedibus? CO. peccaui inſciens.*
*BA. Quid eſt? CO. quia enim demiſſis manibus volui dicere.*

traductio verſiculi vnius poſſit vſurpari, quã indicabo ſaltem ego leuiter, non & audacius approbabo:

*CO. Vbi omnes patinæ feruent, omnes aperio.*
*Is (f. Ibi) odos demiſſis pedibus in cœlum volat.*
*BA. Odor demiſſis pedibus? CO. peccaui inſciens.*
*BA. Quid eſt? CO. quia enim demiſſis manibus volui dicere.*
*Eum odorem cœnat Iuppiter cottidie.*
*BA. Si nuſquam is coctum, quidnam cœnat Iuppiter?*
*CO. It incœnatus cubitum.*

Aptam eſſe, nec indignam, de qua monuerim, quiuis intelligit.

Ipſe promittere ſic geſtiens obſecrat alterum vt roget. Hoc verum, ægrè mihi aſſentientur iſti imperitiores, niſi quem ſimilem oſtendero locum: quem ſimillimum, imò prorſus eundem afferre poſſum è fabula hac ipſa. Nam infrà S C. *Vi, o qui iterum*, planè ita:

*Rogato hercle obſecro, geſtio promittere.*

Qui niſi fuiſſet ibi locus, ingenue fatebor, neq; hîc diuinatio mihi talis eſſet nata: quam certiſſimam ille nunc ſatis probat: & ſi res comprobat ipſa quoque ſeorſim alterum ſine altero locum vtrobique. Diſtinctiuncula verum ſenſum obſcurat illic etiam:

*Si neminem alium potero, tuum tangam patrem.*

*C A. Dij te mihi omnes ſeruent. verum ſi potes,*

*Pietatis cauſsâ, vel etiam matrem quoq;.*

Sic hoc nunc accipitur, quaſi dicat; ſi pietatis cauſsâ potes, ſi pietas permittit. Id abſurdiſſimum. Aliter interpunge, *verùm ſi potes, Pietatis cauſſa vel etiam matrem quoq;.* Cum patri ſeruus imminere ſe dixiſſet, ita probat hoc bonus filius, vt velit etiam vel matrem inuadi, neque ea in re quidquam obſiſtere pietatem. Pietatis cauſsâ, poſitum ſic, vt Meâ cauſsâ, quod eſt, per me. Per pietatem, inquit, liceat tibi non patrem tantùm, ſed matrem quoque tangere, vt lubet. Ea germana Plauti mens: à qua longiuſculè alia abiudat, ipſa quoque non inepta. Iocari enim ſic quoque filius poſſit: Si patrem adorieris, etiam matrem ne præteri, pietatis cauſsâ: quaſi impium ſit, vtriſque non idem fieri. Sed prior ſenſus vnicè verus: hunc eò poſui tantùm, ne ſi alii ſubueniſſet, ideo proferret vt nouum, & vt veriorem præferret, quia nobis non eſſet cognitus aut cogitatus. At ne illum quidem attuliſſem ego, niſi Lambinum aſſecutum non viderem, itemque vt aſſequerentur alii rudiores, quibus nos ſcribimus, vererer. Porrò ibidem:

*Nunc ne quis dictum ſibi neget, dico omnibus*

*Pubi præſenti, in concione, omni populo.*

Legendum in dimenſione verſus *poplo*, quiuis norit. In veteribus eſt *Præſenti pube*: quod melius, niſi *pubi* etiam caſus auferendi, vt *Luci, Parti*, atque alia ab antiquitate plura. Nec enim iunges *Dico pubi*: ſed formula peculiaris eſt *Præſente pube*, quam Feſtus explicauit. Vltimo verſu:

*C A. Atq; ipſe egreditur penitus periurum caput.*

Interpolatum eſt *penitus*. Me non fallit *intus* fuiſſe, cui prima ſequentis vocis præpoſita temerè ſyllaba *penitus* genuit. *Intus egredi* Plautinum qui non agnoſcet, peregrinus in Plauto eſt, nec ſexcenta ſimilia vnquam legit. Vnum tale addo, ſi quis planè hoſpes huc venerit. Caſinâ:

*Eccum exit, oras Charinus intus cum ſitella & ſortibus.*



Digitized by Google

## CAPVT II.

*Habere edictionem, expurgationem, conuentionem: facere aſcenſionem, reuorſionem. ἔχειν τινὶ μομφήν. Præſterga, quid vocis? ea emendata. Hedylium amicæ nomen, non Sedulium. Malo, à vel de malo rem quærere. Deunxe, & ſimilia. Quorundam correctiones approbatæ, quædam reiectæ: multa noſtra variorum locorum firmata, locis ipſis diligenter expenſis & explicatis. Inſuper corniculari noſtri leuiter emaculata.*

FAcile fuit emendatu ſecundâ ſcenâ, quod mendoſè ſic legebatur:

*Nunc adeò hanc edictionem: niſi animum aduertitis omnes &c.*

Cum alter ibidem locus velut manu duceret ad certam correctionem:

*Auditin', vobis mulieres habeo hanc edictionem.*

Ioue enim & in altero legendum *habeo*, non *adeò*, cuiuſuis erat animaduertere: nec quiſquam viderat tamen ante Douſam F. elegantiſſimum iuuenem: cui ſecundas nos agemus nunc, & pluribus loquendi genus iſtud exemplis illuſtrabimus. Fuit idem igitur & Mercatore S C. *Quaſi tu.*

*At ego tam expurgationem habebo, ut ne ſuccenſeat,*

Et ſimile Varronis eſt lib. 5. de L. L. *Poſt autem conuentionem habet, qui luſtrum conditurus eſt.* Nec alia diſſimilia: vt *Aſcenſionem facere* Rudente S C. *Miris modis.*

*Ad hirundininum nidum viſa eſt ſimia*
*Aſcenſionem vt faceret admolirier.*

Et, *Reuorſionem facere* Bacchidib. S C. *Ibo.*

*Reuorſionem ad terram faciunt veſperi.*

Ac horum plura vbiq; ſunt obuia: ſuperiora non tam vbiq;, quibus ſimilius hoc Græcum ἔχειν τινὶ μομφήν. Euripides Oreſte:

ἐπίχαρτά σοι ἄρ' αὐτῷ τί σοι μομφὴν ἔχω.

Deinceps in ea ſcena:

*Quin nunc doletne? hem ſic datur, ſi quis herum ſeruus ſpernit,*

Corrigendum, *Qui nunc? doletne?* Quod idem Amphitruone corrigebamus:

*A M. Qui nunc? mulier audin' illum? A L. ego verò, ac falſum dicere.*

In ſequenti loco:

*Hæc, cum ego à foro reuertor, facite vt offendam parata,*
*Verſa, præſterga, ſtrata, lautaq; coctaq; omnia vti ſint.*

plane ignotum mihi verbum obiicitur *præſterga*, de quo vt notiſſimo omnes, quod ſciam, ſiluerunt. Me non pudet fateri, quod neſcio: ſed idem docere fortaſſe poſſim, quod alii ſciendo neſcierunt. Primùm meque alioſque hoc abſoluo, corruptá eſſe vocem. Deinde conflatam è duabus arbitror, & videre videor è quibus. Ac quibus ergo? *Sparſa terſa.* De his vnde didicerim, au-



Digitized by Google

di. Locus eſt Diomedis lib.1.cap.4. quo reſpexiſſe Grammaticum eum putauit ante nos eruditiſſimus Douſa F. ad hunc Plautinum: ſed is putauit ac notauit aliâ cauſſâ, vt *Vorſa* ſolum explicaret. Atqui Diomedes non id ſolum verbum ponit eo loco, ſed adiunctum aliud, *Vorſa ſparſa*. Iam ſi certum eſt, quod mihi quidem certiſſimum, hunc Plauti locum in animo fuiſſe Diomedi; quid ſequitur, niſi *ſparſa* poſt *vorſa* in Plauto ſcriptum? Igitur id ipſum adeò *ſparſa* latet in prima ſyllaba corruptæ vocis *præſterga*: cuius literæ ſyllabæque reliquæ *terga*, gignunt alterum *terſa*. Quæ corruptio quàm fuerit olim facilis, quid opus eſt monſtrari? Nam quis neſcit G & S literarum cognationem, vt *terga* ſcriptum ſit in vicem *terſa*? Neque eſt qui non videat, vt perire quædam literæ potuerint è *ſparſa*, vt in *præs* deſtrueretur. Nobis quando alterum Grammatici locus tam opportunus ſubiicit, quod per nos fortè non inueniſſemus ipſi, alterum ipſæ vltrò literæ ingerunt; quid dubium relinquitur, quin abolita nihili voce *præſterga*, planè ſic in Plauto iam emendandum?

*Vorſa, ſparſa, terſa ſtrata, lauta, coctaq; omnia vt ſint.*

Sed ad eas etiam rationes alia duplex accedit, quæ pariter idem firmat. Namque & numeri nunc tandem veri alacriter exſurgunt, qui trepidabant hactenus vnâ ſyllaba defecti, & ſententia fit germaniſſima, præ qua ſpernit aliam omnem veritas ipſius rei. Scilicet ὕστερον πρότερον hic eſt, & à verriatore ſpargi nimirum aquulâ, deinde ſcopis verri ſolent ædes, quod leno ibi præcipiebat:

*Tibi hoc præcipio, vt niteant ædes.*

In *terſa, ſtrata, lauta* confunditur etiam ordo: ſed reſpiciunt omnia ac ſingula verſum iſtum:

*Tu eſto lecti ſterniator, tu argentum eluito, idem exſtruito.*

Nam *cocta* referas ad illum,

*Tu qui vrnam habes, aquam ingere, face plenum aenum ſit citò:*

& qui ſubditur ei de caudicali prouincia; & ſecandis lignis: imò verò magis ad hunc inferiorem:

*Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aqua iaceant. ſatin' audis?*

in quo coniectura fortè Gulielmii noſtri vana, qui verbo *audis* abiecto perſonam Pſeudoli inſerebat eleganter, *PS. ſatin' Magnificè?* Verſus ſic mutilatur, quod non temere committendum. Et cùm hoc abſterret, tum nihil ad eiuſmodi mutationem cogit. Sententia enim ſic etiam nimis apta. At mouit eum, quod *audis* iſtud in veterib⁹ quibuſdam libris nullum exſtaret. Eſt ita: ſed exſtat idem in veteribus etiam non paucis. Nihil igitur hoc argumenti: nec illud firmum, quia poſt ſimile dictum Calidori. Quin ſi magis inſpicias, id ipſum ſit contra eum. Sed quid iſta ventilo? Conſideremus alia deinceps.

Princi-

*Principio Hedylium tecum ago, quæ amica es frumentarijs,*
*Quibus cunctis montes maximi acerui frumenti ſunt domi.*

Arguti, qui nuper ad Appuleium interpolarunt, *Principio Ædilis ſum*: quia Ædiles annonæ curatores. ſed falſi. Nominatim appellaturum ſe dixit vnamquamque ancillarum leno: & Hedylium nomen meretricium, quod in fragmento noſtri corruptum ſuſpicor è Cornicularia:

*Qui amant ancillam meam Sedulium oculitus.*

Nam *Hedulium* ſubſtituam ex hoc loco: & Græcanica plerumque erant iſtæc nomina potius quam Latina. Verſu altero gloſſam habui aliquando vocem *aceruus*, quæ *montes* interpretetur. Sed deleri verſus haud patiatur. Amicus quidam meus diuidebat & traiiciebat: *montes maximi frumenti ac erui ſunt domi*: cui non aſſentiebar: nec alteri, qui *aceruum frumentum* capiebat, vt alii alia Plauti, *lectus locus, cibus commeatus, rete iaculum*. Simpliciſſimum ſit copulã inſerere, *montes maximi ac acerui*. Mox deinde:

*Æſchrodora tu, quæ amicos tibi habes lenonum æmulos*
*Laxios, qui item vt nos iureiurando malo quærunt rem audi.*

Mutat vir doctus *malam*: malè, vt puto. Nec iunxerim tamen *malo iureiurando*, ſed *malo quærunt*: quæ ſit locutio ſimilis illis, *de* vel *à malo quærere*, de quibus & ab aliis alibi, & nobis ad Moſtellariam actum. Ac præpoſitio forſan & Ciſtellariæ loco fuerit ad hoc exemplum omiſſa, quam additam ab aliis ſuprà non improbaui:

*Item vt alia pariunt, quæ malo quærunt ſibi.*

Porrò ſtatim: *—cras quaſi Dircam olim (vt memorant) duo*
*Gnati Iouis deuinxere ad taurum, item hodie ſtringam ad carnarium, id tibi*
*Profectò taurus fiet.*

Parentheſis *vt memorant*, nõ placet. Sublatâ eâ legerim libentius:

*—cras quaſi Dircam olim memorant duo gnatos*
*Iouis deuinxe ad taurum.*

Crebra Plauto & priſcis forma contractionum eiuſmodi *deuinxe, illexe, aduexe*, pro deuinxiſſe, illexiſſe, aduexiſſe. Paſſim exempla, quæ non deceat hic cumulari. Verſus prior etiam breuior erat: itaque vocem ei de altero ſubiunxi, qua fortè necdum ei ſatisfactum. Continuò quod ſequitur:

*——CA. nimis ſermone huius ira incendor.*
*PS. Hunccine hic hominem pati colere iuuentutem Atticam!*

In eo non decernam, vtri, ſeruone an hero conueniat magis expoſtulatio vberior illa, cuius hîc initium: id auſim affirmare verius iſta tandem erit, eiuſdem & illud eſſe, quod præmittitur, *nimis ſermone huius ira incendor*. Coniunctim enim hæc ab vno eodemque efferenda, quorum ſententia nequit diuelli. Primùm iraſci ſe præfatur alteruter, mox in iram effuſus, idem liberè palam ſtomachatur. Pſeudolo non eripiam ego ſanè: ſed qui Calidoro daturus eſt,

mutabit infrà ſcilicet perſonas: *PS. vah tace. CA. quid eſt?* & deinceps conſimiliter. At cum magis cogito, nihil hoc opus, & Pſeudolo certè ſuperiora omnia tribuenda. Poſt aliquanta:

*Sed ubi vſq, ad languorem. tenes quorſum hæc [illegible]: at [illegible] loquor.*

Vix ita Plautus ſcripſerit, & damnare non [illegible] interrogationem, *quorſum hæcce tendant*. Ibidem hoc etiā non [illegible]

*—ſed ſcio, tu oleum haud magni pendis, [illegible]*

*Deuincis, ſine modo, reprehendam ego cuncta hercle vnà opera.*

Conieceram, *ſine modo: rependam ego cuncta*: cum eſſe [illegible] di in editionibus antiquis. *Deuincis* eruditè explicatur, ſed [illegible] emendatur *Deungu*. De vino enim, vt de oleo loquitur leno, qui pro oleo vinum Xyſtilis habebat.

## CAPVT III.

*Animo aliquid auſcultare. Licetne viuere? Lucro pietate non obſiſti poteſt. Porcere. Neplacet. Amatores, dum dant, lenonibus & amicis viuunt: mortui ſunt, cum iiſdem non placent. Explicationes aliorum & coniectura adiuta quadam, quadam abiecta. Locus inutiles depoſitus. Perſonæ ſæpius mutatæ. Plurια loca emendata, declarata.*

NVgatur, vt ſolet, Interpres ad illud ſequentis ſcenæ *Pſeudole.*

*CA. Quid mihi es auctor, huic vt mittam, ne amicam hic meam proſtituat?*

*PS. Benè curaſſis, liquido es animo, ego pro me & te curabo.*

Emendatione prius opus, dein explicatione: imò non hac opus, quia ſatis illa clara: *PS. Ne curaſſis.* ſi tamen ſatis certa. Nam & ſic poſſit, *PS. Sine cura ſis*: & aliter, interpunctione mutatâ, ſyllabaq; geminatâ, *PS. Benè. ne curaſſis.* Elige, quod optimum putabis. In proximo non electioni aut dubitationi locus:

*CA. Quid opus eſt? PS. potin' alium rem vt cures? CA. at. PS. hat.*

Vna enim vera emendatio, *CA. Quid opis eſt?* Minabatur lenoni præſens malum Pſeudolus: ibi adoleſcens, quid igitur auxilii ſit, quærit, non quid facto opus. Illud quoque:

*PS. In rem quod ſit prævortaris, quàm re aduerſa animo auſcultes.*

non dubium, quin ita corrigendum, *quàm rei aduerſa animo auſcultes.* Niſi tamen *re*, pro *rei*, vt *die*, *fide* & ſimilia. Senſus æquidem is planè! Potius quod ex re eſt, agas, quam animo obtemperes iis agendis, quæ abs re ſunt, ſiue rei aduerſa. Animo aliquid auſcultare, ſic dictum, vt Obſequi quid alicui. Lambini hîc quoque futile interpretamentum. Poſt multa, viri docti recepta in textum eſt coniectura:

*—— BA. licet*

*Ne obſecro bitere, an non licet?*

At vulgatum *viuere* bono quoque ſenſu eſt: & geminus huic locus Milite: [illegible]

*Miti-*

*Mittite me obſecro, ſi poſſum hodie viua à vobis.*

Deinde impius leno, cui vnum lucrum Deus, admodum quàm religiosè de ſe narrat:

*BA. Reſt itiam iſtoc pretio. nam ſi ſacruficem ſummo Ioui,*
*Atq; in manibus exta teneam, vt porriciam, interea loci*
*Si lucri quid detur, potius rem diuinam deſeram.*

quod Pſeudolus auditum his verbis ſubſequitur:

*PS. Non poteſt pietate obſiſti huic, vt res ſunt cetera.*
*Deos quidem quos maximè æquum eſt metuere, eos minimi facit.*

In quibus non video, nec alios puto videre ſatis idoneam verſus prioris ſententiam. Mihi non temeraria ſuſpicio, dimidiam eius partem Pſeudolo non aſcribendam, ſed adhuc continuandam Ballioni:

*Si lucri quid detur, potius rem diuinam deſeram.*
*Non poteſt pietate obſiſti huic. PS. vt vt res ſunt cetera.*
*Deos quidem quos max.*

Leno, cui lucrum ante omnia, nulla pietate obſiſti lucro poſſe ait, nec impediri vel a religione. Tum ſeruus: Vt vt alia ſunt, deorum quidem ſceleratus iſte metum & reuerentiam ſpernit omninò, qui colendi timendique maxime erant: quid ſcilicet hominibus facturus & profanis in rebus, cui diuina ſic & ſacra ludibrio iocoque? Vt geminaui ad hanc mentem, quod hauſi tamen ex veterum diſerta lectione. Porrò:

*BA. Quid agitur Calidore? PS. amatur atq; egetur acriter.*

Calidorus interrogatus ipſe reſpondere debet, *CA. Amatur atq;.* Manifeſtum hoc: ſed manifeſtiùs mox iter in perſona ſuppoſita:

*PS. Et idem hoc quod te reuocamus, quaſi ad mei aduerte. CA. audio.*
*Atq; in pauca.*

Non niſi cœcus erratum non animaduerterit: ſed ita negligentes fuerunt, vt quia Lambini ſic editio, caſu forte, nam non vſq; adeò ſtolidus aut inſanus is homo, vt de induſtria mutarit, imitati ſint inde, tametſi veteres apertè omnes libri. *BA. audio.* Quid liquet, ſi non hoc, Ballionem & compellari & reſpondere? quid abſurdum, ſi non hoc, Calidorum iſta loqui? Porrò etiam:

*PS. At dabit, parabit aliquid hos dies, mantra modo.*

Corrigunt, *aliquid: tres dies m. m.* Inepte. An verò quidquam aptius iſto?

*PS. At dabit, parabit: aliquot hos dies manta modo.*

Non tempus hic certum deſignat: & quamquam in tres denique dies conuenitur, antè tamen de ſex etiam agitur, vt videas de tribus hìc iam tum abſurdè cogitari. Dein vanus eſt labor ingeniorũ ſine codicibus ſcriptis iſtud explendi:

*BA. Heus tu, poſtquam hercle iſti à menſa * ſurgunt,*
*Qui ſuum repetunt &c.*

Quam ineptæ, q̃ variæ ſunt in diuerſis libris diuerſorum inculca-

tiones? Mutilus eſt, eritque verſus, vſq; dum nouus Æſculapius è veteri manuſcripto verba quaſi membra deperdita reſtauret. De quo ſi ſpes vlla ſupereſt, neſcio: quæ ſuperſunt ipſa verba non Ballionis eſſe ſuſpiceris, ſed Pſeudoli ad Ballionem, cuius illis & nomen fortè præfigendum. Nam hic in partem hero, qui lenoni ſe excuſabat, ſe mutuo reperiendo, ſubuenire videtur, ne ab argentariis qui ſe impetrari iam argenti quidquã poſſe dicens. Qu umquam ego non ſic ſtatui planè, ſed quid eſſe aut videri non temerè poſſit alius, indicaui. Vulgatur in ſequentibus:

*CA. Perij. an non tum lex me perdit quina vicenaria?*
*Metuunt credere omnes.*

Scio, Lambinus vt hoc interpretetur: ſed Lex profectò non perdebat adoleſcentem, ſi mutuo quid accepiſſet, ſed creditorem, qui dediſſet. Igitur id verbum *perdit*, vt mutandũ cenſuerim aliquando ſuſpicione mera, dicam. Legebam:

*CA. Perij. an non me lex dum porcet quina vicenaria?*

Adhuc iſta ætate lex, quam dicit, eum prohibebat vti conſilio lenonis. Obſtabat enim, quo minus mutuum ipſi crederetur. *Porcet dum*, id eſt, adhuc prohibet, vetat. Vetabat autem lex, non, vt minor annis quinque & viginti mutuo ſi poſſet alicunde quid impetrare, ſumeret; ſed, ne quis ei daret. nam qui dediſſet, repetendi nullum ius habebat. Eſt ibidem:

*Atq; ego te viuum ſaluumq; vellem. PS. ehò an iam mortuus?*
*BA. Illico vixit amator, vbi ille lenoni placet.*

Hæreo de ſententia. Nam dum placet, adhuc quidem lenoni viuit amator: quippe qui dare etiam poteſt, & quod perdat habet. At deditis omnibus, cum iam datis non ſuppeditat, ibi demum neque placet lenoni & pro mortuo habetur. An igitur emendandum? *ne placet.* Vbi non amplius placet, mortuus eſt. Locus ſimillimus Truculento, quem aſſcribam. Sc. *Ad fores.*

*AS. Dum viuit, hominem noueris, vbi mortuus eſt, quieſcat.*
*Te, dum viuebas, noueram. DI. an me mortuum arbitrare?*
*AS. Qui potis es amabo planius? qui antehac amator ſummus*
*Habitus, iſtunc ad amicam meras querimonias referre?*
*DI. Veſtrà hercle factum iniuria, quæ properauiſtis olim*
*Rapere. otioſè oportuit, diu vt eſſem incolumis vobis.*

Eadem certè mens vtrobique: etſi nõ neſcio, poſſe quem acutiorem argutari in altero noſtro loco. Periiſſe enim & vixiſſe videri poteſt, eſtque adeò perditus, qui lenoni placet: id eſſet, qui amans a lenone bona apud eum ſua comedit, & vſque perpetuat data. At hæc profectò ſententia loco alieniſſima. Nec enim de amatore quouis agitur hic, ſed egeno, quique vſui nulli eſt, vt ipſe leno ait. Hic talis ei minimè placet, & quia non placet, dicitur vixiſſe. Nec ſententiã diſcrepat multum illud in hac ſcena ſuperius:

*CA. Qui tibi ſoſpitalis fuit. BA. mortuus eſt, qui fuit: qui eſt, viuus eſt.*

Sta-

Statim: *Nam iſtuc quod nunc clamitare.*

Peſſimè retentum in optima editione vitii damnatum & emendatum iam olim verbum *clamitare*. Cur *lamentare*, quod multæ præeunt editiones, neglexerũt? Ea vera lectio: quam, præter alia, verbum deinceps *quærere* ſatis probat, vt alteram loquendi ipſa ratio refutat. Interuallo maiore:

*CA. Dic mihi obſecro, verum hercle ſeriò hoc, quod te rogo, eſt?*
*Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium?*

Malo legere:

*CA. Dic mihi obſecrò, verùm hercle ſeriò, hoc quod te rogo;*
*Non habes venalem &c.*

Et ſcio melius eſſe, nec aliter à Plautò. Non longè:

*Militi Macedonio: etiam quindecim hic habeo minas.*

Diſpeſce & *iam*: quod quia temerè coniunctum in Lambini libris temerè inde ſunt imitati. Nam vetuſtiores rectè. Poſt multa:

*Sicut hæc eſt præſtituta numerando argento dies.*

Lambini hoc eſt, quod veteres damnant: *præſtituta ſumma argentaria*. Vnde olim Lipſius, *ſumma argentò dies*: rectè: niſi quòd verſus labat, & neglectæ literæ poſtremæ in *argentaria*. ex quibus illi opportunum fulcimentum. Feceris rectiſſimè: *præſtituta ſumma argento ei dies.* Poſt:

*Sed nunc Calidore operam te mihi volo dare. CA. quid imperas?*

Præopto ſcribere, *CA. quin imperas?* Ita ſe paratum oſtendit, vt ſtatim velit imperari. Sub finem:

*Pauci ex multis ſunt amici, homini qui certi ſient.*
*CA. Ego ſcio iſtuc. PS. ergo vtrumq; tibi nunc delectum para.*

Neſcio quid hoc interpretationis eſt ad *vtrumq;* vocẽ, cùm Lambinus aſtutum & incertum deſignari ait. *Vtrumq;* eſt vtrorumque, certorum ſcilicet amicorum & incertorum. Eorum delectus iubetur. Veteres tamen *vtrinq;*: quod ſenſui æquè aptum: nec ineptum *vtcumq;*, ſi quis ita malit. In ipſo fine:

*CA. Iam hic ſaxo aderit. PS. potin' vt abeas? CA. tibi moram dictis creas.*

rectius eximitur in antiquis Calidori perſona, vt Pſeudolus continuet iſta: *potin' vt abeas? tibi moram dictis creas.* Hic enim abire illum quam citiſſimè vult & hominem parare, qui cum illud ſaltem prius loqueretur *Iam hic ſaxo aderit*, nimis moratus videtur, & verbis his ſeipſum dicitur morari.

## CAPVT IV.

*Parum fides, plurimum maleſacta, ſatis inſomnia, affatim & parum miſeria, abunde libertas, ſatis præſidia: & ſimiles locutiones. Criminares. Compedi. Chlamys viatoris. Mutatæ diſtinctiones, perſonæ, verba multa. Continuati non pauci verſus. Aliorum correctio-*

[illegible]

*nes, interpretationes improbata. Nouiter emendata quamplurima, ſimul explicata.*

SCenâ *Si de damnoſis*, lepidè lepidus adoleſcentiæ amanti & genium ſuum percolenti patronus Calipho aduerſus Simonem duriorem:

*Sed ſi vera ea ſunt, vt nunc mos eſt maximè,*
*Quid mirum fecit? quid nouum? adoleſcens homo*
*Si amat, ſi amicam liberat? PS. lepidum ſenem.*
*SI. Vetus nolo faciat. CA. at enim nequidquam neuis.*
*Vel tune faceres tale in adoleſcentia.*

In quibus diſtinctionem aptabis primò, vt ſenſu iungantur verba, *ſi vera ea ſunt maximè*; non, *vt nunc maximè mos eſt*. Deinde cum Lambino non interpretaberis, *Vetus nolo faciat*, tanquàm id ſenex dicat, nolle ſe, filium id ita ſæpè facere, vt ſit ei vetus. Ineptiſſima ſententia iſta: vera hæc. Non nouum eſſe dixerat Calipho, amare, amicam liberare adoleſcentem: at ille auſterior non vult vetus & antiquum illud filius faciat ſuus. Poſtremò *tu ne* diuiſim ſcribes. Deinceps:

*SI. Tibi auſcultabo. PS. itur ad te Pſeudole.*

Veteres habent, *Tibi auſcultabo igitur*. In hoc *igitur*, eſt, *ego itur*. Ergo ſcribe:

*SI. Tibi auſcultabo ego.. PS. itur ad te Pſeudole.*

Pluſculis interiectis:

*SI. Mihin' domino ſeruos tu ſuccenſes? PS. iam tibi*
*Mirum id videtur? SI. hercle quoi, vt tu prædicas*
*Cauendum eſt mihi abs te irato.*

Legerim, *PS. itan' tibi*. Deinde variât in iſto, *SI. hercle quoi*. alibi *qui*, alibi *quum*. Nihil omnium malè: fortaſſis optimè, *hercle quin, tu vt præd.* Statim perſonæ variant etiam in antiquis:

*PS. Quid cenſes? CA. edepol merito eſſe iratum arbitror,*
*Cum apud te parum ſtet fides.*

Et melius in illis Caliphoni hæc omnia attribuuntur: *CA. Quid cenſes? edepol meritò eſſ.* Verba deinceps mutari nihil opus erat a viro docto, *parum ſiet fides*. Etenim & *ſtet* ſtare poteſt, vt in illo non diſſimili:

*Et benè apud memores veteris ſtat gratia facti.*

Et *fides* nō antiquo genitiuo, ſed ipſo vulgatiſſimo capi poteſt nominatiuo. Sic enim etiā loquebantur, *Parum fides*: cui exempla dedit aliquot ad Bacchides Gulielmius noſter, & Coluius ad Appuleium. Similia nos etiam quædam ſubnectemus. Epidico:

——— *aut quaſi non plurimum*
*Malefacta mea eſſent ſolida in adoleſcentia.*

Vbi Lambinus *plurima* mutabat, fruſtrà. Propertius:

*Cum ſatis vna tuis inſomnia portet ocellis,*
*Vna ſit & cuiuis femina multa mala.*

Nam

Nam non aliter exaudio *ſatis inſomnia*. Cui loco pulcrè ſuccinit eadem phraſi noſter Trinummo:

*CA. Miſeria vna quidem homini eſt affatim. CH. imò huic parum eſt.*

Vxor vna, ait alter, affatim; alter, parum miſeria eſt. Salluſt. Orat. Macri Trib. pl. *Quia neq; gloria mouemini, neq; flagitio, cunctaq; præſenti ignauia mutaſtis, abunde libertatem rati, quia tergis abſtinetur.* Quod idem fortaſſis ita Bello Iugurth. *Dein quòd parentes abunde habemus: amicorum neq; nobis neq; cuiquam omnium ſatis fuit.* Tragœdus Hercule Oetæo:

*——Herculis cineres tene,*
*Complectere oſſa reliqui: auxilium dabunt,*
*Erunt ſatis præſidia: terrebunt tua*
*Reges vel vmbræ.*

Pliniano in quos dixi, pete, & ipſe tibi nota. Porrò in noſtra hic ſcena:

*CA. Memini. SI. cur hæc tu, vbi reſciuiſti illico,*
*Celata me ſunt?*

Paulio melius antiqui: *SI. cur hæc, vbi tu reſciu. il.* Statim:

*Quia nolebam ex me morem progigni malum,*
*Herum vt ſeruos ſuum criminaret apud herum.*

Vet. in priore *progigni*: ne alterum puti diuſculè capias, quaſi primò gigni. In poſteriore magna diuerſitas ſcripturæ: Vbique inde omnis, quòd *criminaret* admittere noluerunt. Tu tamen ita corrige, nec aliter conſtitui rectè locum ſcito:

*Herum vt ſeruus ſuum criminaret apud herum.*

Paullo pòſt:

*PS. Quia aliud malum aderat; iſtuc aberat longius.*
*Illud erat præſens; huic erat diecula.*

Vt N. Douſa ſenſiſſe videtur, ita diſtinguendũ ſit ad eius mentem:

*PS. Quia aliud malum aderat, iſtuc aberat. longius*
*Illud erat præſens, hoc erat diecula.*

Verùm ſimpliciſſimum eſt è veteri lectione partim, partim noſtrâ nouâ:

*PS. Quia illud malum aderat, iſtuc aberat longius.*
*Illud erat præſens, huic erant diecula.*

Priore ſcripſi *illud*: rectè, vt omnia ſibi reſpondeant. Illud, à filio: iſtuc, à te. Illud aderat præſens, hoc erat in diem, vt Terentius loquebatur. *Erant* autem veteres planè.

Verſu: *Si abſtuleris, mirum & magnum feceris facinus.* traduc, *facinus feceris*. Poſteà:

*Tibicinam illam tuus quam gnatus deperit,*
*Ea circumducam lepidè lenonem. SI. quid eſt?*
*PS. Effectum hæc hodie reddam vtrumq; ad veſperum.*

Ineptè Simo interloquitur, *quid eſt?* Sic autem Pſeudolus continuè debet:

Digitized by Google

——*lepidè lenonem: & quidem*
*Effectum hoc hodie reddam.*

Mox in iſto loco:

*Sed ſi non faxis, numquid cauſſa eſt, illico*
*Quin te in piſtrinum condam? PS. non vnum quidem*
*Diem modo, verùm hercle in omnes quantum eſt. ſed ſi effecero,*
*Dabin mihi argentum, quod dem lenoni illico,*
*Tua voluntate?*

Nimium verſus vnus excurrit, cui quod demes, alteri addes: ſed alteri prius etiam aliquid demes:

*Quin te in piſtrinum? PS. non vnum quidem diem modo,*
*Verùm hercle in omnes quantum eſt.*

Suppreſſit verbum *condam* ſenex, quod è gloſſa inſitum numeros turbauit. Neque hos iam tamen ſatis expedieris, niſi voculas *quidem diem* in vnũ cogas pedem, quod minimè duriter & Plauti more fiet. Atq; illo prorſus eodem ad finem ſcenæ huius vnum item pedem conſtituunt verba *Nouo modo*, iſthic:

——*nam qui in ſcenam prouenit*
*Nouo modo, nouum aliquid inuentum afferre addecet.*

Vbi inducendum Douſa F. putabat *inuentum*, non ab alia aut potiori cauſſa opinor, niſi quia verſus excedere menſuram videretur. Id quod non eſt, ſi iſto more metiaris. Sed retrogredior, vt iſtum locum ne omittam:

*Quid ſi hice inter ſe conſenſerunt, Calipho,*
*Aut de compacto faciunt, conſutis dolis,*
*Qui me argento circumuortant? PS. quis me audacior*
*Sit, ſi iſtuc facinus audeam facere? imò ſic Simo,*
*Si ſumus conſpecti, ſiue conſilium vnquam iniuimus*
*De iſtac re, aut ſi de ea re vnquam inter nos conuenimus,*
*Quaſi in libro cum ſcribuntur calamo literæ,*
*Stilis me totum vſque vlmeis conſcribito.*

Delent veteres in quarto verſu *facere*: quod eripi ſibi facile & ſenſus & numeri patiuntur. At ſi retineas, ibidem *ſic* expungendum videatur. Videtur autem idem & in ſequentibus duobus faciendũ particulæ *vnquam*. Sed maximum eſt, quod emendandum cenſeo *compecti*, ex *conſpecti*. Quis non videt illud aptius? & hoc quis plurimis in locis illi neſcit ab indoctis librariis ſuppoſititium factum? Piget afferre variorum auctorum loca, quibus idem ſic corruptum docti pridem oſtenderũt. Hic inſimulatus ab hero ſeruus, de compacto ſeu compecto agere cum lenone, negat ſe cõpectos eſſe. nam quid referat, conſpectos? aut conſpici qui potuerant, ſi clam conueniſſent? Scena *Proh Iuppiter*.

*Poſt ad oppidum hoc vetus continuò mecum exercitum protinus obducam.*

Scri-

Scripſit auctor, vt conicio, *meum exercitum*. Conicio autem aliud in eius Scenæ fine:

*—— libet ſcire*
*Quid hic velit cum machæra, & huic, quam rem agat, hinc dabo inſidias.*

Valdè ſuſpectum *& huic*. Audebon' dicere, quod timidè mecum ſentio? literas ſaltem pauculas ex integra voce reliquas eſſe, & ſcriptum olim:

*Quid hic velit cum machæra, & chlamyde, quam rem &c.*

Chlamys viatoria veſtis erat, quod omnes iam norunt, & peregrini quicunq; chlamydati inducebantur: infraq; talis hic ipſe Harpax:

*Sed quis hic homo chlamydatus? BA. non edepol ſcio.*

itemq; Sycophanta, qui huius in locum ſubornabatur:

*Etiam opus eſt & chlamyde & machæra & petaſo.*

## CAPVT V.

*Aliquid & alicui præuerti. Conſiliū benè accidit. Eugepæ. Præter alias emendationes varias, perſonæ variantes multoties cōſtitutæ. Loca quædam poſt alios aliter tentata: Pleraq; interpretata.*

PRoximas tres ſcenas hoc capite perluſtrabo, in quibus plura quam grauiora nobis, nec leuiſſima tamē omnia relicta. Sunt, qui iſto verſu:

*Hoc præuortar principio, illa omnia miſſa habeo, quæ antè agere occœpi.*

mutant *Huic præuortar*, ignari: quaſi non vtroq; caſu æquè Plautus vtatur. Hoc ipſum Rudente eſt SC. *Pro Cyrenenſes.*

*TR. Obſecro hoc præuortere ergo. DA. quid negotij eſt?*

Deinde puer elementa prima doctus emendet, quod infrà vitium nuper admiſerunt:

*—— nam equidem Athenis antidhac*
*Numquam adueni.*

Et quid igitur ego moneam, emendandum *Athenas*? Simile prorſus eſt quod ſtatim:

*— nam olim cum abijt, argento hic dies*
*Præſtituta eſt.*

Vel *hæc* ſcribendum, vel *Præſtitutuſt*: ſed magis illud. Porrò:

*HA. Si quidem hercle etiam ſupremi promtas theſauros Iouis*
*Tibi libellam argenti nunquam credam, dum tu ſtrennuas.*
*PS. Res erit ſoluta. HA. nunc iam potius ſic ſeruauero.*

Video retentare quoſdam à Gulielmio noſtro damnatum verbum *ſtrennuas*: quod ſi teneri planè debet, debet aliter perſona Pſeudoli collocari, vt is iunctim iſta loquatur: *PS. dum tu ſtrenuas. Res erit* (vel *erat*) *ſoluta*. Dum negādo ita ſtrenuum hominem te oſtentas, interim poteſt res aut iam potuerat ſolui. *Promtes* etiam ibidem liber bonus non malè legit. Sequitur:



Digitized by Google

*HA. Verba multa facimus, herus ſi tuus domi eſt, quin prouocas,*
*Vt id agam, quò miſſus huc ſum. PS. quidquid eſt nomen tibi,*
*Si intus eſſet, euocarem.*

Sic iam accipere neceſſum hoc eſt, quaſi de nomine ſuo quæſitus Pſeudolus non dignetur de alterius viciſſim interrogare. At hoc putidum eſſe, tum per ſe, tum quia paullò pòſt rogat, omnes ſentiunt. Aberrauit hîc quoque perſona, quam in ſuum locum reduco:

*Vt id agam quod miſſus huc ſum, quidquid eſt nomen tibi,*
*PS. Si intus eſſet, euocarem.*

Pſeudolus Syrum ſe vocari dixerat interrogatus: cum faſtidiẽs militaris homo, quodcunq; tibi nomẽ eſt, inquit, herum ipſum foras prouocato, vt cum eo rem meam agam. nam tecum iam multa facio verba fruſtrà. Scripſi etiam *quod miſſus huc ſum*, vt alicubi inueni. *Quod* enim, propter quod. Statim non ſententiæ, ſed verſus cauſſa particulam *me* inſeres ex antiquis:

*Reddere hoc, non perdere, herus me miſit. nunc certè ſcio.*

Propius finem:

*PS. Tuo arbitratu maximè. HA. nam vt laſſus veni de via,*
*Me volo curare. PS. ſanè ſapis, & conſilium placet.*

Scribes & diſtingues:

*PS. Tuo arbitratu, maximè. HA. nam vt veni, laſſus de via*
*Me volo curare.*

Hæc ad illarum primam. In alteram leuiora nunc vide.

*Iam inſtituta, ornata, cuncta in ordine animo vt volueram*
*Certa deformata habebam.*

Verborum ordo melior ſit, *cuncta ordine in animo*, vel *cũcta in animo ordine*: ne *in* iungatur cum *ordine*, ſed *animo*. Deinde:

*Benè vbi quod conſilium diſcimus accidiſſe, hominem catum*
*Eum eſſe declaramus: ſtultum autem illum, cui vertit malè.*

Durum videtur, *conſilium benè accidiſſe*: certè vſitatius, *cecidiſſe*. Tamen *accidere* etiam in euentu, vt Terent. Andr.

*Hoc incertum eſt quorſum accidat.*

Atqui & pro *diſcimus, ſcimus* vel *reſcimus*. Ibidem:

*Euge par pari. aliud autem quod cupiebam contigit.*

Quis hoc mutare auſit? At qui fuerunt auſi iſtud vetus?

*Euge pa! porro aliud autem quod cup. cont.*

Nihil dico, niſi vtrumque alteri certare: victoriam autem in hoc noſtrum inclinare. Neque in iſtam plura. Tertia in hoc ordine eſt *Dulcia atq; amara:* Vulgatur ibi:

*PS. Magnificè hominem compellabo. CA. cuia vox ſonat? PS. io io.*
*Te te te tyranne, te rogo, qui imperitas Pſeudolo*
*Quæro.*

Tergeminandum verſu primo, *io io io*: quando in omnibus ternario numero ſic paratragœdiatur. At quod Gulielmius altero *ter*

egoſ. ciebat, ni meri admiſerint ægrè. *Te rogo* tamen etiam non admodum probarim: ſed neque amici coniecturam, *.ex regis qui imper. Pſeudolo* quamquam exſultanti ac triumphanti ſeruo iactatio talis haud aliena. Mox:

*CA. Illic homo eſt. vt paratragœdiat carnifex? CH. confer gradum*
*Contrà pariter.*

Confuſas hîc etiam perſonas è libris liquet, & ſenſu. Repono:

*CA. Illic homo eſt. CH. vt paratragœdiat carnifex! CA. conf. gr.*

Calidorus ad ſeruum ſuum adhuc omnia, cui Charinus ignotus ipſi ignoto. Quia inter alias cauſsâ peſſimè deinceps quoque Charini perſonam ſuppoſuerunt vice Calidori: quod peccatum in aliis aliiſque libris crebrius aut rarius, in omnibus aliquoties, ſæpiſſimè in Douſianis. Atque operæ pretium eſt hîc locum integrum prolixius aſſcribere ad id exemplum, quo perſonis diſtingui plane debet.

*CA. Dic vtrum Spemne an Salutem te ſalutem Pſeudole?*
*PS. Imò vtrumq. CA. vtrūq. ſalue. ſed quid actū eſt? PS. quid times?*
*CA. Attuli hunc. PS. quid attuliſti? CA. adduxi volui dicere.*
*PS. Quid iſtic eſt? CA. Charinus. PS. euge iam **
*CH. Quin tu quidquid opus eſt, audacter impera. PS. iam gratiam.*
*Bene ſit, Charine, nolo tibi moleſtos eſſe nos.*
*CH. Vos moleſtos mihi? moleſtum eſt quidem. PS. tum tu igitur mane,*
*CA. Quid iſtuc eſt? PS. epiſtolam modo hanc intercepi & ſymbolum.*
*CA. Symbolum? quem ſymbolum? PS. qui à milite allatus eſt modo.*
*Eius ſeruo qui hanc ferebat cum quinq. argenti minis,*
*Tuam qui amicam hinc accerſebat, ei os ſubleui modo.*
*CA. Quomodo? PS. horum cauſſa hæc agitur ſpectatorum fabula.*
*Hi ſciunt, qui hic aſſiterunt, vobis pòſt narrauero.*
*CA. Quid nunc agimus? PS. liberā hodie tuam amicam amplexabere.*
*CA. Egone? PS. tute, ego ipſus inquam, ſi quidem hoc viuet caput.*
*&c.*

Hæc perſonarum formula ſit vniuerſim: de verbis quædam etiam nunc dicemus. Tertius iſtorum verſus cum quarto defecto, ſic è veſtigiis priſcis debeat fortaſſe ſcribi:

*CA. Attuli hunc. PS. quid? attuliſti? CA. adduxi, volui dicere.*
*PS. Quis iſtic eſt? CA. Charinus. PS. euge! iam χαίρειν χάριτον volo.*

Ludit in Charini nomine, quem valere & miſſum fieri vult, nō vſui nunc illi, cui ſupra iuſſerat eiuſmodi hominem inueniri. Sequentium duorum fractus etiam alter, etſi minus apparet. Vtrumque concinnandum ſic puto:

*CH. Quin tu quidquid opus eſt audacter imperas. PS. bene: ſit tamen*
*Gratia eſt Charine. nolo tibi moleſtos eſſe nos.*

Verba traduxi leuiter & correxi, quod vtrumque ſententia perſuaſit. *Bene* & *Gratia eſt* N. Douſa pater explicabit tibi, quem adibis. Proximo, inſertâ è veteribꝰ particula legendum, *moleſtum eſt id quidem.*

Sic enim magis ſenſus eluceſcit. Id ipſum ſolum erat ei moleſtum, quòd excuſarent, & uti eius opera, ne moleſti eſſent, recuſarent. Vltimo, videantur etiam perſonæ ſic variandæ:

*CA. Egone? PS. tute. CA. ego? PS. ipſus, inquam.*

Sed verius eſt, abſque illa variatione voculā vnam corrigi: *PS. tute ergo ipſus inquam.* Poſt hæc, illa verba:

——*CA. ſi ſeruos eſt, Numquid refert?*

quid ſi Charino potius dentur? Hic enim quia paratum habebat hominem talem ſed ſeruum quod ex ſequentibus ſtatim perſpicitur, eò prius aptè & cautè quærat, an ſeruum eſſe quidquam interſit. Porrò locus iſte fuit à magno Lipſio & Grutero diligenter poſt alios excuſſus, omniumque veriſſimè emendatus, tum explicatus.

*Sed iſtic ſeruus ex Caryſto hic qui aduenit, qui ſapit?*

*CH. Vſq; à cunabulis. PS. manuleatam tunicam habere hominē decet.*

A quibus ego nōn abeo, niſi in ipſis verſibus verbiſque paullò aliter conſtituendis. Numeri ſic enim poſcunt, quibus ſententia nec impeditur ſed iuuatur:

*Sed iſtic ſeruus, ex Caryſto qui huc aduenit uſque, quid ſapit?*

*CH. A cunabulis. PS. manul.*

Etiam ſtatim numeri nutant:

*PS. Quid ſi opus ſit, ut dulce promat indidem ecquid habet?*

*CH. Rogas? murrhinā, paſſum, deſrutum, melinam, mel quoiuſmodi.*

Vox prima verſus alterius appendenda fini prioris, quod veteres ipſi libri præeunt, & particella *tum* alteri inſerenda:

——*ecquid habet? CH. rogas?*

*Murrhinam, tum paſſum, deſr.*

## CAPVT VI.

*Miniſterijs, negotijs præfulciri. Si erit coquus, Si homo eſſes. Drachmâ, nummo, aſſe. gratuitò eſſe. Numerus ſingularis pro plurali, & contrà. Cum aliquo tenere, captare, orare, obſecrare. Prouorſus, prorſus, & cognatæ voces. De tractatione loci vnius, plurium alia correctione, dubiâ quorundam ſententiâ, & loci explicatione variè diſceptatum. Verſus vnius in Varrone diuerſa ſcriptura monſtrata.*

PErgo ad alias: & quarto, quid in illa, *Cui ſeruitutem ſit, miſerijs præfulciri.*

*Velut hæc mihi euenit ſeruitus, vbi ego omnibus*

*Paruis magniſq; miſerijs præfulcior.*

Mirūm verò, ni emendādum *miniſterijs*. Nā & id conqueritur puer, omnia in ipſum miniſteria imponi, & Plauti lepidiſſima phraſis eſt, miniſteriis vel negotiis aliquem præfulcire. Perſæ initio:

*Quin mihi imperet, quin me ſuis negotijs præfulciat.*

quem locum optimè contra alios, qui *præfulciat*, id eſt *præſtiat*, imprudentes

prudenter mutabant, Gulielmius defendit & eruditè illuſtrauit. Iam in ſequenti verum, ſenſus duplex poteſt illorum eſſe:

*Sed cur ſedebas in foro, ſi eras coquus*
*Tu ſolus præter alios?*

Nam vt nunc diſtinguitur, coquũ ſolum præter alios, præſtantiſſimum intelligeretis. At ſi comma poſt ipſum *coquus* colloces, exorietur alia locoq; aptior, vt mihi videtur, ſententia. Quæritur enim, cur ſolus præter alios in foro deſederit: atq; id reſpondetur,

*Hoc eg. ſum hodie ſolus obſeſſor fori.*

Seorſim igitur accipienda verba, *ſi eras coquus*, elegantiſſimo quoque ſenſu. Sic nempe hoc dicitur, vt vulgatius iſtud, *ſi eſſes homo.* Subſequitur mox:

*Illi drachmis iſſent miſeri. me nemo poteſt*
*Minoris quiſquam nummo vt ſurgam ſubigere.*

Omnium hic optima N. Douſæ mihi lectio ſit, *Illi drachma iſſent*, niſi magis amorem an iudicio in Gulielmii noſtri inclinarem. *Illi drachmis ſunt.* Mouet honeſtiſſimum loquendi genus, cuius vni, quod ipſe dat, exemplo paucula hæc ſuperaddo. Tullius Diuinat. in Verr. *Cum eſſet tritici modius HS. II. pro frumento in modios ſingulos duodenos ſeſtertios exegiſſe.* Varro: *Aſſe vinum, aſſe pulmentarium eſt. Eas, quò natura aurigatur neceſſitudo.* Sic enim eum locum poſt alios emendatum volo. Ac ad hanc formam Plauti iam quoque Ciſtellariâ legerim, Sc. *Niſi quid:*

*At pol ille quidam, mulier, in nulla opera gratuito eſt.*

De cetero, volebat & altero verſu quidam amicus meus mutare:

*Minori quì, quàm nummo, vt ſurgam, ſubigere:*

cui rectum vulgatum non poteram perſuadere. Verborum tamen hic ordo ſententiam eandem facit: me nemo quiſquam ſubigere poteſt, vt ſurgam minoris nummo, ſeu quàm nummo. Poſt multa, in ioco iſto elegante, qui pridem ab aliis explicatus:

*CO. Vbi omnes patinæ feruent, omnes aperio.*
*Is odos demiſſis pedibus in cælum volat.*
*Eum odorem cœnat Iuppiter quotidie.*
*BA. Odor demiſſis pedibus? CO. peccaui inſciens,*
*BA. Quid eſt? CO. quia enim demiſſis manibus volui dicere.*

traductio verſiculi vnius poſſit vſurpari, quã indicabo ſaltem ego leuiter, non & audacius approbabo:

*CO. Vbi omnes patinæ feruent, omnes aperio.*
*Is (ſ. Ibi) odos demiſſis pedibus in cælum volat.*
*BA. Odor demiſſis pedibus? CO. peccaui inſciens.*
*BA. Quid eſt? CO. quia enim demiſſis manibus volui dicere.*
*Eum odorem cœnat Iuppiter cottidie.*
*BA. Si nuſquam is coctum, quidnam cœnat Iuppiter?*
*CO. It incœnatus cubitum.*

Aptam eſſe, nec indignam, de qua monuerim, quiuis intelligit.

Ac vulgaris ordo quamquam tueri ſe ſanè poteſt, fortè malet tamen huic nouitio concedere, ſi ſollicitetur: quod ego me non facturum antè dixi. Deinceps:

*Siquò hic gradietur, pariter progrediminor.*

Adnota pro ſingulari numero pluralem, quia facie iſta minus vſitatus, niſi Plauto: cuius & Epidico extremâ:

*PE. Cedo manus igitur. EP. morantur nihil. atq; artiùs colliga,*
*Nihil verò obnoxiosè. PE. facto opere arbitraminor.*

Contrà pro plurali ſingularis, qui multo minus vſitatus, eâdem tamen Epidico à noſtro:

*AP. Non edepol faciemus. EP. imò ſi placebit, vtitor*
*Conſilium: ſi non placebit, reperitote rectius.*

Etſi Lambinus illìc damnabat, & *vtiminor* inuitis verſus numeris reponebat. Ibidem porrò:

*CO. Habe modò animum bonum. BA. quæſo, qui poſſim doce*
*Animum habere, qui te ad me adducam domum.*

Verſus & ſententia corrigi iubent:

*CO. Habe modò bonum animum. BA. quæſo, qui poſſim doce*
*Animum bonum habere, qui te ad me adducam domum.*

Paucis interiectis:

*Sed vtrum amicis hodie an inimicis tuis*
*Daturus cœnam? BA. pol ego amicis ſcilicet.*
*CO. Quin tu illos inimicos potius quàm amicos vocas.*

Quæ ratio eſt, vt inimicos potius appellet? Quæ quidem ſubiungitur, in aliam mentem it, quaſi coquus non amicos, ſed inimicos vocari voluerit ad ſuam cœnam. Cum, inquam, amicos ſe vocaſſe Ballio diceret, ille potius inimicos inuitari iubet: quia conditurus ita cœnam ſit, vt digitos ipſi ſibi prærodant ſuos: quæ pœna magis fuerit in hos, quam beneficium aut officium in illos. At huic tam accommodato ſenſui ſola repugnat *illos* particula: quæ mutetur *illo*, an eiiciatur rectius, haud dum ſtatui mecum. nec alterutrum igitur attento. Denique ibidem leuiſſimum eſt, quod non omitto:

*Ita in ædibus ſunt fures, prædo in proximo eſt.*
*Iam à me hic vicinus apud forum paullo prius &c.*

Melior orationis ſententiæque nexus, *Nam à me hic.* Scenâ *Si vnquam*:

*Dedit verba mihi hercle, vt opinor, malus cùm malo ſtultè caui.*

Aſſirmo legendum, vt in vetuſtioribus excuſum, *malus cum malo ſtultè caui.* Cauere cum aliquo, locutio Plautina, quæ Moſtellar.

*Hercle mihi secum cauendum eſt, nimiſquam es orator catus.*

Ad quã fabulam & *captare cum aliquo* ſic firmaui: ſuntq; alia multa generis huius apud Comicos obuia. Ex illis frequentiſſimum, *cum aliquo orare*: quo exemplo Titinnius Fullonia:

Perij

*Perij hercle verò. Tiberi nunc tecum obſecro,*
*Vt mihi ſubuenias, ego te maialis fuam.*

Poſt multa: ——— *PS. qui poteſt? SY, occidis me,*
*Cum iſtuc rogitas. PS. ô hominem lepidum, te quoq; etiam dolis,*
*Atq; etiam mendacijs. Iuppiter te mihi ſeruet.*

Non video, ſententiæ quid illis verbis intermediis ſubſit, *te quoque etiam dolis Atque etiam mendacijs*: maximè, quoad Pſeudolo tribuuntur. Nam ſi Simiæ Sycophantæ; poſſis interpretari de mutua laudatione: te quoque etiam ſcilicet hominem lepidum dolis ac mendaciis. Etſi longè etiam alia tum non ſit abſurda explicatio, ſi dicas, hoc Simiam velle eâdem ellipticâ oratione: te quoque ipſum ita fecerim dolis mendaciiſque, vt eſſe te eum, qui ſis, neges: quod quidem iam iam promiſerat aduenæ militari ſe facturum:

*Sic ego illum dolis atq; mendacijs in timorem dabo*
*Militarem aduenam, ipſe ſeſe vt neges eum eſſe qui ſiet.*

Hoc, an illud malueris, ſi volueris tamen alterum; perſonas ipſe tibi coaptato. Deniq; ſi prius arriſerit magis, & laudationem mutuam acceperis, erit eadem in ſequentibus etiam verbis;

——— *PS. Iuppiter te mihi ſeruet.*
*SY. Imò te mihi.*

Nam *te* inſeritur in eam ſententiam aptè: quamquam in longè aliam alibi ſcio me retuliſſe, cum ad Menæchmos agerem de particulis *Mihi, Tibi*, in quibus more peculiari Plautus interdum argutatur. Sed hæc nunc, vt fatear, mihi quidem magis probetur, conſpirantibus ſic verbis in alternam collaudationem & beneprecationem. Reliqua verſus huius verba ſincera minimam tamen quãdam admittunt mutationem, vix animaduertendam: *ſed vide ornatum hic ſatiſne condecet?* In propinquo:

*— nam ſi exoptem, quantum dignus, tantum dent*
*Minus nihilo eſt.*

Fortè *quanto dignus.* etſi non exegerim hanc antiquitatem ſtrictè ad noſtrorum canones grammaticorum. Ambiguitas deinde leuis iocum parit nec ipſum magnum, iocum tamen, & eum Plautinum:

*SY. Niſi effecero, cruciabiliter carnifex accipito.*

Nam *accipito* perſonæ ſecundæ & tertiæ eſt: dumque hac carnificem imprecatur ſibi, ſimul illâ carnificem ipſum Pſeudolum appellat. Verſus vltimus:

*Non prorſus, verùm ex tranſuerſo cedit, quaſi cancer ſolet.*

aliter Varronis tempore lectus fuit, ſi hunc ille deſignat lib. 6. de L. L. *Apud Plautum, Vt tranſuerſus, non prouerſus cedit, quaſi cancer ſolet.* Et deſignaſſe videtur ex iis, quæ ſubiungit in explicatione: *Dicitur ab eo qui in id quod eſt verſus. & ideo qui exit in veſtibulum, quod eſt ante domum, Prodire & procedere dicitur. quod*



Digitized by Google

*cum leno non faceret, ſed ſecundum parietem tranſuerſus iret; dixit: te tranſuerſus cedit, quaſi cancer, non prouerſus, vt homo.* Ecce de lenone verſum capit: hîc autem leno, in quem explicatio conuenit examuſſim. Et rem profectò diſertius aliquanto exprimit illa ſcriptura vetus: quamquã *prorſus* nihil prorſus à *prouerſus* iſto differt. Eadem enim ſunt, & hoc hodiernum ex altero contractum. qua forma *quorſum, horſum, aliorſum*, & ſimilia, nata ex integris *quouerſum, houerſum, alioverſum*.

## CAPVT VII.

*Scena aliquot percurſa; correctionibus, explicationibus illuſtrata. Bina præterea traiectiones in vna, ſed dubia, propoſita.*

NImis ſæpe, nimis apertè cõtra ſenſum ipſum noſtri libri peccant, quibus locis veram retinuerunt editiones illæ, quas vbique laudo, veteres ſcripturam. Vti ſcenâ *Minus malum*, quid magis vitii manifeſtum, quàm *iuſſeras* in illis?

*SY. Habui numerum ſedulo: hoc eſt ſextum à porta proximum*
*Angiportum, in id angiportum me deuorti iuſſeras.*

Et quis vel vltrò non viderit ſcribendum *iuſſerat*, quod ex antiquis omnes poterant haurire? Receſſerat enim iam à Pſeudolo. ne ad illum loqui putes: & ad eum nõ locutum, proximus, ſi nihil aliud, verſus oſtendit:

*Quotumas ædes dixerit, id ego admodum incertò ſcio.*

Maiuſculo interuallo ſcribunt omnes editiones:

*Ipſe ſum adoleſcens quem tu quæritas. SY. tune es Ballio?*
*BA. Ego enimuerò is ſum. SY. vt veſtitus eſt perfoſſor parietum?*
*BA. Credo in tenebris conſpicatus ſi ſis me, abſtineas manum?*

Et rectè ſcribunt, ſi tamen interrogationum notæ abſint extremo medioque verſu. Nam vltimo nihil omninò quæritur, nec altero ſanè quidquam. Hunc facilè quiuis ceperit; illum non vſquequaque, niſi leuiter moneatur. Verba enim Simiæ, *Vt veſtitus eſt, perfoſſor parietum*, in medio ſic diſtinguenda, id ſonant: Vt veſtitus & habitus tuus eſt, τοιχωρύχος es ſeu videris, qui te lenonem Ballionem dicis eſſe. Sola omiſſio verbuli *es* in fine, ſenſum hactenus obſcurauit, qui nunc ab interpunctione rurſus eluceſcet. Poſt aliquanta:

*SY. Accipe, hem, cognoſce ſignum. BA. ehο Polymachæroplacides*
*Purus putus eſt ipſus, noui, hem. SY. Polymachæroplacides*
*Nomen eſt. ſcio iam tibi me rectè dediſſe epiſtolam.*
*Poſtquam Polymachæroplacidæ elocutus nomen es.*

Cenſeat aliquis legẽdum: *Purus putus eſt ipſus, noui. SY. hem, Polymachæropl.* vt Simia militis nomen auditum a lenone nunc eloquatur. At ego contra perſonis verba ſic tribuo:

*Purus*

*Purus putus eſt ipſus, noui. heus. Polymacharoplacides*
*Nomen eſt. SY. ſcio iam tibi me rectè d. ep.*

Non Simia nomen profitetur heri ficti, quod antè neſcierat, ſed leno iuſſus ab eo memorare. Hic accepta epiſtola ſignum cognoſcens, militis imaginem agnoſcit: & quaſi ſecum iſta primò, *ehò Polymacharoplacides purus putus eſt ipſus, noui*: tum ad Sycophantam, *heus. Polymacharoplacides nomen eſt.* Atque ibi ille, Iam poſtquam nomen es hoc elocutus, inquit, rectè tibi datam epiſtolam ſcio: Sic enim callidus & aſtutus nebulo, pæne in mendacio deprehenſus, explicabat ſe præter ſpem Pſeudoli, cum de nomine interrogatus interrogaret vltrò captator improuidum Ballionem:

*SY. Noſce imaginem, tute eius nomen memorato mihi,*
*Vt ſciam Ballionem te eſſe ipſum.*

Scenâ *Ne plora.*

*PS. Quid tu intus quæſo deſediſti tquàm diu*
*Mihi cor retunſum eſt oppugnando pectore?*

Legas rectius:

*PS. Quid tu intus quæſo deſediſti tam diu?*
*Mihi cor retunſum eſt opp. pectore.*

Scenâ *Haha*, vel vt veteres. *Baba:*

*Mihi lubet nunc venire Pſeudolum ſcelerum caput.*

Verſus grauatur, nec ſenſus deſiderat, quod iidem veteres omittunt initio, *Mihi*, quocircà deleatur. Ex hac autem ſcenâ, fuit, cum primum verſuum illorum:

*Conceptis hercle verbis ſatis certò ſcio*
*Ego periurare mauellem me millies.*
*Quàm mihi illum verba per deridiculum dare.*

argutâ nimis & ſuperuacuâ diuinatione transferrem in ſcenam proximam, & collocarem iſto loco:

*SI. Nullum periclum eſt, quod ſciam, ſtipularier.*
*BA. Conceptis hercle verbis ſatis certò ſcio.*
*SI. Vt concepiſti verba, viginti minas*
*Dabin'? BA. dabuntur.*

Quod non quia placeret etiamnum mihi, poſui: quamquam diſplicere qui poſſit omninò? ſed vt faterer ipſe, lubricas aliquando & incertas has traiectiones: quibus indulgere nolo tamen, nec indulſi vſquam abſque certa ratione. Hic quidem loco ſuo verſum relinquo: ſed aptum & altero per luſum oſtendo. quod eleganti nulli ingenio erit ingratum. Neſcio enim quid iucunditatis percipitur ex iſta quoque inani contemplatione: qua videbis, abeſſe, quamquam non debet, poſſe tamen illo veteri loco: ſic autem conuenire iſti nouo, vt neque, ſi legeretur hîc ab antiquo, alienum eſſe; neque, niſi iam legeretur illic, illò pertinere ſuſpicio cuiquam vlla ſuboriri poſſe videatur. Sed in quam ſcenam aliena

non temerè introducimus, in ea propria ſi quæ ſunt, conſideremus. Et ſunt quidem, ſed tam parua quam pauca. Verſu:

*Si ille hodie illa ſit potitus muliere.*

fac è priſcis *Si illic.* Pudet iterare, quod tam ſæpe ſuprà dictum, idem vtrumque vbiq; eſſe, ſed hoc vetus, cui nouum ſuppoſitum, a numeris alicubi poſtulari. Deinde pariter è priſcis inſere, volente verſu:

*Meminiſtin' obſecro tibi me dudum dicere.*

Nam *obſecro* ni adſit, ille non eſt plenus. Statim:

*S I. Memini. B A. hem illius ſeruos hic ad me argentum attulit,*
*Et obſignatum ſymbolum. S I. quid poſtea?*
*B A. Qui inter me atq; illum militem conuenerat,*
*Is ſecum abduxit mulierem haud multo prius.*

poſſiſne ferre traiectionem huiuſmodi?

*Et obſignatum ſymbolum, conuenerat*
*Qui inter me atq; illum militem. S I. quid poſtea?*
*B A. Is ſecum abduxit.*

Certè duriter interponitur particula prioris narrationis interrogationi reſponſionique nouæ. Nam omninò quidem ad ſymbolum referenda verba, *Qui inter me atq; illum militem conuenerat*; non ad ſequentem verſum, vt accipias, tanquam homo etiam certus inter eos is conuenerit, qui mulierem abduxit. id quod manifeſtiſſimè falſum. Atq; eò, ſi feras tamen verborum ordinem vulgatum, quem nec ego penitus reiicio, verſus poſteriores interpunctione aliâ diſterminabis, ne ſenſu videantur cohærere. Denique ibidem:

*Quin iam quidem illam in Sicyonem ex vrbe adduxit modò.*

Puer, ſi videat, aut neq; videat antiquam lectionem, cogitet ipſe tamen & præferat, *abduxit*.

## CAPVT VIII.

*Niſi quid. Bilinguium. Bilinguij inter ſe prehendere. Parcipromus. Commemorare. Ioci aliquot explicati: perſonæ plures paſſim inuerſæ: continui tres verſus eiecti; verba quadam traiecta. Multa alia aliter emendata, ſubinde interpretata.*

QVando ſumſimus hoc nobis, vt neque tenuia negligeremus, ſi ſententiam peruerterent aut impedirent; notabitur hoc quoque S C. *Malus & nequam.*

*Sed tu bone vir flagitare ſæpè clamore in foro,*
*Cum libella nuſquam eſt, niſi quod leno hic ſubuenit tibi?*

Nam interrogationis hîc adiecta nota nonne vel obſcurat ſenſum vel exſtinguit? Aufer, & *niſi quid* etiam ſcribe, de qua locutione ſuprà mihi ad Moſtellariam plura dictum. Iocum deinde nimis conſpicuum non vidit tamen Lambinus iſtic:

*S I. Heus memento ergo dimidium iſtinc mihi de præda dare:*

[illegible] *Commu-*

*Commune iſtuc eſſe oportet. B A. quid, malum? id totum tuum eſt.*

Sanè interiectiua quaſi particula eſt *malùm* in indignatione ſolennis, ſed & nomen ſimul, damnum & cruciatum notans. Dumque hoc dicere videtur: quid adeò commune lucrum iſtuc poſtulas? totum id quidem, eſt tuum; illud interim dicit: quid commune tibi poſtulas mecum? malum? id verò totum tuum erit, nec mihi partem inde peto. Quod monui, ne fugeret eos, qui Plautum ex illis tantùm Commentariis intelligunt, ſi quid inde tamen, quod eſſe perparum oportet, intelligunt rectè. Mox perſonas aberraſſe à verbis puto, an verba magis a perſonis:

*Quam mox mihi operam das? S I. tibi do equidem. B A. quid nunc mihi es auctor Simo?*

*S I. Exploratorem hunc faciamus ludos ſuppoſititium.*

*B A. Adeo donicum ipſus ſe, e ludos fieri ſenſerit,*

*Sequere, quid ais?*

Puto aberraſſe? imo ſcio. Quid enim, obſecro, leno Simonis operam poſtulet, qua vtebatur, vt illum quidem etiam reſpondere fecerunt? Nugæ eæ ſunt. Harpax, à quo leno ſeceſſerat ad Simonem, impatiens moræ, quærit an tandem operam ſibi ſit daturus. cui reſpondet is, ipſi dare ſe iam quidem: quippe qui illum ſenem aduocet etiam in rem præſentem; quod paullo antè cum venia ipſius ſe dixerat facturum.

*——B A. video. hunc aduocare etiam volo:*

*M. me modo iſtic, iam reuortar ad te.*

Scribe igitur iſta cum his perſonis:

*H A. Quã mox mihi operam das? B A. tibi do equidem. quid nunc &c.*

Sed iiſdem nec reliqua diſtribuuntur aptè, quæ tu ſic mecum ordinabis:

*S I. Exploratorem hunc faciamus ludos ſuppoſititium*

*Adeo, donicum ipſus ſeſe ludos fieri ſenſerit.*

*B A. Sequere. Quid ais? nempe tu illius ſeruos es?*

Interuallo magno magnum facinus factum: Repetiti tres continui verſus, qui ſuperius hac ſcenâ leguntur iidem:

*Edepol hominem verberonem Pſeudolum, vt doctè dolum*

*Commentuſt? tantundem argenti quantum miles debuit*

*Dedit huic, atq; hominem exornauit, mulierem qui abduceret.*

Sequuntur optima ſerie, locoq; planè ſuo, poſt illum verſum:

*S I. Quid iam? B A. an neſcis quæ ſit hæc res? S I. iuxta cum ignariſſumis.*

*B A. Edepol hominem verb.*

Hic autem non commodè hercle iterantur; & quia paucis in editionibus antiquis exſtare video, non exſtare autem prorſus in optimis Colonienſi, Aldina, Florentina; fidenter exturbo, ſicque interpoſitu illorum diuulſa coniungi de integro volo, quæ profectò gaudent in vnum coire denuò liberata importuno alienorum interuentu diutinaq; interpellatione:

*B A. Meo tu epiſtolam dediſti ſeruo? cui ſeruo? H A. Syro.*

Digitized by Google

*B A. Non confidit, ſycophanta hic nequam eſt, nugis meditatur malè.*
*Nam illam epiſtolam ipſus verus Harpax huc ad me attulit.*
*H A. Harpax ego vocor &c.*

Qui defendere contra nos iterationem vulgatam molietur, tam erit ipſe, quam illa eſt, ineptus. Porrò verſu:

*Tu, quæ facie fuit dudum cui dediſti ſymbolum?*

Scribe *fuuit*, de quo ſimilibuſque prius. Hunc qui ſequitur, ei præponere Harpacis nomen in editione Douſica neglexerunt: quod vitium in eadem crebriuſculum nec indicaui vbiq;, nec indicabo, ne & inſectari illam prorſus optimam videar, & quia corrigi ex aliis facillimè poteſt. Iterum perſonæ ſtatim videntur aliquantulum turbaſſe:

*Magnis pedibus. S I. perdidiſti poſtquam dixiſti pedes.*
*B A. Pſeudolus fuit ipſus. actum eſt de me. iam moriar* Simo.

Sanè cum veteribus ita diſtinctum malim:

*S I. perdidiſti poſtquam dixiſti pedes:*
*Pſeudolus fuit ipſus. B A. actum eſt de me.*

Sed iterum ſtatim non videntur, ſed omninò turbarunt, ac grauiter, eædem:

*S I. Hercle haud te ſinam emoriri, niſi argentum mihi redditur.*
*Viginti minæ. H A. atq; etiam mihi aliæ viginti minæ.*

Contrà mutandæ ſunt:

*H A. Hercle haud te ſinam emoriri, niſi argentum mihi redditur,*
*Viginti minæ. S I. Atq; etiam mihi aliæ viginti minæ.*

Nam repoſcit Harpax heri ſui nomine viginti minas, quarum quinque ipſe nunc, quindecim herus dederat iam antè. Repoſcit autem prior, ac poſt eum exemplo illius ſenex Simo viginti alias, quas erat inſtipulatus. Argumenta & alia, & præcipua duo ſunt huius collocationis. Scriptum enim *redditur*, quod verbum Harpaci conuenit magis. Dein proximæ flagitationi reſpondet leno: reſpondet autem ſenis. ſenis igitur flagitatio poſterior. Scena *Quid hoc?*

*An id vultis vt me hic iacentem aliquis tollat?*

Simile Moſtellar.

*Iacentes tollet poſtea nos ambos aliquis.*

Sed ad vitia: quorum illud vnum certò credo:

*Vbi alter alterum bilingui manifeſtò*
*Inter ſe prehendunt.*

Nec enim vel *bilingui*, vel *bilingues* conuenit admodum verbis, etſi ſententia ſatis clara. Nam quis dici non ſentit, quod alias ſolet, de duplici lingua beſtiæ proſerpentis? Equidem meo animo legatur elegantiſſimè *bilinguij*. Iam & iocus in phraſi: *alter alterum bilinguij manifeſtò inter ſe prehendunt*. Prehendere aliquem manifeſtò criminis aut rei alicuius, eſt, in ipſa re coram deprehendere: quam locutionem defendimus & aſſeruimus ad Bacchides illuſtribus exemplis.

emplis Amator autem & amica cum oſculantur & καταγλωττίζωσι, vterque alterum manifeſtò deprehendunt duplicem habere linguam. & id lingua inter ſe deprehendunt, qua ipſa inter ſe prehendunt. Non potuiſſe videtur mihi, ſi voluerit etiam, venuſtius hac in re loqui poeta. Poſt pauca:

*Non enim parce promi victu cetero, ne quis me roget.*

Scio, infinitiuos præcedere ad hoc exemplum multos: ſed id me non abſterret, quin ſcribendum vna voce hic cenſeam *parcipromi*. ſubintelligitur, fuimus. Ipſa vox vnice Plautina. Truculento:

*Sed iſti, qui cum geritis ſuis belligerant, parcipromi.*

Penultimo ſcenæ verſu:

*Nunc ab hero ad herum meum maiorem venio fœdus commemoratum.*

*Fœdus* ſtipulatio eſt: *commemorare*, valet commonefacere, in memoriam reducere, vt Nonius id verbum explicat binis M. Tullii exemplis: quorum alterum prorſus ineptum, prius vix aptum interpretationi: ſolum hoc Plauti aptiſſimum, quod non adduxit. Adduxi autem & notaui hic ego, ne quis id vulgari ſenſu capiens, *fœdus* in [illegible] commutet, quod vidi iam aliquem tentare. Scenâ vltimâ variè ſcribitur iſtud:

*P S. Cur ergo me affiictior? S I. quid tu (malum) ergo in os mihi ebrius irructas?*

Veteres *Cur ego me afflictem.* Cenſeam verum, *P S. Cur egomet afflictor?* In eadem penitiore, traiectio verborum facta eſt, quam è ſenſu non difficulter odoreris:

*S I. Credo equidem poteſſe te, ſcelus, Maſſici montis vberrimos quattuor*

*Fructus ebibere in hora vna. P S. hiberna addito. S I. ſed dic tamen. P S. haud malè*

*Mones. S I. vnde onuſtam celocem agere te prædicem? P S. cum tuo filio*

*Perpotaui modo.*

Dico, & edico reponendum, extritâ etiam perſonâ:

*——P S. hiberna addito. S I. haud male mones.*

*Sed dic tamen, vnde onuſtam celocem agere te prædicem?*

Cum de hiberna hora ſeruus ſubiecisſet, haud malè monere eum ſenex ait: ſed iubet porrò dicere, vnde ſic veniat probè ſaburratus. In antiquis aliquot hæc verba, *dic tamen*, *haud male mones*, omiſſa ſunt: quod haud aliunde credendum eſt, niſi per hanc traiectionis occaſionem. Sequitur è veſtigio:

*——Sed Simo, vt probe tactus Ballio eſt? quæ tibi dixi*

*Effecta reddidi. S I. derides? peſſimus homo es. P S. mulier hæc*

*Facit, cum tuo filio libera accubat. S I. omnia vt quidquam egiſti, ordine*

*Scio.*

Quid *mulier hæc facit?* accubat ſcilicet. Sed quid hoc locutionis?

[illegible]

An verò id facit, vt peſſimus is homo ſit? Nec hoc placeat. Arbitror emendandum:

*——P S. mulier hæc,*
*Feci, vt cum tuo filio libera accubet.*

Deinde certè cum veteribus ſcribendum: *S I. omnia vt quidq; egiſti:* non *quidquam:* vel adeo inde, *quidq; iam.* Deinceps eſt:

*——onera hunc hominem atq;*
*Conſequere hàc. S I. ego iſtum onerem? P S. onerabis ſcio. S I. quid ego huic homini faciam?*
*Statim vltrò & argentum aufert & me irridet. B A. væ victis.*
*P S. verte ergo humerum,*
*Hem. B A. hoc ego nunquam ratus ſum fore.*

Quiſquamne dubitabit, & hìc veteres ſequendos? in quibus diſertè:

*Satin' vltrò & argentum aufert & me irridet?*

ſed ibidem, quod indidem non haurias, non Pſeudoli verba ſunt, ſed Simonis, *verte ergo humerum.* Iuſſerat onerar ſe ſeruus, argento ſcilicet, iſtis ex ſtipulatione debitis viginti minis: & cum non aliter poſſit ſenex, oneraturus eum, iubet nunc viciſſim, aduortere ſibi humerum, vt pecuniam imponat. Alius non eſt verborum ſenſus opportunus vllus: quibus igitur perſonam ſenis, eras à Pſeudoli, præſcribes. *Hem* vel ſerui humerum vertentis eſſe poteſt, vel heri argentum in collo collocantis. Iſto verſu:

*B A. Non audes quæſo aliquam partem mihi gratiam facere hinc argenti?*

Scribito *facere hinc.* itemque ſequenti ſtatim:

*P S. Noui, me dices auidum eſſe. nam hinc nunquam eris nummo diuitior.*

Ita veteres hoc poſteriore, non *hoc,* vt in noſtris malè. Poſtremò illi:

*B A. redeo. P S. ſimul mecum potatum. B A. egone eam?*

inſerendum fortaſſis, *i ſimul mecum.* Atque ita iam & Pſeudolus à nobis abſoluta.

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI POENVLVM

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

Nobiliſſimum Virum

ANDREAM HANNIWALDVM AB ECKERSDORF, IN PILSNITZ ET ROTSIRBA, Sac. Cæſ. Maj. à conſiliis & ſecretis aulicis.

*SI quid eſt, quod in hoc publico literarum antiquiorum contemtu, qui in doctorum paſſim vulgus quaſi gangrana quædam aut ἐπιδήμιος morbus hodie ſerpit ac ſe latius indies propagat, cum ab ipſarum dulcedine numquam illis deguſtata & præſtantiâ non intellectâ diſceſſi, me conſolatur; illud eſt vel vnicum vel præcipuum, quod eaſdem amari tamen inq; pretio haberi à magnatibus quibuſdam video, maximeq; in Auguſtâ Cæſ. Maieſtatis Aulâ, vbi & in publicum ſtatui ipſis, & ſolui ſæpe cultoribus earum eximia honorum præmia, & priuatim eruditos ex hoc genere vel beneficiis ornari, vel humanitate tamen foueri ſingulari, poteram ferè dicere, experior de meo, ſed adhuc malo modeſtius, ſcio; vt certè magis adhuc ſcio, de aliorum exemplo. Sunt tamen inter Aulæ proceres vnus atq; alter etiam tum mei, quod mihi gaudeo, amantes, & ad ſtudia mea, quod ipſis literis, quas colo, gratulor, ornanda valdè proni. quibus annumerare te quoq;, Vir Nobiliſſime, poſſum deinceps ex nupero congreſſu & ſermone inter nos pleno humanitatis, & qui ſta-*

*tim mihi beneuolentiam videbatur à te magnam promittere, cum tu ad extremum vltrò verbis eam explicaſti diſertiſſimis, nec minore doctrinæ, quàm leporis ingenui cuiuſdam ſuauitate conditis, operam inſuper tuam ad commoda quæuis mea prolixè pollicitus: vt animo prorſus exhilarato, & in ſpem eius quod tum quærebam, erecto diſcederem à te, gratus quidem pro tempore tibi actis, & ſtudiis viciſſim meis obſtrictis, ſed quarum illas tamen diſertius & clarius demonſtrandas, hæc arctius certiusq; deuinciendā, vtrorumq; monumentum aliquod ac pignus obnoxio mihi parandum arbitrarer. Itaq; tum ſtatim lucubratiuncularum mearum aliquid deſtinaui tibi, & id omninò ex Plautinis his commentationibus, quas in manibus habebam commodùm, quarumque de opportunâ in præſens, & aliarum in poſterum editione ſatagere me intelligebas. Hoc animi mei gratitudinem ſuam oſtendere cupientis indicium ac monumentum qualecunque, tum ſtudioſi in te cultus è ſtudiis ipſis meis depromtum exile quantumuis pignus affero nunc ad te, vtq; contrà gratum habeas oro, non à ſe tam æſtimatum, quàm ab auctore, quem amare cœpiſti: quamquam & illud non ſpernis ipſum propter ſe ſcriptionum genus, cui merito ſuo fauere te indicas: vt vtrumq;, me & libellum hunc, alterius inuicem nomine tibi conciliatum libentius amplectaris: nec interim verò, cum iſtas literulas minimè quidem deſpicias, reſpiciendum tibi magis putes, quo genere dignius in illo poſitus gradu dignitatis poſſis debeasq; coli, quàm quo à nobis pro noſtræ conditionis modo nunc coleris. Es tu quidem ad illa ſublimia, magnis præcipuè virtutibus tuis & rara eruditione, ſimul autem & paternis ampliſſimis meritis, quorum, viuo etiamnum patre, maximi nominis & auctoritatis viro, te heredem, & ex domeſtici imitatione exempli æmulum geris, euectus: humiliora tamen, nullâ faſtidioſus ambitione, magnâ benè compoſiti caſtigatiq; animi moderatione gratioſus, haud indigna cenſes iſtâ nunc dignatione tuâ: & ex iis illa potiſſimùm, quæ ad purpuram illam honorum concipiendam paullatim ac ſuſcipiendam à primis annis te quaſi nobilem lanam felicem medicandi in-* [illegible] *buen-*

*buendiq́ operâ præpararunt. Ea diſciplinas humaniores eſſe non diffitebere: quas igitur & agnoſces, & tuo viciſſim patrocinio ad altiora iacentes nunc paſſim promouebis: meque & cum hæc, tum reliqua mea ab iiſdem ita non aliena, vt ſint & cognata & penè gemina germana, ſimul de eadem notâ tibi patieris diligenter eſſe commendata. Quòd ſi & illud, quod me ſcis iſthinc petere, propediem, vt ſpero, tuâ etiam, vt confido, operâ impetratum, & hoc autem meum munuſculum amicè & comiter à te acceptum fuiſſe intellexero; non magis ſtudia mea beneficentiæ veſtræ, quàm ipſum me beneuolentiæ tuæ debere fatebor, neq́ committam, vt fructus minor ad te huius ex honorifica prædicatione, quàm illius ad omnes ex inſtitutis porrò ſcriptionibus meis perueniſſe videatur.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI POENVLVM

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

### CAPVT I.

*Pœnuli Periochâ & Prologo variè correcta quædam. Verſus alij aucti, in numeros alij digeſti, alij traiecti. Nonnulla & explicata.*

QVod oſtendi aliquoties alibi, periocharum verſus ex ipſis plerumque fabulis vel deſumtos integros, vel vtcunque imitatos: idem clarè liquet ex huius initio ipſo. Primus enim verſus totus iiſdem verbis omnibus è prologo deſumtus:

*Puer ſeptuennis ſurripitur Carthagine:*

quem inueniet illîc qui volet quærere. Tertius argumenti porrò:

*Et facit heredem: eius cognatæ duæ &c.*

auctior in veteribus eſt & melior, insertâ voce, *eius pueri cognatæ* quam numeri ſenſuſque cupide receperant. Et aliàs ambiguum enim erat, de quo iſtud *eius* diceretur, de ſene, an puero: neque iam hiatus admittitur: vti nec quidquam abundat, ſi Plauti conſuetudinem obſerues idem *eius* in monoſyllabum contrahendi.

Ac ſcilicet eam qui ignorarent, eos alteram vocem extruſiſſe.
Prologo ipſo quod legitur:

*Scortum exoletum, ne quis in proſcenio*
*Sedeat, neu lictor verbum aut virga mutiant.*

malè de pueris ſaltem Lambinus cepit: ſed Lipſius è veteri more prudentius explicauit. Cenſeam tamen, vt locutio ſit minus aſpera, vocales extremarum in *Scortum exoletum* ſyllabarum faſtigiatis illis apicibus inſigniendas, vt patrii caſus habeantur ex numero pluralitatis:

*Scortûm exoletûm ne quis.*

Et *quis* ad vtrumque iam ſexum referri poteſt: ſiquidem & pro *qua* vel *aliqua* Plauto frequentatur. In reliquis etiam forte mutandum,

*neu lictor verbo aut virgâ mutiat.*

Deinceps ſic legerim:

*Neue ambitionis cauſsâ extrudantur foràs,*
*Quò deteriores anteponantur, boni.*

expeditiore ſenſu, quàm ſi neglectâ diſtinctione tali *bonis* ſcribatur.
Etiam in illo:

*Nunc dum ſcriblita æſtuant, occurrite.*

rectius ad ſenſum *accurrite.* Quid autem iam illîc monſtri?

*Eius nunc regiones, limites, confinia*
*Determinabo, ei rei ego ſum factus finitor.*

Spondæus in Iambis vltimo loco? Sic eſt quidem, niſi breuis in *finitor* penultima: quod qui poſſit eſſe? Repone verborum ordinem antiquum, vt in pleriſque veteribus ſeruatur:

*ei rei finitor factus ſum ego.*

In dimenſione, *ei* & *rei* monoſyllaba ſunt: tum pedes priores duos conſtituunt verba *Determinabo ei*: vt leuiter iuuem, qui Plautinam rationem minus callent.
Sequitur:

*Sed illi ſeni qui mortuus eſt, filius*
*Vnicus qui fuerat.*

Aio inſerendum, *qui mortuuſt, ei filius Vn.* Plauti repetitio eſt *illi, ei* quam verſus hic depoſcit.
Atque ille illic porrò:

*Altera quinquennis, altera quadrimula:*

propior eſt poſcenti, quam tenuenti particulam in veteribus interiectam, *altera autem quadr.* Tum iſte,

*Huc commigrauit in Calydonem haud diu,*

malit antiquâ ſerie verborum digeri ſuos pedes:

*Huc*

*Huc in Calydonem commigrauit haud diu.*

Sit enim primogeniti, vt ſic dicam, libri ſub ipſam typographiæ infantiam nati. Sequentes etiam:

*Suam ſibi cognatam imprudens, neq; ſcit quæ ea*
*Sit, neq; eam vnquam tetigit: ita eum leno macerat.*

rectius concinnaueris:

*——neq; ſcit quæ ea ſiet,*
*Neq; eam vnquam tetig.*

Poſt deinde:

*Dat aurum, ducit, noctem rogat. poſt ibi*
*Vnde ſit, ciuis ne, captaue an ſurrupta ſit &c.*

ὕστερον πρότερον eſt. Rogatur enim prius nox, quàm ducitur. Et *rogitat* fuerit ſcribendum numerorum cauſa. An tamen ſic ordinanda verba?

*Dat aurum, noctem rogitat, ducit.*

Non arbitror: potius, ad ſequentia pertinere τὸ *rogitat*, quod & liquidò ſic ſcribunt, & iis, quibus volumus, adiungunt editiones priſcæ, poſtulante ſententià, quæ alias defecta: nihil vt dubitari debeat, quin ita reponendum:

*Dat aurum, ducit noctem: rogitat poſt ibi*
*Vnde ſit.*

Tam ducere noctem Comici dicunt, quàm velle aut rogare. Trucul.

*Si raras noctes ducit, ab animo perit.*

Hæc leuia: non nego. ſed ad finem quis traductionem mihi contemſerit, à nemine animaduerſam?

Ita ſcilicet vulgatur:

*Is hodie huc veniet, reperietq; hic filias.*
*Et hunc ſui fratris filium, vt quidem didici ego.*
*Ego ibi ornabor, vos æquo animo noſcite.*
*Hic qui hodie veniet, reperiet ſuas filias,*
*Et hunc ſui fratris filium. dehinc ceterum*
*Valete, adeſte. ibo alius nunc fieri volo.*
*Quod reſtat, reſtant alij, qui faciant palam.*
*Valete atq; adiuuate, vt vos ſeruet Salus.*

At diſiectum ordinem quis paullo attentior, ſi non videat ipſe, mihi ſaltem indicanti non aſſentiatur? Omninò reſtituendus ille hunc in modum:

*Is hodie huc veniet, reperietq; hic filias,*
*Et hunc ſui fratris filium, vt quidem didici ego.*
*Hic qui hodie veniet, reperiet ſuas filias,*
*Et hunc ſui fratris filium. dehinc ceterum*
*Quod reſtat, reſtant alij qui faciant palàm.*
*Valete, adeſte: ibo, alius fieri nunc volo.*
*Ego ibo, ornabor: vos æquo animo noſcite.*



Digitized by Google

*Valete, atq; adiuuate, vt vos ſeruet ſalus.*

Quamquam poſtremi verſus etiam diſponi poterunt aliter, & æquè benè:

*Quod reſtat, reſtant alij qui faciant palam*
*Ego ibo, ornabor: vos æquo animo noſcite.*
*Valete, adeſte: ibo, alius fieri nunc volo.*
*Valete atq; adiuuate, vt vos ſeruet ſalus.*

In primis certum eſt expellendum eum, qui ſe medium interpoſuerat: ne repetitio illa ſenſus & verborum eorundem importunè diuellatur. Vtcunque tamen de omnibus ſtatuetur; *Ego ibo, ornabor* erit prorſus accipiendum: quando vel a numeris *ibi* repudiatur.

## CAPVT II.

*Domi doctus. Macerare. Mala malitia. Verùm, verò, pro Imò, multis exemplis. Scenæ primores duæ tôta emaculatæ. In iis plures verſus vel longiores, vel turbatiores concinnati; vnus dubiæ ſedis, tamen in ſua nunc relictus & conſtitutus; duo ſpurij locis diuerſis electi: diſtinctiones & perſonæ ſæpius mutatæ; vna etiam noua pedisſequæ inſertâ: locus, in quo quidam nugati, parentheſi explicatus: alia poſt alios aliter correcta, quædam & interpretata.*

PRimâ ſcenâ trahit ſuprà menſuram verſus prior iſtorum:

*A C. Iocare. M I. vin' tu illam hodie ſine dãmno & diſpendio*
*Tuo, tuam libertatem facere? A G. cupiò Milphio.*

Quod cum ipſa dimenſio prodit vltrò; tum antiquæ ſubindicant editiones, quibus abſunt voces *& diſpendio*. Eas certum eſt delendas, atq; ita vtrumq; verſum componendum:

*A C. Iocare. M I. vin' tu illam hodie ſine damno tuo*
*Tuam libertatem facere? &c.*

Neq; verſuum alteri, neq; toti ſententiæ quidquam decedit.

Ibidem & ille verò:

*Se amare velle atq; obſequi animo ſuo*

potius inuerſo ſcribatur ordine verborum, qui ferè eſt in iiſdem antiquis:

*Amare velle ſe, atq; animo obſequi ſuo.*

Scenâ deinceps alterâ:

*Atq; hæc ita loquor, nunc modo docta dico.*

legendum è libris melioribus, *vti loquor*: & fortaſſis è coniecturâ noſtrâ *domi docta*, non *modò*, quod pro altero ille ſæpiculè ſubiectum. Locutio ſimilis illi *Domi ſcire*, quod eſt, de ſeipſo, non foris vel aliunde, ſiue ab aliorum exemplo. Statim ſpurium verſum teneo, cui ſtatus controuerſiam à nemine motam adhuc mi.or:

*Nam nos vſq; ab aurora ad hoc quod diei eſt,*

*Poſtquam*

Digitized by Google

*Poſtquam aurora illuxit, nunquam ceſſauimus*
*Ex induſtria ambæ nunquam conceſſauimus*
*Lauari aut fricari.*

Nam quis cordatus pro legitimo agnouerit horum ſecundum?

*Poſtquam aurora illuxit, nunquam ceſſauimus.*

quem ex gloſſematiis natum cuiuis erat facillimum videre. Sanè totus ex adhærentibus altrinſecus ſibi verſibus eſt conflatus: è priore pars prior, poſterior è poſteriore: tam manifeſtò, nihil vt mero meridie poſſit eſſe magis clarum. Tamen latuit hactenus, imò propalam ſe pro germano venditauit: quod ne cum auctoris fraude ſit vlterius, indicio meo protractus & accuſatus iuſto iudicio ad dignam pœnam condemnetur. Eos autem quos inter ille medius ſedebat, agnoſces Iambicos, ſi priorem è Colonienſi codice refingas:

*Nam nos ab vſq; aurora ad hoc quod eſt die.*

Sic enim ibi liquidò *die*, pro *diei*, ἀρχαϊκῶς, verbis ita quoque tranſpoſitis: niſi quod *ab vſq;* a nobis factum.

Porrò legitur:

*M I. Coqua eſt hæc quidem Agaraſtocles, vt ego opinor.*
*Scit muriatica vt macerent.*

Vbi *macerent* vel παθητικῶς poſitum, vt alia infinita, pro macerentur: vel abſolutè, vt ſubintelligas aliquod nomen, veluti fortè *coqui* aut *coquæ*: ad exemplum Propertiani illius:

*Non ita complebant Ephyreæ Laidos olim.*

Quorum vtrumuis, æquè bonum, niſi vtrique præponas Colonienſem ſcripturam, *vt maceres*: quod fuerit, quomodo macerare debeas. Porrò:

*A N. Eamus ſoror mea. A D. hoc amabo. quid illò nunc properas?*
*A N. rogas?*

Rectius alii libri, *A D. ehò amabo*: niſi vel illis rectius ſic ſit,

*A N. Eamus ſoror mea hoc. A D. amabo, quid illò.*

Vix iam quiſquam neſcierit, *Hoc* eſſe huc: quod & Varro & Maro vſurparint. Poſt:

*Qui hæc tanta oculis bona concipio.*

Omnes ita, præter vnum, qui *conſpicio*: quem vt audias, non edepol magna vel vlla cauſſa. Perſonæ deinceps errant puellarum, inuicem permutatæ:

*A D. Heu ecaſtor, cum ornatum aſpicio noſtrum ambarum, pœnitet*
*Exornatæ vt ſimus. A N. imò vero ſanè commode.*
*Nam pro herili noſtro,*

Nec enim oratio pro ingenio vtriuſque, niſi quæ nunc Adelphaſium dicit, Anteraſtilis dicat, & contra. Mutabis. Inducitur ſemper illa minor procacior, cuius laſciuiam corrigit altera maturior & modeſtior. Tum poſteriora ab Adelphaſio pronunciata, probat Agoraſtoclis oratio ſubdita, qua tam ſapiens ac lepidum da-



Digitized by Google

ctum excipit: atque item priora pertinere ad Anterastilin, eiuſdem inferior oſtendit huc reſpiciens in eandem ſententiam ſermo:

*A N. Satis nunc lepide ornatam credo, ſoror, te tibi viderier.*
*Sed vbi exempla conf.*

Nihil autem magis cauendum in Comœdia, quàm ne diſcrepet à ſe perſonarum ſemel ex earum ingenio inſtituta ratio: contra quam æquè peccatum infra tamen hac fabula in iſtis ipſis perſonis: vt ſuo loco apparebit. Hic, verſus ſequitur intricatæ ſententiæ:

*Eò illud ſatiuſt ſatis, quod ſatis eſt, habitus plus quam ſat eſt.*

quam eleganti correctione tamē extricauit elegantiſſimus Douſa F. a quo leuiter abeo, maloque ſic reſtitui, vt magis illa ſit aperta:

*Eò illud ſatiuſt, ſatis, quod ſatis eſt, habitu, quàm quod plus ſat eſt.*

Eam ob cauſſam, inquit, habitu ſatius eſt ſiue melius habetur haberiue poteſt illud ſatis, quod eſt ſatis, quam illud, quod plus ſat ſiue plus quam ſat eſt.

Pergo in eadem adhuc ſcena:

*A G. I in malam rem. M I. ibi ſum equidem. A G. pergis? M I. taceo.*
*A G. at perpetuo volo.*
*M I. Enimuero here meo me laceſſis ludo & delicias facis.*

Dubitaui aliquando, an eſſet hæc vera ſedes poſterioris verſus, qui ſententiam loco non ſatis aptam habere videretur. Nam quas delicias Agoraſtocles iſtis dictis facit? Ac cenſui referendum post illum aliquanto inferiorem:

*M I. Quamobrem? A G. quia nunquam audibis verba tot tam ſuauia.*

De quo nunc amplio, & veteri loco facilè relinquo. etſi quidem nihil adhuc ibi deliciarum perſentiſco: niſi fortè illud eſt dicterium, *at perpetuo volo*: quo mortem ſeruo herus imprecari videatur. Nam perpetuam taciturnitatem, cum aliqua argutia quid interpreteris, niſi mortem? Illo verſu nihil vitii:

*A D. Inuidia in me numquam innata eſt, neq; malitia, mea ſoror.*

An alia tamen vitioſa lectio, quæ libri veteris Colonienſis eſt? *neq; malitia mala, ſoror.* Nempe & alibi malam malitiam noſter dicit, & neſcio vbi hominem quem ſine omni malâ malitiâ prædicat: vt malitia ſimplex non planè ſit mala. Quod etſi alibi ſic eſt, hic tamen idem non affirmatim. Omiſſa porrò vocula eſt, ibi:

*A G. At ego amo hanc. M I. at ego eſſe & bibere. A D. ehò tu ais? A N. quid rogas?*

Reſtitue ex aliis, *ehò tu, quid ais?* In iſtis:

*——A G. primum prima ſalua ſis,*
*Et ſecunda tu ſecundo ſalue in pretio, tertia*

Salue

*Salue extra pretium. MI. tum pol ego & oleum & operam perdidi.*

Credemuſne Milphionis eſſe poſtrema verba? Sic libri volunt, & Lambinus cenſet, qui quidem eò interpretatur, quaſi ſeruus herum ab amore fruſtra ſe deterruiſſe dicat. Ineptiſſimè. quod in mentem ei veniſſe miror, cum antea ſtatuiſſet, anum aliquam cum puellis fuiſſe tertiam, quæ iubeatur extra pretium ſaluere. Atque ita eſt prorſus: ſiue anicula, ſiue alia ancilla; pediſſequa fuit meretriculis, quæ contemtim ita ſalutatur. ſed eadem loqui iam hæc debet, etſi nomen eius expreſſum non eſt. Pediſſequæ ſunt inquam ea verba, conquerentis, operam ſe perdidiſſe, cum extra pretium nunc habeatur: illam ſcilicet operam, quam Agoraſtocli ſæpe dederit, dum ad amores eum ſuos clanculum & furtim admittit: in quem vſum tales ancillæ ſunt amatoribus, ſed non ſine pretio: è quo hæc velut excluſa, fruſtra ſe benignam & promtam fuiſſe dicit. Ita locum capio, perſonâ Milphionis abiectâ, repoſitaque notâ aliquâ pediſſequam aut ancillam ſignante. Proximus hinc verſus:

*AG. Quid te agis? AD. Egone? in ædem Veneris. AG. quid eò? AD. vt Venerem propitiem.*

in veteribus Aldino, Florentino, Colonienſi non habet vocabulum ædem: quod abeſſe ſenſu ſaluo & eleganter poteſt: vt Bacchidibus, *In Dianæ Epheſiæ.* Neque numeri contradicant, ſi ex iiſdem libris deinceps ſcribas, *AG. quid eò tu?* Sic enim conſtiterint ſatis. Et ipſum *Tu* blandientis eſt, vt alibi paſſim. Non claudam hoc caput, niſi omnia, quæ ſunt in eadem etiam ſcenâ, huc concluſero. Ergo ſequitur, & id leue.

*MI. Bellè illa hercle. AG. i dierectè in maximam malam crucem.*

Inferendum è veteribus *hercle eſt*: quod ſententiæ nihil, verſus aliquantum intereſt. Illud paullo grauius:

*AG. Quid agam nunc? MI. ſi ſapias, curam hanc facere compendi potes.*

*AG. Quid ego nunc curem? quid agis Milphio? MI. ecce odium meum.*

*Quid me vis? AG. cur mihi hæc irata eſt? MI. cur hæc tibi irata eſt?*

Medius enim verſus hæret ſententiâ, nec vel *agas*, vel *agam*, quod verumque in priſcis aliquibus eſt, iuuat. Mihi corrigendum ſic liquet:

*AG. Quid ego non curem? quid ais mi Milphio? MI. ecce odium meum.*

Conſulebat ſeruus, vt curam compendi faceret amator: eò is interrogat, quam curam mittere, quidue non debeat curare? vrgetque porrò blanda compellatione, vt, quid iſtud aiat, explicet. Ille verò ſe inhumanum præbet, & pro blandiente *mi*, repoſuit

aſperum iſtud *odium meum*. A nobis repoſuimus hoc *mi*, quod adeò ſenſus, & præterea numeri poſtularent. Verſus horum vltimi voces etiam tranſponendæ, *MI. cur hac irata eſt tibi?* Iam illic porrò non eſt planum:

*A G. Non faciam. A D. nos eamus, nunc etiam morare. A G. maleſacis.*

Perſona & interpunctio mutatæ component:

*A G. Non faciam. A D. nos eamus nunc. etiam morare? malè facis.*

*Bene promittis multa.*

Abire vult Adelphaſium cum ſorore tandem, ſed etiam tunc ab Agoraſtocle retentatur: quò dicit, *etiam morare?*

In proximo eſt:

*Dum te exſpecto, neq; vſq; aliam mihi paraui copiam.*

Lambini, & qui poſt Lambinum, libri ſic: alii *vſquam* in vicem *vſque*. Tu vtrumque recipies ad hoc exemplum:

*Dum te exſpecto vſq;, neq; vſquam aliam m. p. c.*

Neque longè, turpius erratum eorundem librorum, qui quod erat præter Lambini voluntatem (ſic puto) in eius editione admiſſum, temerè ſunt ſecuti. Nam quid inconuenientius, quàm Adelphaſio iſthæc aſſcribi?

*Mene ego illac patiar præſente dici &c.*

Nimiò liquidò ſunt Agoraſtoclis: cuius perſonæ indices literæ A G. præponendæ, abiectis A D. Incandeſcit adoleſcens & cruciatur in deliciis ſerui cum amica: vt infrà iterum,

*A G. Non ego homo trioboli ſum, niſi ego &c.*

Sed & illud non rectè accipitur ſub vulgari diſtinctione, peſſimè quidem a Lambino & Turnebo eſt acceptum:

*Atq; hic me ne verberet, illud faciet niſi te propitio.*

Legunt iſti, *illum faciat*; & interpretantur, ne herus vel ſe faciat illum ſæuum herum, vel me plagigerum illum ſeruum. Parcam Lambino, quia Turnebus ei comes, imò dux ineptiæ iſtius. Aio, in parentheſi pronunciandum ſeorſim illud totum, *illud faciet niſi te propitio*: nam reliqua cum ſequente verſu continuant ſuum ſenſum. Ita fac;

*Atq; hic me ne verberet (illud faciet, niſi te propitio:)*

*Male formido. noui ego.*

Formidat Milphio, ne vapulet: atque id interim certò futurum ſibi, niſi illam propitiet, auguratur. Iam quod initio capitis huius & ſcenæ fecimus, cum verſum alienum oſtendimus & extruſimus, faciendum hic iterum nobis ad ſiſem eſt: vbi profectò iſte ſuperuacuus eſt, & nunquam à Plauto ſcriptus;

*Huius cor, huius ſtudium, huius ſauium, maſtigia.*

Nam eadem pleraque verba in præcedentibus duobus iam poſita, quæ iniquiſſimè ſic iterentur. Et diuinationi meæ ſubſcribunt

bunt antiquiſſimæ editiones, in quibus ille nullus eſt: è quibus nominatim Florentinam & Colonienſem laudo. Furcillis igitur & hic exturbetur. Vltimum verò ſit in hac ſcena quod notari mereatur.

*AD. Verumetiam tibi hanc amittam noxiam vnam Agoraſtocles.*

Non facit ſententiæ *Verumetiam.* Diuido particulam, atq; etiam interpunctione reſolutam in binas diſtermino: *AD. Verum. etiam tibi hanc am.* Particula aſſentientis eſt *Verum*, qua hîc Adelphaſiũ reſpondet Anteraſtilidi ſorori monenti:

*AN. Aliquid huic reſponde amabo commodè, ne incommodus*
*Nobis ſit. nam detinet nos de noſtro negotio.*

Talis eius vſus paſſim in Comicis. Noſter Aſinar.

*PA. Scio captiones metuis. DI. Verum.*

Menæch.

*ME. Liberem ego te? MES. verum, quandoquidem, here, te ſeruaui.*

In Terentio ſæpe occurrit: atque illîc interpretes aiunt inceptiuam eſſe particulam, non relatiuam. Quanto melius dicerent, affirmatiuam eſſe? Nam certè valet idem vbique prorſus, quod Imò. Eunucho:

*PA. Comites ſecuti ſcilicet ſunt virginem?*
*CH. Verum: paraſitus cum ancilla.*

Andriâ:

*D. Quemne ego heri vidi ad nos afferri veſperi?*
*M. O hominem audacem! D. verum, vidi Cantharam*
*Subſarcinatam.*

Iterum ſic Eunucho fortè:

*PAR. Si quidem iſtuc impune habueris. PY. verum. PAR. reddam hercle. PY. credo.*

Heautont. —— *Matres omnes filijs*
*In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria*
*Solent eſſe: id non fit? CLIT. Verum.*

Atque ibidem:

*SO. Facies? CH. verum. SO. non vides, quantũ mali ex ea re excites?*

Adelphis.

*C. Syre. S. quid eſt? C. men quæris? SI. verum. C. perij. S. quin tu animo bono es.*

Geminum illi eſt & *Verò.* Eunucho:

*G. rex te in oculis. T. ſcilicet.*
*G. Geſtare. T. verò.*

quamquam hoc Palmerius mutabat: ſed fruſtrà.
Sic enim & Adelphis.

—*HE. mane, nondum audiſti Demea*
*Quod eſt grauiſſimum, DE. an quidquam eſt etiam amplius?*
*H. Verò amplius.*

## CAPVT III.

*Periurium & inceſtus, pro ſimplici mendacio & ſtupro. Conuiuia in ædibus ſacris. Loci inſignis vnius, à multis tentati iam olim, ſententia genuina declarata, falſis aliorum & varijs reiectis: plures nouiter, & quidam contra alios, emendati, explicati. Voces aliquot mutatæ, nonnullæ traiectæ.*

IN emendatione principii Scenæ ſequentis,

*AG. Quid nunc mihi es auctor Milphio? MI. vt me verberes,*
*Atq; auctionem facias. nam impiiſſimè*
*Tibi quidem hercle vendere hasce ædes licet.*
*AG. Quid iam? MI. maiorem partem in ore habitas meo.*

concurrerunt elegantiſſimè docti viri Lipſius & Muretus, hic Variis, ille Antiquis Lectionibus; ad explicationem alii poſtea accurrerunt, quorum ſententiæ diuerſæ, ab auctoris mente prorſus aberrant. Neque locum planè cepit quiſquam omnium, vt nihil in eo deſideres: niſi in Mureto ſanè minimum, qui proximè acceſſit. Reliqui abeunt alius alio longius: vnus longiſſimè, qui ædes hic, vt ſupra Milite (quò recurres, & noſtra ibi pariter videbis) accipit de ſerui ipſius capite, quaſi ſeruus ipſe ſe vendi velit. At iſte vſum eius vocis illum & totam locutionem ad Militem ſatis refutauimus: hîc ſatis eſt, inceptum talem ſenſum, iterum dixiſſe, & id oſtenſo ſaltem genuino oſtendiſſe. Hunc enim qui viderit, illum & alios vltrò reprobabit. Eſt verus autem ſimpliciſſimus: licere amatori iam ædes ipſius vendere, quoniam in ore ſuo verberaliſſimo maximam iam partem habitet atque ædes dico ipſam domum, in qua adoleſcens habitabat: quam diſertè ſignat δεικτικὴ particula *Has* quæ tamen in errorem induxit pleroſque, tanquam in ſeruum directa. At cogitandum hoc cuilibet eſt, digreſſis meretriculis, vna ſeruum atque herum domum tendere: atque in via, vel ante iam ædes ipſas hæc inter eos agitari. Demonſtrat igitur ſeruus iſtas veras ædes: atque iis hero nihil iam opus eſſe dicit, quando ſuum os ipſi pro ædibus ſit, in quo pugnis ferè totus habitet: argutiâ ſermonis eleganti. nam in qua re multum ſumus, in ea dicimur habitare. Per ludum & iocum igitur hoc totum ſeruus, non per indignationem, vt quidam voluerunt. Denique cum de auctione facienda meminit, ad ædium omninò venditionem reſpicit. auctio enim & tum fieri ſolebat: quæ quomodo ſuadeatur hîc, ſi ſeruus ſit vendendus? Quid enim ſolennis auctio in hominis vnius venundatione? quanquam non ignoro, paraſitum Sticho præconium auctionis facere de ſeipſo. Sed nempe paraſitum, eumque non re tantùm, ſed & nomine Gelaſimum,

neque-

neque tamen ſe venditantem ſolum, verùm cum ornamentis omnibus ſuis & logis, quorum præcipuè nomine auctionem indicit. Sed de hoc iam ſatis. In obſecratione porrò illâ prolixiore:

*Per'q; meos amores, per'q; Adelphaſium meam,*
*Per'q; tuam libertatem. MI, hem nunc nihil obſecras.*

Vltimum quoque malè interpretantur. Nam nihil obſecrare per libertatem ideo, dicunt, quia ſeruus ſit, non liber. Imò ideò ſeruus eam obteſtationem vanam dicit, quia liber numquam ſit futurus, & perpetuam ſibi ſeruitutem ominatur. *Nihil*, eſt fruſtra. quamquam in paullò aliam mentem voculam hanc tranſponebat amicus: *MI. hem nunc obſecras: nihil.* quaſi hoc dicere: ſeruus: paullo antè verberabas, nunc obſecras me: nihil eſt. In eum verò ſenſum & Florentinus vetus it, ſed omiſſo iſto *nihil*. Legit per interrogationem, *ehem nunc obſecras?* ſcilicet quem verberibus modò commultabas. Haud ineptè vtrumuis horum. Me tamen vulgata lectio ſibi tenet approbatorem ſub mea, quam dedi, interpretatione. Mirificè verò in illius verſus ſcriptura variatur:

*AG. Neq; nubes omnes quantum. MI. pergin' pergere?*

Lambinus voluit concitare, *Etiam omnes nubes qu.* Vnde? corrumpitur ſic venuſtas iterationis eiuſdem in initio vbique particulæ *Neq;*. Veterem Colonienſem ego ſequar:

*AG. Neq; nubis quantum. MI. pergin verò pergere?*

niſi fortè tamen in fine *perdere* melius. Illud in principio ſic rectiſſimè, vt formula ſit eadem ſermonis quæ in proximo vtrinque verſu: Neque quantum aquæ, neque quantum nubis, neq; quantum ſtellæ. Scena *Dij illum*, notamus vnum hoc, *Periurare* pro mentiri ſimpliciter aliquando vſurpatum. Sic enim ibi:

*LY. Cui rei? AN. ne ad ſtandas vi, eius adhæreſceres.*
*LY. Perge. optimè hercle periuras.*

Atque iterum propius fabulæ finem, SC. *Fuit hodie.*

*AG. Da pignus. ni nunc peieres, in ſanum, vter vtri det.*

Itidem Milite SC. *Iam eſt:*

*Tum argenti montes, non maſſas habet: Ætna non æquè alta eſt.*
*MI. Heu ecaſtor hominem periurum! PA. vt ludo?*

Et Mercatore, SC. *Amice amico.*

*Neq; eſt, neq; erit. LY. nolim quidem. homo hercle periurauit.*

etſi de iureiurando ibi aliquid præcedit, quò tamen hoc ipſum vix refertur. Vt *Periurium* autem pro ſimplici mendacio, ſic eadem hâc fabulâ, SC. *Ain' tu, Inceſtus* pro ſtupro ſimplici aut concubitu nudo:

Digitized by Google

*——— Earum hic alteram efflictim perit,*

*Neq; eam inceſtauit vnquam. POE. acerba amatio eſt.*

Proximâ ſcenâ, *Ita me Dij*, paruum mendum indico:

*Sciebam ætate tardiores: metue meo amori moram.*

Et tollo. Scrib. *metui:* vt in antiquis etiam exſtat. Non tunc primum, ſed iam ante metuerat, cum iſtos ſpiſſigrados ſenes ſibi aduocaret. Poſteà eſt ibidem:

*At ſi ad prandium me in ædem vos dixiſſem ducere.*

quem verſum reſpexiſſe Douſa Iſidorũ putat, cum *ædem* ab edendo deducit. Accredo huic: ſed ridiculè quidem ille nimis in iſta originatione nugax. Ædem vero hic ſacram accipies, ex antiquorum ritu, qui ſacrificantes ad templa ſolebant amicos vocare cõuiuatum. cuius rei illuſtre exemplum Rudentis initio: vbi Labrax leno Pleuſidippum ad ædem Veneris inuitatum per fraudem deſtituit impranſum. Et alias conuiuia in templis agitabantur etiam, vt cum cœna popularis celebraretur, de qua Trinumo:

*PH. Quid tu? ſi in ædem ad cœnam veneris,*

*Atq; ibi opulentus tibi par fortè vt venerit,*

*Appoſita ſit cœna, popularem quam vocant,*

*Si illi congeſta ſint epula à clientibus &c.*

Sequitur hic:

*Vbi bibas, edas de alieno, quantum velis, vſq; affatim,*

*Quod inuitus tu numquam reddas domino, de quo ederis.*

De verborum ſitu ſuſque deque eſt, hunc malis, an veterem, *Quod tu inuitus*. at *de quo ederis*, non probo. Non enim de domino ipſo editur. & alio ſenſu Moſtellariâ dicitur *Herum comeſſe*. Scribo, *de quoius*; quod & numeri volunt, in vniſyllabum tamen eo ipſo cõtracto, vt paſſim *cuius* ſolet. ἐλλειψις autem eſt, & ſubintelligitur vel cibo, vel prandio. Locutio quidem planè gemina illi, De alicuius veſperi cœnare. Mox diſtinctio ſenſum nonnihil obſcurat:

*Quidquid eſt pauxillum illuc noſtrum, illud omne intus eſt.*

Hoc enim iam ſaltem ſonat, vti Lambinus etiam exponit, Quidquid nobis eſt, id omne domi eſt, neq; aliunde petimus. At non id ſatis. Etiam ſuum id eſſe totum, quod habeant, quantillum habeant affirmant. Interpunges ita:

*Quidquid eſt pauxillulum illuc, noſtrum illuc omne intus eſt.*

Vlterius habes:

*Horunc hic nunc cauſſa hac agitur ſpectatorum fabula,*

*Hoſce ſatius eſt docere, vt quando agas, quid agant ſciant.*

Senſus emendationem mihi præit, *quid agas ſciant*. Deinde præ nouitia lectione iſta:

*AG. Ita profectò eſt: ſed agite igitur vt ſciam vos ſcire rem*

*Expeditè, & mihi quæ dudum vobis dixi, dicite.*

quamquam minimum intereſt, malo tamen antiquam: *vt ſciam vos ſcire, rem Expedite.* verbum vt ſit hoc verbum, non aduerbium: quod

quod ſi tamen ſit, melius cum altero *ſcire* cohæreat, quàm cum *dicite*, cui Lambinus adiungit. Ibidem etiam legimus:

*AG. Hoc cito & curſim eſt agendum, propera iam quantum poteſt.*

neſcio ſi rectè. Veteres quidam *properate*: melius ad ſenſum, non ad verſum. Quòd niſi ſingularis hîc iterum numerus pro plurali poſitus eſt, vt factum alibi ſupra monſtrauimus, auſim ita mutare,

*Hoc citò & curſim eſt agendum & properam iam qu. pot.*

Notum enim aduerbium *properam* ex ea nota, qua ſunt perperam, promiſcam, alia. Adhuc eadem ſcenâ, & ſtatim ab hoc loco:

*AD. Bene vale igitur: te aduocatos melius celeres ducere.*
*Tardi ſumus nos. AG. optimè itis, peſſimè hercle dicitis.*

Odoror tranſpoſitionem vocularum, quæ ſententiam in contrarium planè mutauit. Quomodo enim peſſimè dicebant aduocati, vt iam concedamus per εἰρωνείαν eoſdem optimè ire? Contra voluit Plautus, eos optimè dicere, peſſimè ire. Atque ſic traduce. *AG. peſſime itis. optimè hercle dicitis.* Hoc enim ait: linguâ expediti & celeres, pedibus inertiſſimi & tardigradiſſimi eſtis.

## CAPVT IV.

*Locus Pœnuli variè iactatus emendatione & explicatione certâ conſtitutus: cum eodem comparati ſimiles alij multi, in quibus duplices ſententiæ & tectæ imprecationes: earumq́ formulæ hinc inde è pleriſq́ Comœdijs auctoris, Captiuis, Caſina, Epidico, Milite, Pſeudolo, Aulularia, Menæchmis, Perſâ, Mercatore, Rudente, Amphitruone collectæ omnes, & hîc ſimul illuſtratæ, ad finem de Amphitruonis ambiguo loco contra quendam diſputatum. is ipſe poſtremò aliter correctus, & explicatus.*

ANte alia ſcenæ conſequentis, egregium ibi locum à multis variè iactatum, nec à Palmerio ſatis dum conſtitutum, perpurgabimus, & largâ ſimilium exemplorũ luce perfundemus, quæ collata inter ſe ipſa plurima pulcherrimum ioci Plautini genus adhuc obſcuriuſculum clariſſimè illuſtrabunt. Sed huius ſcenæ locus, quem dico, iſte eſt:

*AD. Di te perdant. MI. vos quidem hercle commendo, quom quiqui tamen*
*Et benè & benignè facitis, quom hero amanti operam datis.*

Principiò iam hoc te abſolui, neminem hîc ſani quidquam extra Palmerium, qui retinet vnus vel eiectum ab aliis vel interpolatum *commendo*, atque idem monſtrauit primus abditam ac latentem hîc imprecationem, quam & paucis alibi locis obſeruarat. Hoc optimè: nõ item illud, cum aſſitam particulam *quom* etiam retinet, vt ſenſui neceſſariam, quam illi æquè, ac verſui nocuam ego exturbo. tum porrò ſic reliqua diſtinguo:

*— MI. vos quidem hercle commendo. quiqui tamen,*
*Et bene & benignè facitis, quom hero amanti operam datis.*

Et iam omnia clarius explico. Aduocatorum imprecatio præcedebat: *Dij te perdant.* hanc ſeruus in ipſos regerit, ſed tectè, atque aliud ſimul dicens. Nam, *vos quidem hercle Dij ſi dicet perdant*, ait: dum ita videtur, *vos quidem hercle commendo.* Commendaſſe autem eos nunc videri vult iſtis, quibus erat inſectatus:

*Hodie iuris doctiores non ſunt, qui lites creant,*
*Quàm hi ſunt, qui ſi nihil eſt litium lites ſerunt.*

Quæ ſatis acerba cum & aſperius illi acciperent, malam ideò rem & interitum imprecati; ne verò iraſcimini, inquit: nam in commendationem ac laudem veſtri locutus hæc ſum, non in contumeliam aut culpam. at quicunque qualeſcunque tamen eſtis, bene ſanè & benignè facitis in eo, quòd hero meo ſic operam datis. Hæc verò mens exterior, & in publicum expoſita: ſimul ibidem interior illa in diſtinctione verborum & ſeorſim relata imprecatione, quæ nec ipſa ſpectatores fefellit, aſſuetos audire talia multa a Plauto, cui frequentiſſimè iteratus hic in eiuſmodi duplicem ſenſum iocus, & paſſim nunc in pleriſque Comœdiis ſuperſtitibus ſuperſtes. Exempla hic omnia ſubiiciam, quæ potui notare, vt ſemel ſimulque vno in loco illuſtrentur. Captiuis S C. Quarto:

*Iuppiter te Dijq; perdant.* E R. *te hercle mihi æquum gratias*
*agere.*

Oratio continua eſt, *te hercle mihi æquum gratias agere:* ſed ſuſtentatur in vocibus *te hercle*, & redditur imprecatio repetito velut ἀπὸ κοινοῦ verbo *perdant.* Caſina, initio ſcenæ:

*Qui illum Dij omnes Deæq; perdant.* C H. *te vxor aiebat tua*
*Me vocare.*

Ratio eadem eſt. & ſiſtitur ſermo in vocula *te.* quamquam ibi poteſt illud totum iungi, *te vxor aiebat tua*, ſcilicet vt Dii perderent. Epidico ſcena prima:

*——T H. Dij te perdant. E P. te volo*
*Percontari, operam mihi da.*

Mil. Glor. S C. *Niſi quidem ego:*

*Dij te perdant. P A L. te iſtuc æquum, quoniam occœpiſti, eloqui.*

Pſeudolo S C. *Pſeudole:*

*B A. I puere. P S. occedamus hàc obuiam. B A. Iuppiter te perdat,*
*quiſquis es.*
*P S. Te volo. B A. at vos ego ambos.*

Ambiguum eſt *te volo.* quod vſurpabatur, ſi quis colloqui alteri vellet. atque hic etiam illud ita: ſed ita ſimul, vt perire velit Pſeudolus lenonem, qui prius voluerat ipſum. Quod ſenſit leno ſtatim, eoq; ſubiicit iterum, *at vos ego ambos.* Nam audire quidem neutrum volebat, ſed vtramq; iam perire. Similia & illa ſunt, etſi paulò aliter elata. Aulular. S C. *Hoc quidem hercle.*

*E V. Ege agito mecum, moleſtus ne ſis. i, & cœnam coque,*

Aut

*Aut abi in malum cruciatum ab ædibus.* C O N. *abi tu modò*

Nam duplicem quoque abitionem ambiguè coquus intelligit: & illam ab ædibus ſimpliciter, vt ne vapulet amplius à ſene, & locum habeat cœnæ coquendæ liberum; & illam alteram in malum cruciatum, in quem à ſene iuſſus ire, ire viciſſim ipſum occultè iubet. Epidico iterum ſcena prima:

*——T H. abi in malam crucem à me*
*Cum iſtac conditione.* E P. *i ſanè, ſi quid feſtinas magis.*

Dimittitur illic tandem ſeruus alter ab altero diu retentus, vt illud *i ſanè* capias ſine imprecatione: ſed cum ea capies ſimul, ſi reſpicis illam alterius præcedentem, quæ hìc regendo iteratur. Idem eſt Menæchmis SC. *Benè ob, ſeruaui.*

*Numquid vis?* M E. *vt eas maximam in malam crucem.*
C Y. *Ire hercle melius eſt te intrò atq; accumbere.*

In iocum frangitur continuus ſermo, Ire hercle melius eſt te; ſcilicet maximam in malam crucem. Pſeudolo SC. *Malus & nequam:*

H A. *I in malam crucem.* B A. *ire licebit tibi tamen hodie temperi.*

Temperi ſatis & Sicyonem domum ire caculæ licebat, & in malam crucem. Perſa SC. *Satin' Ath.* *(mihi*

D O. *I in malum cruciatum.* T O. *i ſanè; hanc eme atq; auſculta*

Dum ad hoſpitem Virginis vendonidem iubetur ire leno, iubetur pariter in cruciatum. Non abhorret ab hoc toto genere etiam illud Epidici vltima ſcena:

*A P. Edepol mancipium ſceleſtum.* E P. *te profectò Apœcides*
*Nihil moror mihi precatorem.*

Nulla hìc quidem imprecatio: ſed duplex æquè ſenſus, & oratio ad priora exempla conformata. Nam Epidici vocula prima *te* ſola accepta retorquet in Apœciden ſceleſti appellationem. Mercatore per ſe clara eſt alluſio, S C. *Ex ſummis:*

C H. *Væ tibi.* A C. *tibi equidem à portu apporto hoc.*

Item Milite, S C. *Niſi quidem.*

*S C. Væ capiti tuo.* P A. *tuo iſtuc Sceledre promitto fore.*

Itemque hac Pœnulo infra, S C. *Suſpendant:*

*L Y. Væ veſtræ ætati.* A D. *id quidem in mundo nunc eſt tua.*

Sic ex veteribus enim ibi legendum: neq; numeri quidquam obſtant. Rudente obſcurior, S C. *Intelligo:*

*A M. Væ capiti atq; ætati tuæ.* T R. *tuo, mea Ampeliſca,*
*Sciui lenonem facturum hoc quod fecit.*

Sed certa eſt reprecatio in particula *tuo*, nimirum capiti, quæ ſeparatur in hanc mentem, etſi mox reliquæ orationi videtur annecti: tuo capiti lenonem facturum ſciui hoc quod fecit. Ac tale priſus eſſe voluit Amphitruonis illud Palmerius, qui (non diſſimulamus) ex ſuperioribus locis vnum atque alterum ante nos attulit ad occulta iſta ioca primitus aperienda. SC. *Satin' parua:*

*A L. Væ capiti tuo.* S O. *tua iſtuc refert, ſi curaueris.*

Digitized by Google

Sed hîc quidem non aſſentior: & apertum eſſe debere ſtatuo, non tectum ſerui in heram inclementius dictum: quod heræ ipſius euincit querela ſtatim ſubiecta:

*AL. Iterum iam hic in me inclementer dicit, atq; id ſine malo.*

Neque tamen id conſequemur abſque correctione vocum, quæ ibi profectò non omnes ſinceræ. Mea diuinatio eſt, legendum: *SO. tuo iſtuc erit, niſi curaueris.* Nam *niſi* & veteres libri quidam: & non aliter vlla ſit ſententia. *erit* ex *refert* ego feci: in quo ſi negligi quis nolit priores ſuperfluas literas, inde quoque ſibi faciat aliquid: & poſſe fieri videtur *crede.* cuius extremæ vtrinque literæ quiuerint abſorberi à verbi præcedentis & ſequentis initiali. Nam & in *e iſtuc* deſinit, & *erit* ab *e* inchoatur. neque nouum denique *d* in *f* abiiſſe. Vt iam ſcribatur:

*SO. tuo iſtuc, crede, erit, niſi curaueris.*

Sed verſum obiiciet aliquis ita nimis extendi: quod nec eſſe deprehendet, qui peritè dimetietur. Omninò cum Alcmena in ſerui caput *ve* pronuntiaſſet, ille idem reponens, tuo quidem capiti, inquit, illud certò erit, niſi ſomnium tuum procuraueris, & eius expiatione tibi proſpexeris. Nam hoc eſt, *niſi curaueris.* & de procuratione commodum monuerat:

*Sed mulier poſteaquam experrecta es, prodigiali Ioui*
*Aut molà ſalsà hodie, aut thure comprecatum oportuit.*

Sic enim ſolebant ſuperſtitioſè veteres expiare ſuſpecta ſibi ſomnia: quo de ritu & nimis multa paſſim ſcriptorum loca ſunt, & ſatis multi iam olim annotarunt. Nos de Amphitruonis hoc loco ſententiam noſtram ita propoſuiſſe ſatis eſt, & ipſam iam de toto illo Plautinarum argutiarum genere ſatis perſpicuè declarato commentatiunculam cum capite, quod dicatum ei propriè voluimus, claudimus & ſignamus.

## CAPVT V.

*Comici & tragici condocti & meditati. Attate. Vacillantes diſtinctiones aliquoties firmatæ: perſona ſuppoſititia ſæpiſſimè mutata. Verſus qui bis poſitus, poſteriore loco deletus. Occultior loci eximij ſenſus patefactus, alioq; ſimili illuſtratus. Interpretis nunc ſupina, nunc ridiculæ explicationes exploſæ. Numeri verſuum tranſpoſitis & diſpoſitis verbis pluries concinnati. Iterum alterius verſus è proxima ſcena in priorem tralati repetitio abſurda confutata, atq; ipſe hinc extruſus.*

NVnc reliqua ſcenæ eiuſdem videamus. Sub initium in libris plerisque omnibus vulgatur:

*MI. Fac modo vt conducta tibi ſint dicta ad hanc fallaciam.*
*CO. Quin edepol conductior ſum, quàm tragœdi aut comici.*

Malè *conducta* & *conductior.* Lambinus in commentariis *condocta* & *condoctior* agnoſcit, nulla tamen alterius facta lectionis mentione.

ne. Sed hoc rectè. Condiſcebant hiſtriones à poëtis fabulas, quas ipſi docebāt. Eſt autem locus huic planè geminus Perſā, Sc. *Numquid moror.*

*Sed ſatin' iſtis meditati? SA. tragici atq; comici*
*Nunquam aquè ſunt meditati.*

Statim hîc ſequitur: *MI. Probus homo eſt.* Senſus vult *es*, quod veteres habent. Neque verſui id nocet. Eſt enim & ipſum Plauto ſæpiſſimè longum, vt alibi ſcio mihi dictum. Infra diſtinctiuncula vacillat:

*AG. Agite, inſpicite, aurum eſt. CO. profectò ſpectatores Comicum.*

Nam ſic quoque poteſt:

*AG. Agite, inſpicite aurum. CO. eſt profectò ſp. com.*

Deinde non concinnum:

*AG. Facite quod iubet, abeamus. ſed uos, ſatis dictum eſt? CO. abi.*

Nam *facite* non aptè comprehendit ipſum qui loquitur: quandò duo ſunt hîc tantum, ad quos refertur. ad Milphionē ſeruum ſcilicet, & ipſum Agoraſtoclem, cuius id voluit eſſe verbum. Niſi ſcribere placet, *Facile, quod iubet*: aliter perſonæ diſtinguendæ ſunt, atq; in hunc modum, quem nunc video Florentinum & Colonienſem ſæpe mihi laudatos libros tenere:

*AD. Facite, quod iubet. AG. abeamus. ſed vos &c.*

Suadet abitionem Collybiſcus an Colabiſcus hero & ſeruo: quam cum hic probaſſet, hortantur Aduncati porrò, vt vterque pareant, tum herus conſentiens ſubdit, *Abeamus.* Sequenti verſu:

*AG. Abeo. quæſo Dij immortales. CO quin abis? AG. abeo. MI. ſapis.*

non etiam ſuæ perſonæ tributa vox vltima videtur. Melius enim detur Collybiſco: ſiquidem ipſa eſt ſincera. quod non eſt certò prima iam ſequentis:

*CO. St. tace. AD. quid eſt? CO. fores hæ fecerunt magnū flagitiū modò.*

Variat enim in antiquis. neq; *tace* ſingulari numero conuenit ad plures: neque *tacete* mutari per verſum poteſt. Sed neque ſilentii nota ſatis apta. Florentinus codex, *Atat tace.* Facilè hinc emendo, *Atate*: quæ interiectio comica in perturbationibus & re inopinata. cuius exempla quid opus ſit afferre? Proximi item principium ſic lege:

*AD. Quid id eſt flagitij?*

Atque item in antepenultimo *conſuerunt.* Nam minuta hæc quid pluribus oſtendam? Ad aliam porrò ſcenam deſcendo. *Iam iſtuc*: è qua primò verſum eiicio temerè bis ibidem collocatum. Aio autem illîc delendum iſtorum alterum:

*AD. Quia nos honoris tui cauſſa huc ad te venimus.*
*Quamquam bene volumus leuiter lenonibus.*

Nam & inanis ibi iſta appendix, & ſuprà iam ſuo loco legitur integriùs:

——*AD. te ſalutamus Lyce,*



Digitized by Google

*Quamquam hanc ſalutem ferimus inuiti tibi,*
*Et quamquam bene volumus leuiter lenonibus.*

Ita meus eſt animus: alii ſuum tamen ſenſum, nec impedio, ſequantur. At hi cogitent, neque numeros detracto & conſiſtere, quod ſententia poſteriore loco iuſſerat auferre: neque ſi verſus idem repetitus hic ab Aduocatis eſſet, impune id laturos fuiſſe à lenone, qui aliud & in ipſos dicterium iacere non pepercisſet. Deinceps eſt:

*Sed quid nunc vultus? A D. hunc chlamydatum quem vides,*
*Ei Mars iratus eſt. L Y. capite veſtro iſtuc quidem.*

quod obſcure ac tenuiter Lambinus explicat his verbis: Quaſi Colabiſcus miles ſit & veniat nunc Calydonem locupletatus & præda onuſtus. Aliud quid elegantius latet. Eſt enim alluſio in nomen Lenonis, quæ pateſcit magis è proximo verſu:

*A D. Huc nunc Lyce ad te diripiendum adducimus.*

Ad lenonem Lycum quaſi lupum adducitur diripiendus villicus tanquam ouis. Ideò dicitur ei Mars iratus eſſe, qui contra propitius lupo. Lupi enim in tutela Martis, cui & ipſi ſacri. Prædam igitur ſuo Lyco dat iſtum villicum Mars, huic malè, illi bene volens. Quam alluſionem, cum hæc ſic ſcriberet, in mente fuiſſe Plauto, locus ſimillimus teſtabitur è Truculento: SC. *Rus.*

*Fuit edepol Mars meo periratus patri.*
*Nam oues illius haud longè abſunt à lupis.*

Qui quidem locus vnus interpretationem veram nobis ſubminiſtrauit. Sed in hoc Pœnuli malè ibidem Lyco dantur iſta verba, *Capiti veſtro iſtuc quidem.* Sunt Villici ſiue peregrini Chlamydati, qui Martis iram a ſuo capite reiicit in Aduocatorum ipſorum. Notam igitur eius perſonæ præpone, *CO. capiti veſtro iſtuc quidem.* Secum ita ille procul ſtans, & eorum omnem ſermonem exaudiēs: cui & mox duos aſſigno verſus, Aduocatis attributos vulgò, quos loqui ad ſpectatores Lambinus ita cenſet:

*Cum præda hic hodie incedit venator domum.*
*Canes compellunt in plagas lepide Lycum.*

At ego eadem ad ſpectatores aio dicere Collabiſcum, & ſeſe venatorem facere, vti canes iſtos Aduocatos. *Hic venator* eſt, ego ipſe. Ac lego etiam *incedet*, non *incedit*. Auguratur enim, cum bonâ prędâ, id eſt, lepidè, quæ velit, omnibus effectis, domum ſe rediturum.

Vlterius quod legitur:

*Tu ſi te Dij amant, agere tuam rem occaſio eſt.*

Non ego damno. quî enim? & tamen ſit mutare,

*Tu, ſi te Dij amant, age tuam rem. occaſio eſt.*

Mox indignor haud receptam Gulielmii noſtri illîc emendationem:

Trecen-

*Trecentos nummos Philippos portat præſibi.*

Nam quid verius, quàm *præſidij* legendum? Præſidium eſt viaticum. & locutio, portare nummos præſidiu, gemina illi eſt, dare tot vel tot talenta dotis: de qua egimus ad tabulam proximè ſuperiorem.

Porrò in iſtis ridiculus Lambinus:

*——LY. It ad me lucrum.*

*CO. Illud quidem quorſum aſinus cædit calcibus.*

Putat Lycum ſpei plenum exſultaſſe. & ſolum calcibus inſtar aſini laſciuibundi cecidiſſe. Tu rectè verba interpretare ſic: Illud quidem, ſcilicet lucrum, eò it, quorſum aſinus cædit calcibus: id eſt, retrorsùm. Sermo ſeruilis & ruſticanus eſt. Aiebat leno, ad ſe lucrum ire: contra villicus ſecum aut ad ſpectatores, minimè illud ad te quidem, ſed in diuerſum, quò calces iactare ſolet ferociens aſellus: retrorsùm, non prouersùm. Qui ſenſus clarior ſit, in vicem *Illud*, repoſito *illuc*: quod tamen haud neceſſe. Deinceps vitium in menſura verſus prioris:

*LY. Vbi tu Leucadio, Leſbio, Thaſio, Coo,*

*Vetuſtate vino edentulo ætatem irriges.*

Syllabæ modulus in *Coo* monet retrò legenda cohærentia tria verba, vt ſic verſus conſtet:

*Vbi tu Leucadio, Coo, Thaſio, Leſbio,*

Et ſtatim illi quidem pedibus vterque bonis:

*Quid multa verba faciam, vbi tu laueris, ibi*

*Vt balneator faciat vnguentariam.*

Rectius tamen, ni fallor, vltimam prioris vocem ablatam feceris alterius primam: *Ibi vt balneat.* Atque ita nunc video in pleriſque aliis editionibus extare. Sed & ille ad finem:

*AD. Quid ſi euocemus foras huc Agoraſtoclem?*

vult tranſponi particulas, *huc foras Ag.* Denique quo genere emendationis orſi ſumus hanc ſcenam, eodem nobis eſt claudenda. Iterum enim verſus alienus ad eius finem, repetitus non ex ipſa, ſed è ſequenti: quamquam ſequens adeò ſcena meliùs vna ſit cum hac ipſâ. Sed repetitum quem dico verſum, is eſt:

*LY. Quin ſequere intro. CO. duc ergo me intrò, addictum tenes.*

Eſt enim idem, etſi nonnihil hîc interpolatus, cum illo germano:

*LY. Quin ſequere me ergo. CO. abduc intro. addictum tenes.*

Cauſſa, cur priore loco ferendum non putem, magna eſt: quippe ex rei ipſius ordine petita. Is enim turbatur. Nondum enim hic deducitur in lenonias ædes villicus: ſed aurum prius numerat in publico. quod cum ex occulto inſpectaſſent Aduocati, atque ipſe herus; tum demum it, neque ante leno eum receptat. etſi totum illud magis de compoſito fiebat, vt teſtes eſſe poſſent auri dati [illegible]

Atque eò poſt illa:

*Sed hæc latrocinantur, quæ ego dixi, omnia*

*CO. Quid ita? (ſ. Quid iam?) LY. quia aurum poſcunt præſentarium.*

*CO. Quin hercle accipere tu non mauis, quàm ego dare.*

ſtatim euocant Aduocati Agoraſtoclem, vt ſit ipſe ſibi cum ipſis vna teſtis. quo prodeunte, tradit lenoni pecuniam Villicus in manum:

*CO. Age accipe hoc ſis: hic ſunt numerati aurei*

*Trecenti nummi &c.*

Tum acceptâ, ducit eum leno & ſequi iubet: *Age eamus intrò.* Quis ergo dubitârit exturbare turbatorem huius certiſſimi ordinis? in quem ita grauiter peccari adeò non animaduerterunt alii, vt ſpurium iſtum verſum quidam etiam optimi homo alias & acerrimi iudicii ex legitimo altero tentarit alieno illo loco corrigere & ſonfirmare.

## CAPVT VI.

*Meditari, pro loqui. Corium aut tergum ſufferre. Tectius tacitius. Surptus. Perdeam verbum non acceptum, aliud ſubſtitutū. locus Plautinus per vnius voculæ tranſpoſitionem effectus & declaratus. Verſus traiectus. Verba in numeros digeſta. Multa ex antiquis aliter lecta: quædam indidem aucta. Perſonæ, quæ vel omiſſæ, reſtitutæ; vel quæ turbatæ, aliter diſpoſitæ. Interpunctiones mutatæ. Quæ emendata paſſim, ſimul explicata. Deniq; locus integer vitiatus in perſonis & interpunctis verborumq; ordine, reſcriptus.*

ORdine progredimur: & iam ſcena *Quid eſt*, nonnullis quoque partibus ægra, in hoc quaſi valetudinario ſe nobis offert. Excuditur in hodiernis libris:

*AG. Vidiſtis, leno cum aurum accepit? AD. vidimus.*

*AG. Eum vos eſſe meum ſeruum ſcitis? (ſ. ſciſtis.) AD. ſciuimus.*

*AG. Rem aduerſus populi ſæpe leges? AD. ſciuimus.*

At neſcio quid ibi nunc faciat iſtud *ſæpe*: quod in vetuſtioribus nullum quidem, & pro eo reperias. *AG. Rem aduerſus populi leges eſſe?* Nec hoc tamen, etſi vulgato melius, agnoſcam pro germano. Credo & ipſum interpolatum: neq; *ſæpe* illud reiectum velim, ſed paullùm modò traiectum. Ita ſcilicet:

*AG. Rem aduerſus populi leges? AD. ſæpe ſciuimus.*

Quomodo duplex ſenſus, & honeſta ambiguitas, à Plauto de induſtriâ quæſita. Simul enim & grauantur Aduocati tot interrogationes, quaſique impatientes Sæpe iam ac ſatis, inquiunt, iteramus hoc *Sciuimus*: quapropter Agoraſtocles deſinit ſtatim, & ergo meminiſſe eos hæc omnia iubet. Simul iidem ad Plebiſcita alludunt, & cum ille rem aduerſus populi leges eſſe monuiſſet, eaſdem a ſe ſæpe ſcitas, ſed fruſtra ſcilicet, ſubiiciunt: tacitè publicos mores, & ad id magiſtratuum fortè negligentiam carpentes. Quod ita non argutius puto, quam verius explicari. Si quis tamen

contra

contrà tendet, ei liceat, quod vult, ſequi, ac vel aliter legere: quod audio quendam iam nunc facere, qui in vulgatum *vũ ſæpe* locum, *nempe* reſtitutũ malit. Ego porrò iam non voculæ, ſed verſus tranſpoſitionem ibidem molior inter iſtos;

*AG. Homo furti ſeſe adſtringet. AD. haud dubium id quidem eſt.*
*AG. Quantum quantum ad eum erit delatum. AD. quippini?*
*AG. Dieſpiter vos perduit. AD. te quippini?*
*AG. Ibo & pultabo ianuam hanc. AD. ita quippini?*
*AG. Tacendi tempus eſt.*

Quis verò mihi non aſſentietur, imprecationem adoleſcentis vltimo loco melius poni? quippe quam elicuerit illud odioſè frequentatum *quippini*: quod ſenes cum reprecatione iterant tamen. Vt iam hic reſtituatur ordo:

*AG. Quantum quantum ad eum erit delatum. AD. quippini?*
*AG. Ibo & pultabo ianuam hanc. AD. ita quippini?*
*AG. Dieſpiter vos perduit. AD. te quippini?*
*AG. Tacendi tempus eſt.*

Quamquam & ſecundo loco, vbi *ita quippini*; malim, *ito. quippini? Ianuam* enim, ne quid putes numeris incommodari, quaſi diſſyllabum exauditur in dimenſione. Mox etiam pro hac lectione vulgari;

*Adeſte quæſo. AD. quippini ſi tu voles*
*Operire capita.*

ſubſtituam ac reſtituam veterem, *AD. quippini? quin ſi voles.* Omiſſum eſt alterum verbum *volumus*, quod ex ſe ſubintelligitur. Illud *quin* ſanè neceſſarium eſt, & diſertim exprimendum. Sed iam ad aliam porrò ſcenam: in qua proxima nihil ferè, quod multum referat annotari. Tamen iterum verſuum ſic verba digerenda:

*Qui ad te trecentos modò Philippos detulit.*
*Idq; adeò in iſtoc aurum ineſt marſupio.*

Neque hoc meâ, ſed antiquiorum codicum auctoritate: quæ valeat in re ſeuiori etiam mox, vbi legunt:

*Qui ſi quid boni promittunt:* non *benè:* quod ſubiecerunt, qui verſui ſe cenſebant conſulere. fruſtra. Nec enim vel alterũ numeri ſpernunt, ſed ii Plautini. Scenæ, quæ nunc ſequitur, ſecundus verſus, extritâ voculâ ſic ſcribendus:

*Eſtne hic ſeruus meus? CO. ſum hercle verò Agoraſtocles.*

Alterâ verò ab hac, cui initium *Satis*, is verſus dimidio pede mancus:

*Agere ætatem, præpeditus latera forti ferro mea.*

Cuius in fine quia Florentinus *meam* legit, adiiciendum idipſum arbitror ei explendo: vt ad *ætatem* hoc referatur, alterum ad *latera*. Deinde in eadem eſt:

*Equitem, peditem, libertinum, furem ac fugitiuum velis.*

Scribito, *furem an fugitiuum.* Mox item:

*Nam id quidem illi, vt meditatur, verba facit emortuo.*

Emenda: *Nam is quidem, vt meditatur, illi u. f. e.*

Vel retenta verborum ſerie vulgari, ſaltem mutetur *is*. *Meditari* autem hîc eſt memorare, loqui. Sic alibi: *Nugis meditatur malè*, pro nugatur. Inferiùs:

*Nunc domum ibo. MI. heus Syncerafte. SY. Synceraſtum qui vocat?*

Multis in editionibus omiſſa malè perſona eſt, quæ prorſus initio verſus huius præfigenda. Nam non iſta Milphio, qui priora. Synceraſtus loquitur, a fano Veneris domum rediens: qui ab altero mox reuocatur. Huic igitur aſſcribe verba, *Nunc domum ibo.* Et apertè veteres ſic habent. quos tu videto an ſequi velis & proximo verſu, qui leuiter in iis mutat:

*MI. Tuus amicus. SY. haud amicè facis, quoi cum onere offers moram.*

At hunc qui excipiunt, eorum quidem nec cum vulgo, nec cum antiquis perſonas ſcribes:

*MI. At ob hanc rem tibi reddam operam, vbi voles, vbi iuſſeris.*

*SY. Habe rem pactam, ſi futurum eſt. do tibi operam hanc. MI. quomodo?*

ſed ex noſtra ordinatione: ——*vbi iuſſeris:*

*Habe rem pactam. SY. ſi futurum eſt, do tibi operam hanc. MI. quomodo?*

Quam veram eſſe quiuis ſtatim videt. In ſequenti:

*SY. Vt enim vbi mihi vapulandum eſt, tute corium ſufferas.*

nota phraſin, *corium ſufferre*: qua noſter & in fragmento Caſinæ, vt citatur, vſus:

*Intro ad vxorem, ſufferamq; meum tergum ob iniuriam.*

vbi potius legatur *ad iniur.* Mox illorum:

——*MI. Dij te & tuum herum perduint.*

*SY. Me non perdant, illum vt perdant facere poſſim, ſi velim.*

*Meum herum vt perdant, ni mihi metuam Milphio. MI. quid id eſt, cedo,*

diſtinctio melior etiam noſtra talis:

*SY. Me non perdant, illum perdant. facere poſſim, ſi velim,*

*Meum herum vt perdant.*

Et iſta:

*MI. Quid iam? SY. quaſi tu tacere quidquam potis ſis rectius.*

*MI. Tacitius tibi reſiſtam, quàm quod dictum eſt mala mulieri.*

poſt Scaligerum & Camerarium, qui fecerunt *Tacitius*, amplius emendamus, perſonis, verbis, & verſibus nonnihil immutatis:

*MI. Quid iam? SY. quaſi tacere tu quidquam potis ſis. MI. tectius*

*Tacitius tibi rem ſiſtam, quàm quod dictum eſt mulieri mala.*

A me feci *tectius*: è libris vetuſtioribus, *rem ſiſtam*: & indidem quaſdam voculas tranſpoſui. Rectè, vt confido, omnia. *Rectius* nihil

erat:

erat: *Tectum & Tacitum* optimè iunguntur, quæ iuncta fortaſſis & aliquanto pòſt: *Sed hoc tu tectum tacitum habeto.* quamquam ibi *te-cum* excuditur aliàs benè. Portò Lambinus ineptiſſimè perſonas digeſſit: in quibus ſi mutari quid debet, ita potius debet:

*MI. Scin' tu herum tuum meo hero eſſe inimicum capitalem? SY. ſcio.*
*MI. Propter amorem. SY. omnem operam perdis. MI. quid iam? SY. quia doctum doces.*

Sed à vulgo non facilè hîc abierim. faciliùs illîc:

*MI. Quid eſt, quod metuas? SY. dum hero inſidias parem, ne à te perdeam.*

Etſi enim *perdeam* pro *peream*, inſerto *d*, collocatum haud pertinaciter negarim: omnino tamen coniectura blanditur magis: *SY. dum hero inſidias paro, ne mepte perduim.* Non procul, ita diſtingues:

*Loquere, locus occaſioq; eſt, liberè hic: ſoli ſumus.*

Neque hinc procul autem:

*MI. Duas illas tanti quæſo emit? SY. nutricem earum tertiam.*

obſcuriuſcula poſtrema verba, quæ ſeparari quoque interpuncto integro à ſequentibus debent. Vtq; clareſcant magis, legendum fortaſſe:

*MI. Duas illas tanti quæſo? SY. imò & nutricem earum tertiam.*

Senſus enim eſt: Quòd tu miraris, duas illas tam vili emtas; acceſſit etiam ſuper has ipſa nutrix harundem. vt tres mulierculæ venierint octodecim minis: cùm ſolenne alias pretium vnius, vt minimum, triginta. quod multis exemplis in hoc poeta conſtat. Sed puellæ tum ſcilicet etiam fuerant paruulæ: vt ætas minor partem magnam pretii deduxerit: quæ tanta non potuit tamen, ſi rectè venderentur. Eſt deinceps:

*Ibidem gnatus inde ſurreptus, ferè ſexennis, poſtibi &c.*

Lege planè *ſurptus*, numerorum cauſsâ: quod alibi non ſemel oſtendimus Plauto vſurpatum, & oſtendemus. Iam vltimo loco locum integrum ex hac ſcena aſſcribam, vti perſonis atque interpunctis cenſeo diſtinguendum. Nam & hæc luxata, & illæ omiſſæ alicubi turpiter: & præterea voces quædam etiam traiectæ.

*SY. Omnia memoras, quò id facilius fiat. Manu eas aſſerat*
*Suas populares liberali cauſsâ. MI. tacitus tace modò*
*SY. Profectò ad incitas lenonem rediget, ſi eas abduxerit.*
*MI. Quin prius diſperibit faxo, quàm vnum calcem ciuerit.*
*Ita paratum eſt. SY. ita dij faxint, ne apud lenonem hunc ſeruiam.*
*MI. Quin hercle meus collibertus faxo eris, ſi Dij volent.*
*SY. Ita dij faxint. numquid aliud me morare Milphio?*
*MI. Valeas, beneq; vt tibi ſit. SY. pol iſtuc tibi & hero tuo eſt in manu.*

Conferes iam hæc cum vulgatis: in quibus maximum tamen eſt, quòd binos verſus perſonis alternauimus, vnâ antea continuè tributos.

***

## CAPVT VII.

*Impetrare, pro patrare, non probatum. Ficula, fabula, nucula. Surptus. Neuis. In Pœnulo emendandâ explicandaq; proceditur. Verſus in pedes ſuos reponuntur. Iocus tectior in ſeruos ſarcinatos, quos ideò veteres & antiquos Plautus appellet, detegitur. Voces pluſcula verſibus aliquot ex antiquis libris adduntur: nouitys vna detrahitur. Verſus vnius dubia traductio monſtratur. Solœciſmus, ſi forsè, notatur. Alia contra alios corriguntur, explicantur.*

A Sequente iam ſcena vel inuiti omnes abſtinemus: quamquam non minus in eâ non intellectâ a deſcriptoribus fortaſſe peccatum. Et tamen Africa hæc vnum Proconſulem Scaligerum exſpectat, qui ſolus eam prouinciam ex omnibus iam olim ſortitus vtinā eat aliquando, & præter alias linguas abolitas ac ſepultas pridem, etiam Punicam nobis reſuſcitet, eiuſq; has qualeſcunq; reliquias animatas interpretatione ſua inſtauret. Interim nos in Latio manentes, leuiore operâ verſiculum ibidem in pedes reſtituemus, cuius verba ſic ordinanda:

*Eius filium hic eſſe prædicant Agoraſtoclem.*

Monoſyllaba vox prima eſt, diſſyllaba ſecunda, per contractiones vſitatas. Aliâ hinc proximâ ſcena venuſtam nobis venuſti verſus tranſpoſitionem occupauit Cl. Gruterus, cui deberi eam a Plauti ſtudioſis adeò non doleo, vt æquè, ac ſi mihi, gaudeam. Ibidem autem alii *Impetrare* pro ſimplici ſuo poſitum volunt: quibus, quia ſine exemplo eſt, non aſſentior, & ipſum ſimplex reponendum puto:

*AG. Incipere multò eſt, quàm patrare facilius.*

Porrò ab omnibus iam legitur:

*Seruos quidem edepol veteres antiquoſq; habet.*

*AG. Quis is? MI. viden' homines ſarcinatos conſequi?*

at non in omnibus: & multò verius in priſcis. Vna literula nouitiis deeſt, quæ reſtituta ſenſum faciet nimio quanto concinniorem. Nam hoc loco quid ita quæſierit Agoraſtocles? *quis is?* Ita quæſiit: *Qui ſcis?* Aiebat Milphio, ſeruos illi Pœno vetulos eſſe: id vnde ſciat, ab adoleſcente interrogatus, ipſos homines commonſtrat cum ſarcinis ſequentes. Iocatur autem in ſchema ſarcinatorum: qui ſub onere curui incedentes videntur ſenes aſſimulare, quorum talis eſt habitus, ætatis pondere depreſſorum, quod ipſi grauiſſimum ſæpè tergo ſuo incumbere, alicubi & Ætna grauius ſe ſuſtinere conqueruntur. Atque hunc iocum a nemine dum video deprenſum: neque mirum, quia ſic in occulto latet, nec ſe cuiuis prodit. Vlterius, vocula deeſt verſui, quam è veteribus ei redono:

*Quid ais tu? ecquid adhuc commeminiſti Punicè?*

Atq; etiam illi, quē Lambinus traductione verborū interpolauit:

POE.

*POE. Pro dij immortales! ad hunc plurimi modum*
*Pertere.*

Ex iiſdem inſero, *vt ad hunc:* & optimè conſtabit. Ex iſto autem:

*MI. Quid tu aut tu? AG. quid vis?*

tollendum prius *tu*, quod in optimam editionem irrepſit, ex aliis omnibus & ipſa re liquet. Infra: *MI. Ligulas canales ait ſe aduexiſſe & nuces.* Caſſum & nihili verbum *canales:* cum non malè Douſa F. ſubſtituit *venales.* Dubito tamen & de hoc, & de ipſis *ligulis:* quæ quia non ſatis aptè nucibus in commercimonio mihi iungi videntur, labor vt *Ficulas* ſcriptum credam, tralatitiâ ꝗ L & F, item G & S commutatione. Tum *venales* etſi poterat iam minus improbari: tamen aliud ſubit è Stichi loco, vbi ficus, & nuces ad eundem modum, ſed & fabæ, diminutiuâ quidem etiam formâ, coniunguntur. Scen. *Agite ite:*

*Pro opibus noſtris, ſatis commodulè, nucibus, fabulis, ficulis.*

Iam intelligis, quid ſuſpicer: hic item *faunlas*, quod eſt *fabulas*, ex *canales* fortè faciendum. Quod ſi ita; in dimenſione verſus, *Ficulas* quaſi duarum ſit ſyllabarum, *u* literâ obliteſcente.

Sequitur hinc longiuſculè:

*Verùm ego hic hoſpitium habeo, Antidamæ filium*
*Quæro, commonſtra ſi noviſti Agoraſtoclem.*
*Ecquem adoleſcentem tu hic noviſti Agoraſtoclem?*

In quibus ſi veterem ſcripturam attendas, in qua præter alia eſt *hoſpitem* & *Quæſo*; poſſint videri ſic traductim legenda:

*Verum hic ego hoſpitem habeo, Antidamæ filium.*
*Ecquem adoleſcentem tu hic noviſti Agoraſtoclem?*
*Quæſo, commonſtra, ſi noviſti, Agoraſtoclem*

Sed non abeam tam procul a vulgatis: quorum ordinem cum apta diſtinctione relinquo. Sequens verſus a Lipſio talis factus, qualis in textum iam receptus:

*AG. Siquidem Antidamæ Demarchi quæris adoptatitium.*

At iuſto longior eſt: nec, quod ille ſuadet eliſionibus adiuuandum, id procedit. Nullis enim iuuari ſatis poteſt. Neque ſanè valdè aut locutio Græcanica hîc conuenit, aut ipſa mentio Demarchi: Quis enim ſcit, an de eo ſcierit Agoraſtocles? Nam poſteà quidem non hic, ſed Pœnus eius meminit quaſi ad ipſum ignarum. Vtcunq; autem eſt; è veteri vulgataque lectione malim abſque omni difficultate ſic corrigi:

*AG. Siquidem tu Antidamæ hic quæris adoptatitium.*

Et deinceps continuos verſus aliquot ex antiquis pleniores melioresque volo ſcribi:

*POE. O mi hoſpes, ſalue multum: nam mihi tuus pater,*
*Pater tuus ergo mihi hoſpes Antidamas fuit:*
*Hæc mihi hoſpitalis teſſera cum illo olim fuit.*
*AG. Ergo hic apud me hoſpitium tibi præbebitur.*

*Namq; haud repudio hoſpitium, neq; Carthaginem,*
*Vnde ſim oriundus.*

Quibus quid acceſſerit ad integritatem & ornatum, ex collatione ſpecta. In proximo neſcio ſi non ſolœciſmus hæret:

*——qui potuit fieri, vt Carthagini*
*Gnatus ſis, hic autem habuiſti Ætolum patrem?*

Sanè *habueris* rectius erat: neque id numeris aduerſetur. Tamen & illud in ſermone fero. Statim:

*AG. Surreptus ſum illinc, hic me Antidamas hoſpes tuus*
*Emit me, & is me ſibi adoptauit filium.*

Primò *Surptus* iterum legendum eſt: quam eliſionem & hic ſuprà & alibi monſtraui. dein altrubi *me* delendum, malè bis in eiuſdem ſententiæ nexu poſitum. Poſſis verſu priore: ſed altero faciunt veteres, cui aliam porrò iidem particulam interponunt:

*Emit, & is poſt me ſib. ad. fil.*

Atque iidem etiam vnam iſti inferiori:

*AG. An mortui ſunt? POE. factum, quod quidem agrè tuli.*

neceſſariam illam numeris, vtilemque ſenſui: licet vtrumque non omnibus ita videri poſſit.

Mox habes:

*AG. Mi patrue ſalue. POE. & tu ſalueto, Agoraſtocles.*

Rectè: ſed humanius veteres: *POE. & tu ſalue, mi Agoraſt.* Vt vtrebique *mi* ſit, affectu pari. Et ſtatim:

*MI. Pol iſtam rem vobis benè eueniſſe gaudeo.*
*Et te moneri nonne vis? POE. ſanè volo.*

neque malè: ſed ego melius: *Sed te moneri non neuis?* Alieno loco adhæſerat particula *ne*: quæ ad verbum *vis* retrahenda. *Sed* etiam à nexu orationis requiritur. *Neuis, neuult*, & inde plura, paſſim in Plauto. Sequitur:

*Quid eſt negotij? MI. potin' fieri ſubdolus?*

Verſus cauſſa Lipſius, *potine*. Benè. Veteres non peius, *potin' tu*. Qui metiri neſcierunt verſum, pronocabulum eiecerunt. Inferius:

*MI. Lepidè hercle aſſimulas, iam in principio id mihi placet.*

Vide ne fuerit, *iam principiom id m. p.* Ita ſolet enim noſter. Amphitr.

*Iam illud non placet principium de oſculo.*

Sticho: *Principium placet de lectis.*

Neque tamen alterum minus probum.

## CAPVT VIII.

*Clarus clamor ſine modo. Inter vias, dies, annos &c. Mutatæ diſtinctiones & verba: hæc etiam aliter alicubi digeſta. Turba perſonarum mirifica locis pluribus compoſita. Locus vnus perturbatiſſimus in ordinem ex vero ſenſu reductus: tum aliquot continui verſus è ſcena media reiecti in eius finem.*

Iam

IAM fores pultamus ſcenæ, *Quis pultat?* Atque ingreſſi turbas offendimus ibi inter perſonas Agoraſtoclis & Giddeneines, cuius locum ille non ſemel occupauit. Eas ſedamus hac noſtra deſignatione:

*POE. Noui,ſed vbi ſunt meæ gnatæ?id ſcire expeto.*
*GI. Apud ædem Veneris. POE. quid ibi faciunt?dic mihi.*
*GI. Aphrodiſia hodie Veneris eſt feſtus dies:*
*Oratum ierunt deam,vt ſibi eſſet propitia.*

Nihil certius, quam nutricem reſpondere Pœno, ab eo interrogatam. Nam Agoraſtocles importunè præripiat eius partes. At quæ mox illi tribuerunt, eripio viciſſim, & ſeruo do:

*MI. Pol ſatis ſcio impetrarunt, quando hic hic adeſt.*

Oræ poterant & Agoraſtocli: ſed magis conueniunt ſeruo: vt videbit, qui totum conſiderabit.

Mox vero verſus ita digere:

*Tua pietas planè nobis auxilio fuit.*

quæ eadem & infra, antepenultimâ ſcenâ: *AD. Mi pater, tua pietas planè nobis auxilio fuit.* Paullo pòſt:

*POE. Tace atq; parce muliebri ſupellectili.*
*AG. Quæ ea eſt ſupellex? POE. clarus clamor: ſine modo.*

Coniunctim legenda hæc: *Clarus clamor ſine modo.* Non enim verbum eſt *ſine*, neque aduerbium *modo*: dicitque immodicum clamorem. Quæ nunc ſequuntur, & in verbis aliquãtulum corrupta ſunt, & magis iterum in perſonis:

*Tu abduc hos intrò, & vnà nutricem ſimul*
*Iubeto abire hanc ad te. AG. fac quod imperat,*
*MI. Sed quis illas tibi monſtrabit? AG. ego doctiſſimè.*
*MI. Abeo igitur. AG. facies, modò quam memores, mauelim.*

Ad quem enim illa Pœnus, *Tu adduc hos?* Vt apparet, ad Agoraſtoclem. At quam conuenienter eum iubeat ipſum ſeruos ſuos ad ſe deducere? Tum quid ille reſpondet? *Fac quod imperat.* Et hoc verò ad quem dicit? Ad ſeruum Milphionem: vt ſcribi volunt. Ineptiſſimè. quod ex huius oratione ſubiectâ patet: quæ non eſt huius. Nam ſerui ſcilicet huius erat puellas hoſpiti demonſtrare. Imò id nutricis. Atque illa iſta loquitur omnia, quæ Milphioni hic adſcripta. Qui porrò Milphio ſi hic iam abit, vt loquentem eum fecerunt, *Abeo igitur*; quid infra adhuc reſtitat ad finem ſcenæ? vbi exauditis ſequentibus omnibus & loquitur etiam, *Optimo hercle hodie, &c.* & in ipſo fine denique iubetur abire cum peregrinis ſeruis;

*——tu iſtos Milphio*
*Abduce intrò, nos haſce hic præſtolabimur.*

Omninò nihil in hoc toto loco ſani, ni verba ſcribantur, & perſonæ diſtribuantur, vt hic præibo:

Digitized by Google

*——POE. clarus clamor ſine modo.*
*Tu abduci hos intrò, & vnà nutricem ſimul*
*Iubeto abire hanc ad te. AG. fac quod imperat.*
*GI. Sed quis illas tibi monſtrabit? AG. ego doctiſſimè.*
*GI. Abeo igitur. AG. facias modò, quàm memores, mauelim.*

Hanno abduci ſeruos ſuos vult, & vna nutricem abire in Agoraſtoclis ædes. Hoc ille aſſentit: & ad Giddenemen, facito, inquit, vt velle iſtum vides: quæ paullùm tricata, mox eò tamen abit. Sed iam in hanc emendationem apertè pugnat ſequens locus: è quo liquet, abire Milphionem velut iuſſum cum Pœnis ſeruis, quos abducat ad heri ædes:

*MI. Lachanam vos, quos ego iam detr. &c.*

Hæc enim ad illos Hannonis homines, inter vias. Atque id neceſſe, quia ſic voluerat ipſe hoſpes, vt iam è proximis vidimus. Hic quid nos reſpondemus? Pugnant iſta, nec poſſunt conciliari, ſi leguntur ſuo loco. quod ſtatim iam nego. Pugnant enim magis & in ſcenæ reliqua. Nec enim dum abit Milphio, neque fuit iuſſus: quod paullò antè monſtrabamus. In fine iubetur demum: quò continui quatuor iſti verſus hinc reiiciendi. Ac omni careo ratione, niſi cogit omnis ratio finem ſcenæ ſic conſtituere:

*AG. Pol iſtuc quidem iam certum eſt. tu iſtos Milphio*
*Abduce intrò: nos haſce hic præſtolabimur.*
*Patruo aduenienti cœna curetur volo.*
*MI. Lachanam vos, quos ego iam detrudam ad molas,*
*Inde porrò ad puteum, atq; ad robuſtum codicem.*
*Ego faxo hoſpitium hoc leuiter laudabitis.*

Vt hæc cohæreant, neque diiungi poſſint, ex ordine rei toto cuiuis non dormitanti perſpicuum eſſe poteſt. Superiora item iam optimè ſe conſequuntur, in hunc modum:

*GI. Abeo igitur. AG. facias modò, quàm memores, mauelim.*
*Audin' tu patrue? dico, ne dictum neges,*
*Tuam mihi maiorem fil.*

Dimiſsâ nutrice, priuſquam & ſerui ablegentur, interiicit alium ſermonem Agoraſtocles & agit cum patruo de filiâ ſibi deſpondenda: porroque alia de ſpectatione filiarum ſubiiciuntur: donec iis ipſis aduenientibus ac viſis, Milphioni abitio, ſeruorum abductio, & cœnæ curatio mandatur: qui inter eundum inhumana oratione non ſatis amicum hoſpitium illis minitatur. Hic ordo verus & germanus: nec aliter tota ſcena conſiſtit. At iam occaſionem quoque traiectionis tantæ dicam. Video enim, nec me fallit. Eſt autem illa ſuperior mutatio perſonarum, vbi Milphio pro Giddeneme ſubſtitutus, errore facillimo in notis GI. & MI. Nam cùm hic putaretur illa priora dicere, & abire: conſequens viſum fuit, vt pronuntiati ab eo inter abeundum verſus illuc transferrentur. Atque ita à fine in ſcenæ medium illi peruenerunt: quos inde

Digitized by Google

inde retractos à nobis rectiſſimè ſatis eſt hactenus probatum. nec pluribus emendatio tam luculenta verbis eget: quam neque verbis, ſed ipſa re commendatam volo. Concludam autem hoc caput leuiore notatiunculâ non protritiſſimæ dictionis. Legiſti in eadem ſcenâ:

*——P OE. at ne inter vias*
*Præterbitamus metuo.*

*Inter vias* eſt, in via. vt Aulular.

*Deinde egomet mecum cogitare inter vias Occæpi.*

Et Terent. Eunuch.

*Dum rus eo, cæpi egomet mecum inter vias &c.*

Ex quâ eâdem notâ ſunt & hæc. Noſter Ciſtellar.

*Inter nouam rem verbum vſurpabo vetus.*

Trucul. *Inter tot dies quidem hercle iam actum aliquid oportuit.*

Titinnius Fullon.

*——qua inter decem*
*Annos nequiſti vnam togam detexere.*

Tibull. *Atq; hac ſeu noſtras inter ſunt cognita terras.*

Lucanus, vt volunt, Panegyr. ad Piſonem:

*Mira ſubeſt grauitas inter fora: mirus omiſſâ*
*Paulliſper grauitate lepos.*

## CAPVT IX.

*Quæ res? Tenere, tenax, Venerea: item Dirumpere. In memoriam habere. Allex. Allium Vlpicum. Multa adhuc in Pœnulo variè emendata. Mutata verba, verſus concinnati. Fœda perſonarum confuſiones iterum quamplurimæ ſublatæ. Quædam vt correcta, ſic & explicata aduerſus alios.*

NImiſquam ſæpe negotium nobis faciunt perſonæ, quas rectè diſtributas vbique plurimum refert. Eæ aliquoties ſcenâ ſequente perturbatæ, atque aliter aliis in libris: maximè in orationibus puellarum ſororum: quæ confuſæ, non obſeruato vtriuſque ingenio diuerſo, vt & ſuperius alicubi in hac fabulâ notaui. Dabo autem primò hîc omnia iſta loca ſcenæ huius, quæcunque ſic corrupta: & ſingulis veram prænotabo perſonam, ne tam diſſentanea, & ſæpè contraria ſibi loquantur: deinde ad alia generis eiuſdem vel alterius accedam. Ipſum principium non eſt Adelphaſii, ſed ſororis iunioris, quæ ſemper introducitur procacior. Igitur ſcribatur, vt quidem in nonnullis editionibus eſt:

*A N T. Fuit hodie opera precium eius qui amabilitati animum adiiceret &c.*

Vbi & dubium, an non *adiceret* ſiue *adijceret* legendum. Atq; Anteraſtilis hæc continuat hunc ſermonem vſque eò, vbi excipit altera maior eam velut caſtigans:

*A D. Malim iſtuc alius videatur, quàm vti tu te collaudes.*

Iam verò quę ſequuntur, vnius non ſunt, vtrius tandem ea faciant omnes libri. Sed tu ſic diſtingue:

*——A N. ſpero quidem.*

*AD. Edepol ego, cùm, ingeniis quibus ſumus, atq; alia, cognoſco.*
*Eo, ſumus gnatæ genere &c.*

Qui vnquam hic ita quoque poteſt.

*——A N. ſpero equidem*

*Edepol ego, cùm, ingeniis quibus ſumus, atq; alia, cognoſco.*
*A D. Eo ſumus gnatæ gen.*

Hanc enim poſtremam ſententiam prorſus Adelphaſio tribuendum eſt, quæ eadem repetit eandem intra:

*AN. Non eo ſumus genere prognatæ, tametſi ſumus ſeruæ, ſoror,*
*Vt deceat nos facere quidquam &c.*

Verùm prior modus, animo meo, magis aptus. Portò illa ſic inter vtramq; partienda:

*A N T. Vt volupe eſt homini, mea ſoror, ſi quod agit, cluet victoria!*
*Sicut hodie nos inter alias præſtitimus pulchritudine.*
*A D E L. Stulta, ſoror, es magis, quam volo. an verò pulchra videre, obſecro,*
*Si tibi illic non os oblitum eſt fuligine?*

Cauſſa eadem hîc eſt: quia minorem ſemper reprehendit & corrigit maior: haud contra. & iuuat, quòd Agoraſtocles ſtatim exclamat iam: *O patrue mi patruiſſime!* quod vbique facit poſt Adelphaſii ſuæ verba: & de hac potiſſimùm mox illud dicit:

*Eſt lepida, & lauta: vt ſapit!*

Qui porrò locus in aliò mendo eſt, cum ita vulgatur:

*POE. Quid eſt? A G. eſt lepida & lauta: vt ſapit! POE. ingenium patris habet quod ſapit.*
*A G. Quæ res iam diu edepol ſapientiam tuam, hæc quidem cum abuſa eſt.*
*Nunc hinc ſapit, hinc ſentit, quidquid ſapit è meo amore.*

Et primo verſu ſcribes, *quo ſapit*: leui mutatione. quam alter requirit grauiorem. Nam & numeri laborant & ipſa verba. Medeor vtriſque:

*A G. Quæ res? iam diu edepol ſapientiam tuam abuſa eſt hæc quidem.*

Indignatur adoleſcens, adſcribere ſibi Pœnum, quod ipſe vendicabat ſibi. Et indignantium aut perturbatorum alio affectu formula eſt, *Quæ res?* de qua Gulielmius noſter ad Aulularian. Tertius itidem a numeris corruptus, & defectus ab vno præterea verbo: quod veteres iteratò ſcribunt, *quidquid ſapit, meo amore ſapit*. Integer verſus ita ſit:

*Nunc hinc ſapit, hinc ſentit: quidquid ſapit, amore meo ſapit.*

eiecta etiam præpoſitione è, quæ a Lambino. Sic amator amore ſuo ſapere dicit puellam, vt ingenio ſuo pater. Iam porrò non æquè

què peccatum in ſororum diſcriminatione: & tamen aliquando: ſed alio quidem modo. Seruabimus autem nunc ordinem, & cum occurrent, oſtendemus.

Iſto verſu:

*Cum ſibi nimis placent, nimisq; operam dant vt placeant viris.*

minime recipienda diuerſa quorūdam lectio, *nimisq; operam add.* quam Lambinus probaſſe videtur, & viros hic accepiſſe pro maritis. Nihil hîc loci maritis: neque mulieres hîc ſunt vxores. Nimium ſtudium capitur placendi ſexui virili, quod innatum illi ſequiori.

Pòſt omnino legendum:

*A G. Mea fiducia hercle aruſpex, patrue, his promiſit, ſcio,*
*Libertatem.*

vt in veteribus exſtare Lambinus dicit: non *patruelis*, vt vulgò; aut, vt Lipſius, *patruelibus*. Vtrumque repudiat verſus: alterum & ſenſus. Iam & verſus ille non conſtat:

*Sed quis homo eſt? A G. amicus vobis. A D. qui quidem inimicus non eſt.*

Voculam vnam traduc, & conſtabit: *qui quidem non inimicus eſt.*

In hoc:

*A G. Multa bona vobis facere volt. A D. bonus bonis beneſeceris.*

Velim *beneſecerit*. Adhuc enim Agoraſtocli reſpondet. Deinceps eſt:

*POE. Sed vt aſtu ſum aggreſſus ad eas? A G. lepidè hercle atque commode.*

*Perge etiam tenta, rem in pauca confer? ſitiunt, qui ſedent.*

Cenſeo perſonis hoc variandum: vt quærat Hanno prius, an porrò tentandæ videantur, tum paucis id faciendum moneat adoleſcens. Ita enim percommodè poſſit:

*POE. Pergo etiam tentare? AG. in pauca confer.*

Et vix aliter à poeta ſcriptum credo. In proximo deinde iocus eſt, non hactenus animaduerſus:

*A G. Nunc tene patrue. POE. tu frugi ſi bona es.*
*A G. Vin' ego hanc apprehendam? POE. tene.*

Interpretatur quidem Lambinus, *tu tene, ſi es bona frugi.* Sed id non penetrat interiorem mentem: Ambiguitas in verbo *tenendi* eſt, quod & inter Venerea. Cum igitur Agoraſtocles patruum tenere iuberet ſuam ſponſam; patruus illam verò tu, inquit, tene, ſi es frugi bonæ. Verbi ipſius exempla pauca dabo. Appuleius lib. 10. Metam. *Teneo te, inquit, teneo meum palumbulum, meum paſſerem.* Idem lib. 3. *Nec vllum miſeræ reformationis video ſolatium, niſi quòd mihi, jam nequeunti tenere Fotidem, natura creſcebat.*

Martial.

*Sæpe ego N. tenui. dic quàm bene quærit*

Sidon.Apollinaris:

*Iamq; Iouem in formas mutat, quibus ille tenere*
*Mnemoſynem, Europam, Semelen, Ledam, Cynoſuram;*
*Serpens, bos, fulmen, cycnus, Dyctinna ſolebat.*

Atque inde apud noſtrum *Texax* in Caſina, vbi de equo indomabili. qui & alibi ludit eodem modo: *Iamne hoc tenetis? caue, dirumpatu.* quem locum ad funem in choro ſaltantium trahunt vulgo: non malè. ſed & huc poteſt, imò debet magis: quia & in *dirumpendi* verbo eadem argutia captata. Id enim quoque in Venerio cenſu: vti Caſinæ bis:

*S T A. Edepol ego illam mediam diruptam velim.*
*O L Y. Credo edepol eſſe, ſiquidem tu frugi bona es.*

Item: *S T. Perij hercle ego miſer: dirumpi*
*Cantando hymenæum licet: illo modo, quò dirumpi cupio,*
*Non eſt copia.*

Sed hic porrò ſequitur:

*A D. An patruus eſt, Agoraſtocles, tuus hic? A G. iam faxo ſcibitis.*

In antiquis eſt *ſcibis*: idque rectè. Nam & vni ſuæ reſpondet Agoraſtocles; & hinc iam verſus incipiunt mutari. Mox ibi:

*A D. Etiam me meæ latrant canes?*

ſine cauſſa Lambinus voluit *allatrant*. Si mutandum quid; accipienda veterum editionum ſcriptura perquam hercule venuſta: *A D. Etiamne meæ in me latrant canes?* Et vix eſt, vt non hoc potius ab auctore. Inferius earundem prorſus accipio:

*Eas dis eſt æquum gratias nos agere ſempiternas.*

In vulgatis *vos.* cur autem ſe excludat? Enimuero non excluſiſſe patet è ſequentibus ſtatim:

*Cum noſtram pietatem approbant decorantq; dij &c.*

Ad finem propius, iſta non poſſunt eſſe ſana:

*——A G. quæſo qui lubet tam diu tenere collum,*
*Priuſquam te mihi deſponderit? A D. omitto. A G. ſperata ſalue. A D. omitte*
*Salutem. A G. & tu altera. A N. nolo ego iſtuc, enicas me.*

Cur enim ſalutari ab amatore puella nolit? maximè cum in eo iam geſſerit morem, vt parentis omitteret collum. Opinor adulteratas & hîc perſonas, vnamq; præterea vocem. Atque omnino reſtituerim:

*——A D. omitto. A G. ſperata ſalue. omitte*
*Solutum & tu altera. A N. nolo ego. A G. iſtoc enicas me.*

Impatiens moræ adoleſcens collum patris ab vtraque vult ſolui, vt liberè ſua ſibi queat deſponderi. Faciente illâ, renuit altera: à qua ſe dicit igitur enicari. Sub ipſum finem:

*A G. Patrue facito in memoria vt habeas, tuam maiorem fil. &c.*

non indignum moneri de veteri lectione & locutione, *in memoriam habeas.* quæ probe vetus & Plautina. Subnectamus huic capiti

piti & quæ in poſtremas ſcenas habemus, ſed eorum præcipua: quæ ſunt ipſa tenuia tamen ac pauca. Penultimæ illud:

*Tune hic amator audes eſſe hallex viri?*

non ſapit mihi ex Lambini quantumuis ſalsâ & muriaticâ interpretatione: qua nec meliorem ab aliis ſcio datam. Igitur mutem interim vocem *hallex*, detractâ ſaltem adſpiratione. *Allex viri* ſit, impudicus, effeminatus, qui virum ſibi quærat. Eius quidem vitii Pœnum arguit miles: atque eo indignatur, talem etiam amatorem eſſe, & contrectare id audere, quod mares ament. Sed coniectura ſimplex ea eſt, nec eo minus fortè vera: qua tamen argutiorem qui afferet, ei lubens cedam.

Mox:

*——tum autem plenior*

*Allij vlpiciq́; quam ſunt Romani remiges.*

Libri veteres abſque copula legunt, *Ally vlpici*, non improbante ſententia, magis probante verſu. Vtrumque enim quidni ſic iunxerit, cum ſint eadem ferè? Species enim allii vlpicum. Quin vlpicum epitheton hic eſſe poteſt allii, quaſi dixerit punicum allium: quod decenter & veriſimiliter in hominem Pœnum. Vlpicum autem, punicum allium vocari Columella docet lib. 11. c. 3. *Vlpicum quod quidam allium punicum vocant, Græci autem ἀφροσκόροδον appellant, longè maioris eſt incrementi quàm allium.* Sed hoc quoque ſaltem pono, non decerno. Illud:

*——A N. ità me Iuppiter*

*Bene amet, benefactum gaudeo, & volupe eſt mihi.*

alo prorſus aliter interpungendum: *—A N. ita me Iuppiter Bene amet, benè factum: gaudeo, & volup.* Ad ſcenæ exitum iterum perſona, credo, aliena ſuppoſita veræ:

*A N. Et mihi hic auri fur eſt. P OE. bellum hominem quem noueris.*

Nam miles haud ſanè meritò furem ſibi lenonem dicat, etſi auro ab eo circumductus: nec pro fure vnquam antè vel deinceps compellat. Facit ſæpe Agoraſtocles, & iure ſolus. Huic enim propriè fur erat ex ſuperiore dolo, cùm ſeruum mitteret cum auro, ei receptandum & negandum: id quod ita poſteà euênit. Igitur hæc iam ſub eius perſona continuamus:

*——A G. vtrumq́; eſt, & leno, & Lycus.*

*In ſeruitute hic habuit duas filias tuas.*

*Et mihi (hic) auri fur eſt.*

Probabit hoc ſcio, qui fallaciæ inſtitutæ, & locorum meminerit, vbi de furto iſto agitur: quæ plura ſunt paſſim, quam vt hic neceſſe ſit vlla poni. Et tamen ecce vnum ex vltima ſcena, ſed aliâ cauſsâ mihi referendum, vt ſcil. emendetur:

*A G. Duplum pro furto mihi opus eſt. L Y. ſume hinc quidem.*

Scribendum in reſponſione lenonis, *ſume hinc quid lubet.* Sic enim

Cc

reſpondet deinceps ſemper. Aut in ſequentibus contrà mutandum, *ſume hinc quidem*. Eadem enim prorſus eſſe debet formula vbique. Et hęc poſterior placeat alicui magis, quia videatur ad eam alludi illis quoque ſubſequis verbis, *haud verbum quidem*. Verſui antepenultimo particulam inſeres ex antiquis: *Malum poſtremo hoc omne ad lenonem redit*. & huic fabulæ, ſi noſtra ex emendatione placuit aliquanto plus quàm antè, nouum plauſum dabis.

***

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI PERSAM

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

Clariſſimum Virum

ASCANIVM PERSIVM

Philoſophum & Philologum.

MIHI verò aſſiduè in auribus ſonat Homerica flagitationis tuæ vox,

—[illegible]:

quâ cùm exigis me, CL. PERSI, quod ex promiſſo debeam, velut incentiuò quodam incitat ad ſolutionem. Atq; ego me ſtimulari mirificè quidem ſentio, neq; leuis haberi ſanè pollicitatór aut malæ fidei nomen velim: quid eſt tamen, quod adeò promiſerim aſſeueratò, quodque tam acri tuâ exactione, & incitatione inſuper Homericâ dignum tibi videatur? Opinor, opinationum mearum in varios ſcriptores varias nugas dicis & poſcis. Nec enim potius aliud vel abiens recepi tibi, vel abſens hinc literis iterum quaſi renouatâ ſponſione confirmaui: Ita eſt, inquis: hoc ipſum quæro. Benè eſt igitur. & an ego morór aut tricor? Iam alteris tertiisq; tibi literis in eo eſſe me nuntiaui: ſed & ipsâ re, fuiſſe hactenus, fidem feci. An tu autem Curtiana noſtra annò edita nondum vidiſti? neq; malè viaticata exemplaria Alpes adhuc ſuperarunt? aut has ſi ſuperarunt, Appenninum veſtrum metuunt, fugiuntq; Hypercritici acuminis tui ſeueritatem? Fruſtrà hoc quidem fit: nec amiciorem illa cenſorem inuenerint, aut iudicem indulgentiorem: Et alter eſſe

*nuper illuſtris Pinellus mihi noſter refert: qui ad ſe profectò perueniſſe, & à ſe ad amicos illic, ſi lingua veſtra tantillum etiamnum ſatis capio, dimiſſa ſcribit. Habueris igitur iam nunc tu quoq; inter communes amicos minimè poſtremus: & cui ab illo præcipuè me primitus conciliatum magna mihi voluptas eſt meminiſſe. At verò ne ſic impleſſe fidem promiſſi mei videri velle & auidam exſpectationem tuam cluſurus exiſtimer; ecce porrò continuò Plautina noſtra ſubmitto: quæ tu quidem magis fortaſſe deſideras, vtpote quæ apud vos etiam edi volueris, & in editione conficienda mecum iuxtà, cum in hanc cupiditatem ipſe à tua præcipitatus vltrò eſſem, laboraris. Fruſtrà tum tamen vterq; ſolliciti fuimus, & partui nondum maturo temerè Iunonem Lucinam clamauimus. At ab eo tempore creuit vſq; fœtus noſter, & magis efformatus ad lucem tandem ſponte properauit: quando mihi nuper verminari, non venter, ſed cerebrum cœpit, & vrgentibus parturitionis doloribus, non Vulcano ſed Minerua obſtetrice diuturnum & pigrum onus effudi. Cui etiam nunc rudi & informi circumſpicio vndiq; & conquiro quaſdam velut vrſas, quæ meam languentis & ægri a puerperij labore vicem lambendo deinceps aliquantulum effingant: vel certò tutores potius aut quaſi compatres ambio, in quorum curam & educationem fideliorem tenellæ prolis infirmitatem committam: vt ipſe ſollicitudine eà liber liberis iam mox & libris pluribus operam dare poſſim. Hos tales è veſtrà præcipuè gente mihi deſtino; bono iure, quia in Italia potiſſimum concepi: ſed & alios adiungo; cauſſâ non malâ, vt quocunque locorum veniat aliquando liber hic meus, vbiq; curatores habeat ſibi vitæ & famæ defenſores. Inter autem Italos hoc tempore te ſelegi quoq; præter alios, mi Perſi: etſi plures erant, qui & libenter officium id amicitiæ noſtræ præſtarent, & qui ijdem fortè rogari ſe debuiſſe pariter æquo vobiſcum iure contendent. quos tamen offendi hac omiſſione nolim, neq; poſthabitos aut neglectos ſe exiſtimare. Res, vt omnium haberetur ratio, non tulit: quod tu, vt intelligis, ſic in mei excuſationem apud pleroſque meo nomine explicabis, & de fœcunditate noſtrâ, quæ quidem vno*

*aut*

*aut altero partu non fuerit exhauſta, benè iubebis & in po-
ſterum ſperare. Tu certè adſciſcendus fuiſti mihi nunc multis
de cauſſis, quas omnes perſequi putidum videatur. Et quæ
verò potior inter omnes illo cupidiſſimo mearum commenta-
tionum deſiderio tuo & auidiſſima exſpectatione? Tum au-
tem debuine fruſtrari ipſam tuam exactionem, quâ cùm fi-
dem promiſſionis meæ conueniſti, viſus es hoc quoque tan-
quam debitum vltrò poſtulare? Et ego quidem debere non
hoc tantum, ſed plura maioraq; me tibi fateor, non tam ex
pollicitatione vllâ, quàm beneficiorum in me tuorum merito;
quæ agnoſco, mi amice, gratoq; animo memoriam omnium
conſeruo: ſed illa nunc ſeponamus, neq; debiti nomen inui-
dioſius vrgeatur. Ego amorem hac in re ſpecto maximè, ſpe-
ctariq; volo: quem tam mutuũ inter nos ſcio, quàm magnum
in te meum ipſe ſentio. & per huic parem tuum quis lubentius
ſuſcepturus ſit quodcunque meum? quis humanius habitu-
rus? quis diligentius curaturus? Nihil aliorum affectui detra-
ho: ſed ſine vllius iniuria fecero, ſi non te quidem omnibus, ſed
nec tibi quemquam anteponam. vt enim & neminem tibi
componam, animum non induco vel ſentire, vel dicere: neque
tulerit modeſtia tua, quam obſeruas etiam in amore. Conci-
liauit ita nos inuicem arctior familiaritas & quotidiana con-
uerſatio, perque aliquod tempus etiam ipſa cohabitatio, cum
in ædibus tuis tecum & cum doctiſſimo optimoq; viro fratre
tuo Antonio viuerem, atq; ita haberer à vobis comiter, vt
nuſquam melius ſimul & iucundius fuiſſe mihi non vanè
poſſe videar affirmare. Complexi tum omni genere officiorum
vterque me eſtis, & illo Romam digreſſo, tu deim quomodo
me quoque abiturientem Bononiæ apud vos retineres cogita-
ſti, viamq; adeò feliciter inueniſti. Quam vtinam ego non re-
pudiaſſem! & tuis aliorumq; monitis, illuſtris autem Paleot-
ti noſtri etiam auctoritati fuiſſem in illa conditione ample-
ctendà obſecutus, quâ nec honorificentiorem, neq; commo-
diorem meis, vti nec infrugiferam aliorum ſtudiis poſſum
nunc optare! Sed verecundia mea me adoleſcentiorem etiam
tum ab illa luce Scholæ veſtræ deterruit, & pulpita cathe-*

*draumq; prohibuit aſcendere, qui non niſi ſubſelliis adhuc me dignarer: neq; ſanè per eandem nunc quoq; idem muneris vel affectare quaſi poſtliminio poſſim, vel oblatum iterum auſim acceptare. Veſtrum ex illa tum* [illegible] *ſummum mei amorem perſpexi: quo coràm diutius, atq; vt vos cuperetis, frui nõ ſinebant mearum rerum in patriam neceſſariæ me retrahentes rationes. Quando autem etiamnunc ita mei cupidi eſtis, vt vltrò rurſum ad vos inuitetis, & tu præcipuè reditum hortatu a ſ piſſimi Paleotti ſuadeas, neq; dum integrum eſt mihi veſtrum ductum & auſpicium ſequi; ne tamen omninò me toto careatis, illa quoq; cauſâ libellos hos quaſdam velut imagunculas mei ad vos mitto, interq; vos diſtribuo: è quibus iſtum ſuper cognomine tibi Plauti Comœdia tu tibi habe, atque illa te velut picturâ, vel vt ſobole ingenioli mei, dum ipſo me non licet, interim oblecta: ſimul inſpice diligentius, an hæc adeò proles ſimilitudinem aliquam referat patris: illius inquam patris, qualem vos eſſe vobis amico nimis & honorifico iudicio perſuadebatis. à qua facie vereor ne nimis abhorrere deprehendatur, neq; vos ſpem in ea veſtram ſitis agnituri; niſi qui vos amor in ipſo patre iudicando occœcarat, vt, qui non eſſet, videretur tamen; idem in prole cenſenda decipiat, illiq; non diſſimilem præſtigiis ſuis probet. Quod vt opto ſanè ego, ſic vero iudicio me meaq; probari vobis malim: atq; id operam vnicè dabo, vt ſi iuſtos cenſores nunc etiam minus, at deinceps magis magiſq; vos queam ſuſtinere. Ad alia enim porrò animum adiicimus, nec feriari in ſcribendo conſtituimus; quid aggreſſuri tamen primò ſimus, rationes omnes conſiliorum nondum ſunt ad liquidum ſubducta. At quidquid erit, maturè ſatis ſcies tu: à quo propediem aliquid viciſſim exſpectamus, & illud præcipuè operoſum opus tuum in patriæ linguæ illuſtrationem cumq; nobiliſſimis quibuſq; linguis aliis & veterum ſcriptorum loquendi formulis comparationem inſtitutum: cuius iam ſpecimen & adumbrationem leuem publicè oſtendiſti. Atq; hic tuum in me dictum commodè in te retorqueo,* FAC OPVS APPAREAT. *Fac: & in eo ita perge, vt longa tandem iſta cura abſolutus, ad alia vacuum animum conuertas.*

*uertas. quæ quemadmodum nunc ſcribis habere te incepta multa, pauca affecta, confecta nulla: ſic, illo edito, exſpecto vt contrà nunties multa te habere confecta, plura affecta, plurima incepta. Quod idem de fratris quoq; tui magnis magnæque exſpectationis laboribus opto ac ſpero: cuius è veteri Thermopolio nouum Θερμοπώλην, hoſpitem mihi deſideradiſſimum, nondum video aduentare, fortaſſe crapulâ nimia eruditionis tardiorem, ac murrhatis antiqui ſaporis, an ſapientiæ antiquæ vinis nimis oneratum. Tu tamen ſpem eius propinquiſſimam mihi feceras: ac ſi nondum profectus eſt, iube viam quamprimum inire, & curriculo peruolare: ſicque tu etiam contrà, vt in quo cœpi finiam,*

——πλέον μοι ἀπόσχοιο, ἤ περ ὑπέστης.

*ſicque tandem vale, me ama: fratrem & amicos ac beneuolentes reliquos, in his viros eruditionis, virtutis, ac famæ iuxtà præſtantiſſimæ, Spannochium, Taliacotium, Claudinum, Gigantem, Pannonium etiam, mei olim amantiſſimos ſaluere & amare iube.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI PERSAM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Quadruplari. Albo ariete oppugnare. Perſæ principium à maculis pluribus expurgatum. Diſtinctiones, perſonæ, verba mutata: locus totus intricatiſſimus ope lib. vet. extricatus, & interpretatione clarâ enarratus. Album rete de oppugnatione remotum: albus aries ſubſtitutus. Locutio ipſa hæc eleganter explicata: altera cum explicationibus aliorum refutata & damnata.*

VEnio ad PERSAM, vt & hunc in Romano theatro doceam latinius & elegantius loqui: neque hoc tamen ſolum, ſed & faciam, id omnino, quod vult, dicere: id eſt ne ſenſus multis locis abhorreant. quod quidem in ipſa ſtatim periochâ fit, vbi ſic plerique libri diſtinguunt:

*Profecto domino ſuos amores Toxilus*
*Emit, atq; curat leno, vt emittat manu.*

An non enim ſententia abſurda, lenonem curare, vt ancillula

ſua manu mittatur? Id quidem Toxilus curabat, ac per ipſam emtionem. Quare nemo fuerit tam puer, qui non videat hoc modo interpungendum: *Toxilus Emit, atq; curat, leno vt em. m.* A lenone hero manumittitur Lemniſelene Toxilo liberãte. Primâ deinde ſcenâ nihil eſt quod offendat magnopere, niſi luxati quidam verſus, quos tamen prætereo, & in ipſo fine perſonarum grauiuſculum peccatum noto. Nam quæ ſic nunc inter ſeruos diuiduntur:

*SA. At pol ego abs te conceſſero. TO. iamne abis? SA. bene ambulato.*

*TO. Sed recipe te quamprimum potes, caue ſuas mihi in quæſtione.*

eorum vltima, quantum iudico, melius vni Toxilo continuè dentur omnia, diſpuncto Sagariſtione:

*TO. iamne abis? bene ambulato:*

*Sed recipe te q. p.*

Neque leuis ratio: cum non Toxilus abeat vltrò, ſed ab hoc alter, impatiens μωρολογίας ipſius. Atque ait manifeſtè Sagariſtio, conceſſurum ſe ab illo, ſimulque concedit: vbi tùm ille, ſiccine abeat? quærit, & eo pergente, bene ambulare optat, ſed ita vt ſe quamprimum recipiat, nec in quæſtione ſibi ſit aut mora. Sic igitur, vt monſtraui, ſunt omninò perſonæ componendæ. Scenâ ſecundâ difficilis eſt locus, quem nemo dum ſatis expediit, etſi plures fuerunt adniſi. Eum prius aſſeribam totum, dein meam ſubiiciam cenſuram ſingulatim.

*Neq; quadruplari me volo, neq; enim decet*
*Sine meo periculo ire aliena ereptum bona:*
*Neq; illi qui faciunt, mihi placent, planè loquor.*
*Nam publicæ rei cauſsâ quicunq; id facit*
*Magis quàm ſui quæſti, animus induci poteſt,*
*Eum eſſe ciuem & fidelem & bonum.*
*Sed legirupam qui damnet, det in publicum*
*Dimidium, atq; etiam in ea lege adſcribier,*
*Vbi quadruplator quempiam iniexit manum,*
*Vt æqua parti prodeant ad treſuiros.*
*Si id fiat, næ iſti faxo nuſquam appareant,*
*Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.*

Sudat Lambinus in mirum modum, nec proficit tantillum: vt de aliis ſileam, quorum nemo fuit, qui germanum ſenſum aſſequeretur, quia nimis omnes receſſerunt a veterum librorum lectione. Hanc ſecutis nobis non erit, vt ſpero, difficile ad verum peruenire. Verſu autem primo, *me* Plauti more abundat, quod locutionis genus alibi neque ſemel attigimus: *quadruplari*, eſt quadruplatorem agere: quem ſe eſſe velle paraſitus negat: & addit rationem, in qua præcipua obſcuritas: eaque ex interpolatione ſcripturæ veteris in contrarium planè ſenſum abeuntis. Vbi enim libri no-

Digitized by Google

bri noſtri, *quicunq; id facit*; illi habent, *qui non id facit*: vbi noſtri, *animus induci poteſt*; illi negatione itidem inſertâ, *animus haud induci poteſt*: & denique, vbi vulgò, *-ni damnet*; in illis, *quidem ni*, notabili diuerſitate. Accedit, quòd fractus & mutilus verſus eſt, *Eum eſſe ciuem & fidelem & bonum*. tum quòd ſententia defecta etiam iſtorum, *atq; etiã in ea lege adſcribier*. Poſtremò ſolœcum eſt, *quempiam iniexit manum*. Quæ tamen omnia ſic etiam leguntur in antiquis. At verſum mutilum iuuare ſic nobis liceat:

*Eum & fidelem ciuem eſſe & virum bonum.*

itemque ſententiam defectam ſic explere, *atq; æquum etiam in ea lege adſcribier*. Vox enim *æquum* a conſimili *atq;* potuit abſorberi. Pro *quempiam* reponere quiuis ſciat *quoipiam*. Nam eo caſu ſtatim ſubiicitur, *illi rurſus inijciat manum*. Alterum *quempiam* ab iis natum, qui & pro *iniexit* fecerant *illexit*. Sed omnia nunc reſcribamus, vt de ingenio partim, partim ex veterum codicum auctoritate cenſemus optimè emendari.

*Nam publicæ rei cauſſâ qui non id facit*
*Magis, quàm ſui quæſti, animus haud induci poteſt,*
*Eum & fidelem ciuem eſſe & virum bonum:*
*Sed legirupam quidem: niſi dat* (vel *ni duit*) *in publicum*
*Dimidium. atq; æquum etiam in ea lege adſcribier,*
*Vbi quadruplator quoipiam iniexit manum,*
*Tantidem ille illi rurſus inijciat manum,*
*Vt æqua parti prodeant ad treſuiros.*

Iam cohæret ſibi mutuò ſententia, quę diuulſa antè non conſiſtebat. Et quid clarius eâdem? Hoc quidem tot verbis Paraſitus dicit: Nolle ſe quadruplari, neque id ſibi genus hominum probari. non enim decere, aliena bona ereptum ire ſine periculo ſuo: neq; poſſe fidelem ciuem aut virum bonum eſſe, qui id faciat non tam reipublicæ, quam priuati quæſtus ſui cauſſa: verùm profectò legirupam eſſe hunc talem, niſi ſi dimidium det in publicum. nam qui hoc det, ferri poſſe. atque id omninò dandum: vtque detur, lege canendum eſſe: cui legi illud etiam ſit æquum adſcribi, vt cui manus iniecerit quadruplator, is ipſi viciſſim quadruplatori manum iniiciat, ac quidem tantidem prorſus, vt ad triumuiros æqua parte veniant & æquo iure. Quod ſi ita fiat, nuſquam apparituros illos alienorum bonorum inſidioſos & fraudulentos, iniquiſſimos quidem illos, ſed ſub æqui & honeſti ſpecie, captatores. Ceterùm quibus verbis hoc poſtremum in Plauto efferetur, ipſa quoque controuerſæ diu fuerunt inter eruditos ſententiæ, & aliquandiu etiam ſcripturæ. Sed hanc omnes amplexi poſtremò ſunt, vt ſcriberetur, *Qui hic alit rete aliena opp ugnant bona*. & hac tamen approbatâ, nihilominus in illa fluctuarent. Quis non album illud rete torſit? Alius ad codicillos, dicas, ſyngraphas; alius ad Prætoris ſolius, alius nunc ad magiſtratuum aliorum etiam al-

bum, nunc ad album tabularum; alius aliò retulit: quidam & prouerbium fecit, origine eius neſcio vnde, ſed, niſi fallor, à pictis & diuerſicoloribus retibus deductâ: contra quem Florentinum nugatorem Gallus tandem aliquis inſurrexit, communemque iſtam litem ſuam propriè fecit. Atque hic idem optimè omnium, tranſlatitium eſſe ſermonem docuit, & allegoriam in voce *Reti*. Per hanc leges intelligi: eas albas dici, quaſi εὐπροσώπους. Cuius in explicatione conquieſcere omnes hodie puto, vt iam olim in vulgata nunc lectione. At ego cum illam ſanè quoque recipiam, hanc tamen ſolus vix admitto: quod erit præter omnium exſpectationem. Quis enim putet nouam litem moueri nunc poſſe ſcripturæ ſic interpretatæ? Mouebitur ecce tamen: neque tantùm poteſt, ſed debet. Poſſe, lectionis antiquæ prærogatiua facit: debere, certa ratio ſuadet. Priſca lectio eſt, *albo pariete*. Ratio iſta: Non enim Latinum, *retibus oppugnare*. quod ſenſit Yuo quoque, cum Titium interrogat, an Latinum putet, piſces retibus oppugnare? Ac mirum, qui non hoc admiſit, eundem illud admiſiſſe tamen, vt bona reti dicantur oppugnari. Non enim diuerſa ratio in piſcibus & bonis: Manetque idem loquendi genus, dum verbum *oppugnare* iungitur vtrobique voci *reti*. Quis autem paullo elegantior, nedum Plautus elegantiæ princeps, ita loquatur, vt oppugnationem in retibus ponat? nam quid hæc ad pugnam? vt maximè ſit allegoria. quæ quidem nec eſt, niſi tranſlatio ſit cohærentior: Enimuero talem ex veteri lectione nos faciemus: & vicem retis, arietem oppugnandis bonis accerſemus. *Albo* inquam *ariete* corrigendum eſt, ex *alto pariete*: ſed ita vt neque *p* literam negligamus. Ea mutanda in *d*: quæ interiectio ſolennis inter voces à vocalibus inchoantes. Atque ita verò numeri poſcunt, *albo d ariete*. quorum ipſorum cauſsâ plerumque elementum illud interponitur hiatui euitando. Iam *ariete oppugnare*, verius accommodatiuſque dici, nemo erit, qui neſciat, niſi qui bellicam arietis nomine machinam, eiuſque præcipuum in oppugnationibus vſum non norit. Hanc machinam albam dicit Plautus eo prorſus modo, quo rete volebat Yuo. Eſt enim λόγῳ [illegible] certò. Leges & iura ſunt quaſi aries, ſed is albus, id eſt εὐπρόσωπος & prætextu honeſto exornatus: quo callidi quadruplatores oppugnant miſerorum bona. Inuadunt enim ea ſub æquitatis ſpecie, reipublicæ cauſſam ſe agere ſimulantes, cùm ſuo interim quæſtui tantum ſtudent. Hæc de celebri Plauti loco ſententia noſtra eſt, pariter & lectionem & explicationem germanam auctori reddens: quam deinceps non iubeo, qui enim ego? ſed ſuadeo ſequi, confidoque ſecuturos omnes, niſi qui ſponte in alterutra falli, vel aberrare ab vtraque volent.

CAPVT

## CAPVT II.

*Sarta. Interibi. Herilis fides pro ſeruo, qui hero fidelis. Plinij ad Plautum adſpectus notatus, & in vtroque adubitatum. Alterius error, alterius defectus emendatione leui fortaſſean ſublatus. Alia plura diuerſi generis menda correcta.*

AVT mutilus eſt hodie Plauti locus iſte proximâ ſcenâ:

*Commiſce mulſum, ſtru hea, colutheaq; appara.*
*Bene vt in ſcutris concaleat, & calamum inyce.*

aut ratio fugit olim Plinium, qui myrrhæ ſeu vini murrhati mentionem hic fieri ſcripſit Hiſtor. Nat. lib. 14. cap. 3. *Lautiſſima apud priſcos vina erant myrrhæ odore condita, vt apparet in Plauti fabula, quæ Perſa inſcribitur, quamquam in ea & calamum addi iubet.* Liquet, ad hunc planè locum reſpexiſſe magnum illum Naturæ myſten: vbi cum ſanè calami mentio exſtet, nulla eſt tamen illius murrhini condimenti. Vtrum dicemus autem, erraſſe Plinium, an Plautum mutilatum? Hoc, qui Plinio magis faueat, dixerit: illud, qui Plauti locum diligentius ponderarit. Neque enim vlla Plautini textus inconcinnitas apparet, vnde quidquam deeſſe deprehendatur, & ſenſus eſt omninò plenus: ad quem neque facere videri poſſit aut murrhati aut vllius adeò vini mentio. quamquam ſanè *mulſum* tamen ibi liquidò perſcriptum: pro qua ipſa voce ſuſpicari liceat Plinium legiſſe *murrham*, atque hanc, vt vtrique ratio conſtet, in Plauto reponendam. Quod vero quidem non abſimile videtur, vtique cum & mutatio non ſit difficilis, & coniectura non vana ex Plinii affirmatione ducatur: ego tamen hactenus probo, vt & mihi & aliis aliter ſentiendi libertatem ſeruatam velim. Itaque quidquid de eo eſt, ſatis mihi ſit hanc nunc ſuſpicionem iniecisse, quæ vtrumque poſſit, & Plautini loci ſuſtinere integritatem, & auctoritatem Plinii tueri. De cetero, monendus es, lector, ne vel illam loci totius vulgatam interpunctionem, vel hanc in parte Lambinianam lectionis interpolationem ex neſcio quibus veteribus libris amplectare:

*Commiſce mulſum, ſtruthea, coluthea, aquam appara.*

Vera ſcripta & diſtinctio iſta erit:

*Commiſce mulſum: ſtruthea, colutheaq; appara*
*Bene vt in ſcutris concaleant: & calamum inyce.*

Vel adeo iſta, ſi ita vis:

*Commiſce murrham, ſtruthea, colutheaq; appara*
*Bene vt in ſcutris concaleant, & calamum inyce.*

Quarum vtramuis ſequêris, omnino *concaleant* multitudinis numero ſcribendum. Sed eâdem ſcenâ porrò multi verſum illum deuexarunt:

*Cynicam eſſe gentem oportet paraſitum probè.*

neque attinet omnium reſtitutiones vel afferre vel examinare: meam pono, quæ reliquis collata facilè præponderabit:

*Cynicâ eſſe è gente oportet paraſitum probum.*

Ait, qui probus eſſe paraſitus velit, eum Cynicæ gentis eſſe oportere: quod quomodo, mox declarat. *Probum* feci, quia probum paraſitum, quem nunc deſcribit, opponit illi alteri nihili, quem deſcripſit prius:

*Nihili paraſitus eſt, cui argentum domi eſt &c.*

Argutiam noſtri popularis in *Probè eſſe*, non alienam quidem à re aut ingenio poetæ fateor, ſed à vero ſenſu hic nunc remotiorem aio. Sequitur ibidem:

*Nunquam hercle hodie hic prius edis, ne fruſtrà ſis.*

cuius ruentes numeros inſertione literulæ ſuſtinebis, & ſcribes *ſies.* Ac deinceps:

*Qui ſibi parentes fuerint, vnde ſurrupta ſit:*

etſi non neceſſariò, tamen fortaſſe *ſurpta* fuit, in quod numeri & ipſi nonnihil inclinant. Inferius:

*TO. Quaſi ſit peregrinus. SA. laudo. TO. & tu tuam gnatam tamen*

*Ornatam adduce lepidè in peregrinum modum.*

Superuacuum hic *tu* videtur, quod abeſt antiquis: *tamen* autem prorſus inconueniens. Aliquando ſcribebam: *TO. & gnatam autem tuam Orn. add.*

nunc malim tamen, *TO. & tu tuam gnatam item Orn.*

Mutatio hæc leuior: atque *item* eò reſpicit, quòd & venditor ipſe peregrinum in modum iuſſus fuit exornari. Proximi ab vltimo verſus hi ſunt:

*TO. Abi, & iſtuc cura; ego puerum volo*

*Mittere ad amicam meam, vt habeat animum bonum.*

quorum prior vno pede deficit. & integrior in veuſtis ſcribitur quidem:

*TO. Abi, & iſtuc cura. SA. me tibi. TO. ego puerum volo.*

quid autem vult ſibi interpoſitum iſtud vna cum nouâ perſonâ, *me tibi?* Nihil ad rem: ſed inde conijciendum, quod ad rem. Conieci, ac veriſſimè, *interibi*: quod aduerbium pro intereà Comicis vbique, & Appuleio etiam in Apologia vſurpatum:

*Augetur oppido familiaritas: interibi reualeſco.*

Hoc immiſſo, ſed perſonarum notis exturbatis, reſcribe: *TO. Abi, & iſtuc cura: interibi ego puerum volo Mittere.* Non certius, explendum eſſe verſum, quam hoc vocabulo explendum, quod rei tam aptum, & veteri tam ſimile ſcripturæ. Scenâ, *Satin' hæc tibi*, præter alia aliis obſeruata notabis *herilem fidem* dici ſeruum qui ſit hero fidelis:

*PÆ. Scio fidei hercle herili vt ſoleat impudicitia opprobrari.*

Delen-

Delendum enim ſic è medio verſu commia, vt quæ ſenſu cohærent, interpunctione ne diuellantur. Impudici a conſeruis inſimulantur in Comœdiis perſæpe ſerui, qui dominis ſe ſtudent eſſe fideliores. Mox ibidem:

*TO. Abi modo. PÆ. ergo ſandalis faxo.*

rectius erit ego in vicem & ergo. Multo poſt:

*——SO. ergo hoc mihi expedi.*

*Quò agis? PÆ. quo tu? SO. dic tu, prior rogaui. PÆ. at poſt ſcies.*

Inſeri voluit, *Quò te agis*: neſcio, an verſus tantùm cauſſâ. nam alioqui ſæpe Plautus eam particulam omittit. At veteres libri ſcribunt hic tamen *Quo abis?* verius fortaſſe. Nam verſui aliter etiam conſulendum. ita dico, vt pro *poſt*, adiectis aliquot literis, *poſterior* ſcribatur. Quod ita neceſſe. Nam inconcinna alias ſententia: *Prior rogaui, poſt ſcies.* Quanto autem & ſermo venuſtior? *Prior rogaui. poſterior ſcies.* Nullum eſt dubium, quin ſic debeat reponi. Verſu vltimo:

*SO. abeo. PÆ. at ego abiero. SO. ambula.*

legendum *PÆ. & ego abiero.* Abeunte ancilla, ſe quoque puer abiturum dicit.

## CAPVT III.

*Largiri bobus, dictis. Abi dum. Reÿcere. Perennitare. Superſtitare. Quæ hæ res ſunt? Cuiuſmodi. Plautina aliquot loca contenduntur. Traducitur ambiguè verſus. Scenæ aliquot corriguntur, numeris, perſonis, diſtinctionibus mutatis.*

SCenâ *Ioui opulento*, ne mihi quis mutandum cenſeat genus id loquendi, quo verbo *largiri* caſus iungitur non, vt ſolet, accuſandi, ſed auferendi:

*Nunc amico homini bobus domitis mea ex crumena largiar.*

Non enim hîc ſemel ita Plautus, ſed & Pſeudolo itidem:

*Quid nunc acturu's, poſtquam herili filio*
*Largitus dictis dapſilis? vbi ſunt ea?*

Quem locum autè nos ita cepit N. Douſa P. defenditque contra Lambinum & alios exemplo quidem vno ſimili, ſed quo multo clarius & firmius eſt hoc noſtrum. De bobus autem ipſis ex crumena depromendis ludit auctor ſuo more, quo etiam Aſinariâ de aſinis ex crumena clamantibus. SC. *Perſiſta:*

*Nimis vellem habere perticam. LE. quoi rei? LI. qui verberarem*
*Aſinos, ſi fortè occeperint clamare hinc ex crumena.*

Atque iterum hac fabula de bobus hiſdem. SC. *Paratum.*

*——SA. abi, atq; caue ſis*
*A cornu. TO. quid iam? SA. quia boues bini hic ſunt in crumena.*
*TO. Emitte ſodes, ne enices fame.*

Nec aliter Truculento: *SC. Rus mane. Ego properam minas Oues in*

Digitized by Google

*crumena hac in vrbem detuli.* Et ibidem in extremo Comœdiæ:

*Pecua ad hanc collo in crumena ego obligata deſero.*

Quæ loca non iniucunde, nec inutiliter inter ſe comparantur. Vltimus huius ſcenæ verſus leuiter vnâ voce traiecta ſic fortè melius ad numeros ſcribetur:

*Offert: poteſt, quia ſim peritus: ſed Toxili eccum puerum Paegnium.*

Sequitur alia ſcena, cui initium, *Penſum meum.* In huius principio videor vnius verſus tranſpoſitionem animaduertiſſe. Neque enim alter iſtorum admodum commodè hæret iſtic:

——*SA. ſcelerate, etiam reſpicis?*

*PÆ. Scio ego quid ætatis ſim, eo iſtuc maledictum impune auferes?*

At traductus poſt eum, qui nunc octauus, optimè quadrabit. Vt hic ſcilicet ordo ſit:

——*SA. ſcelerate etiam reſpicis?*

*Vbi Toxilus eſt tuus herus? PÆ. vbi illi libet, neq; te conſulit.*

*SA. Etiamne dicis, vbi ſit, venefice? PÆ. neſcio inquam, vlmitriba tu.*

*SA. Maledicis maiori. PÆ. prior promeritus perpetiare.*

*Scio ego quid ætatis ſim: eo iſtuc maledictum impune auferes?*

*Seruam operam, linguam liberam herus meus me iuſſit habere.*

Iam is verſus illi Sagariſtionis dicto reſpondet, *SA. Maledicis maiori.* Nam ægrè hoc ferente, minorem maiori ſibi maledicere; ſcio, inquit alter, ætatem meam, ſcio minorem me, te maiorem: ſed eamne ob cauſſam tibi licebit impune quiduis in me dicere, mihi reponere fas erit nihil? Hoc accommodatum vident omnes: neque tamen ego transferendum omnino verſum affirmabo. Neque enim ſic ſentio diſtrictè. Quin & ſuo loco non ineptè relinquetur: ſed detrahenda tum ei nota interrogationis, vt εἰρωνικῶς proferatur. Pro ſcelerato enim increpatus, ſcire & recordari ſe dixerat ætatem ſuam: eò modeſtius honorem habiturum illi, nec maledictum maledicto penſaturum. Nec deinde tamen parcit: atque cum non parcat, huc reſpexiſſe Sagariſtio poteſt, cum ait, *Maledicis maiori*, quaſi obiectans illi impudentiam, homini, qui ſe feciſſet antea tam pudentem. Tu, lector, vtrum males, ſequeris. Ego traductioni magis aliquanto adhærerem, niſi cohærerent illa tenacius, *Prior promeritus perpetiare*, & *Seruam operam, linguam liberam &c.* neque diffindi ſe paterentur hac inſertione, quæ & ſequi iuſtius debebat ipſum ſtatim illud *Maledicis maiori.* Cui prætercea leuiuſculum aliud accedit, quòd is verſus eſt generis ab his, quibus nunc interponitur, diuerſi, eiuſdem autem cum illis, quibus vulgò ſociatur. Eadem verò ſcena tenue quoddam aliud, non tamen prætereundum.

——*SA. itane? ſpecta*

*Quid dedero. PÆ. nihil, nam nihil habes. SA. dij deæq; te omnes perdant.*

Niſi

*Niſi te hodie, ſi prehendero, defigam in terram colaphis.*

Leges primò: *PÆ. nihil. nam nihil habes.* dein *me* repones in locum alterius *te. SA. dij deaq; me omnes perdant.* Ea enim communis formula deiurationum: a qua deflexiſſe per iocum Plautus hîc videri poſſet, niſi ſubiiceretur mox a Pægnio, *Eueniant volo tibi quæ optas.* Optauit igitur ſibi Sagariſtio, ac *me* dixit: qui ſi *te*, non fefelliſſet id argutum puerum, atque idem longè aliud reſponſum repoſuiſſet. Proximâ ſcena nihil etiam magni momenti. Quod de callo aprugno ibi dicitur:

*Satin' ea tenes? SO. magis calleo quàm aprugnum callum callet.*

Idem fuit Pœnulo:

*Iam tenes præcepta in corde? CO. pulcre. MI. vide ſis calleas.*
*CO. Quid opus eſt verbis? callum aprugnum callere æquè non ſinam.*

At ſtatim leuiter in ſcriptura noui priſcique libri diſſentiunt. Hodierni, *TO. propera, abi domum:* Vetuſtior vnus: *abidum.* Vtrumque rectè: Plauti tamen hoc hîc fortaſſe. Tum infra:

*SA. Enim metuo vt poſſim in bubilem reijcere ne vagentur.*

parum refert, *bubilem* nouo, an *bubile* vulgari genere ſcripſerit auctor: *reijciendi* verbo appoſitè vſus eſt bis ibidem, vti & Virgilius:

——*A flumine reijce capellas.*

neque audiendus, qui *reigere* & *reigam* hic eſſe voluit, quaſi melior ſit ab *agendo* compoſitio in illum ſenſum: Progredior ad illam bono cum omine, *Quæ res bene vortat:* cuius ſecundo verſu, *Perennitatiq; adeo huic perpetuo cibo:* mirum ni voci *perennitatis* cauda prætruncanda, vt *perennitatiq;* ſcribatur, quod eſt *perennitantiq;*, litera *n* omiſſâ, vt in *Prægnas* aliiſque multis ſolet. *Perennitare* quidem verbum eâ formâ procuſum, quo ſtatim ſubſequens *ſuperſtitare*: quo Ennius etiam vſus, *Menalip.*

*Regnumq; noſtrum vt ſoſpitent ſuperſtitent.*

Ac melius mihi verba caſu eodem omnia poni videantur, *perpetuo perennitanti cibo:* quia ſic aptior aliquanto ſenſus. Etſi non damno etiam cibum *Perennitatis*, quaſi alicuius Deæ. Inferius in perſonis nonnihil variatur:

——*at nequidquam neuis*
*Meo modo iſtud potius fiet quam tuo.*
*VIR. Fiet? PA. quæ hæ res ſunt? VIR. cogita hoc verbum pater.*

Ita vulgò: contra quod Lambinus voluit:

*VIR. Fiat. quæ hæ res ſunt? cogita h. v. p.*

At ego veteres editiones ſequar, illas quas ſoleo præ ceteris plerumque ſequi, & reſtituam:

*Meo modo iſtud potius fiet, quam tuo*
*Fiat. quæ hæ res ſunt? VIR. cog. h. v. p.*

Stomachantis patris eſt *Quæ hæ res ſunt?* cui formulæ geminam, *Quæ res?* habuimus & notauimus ad Pœnulum; eademque hîc eſt vltimâ ſcenâ:

*Hiccine eſt qui fuit quondam fortis? DO. quæ hæc res eſt? hei colapho me icit.*

Et Caſinâ:

*——OL. hei hei, fœtet*
*Tuus mihi ſermo. ST. quæ res? OL. hæc res. ST. etiamne aſtas?*

Et Aſinar.

*Quæ res? tun libero homini ſeruos male loquere?*

ad quam fabulam aliquid huius generis & olim Gulielmius noſter. Ibidem ſcenæ poſt:

*PA. Tace ſtulta, non tu nunc hominum mores vides,*
*Quoiuſmodi hic cum fama facile nubitur?*

Vt recte intelligas, aliter diſtingue:

*PA. Tace ſtulta. non tu nunc hominum mores vides?*
*Quoiuſmodi hic cum fama facile nubitur.*

Affirmanter enim poſterior verſus efferendus. & *Quoiuſmodi* non quærit, ſed valet hîc cuiuſque modi, cuius vis modi. Nam ſenſus eſt, cum qualicumque, ſeu cum omnis generis famâ, tamen facilè nubi, ſi dos non deſit. Is particulæ eius vſus noſtro familiaris. Nam cum alibi, tum Pſeudolo ita:

*Murrhinam, paſſum, defrutum, melinam, mel cuiuſmodi.*

Pro quo apud Gellium & Appuleium frequentatur ferè *cuiuſcemodi.*

## CAPVT IV.

*Logi dotis, nummi præſidij, dies ſpatij, & talia quâ formâ dicantur. Traloqui, Tralegere, & ſimilia. Mirum quin. Schema pro quouis habitu, non tantum penula ſeruili. Dos filiarum Homeri & Paraſiti. Dubia verſus vnius traiectio: alterius admodum controuerſi conſtitutio. Locorum plurium varia & miſcella collationes, Emendationes, explicationes in aliquot ſcenas ordine percurſas.*

EAdem adhuc ſcenâ ridiculè Paraſitus filiæ ſuæ dotem promittit ex artis ſuæ libris, ſexcentos logos. Ridiculè ſed Homeri ſcilicet exemplo, qui ſuæ quoque filiæ propter inopiam Cypria ſua carmina dediſſe in dotem perhibetur. Id ex Æliano cognoſcimus, qui habuit ex Pindaro, & aliis non nominatis. Verba autem eius iſta Variar. lib. 9. c. 15. λέγεται δὲ κἀκεῖνο πρὸς τούτοις, ὅτι ἄρα ἀπορῶν ἐκδοῦναι τὴν θυγατέρα, ἔδωκεν αὐτῇ προῖκα ἔχειν τὰ ἔπη τὰ Κυπριακά· καὶ ὁμολογεῖ τοῦτο Πίνδαρος. Sed audiamus & Plautinum paraſitum:

*——PA. caue ſis tu iſtuc dixeris.*
*Pol deûm virtute dicam & maiorum meûm,*
*Ne te indotatam dicas, cui dos ſit domi.*
*Librorum eccillum habeo plenum ſoracum.*
*Si hoc accuraſſis lepide, cui rei operam damus,*
*Dabuntur dotis tibi inde ſexcenti logi,*

At

*Atq. Attici omnes, nullum Siculum acceperis.*
*Cum hac dote poteris vel mendico nubere.*

In quibus traiectionem moliri liceat huiuſmodi:

*——P A. caue ſis tu iſtuc dixeris:*
*Ne te indotatam dicas, cui dos ſit domi.*
*Pol Deûm virtute dicam & maiorum meûm,*
*Librorum eccillum habeo plenum ſoractum.*

Atque in hanc cum ego ſane inclinem, retinent tamen antiquæ editiones, quæ & ordinem vulgatum ſeruant, & cum ſententiæ arctius vinciendæ, tum verſui magis explendo, particulam *enim* inſerunt ita:

*Ne te indotatam dicas cui dos ſit domi.*
*Librorum enim eccillum habeo plenum ſoractum.*

Sed iam pendet, nec habet quò referatur iſte verſus,

*Pol Deûm virtute dicam & maiorum meûm.*

cui quidem aliud præterea quid fuerat ſubiiciendum. Ceterùm *Dabuntur dotis* alibi coniungendum dixi: nunc potius videtur, vt *logi dotis* iuncta capiantur, eodemque modo omnia, de quibus hoc genus ad ſuperiorem neſcio quam fabulam pluribus egi. Sic & Pœnulo iam *trecentos nummos præſidij* capio: & in Appuleio *trecenta millia dotis.* Apologiâ: *Pudentilla locuples femina trecentis millibus dotis fuit contenta.* Nec aliter Cæſar lib. 1. bel. Ciuil. *Sex dies ad eam rem conficiendam ſpatij poſtulant.* Quæ omnia conuerſim vulgus diceret, ſpatium ſex dierum, præſidiũ trecẽtorum nummûm, dotẽ trecẽtorũ milliũ, ſexcentorũ logorũ, atque ita deinceps. Vltimo verſu pulcherrimũ eſt, ꝙ παρὰ προσδοκίαν mendicũ ſuppoſuit homini nobiliſſimo & ditiſſimo. Nam auditores exſpectabant, vt cum tam præclara dote nubi poſſe diceretur vel præclariſſimo alicui & primori ciuitatis. At ille, quod verius erat, mendici conditionem inueniri poſſe ait: in quo & ipſo honeſtiſſima ambiguitas ſenſus. Dum enim hoc innuitur, vilitate dotis non niſi mendicum conciliatum iri; ſimul eiuſdem præſtantia commendari videtur: atque ita interpretari licet, quaſi tam opulenta lautaque dos ea ſit, vt ſi puella vel egentiſſimo & prorſus inopi alicui viro nubat, tamen abundè ſatis habeat ad vitam inde cum marito & familia commodiſſimè ſuſtentandam. Omiſimus verò ſuperius:

*VIR. Futura. P A. ſcis nam tibi quæ præcipio? VIR. omnia.*

in priſcis legi, *præcepi*, paullò melius. Nunc curam noſtram flagitat ſcena *Curate*, qua leuiſſimè defungemur.

Eo verſu:

*Pecunia accipiter, auide atq. inuide:*

veteres ſcribunt *Petuniarum*, atque ita numeri quoque iubent. Mox *Traloqui* verbum habes, quod eſt ordine eloqui, ſeu percenſere: ad quod exemplum alibi formatum *Tralegere*, & hic poſtea

*Tranſcindere*: & in Appuleii Apologia *Tranſuorare*. Inferius non interpungitur, ideoque non capitur, rectè ſatis iſtud:

*TO. Fortaſſe metuis in manum concredere.*
*DO. Mirum, quin citius iam à foro argentarij*
*Abeunt, quàm in curſu rotula circumuortitur.*

Tu *Mirum quin* coniunge, & integro puncto à reliquis ſeparato. E præcedentibus enim ἀπὸ κοινοῦ ad hoc repetes, Mirum quin tibi in manum concredam, vel Mirum quin metuam: id eſt omninò metuo. Sic enim Plautus vbique formulâ iſtâ vtitur, in qua fruſtra Lambinus ſe multis locis torquet. Fuit hic pauſò antè: *DOR. Mirum quin tibi ego crederem.* Et ſuperius:

*Mirum quin regis Philippi cauſſa aut Attali*
*Te potius vendam.*

Et vbique exemplorum copia: quæ commodè accipere ſatius eſt, quam de interpretatione per æquiualentia verba fruſtra ſatagere. Reliqua iam hic, *Citius argen. arij &c.* ſimillima ſunt iſtis prioribus:

*Vbi quid credideris, citius exemplo à foro*
*Fugiunt, quàm ex porta ludis cum emiſſus eſt lepus.*

Et tale quid fuit & Pſeudoli fracto hodie loco:

*Itidem tu, poſt quàm hercle iſti à men. a * ſurgunt,*
*Qui ſuum recipiunt, alienum reddunt nata nemini.*

Scenæ conſequentis initium eſt:

*Si quiſquis rem accures ſobriè aut frugaliter,*
*Solet illa rectè ſub manus ſuccedere.*
*Atq; edepol firmè, vt quiſq; rem accurat ſuam,*
*Sic ei proceaunt, poſt principia deniq;*
*Si malus aut nequam eſt, malè res vertunt quas agit &c.*

Vbi primò emendabis *fermè*. quid enim hîc firmè, quod omnes tamen libros obſidet? In reliquis Scaliger legi voluit, *Sic ei procedunt poſt principia deniq;*. Cui non repugno, ſed oppono veterem lectionem, *poſt principio deniq;*, & ex ea nonnihil traiectâ ſententiam a priorem:

*Atq; edepol, fermè vt quiſq; rem accurat ſuam*
*Principio, ſic ei procedit poſt deniq;*.

Namque hoc planè vult, vt initio quiſque rem accuret, ita poſteà prouenire: malè, ſi malè; benè, ſi benè. Ibidem mox non margini adiiciendum, ſed ipſi textui interiiciendum fuit, quod veteres libri obiiciebant, vt verſus perficeretur:

*Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo.*

Scenula iterum noua eſt, *Numquid moror*, quæ ſit rectius vna cum ſuperiore. Huius ille verſus diuerſiſſimè ſcribitur à diuerſis:

*I intro ornatum lepide condecorat tuum.*

Et

Et quid omnium commenta recenſeamus? E Priſciani vetere ſcriptura, quæ hæc lib. 6.

*Theatrum lepidum cum decora ſchema;*

etſi mirificè vtroque corrupta, integerrimâ tamen omnium, nouam integriorem, & non dubiè Plauti germanam iſtam facio:

*Tiara vt lepidum lepide condecorat ſchemam!*

Geminandam vocem, ſemel in Priſciano ſcriptam, Canterus etiam & Palmerius olim vidit: ſed in reliquis vterque nimium deinde aberrauit, etſi magis ille, ac pueriliter quidem, cum *theatrum* è Grammatico arreptum in theatrum & ſcenam huius fabulæ pertraxit. Alii vocabulum *ornatum* mordicus tenuerunt, quia ad menſuram verſus implendam quadrabat. Id tamen manifeſtum gloſſematium eſt alterius *ſchemam*. quod ipſum ideò vitiarunt, quia numeris videbatur repugnare. Sed, ô boni, corripitur, ineque hoc verſus ponitur & Amphitruone:

*Quod ego huc proceſſi ſic cum ſeruili ſchema.*

Neque Latini ſemper, & minus Comici, naturam ac modulum originis Græcæ ſunt ſecuti. Quod poſui autem, *ornatum* eſſe huius vocis gloſſam, audacter poſui: nec moueor auctoritate magni viri, qui *ſchemam* in Amphitruone penulæ ſeruilis genus interpretatur. Fallitur. & vnde autem ſic interpretatur? quiſue ita vnquam vſus? Plautus vtrobique pro habitu accipit, quem Græca vox ipſa ſonat. Hic Perſicum reliquum habitum tiara impoſita lepidè condecorare dicitur: illic Mercurius, qui Deus ſit, excuſat, quò ſeruili habitu ſeu ornatu, Soſiæ ſcilicet æmulus, in ſcenam procedere non dubitarit. Nec iuuat, quòd fortaſſe penulam indutus ibi tamen, vtpote peregrè venientem aſſimulans. Quid enim? ideò generis ſignificationem adſtringemus ſpeciei? Comprehendit in ſe ſchema & penulam & alium quemuis ornatum. Neque poſteà depoſita penula, cum omnem habitum ſerui Soſiæ porrò Mercurius imitaretur, non inceſſit cum ſeruili ſchemâ. ſed rem claram non neceſſe eſt acrius premere, nec fas adeò illum, contra quem hæc dicuntur, inſectari. Porrò ibidem illud:

*SA. Age illum aſpice de procul in conſpectum. TO. tace.*
*Vbi cum lenone me videb.*

refinxit elegantiſſ. Douſa F. ad exemplum gemini loci, qui infrà. De verbis, non ille quidem malè: ſed vtrobique vitium aliud in collocatione perſonarum. quod mihi cum ſententia aperuiſſet, cum retexit magis editionum veterum ſcriptura, quæ vtroque loco Sagariſtionem, quem huc ex altero illatum ille cupit, omittunt. Et verò continuè pronuntiat hic illa Toxilus:

*——TO. lepide hercle adiuuas.*
*Age illuc abſcede procul è conſpectu, & tace.*
*Vbi cum lenone me videbis colloqui,*
*Id erit adeundi tempus.*

Eodemque modo reſcribendum eſt & illic: fine, inquam, ſcenæ *Poſtquam illuc*:

*TO. Age illuc abſcede procul è conſpectu, & tace.*
*Vbi cum lenone me videbis colloqui,*
*Tum turbam facito.*

Sic enim, vt dixi, veteres libri, Colonienſis & Florentinus: niſi quòd *&* inſerui ego, ſententiæ vtile, quamquam non hercule neceſſarium: ſed à Plauto quidem non omiſſum.

## CAPVT V.

*Ais & agis ſibi ſæpe ſuppoſita. Prægnauiter. Copiſſimus, Cadere, Labi, in obſcenum ſenſum poſt alios adſtricta. Locus intricatiſſimus, in quo aut ſuperfluit, aut deſit verſus vnus, explicatus. Numeri ſæpicule concinnati. Correcta multa in verbis & perſonis, quà malè diſpoſitis, quà omiſſis. Tibulli carmen emendatum, & totum enarratum.*

QVam paruum, tam frequens erratum eſt paſſim in mutua permutatione verborum *ais* & *agis*: quorum illud huic ſuppoſitum etiam puto SC. *Satin' Athenæ.*

*TO. Quid ais hoſpes? SA. venio, adduco hanc, vti dudum dixeram.*

Nam *agis* ibi quidem opportunius haud paullò. Qua ſcenâ ſeruant adhuc pertinaciter omnes editores aduerbium *prognariter*, à Lambino meritò damnatum, qui *prægnauiter* & hîc & apud Ennium reſtituebat, aptiſſimo ſenſu, atque vnicè cum interpretatione Nonii conueniente. Nam *gnauiter* eſt ſtrenuè: cui præfixa particula *pro* ſignificatum intendit; vt ſit, valde ſtrenuè. quamquam dubito, an non *præ* potius auctores præfixerint, ac *prægnauiter* ſit in Nonio & exemplis ipſis reſcribendum. At ibidem pòſt intricatæ admodum ſententiæ locus eſt.

——*DO. ſatis rectè mones.*
*Hoſpes, volo ego hanc percontari. SA. à terra ad cœlum quid lubet.*
*TO. Iube dum ea huc accedat ad me. SA. i ſanè ac morem illi gere.*
*Percontare, exquire quiduis. TO. age age nunc tu i præ, para.*

In quo perſona primùm Toxili fallit, qui nunc ad ſe vult puellam venire, prorſus ineptè. Lenonis enim ea poſtulatio eſt. Sed ineptius ſubdit Sagariſtio, *I ſanè, ac morem illi gere*, puellam iis alloqui viſus, quæ procul tamen abſtiterat, adeunda vltrò, vt adduceretur Atque etiam alia ſunt in iis, quæ porrò, abſurda, quæ non excutio. Turba autem omnis ab iſto vno verſu:

*TO. Iube dum ea huc accedat ad me. SA. i ſanè, ac morem illi gere.*

qui aut ipſe ſuperfluit: nam eo remoto plana res fuerit:

——*SA. à terra ad cœlum quid lubet*
*Percontare, exquire quiduis. TO. age age nunc i, præ para.*
*Vide vt ingrediare auſpicato &c.*

Aut

Aut alius illi deeſt, qui ſententiam expleat explicetque. & id potius. Nam omninò poſt hunc in perſonas ita tribuendum,

*D O. Iube dum ea huc accedat ad me. T O. i ſanè, ac morem illi gere:*

ſequi debuit alius, quo faſtidioſus Sagariſtio renuerit adducere lenoni puellam, quod ille petierat, ac Toxilus ſuaſerat, atque ipſum adire iuſſerit, quæque vellet, ex aſtante iſthic percontari: cuius quidem orationis reliqua particula eſt in deincipe verſu, *Percontare, exquire quiduis.* Tum enim, illo ſuperbius officiolũ id negante, Toxilus ipſum igitur lenonem ire iubet: atque age age, inquit, ipſe nunc ito, & ad quæſtionem inter eundum te præpara, ſimul vide prius, vt auſpicatò iter ingrediare. At illum auſpicio ſatis, vt putabat, liquido profectum reuocat idem ſtatim, & conſilio neſcio quo ſe potius iturum ait, & illam adducturum. quod Dordalo facilè permittente, adit ipſe virginem; ad quam iſtud ſolum pronuntiat, *Sequere me:* rediensque & adducens, ad lenonem porrò iſta,

*Adduco hanc, ſi quid vis ex hac percontarier.*

In hunc modum totus locus accipiendus, in quo inexplicabiles aliàs abſurditates. Iam porrò nec illic perſonæ diſpoſitæ ſatis rectè:

*T O. Do ergo tibi operam. D O. tibi ibidem das, vbi tu tuum amicum adiuuas.*

*Exquire. T O. heus aduigila.*

Quid enim leno Toxilum exquirere iubet? qui planè contrà debet illum. Ita repone: *T O. Exquire. heus aduigila.* Tandem poſt multas tricas, Hoc agere & lenonem & virginem ſeruus conciliator iubet: & illo, vt initium exquirendi faciat, admonito, callidè huic quoque mandat, vt aduigilet, ambiguo ſanè dicto. Nam & hoc clam innuit, vt fraudi ſuæ attendat, & illud palam, vt quæſitis lenonis. quò hic quidem tantùm reſpici putat: at illa alterum quoque intellexit, & æquè ſubdolè reſpondet. *Satis eſt dictum.* Ita miſerum lenonem paullatim in foueam illiciunt, & dolis ſuis, quò lubet, effrenatum ducunt.

Inferius, vbi vulgatur:

*——nata eſt in calido loco.*

*Vbi rerum omnium bonarum copia eſt ſæpiſſimè.*

Languere mihi videtur hoc *ſæpiſſimè.* quæro, an fuerit *copiſſima?* an potius ad ſequentem verſum pertineat: *——copia eſt. T O. ſcitiſſimè. Tactus leno.* Iterum verò perſonæ vitiatæ ſunt illic:

*T O. Ita me Dij bene ament, ſapienter atq; equidem miſeret tamen.*

*D O. Sed tamen virgo, quæ patria eſt tua? age nunc actutum expedi. quid taces?*

Sed & alter verſus eſt aliquanto longior. Abiicienda verba *Sed tamen,* & omnia continuè lenoni Dordalo attribuenda:

*D O. Ita me Dij bene ament, ſapienter. atq; equidem miſeret; tamen*

*Virgo, quæ patria eſt tua? age actutum expedi. quid nunc taces?*

Quam reſtitutionem ſententia ſatis ipſa per ſe manifeſta probat, ne quid ego verborum inaniter appingam. Poſt, ita numerorum cauſà verſum illum ſcribes:

*Cum propè ipſus perdiderit, & beneuolentes perdidit.*

Et qui hunc ſtatim ſequitur:

*LO. Etiam opinor. TO. etiam opinor? DO. ſummo genere eſſe arbitror.*

eius initio corriges è veteribus, *DO. Emam, opinor.* Alterum inuenuſtum eſt, nec exprimit integrum ſenſum. Dubitat adhuc leno, an ſit empturus: ſed tamen, emam opinor, inquit. Ibi Toxilus, etiamne opinaris? nec ſtatim quod tibi Dii obiiciunt boni apprehendis? Mox omiſſa perſona eſt:

*——— [illegible] & me abſentem redimet. quid nunc? DO. quid eſt?*

Toxilus iſta pronunciat, *Quid nunc?* Atque hoc etiam clarum eſt. Igitur cum prænotabis. Altero abhinc verſu:

*DO. Ne ſuſpira, libera eris actutum, ſi crebro cades.*

Senſu obſceniore poſitum verbum *cades* negarunt quidam, alii affirmarunt. Inter hos ego; & præter huius exempla, quorum vnū è Declamatore apud Senecam: *Fortaſſe pœna ſe præparauit, & ex quo peccare cœpit, cadere condidicit*: a Gulielmio noſtro primitus allato, addidit alterum poſteà Tibulli N. Douſa P.

*Gratum eſt, ſecurus multum quod iam mihi de me*
*Permittis, ſubito ne male inepta cadam.*

adiicio ipſe nunc Propertianum *Labi*, quod eodem modo ſic poeta elegantiſſimus vſurpauit lib. 2.

*Vt ſolet amoto labi cuſtode puella*
*Perfida, communes nec meminiſſe deos.*

Sed & de Tibulli loco amplius moneo, leuiter in voculis binis corruptum eſſe, quas hic per occaſionem emendemus, & ipſum illud totum elegiarion, quod doctis aliquot viris negotii non parum fecit, explicemus. Ita autem reſcribendum eſt:

*Gratum eſt, ſecurus multum quod iam tibi de me*
*Promittis, ſubitò ne male inepta cadam.*
*Sit tibi cura togæ potior, preſſumque quaſillo*
*Scortum, quam Serui filia Sulpicia.*
*Sollicitis ſunt pro nobis, quibus illa dolori eſt,*
*Ne cedam ignoto, maxima cauſſa, toro.*

Vides pro *mihi*, ſuppoſitum *tibi*; pro *Permittis*, *Promittis*. Ita ſententiam exigere videbis & ex hac paraphraſi noſtra, qua totum ſic breuiter ac ſimpliciter reddo. Gratum mihi eſt, quòd iam tantum de me tibi promittis, vt animo ſecuro poſſis omittere curam & cuſtodiam mei. Atque haud immeritò ſanè illam potius cures quaſillariam amicam tuam, quam me nobilem adeò viri nobiliſſimi filiam. Et tamen a me quoque ſatis obſeruant nunc riuales cui

apud

apud rogatam iſtam. Hi enim cum excluſi ab illa ſint, te ſolo recepto; in me oculos coniiciunt & fixos habent aſſiduos: quæ etiam maxima quidem mihi cauſſa eſt, vt peccare ſollicitius cauea, aliquę me toto ignoto prorſus abſtineam committere. Sed amplius ibidem legendum videtur etiam *Solliciti ſunt de nobis.*

## CAPVT VI.

*Qui. Triginta minæ ſolenne pretium mulierculárum. Prorſum. Re præpoſitio producta. Vero. Fruſtum verſus alteri agglutinatum. Ordinata ſæpè verba. Perſona digeſta alibi, alibi exemta. Lambiniana verſus inſertio probata, argutatio Guilielmiana improbata. Duplex loci diſtinctio, de elegantia inter ſe certans. Alia ad lucem & ſinceritatem Plautini textus dicta.*

SVpereſt eâdem ſcena vnum alterumque etiam mendum: quæ noſtro more, ſine verborum pompa, correcta lectori proponemus. Literula vnicâ abundat hoc verſu:

*DO. Tum tu pauca in verba confer: quid datur, tanti indica.*

Legendum enim *qui*, non *quid*, iſta cum diſtinctione:

*DO. Tum tu pauca in verba confer: qui datur, tanti indica.*

Vno verbo, inquit, abſolue: & tanti ſaltem indica, quo ſeu quanto es daturus. Idem eodem genere dictum ſuperius:

*Indica, minimo daturus qui ſis, qui inici queat.*

Reſpondet nunc Perſa:

*SA. Faciam ita vt te velle videam, vt emas, habe trecentis minis.*

Priora lege & interpunge: *SA. Faciam ita, vt te velle video, vt emas.* Iam reliqua nimis ſtatuunt grande pretium, cuius & mox nimia deductio, cum a minis trecentis ad octoginta ſtatim venitur. Nec ita inſaniunt aliæ pleræque editiones: quarum ex recentibus optimæ indicant tantum *centum*, & vetuſtiores addita voce, *habe tibi tantum minis.* Vtrouis modo rectè, quod ad numeros pariter & ſenſum. A centum ad octoginta, & denique ad ſexaginta labuntur, in quibus pretium conſiſtit, illud quidem tolerabile, duplo maius tamen vulgari, quod alibi notauimus eſſe plerumque minas triginta. Sed hæc duarum æquauit, propter ampliſſimam lucri ſpem, cui totus inhians leno quacunque conditione præcipitat emtionem. *Trecentis* illud ne nniteris vnde ſit; opera bardiſſimi alicuius correctoris huc tranſlatum eſt ex inferiore illo verſu:

*Non edepol minus trecentis cara eſt: feciſti lucri.*

cum quo quidem fruſtulum præcedens conglutinare poſſis, vt in vnum ſic coeant:

*Abi, argentum effer. non edepol trecentis cara eſt: feciſti lucri.*

Ante quæ, diſtinxeris illa rectius ita:

——*DO. quid id eſt ergo te loquere aſtutum, atque indica.*

Poſt eadem, ſi lubet, legeris æquè rectè, *decem accedent minæ*: atque in fine ipſo ſcenæ, *argentum efferto*: quomodo quidam leuiſſi-

mio diſcrimine à vulgatis recedunt. Proximâ deinceps ſcenâ:

*Simulato quaſi eas prorſum in nauem*

interpretor *porsùm*, rectâ, quaſi prouersùm, directâ viâ. Quæ hanc proximè ſequitur, eius verſu tertiò legis *remigrat*, initiali ſyllabâ productâ: quod veteribus in præpoſitione *re* frequens; vt ab aliis alibi oſtenſum: atque ita erat in ſuperiore ſcena *Satin'*:

*Age, ſi quid agis, ego ad hanc redeo. ſequere, reduco hanc tibi.*

Deinde hic verba verſus illius ita digere:

*Nihil mihi tam paruũ eſt, quin me id pigeat perdere.*

Cui adhærent:

*Age accipe hoc ſis. SA. hunc in collum, niſi piget*
*Impone. DO. verò fiat.*

Vbi Florentinus liber *hanc* legit, vt crumenam ſubintelligas: quamquam *hunc collum* ſuo more potuit auctor voluiſſe. *Verò fiat*, iunctim potes, & ſeparatò capere, virgulâ interiectâ. De particulæ enim *verò* tali vſu ad Pœnulum nobis dictum. Deinde verborum ordinem iſtum fac:

*Eum ego vt requiram, atq; vt redimam, volo pergere.*

Nam adiectâ quidem voce planè explendus verſus ex antiquis. Mox:

*TO. Quid attinet nomen ſcire? SA. auſculta ergo ſcies.*

Veteres loco & *nomen* habent *nos*. Inde ſcribe:

*TO. Quid id attinet nos ſcire?* Illud neceſſarium viderant atque inſeruerant, quibus non conſtabat de præcedente verſu:

*DO. Sed ſcire velimus, quod tibi nomen ſiet.*

quem perperàm omiſſum rectè atque ordine Lambinus ex libris ſuis reſtituit. Alia ſcena procedit, *Poſtquam illic abijt*. Hic fruſtrà Gulielmium noſtrum argutatum credimus in illis:

*——nam ſenſi te ſedulo*
*Mihi dare bonam operam. TO. tibin' ego? imò ſeriò.*

Potius enim quàm *ſerui* mutetur, in quo nimis exilis, ſi quis eſſe poteſt, iocus; aliter perſonas ordinandas cenſeo. Neque fallor, ita Plautum diſtinxiſſe, aut diſtinctum voluiſſe:

*——TO. tibin' ego? DO. imò ſeriò.*
*At te oblitus ſum intus dudum edicere.*

In quo ſimplex & apertus ſenſus: quem, qui ſapiat, mutare nolit illo argutiore, quantumuis eleganti. Quæ ad finem ſcenæ huius, attigimus ſuprà & cum loco gemino ſuo correximus. Fine proximæ, verba digere cum libris ſeculi & fidei melioris:

*TO. Pol iſtuc quidem iam ego omne vſurpabo domi.*

Ita verſus poſcit. At initium portò proximæ dubiam admittit correctionem:

*Niſi ego illunc hominem perdo, DO. perij. SA. atq; optimè*
*Eccum ipſum ante ædes.*

Nam & ſic elegans eſt, vt ἀποσιώπησις ſit, apta quidem mirificè illa mini-

minitanti: *Niſi ego illunc hominem perdo.* Neque non rurſum gratia pæne maior ſit in ſententia, quam multò diuerſam efficient perſonarum notæ exturbatæ, vt Saturionis continuetur ita ſermo:

*Niſi ego illunc hominem perdo, perij, atq; optime. Eccum ipſum.*

Perierat enim hercule paraſitus, niſi lenonem perderet, abducta in ſeruitutem filiâ, neque patratâ fallaciâ, vnde vna illi vitæ in poſterum promiſſa ſpes, & capta iam fiducia perpetui perennitantis cibi. Vt de me fatear, vulgato acrius, hoc nouo blandius afficior: & tandem cum illud ægrè dimiſero, iſtud cupidius acceptarim. Eligat & ſibi lector alterutrum: qui ſerio iudicio cum vtrumque expenderit, non poterit tamen non præuaricari, & noſtro impenſius fauere. Vltima ſcenæ eiuſdem ſit omnia ſcribenda:

*DO. Sine dicam. SA. nolo. DO. audi. SA. ſurdus ſum, ambula:*
*Sequere hàc ſceleſte, feles virginaria:*
*Sequere hàc mea nata me vſq; ad prætorem. VIR. ſequor.*

perſonis intermediis vtrinque remotis, quarum cum editio optima eiecisset vnam priore loco, debuit nec alteram ferre poſteriore.

## CAPVT VII.

*Aquula in initio conuiuiorum. Me, particula antiquè abundat. Benè nobis omnibus, formula in Plauto hactenus, fallens, luce diſtinctionis iam protracta. Eijcere vehiculum. Manum adire. Hem, verberauit. Staticulum dare. Promiſce. κολαφίζειν. Nummi ſciunt. Multa in reliquas ſcenas emendationes. inibi verba, interpuncta, perſonæ, variè omnia traiecta, abiecta, mutata: verſus ipſi concinnati: horum vnus traductus. Lambini abſurda gloſſa ſæpius exploſa. loca nonnulla declarata.*

CVM fabulæ Cataſtrophe inclinat in cataſtrophen noſter etiam in ea labor. Quinti, vt diſtinguunt, Actus ſcenæ ſunt hîc duę tantùm: quarum priore quis primus illa ſic mutarit, haud ſcio nunc, neque vnde noſtri imitati:

*Statuite hic lectulos, ponite hic quæ aſſolent. hic ſtatui volo, primum*
*Vnde ego omnes hilaros, lubentes, lætificantes faciam vt ſiant aliquæ mihi.*

Veteres quidem ſic legebant, *hic ſtatui volo primùm aquilam mihi:* quorum poſtrema verba malè nunc ad finem verſus alterius reiecta. Quid enim hîc ſententiam iuuant? At ea ſine illis illîc non conſtat. Exprimat enim Toxilus, oportet, quid ſtatui primum velit, cùm ſe dicit primum aliquid ſtatui velle. Aquilam ſiue aquam vilem credo nimis arbitrati ſunt, quæ ante omnia collocaretur. Hi tamen ſcire debebant, eam in conuiuiorum ingreſſu principem locum vel lauandis manibus tenuiſſe. Ac poſt aquam ſumtam, menſa demum apponebatur: quod cum vndique, tum è Moſtellaria patet: vbi Philolaches cum Philematio ſuo accubiturus, aquam prius, deinde menſulam apponi poſcit, Scena *Iam, videm.*

*DO. Quin elude, vt ſoles, quando liber locuſt hic.*
*TO. Hui baba, baſilice te intuliſti & facetè.*

Quæ hîc appoſitæ verſibus perſonæ, libri veteres omittunt, ac meo judicio rectè: vt rurſus hæc Toxilo iunctim aſſcribantur:

*TO. vin' cinædum nouum tibi dari, Pægnium?*
*Quin elude, vt ſoles, quando liber locuſt hic.*
*Hui baba! baſilicè te intuliſti & facetè.*
*PV. Decet me facetum eſſe.*

Non enim dubium, quin inſtigantis Toxili ſit, non permittentis Dordali, *Quin elude*: cuius exemplo non mutandum ſuperius fuit, *SA. Quin iube adire*: vbi *iubes* ſuppoſitum ierunt. Deinceps eſt:

*TO. Perge vt cœperas. PV. hoc leno tibi.*
*DO. Perij, perculit me propè. PV. hem ſerua rurſum.*

Scribo, *hem leno tibi.* nam iſta interiectione verberãtes vtebantur, quæ ſexcentis locis apud vnum noſtrum. Atque hîc ibidem eccam iterum eandem; *hem ſerua rurſum.* vbi corrigendum *ſeruo.* Feriebat puer lenonem. is ab eo ſe perculſum propè queritur. igitur ille iterum fecit, atque iſto ictu reſtituere illum rurſus in gradum dicit & ſeruare. Mox in illis:

*DO. Caue ſis me attigas, ne tibi hoc ſcipione*
*Malum magnum dem. PV. vtere, te condono.*

ſuauis etiam Interpres, cum poſtrema verba de ſcipione capit, quaſi puer lenoni permittat; vt ſe feriat iſto ſcipione. Tu de *magno malo* intelliges: quod cum Dordalus puero daturum ſe minaretur; ille recuſat iſtiuſmodi munus, eoque ipſum condonat, vt ſibi fruatur. Non minus idem ridiculus, & aliquanto ineptior ad illa:

*PV. Nequeo, leno, quin tibi ſaltem ſtaticulum, olim quem Hegea*
*Faciebat.*

Pro verbo accipit *ſaltem*, quod aduerbium. Quis verò dixerit *ſtaticulum ſaltare?* At ipſum verbum ibi deeſt, magno librariorũ flagitio: quod è veteribus libris facilè reduco. In illis enim opportuniſſimè inuenio, *quin tibi ſaltem ſtaticulum dem, olim quem &c.* Dare ſtaticulum à Catone dictum etiam memini; ſed non ſuppetit locus. Hîc autem *dandi* verbum fuiſſe vel ex eo colligitur, quod mox ſubiicitur illi reſpondens *reddendi*:

*SA. me quoque volo Reddere. Diodorus quem olim faciebat in Ionia.*

verſui, *Iam taceo hercule &c.* Dordali perſona præfigenda, quam optima editio peſſimè omiſit. Illi verò:

*LEM. Attamen non tamen. TO. caue ergo ſis malo, & ſequere me.*

conſtant ſuæ perſonæ vbique, ſed nuſquam ſuo loco Toxili ponitur, præter in antiquis, vnde reſtituo:

*LE. Attamen. TO. non tamen: caue &c.* quomodo verba pæne eadem in aliam ſententiam diſterminari prorſus eſt neceſſe. Et nihil enim aliàs ſignificant: & nunc excuſaturam oppoſituramque

neſcio

neſcio quid amicam cohibet ſeruus, nec paſſus abſoluere ſententiam; Non oggere mihi, inquit, tuum *attamen*, ac mitte de priore hero, maloque caue, quam nunc meam meo dicto decet eſſe audientem.

Non longè hinc:

*Sed ita pars libertinorum eſt, niſi patrono qui aduerſatus eſt,*
*Nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi, nec ſatis honeſtus.*
*Ni id efficit, ni ei maledixit, ni grato ingratus repertus eſt.*

Neſcio an non poſtremus horum collocari ante medium debeat: certè quidem pro *Ni id efficit* in eo, legendum ex veteribus eſt, *Ni illi officit*. Sed interim & tranſponamus:

*Sed ita pars libertinorum eſt: niſi patrono qui aduorſatus eſt,*
*Ni illi officit, ni ei maledixit, ni grato ingratus repertus eſt;*
*Nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi, nec ſatis honeſtus.*

Fortè autem nec *officit* ſcribendum, ſed *offuit*, quia præteriti ſunt reliqua temporis omnia: tum & primo verſu *qui* capiendum auferendi caſu. Proximè vulgatur:

*Prohiſce hunc velo ludificari.*

quod venuſtè ſanè Lambinus emendat, *Graphicè*: vix adducor tamen vt credam, verè. Propius ad literas fuerit *Promiſcè*: idemque nonnihil aptius ad ſenſum. Promiſcuè ſiue promiſcàm, vt alibi loquitur, ab omnib. ſimul voluiſſe lenonem miſerum ludificari, patet ex Lemniſelenes reſponſo: *Meo ego in loco ſedulò curabo.* Nam ſe non defuturam ſuis partibus ideò ait, quia Toxilus pariter omnes ac ſingulos ad ludos imperauerat accingi. Vides, ſi *Graphicè* aut aliud quid malis, non ita conuenienter ſequentia ſubiungi. Superius cùm hunc verſum laudarem:

*Hiccine eſt, qui fuit quondam fortis? DO. qua hac res eſt? hei colaphum icit.*

non ſequebar vllam è Lambini coniecturis, ſed propriâ ſcribebam *colapho me icit*. Neque eam repudio nunc; tantùm, quod ibi res non tulit, moneo de alia, quæ Græcum verbum ſupponat, Latinis hîc literis ſcriptum κολαφίζει. quippe ſolet miſcere Græca ad hunc modum Plautus, & in Latina vocabula alibi quoque non diſſimiliter alia abierunt. Proximè finem:

*DO. Male diſperij, ſciunt referre probè inimico gratiam.*

Verbum *ſciunt* de nummis accipe, qui quid agerent quærebatur. Ita ſuprà verbum idem de iiſdem vſurpatum, huius fabulæ ſcenâ *Probati*:

*Duobus nummis minus eſt. SA. quid ei nummi ſciunt?*
*DO. Crumenam hanc emere.*

Digitized by Google

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI RVDENTEM *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD

Nobiliſſimum atque eruditiſſimum iuuenem

IANVM DOVSAM

FIL.

*NON me tenere diutius potui, Iane Douſa, iuuenum nobiliſſimorum eruditiſſime iuuenis, quin his adeo diebus amorem meum, quo ab vltima vtrinſque noſtrûm pueritia te mirifice ſum ob raram ingenij tui inde vſque efflorescentis indolem, maturamque ſenilis in adoleſcentia doctrinæ frugem proſequutus, aperirem literis quibuſdam, & pro affectus mei prolixitate prolixiuſcule explicarem: quibus has nunc alias ſubmitto ſtatim, ſerius ad te peruenturas tamen, vnà cum munuſculo, quo tentatæ prius amicitiæ tuæ me propius applicem, & beneuolentiæ occupatæ penitius inſinuem, porrò atq; arctius inuoluam. Quod vtrumque tu factum meũ ingenuæ mentis in optimam partem candidè accipies: ac pro animi ingenijq; tui nobilitate nec animi in te mei honeſtiſſimũ affectum illum, nec hoc ingenioli noſtri qualecunque monumentum aſpernabere. id quod non deprecor hic oratione lõga: nec, quod cupio ex te mihi, opto magis, q̃ ſpero; neque ſpero magis, quàm confido, certus humanitatis ac comitatis in alios tuæ: quorum tamen nec exemplo magis, quàm ipsâ re ac cauſâ fretus audaciã mihi hanc aſſumſi. Quid enim? amoremne cuiuſquam tu ſpreueris, in Amorũ cõtubernio Gratiarũ manib⁹ educate Veneris pupe? ſpreueris aũt cuiuſq̃ mun⁹, & mu-*

*Hiccine eſt qui fuit quondam fortis? DO. quæ hæc res eſt? hei colapho me icit.*

Et Caſinâ:

*——OL. hei hei. fœtet*

*Tuus mihi ſermo. ST. quæ res? OL. hæc res. ST. etiamne aſtas?*

Et Aſinar.

*Quæ res? tun libero homini ſeruos male loquere?*

ad quam fabulam aliquid huius generis & olim Gulielmius noſter. Ibidem ſcenæ poſt:

*PA. Tace ſtulta, non tu nunc hominum mores vides,*

*Quoiuſmodi hic cum fama facilè nubitur?*

Vt rectè intelligas, aliter diſtingue:

*PA. Tace ſtulta. non tu nunc hominum mores vides?*

*Quoiuſmodi hic cum fama facilè nubitur.*

Affirmantet enim poſterior verſus efferendus. & *Quoiuſmodi* non quærit, ſed valet hîc cuiuſque modi, cuius vis modi. Nam ſenſus eſt, cum qualicumque, ſeu cum omnis generis famâ, tamen facilè nubi, ſi dos non deſit. Is particulæ eius vſus noſtro familiaris. Nam cum alibi, tum Pſeudolo ita:

*Murrhinam, paſſum, defrutum, melinam, mel cuiuſmodi.*

Pro quo apud Gellium & Appuleium frequentatur ferè *cuiuſcemodi.*

## CAPVT IV.

*Logi dotis, nummi præſidij, dies ſpatij, & talia quâ formâ dicantur. Traloqui, Tralegere, & ſimilia. Mirum quin. Schema pro quouis habitu, non tantum penula ſeruili. Dos filiarum Homeri & Paraſiti. Dubia verſus vnius traiectio: alterius admodum controuerſi conſtitutio. Locorum plurium varia & miſtella collationes, Emendationes, explicationes in aliquot ſcenas ordine percurſas.*

EAdem adhuc ſcenâ ridiculè Paraſitus filiæ ſuæ dotem promittit ex artis ſuæ libris, ſexcentos logos. Ridiculè ſed Homeri ſcilicet exemplo, qui ſuæ quoque filiæ propter inopiam Cypria ſua carmina dediſſe in dotem perhibetur. Id ex Æliano cognoſcimus, qui habuit ex Pindaro, & aliis non nominatis. Verba autem eius iſta Variar. lib. 9. c. 15. λέγεται δὲ κἀκεῖνο πρὸς τούτοις, ὅτι ἄρα ἀπορῶν ἐκδοῦναι τὴν θυγατέρα, ἔδωκεν αὐτῇ προῖκα ἔχειν τὰ ἔπη τὰ Κύπρια· καὶ ὁμολογεῖ τοῦτο Πίνδαρος. Sed audiamus & Plautinum paraſitum:

*——PA. caue ſis tu iſtuc dixeris.*

*Pol deûm virtute dicam & maiorum meûm,*

*Ne te indotatam dicas, cui dos ſit domi.*

*Librorum eccillum habeo plenum ſoracum.*

*Si hoc accurâſſis lepide, cui rei operam damus,*

*Dabuntur dotis tibi inde ſexcenti logi,*

*Atq; Attici omnes, nullum Siculum acceperis.*
*Cum hac dote poteris vel mendico nubere.*

In quibus traiectionem moliri liceat huiuſmodi:

*——P A. caue ſis tu iſtuc dixeris:*
*Ne te indotatam dicas, cui dos ſit domi.*
*Pol Deûm virtute dicam & maiorum meûm,*
*Librorum eccillum habeo plenum ſoracum.*

Atque in hanc cum ego ſanè inclinem, retinent tamen antiquæ editiones, quæ & ordinem vulgatum ſeruant; & cum ſententiæ arctius vinciendæ, tum verſui magis explendo, particulam *enim* inſerunt ita:

*Ne te indotatam dicas cui dos ſit domi.*
*Librorum enim eccillum habeo plenum ſoracum.*

Sed iam pendet, nec habet quò referatur iſte verſus,

*Pol Deum virtute dicam & maiorum meûm.*

cui quidem aliud præterea quid fuerat ſubiiciendum. Ceterùm *Dabuntur dotis* alibi coniungendum dixi: nunc potius videtur, vt *logi dotis* iuncta capiantur, eodemque modo omnia, de quibus hoc genus ad ſuperiorem neſcio quam fabulam pluribus egi. Sic & Pœnulo iam *trecentos nummos præſidij* capio: & in Appuleio *trecenta millia dotis.* Apologiâ: *Pudentillæ locuples femina trecentis millibus dotis fuit contenta.* Nec aliter Cæſar lib. 1. bel. Ciuil. *Sex dies ad eam rem conficiendam ſpatij poſtulant.* Quæ omnia conuerſim vulgus diceret, ſpatium ſex dierum, præſidiū trecētorum nūmûm, dotē trecētorū milliū, ſexcentorū logorū, atque ita deinceps. Vltimo verſu pulcherrimū eſt, ꝙ παρ' ὑπόνοιαν mendicū ſuppoſuit homini nobiliſſimo & ditiſſimo. Nam auditores exſpectabant, vt cum tam præclara dote nubi poſſe diceretur vel præclariſſimo alicui & primori ciuitatis. At ille, quod verius erat, mendici conditionem inueniri poſſe ait: in quo & ipſo honeſtiſſima ambiguitas ſenſus. Dum enim hoc innuitur, vilitate dotis non niſi mendicum conciliatum iri; ſimul eiuſdem præſtantia commendari videtur: atque ita interpretari licet, quaſi tam opulenta lautaque dos ea ſit, vt ſi puella vel egentiſſimo & prorſus inopi alicui viro nubat, tamen abundè ſatis habeat ad vitam inde cum marito & familia commodiſſimè ſuſtentandam. Omiſimus verò ſuperius:

*VIR. Futura. P A. ſcis nam tibi quæ præcipio? VIR. omnia.*

in priſcis legi, *præcepi*, paullò melius. Nunc curam noſtram flagitat ſcena *Curate*, qua leuiſſimè defungemur.

Eo verſu:

*Pecuniæ accipiter, auide atq; inuide:*

veteres ſcribunt *Pecuniarum*, atque ita numeri quoque iubent. Mox *Traio ſui* verbum habes, quod eſt ordine eloqui, ſeu percenſere: ad quod exemplum alibi formatum *Tralegere*, & hic poſteà

Dd

*Tranſcindere*. & in Appuleii Apologia *Tranſuorare*. Inferius non interpungitur, ideoque non capitur, rectè ſatis iſtud:

*TO. Fortaſſe metuis in manum concredere.*
*DO. Mirum, quin citius iam à foro argentary*
*Abeunt, quàm in curſu rotula circumuortitur.*

Tu *Mirum quin* coniunge, & integro puncto à reliquis ſeparato. E præcedentibus enim ἀπὸ κοινοῦ ad hoc repetes, Mirum quin tibi in manum concredam, vel Mirum quin metuam: id eſt omninò metuo. Sic enim Plautus vbique formulâ iſtâ vtitur, in qua fruſtra Lambinus ſe multis locis torquet. Fuit hic paulò antè: *DOR. Mirum quin tibi ego crederem.* Et ſuperius:

*Mirum quin regis Philippi cauſſa aut Attali*
*Te potius vendam.*

Et vbique exemplorum copia: quæ commodè accipere ſatius eſt, quàm de interpretatione per æquiualentia verba fruſtra ſatagere. Reliqua iam hic, *Citius argen. ary &c.* ſimillima ſunt iſtis prioribus:

*Vbi quid credideris, citius exemplo à foro*
*Fugiunt, quàm ex porta ludis cum emiſſus eſt lepus.*

Et tale quid fuit & Pſeudoli fracto hodie loco:

*Item tu, poſtquàm hercle iſti à menſa * ſurgunt,*
*Quaſi ſuum reſ etiunt, alienum reddunt nato nemini.*

Scenæ conſequentis initium eſt:

*Si quam rem accures ſobriè aut frugaliter,*
*Solet illa rectè ſub manus ſuccedere.*
*Atq; edepol ferme, vt quiſq; rem accurat ſuam,*
*Sic ei procedit, poſt principia deniq;*
*Si malus aut nequam eſt, malè res vertunt quas agit &c.*

Vbi primò emendabis *fermè*. quid enim hîc firmè, quod omnes tamen libros obſidet? In reliquis Scaliger legi voluit, *Sic ei procedunt poſt principia deniq;*. Cui non repugno, ſed oppono veterem lectionem, *poſt principio deniq;*, & ex ea nonnihil traiecta ſententiam aptiorem:

*Atq; edepol, fermè vt quiſq; rem accurat ſuam*
*Principio, ſic ei procedit poſt deniq;*.

Namque hoc planè vult, vt initio quiſque rem accuret, ita poſteà proueniat: malè, ſi malè; benè, ſi benè. Ibidem mox non margini adiiciendum, ſed ipſi textui interiiciendum fuit, quod veteres libri obiiciebant, vt verſus perficeretur:

*Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo.*

Scenula iterum noua eſt, *Numquid moror*, quæ ſit rectius vna cum ſuperiore. Huius ille verſus diuerſiſſimè ſcribitur à diuerſis:

*I intra ornatum lepide condecorat tuum.*

Et

Digitized by Google

Et quid omnium commenta recenſeamus? E Priſciani vetere ſcriptura, quæ hæc lib. 6.

*Theatrum lepidum cum decora ſchema,*

etſi mirificè ipſoque corrupta, ſit tegerrimâ tamen omnium, nouam integriorem, & non dubiè Plauti germanam iſtam facio:

*Tiara ut lepidam lepide condecorat ſchemam!*

Geminandam vocem, ſemel in Priſciano ſcriptam, Canterus etiam & Palmerius olim vidit: ſed in reliquis vterque nimium deinde aberrauit, etſi magis ille, ac pueriliter quidem, cum *theatrum* è Grammatico arreptum in theatrum & ſcenam huius fabulæ pertraxit. Alii vocabulum *ornatum* mordicus tenuerunt, quia ad menſuram verſus implendam quadrabat. Id tamen manifeſtum gloſſematium eſt alterius *ſchemam*. quod ipſum ideò ejectum, quia numeris videbatur repugnare. Sed, ô boni, corripitur, inque fine verſus ponitur & Amphitruone:

*Quod ego huc proceſſi ſic cum ſeruili ſchema.*

Neque Latini ſemper, & minus Comici, naturam ac modulum originis Græcæ ſunt ſecuti. Quod poſui autem, *ornatum* eſſe huius vocis gloſſam, audacter poſui: nec moueor auctoritate magni viri, qui *ſchemam* in Amphitruone penulæ ſeruilis genus interpretatur. Fallitur. & vnde autem ſic interpretatur? quiue ita vnquam viſus? Plautus vtrobique pro habitu accipit, quem Græca vox ipſa ſonat. Hic Perſicum reliquum habitum tiara impoſita lepidè condecorare dicitur: illic Mercurius, qui Deus ſit, excuſat, quòd ſeruili habitu ſeu ornatu, Soſiæ ſcilicet æmulus, in ſcenam procedere non dubitarit. Nec iuuat, quòd fortaſſe penulam indutus ibi tamen, vtpote peregrè venientem aſſimulans. Quid enim? ideò generis ſignificationem adſtringemus ſpeciei? Comprehendit in ſe ſchema & penulam & alium quemuis ornatum. Neque poſteà depoſita penula, cum omnem habitum ſerui Soſiæ porrò Mercurius imitaretur, non inceſſit cum ſeruili ſchemâ. ſed rem claram non neceſſe eſt acrius premere, nec fas adeò illum, contra quem hæc dicuntur, inſectari. Porrò ibidem illud:

*SA. Age illum aſpice de procul in conſpectum. TO. tace.*
*Vbi cum lenone me videb;*

refinxit elegantiſſ. Douſa F. ad exemplum gemini loci, qui infrà. De verbis, non ille quidem malè: ſed vtrobique vitium aliud in collocatione perſonarum. quod mihi cum ſententia aperuiſſet, cum retexit magis editionum veterum ſcriptura, quæ vtroque loco Sagariſtionem, quem huc ex altero illatum ille cupit, omittunt. Et verò continuè pronuntiat hic illa Toxilus:

——*TO. lepide hercle adiuuas.*
*Age illuc abſcede procul è conſpectu, & tace.*
*Vbi cum lenone me videbis colloqui,*
*Id erit adeundi tempus;*

Eodemque modo reſcribendum eſt & illîc: fine, inquam, ſcenæ *Poſtquam illic:*

*TO. Age illuc abſcede procul è conſpectu, & tace.*
*Vbi cum lenone me videbis colloqui,*
*Tum turbam facito.*

Sic enim, vt dixi, veteres libri, Colonienſis & Florentinus: niſi quòd *&* inſerui ego, ſententiæ vtile, quamquam non hercule neceſſarium: ſed à Plauto quidem non omiſſum.

## CAPVT V.

*Ais & agis ſibi ſæpe ſuppoſita. Prægnauiter. Copiſſimus. Cadere, Labi, in obſcœnum ſenſum poſt alios adſtricta. Locus intricatiſſimus, in quo aut ſuperfluit, aut deſit verſus vnus, explicatus. Numeri ſæpiculè concinnati. Correcta multa in verbis & perſonis: quà malè diſpoſitis, quà omiſſis. Tibulli carmen emendatum, & totum enarratum.*

QVam paruum, tam frequens erratum eſt paſſim in mutua permutatione verborum *ais* & *agis*: quorum illud huic ſuppoſitum etiam puto SC. *Satin' Athenis.*

*TO. Quid ais hoſpes? SA. venio, adduco hanc, vti dudum dixeram.*

Nam *agis* ibi quidem opportunius haud paullò. Qua ſcenâ ſeruant adhuc pertinaciter omnes editores aduerbium *prognariter*, à Lambino meritò damnatum, qui *prognauiter* & hîc & apud Ennium reſtituebat, aptiſſimo ſenſu, atque vnicè cum interpretatione Nonii conueniente. Nam *gnauiter* eſt ſtrenuè: cui præfixa particula *pro* ſignificatum intendit; vt ſit, valdè ſtrenuè. quamquam dubito, an non *præ* potius auctores præfixerint, ac *prægnauiter* ſit in Nonio & exemplis ipſis reſcribendum. At ibidem pòſt intricatæ admodum ſententiæ locus eſt.

——*DO. ſatis rectè mones.*
*Hoſpes, volo ego hanc percontari. SA. à terra ad cœlum quid lubet.*
*TO. Iube dum ea huc accedat ad me. SA. i ſanè ac morem illi gere.*
*Percontare, exquire quiduis. TO. age age nunc tu i præ, para.*

In quo perſona primùm Toxili fallit, qui nunc ad ſe vult puellam venire, prorſus ineptè. Lenonis enim ea poſtulatio eſt. Sed ineptius ſubdit Sagariſtio, *I ſanè, ac morem illi gere,* puellam iis alloqui viſus, quæ procul tamen abſtiterat, adeunda vltrò, vt adduceretur Atque etiam alia ſunt in iis, quæ porrò, abſurda, quæ non excutio. Turba autem omnis ab iſto vno verſu:

*TO. Iube dum ea huc accedat ad me. SA. i ſanè, ac morem illi gere.*

qui aut ipſe ſuperfluit: nam eo remoto plana res fuerit:

——*SA. à terra ad cœlum quid lubet*
*Percontare, exquire quiduis. TO. age age nunc i, præpara.*
*Vide vt ingrediare auſpicato &c.*

Aut alius illi deeſt, qui ſententiam expleat explicetque. & id potius. Nam omninò poſt hunc in perſonas ita tribuendum,

*D O. Iube dum ea huc accedat ad me. TO. i ſane, ac morem illi gere:*

ſequi debuit alius, quo faſtidioſus Sagariſtio renuerit adducere lenoni puellam, quod ille petierat, ac Toxilus ſuaſerat, atque ipſum adire iuſſerit, quæque vellet, ex aſtante iſthìc percontari: cuius quidem orationis reliqua particula eſt in deincipe verſu, *Percontare, exquire quiduis.* Tum enim, illo ſuperbius officiolũ id negante, Toxilus ipſum igitur lenonem ire iubet: atque age age, inquit, ipſe nunc ito, & ad quæſtionem inter eundum te præpara, ſimul vide prius, vt auſpicatò iter ingrediare. At illum auſpicio ſatis, vt putabat, liquido profectum reuocat idem ſtatim, & conſilio neſcio quo ſe potius iturum ait, & illam adducturum. quod Dordalo facilè permittente, adit ipſe virginem; ad quam iſtud ſolum pronuntiat, *Sequere me:* rediensque & adducens, ad lenonem porrò iſta,

*Adduco hanc, ſi quid vis ex hac percontarier.*

In hunc modum totus locus accipiendus, in quo inexplicabiles aliàs abſurditates. Iam porrò nec illic perſonæ diſpoſitæ ſatis rectè:

*T O. Do ergo tibi operam. D O. tibi ibidem das, vbi tu tuum amicum adiuuas.*

*Exquire. T O. heus aduigila.*

Quid enim leno Toxilum exquirere iubet? qui planè contrà debet illum. Ita repone: *T O. Exquire. heus aduigila.* Tandem poſt multas tricas, Hoc agere & lenonem & virginem ſeruus conciliator iubet: & illo, vt initium exquirendi faciat, admonito, callidè huic quoque mandat, vt aduigilet, ambiguo ſanè dicto. Nam & hoc clam innuit, vt fraudi ſuæ attendat, & illud palam, vt quæſitis lenonis. quò hic quidem tantùm reſpici putat: at illa alterum quoque intellexit, & æquè ſubdolè reſpondet, *Satis eſt dictum.* Ita miſerum lenonem paullatim in foueam illiciunt, & dolis ſuis, quò lubet, effrenatum ducunt.

Inferius, vbi vulgatur:

*——nata eſt in calido loco,*

*Vbi rerum omnium bonarum copia eſt ſapiſſimè.*

Languere mihi videtur hoc *ſapiſſimè.* quæro, an fuerit *copiſſima?* an potius ad ſequentem verſum pertineat: *——copia eſt. T O. ſcitiſſimè. Tacuit leno.* Iterum verò perſonæ vitiatæ ſunt illic:

*T O. Ita me Dij bene ament, ſapienter atq; equidem miſeret tamen.*

*D O. Sed tamen virgo, quæ patria eſt tua? age nunc actutum expedi. quid taces?*

Sed & alter verſus eſt aliquanto longior. Abiicienda verba *Sed tamen*, & omnia continuè lenoni Dordalo attribuenda:

*DO. Ita me Dij bene ament, ſapienter. atq; equidem miſeret: tamen*

*Virgo, quæ patria eſt tua? age actutum expedi. quid nunc taces?*

Quam reſtitutionem ſententia ſatis ipſa per ſe manifeſta probat, ne quid ego verborum inaniter appingam. Poſt, ita numerorum cauſsâ verſum illum ſcribes:

*Cum prope ipſus perditus, & beneuolentes perdidit.*

Et qui hunc ſtatim ſequitur:

*LE. Etiam opinor. TO. etiam opinor? DO. ſummo genere eſſe arbitror.*

eius initio corriges è veteribus, *DO. Etiam, opinor.* Alterum inuenuſtum eſt, nec exprimit integrum ſenſum. Dubitat adhuc leno, an ſit empturus: ſed tamen, etiam opinor, inquit. Ibi Toxilus, etiamne opinaris? nec ſtatim quod tibi Dii obiiciunt boni apprehendis? Mox omiſſa perſona eſt:

——*a lenone & me abſentem redimeret. quid nunc? DO. quid eſt?*

Toxilus iſta pronunciat, *Quid nunc?* Atque hoc etiam clarum eſt. Igitur cum prænotabis. Altero abhinc verſu:

*DO. Ne ſi piata libera eris actutum, ſi crebro cades.*

Senſu obſceniore poſitum verbum *cades* negarunt quidam, alii affirmarunt. Inter hos ego; & præter huius exempla, quorum vni è Declamatore apud Senecam: *Fortaſſe pœna ſe præparauit, & ex quo peccare cœpit, cadere condidicit:* à Gulielmio noſtro primitus allato, addidit alterum poſteà Tibulli N. Douſa P.

*Gratum eſt, ſecurus multum quod iam mihi de me*
*Permittis, ſubito ne male inepta cadam.*

adiicio ipſe nunc Propertianum *Labi*, quod eodem modo ſic poeta elegantiſſimus vſurpauit lib. 2.

*Vt ſolet amoto labi cuſtode puella*
*Perfida, communes nec meminiſſe deos.*

Sed & de Tibulli loco amplius moneo, leuiter in voculis binis corruptum eſſe, quas hic per occaſionem emendemus, & ipſum illud totum elegiarion, quod doctis aliquot viris negotii non parum fecit, explicemus. Ita autem reſcribendum eſt:

*Gratum eſt, ſecurus multum quod iam tibi de me*
*Promittis, ſubitò ne male inepta cadam.*
*Sit tibi cura togæ potior, preſſumque quaſillo*
*Scortum, quàm Serui filia Sulpitia.*
*Solliciti ſunt pro nobis, quibus illa dolori eſt,*
*Ne credam ignoto, maxima cauſſa, toro.*

Vides pro *mihi*, ſuppoſitum *tibi*; pro *Permittis*, *Promittis*. Ita ſententiam exigere videbis & ex hac paraphraſi noſtra, qua totum ſic breuiter ac ſimpliciter reddo. Gratum mihi eſt, quod iam tantum de me tibi promittis, vt animo ſecuro poſſis omittere curam & cuſtodiam mei. Atque haud immeritò ſanè illam potius cures quaſillariam amicam tuam, quam me nobilem adeò viri nobiliſſimi filiam. Et tamen me quoque ſatis obſeruant nunc riuales tui

apud

apud rogatam iſtam. Hi enim cum excluſi ab illa ſint, te ſolo recepto; in me oculos coniiciunt & fixos habent aſſiduos: quæ etiam maxima quidem mihi cauſſa eſt, vt peccare ſollicitius caueã, aliquę me toto ignoto prorſus abſtineam committere. Sed amplius ibidem legendum videtur etiam *Sollicitus ſum de nobis.*

## CAPVT VI.

*Qui. Triginta minæ ſolenne pretium mulierculæ arum. Prorſum. Re prepoſitio producta. Vero. Fruſtum verſus alteri agglutinatum. Ordinata ſæpè verba. Perſonæ digeſta alibi, alibi exemtæ. Lambiniana verſus inſertio probata, argutatio Guilielmiana improbata. Duplex loci diſtinctio, de elegantia inter ſe certans. Alia ad lucem & ſinceritatem Plautini textus dicta.*

SVpereſt eâdem ſcenâ vnum alterumque etiam mendum; quæ noſtro more, ſine verborum pompa, correcta lectori proponemus. Litterula vnicâ abundat hoc verſu:

*DO. Tum tu pauca in verba confer: quid datur, tanti indica.*

Legendum enim *qui*, non *quid*, iſta cum diſtinctione:

*DO. Tum tu pauca in verba confer: qui datur, tanti indica.*

Vno verbo, inquit, abſolue: & tanti ſaltem indica, quo ſeu quanto es daturus. Idem eodem genere dictum ſuperius:

*Indica, minimo daturus qui ſis, qui duci queat.*

Reſpondet nunc Perſa:

*SA. Faciam ita vt te velle videam, vt emas, habe trecentis minis.*

Priora lege & interpunge: *SA. Faciam ita, vt te velle video, vt emas.* Iam reliqua nimis ſtatuunt grande pretium, cuius & mox nimia deductio, cum à minis trecentis ad octoginta ſtatim venitur. Nec ita inſaniunt aliæ pleręque editiones: quarum ex recentibus optimæ indicant tantum *centum*, & vetuſtiores addita voce, *habe tibi centum minis.* Vtrouis modo rectè, quod ad numeros pariter & ſenſum. A centum ad octoginta, & denique ad ſexaginta labuntur, in quibus pretium conſiſtit, illud quidem tolerabile, duplo maius tamen vulgari, quod alibi notauimus eſſe plerumque minas triginta. Sed hæc duarum æquauit, propter ampliſſimam lucri ſpem, cui totus inhians leno quacunque conditione præcipitat emtionem. *Trecentis* illud ne neſcieris vnde ſit; opera bardiſſimi alicuius correctoris huc tranſlatum eſt ex inferiore illo verſu:

*Non edepol minis trecentis cara eſt: feciſti lucri.*

cum quo quidem fruſtulum præcedens conglutinare poſſis, vt in vnum ſic coeant:

*Abi, argentum effer. non edepol trecentis cara eſt: feciſti lucri.*

Ante quæ, diſtinxeris illa rectius ita:

*——DO. quid id eſt ergo te loquere actutum, atq; indica.*

Poſt eadem, ſi lubet, legeris æquè rectè, *decem accedent minæ*: atque in fine ipſo ſcenæ, *argentum effero*: quomodo quidam leuiſſi-

mo diſcrimine à vulgatis recedunt. Proximâ deinceps ſcenâ:

*Simulato quaſi eas prorſum in nauem:*

interpretor *porsùm*, rectà, quaſi prouerſùm, directâ viâ. Quæ hanc proximè ſequitur, eius verſu tertio legis *remigrat*, initiali ſyllabâ productâ: quod veteribus in præpoſitione *re* frequens, vt ab aliis alibi oſtenſum: atque ita erat in ſuperiore ſcena *Satin'*:

*Age, ſi quid agis, ego ad hanc redeo. ſequere, reduco hanc tibi.*

Deinde hic verba verſus illius ita digere:

*Nihil mihi tam paruu eſt, quin me id pigeat perdere.*

Cui adhærent:

*Age accipe hos ſis. SA. hunc in collum, niſi piget*
*Impone. DO. verò fiat.*

Vbi Florentinus liber *hanc* legit, vt crumenam ſubintelligas: quamquam *hunc collum* ſuo more potuit auctor voluiſſe. *Verò fiat* iunctim potes, & ſeparatò capere, virgulâ interiectâ. De particulæ enim *verò* tali vſu ad Pœnulum nobis dictum. Deinde verborum ordinem iſtum fac:

*Eum ego vt requiram, atq; vt redimam, volo pergere.*

Nam adiectâ quidem voce planè explendus verſus ex antiquis. Mox:

*TO. Quid attinet nomen ſcire? SA. auſculta ergo ſcies.*

Veteres loco τ̃ *nomen* habent *nos*. Inde ſcribe:

*TO. Quid id attinet nos ſcire?* Illud neceſſarium viderant atque inſeruerant, quibus non conſtabat de præcedente verſu:

*DO. Sed ſcire velimus, quod tibi nomen ſiet.*

quem perperàm omiſſum rectè atque ordine Lambinus ex libris ſuis reſtituit. Alia ſcena procedit, *Poſtquam illic abijt*. Hic fruſtrà Gulielmium noſtrum argutatum credimus in illis:

*——nam ſenſi te ſedulo*
*Mihi dare bonam operam. TO. tibin' ego? imò ſeriò.*

Potius enim quàm *ſerui* mutetur, in quo nimis exilis, ſi quis eſſe poteſt, iocus; aliter perſonas ordinandas cenſeo. Neque fallor, ita Plautum diſtinxiſſe, aut diſtinctum voluiſſe:

*——TO. tibin' ego? DO. imò ſeriò.*
*Atat oblitus ſum intus dudum edicere.*

In quo ſimplex & apertus ſenſus: quem, qui ſapiat, mutare nolit illo argutiore, quantumuis eleganti. Quæ ad finem ſcenæ huius, attigimus ſuprà & cum loco gemino ſuo correximus. Fine proximæ, verba digere cum libris ſeculi & fidei melioris:

*TO. Pol iſtuc quidem iam ego omne vſurpabo domi.*

Ita verſus poſcit. At initium porrò proximæ dubiam admittit correctionem:

*Niſi ego illunc hominem perdo, DO. perij. SA. atq; optimè*
*Eccum ipſum ante ædes.*

Nam & ſic elegans eſt, vt ἀποσιώπησις ſit, apta quidem mirificè illa mini-

minitanti: *Niſi ego illunc hominem perdo.* Neque non rurſum gratia pæne maior ſit in ſententia, quam multò diuerſam efficient perſonarum notæ exturbatæ, vt Saturionis continuetur ita ſermo:

*Niſi ego illunc hominem perdo, perij. atq; optimè Eccum ipſum.*

Perierat enim hercule paraſitus, niſi lenonem perderet, abductâ in ſeruitutem filiâ; neque patratâ fallaciâ, vnde vna illi vitæ in poſterum promiſſa ſpes, & capta iam fiducia perpetui perennitantis cibi. Vt de me fatear, vulgato acrius, hoc nouo blandius afficior: & tandem cùm illud ægrè dimiſero, iſtud cupidius acceptarim. Eligat & ſibi lector alterutrum: qui ſerio iudicio cum vtrumque expenderit, non poterit tamen non præuaricari, & noſtro impenſius fauere. Vltima ſcenæ eiuſdem ſit omnia ſcribenda:

*DO. Sine dicam. SA. nolo. DO audi. SA. ſurdus ſum, ambula:*
*Sequere hàc ſceleſte, feles virginaria:*
*Sequere hàc mea nata me vſq; ad prætorem. VIR. ſequor.*

perſonis intermediis vtrinque remotis, quarum cum editio optima eieciſſet vnam priore loco, debuit nec alteram ferre poſteriore.

## CAPVT VII.

*Aquula in initio conuiuiorum. Me. particula antiquè abundat. Benè nobis omnibus, formula in Plauto hallenus, fallens, luce diſtinctionis iam protracta. Eijcere vehiculum. Manum adire. Hem, verberantis. Staticulum dare. Promiſcè. κυλαφίζειν. Nummi ſciuiit. Multa in reliquas ſcenas emendationes. inibi verba, interpuncta, perſonæ, variè omnia traiecta, abiecta, mutata: verſus ipſi concinnati: horum vnus traductus. Lambini abſurda gloſſa ſæpius exploſa. loca nonnulla declarata.*

CVM fabulæ Cataſtrophe inclinat in cataſtrophen noſter etiam in ea labor. Quinti, vt diſtinguunt, Actus ſcenæ ſunt hîc duæ tantùm: quarum priore quis primus illa ſic mutarit haud ſcio nunc, neque vnde noſtri imitati:

*Statuite hic lectulos, ponite hic quæ aſſolent. hic ſtatui volo, primum*
*Vnde ego omnes hilaros, lubentes, lætificantes faciam vt fiant aliqua mihi.*

Veteres quidem ſic legebant, *hic ſtatui volo primùm aquilam mihi:* quorum poſtrema verba malè nunc ad finem verſus alterius reiecta. Quid enim hîc ſententiam iuuant? At ea ſine illis illic non conſtat. Exprimat enim Toxilus, oportet, quid ſtatui primum velit, cùm ſe dicit primum aliquid ſtatui velle. Aquilam ſiue aquam vilem credo nimis arbitrati ſunt, quæ ante omnia collocaretur. Hi tamen ſcire debebant, eam in conuiuiorum ingreſſu principem locum vel lauandis manibus tenuiſſe. Ac poſt aquam ſumtam, menſa demum apponebatur: quod cum vndique, tum è Moſtellaria patet: vbi Philolaches cum Philematio ſuo accubiturus, aquam prius, deinde menſulam apponi poſcit, Scena *Iampridem.*

Atque ita paullò poſt hîc quoque rurſus: *date aquam manibus, apponite menſam.* Adhæreo igitur veteribus libris, & paullâ tamen mutatione ſic reſcribo:

*Statuite hic lectulos, ponite hic quæ aſſolent. hic ſtatui volo primum*
*Aquilam mihi: inde ego omnes hilaros, lubentes, lætificantes faciam*
*vt fiant,*
*Quorum operâ hæc mihi facilia factu facta ſunt, quæ volui effieri.*

Feci *inde*, quaſi deinde, vt reſpondeat τῷ *primum*. *Lubentes* iam olim Gulielmius veriſimilibus emendarat, etſi poſtea ſibi alii vendicarunt. Porrò autem & interpunctorum, & perſonarum, & deniq; verborum vitio laborat hic locus, etſi maximè perſonarum: quem tamen ita, vt vulgò legitur, non hic adſcribam, ſed vt à nobis ſaltem eſt correctus:

——*TO. accedito ergo,*
*Accedin' ad me atque amplectaris? LEM. ego verò. oh nihil magis*
*dulce eſt!*
*Sed amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus?*
*TO. Omnia quæ tu vis, ea cupio. LE. mutua fiunt à me. TO. Age, age,*
*age ergo,*
*Tu Sagariſtio accumbe in ſummo. SA. ego nihil moror, cedo partem*
*quam pepigi.*

Fruſtra deinde eſt, qui *me* particulam delet iſthinc:

*Optatus hic mihi dies datus hodie eſt à Dijs, quia te licet liberam me*
*amplecti.*

Dixi & hîc & alibi adiectionem illam eſſe veteribus tam aliis, quam Plauto familiarem. Quòd autem reſpondet hîc ſtatim Lemniſelene:

*LEM. Tuâ factum operâ bene omnibus nobis: poti meæ manus tuæ*
*poculum donet.*

Sic in omnibus quos viderim libris interpunctum eſt, nec vulgo aliter accipitur, quàm ſi ſtructura verborum & ſenſu cohæreat hoc totum *Tuâ factum operâ bene omnibus ſuis.* At mihi diſpeſcendum videtur in membra duo: vt prius ſit, *Tuâ factum operâ*: Id eſt, quod a Diis tibi datum eſſe aïs, vt me liberam tibi liceat amplecti, id tua tibi ipſius operâ euenit. Alterum iam, *Bene omnibus nobis*; habeo pro ſolenni bene precandi formulâ in propinationibus: qualis ab ipſo iam iam Toxilo vſurpata, *Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ.* Hoc ſic cogitaram, cum ad Briſſonii Formulas reſpicio: atque ecce ibi ſic planè locum diſtinctum, qui credam niſi de induſtria? reperio. Gauiſus ſum iudicium tanti viri cum meo conſpiraſſe: & rurſum dolui, neminem id hactenus ſecutum, ac forte necdum obſeruaſſe. Atq; idcirco moneo nunc ego iterum omnes hic, ne illìc diutius prætereatur. Ceterùm exempla vberiora ipſius formulæ ex inſtructiſſimo illo peti iubeo penu Formularum. Finis ſcenæ mutilus eſt:

——*TO.*

——*TC. bene ei qui inuidet mihi,*
*Et ei qui hoc gaudet.**

vbi Lambinus inſipidiſſimam gloſſam appinxit. quam vno verbo reiiciens, negationem inſerendam illic eſſe dico, *qui non inuidet mihi*: & ſententiam in vniuerſum fuiſſe ferè talem, qualis iſta Moſtellariæ ſcenâ iam antè à nobis hîc citatâ, vt quidem verſus ibi nos etiam coniungebamus:

*Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo ſuo ſemper bono:*
*Qui inuident, ne vnquã eorum quiſquam inuideat prorſus commodis.*

Vltimæ ſcenæ ſecundus verſus interpungendus hoc potius modo:

*Solus ego omnibus antideo facile, miſerrimus hominum vt viuam.*

Quintus vereor ne gloſſcinate ſit oneratus:

*Vehiculum argenti miſer eieci, amiſi: neque quamobrem eieci, habeo.*

Nam *amiſi* illud cui rei? Deleo audacter ego: & *eieci vehiculum* ſimile eſſe illi dico, *plauſtrum perculi*. Tralatitius enim ſermo eſt: quem non agnouit Interpres, cum explicat de magna vi argenti, atque adeo tanta, vt ei portandæ vehiculum ſit opus. in quo riſum difficile tenemus. Idem alibi nugatoriè phraſin hanc interpretatur, *Manum adire*, quæ & hic paullo pòſt:

*Vt me in tricas coniecisti? quomodo de Perſa, manus mihi adita eſt?*

Neque tamen illo ſanius alii, qui mutandum etiam *adeundi* verbum neſcio quomodo putarunt. At vbiq; ſic liquidò literis omnibus perſcriptum: neq; ſenſum vſquam alium admittit, niſi de callida deceptione & fraudulenta fruſtratione. Loca noſtri quid opus omnia afferri? Duo tantum ponam, quæ videantur ægrius in hanc mentem flecti. Aulular. SC. *Volui.*

*Abeo illinc iratus, quoniam nihil eſt, qui emam.*
*Ita illis impuris omnibus adij manum.*

Pœnulo SC. *Dij illum;*

*Quoniam litare nequeo, abij illinc illico*
*Iratus. vetui exta proſicarier.*
*Neq; ea aſpicere volui, quoniam illa non bona*
*Aruſpex dixit: deam eſſe indignam credidi.*
*Eo pacto auaræ Veneri pulcrè adij manum.*
*Quando id quod ſat erat, ſatis habere noluit.*
*Ego pauſſam feci.*

At his quoque locis palam eſt, eſſe fruſtrari. Et Pœnulo quidem ipſe leno diſertè ſatis explicat, quomodo Veneris auaritiam eluſerit: Aulularià tripatcus Euclio cum æs non haberet tamen eſuriens in forum proceſſiſſet, vt honeſto prætextu vacuus à macello diſcederet, irâ ſeu verâ ſeu ſimulatâ, caritatem annonæ fugiens, improbos lanios & piſcarios fruſtrabatur. Ipſa loquendi ratio vnde ſit ducta, non video, niſi ſi ab athlethica re, in qua manum adire forſan artis præcipuæ fuit & induſtriæ callidioris ad aduerſarium occupandum. Sequitur:

Digitized by Google

*DO. Quin elude, vt ſoles, quando liber locuſt hic.*
*TO. Hui baba, baſilice te intuliſti & facetè.*

Quæ hic appoſitæ verſibus perſonæ, libri veteres omittunt, ac meo iudicio rectè: vt rurſus hæc Toxilo iunctim aſſcribantur:

*TO. vin' cinadum nouum tibi dare, Pagnium?*
*Quin elude, vt ſoles, quando liber locuſt hic.*
*Hui babæ! baſilicè te intuliſti & facetè.*
*PV. Decet me facetum eſſe.*

Non enim dubium, quin inſtigantis Toxili ſit, non permittentis Dordali, *Quin elude*: cuius exemplo non mutandum ſuperius fuit, *SA. Quin iube adire*: vbi *iubes* ſuppoſitum ierunt. Deinceps eſt:

*TO. Perge vt cœperas. PV. hoc leno tibi.*
*DO. Perij, perculit me propè. PV. hem ſerua rurſum.*

Scribo, *hem leno tibi.* nam iſta interiectione verberãtes vtebantur, quæ ſexcentis locis apud vnum noſtrum. Atque hic ibidem eccam iterum eandem: *hem ſerua rurſum.* vbi corrigendum *ſeruo.* Feriebat puer lenonem. is ab eo ſe perculſum propè queritur. igitur ille iterum ferit, atque iſto ictu reſtituere illum rurſus in gradum dicit & ſeruare. Mox in illis:

*DO. Caue ſis me attigas, ne tibi hoc ſcipione*
*Malum magnum dem. PV. vtere, te condono.*

ſuauis etiam Interpres, cum poſtrema verba de ſcipione capit, quaſi puer lenoni permittat, vt ſe feriat iſto ſcipione. Tu de *magno malo* intelliges: quod cum Dordalus puero daturum ſe minaretur; ille recuſat iſtiuſmodi munus, eoque ipſum condonat, vt ſibi fruatur. Non minus idem ridiculus, & aliquanto ineptior ad illa:

*PV. Nequeo, leno, quin tibi ſaltem ſtaticulum, olim quem Hegea*
*Faciebat.*

Pro verbo accipit *ſaltem*, quod aduerbium. Quis verò dixerit *ſtaticulum ſaltare?* At ipſum verbum ibi deeſt, magno librariorũ flagitio: quod è veteribus libris facilè reduco. In illis enim opportuniſſimè inuenio, *quin tibi ſaltem ſtaticulum dem, olim quem &c.* Dare ſtaticulum à Catone dictum etiam memini; ſed non ſuppetit locus. Hic autem *dandi* verbum fuiſſe vel ex eo colligitur, quod mox ſubiicitur illi reſpondens *reddendi*:

*SA. me quoque volo Reddere, Diodorus quem olim faciebat in Ionia.*

verſui, *Iam taceo hercule &c.* Dordali perſona præfigenda, quam optima editio peſſimè omiſit. Illi verò:

*LEM. Attamen non tamen. TO. caue ergo ſis malo, & ſequere me.*

conſtant ſuæ perſonæ vbique, ſed nuſquam ſuo loco Toxili ponitur, præter in antiquis, vnde reſtituo:

*LE. Attamen. TO. non tamen: caue &c.* quomodo verba pæne eadem in aliam ſententiam diſterminari prorſus eſt neceſſe. Et nihil enim aliàs ſignificant: & nunc excuſaturam oppoſituramque

neſcio

neſcio quid amicam cohibet ſeruus, nec paſſus abſoluere ſententiam, Non oggere mihi, inquit, tuum *attamen*, ac mitte de priore hero, maloque caue, quam nunc meam meo dicto decet eſſe audientem.

Non longè hinc:

*Sed ita pars libertinorum eſt, niſi patrono qui aduerſatus eſt,*
*Nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi, nec ſatis honeſtus.*
*Ni id efficit, ni ei maledixit, ni grato ingratus repertus eſt.*

Neſcio an non poſtremus horum collocari ante medium debeat: certè quidem pro *Ni id efficit* in eo, legendum ex veteribus eſt, *Ni illi officit.* Sed interim & tranſponamus:

*Sed ita pars libertinorum eſt: niſi patrono qui aduorſatus eſt,*
*Ni illi officit, ni ei maledixit, ni grato ingratus repertus eſt;*
*Nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi, nec ſatis honeſtus.*

Forte autem nec *officit* ſcribendum, ſed *offuit*, quia præteriti ſunt reliqua temporis omnia: tum & primo verſu *qui* capiendum auferendi caſu. Proximè vulgatur:

*Prohiſce hunc velo ludificari.*

quod venuſtè ſanè Lambinus emendat, *Graphicè*: vix adducor tamen vt credam, verè. Propius ad literas fuerit *Promiſcè*: idemque nonnihil aptius ad ſenſum. Promiſcuè ſiue promiſcàm, vt alibi loquitur, ab omnib. ſimul voluiſſe lenonem miſerum ludificari, patet ex Lemniſelenes reſponſo: *Meo ego in loco ſedulò curabo.* Nam ſe non defuturam ſuis partibus ideò ait, quia Toxilus pariter omnes ac ſingulos ad ludos imperauerat accingi. Vides, ſi *Graphicè* aut aliud quid malis, non ita conuenienter ſequentia ſubiungi. Superius cùm hunc verſum laudarem:

*Hiccine eſt, qui fuit quondam fortis? DO. quæ hæc res eſt? hei colaphum icit.*

non ſequebar vllam è Lambini coniecturis, ſed propriâ ſcribebam *colapho me icit.* Neque eam repudio nunc; tantùm, quod ibi res non tulit, moneo de alia, quæ Græcum verbum ſupponat, Latinis hîc literis ſcriptum κολαφίζει. quippe ſolet miſcere Græca ad hunc modum Plautus, & in Latina vocabula alibi quoque non diſſimiliter alia abierunt. Proximè finem:

*DO. Male diſperij, ſciunt referre probè inimico gratiam.*

Verbum *ſciunt* de nummis accipe, qui quid agerent quærebatur. Ita ſuprà verbum idem de iiſdem vſurpatum, huius fabulæ ſcenâ *Probati:*

*Duobus nummis minus eſt. SA. quid ei nummi ſciunt?*
*DO. Crumenam hanc emere.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI RVDENTEM DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

Nobiliſſimum atque eruditiſſimum iuuenem

IANVM DOVSAM

FIL.

NON me tenere diutius potui, Iane Douſa, iuuenum nobiliſſimorum eruditiſſime iuuenis, quin his adeo diebus amorem meum, quo ab vltima vtriuſque noſtrum pueritia te mirifice ſum ob raram ingenij tui inde vſque eflorescentis indolem, maturamque ſenilis in adoleſcentia doctrinæ frugem proſequutus, aperirem literis quibuſdam, & pro affectus mei prolixitate prolixiuſcule explicarem: quibus has nunc alias ſubmitto ſtatim, ſerius ad te peruenturas tamen, vnà cum munuſculo, quo tentata prius amicitia tua me propius applicem, & beneuolentiæ occupata penitius inſinuem, porrò atq; arctius inuoluam. Quod vtrumque tu factum meũ ingenuæ mentis in optimam partem candidè accipies: ac pro animi ingenijq; tui nobilitate nec animi in te mei honeſtiſſimũ affectum illum, nec hoc ingenioli noſtri qualecunque monumentum aſpernabere. id quod non deprecor hic oratione lõga: nec, quod cupio ex te mihi, opto magis, q̃ ſpero; neque ſpero magis, quàm confido, certus humanitatis ac comitatis in alios tuæ: quorum tamen nec exemplo magis, quam ipſâ re ac cauſſâ fretus audaciã mihi hanc aſſumſi. Quid enim? amoremne cuiuſquam tu ſpreueris, in Amorũ cõtubernio Gratiarũ manib᷒ educate Veneris pupe? ſpreueris autẽ cuiuſq̃ mun᷒, & mu-

*nus ab ingenio, & ad hoc munus è Plauto? Iam iam ſatis eſt, cum Plautum nominaui: nec egemus ampliore commendatione. Videbam equidem hoc callidè: & iſtum ideò mihi patrium apud te paraui. Non enim iam nego aut tego meas artes. Plautum mihi conciliatorem eſſe ad te volui, cui Plauto nemo amicior eſſet, apud quem impetrabilior nemo Plauto. Et quis verò quemuis alium facilius pelliciat aut corrumpat? Hic quidem mihi vel inhumaniſſimum Suadà ſuà flexerit: nedum te, Douſa humaniſſime, qui ab illo ipſo fonte humanitatis omnes lepôres hauſiſti, melitiſſimoſq; mores imbibiſti. Plautinam ecce Comœdiam ad te mitto, proxenetriam inter nos futuram. dabis ei libens oculos, aures, animum; atque eadem omnia Notis ad illam meis: teque ipſum vnà mihi ipſi. quamquam vereor interim, ne te Notæ iſtæ ruſticiores & Plautinis elegantiis impares ſuboffendant nonnihil, aut fortaſſis etiam auertant. quod auertere Plauti ipſius Genius velit, & ſuis te lentiſſimis blanditiis teneat, ac ſi quid peccauimus etiam in ipſum vltrò, tamen apud te corrigat, qui quidem conſcius ſit nobis, non in ſe peccare quidquam, ſed corrigere apud ſe multa voluiſſe. tuo ſcilicet id atque aliorum exemplo, ſed tuo potiſſimum: quo vnius incitari me maximè ſenſi poſteà, quàm reliquorum ſenſiſſem inuitari. Certè enim iam pridem aliorum induſtria meam ſollicitauerat, inprimis popularium tuorum aliquot, & ante hos pleroſque omnes tui adeò præſtantiſſimi patris, tum & ex aliis gentibus quorundam, & ex noſtris Germanis, Camerarij ab antiquo, recentius Palmerij, denique Gulielmij, & huius, præter ceteros bene meriti, præcipuè: tuâ verò nuperrimâ editione ſum vehementiſſimè accenſus & inflammatus, non in æmulationem quidem, ſed imitationem,*

Nec tibi certandi ſtudio, ſed propter amorem.

*Vtinam tam felicitatem tuam ſim aſſecutus, quàm diligentiam ſum ſecutus: & merita non emendationum numero, ſed pondere exæquem. Verùm tu, quid à te, quid poſt omnes vos effecerim, videbis: & in hanc maximè Rudentem intendes, cui Vidulus alligatus noſtrarum Diuinationum te arbitrum*

ſibi

*ſibi poſcit, & quid boni, malíne contineat, optat examinari. Forſan inueneris pleraque in eo Plautina: quæ agnita, reddenda auctori adiudicabis: aliena ſi quæ etiam inerunt, excuties, dinoſces, & legitimas Notas à nothis certiore aliquâ tuâ nota diſiunges. Omninò tui iudicij noſtrum hoc iudicium: quod meritò concedit tantum tuo, quantum ipſe ingenio & doctrinâ à te relinquor. Habe tamen hoc amoris, amoris inquam potius, quàm eruditionis pignus: quod à me quanto minus eſt te Plautoq; dignum, tanto fiet vtroque dignius à tua cenſura. Me non amplius commendo tibi, fiduciâ Plautinæ conciliationis: magis à te, fiduciâ tuæ iam ipſius etiam beneuolentiæ, commendari cupio magno parenti tuo & termaximo Scaligero, quos humili ſed gratâ per te ſalute veneror, tibi vtrumque gratulor, alterum à Natura datum inuidere non poſſum, alterum à Fortuna, poſſim, niſi te tantum amem: quãquam neque debeam, ſi minus amem, qui fructum beatiſſimæ illius conſuetudinis in publicum ſciam, & ad vnumquemq; priuataque ſingulorum ſtudia, & mea igitur etiam, multò largiſſimè redundaturum.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI RVDENTEM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Rudens inchoata. Ibi Arcturi ortus & occaſus nouo ſenſu. Quæſtus meretricibus. βωμολόχοι. Variis modis oratio ſæpe complanata. Contra Lambinum locus vnus atq; alter correctus, explicatus: quidam traductione ordinatus: alij cum aliis collati. Plutarchus etiam emendatus.*

E Plautino infeliciſſimo naufragio cum paucis tabulis miſerè diffectis ac laceratis euaſit tamen etiam RVDENS, non ille quidem planè ſaluus, ſed minus lacer & corruptus, præut aliarum Comœdiarum fatum fuit. Ad hoc, operam illi feliciorem multò quam reliquis induſtria multorum nauauit. Vnde minor in eo nobis labor, & ſic tamen ſatis quoque magnus. Etiamnunc en in non paucis partibus vitia illi priſtina è madore & tempeſtate ma-

Ec

Digitized by Google

ſitima contracta hærent, & noua inſuper acceſſerunt ab imperitis Cenſoribus, qui fractum hic, ibi putreſcentem refecturi, magis vltrò corruperunt. Sed iam de integro nos eum exentiemus, & hinc incipiemus explicare, atque interim vbi opus eſt, quodque eſt in nobis opis, reſtaurare. Prologi initio ita de ſe Arcturus:

*Ita ſum, vt videtis, ſtella ſplendens candida,*
*Signum quod ſemper tempore exoritur ſuo*
*Hic atq; in cœlo.*

dubiâ ſententiâ, & interpunctione. Sic enim diſtinguunt veteres quidam, vt iſta *Hic atq; in cœlo* à præcedentibus ſeparata coniungant ſequentibus verbis *nomen Arcturo eſt mihi:* quaſi idem in terris & cœlo nomen ſibi eſſe dicat. quod ego non valdè quidem probem. vti neque multo magis illud, quòd ſententiam priorum eſſe vult Interpres de vero ſideris ortu, qui motu cœleſti ratoque ſtellarum ordine & vicibus conuerſionum fit vndecim diebus ante æquinoctium Auctumnale. Non illuc Plautus hîc reſpicere videtur, qui ſeriò quidem de Arcturi ortu & occaſu inferius:

*Namq; Arcturus ſignum omnium ſum acerrimum,*
*Vehemens ſum exoriens; cum occido, vehementior.*

Verùm hîc ſimpliciter intelligitur fortaſſe talis ortus, quo per vices nunc in cœlo, nunc in terra adſit: atque eò vulgata hæc diſtinctio tetinenda ſit vetere contemta. Noctu in cœlo, de die în terra ſe verſari dicit. Et ad hanc mentẽ exoritur, quoties in cœlũ redit: cum in terram deſcendit, occidit. Id enim mox vocari cenſeo *de* [illegible] *in terram occidere*, cum & alia ſigna inquit idem munus obti[illegible], vt noctu quidem in cœlo luceant, interdiu autem in terra [illegible]bulent, hominumque facta notent, & ad Iouem de ſingulis [illegible]ant. Sed huic interpretationi obſtat aliquantulum illud [illegible]*re ſuo:* quamobrem nondum prorſus à Lambiniana recedo. [illegible]ceps cohærentior & æquabilior oratio fuerit ex antiquis ita [illegible]cepta:

*Cotidie ille ſcit, quis hic ſibi quærat malum.*
*Qui hic litem apiſci poſtulant periurio*
*Mali, res falſas q; impetrant apud iudicem;*
*Iterum ille eam rem iudicatam iudicat. &c.*

Et paullò pòſt:

*Idcirco moneo vos ego hæc, qui eſtis boni.*

melius crediderim:

*Idcirco moneo vos ego, heic qui eſtis boni.*

Et poſterius ita interpungendum:

*Ibi eſſe quæſtum maximum meretricibus.*
*Perſuadet. nauis clanculum conducitur.*

Talibus enim commatis oratio perpetuò decurrit. Ipſe verſus autem prior eſt totidem verbis idem infra ſcenâ *Qui homo.* & vtrobique *quæſtus meretricibus*, pro eo, qui fit habendis meretricibus, vel ex me-

ex meretricibus, per lenocinium. A Prologo iam ad ſcenas ipſas. Secundà non difficilis intellectus eſt illius loci, ſed lectio & interpretatio controuerſa:

*PL. Peculioſum eum eſſe decet ſeruum & probum,*
*Quem hero præſente prætereat oratio,*
*Aut qui inclementer dicat homini libero.*

Lambinus hanc ſcripturam tenet, & *probum* κατ' ἀντίφρασιν ait dictum pro *improbum*, quod expreſsè veteres habent: tum reliqua ſic explicat: cui hero præſente excidat oratio, qui hero præſente loqui audeat. Non ſatisfacit. Emendandum:

*PL. Peculioſum eum eſſe decet ſeruum probè,*
*Quem hero præſente haud præterea oratio,*
*Quique inclementer dicat homini libero.*

Et iam interpretandum: Benè peculiatus ſit neceſſe eſt is ſeruus, qui, fiduciâ ſcilicet peculii ſui, præſente hero orationem audeat occupare, libereque in liberum hominem contumelioſè dicere. *Probe* vulgatiſſimum eſt pro valdè: quod huic τῷ *probum* rectè ſubſtituimus, vt contra proximè ſuperiore fabula *probum* in locum τ͂ *probè*. Neque *decet*, pro oportet, exemplis paucis eſt in noſtro. Denique *haud* in vicinum verſum è ſuo excidiſſe, atque in *aut* mutaſſe, nemini videbitur nouum.

Ibidem mox iſtis verbis:

*SC. Heus tu, qui fana ventris cauſſa circuit,*

βωμολόχος circumſcribitur: è quo genere hominum perditiſſimorum honeſtum adoleſcentem ruſticus ſeruus cenſet. Erant autem βωμολόχοι & propriè dicebantur ſcurræ, qui templa & aras frequentabant, ſacrificiorum nidorem ſecuti, vt dicacitate ſua victum ſibi emererentur, cumque alios oblectarent, offenderent alios, ſemet interim victimarum partibus explerent, & ingluuiem ſuam ſacerrimam ſacris ſcilicet epulis & vino effercirent. De quibus non inelegans Plutarchi locus eſt, cuius partem mendoſiorem hic adſcribam, vt nuper in eum incidens correxi: πλείστους γὰρ τοῦ ποιητικοῦ ἐμπλήσαντος ἀδοξίας τὸ ἀγυρτικὸν καὶ ἀγοραῖον καὶ περὶ τὰ μητρῷα καὶ σεράπεια βωμολοχοῦν καὶ πλανώμενον γένος. Vbi potiſſimum eſt, quòd ἀγυρτικὸν reſtituimus pro inepto hîc verbo ἀργυρεῖον: Sequitur commiſeratio naufragorum cum ſententia in miſeriam mortalitatis, quæ non apparet ſatis ex hac vulgari interpunctione:

*Homunculi quanti eſtis eiecti, vt natant!*

ſed ex hac noſtrà clariſſimè:

*Homunculi, quanti eſtis! eiecti vt natant!*

cui ſimilis Captiuorum Prologo:

*Homunculi quanti ſunt, cum recogito!*

Et Ciſtellar: *Hillo ſunt homines miſerè miſeri.* Sed Petronii eſt

Ee 2

maximè geminus locus itidem in naufragum; *Hæc ſunt conſilia mortalium, hæc vota magnarum cogitationum. En homo quemadmodum natat!* Interiectis paucis, verè notat Lambinus haud conſequentem eſſe orationem:

*——— euge, euge, perbenè*
*Ab ſaxo auortit fluctus ad littus ſcapham:*
*Neq; gubernator vſquam illis eſſe potuit.*

Sed explicatione ſua locum non reſtituit. Mihi traiectus videtur vnus verſus, cui perſonæ quoque ſuæ ademtæ.

Lego totum:

*Quod facinus video? DÆ. quid vides? SC. mulierculas*
*Video ſedentes in ſcapha ſolas duas.*
*DÆ. Neq; gubernator vſquam illis? SC. eſſe potuit.*
*Vt afflictantur miseræ! euge, euge, perbene,*
*Ab ſaxo auortit fluctus ad littus ſcapham.*
*Non vidiſſe vndas me maiores cenſeo.*
*Saluæ ſunt.*

Ad ſolitudinem mulierculárum commotus ſenex, quærit an nullus illis gubernator ſit: reſpondet obliquè ſeruus, potuiſſe aliquem eſſe: id eſt, non eſſe nunc quidem, ſed fuiſſe forſan, & nunc amiſſum. Ibidem poſtremò:

*SC. ſi ad ſaxum quod capeſſit, ea deorſum cadit,*
*Errationis fecerit compendium,*

inutilis mutatio Lambini, *cadet*. *Cadit* enim ἀρχαϊκῶς pro *cadat*, vt edit, duit. Potius autem, pro *ea*, ſcribendum *eo*, videlicet ſaxo.

## CAPVT II.

*Loca Rudentis aliquot collata: quædam emendata. verſus concinnati dimenſio indicata. Lambini interpretatio reiecta. Imprecatio occultior in ambiguitate verbi, eruta & illuſtrata.*

SC. *Nimio hominum:* non dubiam per ſe correctionem præſtantiſſimi Lipſii,

*Hoc, quod induta ſum, ſunt meæ opes oppidò.*

vbi vulgò erat *ſummæ opes*: confirmat ſimilis infrà locus SC. *Qui ſunt*:

*Neq; hoc amplius, quam quod vides, nobis quidquam eſt.*

Vbi & alia quædam his porrò valdè affinia. Sed præter puellas, idem hoc quoq; leno ac Siculus hoſpes poſtea conqueruntur SC. *Qui homo*:

*Eheu redactus ſum vſq; ad hanc vnam tuniculam,*
*Et ad hoc miſerum pallium &c.*

Sequitur autem ſuperiorem illum verſum ſtatim iſte:

*Nec cibo, nec loco tecti quo ſim ſcio.*

Quem

Digitized by Google

Quem Lambinus incommodè ſanè explicat, nec ego poſſim aptius, niſi mutem:

*Nec cibom, nec locom, tecta quo ſim, ſcio.*

In ſolis iis locis neque vnde cibum habitura ſit, neque vbi recipi & tegi contra cœli iniurias poſſit, nouit. Equidè *recta* non video qui iungi queat *cibo*: & *quò* aduerbialiter, *ſim* de futuro capienda ſtatuo. Frequenter autem caſuum accuſandi forma vetus per *o*, deſtructa pòſt in auferendi, occaſione literæ iſtius ipſius. SC. *Quid mihi.* verſus vltimos ita ſcribendos reor:

*AM. Haud longè abeſſe opórtet homines hinc, ita hic*
*Lepiduſt locus. nunc quiſquis eſt. veneror, deus, (vel deu' veneror)*
*Vt nos ex hac ærumna miſeras eximat,*
*Inopes, ærumnoſas aliquo auxilio adiuuet.*

Sic Iambicorum leges non violabunt.

Tranſilio nunc duas ſcenas, quod admodum quidem inſolens mihi. Verùm ita res eſt: quàm tenuia, tam pauca nobis in hanc fabulam relicta: quorum tamen quod ſupereſt cumque,

*Animo aduorſaui ſedulo, ne quid vſquam præterirem,*

ſi modò eſſet ei mederi in noſtra manu. Iam cuius ſcenæ primum verſum poſui modò hîc aliud agens, eius ſecundo fruſtra delendum τὸ *ſe* putauit quidam:

*Nam cum modò exibat foras, ad portum ſe aiebat ire.*

quod ait verſum reſpuere, non ſatis cautè. Nec enim animaduertit *aiebat* locis plurimis apud noſtrum in dimenſione contrahi ita, vt quaſi diſſyllabum exaudiatur. id quod infinitis poterat exemplis oſtendi. Satis vnum è Pſeudolo S C. *Viſo.*

*Malam & ſceleſtum & periurum aiebat eſſe me.*

cuius ſimilia paſſim vnicuiq; obuenient, numeros vel leuiter attendenti. Quamquam hunc Rudentis locum & aliter metiri licet, ad *foras* eadem contractione vel potius eliſione remiſsâ. Mox ibidem:

*Famelica hominum natio, quid agitis? vt peritis?*
*PI. Vt piſcatorem æquum eſt, fame, ſiti, ſpeq;.*

Non puto *nationem piſcatorem* hîc dictam: ſed ſcriptum, *vt piſcatores æquum eſt.* Pro omnibus enim reſpondet vnus de omnibus, vt erat vniuerſim interrogatum. Ad finem:

*Numquid mihi meliuſt, quàm illico hic operiar herum dum veniat?*

Diſpeſce primam vocem, *Nunc quid.* S C. *Intelligo*: miror *auferendi* verbum ſic vſurpatum:

*Quo pacto lenò clanculum nos hinc auferre voluit.*

modò ſit illîc vſurpatum. Et mihi quidem *auehere* videatur emendandum. id enim nauigationi appoſitum magis. Nunc binas iterum prætterimus ſcenas: neque abhinc tertiâ noto niſi vnum:

*LA. Quin tu hinc is à me in maximam malam crucem.*
*CH. Eas, easq; res agebam commodum.*

Locum interpolatum videri, qui multo aliter in veteribus ſcribatur:

*CH. Da quas res tecum in naui agebam commodum.*

à Lambino autem, vt vulgò legitur, ineptè explicetur. Prius *eas* ſatis bene in lenonem dirigit: reliqua hoc ait ſonare: Atque ego commodùm nunc id ipſum cogitabam & optabam, vt ires in malam crucem. Apage inficetam gloſſam. Nos verba primum genuina recolligemus, mox ſenſum germanum redditurì. Sanè neque vetus lectio ſincera: ſed ex vtraque hanc concinno, ſinceram, vt confido:

*CH. Eas quidem res tecum agebam commodùm.*

Vtrinque quid ſumſerim, vides. Nam illud *in naui* apertè ſenſus aduerſatur, & gloſſematis conuincit. Ipſe autem hic eſt: Quòd tu me in crucem ire iubes; eam quidem rem iam iam commodùm vterque agebamus, cum naufragi in alto iactaremur, directi in omniũ maximam malam crucem. Sed enim *eas res*, non *eam rem* dixit Plautus de induſtria: atque hoc conſilio, vt ambiguam rurſus ſententiam faceret, ſuo quodam peculiari modo & genere, de quo multis exemplis copioſè mihi actum ad Pœnulum capite quarto. Nam dum continuare verba hæc omnia in vnam ſententiæ illius, quam dixi, comprehenſionem videtur; interim interſpiratione quadam prima iſta, *Eas quidem*, à reliquis diſtinguit, & his vicisſim ire lenonem ſolum in crucem iubet, vti priore verſu erat ab ipſo iuſſus. Ita *eas* & verbum ſimul eſt & prouocabulum. Vide, quæ de toto illo tacitarum imprecationum, dupliciſque intellectus genere ad Pœnulum dixi: quibus hoc quoque nunc exemplum accenſebis, eo loco, cum omnia ſedulò colligerem, tamen imprudenter à me omiſſum. Fine proximæ ſcenæ ſola ferè optima editio errat in verbo *edormiſſemus*, pro quo aliæ omnes *obdorm*:

*——ſi inuitare nos paulliſper pergeret*

*Ibidem obdormiſſemus.* Rectè hoc. Nec enim crapulæ edormitio intelligitur, ſed perpetuus ſomnus, id eſt mors, de qua & Lambinus interpretatur.

## CAPVT III.

*Deripere. Venire, euenire. Mœnia hunc. Aridum argentum pro viduis mulierculis. Eſcit. Quino. Medicina plurium pertò verſuum. Loci vnius ἀλογία confutata, & ad rectam rationem emendatione reducta.*

TErtium Actum tertio capite inchoemus: cuius primâ ſcenâ non malè Dionyſius *deripere* ſupponit illic.

*Neq; eas eripere quibat inde.*

Plerumque enim eo verbo deinde Plautus vſus; quamquam de altero SC. *Exi.*

*Qua has hirundines ex nido volt eripere ingratiis.*

niſi etiam ibi illud reſcribendum. Ibidem, non quidem muto:

*At ig*

*Atq; illa animo iam fieri ferocior.*

velim tamen *Atq; illa nimio iam f. f.* Et alterâ ſcenâ *Pro Cyrenenſis*, neque illud damno:

*Facite hic lege potius liceat, quàm vi, victo viuere.*

ſed melius item arbitror, *vitam viuere.* Nequaquam vero poſt cum Lambino mutandum *venturam* ibi:

*Eamq; euenturam exagogam Capuam ſaluam & ſoſpitem.*

Cur enim? Etſi idem fortè alterum ſit, hoc tamen loquutus vim pat noſter, atque eſt ipſum illo ſignificantius. De vtroque, ni fallor, etiam ad Curculionem aliquid dictum. Hic infra leges:

*Miroq; modo atq; incredibili hic piſcatus mihi lepidè euenit.*

Itemque inferius:

*Credebam edepol turbulentam pradam euenturam mihi,*
*Quia illa ſic mihi turbulenta tempeſtate euenerat.*

Et hac ipſa ſcenâ:

*Vt tibi vlmeam vberem eſſe ſperes virgidemiam,*
*Et tibi eſſe euenturam hoc anno vberem meſſem mali.*

Vbi corrigi porrò volo, *Si tibi vlmeam vberem eſſe ſperas virgid.* Sententia vult: nec patitur aliter ſermo, qui reſpondere debet illi ſuperiori:

*——TR. teq; oro & quaeſo, ſi ſperas tibi*
*Hoc anno multum futurum ſirpe & laſerpitium &c.*

Prope finem: *——ite iſthinc foras*
*Turbalio, Sparax, vbi eſtis? TR. i obſecro intrò, ſubueni*
*Illis. D Æ. iterum haud imperabo, ſequimini hac.*

Veteres omnes habent, *iterum autem imperabo.* quod nimio quanto melius appoſitâ interrogandi notâ:

*D Æ. iterum autem imperabo?* Euocabat Dæmones Lorarios ſuos: qui cum morari viderentur, minaciter eos increpat illo dicto. SC. *Nunc id eſt*, omnes libri edunt:

*Bonum animum habete. P A. nam obſecro vnde animus mihi inuenitur?*
*TR. Ne inquam timete.*

niſi quòd veteres quidam, *inueniatur.* At ego ſic ſcio perſonam etiam aliter collocandam:

*——PA. nam obſecro vnde animus mihi? TR. inuenietur.*
*Ne inquam timete.*

Deſpondet animum puella: tum ſeruus inuentum aliquid iri dicit, vnde bonum habere poſſit. Indidem non longè:

*TR. Sedete hic modò, ego hinc vos tamen tutabor, aram habete hanc*
*Vobis pro caſtris, mœnia, hinc ego vos defenſabo.*

turbat vox *mœnia*, cui multi quæſierunt quod iungendum eſſet, nemo feliciter inuenit: Ego autem, niſi fallor. Scribo diſtinguoque, *mœnia hinc, ego vos defenſabo.* Aram pro caſtris, ſe pro mœnibus futurum ait. Se namque notat *δεικτικῶς hinc*: quod fa-

miliare Comicis vbique. Sequitur ſcena *Exi.* Eius initio:

*DÆ. Optumè. LO. iſtuc volueramus, iube modò accedat propè.*
*DÆ. Tun' legirupionem hic nobis cum Diis facere poſtulas?*

quæ turpiſſimè Interpres explicat: melius L. Carrio, qui & corrigere voluit:

*——accedat propè*
*Hunc legirupionem. Hic nobiſcum Diis facere poſtulas?*

Sed neque is aſſequitur verum: quod iſtud eſt ſine dubio:

*——TR. Huc reſpice.*
*DÆ. Optimè. iſtuc volueram. iube modò accedat propè*
*Legirupionem hunc. TR. tun' hic nobiſcum Diis facere poſtulas?*
*DÆ. Pugnum in os impinge.*

Nunc demum omnia ſibi reſpondent inuicem, tamq; ſunt clara, vt non egeant vllius interpretationis. At verſum medium vt rectè metiaris, ne iuſto plures habere pedes videatur, obſeruabis, in duos primos duo prima verba *Legirupionem hunc* coarctanda: quod commodiſſimè fieri poteſt. Mox deinde:

*Si tuas eſſe oportet, niue eas eſſe oportet liberas,*
*Neu te in carcerem compingier eſt æquum.*

Non aptum ibi *Neu*, quod eſt *Neue*, vbi *Niue* requiritur: pro quo & ipſo illud poni non eſt, quod ſciam, vſitatum. Ego verò hoc ſtatim reſcripſerim, nihil illius exemplum moratus, quod inueniri nuſquam credo. Porrò autem manifeſta nimiſque grauis ἀλογία in hiſce:

*——LA. mihi cum veſtris legibus*
*Nihil eſt commercij, equidem iſtas iam ambas educam foràs.*
*Tu, ſenex ſi iſtas amas, huc arido argento eſt opus.*

Quomodo Labrax educturum ſe foras dicit mulierculas, cum omnia hæc non intra fanum, ſed exterius agantur, apud eam Veneris aram, quæ in publico præ foribus fani? Mira corruptio, & contra omnem rationem. Nam Plautus ita quidem non ſcripſit: cuius hanc ego ſcripturam veſtigiis quam proximè conſequor:

*——Equidem iſtas iam ambas abducam. vuidas*
*Tu ſenex ſi iſtas amas, huic auido argento eſt opus.*

Abducturus leno minatur eodem modo, quo & infrà heic:

*Atqui quia vetas, vtramq; iam mecum abducam ſimul.*

*Vuidas* è *foras* exſculpſi, quod ſenſui neceſſarium. Nam contemtim mulierculas hoc epitheto deſignat, quæ verè madebant à Neptunio balneo; atq; his *auidum* argentum deinde opponit: quod vtcunque Nonius interpretetur purum & lucidum, non habet locum, aut certè ſine gratia eſt, niſi contrarium illud præcedat, quo alludatur. *Huic* iterum eſt pro *mihi:* quod idem paullò ante notabamus. Et quia vuidas puellas leno dixit, eò ſenex ſubiungit: *Hæ autem Veneri complacuerunt:* quantumuis ſcilicet humidæ & incultæ. Nam quaſi excuſabundus hæc profert, atque omninò lenonis dicterium reſpicit. Statim,

——LA.

—*LA. habeat, ſi argentum dabit.*

*DÆ. Do tibi argentum. nunc adeo vt ſcias &c.*

Præ Lambini *Dem tibi*, multis modis malo meum, *DÆ. Ehò, tibi argentum?* quod proximius vulgatæ lectioni, & affectus vehementioris. Inferius:

*Iam cauta eſſet, ſi viuit, ſcio.*

Pro *eſſet*, *eſt* Lambin. Quid ſi *eſcit*? antiquum pro erit. de quo Gellius & Feſtus. Aliquanto longius inde:

*LA. Ignem magnum hic faciam. DÆ. quin vt tu manum exurat tibi.*

Lego, *DÆ. quine vt tu*, cum interrogatione poſt *tibi*? Interrogat, cur ignem facturus ſit: anne, vt eo manum ſibi exurat? *Quine* pro *quinne*, & horum vtrumq; eâ loquendi formâ iam tritiſſimum auribus Plautinis. Prope finem:

*DÆ. Quære herum, atq; adduce. TR. at hic ne?*

Interrogationem abiice, quæ libris melioribus & nulla. Ellipticam orationem benè Lambinus interpretatione ſupplet. Vltimo verſu, numerorum cauſsâ ex antiquis ſcribe:

*Carnifici aut talentum magnum, aut iſtunc hodie ſiſtere.*

## CAPVT IV.

*Amplecti crura fuſtibus. Amplectere. Totum cum paluiſculo. Proficiſci: Profectus ire. Pariter qualis. Ne quis. Inuentuſt, meminiſti, communeſt, qualia. Exurgeri. Exſugebo. Mutata interpuncta, verba, numeri ad concinnitatem. Carionis argutia reiecta. Locus rationi aduerſus ad ſanitatem correctus. Multa, nec exiles omnes, emendationes, explicationibus paſſim annexis.*

MInimus interpunctionis error non minimam elegantiam inuidet huic loco Scenæ *Vtrum tu*:

*Age alter iſtinc, alter hinc aſſiſtite.*

*Aſſiſtite ambo ſic, audite nunc iam.*

Quanto enim venuſtius, ſi interuallum aliquod interueniat in ſermone ſenis, ad hunc modum?

*Aſſiſtite ambo. ſic. audite nunc iam.*

Altrinſecus aſſiſtere ſeruos iubet: iuſſis, moratur aliquantulum, dum aſſiſtant. cùm aſtitiſſent, vt voluerat; ſubiicit *ſic*: id eſt, rectè aſtitiſtis, ita volebam: nunc iam audite porrò. Mox editiones quædam:

——*ſi appellabit quempiam:*

At *quampiam* melius eæ, quæ meliores. Niſi & *quiſpiam* vtroque genere dici permittis, vt *quis* interdum: quod non impugno. Non de aliis quidem, quàm de mulierculis ipſum verbum capiendum. Statim eſt:

*Extemplo amplectitote crura fuſtibus.*

Vtitur hac phraſi etiã Captiuis, ſed alio orationis habitu, SC. *Quò illum?*

*——TY. quid ceſſatis compedes*

*Currere ad me, meaq; amplecti crura, vt vos cuſtodiam?*

Non enim auſim deletâ literulâ facere *ampectitote*: quod eſſet circumpectite, à pectendo: etſi ſic crebrius Plautus: vt Pſeudolo,

*Sed vide ſis ne tu oratorem hunc pugnis pectas poſtea.*

Et exempla plura ſuperius alicubi dedi. Non longè: diſcrepant à veteribus libri noui, inter quos arbiter ego ſi adigar, in hac lectionem vtrinque conueniri velim:

*LA. Heu hercle, ne iſtic fana mutantur citò.*

*Iam hoc Herculiſt, modo Veneris fanum quod fuit.*

Nullo pæne interuallo excuditur in omnibus:

*Palaſtra? LO. quiduis? LA. apage, controuerſia eſt.*

*Hac equidem Palaſtra, qua reſpondit, non mea eſt.*

In quibus ſcio quam argutiam olim Carrio captâtit ex ambiguâ voce *Palaſtra*, quæ & mulierculæ nomen ſit, & aliam ſimul veram ſignet palæſtram, qua duo lorarii cum clauis erant ad demulcendum caput lenonis à ſene deſtituti. Ad quam mentem legebat, *abſq; controuerſia eſt Hac equidem palaſtra*. Mihi acutum hoc ſemper viſum eſt, nûquam verum. atque adhuc ſimplicitati meæ conſiſto, legoque potius:

*——LA. apage controuerſias.*

*Hac quidem Palaſtra, qua reſpondit, non mea eſt.*

Pro muliercula compellata lorarius reſpondebat. ibi leno conteſtatus nolle ſe controuerſias, agnoſcere pro ſua negat & nihil ad ſe pertinere profitetur eam Palæſtram quæ reſpondiſſet. Nec aliud ibi quidquam occultioris ioci. Iam vbi alteram appellat:

*Heus Ampeliſca. CO. caue ſis infortunio.*

*LA. Vt poteſt ignaui homines ſatis recte monent.*

non ſanum eſſe poteſt altero verſu iſtud *Vt poteſt*. Emendauerim; *LA. Id potiuſt: ignaui homines ſatis recte monent.*

Certè potius erat infortunio cauere, monebantque lorarii rectè: quos ignauos ideo vocat, qui monerent potius, quam malum ſibi darent, quod ſtrenuè facere ab hero erant iuſſi. Ad finem:

*LA. Quaſo hercle abire vt liceat. LO. abeas ſi velis.*

*LA. Bene hercle factum, habeo vobis gratiam.*

*LO. Non, accedam potius, illic tu aſta illico.*

Memini, ne abitum quidem permiſiſſe lenoni ſuperius ſenem: nec malè ad hanc ſententiam à Lambino perſonas mutatas aſſentior. Sed non mihi leno videtur abire voluiſſe, cui certum erat obſidione vſque eas uincere. Quod dum cogito, venit in mentem lectio vixdum audeo dicere commodior, verùm nô minus hercule conſtanter affirmo commoda:

*LA. Quaſo hercle adire vt liceat. LO. adeas, ſi velis.*

*LA. Be-*

*LA. Bene hercle factum, & habeo vobis gratiam.*
*Nunc, accedam? LO. potius illic tu aſta ilico.*

Perſiſtit in precibus adeundi leno, quod permittunt lorarii tandē, ſed ipſius periculo. atq; hoc ille metuens, tremit at, iterumque interrogat, an nunc igitur bona fide poſſit accedere: tum negant denuò, & quieſcere potius ac ſuo loco aſtare pro imperio iubent. Aliquanto ſuperius copula inſeratur:

*——— atq; curriculo affer huc*
*Duas clauas. LA. clauas? DAE. ac probas: propera, cito.*

Nunc pergimus ad Sc. *Meamne:*

*Conterret iam hoc me totum cum bulis, cera.*

Scribatur ex antiquis *hic*, Sc. Pleuſidippus. Eadem autem locutio Truculenti Prologo:

*Quo citius rem ab eo auferat cum pulu[illegible]*

Deinde mox:

*PL. Etiamne in ara tunc ſedebant mulieres,*
*Cum ad me profectus ire?*

Mutant quidam *ires*. Malè. Nec enim attendunt ſatis vim verbi *proficiſci*, quod eſt non ire proprie, ſed eundi facere initium, ſe commouere primùm ad iter. Atque hic ſcribendum fuerat *profectu's*. quæ nota verbi *es* omiſſa ſæpius, atque iterum hac ſcenâ mox:

*——— CH. Vt nactus, habe*
*Bono animo, melius eſt te in neruum corre[illegible].*

Fac verſus cauſsâ, *vt nactu's*. Nec enim aliter ea ſyllaba producetur. Sed & ſenſus cauſsa diſtingue paullo aliter:

*——— CH. vt nactu's, habe.*
*Bono animo meliuſt te in neruum corre[illegible].*

Singulare dictum eſt, *Vt nactu's, habe*: quod alibi effertur, *Habeas, vt nactus*. Priore loco neq; vim phraſeos attenderant in verbo *ire* qui infinitiuus poſitus, pro ad eundum. Ibidem ſequitur:

*PL. Abi ſane ad litus curriculo, Trachalio,*
*Iube illos in vrbem ire obuiam ad portum mihi,*
*Quos mecum duxi.*

Exſenſa lectio, *ad portum*. An enim ad portum adoleſcens erat, aut ire cogitabat? Ille verò in vrbem. Iam ſi in vrbem ſibi volebat obuiam veniri, quomodo iubet & ad portum? Niſi ſi portus is in vrbe: quod inſanus dicat aut credat. Enimuerò ad litus & portum erant, quos prius eò ductos à ſe vult nunc in vrbem ſibi reuocari, quò ipſe lenonem in ius rapere feſtinat. igitur quid certius, quam *à portu* ſcribendum? Ita repone ſine omni dubitatione. Nam quòd dicas, iungenda verba *illos ad portum*, pro qui ad portum nunc ſunt; ſtructura non patitur orationis; nimiſque violenter ac duriter coacta ſit ſententia. Indidem non procul:

*Quine arrabonem à me accepiſti ob mulierem, &*
*Eam hinc abduxiſti. LA. non auexi. PL. cur negas?*

Eſt qui elidit *abduxti*. Non improbo: ſed aio aliud eadem formâ verbum ibi fuiſſe *auexti*. Eo enim reſpondet, *non auexi*: in eademq; perſiſtit deinde ſemper. Etiam & particula retrahenda a fine prioris verſus ad alterius caput. In illis ibidem verſibus caue Lambini aliarumque editionum diſtinctionem, qua fingi nihil ineptius poteſt, ſequaris: ſed hanc tene:

*LA. ſequere obſecro me. CH. pariter ſuades, qualis es.*
*Tu in neruum rapere: eò me obſecras vt te ſequar.*
*Etiam retentas?*

Non concoxerunt illud *pariter qualis*, pro quo tuliſſent *taliter qualis*. ſed illud Plauto magis placet: qui hoc ait, tale prorſus cõſilium das, qualis ipſe es, id eſt nequam. SC. *Benefactum.*

*Ne quid ſignificem quippiam mulierculis.*

Durè iunguntur *Ne quid quippiam*. Igitur ſcribo *Ne qui*, id eſt aliquo modo. Sc. *Heus mane:*

*TR. Non edepol piſces expeto, quàm tui ſermonis ſum indigens.*

Non vltrò damnem *quam*: ſed quia veteres non habent, facilè ſinam deleri. Et certè ſenſum nihil iuuat: impedit etiam, ſi *tam* ſubintelligas. Nam planè non expetebat Trachalio piſces: ſolum conferre ſermonem cupiebat. Mox:

*GR. Non audio. TR. at pol quin audies pòſt. GR. quin loquere quiduis?*

Traiicienda particula eſt: *TR. at pol quin audies. GR. quin poſt loquere quiduis. TR. Ehò modò. eſt opera pretium &c.* Abſtrudere prædam cupiebat antè Gripus, quàm cum Trachalione colloquium inire. Igitur is differri vult, & paullò pòſt locuturũ quiduis ait. Sic enim accipio *loquère* in futuro, vt reſpondeat τῷ *audies*. in qua contentione vis eſt iteratarum vtrinque particularum *quin*. alter vrget, vt audiatur iam nunc ſtatim: idque valet, *ehò modò*. Deinceps omnes editiones præter vnam, optimam alioqui, rectè:

*GR. Ecquid eſt quod mea referat? TR. ſcilicet. ſed boni conſilij*
*Ecquid in te mihi eſt?*

quomodo & in illa quilibet ſibi reſcribet: niſi in ſenſu ſolus errare, quàm cum reliquis rectè ſentire malet. Porrò:

*TR. Et quo pacto perijt. GR. at ego quo pacto inuentum eſt ſcio.*

Non ſum ego qui negem *vidulum* neutro quoque genere potuiſſe vſurpari: ſed ſequor, qui negant, vetuſtiores libros. In iis enim *inuentuſt*: & hoc ſcio verum. Erratum enim in elidendi ratione, quæ ſæpius has turbas dedit. Ita quippe & Mercatore & Pſeudolo, quæ nunc loca ſuccurrunt, vtrobique *mentitum eſt* fecerant, vbi priſci rectè *mentituſt*, pro mentitus eſt. Atq; ecce hîc iterum idem *inuentuſt* eodem modo corruperunt à pauculis verſibus:

*In mari inuentum eſt, commune eſt.*

Sed

Sed quid facio? Contra me locum hunc adducere videbor, & in me ipſe pugnare. Neutro enim genere hîc adiungitur *commune eſt*. Neſcis, quò eam, ô bone. Dico & illud falsò ita ſcriptum diuiſim, cum iunctim debuiſſet *communeſt*: quod veteri ſcribendi ratione eſt pro hodierna *communiſt*. id eſt, communis eſt. Ita enim antiquitus ſolitum docui ad Amphitruonis illos verſus Sc. primâ:

*Quemadmodum ego ſæpe in ſpeculum inſpexi, nimis ſimileſt mei.*
*Itidem habet petaſum ac veſtitum: tam conſimileſt atq; ego.*

Quò recurre, & eius totius generis cum exempla plura, tum rationem ipſam vide. Propero hic ad alia, neque neceſſe pluribus locis eadem inculcari. Poſt pluſcula ſequitur:

*Vide ſis cuius arbitratu nos facere vis? GR. viduli*
*Arbitratu. TR. ita enimuerò ſtultus es. GR. ſalue Thales.*

Conuicio Trachalionis non cohærere debent verba *ita enimuerò*: ſed hæc per interrogationem prius efferenda, tum illud ſubiiciendum: *TR. ita enimuero? ſtultus es.* Deinceps ſic Douſica editio:

*GR. Ego iam hic te itidem quaſi penicillus nouos exurgeri ſolet,*
*Ni hunc amittis, exugebo quidquid humoris tibi eſt.*

quæ euariauit de induſtria ab aliis, in quarum pleriſque *exſugeri* & *exſugebo*. Rectè illa verò mutauit *exurgeri*: ſed cum hoc amplexa eſſet, cur retinuit alterum tamen *exugebo*? Et illud mutari debet in *exurgebo*: vt vtrumq; ſit ab vrgendo, non ſugendo. Exurgetur enim ſeu exprimitur peniculus, haud exſugitur. Et profectò in metaphoræ imagine perſiſtendum fuit. Alias *ſugendi* verbum inflexione ſecundâ quoq; futurum format. Nam Epidico quidem:

*Iam ego me vortam in hirudinem atq; eorum exſugebo ſanguinem.*

Sed hîc ſenſui non id aptum eſſe patet. Quærendum autem, cur Plautus de nouo peniculo potius quam quouis hîc loquatur: ſi vox *nouos* ſincera eſt habenda. Propius finem:

*TR. Vin' qui in hac villa habitat, eius arbitratu tu fieri?*

Eiiciendum quidem *tu*, ſed *rem* viciſſim à Lambino non recipiendum: multo minus cum aliis legendum *fiat hoc*. Nihil additum ab auctore verbo *fieri*, cuius ſyllabam primam ſolenniter produxit. Poſtremus verſus ita denique ſcribendus:

*Etſi ignotuſt, notuſt: ſi non; notus ignotiſſimuſt.*

Aliter in numeris obhæreſces.

## CAPVT V.

*Primarius vir: rem ſaceſſens. Abs te, contra te. Ab re. Cibis. Solutuſt. Hoc habet. Propere, placide. Promiſcàm, promiſcus. Locus vnus intricatior, expeditus: alij multi variè correcti. Lambini interpretationes & cenſuræ quædam ventilatæ. Verba traiecta: verſus compoſiti. Perſonæ ſæpius errantes ſub legitima ſua ſigna reuocatæ & in ordines rurſum diſtributæ.*

INitio proximæ ſcenæ Serio, tam malè editiones noſtræ:

*Metuo propter vos, ne vxor mea me extrudat ædibus.*

quàm veteres benè, *ædibus*: vel numeris, ne ſententiâ dicam, iudicibus. At *p* litera non inanis tamen, ſed inuerſa particulæ *me* eſt addenda, vt fiat, *med extrudat ædibus.* Porrò e ex domo progreſſus cum puellis incidit in ſuum & adoleſcentis ſeruum inter ſe de vidulo certantes:

*GR. O here ſalue. DÆ. ſalue Gripe: quid fit? TR. tuuſne hic ſeruus eſt?*
*GR. Haud pudet. TR. nihil ago tecum.*

Quorum verborum illa, *Haud pudet*, peſſimè Lambinus interpretatur, cum per interrogationem effert, & obiurgari à Gripo Trachalionem cenſet, quem non pudeat ſecum in præſentia ſenis heri ipſius contendere & rem alienam ſibi vendicare. Friget hic ſenſus adeò, vt ad ipſum meritò dicatur, Haud pudet? Profectò enim pudere debebat huius & ſimilium paſſim ineptiſſimarum explicationum. Sententiâ autem germanâ vt facilius, ſic elegantius etiam nihil. Interrogante Trachalione Dæmonem, eſſetne is ipſius ſeruus; ipſe pro hero occupat reſpondere, & ait affirmanter *Haud pudet*: id eſt, ſum verò illius, neque mei pudet eum, vt eſſe ſuum neget. Interuallo aliquanto, traiectis verbis erunt verſus ita concinnandi:

——*TR. vt nequitur comprimi!*
*Ita vt occœpi dicere, illum quem tu dudum Veneris è*
*Fano lenonem extruſiſti, hic eius eccillum vidulum.*

Si Lambini quidem fidem ſequimur in ipſis verbis, quæ defecta aliquot suppleuit. Paullò poſt:

*TR. Quoad primarius vir dicat, comprime hunc ſis, ſi tuuſt.*

nota *primarium virum* dici accuſatorem, cuius primæ ſunt agendi partes: quas Trachalio ſibi vindicat & ſuperius eodem modo:

——*TR. eloquar.*
*GR. Imò ego eloquar. TR. ego opinor, qui rem faceſſo.*

Inſerendum enim illic ita planè ſtatuo prouocabulum *qui* ex editionibus aliis haud aliàs planè bonis. At porrò:

*Hoc neq; iſti vſus eſt, & illi miſera ſuppetias feret,*
*Si id dederis, qui ſuos parentes quærat.*

monitore nemo indiguerit, perſonâ tertiâ ſcribendum *dederit*, vt in pleriſque. Nam id omnibus, etiam ſine aliorum librorum inſpectione, ſubiecerit illud ſubiectum ſtatim, *Faciam vt det.* Porrò etiam:

*GR. Omnia iſtæc ego facile patior, dum hic hinc à me ſentiat.*
*TR. Atqui nunc abs te ſtat; verum hinc tibi teſtimonium.*

Verſu priore ſine cauſſa delet quidam *hinc*, etſi plena abſque eo ſententia in *à me*, cum quo paria facit. At contra id ipſum, *abs te.* Vt enim illud eſt, pro me: ſic hoc, contra te. Qui vſus particulæ *ab*

& *abs* venuſtus ac frequens, ſed aliquot locis non intellectus. Vt Trinum. Sc. *Multas res:*

*— eos cupit, eos conſectatur, ſubdolè blanditur, ab re*
*Conſulit, blandiloquentulus.*

Vbi Lambini contrariam interpretationem meritò Douſa P. explosit. Aſinariâ:

*Si papillam pertractauit, haud id eſt ab re aucupis.*

quod benè Gulielmius noſter contra vulgum oſtendit olim accipiendum, addito & Captiuorum loco:

*Quidvis, dum ab re ne quid roges, faciam.*

& altero Terentii Adelph.

*— At enim metuas ne ab re ſint tamen*
*Omiſſiores.*

quem melius omiſiſſet iudicio meo, neque huc eódem trahendum affirmaſſet. Ceterùm noſtro Rudentis loco, reliquorum verborum, *verum hinc tibi teſtimonium*, Lambinus explendam ita ſententiam cenſuit, vt *ſumendum* vel *depromendum* ſubintelligatur. contra quem Centuriator Nob. *ibit* ex τοῦ *tibi* legi vult. rurſùm contra vtroſque ego, *cibit:* quod ad ſenem æquè referendum, vt prius *ſtat*. E vidulo Dæmones teſtimonium cibat ſeu ciebat. Ibidem etiam nunc verſus ordinem vocum hunc ſuadet:

*Quibus cum parua Athenis periyt, ſicuti dixi prius.*

Et inferius:

*Ibi ego dicam quidquid inerit nominatim, tu mihi*
*Nullum oſtenderis.*

Si *Nullus* minus velis, *Nibilum* poſſis. Etiam mox:

*—— DÆ. placet.*
*Ius merum oras, meo quidem animo. TR. at meo hercle* *
*GR. Quid ſi iſta aut ſuperſtitioſa aut ariola eſt &c.*

Feliciter Camerarius noſtras expleuit primus ſenſum verſumque mutilum appoſitis vocibus *iniuriam meram:* quem diſſimulato nomine Lambinus eſt ſecutus. At neuter attendit, perſonas minus conſtare. Non enim Trachalioni videri poterat iniuriam dicere Palæſtra, cuius ipſe partes adiutabat. Contra Gripum id erat: cuius perſona ſubſequens ad hæc quoque retrahenda, relegatâ procul Trachalionis:

*Ius merum oras, meo quidem animo. GR. at meo hercle iniuriam meram.*
*Quid ſi iſta aut ſuperſtitioſa &c.*

Atque iterum paullo poſt malè perſonæ diſpoſitæ, ſi verba incorrupta:

*GR. Hoc habet, ſolutum eſt, aperi, video ciſtellam. DÆ. haccine eſt?*

Non enim Gripo conuenit *Aperi:* magis ſeni, qui hinc incipiat, & reliquum porrò verſum abſoluat ſed aliter veteres ſcribunt vnum verbum, & hoc ipſum *aperi*, quod certè nullius

boni ſenſus, aperto iam vidulo & ſoluto. Pro eo igitur illi, *ah perii*: quod quis non aptiſſimum aſſentiatur? Enimuerò præterieram & hîc pæne imprudens, quod præcedenti capite non debebam omiſiſſe. Pro *ſolutum eſt* hic quoque ſcilicet ſcribendum *ſolutuſt*: eâ formâ, cuius ibi pluſcula exempla cum origine & cauſa mutationis indicabamus. Solutus vidulus genere maſculino dicitur: cui nō incommodat vox ſoluentis, *Eu. habet*. Ita enim Gripus tralatitio more exſultantium exclamat in ipſa vel ſtatim a ſolutione. Mirum autem deinceps, ni denuò in perſonis & illîc erratum:

*PA. Sunt crepundia. DÆ. ie a video. GR. perij in primo prœlio.*

*DÆ. Mane ne oſtenderis. quæ faciè ſunt? reſponde ex ordine.*

Ad quem enim Dæmones hæc? *Mane, ne oſtenderis.* quæ mihi profectò Gripo aſſcribenda videntur, herum ipſum monenti, & ſibi callidè caueenti. ——— *GR. perij in primo prœlio.*

*Mane, ne oſtenderis. DÆ. quæ faciè ſunt? reſp. e. o.*

Sic, qui me audiet, reponet. At nec ibi quidem verba rectè perſonis ſuis ſingula diuiſa:

*DÆ. Pergite obſecro continuò placide. GR. aut ite in malam crucem.*

Quod & imperfecta & in ſe pugnans ſententia poterat monuiſſe. Nam nō plenus Gripi ſermo, quem liquet priore membro defici, cui alterum ſubiiciatur, *aut ite in malam crucem*. Dein *placide* & *continuò* qui hærent? Contraria ea ſunt: & alibi paſſim *properè* ac *placide* opponuntur. vt Milite Sc. *Niſi hercle.*

*Arripe opem auxiliumq; ad hanc rem: properè hoc, non placide decet.*

Diſtingue igitur hîc, ſed & corrige leuiter aliud ſimul:

*DÆ. Perge, te obſecro continuò. GR. placide: aut ite in mal. cr.*

Properat auidus ſuæ ſpei ſenex, & filiam ſperatam pergere celeriter iubet & pendentem ſe abſoluere: tum Gripus veritus ne cauſſæ ſuæ damnum ferat hæc properatio, inhibet eam, & placidè modeſteque rem cupit agi. Id vno verbulo exprimit, *placide*: quo item Mercatore, Sc. *Ex ſummis*:

*Loquere id negotij quidquid eſt. AC. placide: volo acquieſcere.*

Quem ibi locum, ne diſſimulem, iam olim ſic Gulielmius noſter interpunxit & explicauit. Alia ſunt etiam in hanc ſcenam, ſed minutiora: ac tandem vltimum ſit non minutiſſimum iſtud:

*TR. Eamus intro omnes, quando operam promiſcam damus.*

Mancus eſt verſus integro vno pede. ac iam olim doctiſſimus Camerarius aliquid deeſſe videri cenſuit: ſed is quidem ante vocem *promiſcam*: fortè quia illic ſpatium in libris ſuis vacuum deprehendiſſet. Ego verò potius ante *operam*: ſiquidem id deeſt, quod ego iam pridem mihi perſuaſi. Statuo enim geminandum fuiſſe τὸ *omnes*: & hercule ſententiæ id non minus quam numeris neceſſarium.

*TR. Eamus intrò omnes, quando omnes operam promiſcam damus.*

Ideò ſcilicet hortatur omnes ſimul introire, quia ſimul omnes ope-

operam dent promiſcam. quod vocabulũ *promiſcam* vtrum voles, aut aduerbium, aut nomen potes accipere. Nam & *promiſcus*, non ſolum *promiſcuus* vſurparunt Latini. vnde *promiſcè* proximè ſuperiore fabula: quod alibi iterum commodius oſtendam.

## CAPVT VI.

*Tamen. Infelicito. Licet. Præda prædatum irier. Or vltima verborum ſyllaba Plauto interdum longa. Numeri verſuum, & interpuncta aliquoties aptata. Lambini quædam ineptæ explicationes damnatæ: alia cum emendationibus ſubſtituta.*

ETiamnunc aliquantis porrò locis ſcabra aut hiulca Rudens hæc eſt, quam vt à capite cœpimus, ad extremum euoluemus, totamque conabimur ita reficere, vt & in ſpeciem honeſtior ſit, & firmior in vſum. Scenâ igitur *Proh Dij*, quamquam relinqui poterat, vt hactenus eſt vulgò:

*Iuſſiq; exire huc ſeruum eius, vt ad forum*
*Iret: nondum egreſſum eſſe eum id miror. tamen*
*Accedam opinor ad fores.*

tamen melius ad numerorum alicubi legem verba, ad ſententiæ nexum interpuncta in hunc modum collocabis:

*Iuſſiq; exire huc eius ſeruum, vt ad forum*
*Iret: nondum egreſſum eſſe eum id miror tamen.*
*Accedam opinor ad for.*

Latuit hactenus hîc vis particulæ *tamen*: q̃ ſuperiore aliquâ fabulâ plurib. ſum perſecutus. atq; eam interiectio ſaltẽ obſcurauit horũ verborũ, *id miror*. Proximâ dein ſcenâ rectum illud quoq; ſane ſit:

*DÆ. Sed propera. TR. licet. DÆ. iam hic fac ſis, cœna vt curetur.*
*TR. licet.*

at rectius exiſtimem nihilominus, *iam hic fac ſit*, vnius literulæ mutatione. *Sis* enim non adeò ſenſui aptũ: quando nec ipſius præſentiam tantopere, quãto heri cupit; nec eiuſdem, alieni quidẽ ſerui, operâ vel eguit, vel vſurus fuit in cœna curanda. Facere autẽ hunc iubet, vt herus eius quamprimum ibi *ſit*, cuius cauſſa cœnam erat paraturus, quemque ideo adeſſe ſtatim cupit, vt maturè cœna, ac forte nuptialis illa quidem, curari etiam in iſtam veſperam poſſit. Ibidem poſtremis verſibus ita legendum diſtinguendumque:

*Hercules iſtum infelicitet cum ſua licentia:*
*Ita meas repleuit aures, quidquid memorabam, licet.*

Aliquoties in optima etiam editione *infelicet* & eiuſdem originis alio flexu plura, quaſi *infelico* θέμα ſit, quod per Grammaticos canones eſſe non niſi *infelicito* poteſt. Sed numeri multis locis incautos in fraudem induxerunt, à quibus etſi contractum aut eliſum illud in dimenſione poſtulâtur, integrũ tamẽ ipsâ ſcriptione vbique debet exhiberi. Nam hîc quidem etiam ſine illorum ipſorum damno decurtari nequit. *Licet* illud, quo moleſti ſibi inuicem col-

locutores hi fuerant, eſt hîc vel τὶ, vel τί. Nam vtrumque idoneum ſenſui. quidquid memorabam; vox *licet*, aut ſeruus voce *licet* repleuit meas aures. Alia ſcena ſequitur, *Quam mox*. In ea non ferenda Lambini ſtolida audacia, qua duos verſus hos ex ſermone Dæmonis exemtos Gripo aſſcribit:

*Mihi iſtac videtur præda prædatum irier,*
*Vt cum maiore dote abeat quàm aduenerit.*

atque eos ita interpretatur, vt profectò nec obſcurius, nec ineptius potuerit. Ego Dæmoni ereptos iuſta vindicta viciſſim aſſero, ac ſenſum hunc eſſe puto. Docebat pius ſenex impium ſeruum, periculosè quamuis prædam appeti. nam ſæpe dolum ſubeſſe, per eamque inſidias de induſtria incautis ſolere tendi. Atque idem ſibi de hac præda videri nunc porrò ait. Videtur, inquit, mihi fore, vt hæc præda viciſſim prædetur, id eſt præda fiat, παθητικῶς. Nam *irier*, non *ire* legitur. atque vt ita quidem præda ipſa fiat, vt aliam vltrò prædam ſecum trahat, abeatque multò cum maiore dote, quàm venerit. Id fieri poterat, ſi quis datâ operâ prædam eam obieciſſet: cui, ſi recepta & celata eſſet, repoſcenti ac furti nomine agenti, duplum pro furto ex populi lege reddendum erat. Itaque nullo modo celari vult iſtum vidulum, quocunque fato ad ſe deueniſſet. Hanc ſententiam omninò reor. etſi durior ſtructura verborum, *præda prædatum irier*: non tamen aduerſus regulas aut ſine exemplis. Eodem enim modo dic, Iſte liber ſcriptum itur: itemque, videtur iſte liber ſcriptum iri. Nihilo verò minus expeditior res fuerit, ſi *præda* caſu auferēdi accipiatur, & ſcribatur *iſtac*. Sic enim omnes facillimè, quod dicitur, apprehendent, nulla locutionis inſolentiâ turbati. Sed hoc poſſe dico, in rudiorum gratiam; debere non dico, vt Plauto ſua ſcriptura ſeruetur. Atq; adeò longius huic loco inhæſi, vt cum ipſe omnibus clariſſimè pateret, tum magis, vt ſtupor quorundam à Lambini Commentariis tantummodo pendentium excitaretur. Iam ibidem hodie vulgatur ſtatim:

*Egone vt, quod ad me allatum eſſe alienum ſciam,*
*Celem? minimè iſtuc faciet noſter Dæmones.*

& haud malè *noſter* de ſe ipſo: melius autem meo animo, *voſter*, quod ſcribunt veteres plerique. Ad ſeruum enim ſuum loquitur herus. Et mox iterum:

*Ego mihi cum luſi, nihil moror vllum lucrum:*

iterum, inquam, ridiculus Interpres: qui ipſe videatur. Senſus hic verus eſt. Cum, id eſt, poſtquam mihi luſi, ſeu poſtquam mihi non modo non damno, ſed & vſui ſic feliciter ſatis fuit hic vidulus, inuenta nempe & agnitâ filiâ, nullum præterea lucrum inde quæro. Non tranſponenda autem, quod cenſeas, verba, *nihil vllum moror lucrum*. Longa enim vltima in *moror*, ex Plauti conſuetudine, qua paſſim *or* in fine producit. Hic ſuperius:

Si tu

Digitized by Google

*Si tu proreta iſti naui es, ego gubernator ero.*

Sticho:

*Hoſtis eſt vxor, inuita quæ ad virum nuptum datur.*

Pœnulo:

*I ſoror: abſcede tu à me. AG. perij. eho. quid agis Milphio?*

Plura vbique inueneris, ſi venêris. Illius autem verſus:

*Ego daturus tibi nihil ſum, ne tu fruſtrà ſis.*

traiiciendæ aliquot voculæ, atque vna eiicienda, tum altera leuiter augenda:

*Ego tibi daturus nihil ſum, ne fruſtra ſies.*

## CAPVT VII.

*Cenſionem facere. Os calens frigefactare. Git. Quid iſtuc? Ni, niue. Promiſti. Mirũ quin. In correctione & ſenſu loci vitiati Lipſio ſubſcriptum. Verſus quidam expleti. Contra Lambinum & alios multa emendata & explicata. Pœnuli locus ad exemplum Rudentis reſtitutus. Iuramentum malæ fidei & deiectus argutum. Eius formula de nouo concepta & præſta ex conſilio magni amici.*

DIuerſæ vt ſcripturæ librorum, ſic ſententiæ virorum doctiſſimorum in hoc ioco ſunt ſequentis ſcenæ *Itera dum*, quæ quidem omninò ſic inchoanda, vt inter pauca rectè quidam correxit. Sed iocus, quem dicebam, is eſt:

*PL. At ſume equidem, ne cenſionem ſemper facias, TR. cenſeo.*

Lambinus eam quidem lectionẽ retinet, & ad Cenſorum morem trahit, equiti multam irrogare ſolitorum: qui quid huc faciat, aut quid hic eò, non video. Turnebus legit, *Adſum equidem*: & capit de alio ritu, quo abſentibus, cum citarentur, cenſus capiebantur. At neque hoc conuenit ſanè nimis. Immane enim quantum differunt *cenſum capere* & *cenſionem facere*. Ne aliorum nugas perſequar, Lipſii cenſura ſupereſt: cui vni adhæream, ſcribenti, *Abſume quidem*: explicantique de decoctoribus, qui cum bona ſua abligurriſſent, ſoluti erant neceſſitate quidquam eorum in cenſum dedicandi. Id enim eſt *Cenſionem facere*: in quo alia leuior etiam ambiguitas, vt ſit interim ſimpliciter pro *cenſere*. Nam talia alibi habuimus. Aſcenſionem & Reuorſionem facere, pro Adſcendere & Reuerti. Cenſet autem ſemper Trachalio, cum ſingulis heri ſententiis ſubiicit aſſenſum ſuum iſto ipſo verbo *cenſeo*. quod hic itidẽ addit eò, quia ſuaſus erat *abſumere*: quod, ludens perpetuo modo, faciundum ſanè ſibi & ipſe cenſet. id quod multi ſententiæ priorum aptè hæret. quocunque pacto conetis accommodare. Solum ergo Lipſium, quem vbique ducem agnoſcimus, & hic ſequamur. Deinceps verbulum iſti verſui deeſt:

*PL. Etiamne eam adueniens ſalutem? TR. cenſeo. PL. etiamne patrem?*

Inſere, *PL. etiamne eius patrem?* vt in ſequente: *PL. Poſt eius matrem?* Sed in illo noſtro monoſyllabum erit *eius*: quam contrahendi rationem memini alibi & mihi, & ante me aliis non ſemel annotatam. SC. *Nunquam edepol*: editione Douſicâ,

*LA. Quid refert, qui periit? GR. tamen ſi non hoc, aliud fabulemur.* malè omiſſum *nihil*, quod inſerunt veteres, & exſtat etiam in Lambini: *GR. nihil. tamen ſi non &c.* qui Interpres ſenſum tamen reliquorum nō eſt aſſecutus. Atqui cum de iis quæ in vidulo fuiſſent, interrogaret Gripus; leno reſpondere non ſuſtinet. quid enim ſcire de illis referat, cum quibus vnà ipſe perierit? Tum ille iterum: Nihil ſanè referte; neque ſe verò aliâ cauſsâ quærere, niſi vt ſermonis ſit argumentum. nam ſi non hoc, tamen aliud ſe inter ſe fabulaturos. Potentialis, quem dicunt, modus eſt *fabulemur*: ne ſuaſionis in eo vim arbitreris. Deinceps eadem editio ſic exhibet:

*LA. Dabo ſeptingentos. GR. os calet tibi, nunc git frigefactas?* è veteribus quidem libris & Gulielmii noſtri reſtitutione, vt ad oram notat. Sed illi *num* voluerunt, non *nunc*. atque id neceſſarium conficiendo ſenſui, quem ſpectabant. Ait Grypus: os calet tibi. an ergo calidum pulmētum è git comediſti, quod frigefacias? Etſi eo amplius, non ad pulmenti tantùm caloré, ſed ipſius etiam git acrimoniam peculiarem alludi poteſt. Nota enim illius acredo in guſtu, ad piperis inſtar, vel ex Auſoniano verſiculo:

*Eſt inter fruges morſu piper æquiperans git.*

Quæ omnia veriſimiliter quidē dicuntur, ac maximā partem verè: neq; tamen inepta prorſus eſt vulgata lectio, *nunc id*: pro qua ſtare videatur geminus ille Pœnulo locus, ſi arctius contendas:

*LA. Calidum prandiſti prandium hodie? dic mihi.*
*AG. Quid iam? LA. quia hoc nunc frigefactas, cum rogas.*

Vt enim ibi, *hoc nunc frigefactas*: ita hîc, nunc id frigefactas. quamquam ibi quidem ſuſpicor nunc ac pæne credo, nō legendum *hoc*, ſed id mutandum in *os*. Os enim rectius frigefactari dicitur, quàm prandium, aliquanto antè ſcilicet abſumtum, ex quo caleant adhuc fauces. Atque ita etiam hîc peruicerit vulgata lectio, *nunc id*: vt ad *os* æquè *id* referatur. quod ꝓfectò melius, vt aio. Nam os vndecunq; calens refrigerari dicitur: de *git* argutiuſculum eſt, neque ratio ſatis conueniens, illud frigefactari, cùm os caleat. Ergo recipiamus illud vulgatiſſimum ſaltem abiecta nota interrogationis:

*GR. os calet tibi; nunc id frigefactas.*

Sequetur porrò:

*Talentum magnum: non poteſt triobolum hinc abeſſe:*
*Proin tu vel aias, vel neges. LA. quid iſtuc neceſſum eſſe video,*
*Dabitur talentum.*

Mutant alii nō commodè: quos vellem libros veteres diligentius inſpexiſſe. Ex iis repono ego: *LA. quid iſtuc? neceſſum eſſe video. Dabitur tal.* Imperfecta oratio labaſcentis, *quid iſtuc?* quā ſuppleas va-

rus

riis modis, ſed in eam planè ſententiam, qua ſimilem locum ſuprà Bacchidibus emendabam, explicabam: Sc. *Atride.*

*Quid ego iſtuc? quod perdundum eſt, properem perdere.*

Iam ad iuramētum peruenimus, quod lenoni conceptiſſimis verbis Gripus præit. In eo repetendos olim ſingulos verſus iudicabā, vt ordine leno ſubſequeretur. Nam pars illa præcipua deeſt, nec ſemper altera rectè præitur, vt in libris noſtris perſonæ digerūtur. Itaque ſic faciundum putabam, vt primis quatuor verſibus, *Venus Cyrenenſis &c.* poſtquam à Gripo eſſent pronunciati, ſubiicerentur iidem mox, iteratò ſcripti, & lenoni aſſcripti: tum deinde reliqui eodem modo alternarentur. De quo cum per occaſionem, vt de multis huius generis aliis, in familiari ſermone apud Nobiliſſimum & Ampliſſimum virum Ioan. Matthæum Wackerum, cuius in laudes & titulos ambitioſiùs hic diffundi non debeo, quamquā ęgrè ob merita eius in me tempero, nuper admodùm diſſeruiſſem; viſum eſt id paullò incommodius, quia pluſculos verſus vno tenore non ita facilè comprehēdere memoriâ, & ſine titubatione ſubſequi leno potuiſſet: ac propterea ſatius eſſe, ſi ſinguli aut dimidii per vices præirentur ac redderentur, ad hodiernum Iurationum morem, à quo non diſſimilem fuiſſe priſcum, vero diſſimile nō eſt. Ita ruentem vltrò me facilè traxit vir harum quoq; literarum præter grauiores callentiſſimus & ſtudioſiſſimus, vt nō repetere quidē verſus omnes vellem, ſed perſonam vtramq; Gripi & Labracis pręfigere, quod indicio eſſet vltrò repetendos. Quamobrem ad hunc iam modum tanto auctore & approbatore locum integrum ipſe ſcribo, cunctiſq; reſcribendum ſuadeo, nemini poſthac auctoritatem ab illo mihi commodatam deſugiturus.

*LA. Quod tibi libet id mihi impera. GR. tange aram hanc Veneris. LA. tango.*
*GR. Per Venerem hanc iurandum eſt tibi. LA. quid iurem? GR. quod iubebo.*
*LA. Prai verbis quiduis. id quod domi eſt, nunquam vlli ſupplicabo.*
*GR. Tene aram hanc. LA. teneo. GR. deiura te mihi argentū daturū*
*Eodem illo die, viduli vbi ſis potitus. LA. fiat.*
*GE. LA. Venus Cyrenenſis, teſtem te teſtor mihi,*
*Si vidulum illum, quem ego in naui perdidi,*
*Cum auro atque argento ſaluum inueſtigauero,*
*Iſq; in poteſtatem meam peruenerit.*
*GR. Tum ego huic Gripo dico, inquito, & me tangito.*
*LA. Tum ego huic Gripo dico, Venus, vt tu exaudias.*
*GR. LA. Talentum argenti magnum continuo dabo.*
*GR. Et ſi fraudaſſis, dicito, vti in quaſtu tuo*
*Venus eradicet caput atq; ætatem tuam.*
*Tecum hoc habeto tamen, vbi iuraueris.*
*LA. Et illum ego aduorſum ſi quid peccaſſo, Venus,*

*Veneror te, vt omnes miſeri lenones ſient.*

Ita mero meridie ſunt omnia liquidiora, nec vſquam quis offenderit, cum & interpuncta ſimul adaptata magis, & vocula vna adiecta, vna abiecta: quod è comparatione vulgatorum quorumuis codicum rectiſſimè conſtabit. Nunc reliqua in ſcenam vltimam, quæ paucula ſunt, adiiciamus. In oblato certamine ſponſionis:

*—— LA. cedo qui cum habeam iudicem,*
*Ni dolo malo inſtipulatus ſis, nine etiam dum ſiem*
*Quinq; & viginti natus annos.*

omiſſa negatio eſt vbique, per ſenſum nequaquam omittenda. Is namque planè inſeri vult, *nine etiam dum haud ſiem Quinq; & viginti natus annos.* Niſi putes eundem æquè iuuari, repoſito *ſine etiam.* quod nec ego negem: ſed certè formula ſtipulationis magis amat *Ni, nine.* itaque non hæc mutetur, ſed negatio addatur. Contendit enim, ſe nondum quinque & viginti annos natum: quibus minores, non maiores Lætoria lege gaudent. Paullo pòſt:

*Promiſiſti huic argentum? LA., fateor &c.*

Verſus cauſſa potius *Promiſti.* Hinc longiuſculè:

*—— LA. nempe pro meo*
*Iure oras. DÆ. mirum quin tuum ius meo periculo abs te expetam.*

Sententia efflagitat, *pro tuo Iure oras.* quomodo & legunt veteres editiones, quaſcunque vidi. Turbauit eos, qui *meo* ſuppoſuerant, locutio Plauti *mirum quin:* a qua ſæpius, vt ſuo loco notauimus, eiuſmodi turbæ conflatæ. At quomodo ea capienda dictum etiam eſt alibi, ne ſim hic prolixior denuò: qui iam feſtino, & tempus eſſe video, portu ex hac naufraga iactatione reperto, Rudentem aliquanto complicare.

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI STICHVM DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

Nob. & doctiſſimum virum

IANVM GRVTERVM IVRISconſultum, Philologum & Poetam clariſſimum.

*IN luctu viduertatis tuæ, cuius mihi triſtiſſimus accidit nuntius,* CL. GRVTERE, *tum aliis nominibus, tum hoc meritò dolemus, quòd is ſtudiorum tuorum interceſſit laboribus, & inſtitutas doctiſſimarum vigiliarum operas interrupit. Abſque eo enim foret, iam lucem viſuros fuiſſe reliquos Suſpicionum plures libros nuper ad me ſcribis. Itaque communis hic eruditorum luctus eſt; qui ſcriptis tuis afficiuntur, quæ non eſſe quidem multorum ipſa res teſtatur. Ab illo verò tu te recollegeris iam paullatim, & à lacrimoſis, quas ipſe dicis, cogitationibus animum dehinc penitus abduces, vt abruptam lucubrationum telam redordiri & detexere porrò queas. etſi tantam quidem feciſti iacturam, quæ non tuo tantum, ſed noſtro quoque, ad quos fama virtutum præſtantiſſimæ tuæ coniugis peruenit, iudicio ſatis deplorari nunquam poſſe videatur. Sed humana tamen vt ferenda ſint, meminimus: neq; tu dolori ſapientiam omnem tuam condonâris: quem depones ac ſepelies in lectione noſtrorum Sapientum, vtrôque luctus conſolationem à literis*

*& ſcriptionibus aſſuetis petes. In quo vt amicè te, mi amiciſſime Grutere, iuuem, ſimulque & auocem à mœrore, & ad ſcribendi ſtudium rurſus incitem, mitto ad te mearum commentatiuncularum aliquid, & quidem in Plautum, quo præcipuè ſolitus es ſemper oblectari, & nunc commodiſſimè viſus es poſſe deleniri. Nam duplex iſta mihi ſanè mittendi potiſſima cauſſa. Neque enim his noſtris legendis curarum tantummodo tuarum obliuiſci te volui, ſed & oblitæ induſtriæ recordari, & ad meliora in hoc genere tua proferenda ſtimulari. quorum in alterum vſum maximè quidem hæc, neque tam tibi dicam tamen, quàm mihi & aliis poterunt ſeruire. Nobis enim profuerit, quod tu boni dederis: & vtilitati publicæ interim ſtudeo, cùm te ſic à luctuoſo otio ad iucundas occupationes priſtinas conor reuocare. Quod quidem non patrare & impetrare me facilius hoc tempore poſſe, quàm iſtâ Plautinorum meorum miſſione indicabam: quorum tu ſcilicet ineptiis commotus, profectò non tenebis amplius te intra luctus hanc lentitudinem, & animo altius concitato rues ad tuorum perpolitionem ipſamque celeriorem publicationem. Age, commouère, ſume priſtinam alacritatem, & indigna hæc noſtra obrue tuorum maiore dignitate. quæ ita quidem eſſe cur non auguremur nobis & ſperemus? Exſpectamus etiam verò nihil niſi præclarum, in Plautum noſtrum maximè, cuius & nunc cauſſam maximè agimus: in quo nimirum ea habuiſti adiumenta & ſubſidia induſtriæ tuæ, quæ huius emolumenta maxima & profectum ſingularem pollicentur. Habuiſti enim & adhuc forſan habes in manibus optimos ac laudatiſſimos Plauti Manuſcriptos duos, illos antiquiſſimos Camerarii noſtratis, vnde tam multa bona ſenex ille doctiſſimus olim eruit, vt eorum ope primus velut ab Orco Plautum reduxiſſe, certè primus optimè de Plauto fuiſſe meritus, & ad bene merendum alios excitaſſe deinceps vſque plurês, atque ita ſalutis adeò illius auctor ab omnibus exiſtimetur. Hos ad te nunc beneficio filii, clariſſimi viri, paternarumque virtutum & famæ in alio genere eruditionis æmuli, deuolutos tibi*

*ſeriò.*

*ſeriò, neq; tibi tamen magis, quàm & nobis & ipſi Plauto gratulamur, nec eam felicitatem multis hactenus, atq; etiam mihi negatam, vni tibi indultam inuidemus, qui te ſcim⁹ in tractandis eiuſmodi libris hominem benè verſatum, & variantes ſcripturas non minus cum diligentia colligere, quàm cum iudicio ſeligere, & cum acumine, ſi opus ſit, corrigere peritum. vt quæ ex illis exſpectare Plauto amplius inſtaurando poſſumus, à te quidem poſſimus omnia, qui verò non niſi & multa & optima? ſperare. Certè enim bonitatis ſuæ laudem illi tuebuntur, nec à priori Cenſore ſic exhauſti fuerint, vt, quod in cenſum etiamnunc tibi deferant, reliqui parum habeant, dehinc in proletariorum ordinem redigendi. Quamquam tu ſanè ſpem eorum non nimis magnam facis, ab illo iam occupata & eruta eruenda pleraq; ad me proteſtatus. id quod ego niſi oculis coràm videam, credere vix poſſim. ac te modeſtè magis hoc puto quàm verè dicere, ne nimiam tui commoueas exſpectationem, & verò vt minora pollicitus, maiora cum maxima laude præſtes. Sit ita, vt futurum planè credo: tu autem deſiderium noſtrum caue diutius moreris. Ego famam à meis his Diuinationibus nullam mihi ſpero, abominor tantùm & deprecor infamiam: à qua tu defendes illarum hanc præcipuè partem tibi dedicatam, & iudicio politiſſimo tuo accuratè recenſitam in vulgus faſtidioſi noſtri ſeculi commendabis. quod ego te ſimul poſſe, ſimul velle meâ cauſsâ ſcio, virum non doctum magis, quàm mihi beneuolentem & amicum: qui conſtanter manebis in perpetuum, atq; hoc etiam libello viciſſim quaſi ſponſoriâ tabellâ fidem & conſtantiam amoris mei tibi habebis oppigneratam.*

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI STICHVM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Saluène amabo? Saluè agere: & de eius formula ſcriptura. Exangeri. Animum augere. Augeri, Creſcere, Foueri, Expleri, noua ſignificatione. Implere apud IC. Mureti verſificatio in prima Stichi ſcena non cum aliis approbata. Ibidem vnus alterq; locus excuſſus, & recens emendatus. Firmata vetus Palmerij in Terentium alibi, & hic in Plautum correctio: noua à nobis Panegyrico Nazarij imputata.*

STichi ſcenam primam in ſenarios redegit Muretus, exemplo bono: ſed non bono, Lambinus in editione ſua prorſum eſt ſecutus. Neque enim ille ſic præiuit, vt pro legitimis Plauti verſibus agnoſci vellet: & vt poſſent, non vt deberent, reſtitui monſtrauit. adeoque nimis ambigua res eſt: ac ſunt permulta, in quibus ei nemo, ne Lambini quidem gratiâ, aſſentiatur. quippe qui non modò verba pleraque mirificè traiiciat, quod ſane fuit hoc aggreſſo faciendum & à nobis permittendum. ſed & multa deleat audacter, & audacius non pauca de ſuo addat. Inter quæ vel minimum illud non procul initio, vbi ſic reſtituit:

*Sed hic mea ſoror aſſis, multa dum volo*
*Tecum loqui de re viri. PA. ſaluane res?*

Nam vt traductionem particulæ *dum* taceam, quam probare nequeo tamen, quia non ad illam, ſed priorem orationis pertinet partem, & verbo *aſſis* continenter adhæret, ne interpuncto quidem, vt in vulgatis, diuellenda: quî feram, quòd *amabo* abiecit. *res* ſuppoſuit, atque ita formulam elegantiſſimam inque percunctatione huiuſmodi ſolennem ac perpetuam deſtruxit, *Saluene amabo?* Sic enim ea quoque ipſa ſcribenda, vt aduerbium agnoſcatur *Saluè*, non nomen *Salue*. quod diſputauit olim ad Auſonium probauitque, non magna tamen ratione, Vinetus: & pòſt tacita quaſi ſententiâ decîdit Briſſonius in arduo opere Formularum, qui & hanc & ſimiles ibi ceteras omnes ita planè concepit atque expreſſit. Illinc exemplorum theſaurum petes: at pro ratione habebis tibi potiſſimum, quòd verbum ad iſta talia ſuppreſſum intelligitur, aliud atque aliud pro ſententiæ flexu, plerumque tamen & ad pleraque verbum *agendi*, aptius omnibus & flexibile in quemuis habitum præ ceteris. quod ipſum diſertè adiungit Appuleius

binis locis, vnde certum huic opinioni firmamentum. Metamor. lib. 1. *Quàm ſaluè agit, inquit, Demeas noſter.* Apologiâ: *Interroga, Maxime, quatuordecim, ſeruos quos exhibemus, Thallus puer vbi ſit, & quã ſaluè agat.* Ita igitur ſecuri numerorum, ſententiæ curioſi reſcribamus in noſtris libris:

*Sed huc (al. hic) mea ſoror aſſiſdum: multa volo tecum*
*Loqui de re viri. PA. ſaluene amabo?*

Quamquam ſi curioſius in ſententiam loci totius inquirimus, videbitur omninò neſcio quid aliud ſubeſſe. Vide enim. Ait Panegyris, locuturam ſe de re viri. potius virorum dicere debuiſſet. Sed de iis neque *multa* dicit, quod facturam ait: imò pænè nihil. Nihil enim in ſequentibus deinceps, quod ad viros magnopère ſpectet: ſed omnia ad ipſas & parentem, de cuius iniquitate in ſe conqueruntur & mutuò ſolantur. Hoc me, fateor, aliquando mouit, vt totam lectionem vulgatam mutandam arbitrarer, ſed facili modo, quem pudenter & cum venia apponam:

*Sed huc, mea ſoror, aſſiſdum: mutua volo tecum*
*Loqui de re. PA. viri ſaluene* (aut *ſaluene*) *amabo?*
*PI. Spero quidem & volo: ſed hoc ſoror crucior,*
*Parentem tuum &c.*

Cum adeſſe & attendere ſororem Panegyris iuſſiſſet, addidiſſetq; de communi re loqui cum ea velle; ſuſpicatur illa ex amore & timore, de viris id fore, quæritque ſtatum, anne mariti ſalui ſint, aut ſaluè agant? Quod aptiſſimum vt nemo negabit, ita verum non ego tamen affirmabo. Sit in medio: ac nos ad alia pergamus. Honeſtiſſimus ibidem ille ſermo:

*PA. Ne lacruma ſoror, neu tuo id animo*
*Fac, quod tibi tuus pater facere minatur.*

ac ſenſus elegans non minus: quem præ modeſtia & reuerentia in parentem Panegyris innuit obſcurè tantum, non exprimit diſertim. Pater ægrè & malè facere minabatur: item ne ipſa vltrò ſibi faciat, hortatur. Sub finem etiamnunc legitur:

*PI. Scio, atq; in cogitando mœrore augeor.*

quod emendandum iam olim Palmerius monuit, *angeor*: rectiſſimè. Probat id apertè Colonienſis meus, in quo *angor*. Neque de Terentiano loco dubitandum, Heautontim:

*Concurrunt multæ opiniones, quæ mi animum exangeant.*

quod idem, ni fallor, ille ſic reſcribit. Nam profectò *exangeant* non modò nihil ad rem, ſed planè contra. Neq; enim commodè, quod iſti in ſcholis volunt, ſubintelligitur vox *dolore*: nec *animum exangere* id eſſe poteſt, quod alii putant, ſententiam firmare: & valet autem prorſus in mentem priori contrariam & loco alieniſſimam, animum exhilarare ſeu oblectare. Id adeò non vulgatum hactenus per occaſionem hanc paucis, ſed illuſtribus exemplis oſtendã. Primùm *Animus augetur* eſt ad verbũ Homericum ἀέξεται

εὐθυμός. Deinde apud Symmachum eſt eo ſenſu, loco qui memoriam nunc meam fugit & veſtigationem fruſtratur: *Quæ mihi animum augeant.* At Taciti ſimilem in numerato habeo, XV. Annal. *Neq; infamiâ Pati augebatur (Corbulo:) quod eo maximè patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos atque operiri reliquias malæ pugnæ imperauit.* Perſpicuè *augeri* eſt hîc delectari. Eo amplius & lætari, alio Taciti loco II. Hiſtor. *Titus aucto animo ad patrem peruectus.* Neque enim tantum de maiore atque erectiore, ſed & hilariore ſimul animo ibi interpretandum. Seneca *Creſcendi* verbum non diſſimiliter vſurpauit Epiſt. XXXIII. *Creſco & exſulto & diſcuſſâ ſenectute recaleſco.* Apud Auſonium *Fouere* itidem inueni, Parentalibus Seueri Cenſoris Iuliani:

*Si quid apud manes ſentis, fouet hoc tibi mentem,*
*Quod fieri optaras, id voluiſſe Deum.*

Denique & *Explere* eſt voluptate afficere, Panegyrico Nazarii, qui Conſtantino dictus: *Miſſum eiuſdem Tyranni ad permulcendam Africam caput, vt quam maximè viuus afflixerat, laceratus expleret.* Quem ipſum ibi locum ſic emendamus per viam. nam vulgò malè, *vt quammaximè vnus.* Sed ad hoc quidem verbum ſubintelligi videtur aliquid oportere, vt ſit quaſi gaudio explere: quem in modum ſimpliciter in Iuriſconſultorum libris ſæpe ponitur *Implere,* cum ſenſus aſſumendum monet, argumentis implere. Eſt enim, pro certis & firmis probationibus euincere & obtinere. quod me monitum à magno amico, magnifico viro Io. Matth. Wachero teſtor.

## CAPVT II.

*Voluntate. Igitur deinde. Poſtidea igitur deinde. Illico, quot modis accipiatur. Penſior conditio. Alia quædam verborum nota. Multa verò loca, & quædam contra Lambinum, emendata, explanata: interpunctis, verbis, numeris mutatis. Præter hoc perſonis ſæpius ſui verſus redditi, & ipſi aliter conſtituti. Plauti etiam inconſtantia notata. Et Nonius caſtigatus & expletus.*

SEcundæ ſcenæ initium in pleriſque libris non diſtinguitur rectè ſatis, in Lambinianis interpolatur inſertione particulæ *ſua*, pro voce *ſeruus.* Hæc autem ſcriptura & interpunctio germana:

*Qui manet vt moneatur ſemper ſeruos homo officium ſuum,*
*Nec voluntate id facere meminit, ſeruos is habitu haud probuſt.*

Quòd ſi Lambinus è libris inſeruit *ſuâ*, non debuit tamen eiicere vocabulum alterum, à Plauto minimè omiſſum. Et ferant vtrumque numeri ſanè, pede primo Amphimacro, vt ſolet haud rarò, conſtituto, & in monoſyllabum contracto ipſo *ſuâ*, quo frequentius nihil. Sed è libris hoc eſſe non equidem puto: magis, de ſuo Lambinum attuliſſe, qui neceſſariò id addi perſuaſerat ſibi. At otioſum

tioſum prorſus eſt. nec ille ſcibat aut meminerat, *voluntate* ſic vſurpari abſolutè ac velut aduerbialiter, vt vulgò *ſponte*. Res in noſtro multis exemplis clara, quorum vnum ſaltem aſſeribo. Milite:

*Quin ſi voluntate nolet, vi extrudam foras.*

Mox etiam interpunctio vacillat:

*Iam ego domi adero, ad meam maiorem filiam inuiſo domum.*
*Si quis me queret, inde vocatote aliqui, aut iam egomet hic ero.*

& huc inclinat, vt *domum* ab *inuiſo* diſcriminetur, accenſeaturque ad *vocatote*. quò ego nec impello, nec retineo. *Aliqui* ibidem pro *aliquis* poſitum, ne multitudinis eſſe numerum putes. Inepta porro ſenis oratio:

*A N. Si manere hic ſeſe malint potius, quàm alio nubere,*
*Non faciam. quid mihi opuſt decurſo ætatis ſpatio cum eis*
*Gerere bellum?*

Quid enim ſe facturum negat, qui diſputauit ſecum etiam nunc nihil, ſed deinceps deliberat primùm? Antiquiores libri *faciant* legunt, non *faciam*. Illud verum, ſed falſum nihilominus *non*. idq; aut delendum, aut traducendum, mutandumque ſic:

*A N. Si manere hic ſeſe malint potius, quàm aliò nubere,*
*Faciant. nam quid mihi opuſt &c.*

Sententiam hoc efflagitare vides, quæ ipſa clarior omni declaratione. Liceat tibi tamen *τὸ nam* non recipere, & *non* ipſum penitus abiicere. Nihil hinc ad ſententiam damni, quæ in ſolo *faciant* ſita. Aliò non eſt pro *alij*, ſed aduerbium. Sic enim & aliquò nubere, & deſponderi in fortem familiam, aliis ſæpe locis. Statim interpuncta iterum, & verbula quædam leuiter errant quidem, ſed vt ſenſum grauiter tamen lędant. Totus autem locus, quem dico, ſic reſtituendus, ne bis aſſcribendi vanam operam ſumam:

*Minimè volo turbas. ſed hoc mihi optimum factu arbitror,*
*Principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiociner:*
*Vtrum ego perplexim laceſſam oratione ad hunc modum,*
*Quaſi nunquam quidquam in eas ſimulem, quaſi nihil inaudiuerim*
*Eas in ſe meruiſſe culpam, ac potius tentem leniter,*
*An minaciter?*

Quidquid mutaui, quod eſt parum, ſententia iuſſit. Primò, nihil dum ſtatuerat, quid optimum ſibi factu eſſet ſenex, de re vniuerſa. Sed id optimum eſſe adhuc dicit, vt ratiocinetur ſecum prius, quomodo principium ſit occœpturus. Deinde duos init modos, vtrum leniter filias tractet, an minaciter: atque in priori includit iſtum, num perplexabiliter & ex obliquo. Sic enim leniter eas adoriatur. At contra minaciter, ſi directè & aperta incuſatione. Quamobrem peſſimè erat ſcriptum *an potius*, quaſi diuerſum hoc à præcedentibus caput deliberationis: vbi, vt idem videatur, *ac po-*

*tius* nunc ſubſtitutum. Sed nihil abſurdius totâ ſcenâ, quam quòd proximum verſum,

*Exorando, haud aduerſando ſumendam operam cenſeo.*

ſeni etiam adſcribunt, & quidem vbiq; librorum. Nec quiſquam adhuc attendit, patri non conuenire, vt ipſe de filiabus cogitet exorandis. Quâ enim cauſsâ, aut quid oret? vt aliò nubant, an vt maneant? Alienius nihil à conſilio eius, nec magis quidquam contra rationem. Quin filiarum alterius eſt verſus. & illius maximè, cuius proximè ſequens, ille quidem in eandem ſententiam cum hoc conſpirans. quo mirum magis eſt, nemini de tam craſſo & obuio mendo ſuboluiſſe. Deliberant inter ſe quoque filiæ, quomodo cum patre ſibi agendum, vt in coniugiis ſuis relinquantur. Id conſilium inſtituerant paullò ſuperius:

*PI. Quid agimus, ſoror, ſi offirmabit pater aduerſum nos? PA. pati*
*Nos oportet, quòd ille faciat, cuius poteſtas plus poteſt.*

Nunc hoc conſtituunt, non aduerſandum parenti præfractius, ſed blanditer eum exorandum, vt cum gratia impetrent, quod volunt: id quod multo facilius ſit, & honeſtius, & in certa ſpe. Quæ omnia quibus verſibus dicuntur, ii a numeris alicubi exorbitantes in hunc modum omnes reſcribendi, primo illi, de quo agebam, contendebamque ſeni diſconuenire, ſub Pinacii perſona continuati:

*PI. Exorando, haud aduerſando ſumendam operam cenſeo.*
*Gratiam ſi à patre petimus, ſpero ab eo impetrabere:*
*Aduerſari ſine dedecore & ſcelere ſummo haud poſſumus.*
*Neq; ego ſum factura, neq; tu vt facias, conſilium dabo:*
*Verum vt exoremus. Noui ego noſtros, exorabiliſt.*

Quæ vel poſtrema vox *exorabilis* poterat admonere primam *Exorando* oportere eſſe. Atque idem poterat etiam membrum hoc vltimum, *Noui ego noſtros, exorabiliſt:* quod reſpondet illi alteri in ſenis conſultatione: *Scio lites fore, ego meas noui optimè:* vt ſit æquè vltimum. in qua clauſularum ſimilitudine ſumma quoque conſiſtit elegantia & lepor ſingularis. Iam porrò ſenex decernit:

*AN. Sic faciam. aſſimulabo quaſi aliquam culpam in ſe admiſerint:*
*Perplexabiliter earum hodie perpauefaciam pectora.*
*Poſt id agam igitur: deinde, vt animus meus erit, faciam palam.*

Vbi dubium primò, *aſſimulabo* an *inſimulabo*. Sed recedit vtrumuis in eundem ſenſum. neque tamen vel aſſimulat vel inſimulat deinceps, vt hìc ſe ſtatuit facturum. de qua varietate & inconſtantia ſæpe notatur auctor. Sed verba, *Poſt id agam igitur*, quid ſibi volunt? Nam nunc quidem ſtatim hoc acturus erat. Omninò *Prius* ſuſtituendum τῷ *Poſt*, atque etiam interpungendum ita:

*Prius*

*Prius id agam: igitur deinde, vt animus meus erit, faciam palàm.*

Prius perplexabiliter eas pauefaciet: deinde animum ſuum liquidò patefaciet. *Igitur deinde* Plautinam locutionem cum reliquis cognatis ad primam Comœdiam copioſè perſecuti ſumus. Ex *Poſt* aliquanto facilius *Aſtu* fieri poterat: niſi prius ad ſenſum aptius: nec intercedo tamen, ſi quis illud malet. Nam vix fore arbitror, qui audaciorem coniecturam probet *Poſtidea igitur deinde*: quamquam ſic quoque Plautus potuit fortè, qui ſimili coniunctione ſæpè *Poſt igitur demum*. Sed certe durior hæc eſt: nec ſenſui ſatis opportuna. Sequitur:

*PI. Salue mi pater. AN. & vos ambæ illico agite, aſſidite.*

Diſtinguendum poſt *ambæ*: nam prius vtraſque reſalutat. deinde non hercle aſſidere iubet eas, ſed abſiſtere potius: quippe qui oſculum prohibet, quod offerebatur. Atque ita iam repunebam. *illico agite abſiſtite*: cum inſpexi demum veteres libros, & non hoc, ſed *abſcedite* reperi, quod non tamen melius eſt noſtro. Neque enim abſcedere prorſus eas iubet, ſed non accedere ad ſe, & adſtare tantum paullò remotius: id quod eſt *abſiſtere*. iuuatque particula etiam *illico*, quam non valere ſcies hic, quod alias vulgò, ſed Plautinè & antiquè, eo loco. Non enim tantum χρονικὸν, ſed & τοπικὸν aduerbium eſt, & idem cum *eloco*. de quorum vtroque non nunc primum ego, ſed poſt alios moneo: quos tu ipſos & præcipuè Nonium vide. Qui Nonius ſub eius particulæ titulo caſtigandus, cùm eam & ad locum valere docet magna exemplorum congerie, quorum nullum tamen ea ſignificatione eſt præter vnicum primum ex Turpilio. Reliqua omnia non *illo*, ſed *illo loco* notant. Ac fortè verba illic aliquot exciderunt, quibus nouam porrò & diuerſam ſignificationem indicarit: ad hoc inquam exemplum. *Illicò, illo. Turpil. Leucadia: Sed quam longè eſt cum iſti illicò? id eſt in eum locum. Illicò, illo loco. Næuius Bel. Pun. lib. 6. Septimum decimum annum illico ſedent. &c.* Ceterùm e Plauto noſtro teſtimonii vicem nihil hîc, cum ſit tamen hoc ſenſu innumeris, quamquam & pauciſſimis aduertitur locis. Sed ſatis eſt attentionem lectorum ſemel ſic excitaſſe, nullis hîc adeò exemplis cumulatis. Statim ſic interpunge:

*AN. Non ſedeo iſthic, vos ſedete: ego ſedero in ſubſellio.*

Et aliquo interuallo *eſt* inſere propter verſum:

*PA. Nullus eſt præter nos teq. AN. voſtrum animum adhiberi volo.*

quamquam & ibidem ſcribere malim, *AN. vos tum adhibere animum volo.* Et enim duriuſculum eſt alterum; & in hoc, *tum* notat cauſſam. Quando, inquit, alienus nemo adeſt, loquar: & vos igitur animum adhibete. Inferius:

*PA. Cui maleſaciundi eſt poteſtas, quæ ne faciat id temperat.*

Exiſtimè *Cum* potius legendum initio verſus, quia præcedente *Vbi*

fuit: *Vbi facillimè ſpectatur mulier? &c.* cui melius hoc reſpondet, *Cum maleſaciundi eſt poteſtas, &c.* Statim pergit quærere ſenex,& his verbis debet:

*——age tu altera, vtra ſit conditio penſior,*
*Virginemne,an viduam habere?*

quibus minimum quid à nobis acceſſit, verſus bono. At penſiorem conditionem non tam explicem, quæ ſit maioris ponderis, quàm quæ penſi magis ſit habenda: quamquam in eundem ſenſum ſic reuoluor. Paullò poſt ſuppleuit Lambinus defectum verſum, ex ingenio magis, opinor, quàm veſtigiis, vt ait, veteris ſcripturæ:

*AN. Edepol vos lepide tentaui, voſtrumq; ingenium duim.*

Aſperum hoc *duim*, quod addidit. Et numeri de ſequente verſu poſſunt facilius expleri: quamquam illi non ſuperſluit quidem; ſed neque decedit quidquam, ita:

*AN. Edepol vos lepide tentaui voſtrumq; ingenium. ſed hoc*
*Eſt, quod ad vos venio, quodq; eſſe ambas conuentas volo.*

Eadem adhuc ſcenâ:

*AN. Quid illos exſpectatis, qui abhinc iam abierunt triennium?*

Lambinus fecit *abſunt*. Malo vulgatum retinere, ſed eius ſenſum iuuare additione vocularum deperditarum:

*—qui abhinc iam, cum abierunt, triennium eſt.*

Non dubiè ſic Plautus ſcripſit: quod vel *abhinc* particula innuit, non commodè iungenda cum *abierunt* aut *abſunt*. At iam triennium abhinc eſſe ait, cum abierint. Ad finem reconcinno perſonas vbique ferè turbatas:

*Nunc ſoror nos abeamus intrò. PI. imò interuiſam prius domum.*
*Si à viro tibi fortè veniet nuntius, facito vt ſciam.*
*PA. Neq; ego te celabo, neq; tu me celaſſis quod ſcies.*

Etiam primo verſu è veteribus inſerui *prius*: quo lædi numeros aliquis opinetur. At ipſum monoſyllabum ſit, & primus pes Amphimacer iterum, vt hîc alicubi ſuprà.

## CAPVT III.

*Inter. Ex vero, facili. Ex pictura. Paupertas ridicularia. Supellex paraſitica. Locus ab additamentis inquinatiſſimus, expurgat*. Mox verſus vnus tranſpoſitus: plures in numeros repoſiti. Iuuenalis cum Plauto compoſitus. Mutatæ diſtinctiones. Alius integer locus de paraſiticæ auctionis præconio diligenter examinatus, mirificè traiectus aliquot verſibus correctus, perſpicuè explicatus. Aliorum quædam approbata, quædam refutata.*

FEſtiuiſſimè Gelaſimus paraſitus ridiculus eſt & nomen ſuum tuetur ſequentis ſcenæ principio: vbi nouo inauditoque exemplo Famem ſibi olim matrem & nunc filiam eandem arguta-tur: quam parere viciſſim nequeat tamen, & eò de ingratitu 'ine ipſius,

ipſius, ventriſque ſui inanitate pleni diutina verminatione queritur. cuius orationis tam venuſtæ principem partem inuenuſtiſſima interpolatione non inuenuſti alias homines quidam contaminarunt. Nam ex librariorum oſcitantia, qui iteratò pleraque verſus tertii verba ſcripſerant, exſtiterunt, qui verſum alium nonum verbis aliquot aliis adiectis concinnarunt, adeò ipſum plenum rutis, & ſententiæ tam infacetæ, vt nullum rus infacetius eſſe poſſit. Quos dicam, ſciunt, quibus Plautus & eius Cenſores noti. Parco enim alteri, ne lædere ſimul alterum cogar. atque nec ipſam eorum lectionem pono, ne vulgatam quidem alteram ponere dignatus, inque vnam ſolam intentus antiquarum editionum, quam literulâ minus vnicâ veram & germanam præſtare ſum paratus. Ea hæc eſt, additâ literulâ ibi deficiente:

*GE. Famem fuiſſe ſuſpicor matrem mihi.*
*Nam poſtquam natus ſum, ſatur nunquam fui.*
*Sed quam ego matri meæ retuli inuitiſſimus,*
*Eam mihi nunquam retulit mater gratiam*
*Nam me illa in aluo &c.*

Quarto verſu *Ea* in veteribus erat, pro qua *Eam* ſenſus facere monuit: qui ſenſus omninò nihil ad alios homines porrigitur, ſolumque inter matrem & filium gratiæ relatæ inſtituit comparationem. Quod, qui non nimis ſupinè omnia legit, vltrò animaduertet, nec illam poterit ab hac aliam lectionem approbare. Sed pergit porrò Paraſitus & de ipſo nomine ſuo diſputare:

*Gelaſimo nomen mihi, indidit paruo pater,*
*Propter paupertatem hoc adeo nomen repperi.*
*Quia inde iam à pauxillo puero ridiculus fui,*
*Eo quia paupertas fecit ridiculus forem.*

Quibus in verſibus manifeſta vnius eſt tranſpoſitio. Nam quantò melius, & ſermo fluit, & ſententia cohæret, iſto ordine reſtituto!

*Gelaſimo nomen mihi indidit paruo pater,*
*Quia inde iam à pauxillo ridiculus fui.*
*Propter paupertatem adeò hoc nomen repperi,*
*Eo quia paupertas fecit ridiculus forem.*
*Nam illa omnes.*

Veriſſima & ὀφθαλμοφανὴς reſtitutio. in qua præter ordinem legitimum, id boni quoque loco acceſſit, quòd ſuperuacua vox *puero* abſceſſit, a nobis in exſilium procul hinc ire iuſſa. quippe quæ nec ſenſum iuuerit, & numeris fuit moleſta. Nam traiectam ibidem & aliam voculam numerorum item cauſſa, leuius eſt, quam vt debeam imputare. Sententiam autem procedere ſic vides: Gelaſimo paruo nomen inditum: quia a paruulo ridiculus. inditum autem propter paupertatem, quia ridiculus propter illam. Quò Iuuenalis hoc pertinet Sat. 3.

*Nil habet infelix paupertas durius in ſe,*
*Quàm quod ridiculos homines facit.*

Sequitur non longè:

*Hæc verba ſubigunt me, mores vt barbaros*
*Diſcam, atq; vt faciam præconis compendium,*
*Itaq; auctionem prædicem, ipſe veneam.*

quod è veteribus ſcribes & diſtingues rectius:

*Hæc verba ſubigunt nunc me; vt mores barbaros*
*Diſcam, atq; vt faciam præconis compendium,*
*Atq; auctionem prædicem ipſe, vt veneam.*

Ita præconis compendium facit, dum ipſe auctionem prædicat; non dum ipſe venit. Atque illud ingerit iterum paullò pòſt, vbi cauſſam & auctionis & compendii huius dicit:

*Ipſe egomet quamobrem auctionem prædicem.*

Vbi contra ſenſum apertè veteres alioqui bonæ editiones interſerunt negantem particulam *non*. quam temerè tamen irrepſiſſe non putarim. Et procliuis emendatio eſt: *quamobrem nunc auction. præd.* neque ea incerta: quando numeri inanimento medio quæritant eiuſmodi explementum. Mox:

*Quæ inter continuum perdidi triennium.*

ſine cauſſa mutant *intra*: ſiquidem illud accipiendum pro *in continuo triennio.* quomodo vſurpari *inter* oſtendimus alicubi ſuprà; laudato præter alia Trinummi quoque è Fullonibus exemplo:

*——quæ inter decem*
*Annos nequiſti vnam togam detexere.*

Et ſtatim:

*Præ mœrore adeò miſer atq; ægritudine*
*Conſenui; penè ſum fame emortuus.*

labat alter verſus, cui fulcimentum dant priſci libri, *fame ipſa emortuus.* quod potius fortè ſit *ipſe.* Nam & mancipia ſibi periiſſe ait, & denique ſeipſum ab interitu parum abfuiſſe per ægritudinem & famem. Niſi *ipſa* hoc innuit, non tantum mœrore, ſed & eſuritione ſe ad mortem propè acceſſiſſe. Iam verò ipſum præconium paraſiticæ auctionis audiamus.

*Adeſte ſultis, præda erit præſentium.*
*Logos ridiculos vendo, agite licemini.*
*Qui cœnâ poſcit? ecqui poſcit prandio?*
*Hercules te amabit prandio? cœnâ tibi?*
*Ehem annuiſtin'? nemo meliores dabit.*
*Nullis meliores eſſe paraſitos ſinam.*
*Vel unctiones græcas, ſudatorias,*
*Vel alias magis malacas crapularias,*
*Cauillationes vel aſſentatiunculas,*
*At periuratiunculas paraſiticas,*
*Rubiginoſam ſtrigilem, ampullam rubidam,*

Paraſ-

*Paraſitum inanem, quò recondas reliquias.*
*Hæc veniſſe iam opus eſt, quantum poteſt,*
*Vt decumam partem Herculi polluceam.*

Hic primùm obſcurum illud, *Hercules te amabit prandio*: & qualiſcunque ſententiæ, ad rem non tamen aptæ: aut ſi huius aptæ, non plenæ rurſum orationis. Fortè enim ſic aliquis torqueat: Hercules te amabit, ſi prandio poſcis, aut ſi prandio tibi vendo. At imperfectus hic ſermo nimis, & interpretatio violenta. Mihi olim coniectanti legendum videbatur:

*Hercule iſte iam. tibi prandio? cœnâ tibi?*

Vt cùm interrogaſſet, numquis cœna aut prandio poſcat, ſubiecerit quaſi bonæ ſpei plenus, imò emtoris certus, hercule iſte iam poſcit: ibique tum vrſerit magis illum quemcunque, vendone igitur tibi prandio? an magis cœnâ? & tandemne annuiſti planè? Quod nemo facile contemſerit: etſi nunc ipſe non admodum probo. Nam argutior emendatio ſubiit, dum retracto veteres cogitationes, & ſcripturam ipſam inſpicio accuratius: à qua minus, atque adeò minimum ſic recedam:

*Hercules te ama. tibi prandio? cœnâ tibi?*

Et ad genuinam Plauti lectionem proximè puto me acceſſiſſe, germanumque ipſum ſenſum non acu, quod dicitur, ſed ſtilo ferè tetigiſſe. Ridiculè hîc omnia paraſitus: atque & ſuauis in numinis inuocatione: quam lepidè reliquis anxiis interrogationibus inſerit. Herculem enim precatur, vt in auctione ſibi præſtò ſit. ita autem precatur, quaſi non tam ſibi ab illo, quàm ipſi à ſemetipſo velit beneficium præſtari. ideoque ait, non me, ſed te ama. quorſum verò ita? Nempe decimam partem ex auctione vouerat Herculi, quod è præconii extremo patet, & inferiore ſcenâ *Quiſnã*:

*Hercules decimam eſſe adauctam, tibi quam voui, gratulor.*

Ibidemque:

*Hercules ſanè, qui Deus ſis, diſceſſiſſes non malè.*

Eam vt pollucere poſſit, opem ipſius ſic implorat, vt iubeat ipſum ſibimet non deeſſe. Ni iuuaret enim, polluctum non auferret. Amaret igitur ſeipſum & lucrum ſuum, ſibique daret operam, dum alii ferret opem. Id quod eſt tam profectò venuſtum, vt eo tota iſta auctio ſingulariter commendari, & ipſa ſcena mirificè colluſtrari videatur. Sed ibidem portò non rectè multi accipiunt iſtum verſum:

*Nullis meliores eſſe paraſitos ſinam.*

Idque facit ſcriptura non recta: quàm tamen pridem Gulielmius noſter benè correxit, *paraſitis* legens; & melius nuper optimus editor & cenſor Plauti Douſa F. *Nulli meliores eſſe paraſito ſinam.* De logorum enim bonitate, non de ſe ipſo, quamquam & ita de ſe, promittit: quos nemini alii paraſito paſſurus eſt eſſe meliores, ipſe optimos omnium daturus. Ne iam & veterem Lam-

bini interpretationem, & nouitium docti alterius commentum pili facias: qui diligentiſſimus alioqui, & in Comicis benè verſatus, ad Theophraſtum exſtruere hinc morem ſolennem voluit antiquis, oſtentare ſolitis ſuum quoque paraſitum. id quod fieri potuit, huc tamen nihil ſpectat. Non autem nihil eſt amplius eodem in loco, de quo moneamus. Turbatus etiam portò verſuum ordo videtur mihi: certè confuſa oratio eſt, logos, cauillationes, periurationes, balnearia inſtrumenta, & ipſas vnctiones incerta ratione miſcens: has denique poſtremas non aptè in auctionem accerſens. Vidé, in quem alium ſenſum quam aliam ſeriem ego cogitarim:

*——nemo meliores dabit.*
*Nulli meliores eſſe paraſito ſinam*
*Cauillationes, aſſentatiunculas,*
*Ac periuratiunculas paraſiticas.*

quibus inter ſe mutuò cohærentibus ſubditur aliud caput auctionis deinceps:

*Rubiginoſam ſtrigilem, ampullam rubidam*
*Vel ad vnctiones Græcas ſudatorias,*
*Vel ad alias magis malacas crapularias:*
*Paraſitum inanem, quo recondas reliquias:*
*Hæc veniſſe opus eſt iam, quantum poteſt,*
*Vti decumam partem Herculi polluceam.*

quæ & ipſa pendent à ſe inuicem, peculiari ſtructurâ ſermonis connexa. Iãq; nõ ipſæ lauationes atq; vnctiones vẽditãtur, ſed ad eas inſtrumenta, ſtrigilis & ampulla: quæ ſolenniter a paraſitis geſtari ſolita docet locus ille Perſâ, ſic à nobis ibi reſcriptus:

*Cynicâ eſſe è gente oportet paraſitum probum:*
*Ampullam, ſtrigilem, ſcaphium, ſoccos, pallium,*
*Marſupium habeat &c.*

itemque Pollux: τοῖς δὲ παρασίτοις πρόσεστι καὶ στλεγγὶς καὶ λήκυθος. In hunc ſenſum nihil niſi *ad* præpoſitionem adiecimus, vitio traductionis amiſſam: cui indicio vel id quoque ſit, quòd mancus abſque ea verſus,

*Vel ad alias magis malacas crapularias.*

Etiam alibi numeros leuiter adiuuimus. Sed ſententiæ potiſſima mihi cura fuit: cuius hæc exacta quibus oſtendi modis ratio, non aliis potuit a me, vix ab alio etiam poterit iniri. Nunc leuiora ſcenæ eiuſdem attexamus. Proximo inde verſu:

*CR. Ecaſtor auctionem haud magni pretij.*

plena ſententia, & orationis forma venuſta: numeri tamen appetunt verbum, quod in medio veteres addunt, *auctionem facis* atq; ita vox *auctionem* in triſyllabam ipſa coit. Mox rectè a Lambino interpretatum, quod miſeris:

*Nemo*

Digitized by Google

*Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.*

addito Horatiano exemplo,

*Cui canis ex vero ductum cognomen adhæret.*

cui adſtruas multo ſimilius aliud Ouidii in Tibulli mortem:

*Flebilis indignos elegeia ſolue capillos:*
*Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.*

Nomen enim hîc elegiæ ἐτυμολογῶ, quomodo Plautus Miccotrogo. formula ipſa cum particula *ex*, in aliis multis frequentata: vt *Ex facili*, *Ex tuto*, pro aduerbiis, facilè, tutò. Nec procul:

*Rogare iuſſit te, multo opere maximo.*

vel *multùm* ſcribe, vt ἀσυνδέτως ſic multùm & maximo opere: vel iunge verba ſic, multò maximo opere: quod potius erit. Geminanda autem ibi interrogatio in diſtinctum ſenſum:

*Iamne exta cocta ſunt? quot agnos feceras?*

ne iunctim cum Lambino quæri putes, an exta cocta ſint agnorum eorum omnium, quotcumque fecerat. Nam qui & *fecerit* mutant, ii verò Bonæ Menti facere opus habent. Porrò exple verſum:

*CR. Imo hercle vt abs te mutuum nobis dares.*

è veteribus, in quis & proxima leguntur aliter aliquanto:

*GE. Negato eſſe quod dem nec mihi nec mutuum,*
*Neq; aliud quidquam, niſi hoc quod habeo pallium,*
*Linguam quoq; mihi etiam eſſe venditariam.*

maximéque poſtremus verſus:

*Præter vnam linguam quoq; etiam venditariam.*

quomodo etſi non ſunt peſſimi numeri, ſi Amphimacrum initio iterum admittas: tamen verius eſt Plautum ſcripſiſſe:

*Præterq; linguam vnam, etiam venditariam.*

Nihil ſibi paraſitus ait eſſe, præter pallium & vnam linguam, ſed quæ ſit etiam ipſa venditaria. Cui ſine interrogatione reſpondere Crocotium debet:

*CR. Hau, nulla tibi lingua eſt, quæ quidem dicat, dabo.*

Nec enim quærit, an dataria ipſi nulla lingua ſit: ſed aiente illo, linguam ſibi eſſe; hæc contra, nullam eſſe ait, ſed quæ dare quidem dicat. Antepenultimum verſum vna particulâ fac auctiorem ex antiquis: *Satin' vt facetè atq; ex pictura hic aſtitit?*
Vbi *ex pictura* eſt, quod alibi dicit graphicè & euſchemè.

## CAPVT IV.

*Confundere, an contundere alicuius facta. Contemnere pro contemni facere: & ad eum modum pluſcula, Intermittere, Reſultare, Decipere, Deſidere, Cohærere, Decidere, Recidere, ex noſtro & aliis. Inter, Intercidere, Interbibere, Intertrahere, Interſtringere, cum ſimilibus, ex noſtro. Contumelia, unde. Contemtim conterere.*

*Spatium breue curriculo. In Plauto traiectio verborum, atq; alia plura in verſibus & verbis correcta. Contra alios quadam dicta, & explicata. Appuleius, Petronius, Manilius, Nanius emendati, aut illuſtrati.*

HOneſtè quidem illa valdè tralatio ſequente ſcena:

*Ripaq; ſuperat mihi atq; abundat pectus lætitia meum:*

quæ & apta rei non minus. ſed neque mala lectio veterum editionum, *Nimiſque* habentium pro *Ripiſq;*, ex quo *Ripasq;* Lambinus fecit. Tamen hanc omninò præ illa ſpernimus: & mox verſum illum,

*Heraq; egenti ſubueni, benefacta maiorum tuorum exauge:*

transformamus in aliud genus, membris conuerſis,

*Benefacta maiorum tuûm exauge, heraq; egenti ſubueni.*

non tam vt vicinis ſuis ipſe aſſimiletur (miſcentur enim & ſuperius & inferius numeri totâ ſcenâ:) quàm vt oratio rectè ſtruatur, & ſententia cohæreat cum proximo deinceps. Neque enim initio copula in *Heraq;* conuenit, & ab hoc membro diuelli non poteſt ſequens verſus, *Quæ miſera &c.* inde dependens: vt peſſimè hic interiectum appareat, *Benefacta maiorum &c.* Iam verò ſic plana erunt omnia:

*Propera* (ſic enim etiam malo, quàm *Propterea*) *Dinacium pedes hortare, honeſta dicta factis:*

*Nunc tibi poteſtas adipiſcendi eſt gloriam, laudem, decus.*

*Benefacta maiorum tuûm exauge, heraq; egenti ſubueni,*

*Quæ miſera exſpectatione eſt Epignomi aduentus viri.*

Quam traductionem tam veram fatebuntur omnes, quàm neceſſariam vident. Inferius paullò continuos aliquot hos verſus ita ſcribes & interpunges:

*An verò nugas cenſeas, nihilq; eſſe, quod ego nunc ſcio?*

*Tantum à portu apporto bonum, tam gaudium grande affero.*

*Vix ipſa vt domina hoc, niſi ſciat, exoptare à Diis audeat.*

*Nunc vltrò hoc deportem? haud placet: neq; id viri officium arbitror.*

*Sic hoc videtur mihi magis meo conuenire &c.*

Nuſquam enim omnes rectè habent, ſed alii alibi melius, quod ex comparatione deprehendes: nec tamen aliunde id ſumtum vniuerſum, quod iſtcunque boni à nobis factum. Hoc quoque, ſi contendes, apparebit. Pergo cum Dinacio:

*Non enim poſſum quin reuortar, quin loquar, quin ediſſertem,*

*Heramq; ex mœrore eximam, benefacta maiorum meum*

*Exaugeam, atq; illam augeam ex inſperato opportuno modo.*

Quorum è medio verſu potuit error naſci in ſuperiore conſimili, vt vulgò ſcribebatur:

*Heraq; egenti ſubueni, benefacta maiorum tuorum exauge.*

Sed de illo ibi ſatis. In poſtremo horum delenda ſupernacua præpoſitio

poſitio *ex*: & vltimâ pro voce *modo* legendum abſque dubio *bono*: quod Gulielmius olim cenſuerat: an autem & *ob portum* ex huiuſdem ſententia, non ſcio. Potius *à portu* ſit, niſi *opportuno* ipſum relinquimus: quod haud ægrè videmur poſſe. In proximo,

*Contundam facta Talthybi, contemnamq; omnes nuncios.*

audio eſſe, qui legere velit *Confundam*, iſta mente: Faciam vt Talthybii factis exæquem mea, populuſq; de me tâquam altero Talthybio loquatur, ac neſciat adeò diſtincte, quæ ille fecerit, quæ ego. Satis acute, minus verè. Quod vulgatur rectum eſt, & in eo is ſenſus. Superbam illam Talthybii famam ſe compreſſurum dicit, & facturum, vt præclara eius facta præ ſuis minora videantur, atque adeò omnes nuntii præ ipſo contemnantur. Ita enim lubido eſt interpretari *contemnam*, pro contemni faciam: quo genere nonnulla interdum vſurpantur. Afferam quædam, vt ſub manum venient in Aduerſariis meis hic illic deliteſcentia. Primùm Petronius ſic videatur locutus, ibi: *Et quia repentina tranquillitas intermiſerat curſum.* Hac enim ſcriptura ſtante, quî aliter interpreteris *intermiſerat*, niſi intermitti fecerat? Sed alias & *tranquillitate* legi notarunt in librorum marginibus: quod ſi verius, cadit hoc: & ad *nauigium* præcedens, verbum id referetur. Quod ipſum, & in eodem loco aliud, alibi pluribus diſputabo. Certò ſic autem Appuleius *Reſultare* lib. 5. Aſini. *Feſtinantes adueniunt, ibiq; diſ flebant oculos, & plangebant vbera, quoàd crebris earum eiulatibus ſaxa cauteſq; parilem ſonum reſultarent.* Idem alicubi *Decepit*, pro latere fecit: qui me locus iam planè decipit inueſtigantem. Fortè verò & idem *Deſidere* non aliter libro primo, vbi mirificè in ſcriptura variatur: *Et quoniam denſa habitantium ædificia locum nouo hoſpiti non dabant; ante portam proiectam domum deſedit.* id eſt, deſidere fecit. Verùm hac lectione reliquis non peſſimis etiam præiudicatum nihil volo. quamquam omnis ea diuerſitas ab hac rariore loquendi forma potuit oriri. Manilium ſic quoque accipere neceſſe eſt in voce *coharent* lib. Aſtronom. III. ſi ea ſincera:

*Athla vocant Graij, quæ cuncta negotia rerum*
*In genera, & partes bis ſex diuiſa coharent.*

Athla nempe cohærere faciunt illa quæ in partes duodecim diſtincta. Sed ibi quidem *cohercent* à nobis emendabitur ſuo loco. In Plauto noſtro pridem ita Coluius accepit *Decidere* Caſinâ, SC. *Omnibus reb.*

*——vti te bonus*
*Mercurius perdat myropola, qui hac mihi decidiſti.*

vt ſit, decidere & ſtillare feciſti, nimirum vnguenta, de quibus agit. Idemque Coluius eodem modo *Recidere* apud Appuleium libro 3. Metam. *Sed quod alterius rei cauſſa facere iuſſa ſum, mala quadam mea ſors in tuam recidit iniuriam.* quod facilè ibi probo: non apud eundem ab eodem ſimiliter exauditum *Intercidere*, lib.

VIII. *Nec acerbæ mortis meæ caſus fœdus caritatis intercidit.* Emendandum enim hic *caſu*: quod certum eſt. etſi vel ſi *caſus* retineatur, aliter accipi tamen *intercidit* queat, penultimâ nempe longâ. vt intercidiſſe, id eſt rupiſſe dicatur, à cædendo. Ac valde ſignanter id dictum ita videri poſſit. Auget enim *inter* præpoſitio ſic verbis addita vim eorum, vt ſit pro penitus & planè. Frequens in hac forma Plautus: & paſſim habemus Interbibere, Intertrahere, Interſtringere, Interprimere, atque alia: ſed iſtorum hic exempla ſingula ponam. Aulular.

*Quæ mi interbibere ſola, ſi vino ſcatit,*
*Corinthienſem fontem Pirenen poteſt.*

Amphitr.

*Ne ego illi puteo, ſi occepſo, animam omnem intertraxero.*

Aulular. iterum:

*Ibo intrò, atq; illi ſocienno tuo iam interſtringam gulam.*

Rudent.

*Qui ſacerdoti ſceleſtus fauces interpreſſerit.*

Sed & apud alios paria multa: nec aliud aut aliunde vulgatiſſimũ illud *Interficere*: quod, nimio vſu tritum aures noſtras minus ferit, neque mentem huc aduertit. Eſt tamen quaſi penitus conficere. Atque indidem *Interfieri*. Trinummo:

*Hem iſtic oportet obſeri mores malos,*
*Si in obſerendo poſſint interfieri.*

Quæ omnia per occaſionem dicere hic licuerit: etſi in Appuleio *intercidere* non ſic adſtruimus, ſed emendationi noſtræ inhæremus. Neque verò, vnde primitus huc delapſi ſumus, in noſtro *contemnam* nouitio quo dixi intellectu propugno: ſit vulgato etiam poſitum, ac vel proprio, quo Gulielmius explicauit. etſi nec hinc Vlpianinã *contumeliæ* originationem acceptare poſſum: quæ inde potius, vnde contumax. Sed *contemnere* ſic prorſus apud noſtrum, quomodo alias *conterere*, cui *contundam* optimè reſpondet. Atque inde iunxit idem noſter, *contemtim conterere*. Pœnulo:

*Eſt domi, quod edimus, ne nos tam contemtim conteras.*

quod eodem modo Næuius belli Pun. lib. 6. apud Nonium in Superbiter: *Superbiter & contemtim conterit legiones.* indidemque ſenſus petendus vexato Taciti loco de German. *Nec tributis conteruntur.* Sed nimium exorbitamus. In qua ſcena eramus, illud porro vix bene eſt:

*Sed ſpatium hoc occidit, breue eſt curriculo, quàm me pœnitet.*

peſſime quidem vir magnus & Plauti familiariſſimus interpretatur, quò nos ad marginem editionis optimæ remittunt: quaſi hoc dicatur: ſpatium ſiue curriculum iſtud citius a me celeriuſque decurſum eſt, quam me curſurę porro longioris tędiũ aut ſatietas cępit. Atq; is addit, Lambinum te non morari. Ecquæ verò cauſſa eſt

eſt, cur nos hîc ipſum? Equidem Lambino hîc ego defenſor: qui ſanè rectius, etſi, quin rectiſſimè, falſa voculæ vnius ſcriptura fuit impeditus. *Occidi* enim, non *occidit* legendum, atque illud ὡς παρενθετικῶς:

*Sed ſpatium hoc (occidi!) breue eſt curriculo. quàm me pœnitet!*

Magna meditatione ad curſuram ſe inſtituerat, quaſi ad Olympiæ ludos, vt ipſe iam iam aiebat. At vix vbi currere incepiſſet, iam ſpatium deficiebat: atq; igitur. Perii, inquit, vix cœptum curriculum abſolui nimis eius me pœnitet ſpatii, nimium breuis ad legitimam curſuram. id enim verba ſonant, *breue curriculo*. Finem ſcenæ conceptum verſiculis Anacreonticis affirmant quidam. Ego non auſim Anacreonticos dicere, qui plerique omnes aut longis ſyllabis aut longas æquiparantibus conſtent: tum quorum alius ſupra menſurā deſtinatam amplius trahat, vt hic, *Vnde is, quid fers, quid feſtinas?* alius curtior extremo pede claudicet, vt iſte,

*Cures. GE. quid iſtic ineſt?*

## CAPVT V.

*Multo tanto vanitas, impenſius. Nimio tanto plus. Nimio multo tanto plus. Nimio min' multo parū. Perbibere & percipere. Vita & Genius paraſitorū, rex eorum. Ridiculiſſimus. Ilicet. Perſonarum crebri ac turpes errores pluribus & inſignibus quibuſdam locis caſtigati. Alia præter id multa correcta: & in ijs verſus traductio perſpicua. Sapius alij refutati. Pluſcula interpretata & illuſtrata, ex alijs etiam fabulis, Curcul. Menæch. Captiu. Epid. Appuleius denique gloſſemate liberatus: & Seneca contra alium, non eiectione ſed traiectione emendatus.*

SEquitur ſcena *Quiſnam obſecro*. Ibi ſub initium leuis perſonæ forſan error:

*PA. Quisnam hîc loquitur tam prope nos? DI. Dinacium. PA. vbi is eſt?*

Non enim videtur ipſe puer ſe, ſed illum Paraſitus indicaſſe, quoniam Panegyris ſubiicit, *vbi is eſt?* Alioqui certè ipſum vocatura fuerat directè, *vbi es?* Sed ita eſt. Pulſauerat puer, atq; vnà cum paraſito ſuperueniente ad fores adſtabat. Tamen ipſum hera non videt, cumq; paraſito de forium iniuria expoſtulat, hunc rata ſic tumultuatum. Ibi ipſe neſcio quid interfatus, ſono proditur: atque illâ quærente, quis tam prope ſe loquatur, eſſe ipſius Dinacium, reſpondet Paraſitus. cuius igitur perſona præſcribenda nomini *Dinacium*. Sed is error, vt dixi, leuis, ſi tamen adeò error. Deinceps non multo grauius, ſed erratur certò, tam hercule, quam variatur, in ſcriptura:

——— *PA. ecquid apportas boni?*

*DI. Nimio impertior multo tanto plus, quàm ſperas.*

In aliis *tanto*, rectius. ſed fœdè Lambinus interpūctis ita diſparat,

*Nimio impertior. multo: tanto plus quàm ſperas.*

Cohærent omnes particulæ quas tam multas non miraberis in vnum ſenſum conſtipatas. Iunctim inquam efferenda, *Nimiò multo tanto plus.* in qua forma ſunt aliquot gradus augmenti. Plus, tantoque plus, multo tanto plus, nimio multo tanto plus. Cuius non diſſimili Bacchidibus ſcriptum memini, *Nimio minus multo parum.* Sc. *Hunc hominem.*

*MN. Chryſale occidi. CH. fortaſſis tu auri demſiſti parum.*

*MN. Qui, malùm, parum? imò verò nimio minus multo parum.*

Alibi non tam multa iunguntur ſimul: frequentius hæc tantùm, *nimio multo* aut *tanto plus*: vt æquè Bacchid. Sc. *Iamdudum*:

*Video nimio iam multo plus quam volueram.*

Frequentiſſimè vero *multo tanto*, cum addito gradu, quem vocant, comparatiuo. Appuleius Apologiâ: *Accipe aliud, pari quidem ſtultitia, ſed multo tanto vânius & nequius excogitatum.* In quo alibi corrupta hæc formula ab imperitis: Aſin. lib. x. *Lumen propter adſiſtens, de ſtagneo vaſculo multo ſeſe perungit oleo balſamo, meque indidem largiſſimè perfricat: multo tanta impenſius cura etiam nares perfundit meas.* Non dubium, quin gloſſemate laboret is locus, & *cura* delendum ſit, ſcribendumque: *ſed multo tanto impenſius etiam nares perfundit meas.* Niſi tamen retento *cura*, flectendum potius *impenſius*, in hanc faciem: *ſed multo tanto impenſiore curâ etiam nar. per. m.* Alterum quidem certum: prius mihi magis acceptum. quod idem eodem ferè modo in Seneca turbatum, Epiſt. 72. *Beatus verò & virtuti exacta tunc ſe maximè amat, cum fortiſſimè expertus eſt: & metuenda ceteris non tantum fert, ſed amplexatur: multoque audire mauult tanto melior; quàm fortior.* Vbi vir doctiſſimus eiicere pridem molitus eſt ipſum *tanto*, vt gloſſema. Traiiciendum autem ego dico: *multoque tanto audire mauult melior, quàm fortior.* Hæc ipſiſſima veritas, omnem dubitationem excludens. In Plauto ſequuntur hi ſtatim verſus:

*DI. At ego perij, cui medullam laſſitudo perbibit.*

*GE. Quid ego, cui miſero medullam ventris percepit fames?*

quorum altero variè mutant verbum *percepit*: alius *peredit*, alius *perrepit*. etiam qui relinquunt, non commodè interpretantur. Aiunt enim, *percipere*, deguſtare interdum eſſe, ideoque hîc opponi τῷ *perbibere*, atque huc vocant è Menæchmis teſtimonium:

*Quid ceſſas dare potionis aliquid, prinſquam percipit inſania?*

Miror, quomodo hîc inſania & quid deguſtare dici poſſit. Vtrobique eſt *Percipere*, penitus capere & totum peruadere, idque idem ipſum Amphitruone quoque:

*Nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis.*

*Percipit* autem Stichi loco legendum, & præſentis vtraque temporis ſunt *perbibit* & *percipit*: in quîs hoc etiam aſſentior, affecta-

tam

tam eſſe παραγραμματισμὸν, nec inelegantem. Inferius aliquanto perſonæ confunduntur, ab ipſis etiam, qui confuſas digerere profitentur. non enim veris & peculiaribus ſuis notis omnes ſignant. Ita reſtitue integrum locum;

*—— DI. factum oportuit.*
*Ego hinc araneas de foribus deijciam, & de pariete.*
*GE. Edepol rem negotioſam. quid ſit, nihil etiam ſcio:*
*Niſi forte hoſpites ſunt venturi. DI. alij lectos ſternite.*
*GE. Principium placet de lectis. DI. alij ligna cadite &c.*

Mox pede toto mutilus verſus eſt:

*PA. Tum tu igitur qua cauſſa miſſus es ad portum, expedi.*

quem veteres integrum faciunt inſertione brevis particulæ, *mihi expedi.* Iam iterum perſonæ mutatæ loci elegantiſſimi ſententiam pulcherrimam obſcurarunt:

*Interim Epignomum conſpicio tuum virum & ſeruum Stichum.*
*PA. Hem quid Epignomum elocutus? DI. tuum virum, PA. & vitam meam.*
*DI. Venit inquam.*

Sane vitam ſuam meritò & benè dicat vxor virũ ſuum: at hîc multo rectius Paraſitus ſuum regem. Et omninò ſic reſtituendum:

*PA. Hem quid? Epignomum elocutu's? GE. tuum virum, & vitam meam.*

Occupat reſpondere Gelaſimus, quemnam rediiſſe Dinacium nunciarit: qui poſtea ſtatim idem repetens confirmat. Nemo autem non viderit vel propter copulam iſtam vni neceſſario aſcribenda, *tuum virum & vitam meam.* cui autem, niſi Paraſito? quod genus paſſim reges ſuos, vitas & genios ſuos appellat. Ita Phædromum Curculio, fabulã ab ipſo denominatâ. Sc. *Date viam.*

*CV. Ecquis eſt qui mihi commonſtret, Phædromum genium meum?*

Et Menæchmum Peniculus Menæchmis Sc. *Ni mala:*

*ME. Quis homo eſt? PE. ego ſum. ME. ô mea commoditas, ô mea opportunitas,*
*Salue. PE. ſalue. ME. quid agis? PE. teneo dextera genium meum.*

Quin & Captiuis Ergaſilus Philopolemum, Sc. *Quanto:*

*—— ER. ita me amabit ſancta Saturitas,*
*Hegio, itaq; ſuo me ſemper condecoret cognomine,*
*Vt ego vidi. HE. meum gnatum? ER. tuum gnatũ, & genium meum.*

Qui locus huic, de quo agimus, prorſum geminus eſt in germaniſſimum modum, & emendationem noſtram vnicè præclariſſimeque firmat. Addam autem non diſſimilem & huc omnino facientem alium è Menæchmis, vbi quomodo paraſitorum vita ſint reges, aut potius ipſa eorum vita ſit regum ipſorum, explicatur. Sc. *Edepol.*

*—— ea omnia fecit palam*
*Paraſitus, qui me complevit flagitij & formidinis,*

*Meus Vlyſſes, ſuo qui regi tantum conciuit mali.*
*Quem ego hominem, ſiquidem viuo, vita deuoluam ſua.*
*Sed ego ſtultus ſum, qui illius eſſe dico quæ mea eſt.*
*Meo cibo & ſumtu educatuſt: animâ priuabo virum.*

Sed & porrò ibidem in noſtra Sticho perſonæ, ac verſus etiam ipſi ſunt turbati:

*DI. Venit inquam. PA. tun' eum ipſum vidiſti? DI. ita ego lubens.*
*Argenti auriq. aduexit multum. PA. nimis factum benè.*
*GE. Hercle verò capiam ſcopas, atq. hoc conuerram lubens.*

Primùm paraſiti ſunt verba, non Panegyridis, *Nimis factum bene.* Gelaſimus enim exſultabundus ſic interloquitur ſemper: vt præter alia poſt quatuor verſus in eandem ſententiam, *Hercle rem geſtam bene.* Quod Paraſiticum prorſus eſt: & ſimillimus locus Epidico exſtat, vbi verba etiam hæc eadem ab eiuſdem ordinis homine in rem eandem vſurpata. SC. *St. tacete.*

*PE. Qui tu ſcis? EP. quia ego ire vidi milites plenis vijs.*
*Arma referunt, & iumenta ducunt. PE. nimis factum benè.*
*EP. Tum Captiuorum quid ducunt ſecum? pueros, virgines,*
*Binos, ternos, alius quinque: fit concurſus per vias.*
*Filios ſuos quiſque viſunt. PE. hercle rem geſtam benè.*

Sic Plautus collatione Plauti corrigendus & illuſtrandus. Iam verſus poſteriores duo traiecti ſunt inuicem: quod, vt alia taceam, oſtendit iteratio vocis *libens* in vltimo nunc verſu & primo, non ſeparãdis intermedio alio, ne illa ſeparata frigeat, & venuſtas eius euaneſcat. Sed nec *ipſum* in primo legendum, ſed *ipſus*: & inferendæ particulæ binæ ex editionibus antiquis. Vnde hæc loci totius erit emendatio, non illa poſtrema inter optimas aliquot (nec vanè ſic iis me iacto) noſtras.

*Interim Epignomum conſpicio tuum virum, & ſeruũm Stichum.*
*PA. Hem quid? Epignomum elocutu's? GE. tuum virum, & vitam meam.*
*DI. Venit, inquam. PA. tun' eum ipſus vidiſti? DI. ita ego, & quidem lubens.*
*GE. Hercle verò capiam ſcopas, atq. hoc conuerram lubens.*
*DI. Argenti auriq. aduexit multum. GE. nimis factum benè!*
*DI. Lanam purpuramq. multam. GE. ehem, qui ventrem veſtiã &c.*

Adhuc eadem ſcenâ paullò aliter quàm bene excuditur iſtuc:

*DI. Poſt autem aduexit ſecum paraſitos. GE. heu perij miſer.*
*DI. Ridiculoſiſſimos. GE. reuerram hercle hoc quod conuerri modo.*

Vitium ſolus verſus indicat: alias falleret nos vocabulum *Ridiculoſiſſimos*, pro quo Plautus ſcripſit *Ridiculiſſimos*, paullo antè eodem hîc vſus:

*Quando adbibero, alludiabo, tum ſum ridiculiſſimus.*

Mox etiam:

*GE. Venales logi ſunt illi, quos negabam vendere.*

*Ibite,*

*Illico, & meo malo eſt quod maleuolentes gaudeant.*

Fortè emendandum, *Ilicet. meo malo eſt &c.* Vt exclamatio ſit deſperantis, quæ in hoc & ſimili affectu frequens. Amphitr.

*Ilicet. mandata heri perierunt vnà & Soſia.*

Hoc autem totum hic dicens paraſitus reſpicit ad iſta ſua priora:

*——— GE. non vendo logos.*

*Iam non facio auctionem: mihi obtigit hæreditas.*

*Maleuoli perquiſitores auctionum perierint.*

## CAPVT VI.

*Plautus ſibi collatus. Reiectæ aliquot aliorum coniecturæ & explicationes, melioribus ſubſtitutis. Præterea multa variè emendata. Augurium & auſpicium muſtela fecit. Quane? Obnoxius, obnoxioſus, & quæ alia inde omnia, quid ſint, quomodo vſurpẽtur. Diſputatũ de iis ad Gellij caput, quod totum illuſtratur, & in parte emẽdatur. De iiſdem ibidem exemplum Ennij correctum: reliquorum auctorũ pleraq; explicata: maximè alia Plauti plura, & vnum eximium in Trinummi loco difficili alias & intricato, qui ſimul explanatur.*

ANtiquiſſimum eſt reginæ Pecuniæ regnum, & ſumma perpetuaq; potentia, maieſtas, gratia: quam Epignomus hic, SC. *Cum bene,* domum ſimul & in amicitiam affinis ſiue ſoceri, illa cõciliatrice, rediens breui dicto miratur:

*Videte quæſo quid poteſt pecunia!*

eandemq; perſimili triparcus ille Euclio in affinitatem appetitus, illiuſce cauſſâ, vt rebatur, Aulular.

*Illic hinc abijt. Dij immortales obſecro, aurum quid valet!*

Quæ in ſcena plauſibiliter iactabãtur, ipſo toto theatro teſtimonium poëtæ ex affectu ſuo perhibente. Mox autem eâ, quam hinc ſumus orſi, ſcenâ legendum:

*Age abduc hos intrò, quas mecum adduxi, Stiche.*

non *adduc* aut *duc*: quorum hoc Lambinus, iſtud vulgus, illud noſtrum antiqui codices habent. Numeri iidem ſunt, qui in iiſdem verbis infra:

*Age abduc eas intrò. hunc tibi dedo diem.*

At ſtatim: *Quàm multas tecum miſerias multauerim.* miror virum doctum nugari ſic audere, vt quia Feſtus alicubi dicat *ærumnulas* à Plauto vſurpatum, id hic fuiſſe cenſeat ἀντὶ τοῦ *miſerias*: quod minimè fuiſſe ſequens verſus oſtendit,

*Nunc in hunc diem vnum ex illis multis miſerijs &c.*

cuius principio malè Lambinus neceſſariã particulã *Nunc* demſit: tam inquam malè, q̃ benè *in* appoſuit: vtrumq; numeris libenter recipientibus, quia ſenſus cupidiuſculè adſciſcit. Magis verò cum ratione de verbo *multauerim* dubitem, ꝙ nimium inſolens noſtris auribus: & fortè non peſſimè olim pro eo coniectauimus *antlauerim.* quod abſit tamen vt ſuppoſitum ſtatim eam. Infrà certè:

*Iam hercle ego per hortum amicam tranſibo meam:*

inſerenda præpoſitio *ad amicam*. Et ibidem:

*Licet hoc Athenis nobis. ſed cum cogito,*
*Potiusquam in diuidiam veniam, eſt etiam hic oſtium*
*Aliud poſticum noſtrarum harunce ædium,*
*Poſticam partem magis vtuntur ædium,*
*Eà ibo obſonatum.*

Non plenè explicatur *in diuidiam venire*, quaſi tantùm in tædium & moleſtiam. Hoc ait ſeruus: etiamſi liceat ſeruis, quod dixit, metuere ſe tamen, ne in litem & contentionem incidat cum aliquo, qui licere id ipſis nolit: quapropter publicam viam & frequentiam hominum ſe nunc vitaturum, poſticoque ædium oſtio per hortum tutò ac quietè commeaturum. Abundare autem videri poſſit totus is verſus,

*Poſticam partem magis vtuntur ædium.*

quem ſuadeo parentheſi ſeorſim includendum. Vltimo:

*Ite hac ſecundum vos me, ego hunc lacero diem.*

peſſimè habet optimi libri, *Ita*: quod cuiuis emendatu facillimum. *Secundùm* autem *ire* benè explicatur, ſequi. Amphitr.

*AM. Age, i tu ſecundùm. SO. ſequor, ſubſequor te.*

non benè, *lacerare diem*, pro excruciare, aut conterere potando, epulando, ſcortando: tantùm imò perdere garriendo. quo ſenſu perſpicuè idem eſt Aſinaria. Sc. *Vbi ego:*

*Quin ego hanc iubeo tacere, quæ loquens lacerat diem.*

vbi ſimpliciter etiam accipiunt conterere, non ſatis interiorem verbi vim aſſequentes. Sed inſpiciamus porrò ſcenam, vbi libros ſuos Paraſitus inſpexit. Excuditur:

*——— augurium hoc facit*
*Epignomus hic quidem, qui aſtat.*

quod vt legitur, ſic capitur aliter aliquanto quàm rectè. Nō enim profectò augurium paraſito Epignomus faciebat nunc cōſpectus primùm, ſed fecerat antè muſtela, de qua narrauit:

*Auſpicio hodie* (inſeres, *hercule*) *optimo exiui forâs.*
*Muſtela murem mihi abſtulit præter pedes:*
*Eam ſtrenuè obſonauit. ſpectatum hoc mihi eſt.*
*Nam vt illa vitam repperit hodie ſibi,*
*Item me ſpero facturum.*

quomobrem his ſubiiciendum nunc, *augurium hoc facit.* τελεία ϛιγμῇ adiectâ, ne cum ſequenti verſu miſceatur: qui porrò ſic inſerto verbulo ex veteribus ſcribendus:

*Epignomus hic quidem eſt, qui aſtat. ibo, atq; alloquar.*

Dum ſecum augurium & auſpicium ſuum commentatur, interim aſtare procul Epignomum videt, quem noſcitans adit ſtatim & compellat. Planè auſpicium illi muſtela fecerat: Epignomus deinde conſpectus auſpicii fides & euentus erat, à quo ſcilicet vita &

victus

victus reperiendus. Ad idem auſpicium muſtelæ pertinent verſus ſub finem:

*Quin ipſa decies in die mutat locum.*
*Eam ego auſpicaui in re capitali mea?*

qui corrupti etiam nonnihil, ad hoc exemplum reſtituantur:

*Quane ipſa decies in die mutat locum,*
*Eam auſpicaui ego in re capitali mea?*

Certa correctio vel ex ſenſu. de qua leuiter aurem mihi vellebant primùm antiqui libri, habentes *Quin &c.* atque iidem verba ſic digerunt alterius verſus, vt e numerorum ratione vides hîc a me collocata. De *Quane* & ſimilibus alibi, quod ſatis. Sed in medio non prætereamus iſtum locum:

*EP. Non edepol poſſum. GE. quid grauare? cenſeas?*
*Neſcio quid verò habeo in mundo. i modo.*

Quid eſt nudum iſtud *cenſeas?* Fallor, an duæ ſunt voces, ita temerè coalitæ? Nam equidem *cenſeo eas* diuino corrigendum: quarum altera præfigenda verſui alteri, defecto alias toto pede. Sic inquam:

*——GE. quid grauare? cenſeo*
*Eas: neſcio quid verò habeo in mundo. I modò.*

Inſtanter ire ſuadet ad ſuam cœnam. etſi poſterius *i modò* non ineptè libri veteres Epignomo tranſcribunt.

*—— EP. i modo,*
*Alium conſtituam quarto tibi in hunc diem.*

Sed nihil hoc noſtræ derogat emendationi. quæ alia tenuior requiritur iſtic:

*Vin' ad te ad cœnam veniam? EP. ſi poſſim, velim.*

Nam *ſi poſſit*, verum eſt. Deinceps ſcio quid ibi docti viri de medio lecto:

*GE. Haud poſtulo equidem med in lecto accumbere.*

Sed non contemnere queo penitus antiquiorem ſcripturam:

*Haud poſtulo equidem ſummo in lecto accumbere.*

Equidem venuſtè ſummo lecto mox opponitur imum ſubſellium:

*Scis tu med eſſe imi ſubſellii virum.*

cuius à verſus fine remouenda interrogatio, quæ in libris nuperis obrepſit. Illum autem ibidem:

*GE. Perij hercle verò planè, non obnoxiè.*

paullò citat aliter Gellius, vbi de ſignificatione vocis *Obnoxius* diſputat, nihil magis ipſe nos certi docens, quam illum Grammaticus in id conſultus. Sed ita citat:

*GE. Nunc ego hercle perij planè, non obnoxiè.*

non peius, & verò paullò ἐμφατικωτέρως. *Obnoxiè* hîc autẽ eſt quaſi clementer: vt & *obnoxioſè* Epidico, Sc. *Satin':*

*PE. Cedo manus igitur. EP. morantur nihil, atq; [illegible]*
*Nihil verò [illegible]*

Digitized by Google

quod ad marginem ita explicant, ſed cum additamento non proſus apto. Sic enim reſoluunt: cuius nomine tibi obnoxius eſſe debeam. Potius debebant: tamquā ipſe mihi ſis obnoxius, in obnoxij morem. *Obnoxius* propriè, qui ob noxiam aliquam ſuam alteri concedit, ſuo iure non vtens, animi conſcientia fractus. Ad quam originem Plautus alluſit Truculento. Sc. *Egone tibi.*

*Scio equidem, quæ nolo, multa mihi audienda obnoxio:*
*Ego me tibi obnoxium eſſe fateor, culpæ compotem.*

Hinc ad alia trahitur: & obnoxii dicuntur a ſimilitudine quadam affectus & conditionis etiam, qui alicui aliquid debent, tanquam deuincti: Sic Aſinariæ loco:

*Adeò vt ætatem ambò ambobus nobis ſint obnoxij,*
*Noſtro deuincti beneficio.*

Et hinc Virgiliana ab eodem ibidem laudata. Qui autem tales; lenius ſcilicet ac lentiùs agūt plerumq; cum iis, quibus obnoxii, nec pro ſuo iure, cedentes & parcentes, ac planè velut ſecundas agentes. Inde iam iſtæ locutiones omnes: quas facillimum eſt huc μετ' φορικῶς interpretari. Nec alius ſenſus Cæciliani loci è Chryſio, cui ſoli Gellius conuenire putauit Grammatici ſui finitionem:

*——Quamquam ego mercede huc conductus tua*
*Aduenio, ne tibi me eſſe ob eam rem obnoxium*
*Reare, audibis male, ſi male dixis mihi.*

putidiſſimè profectò. Quid enim abſurdius, quàm obnoxium ibi eſſe habentem culpæ ſuæ conſciū? Ita namq; referebat ipſe Grammaticum interpretatum: cuius verba leui correctione indigent, per hanc occaſionem hic adiiciendâ. *Quis adeò tam linguæ latinæ ignarus eſt, qui neſciat eum dici obnoxiū, cui quid ab eo, cui eſſe obnoxius dicitur, incommodari & noceri poteſt ei, qui habet aliquem noxa, id eſt culpæ ſuæ conſcium?* Verba malè vincta, & in parte obſcura, quibus nexum & lucem reddet copula reddita, quæ in *ei* degenerauit. Lege: *cui quid ab eo, cui eſſe obnoxius dicitur, incommodari & noceri poteſt: & qui habet aliquem noxæ, i. e. ſuæ conſcium.* Apud Cæcilium mercenarius aliquis, fortaſſe an coquus cōductus ex more cum aſperius acciperetur verbis, & conuitiis in id genus hominum vulgatis exagitaretur, eâdem ſe vſurum libertate dicit in reſpondendo, neque propterea parſurum alteri & ſecundas acturum, quòd mercedem ab eo accipiat, & hoc nomine deuinctus ei videatur: id quod eſt tribus verbis, nolle ſe mercedis cauſſa obnoxium eſſe. Idem planè ſignificatus, etſi paullo vberior in *Obnoxioſus*: vt iſta in *oſus* ferè omnia copiam aliquā notant. Id in Ennii verſibus fuiſſe, quos Gellius ibidem adducit, euincunt numeri ab altero lacunoſi.

*Ea libertas eſt, ſi qui* (ſic quoq; legi ſimul volo) *pectus purum & firmum geſtitat.*
*Aliæ res obnoxioſæ nocte in obſcura latent.*

Epi-

Epidico noſtri diſertim ſuprà fuit: atque etiam pòſt Trinummo, Sc. *Staſime*:

*ST. Mores leges perduxerunt iam in poteſtatem ſuam,*
*Magis queis ſunt obnoxioſi, quàm parentes liberis.*

Qui etiam locus hîc enarrandus eſt contra Interpretem, hoc dicere putantem: Mores dominari legibus imperioſè. nam obnoxioſos à Plauto vocari, qui alios ſibi velint habere obnoxios. Iam ad Epidici locum dicebam non ita eſſe: neque eſt. E diuerſo prorſus. Obnoxioſus, multùm obnoxius. Atque ibi peruerti iura omnia ſeruus queritur: & præter alia, leges à moribus iam in ſuam poteſtatem perductas, cum ipſi contrà legibus obnoxii eſſe debeant magis, quàm hodie ſunt parentes liberis ſuis, qui itidem parentibus eſſe potius debebant. Ita duplex eſt incuſatio; illa directa in mores, hæc obliqua in liberos: quæ occultior feſellit hactenus: ſed quò occultior, eò acrior eſt, & ex tranſuerſo vehementius mordet. Vtrumque contra naturam eſt: leges moribus, parentes liberis obnoxios eſſe. Quem ſenſum inuidit vſurpatio vocis eius, aut potius reliqua loquendi forma, forma duplex. Semel enim, de iure, vt vocant, accipitur; iterum, de facto: & prius in mores, alterum in parentes dictum. De cetero, Salluſtii locum etiam Gellius affert, qui ægrius accedere noſtræ ſuperius interpretationi videatur: *Minari etiam ferro, ni ſibi obnoxia foret.* At promtiſſimè accedit: quandoquidem obnoxia ibi eſt obediens ſiue gratificans, vt obnoxii ſolent. Ni ſe ſibi daret, nec aduerſaretur, ferro minabatur. Ita Gellii & Grammatici ipſius partes hîc egimus, & pro vtroque, vt opinor, ſatisfecimus de eo, quod ſoluere non potuit alter, alter noluit. Sic enim de Gellio potius ſentiamus.

## CAPVT VII.

*Apologum agere. Cibum contruncare, an contrucidare. Hercle quin. Habere rem factam, pactam. Ducere ſe eſſe pro adoleſcente, pro libero: fatere ſe eſſe venuſtum, & ſimilia, in Plauto & Catullo. Perdere & dare interdum æquiparata. Ita vt occœpi dicere. Suſtentare ſedulo. Stas, pro ſtans. Obſtrudere. Contra Lambinum & alios correcta multa & explicata. Loci aliquot integri numeris & diſtinctionibus conſtituti. Scena cuidam principium deeſſe oſtenditur. Perſonæ multoties permutantur. Tragœd. Hercul. Oet. emendatur. Alia ſparſim, vt res tulit, addita.*

PErperam illud quoque Lambinus explicat proximâ ſcenâ, *Ita me Dij*:

*EP. Iam redeo nimia voluptaſt, ſi diu abſueris à domo,*
*Domum ſi redieris, ſi tibi nulla eſt ægritudo animo obuiam.*

Quaſi Epignomus dicat, ſe domo ad Pamphilippum redire deſti-

natò, in quem forte fortunâ tamen incidit cum ſocero incedentem. Verba ſanè domo egredientis ſunt, *Iam redeo:* ſed ad familiare: pronuntiata, quibus abiens mox adfuturum ſe rurſus affirmat. è qua notâ locum inſignem corrigebam Mercatoris vltima ſcena cui hunc confer. Ceterùm *à* delendum priori verſu, quotquot in libris eſt: vt multi ſunt, quibus vltrò abeſt rectè. poſteriore legendum *ibi*, pro *ſibi*. Malè enim hærent dandi caſus duo *ſibi* & *animo*. Porrò:

> *AN. Priuſquam abis, præſente te huic apologum agere vnum volo.*

Periit archaica loquendi forma, *apologum me agere vnum volo*. Sic enim ea particula rurſum inſerenda. Ridicule autem ait, Apologum ſe agere velle. & reuera agit, non narrat. Præſens enim ipſe erat totus Apologus, eleganter in rem præſentem confictus: quod ſentit & dicit paullò pôſt ipſe Pamphidippus:

> *Perge porrò: præſens hic quidem eſt apologus.*

cui quidem Pamphidippo potiſſimum hæc quaſi fabula agebatur, in ipſum directa: quod & ſenex iam antè prodit, cum ait *hunc* ſe acturum. Iam in ipſo apologo quædam non ſatis concinna: vt iſtud:

> *PA. Quis iſtuc quæſo? an ille, quaſi ego? AN. is ipſe, quaſi tu ſenex*
> *Ille quaſi ego &c.*

quod cum ſequenti legendum diſtinguendumque ita:

> *PA. Quis iſtuc quæſo? an ille, quaſi ego? AN. is ipſe, quaſi tu. tum ſenex*
> *Ille, quaſi ego, ſi vis, inquit, quattuor ſanè dato,*
> *Dum quidem hercle quod edint addas, meum ne côtruncent cibû.*

Qui *contrucidant* ſuppoſitum eunt pro *contruncent*, eos ſi nô exempla huius potiora de ſententiâ dimouere poſſunt, deiicere debent ipſi numeri, qui ſoli ſatis conuincant rectum, quod vulgatur. Sequentes etiam ſtatim verſus & pedibus nonnihil impeditis reſpitant, & ſententiâ inæqualiore labant:

> *PA. Videlicet illum fuiſſe parcum ſenem, qui dixerit.*
> *Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibum popoſcerit.*

quamquam de pedibus res facilior: in ſententia ſcrupulus maior: quam explicatio Briardi facit etiam multo ſcrupuloſiorem. Nô difficillima autem emendatio eſt, ſi τὸ *Quoniã*, ſeu quod in aliis *Quando*, quorum neutrum aptum, mihi modo permittitur mutare. Muto autem minimè violenter, & totum ſcribo:

> *PA. Videlicet fuiſſe illum parcum ſenem, qui id dixerit.*
> *Quid autem? an ille illi pollicetur, qui eum cibum popoſcerat?*

Certò hæc ſententia eſt. Cum auaritiæ ſenem arguiſſet in cibo poſcendo, infit quærere, quid adoleſcens ille: an poſcenti illi ſit pollicitus? cui ſimili forma orationis alter perueruſtè reſpondet:

AN. Vi-

*AN. Videlicet fuiſſe illum nequam adoleſcentem, qui illico,*
*Vbi ille poſcit, denegarit ſe dare granum tritici.*

vbi reſcribendum etiam fortaſſe *denegarit*, vt reſpondeat τῷ *dixerit*. Omnino autem argutia diſcriminis inter *promittere* & *polliceri* locum hîc non habet: & poterat vir doctus alienæ allucinationi confirmandæ ſuperſedere. Proximo etiam verſu,

*Hercule quia æquum poſtulabat ille ſenex &c.*

ſcribes *Hercle quin*: magis ex Plauti formulâ. Et ſtatim:

*Quia nequiuit, quæ lege licuit, velle dixit fieri.*

Veteres *nequit*, quòd eſt idem alteri, ſed contractum numerorum cauſsâ quaſi *nequijt*. Et adhuc ſtatim:

*Habeon' rem factam?*

auſimne mutare? non profectò temerè, qui Plautiniſſimam locutionem agnoſco: ſed hîc tamen accommodatiorem opiner, *Habeon' rem pactam*? Ibidem mox vulgatur

*Vt iam nunc ſceleſtus eſſe ducit pro adoleſcentulo!*

In quo corrigunt *ſeſe*. benè quidem: at vide ne ſit ipſum tamen *eſſe* retinendum, ſimplici *ſe* inſerto. Prorſus autem legendum à me *Vt etiam nunc*: deinceps ita forſan, vt innui, *ſceleſtus ſe eſſe ducit pro adoleſcentulo*. Sic quidem Plautus etiam Captiuis. Scena reſt.

*Tuq; te pro libero eſſe ducas, pignus deſeras.*

affectatâ παρέλκει verbi *eſſe*: quod itidem abundat in Catulli verſu:

*Hic fuit multus, & ſe facit eſſe venuſtum.*

Nec aliter fortè in Tragico, cuius Hercules Oetæus. Ibi namque vulgò ſic:

*Adhuc ferebat eſſe te Alcidæ parem.*

Sed diuerſa eſt aliorum lectio, *fremebat*. melior illa quidem, non autem perſpicuè ſatis melior, niſi & alia ibidem alterius vocis melior vna reponatur. Habent enim libri quidam *imparem*; quod planè verius, ipſo ſenſu in contrarium mutato. Hoc namque dicit Hercules in Iunonem: Ad hoc tempus ſoli Herculi te imparem eſſe fremuiſti; nunc ecce impar duobus es reperta. Sequitur enim, *Victa es duobus*: mihi ſcilicet & meæ Deianiræ. quod non hîc, ſed ibi ſuo propriè loco olim latius explicandi erit locus. Ad finem ſcenæ:

*PA. Quin vocaſti hominem ad cœnam? EP. ne quid ad veniens perderem.*

oratio non plena, ſed quæ videatur explenda, ſubintellectâ negatione diſertâ, quæ omiſſa: Non vocaui, ne quid perderem adueniens ſtatim. Mihi tamen elegantius perſuaſi fore, ſolum hoc ſi per interrogationem efferatur: *ne quid adueniens perderem?* quod valet, Perderemne quid adueniens ſtatim? Nam nota particulæ *ne* traiectio talis: de qua Gulielmius & nos alibi.

Perderet autem Epignomus, ſi quid Paraſito daret: quò trahas quod quidam ex Vlpiano notant *Perdere & dare* æquiparari in iure Romano, cum aiat, filiofamilias cui libera peculii adminiſtratio conceſſa eſt, nō licere donare alteri, quia nō in hoc conceſſa ſit, vt perdat. Sed magis eò faciat alter noſtri locus Aululariâ, Sc. *Fidei.*

*Nimis hercle ego illum coruum ad me veniat velim,*
*Qui indicium fecit, vt ego illi aliquid boni*
*Dicam. nam quod edit, tam duim, quam perduim.*

Sequentis iam ſcenæ principium manifeſtè vitioſum:

*GE. Eſt ita vt occœpi narrare vobis, cum hic non affui.*

Quando enim narrare occœpit? an cum non adfuit? Ridicule. Sed benè, ſi tantum vitioſum, quod quidem non purgant, qui & ſilentii notam pro *Eſt* ſubſtituūt: defectum etiam eſt & mutilum. ipſumque adeò Scenæ principium totum abeſt. Malè enim profectò ſic Paraſitus ordiatur, etiamſi reſpiciat ad finem alterius ſcenę *Libros inſpexi.* Quin ille verſibus aliquot hic occœpit narrare conſilium de amicis conſultis: cui narrationi deinde ſubieciſſe videtur aliud neſcio quid pro ſermonis occaſione, paullo hinc alienius: atque id mox relinquens, & rediens ad prius inſtitutum, ſic de integro rurſus opportunè orditur:

*Sed ita vt occœpi narrare vobis.*

quæ formula ſolennis ibi, cum quid inſtitueris, atque ab eo digreſſus aut etiam auocatus, idem repetas poſtea, narrationi continuandæ. Trinumo Sc. *Huic ego.*

*SY. Ita vt occœpi, ſi animum aduortas dicam.*

Ea verò aliquoties apud noſtrum corrupta, nec alibi ſemel à nobis emendata. Nunc locus è Rudente ſubit, huc dilatus. Sc. *Satis edepol.*

*TR. Vt id occœpi dicere, ſenex, iam te quæſo ciſtulam*
*Vt iubeas hunc reddere illis.*

Repone, mea fide, *TR. Ita vt occœpi dicere.* quod ipſum eadem ſcena ſuperius etiam verſu 21.

*Ita vt occœpi dicere, illum quem dudum &c.*

Et exempla pluſcula alibi dedi. *Sed,* quod reſtitui, nititur auctoritate antiquitus excuſorum. Reliqua hinc ſeparata, ex iiſdem veteribus forte ſic ſcribenda:

*——— cum hinc modò abſui,*
*Cum amicis deliberaui iam & cum cognatis meis:*
*Ii mihi auctores fuere, vt egomet meâ hodie iugulem fame.*

Quæ tamen omnia, vt ſcripta vulgò ſunt, vulgo relinquo. Venuſta autem porrò formula reſponſionis, qua de valetudine interrogati peregrè redeuntes vtuntur:

*GE. Valuiſtine bene? PA. ſuſtentaui ſedulò.*

quam frequentat Poëta multis locis, & hac fabula dedit etiam fratri Epignomo, pariter ad Gelaſimum; ſupra Sc. *Libros*

*Vales-*

*Valuiſtiu' vſq;? EP. ſuſtentatum eſt ſedulò.*

Deinde puerilis eſt in hac ſcena Lambini interpretatio ſuper iſto verſu:

*GE. Quin tu ſtas, obſtru'ſero aliquid ſtrenuè.*

Ariolatur de cubiti oppoſitione: quam refellere non opus eſt, ipſum exagitare non lubet. Fefellit hominem ἀ[illegible], verbum *ſtas*: quod participium eſt omiſſo *n*, pro *ſtans*, antiqua conſuetudine. Tum nec *obſtrudere* cognouit paraſiticum verbum, auidam notans vorationem ipſamque adeo tuburcinationem. Cum negaret Epignomus accubationi locum ſupereſſe, Gelaſimus eo nequaquam abſterritus, & honorem ſedendi parum curans, dum fructum conſequatur edendi, ſe vel ſtantem ait aliquid obſtruſurum. Interpunctum igitur leuiter huc ita dirigatur:

*GE. Quin tu ſtas obſtru, ero aliquid ſtrenuè.*

Mox ibidem:

*Quid agis Pamphilippe? PA. ad cœnam hercle aliò promiſi foras,*

Dixi iam ante crebras eſſe in verbis *agis* & *ais* permutationes: quorum alterum hîc quoque reſtituendum. Nam *Quid ais?* ex perpetua formula eſt compellandi initium, cum quid aliud porrò ſubiungere volunt. Atque hîc paraſitus a cœnatica ſpe apud Epignomum abſolutus, ad Pamphilippum conuertit ſuos palpos; qui præſentiens æquè deludit hominem, cum quidem hoc vterque agerent de compecto. Forſan & inferius hac ſcenâ mendum idem, ſic quoque corrigendum:

*EP. Quid ais, Gelaſime? GE. oratores tu accipis: habeas tibi.*

A quo verſu ſtatim alii ſic ex mea opinione ſcribendi:

*EP. Tua pol refert enim. GE. ſi quidem mea refert, opera vtere.*
*EP. Poſſe edepol tibi opinor etiam vni locum eſſe: conſpicor,*
*Vbi accubes.*

Alii aliter flectunt: nemo, vt tam congrua exeat & ſententia & ſtructura. Opinatur Epignomus primùm poſſe adhuc locum vni eſſe: dein planè ſe conſpicari ait, vbi accubet: minimè tamen hoc ſeriò, ſed magis ludificandi hominis eſurioſi. quod mox patefit:

*PA. Exorabo aliquo modo. EP. veni. GE. huccine? EP. imo in carcerem.*

Vbi turpiter ego fallor, aut perſonæ fallunt. Neque enim aptè Pamphilippus aut fratrem ſe exoraturum dicit, quem hic orat quidem; neque conuiuas, quos non erat ipſe accepturus. Sed Epignomus conuiuator ab hoſpitibus ſuis aliquo modo ſe pollicetur impetraturum, vt arctius cubare velint, Gelaſimo recepto: ac ſimul eum venire vnà iubet. Sub illius igitur vnicam perſonam verba redigantur ita:

*EP. Exorabo aliquo modo: veni.*

Cui & mox adiudicandam fratris orationem cenſeo, iſtam poſtò:

*PA. Non ergo is tu apud me, ſatis ſpectata eſt mihi iam tua felicitas.*
*Dum paraſitus mihi atq; fratri fuiſti, rem confregimus.*

Neque hic fallor: & ſupinam omnium negligentiam accuſare habeo, qui non attenderint, Pamphilippum iam abiiſſe, & ſolum reſtare cum paraſito Epignomum. Abibat enim ille cum iſtis ſupra verbis:

*PA. Deos ſalutabo modo, poſteà ad te continuò tranſeo.*

Vnde per ſe liquet, alterius perſonam hic præſcribendam. Neque id ſatis tamen ipſi loco, qui ſententiâ & verbis etiam laborat. Nam quid eſt, *Non ergo is tu apud me?* Ire apud aliquem, ſolœcum: niſi *ad* putes mutandum: aut *es*, pro edis. Quorum neutrum mihi probatur; ac ne Lambiniana quidem interpunctio, *Non ergo is tu? apud me ſatis ſp.* qua ferri tamen videbatur poſſe. Sed malo certè, nec ſine cauſſa, reponi ad hoc exemplum:

*EP. Noui ego iſta apud me: ſatis ſp. eſt i. m. t. f.*

Cauſſa autem eſt, quia reſpicitur ad præcedentem paraſiti de ſe prædicationem:

*Qui cum vis depugno multo facilius, quàm cum fame.*

Id ſcilicet verum eſſe reſpondet Epignomus: & ſe expertum domi ſuæ, quàm ſtrenuus ille ſit pugnator. quamquam interpunctio admitti & altera poteſt, nullam pæne mutationem huic ſententiæ inferens:

*EP. Noui ego iſta: apud me ſatis ſp.*

atque etiam tertia non omnino queat repudiari:

*EP. Noui ego: iſta apud me ſatis ſp. e. m. i. t. f.*

Omnes in hunc eundem ſenſum conſpirant. Malè denique ad finem illa ſcribuntur, diſtinguuntur:

*GE. Iamne abiſti, Gelaſime? vide quid es capturus conſilij.*
*Egone? tune? &c.*

In quibus non *abiſti* pro obiiſti poſitum aſſentiar viro docto: ſed mutandam interpunctionem, vt Gelaſimus ad ſe reliqua quidem, non autem priores binas dictiones: quibus hic non tamen Pamphilippum, quem iam antè diſceſſiſſe modò nos oſtendimus, ſed Epignomum hactenus reſtitantem, nunc quoque ipſum abeuntem proſequi exiſtimandus eſt. Atque hoc tibi non Lugduno aut aliunde, ſed Delphis reſponſum dicito, Lector: qui ſi oraculum accipis; & hæc & reliqua, in quibus alii fruſtra neſcio quid variant, ita tibi reſcribe:

*GE. Iamne abiſti? Gelaſime, vide, quid es capturus conſilij.*
*Egone? tune? mihine? tibine? vides, vt annona eſt grauis.*

Vides

*Vides benignitates hominum vt periere & prothymia:*
*Vides ridiculos nihili fieri atq; ipſos paraſitarier.*

Neque enim interrogationes hic probarim: & abominor abolitionem verbi *vides* medio loco, in cuius iteratione perpetuâ conſiſtit vis & elegantia ferè potiſſima. cui ſuſtentandę particulam *ut* ibidem nunc ſuffultam vides.

## CAPVT VIII.

*Nimiò liquidò. Facetia. Satis eſſe alicui. Polluctum, pollucture. Verſus aliquot in numeris, plurimi interpunctis correcti. Verba quędam tranſpoſita, quadam inſerta. Somnia multorum diſcuſſa. Contra Lambinum & alios plura emendata, interpretata. Perſonę loci totius ordinata. Verſus vnus traiectus, alter eiectus. Spectatores à Grege hiſtrionio ſub finem fabulę huius ad cœnam ipſorum feſtiuè remiſſi: alibi ad ſuam vltrò riditulè vocati. Quę reliqua in Stichum erant, diligenter emaculata, & ſi fas ita dicere, extenebrata.*

POſtremus fabulæ huius Actus nunc ſpectandus: cuius primâ ſcenulâ verſum acceſſione leui augemus, vt numerus conſtet:

*Qui hercle illa cauſſa nihilo citius aduenit.*

Alterâ ſtatim:

*Sed amica mea & conſerua quid agat Stephanium*
*Cura eſt, vt valeat.*

voculas tranſponimus, vt concinnior oratio ſit,

——— *quid agat Stephanium.*
*Vt valeat, cura eſt.*

Cura & ſollicitudo ſeruulo eſt, ſua quid agat & quomodo valeat amica. A quo loco longiuſculè:

——— *nam apud nos eſt conuiuium,*
*Ibi noſter cœnat cum vxore adeo & Antipho.*
*Ibidem herus eſt noſter.*

Corrigo primum, *Ibi voſter cœnat*, Nam quid dicat de ſuo hero? quem quidem neceſſe eſt apud ſe cœnaſſe, ſi conuiuiũ apud ipſum erat. Erat autem ipſum Epignomum nempe: cuius iſte ſeruus Stichus. Tamen ecce idem iterum hîc de eodem dicit: *Ibidem herus eſt noſter*, putidiſſimè. Corrigo id quoque, *Ibidem herus et noſter.* Apud Epignomum herum ipſius erant in conuiuio Sagarini herus Pamphilippus cum vxore & ſene ſocero Antiphone. Contra liber locus erat datus ſeruis apud Pamphilippum: vbi interea vicem heri Sagarinum ſibi, & æquè dominum conuiuii fore Stichus ludibundus ait. Mira verò ſomnia multorum de proximo loco:

——— *hoc mihi dono datum eſt:*
*SA. Quis ſomniauit aurum? ST. quid id ad te attinet?*

Quidam *obſonauit*, alii aliud ſubſtituunt: ſunt qui retinent *ſomniauit*, & interpretantur, furatus eſt: quod rurſum alii non accipientes, in iſtum tamen ipſum ſenſum reponunt *ſummanauit*. Mihi quid in tanta diuerſitate videatur, aperiam. Id eſt verò ſimpliciſſimum. Non de obſonio vel auro puto quærere Sagarinum: ſed tantum, vnde id donum habeat Stichus, quod ſibi iactabat datum. atque id his omnino verbis: *SA. Quis id donauit autem?* quod ille tum nihil ad eum reſpondet attinere. Scilicet ſatis illi eſſe, à quocunque datum ſit, vna frui: à quonam, ſcire ſimul, aut neſcire, id verò non intereſſe. Verſu ibidem penultimo:

*SA. Sequor, & domum redeundi principium placet.*

Emendo *redeunti*. Iam enim redibat, imò redierat: non redire incipiebat. Aduenienti principium placet, quia tam bonum auſpicium fecerat Stichus: id quod ſtatim vltimo verſu declaratur:

*Bona ſcaua ſtrenaq; obuiam hic occeſſit mihi.*

Tertiam porrò tranſilio; in quartâ ſententia iſtius non ſatis concinna;

*Sat eſt ſeruo homini, modeſtè melius facere ſumtum, quàm ampliter.*

diſtinctione debet hæc expoliri;

*Sat eſt. Seruo homini modeſtè melius f. ſ. q. a.*

Gnomen poſteriora verba ſola continent: priora decernunt ſatis eſſe ſibi id quod habeant; nimirum nuculas, fabulas, ficulas cruſtulum oleæ interruptum, lupilli comminutum. Sed neq; ſequentia ſatis commodulè interpunguntur:

*Suum quemque decet. Quibus diuitiæ domi ſunt, ſcaphis & cantharis,*
*Batiolis bibunt, nos noſtro Samiolo poterio*
*Tamen viuimus, nos tamen efficimus pro opibus noſtra mœnia.*

Siſtenda oratio in iſtis, *nos noſtro Samiolo poterio*, ſententiaque puncto finienda: cui ἀπὸ κοινοῦ aſſumitur præcedens verbum, & ſubintelligitur, *bibimus*. Nouam reliqua iam ordiuntur & abſoluunt, ſic diſtincta:

*Tamen viuimus nos, tamen efficimus pro op. n. mœnia.*

A verſus vnius interuallo quod legitur:

*Atq; adeo vt tu ſcire poſſis, factum ego hoc tecum diuido.*

forte etiam ipſum aliter diſtinguendum. Certè enim melius iſta cohæſerint:

*Atq; adeo vt tu ſcire poſſis factum.*

Quamquam dubitare licet, an non verba ipſa mutanda, *faciam ego hoc tecum diuiduum*, numeris iiſdem manētibus iuxtà cum ſenſu. Sed potius eſt, ſaltem aliter interpungi. Mox Lambinus ad illum locum malè:

*SA. Quid iſtuc eſt prouincia? ST. vtrum Fontinali, an Libero*
*Imperium te inhibere mauis? SA. nimio liquido libero.*

Liqui-

*Liquido* enim interpretatur, defecato: nec apparet *Libero* cepiſſe de vino: quæ vox grandiuſculâ literâ primâ ſic fuit ſcribenda. Sed *liquido* aduerbium eſt, non nomen. Nimiò liquidò mauolo, id eſt, nimis liquidum & clarum eſt me malle Baccho præſidere quam Fontinali. Ex illo verſu,

*Vide quot cyathos hos bibimus. ST. tot quot digiti ſunt tibi in manu.*

numeri excludunt *hos*. De ſubſequenti cantione Græca præter Euſtathium & Athenæum, quos conſulere ab aliis in explicationem iuſſus es, adi & Plutarchum Sympoſiac. lib. 3. & vide iſtam ipſam ibi quæſtionem nonam. Ei proximus verſus:

*Tibi propino decuma fonte, tibi tute inde ſi ſapis.*

variè ab omnibus iactatus vix conſtituetur melius, quàm in hunc noſtrum modum, ſimul ſcilicet Sagarino adſcribendus:

*Tibi propino d eccum: à fonte tibi tute inde ſi ſapis.*

Sagarinus Liberi curator de Libero propinat Sticho; quem Fontinali præſidentem indere & ſumere ſibi iubet a fonte. Quod diuiſum imperium in conſequentibus malè confundetur, niſi pluſculos verſus perſonis ita variabis, vt monſtrabo:

*SA. Tibi propino d eccum: à fonte tibi tute inde ſi ſapis.*
*Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene noſtrum etiam Stephanium.*
*ST. Bibe, ſi bibis. SA. non mora erit apud me. ST. edepol conuiuiꝗ ſat eſt,*
*Modò noſtra huc amica accedat: id abeſt, aliud nihil abeſt.*
*Lepidè hoc actum eſt: tibi propino cantharum, vinum tu habes.*
*SA. Nimis vellem aliquid pulpamenti. ST. ſi horum quæ aſſunt pœnitet,*
*Nihil eſt: tene aquam. SA. melius dicis, nihil moror cuppedia.*
*Bibe tibicen, age ſi quid agis.*

In qua Sagarini adhortatione porrò illud:

*Age, ſi quid agis. accipe inquam, non hoc impendet publicum.*

perperam explicatur de penſitando vectigali: quaſi dicat ſeruus, hoc poculum non pendit publicum. Corrige, *nō impedit hoc publicum.* In publico conuiuium agitatur: in propatulo bibere tibicen iubetur: eoque ipſo nihil debere dicitur impediri. non enim eſſe ipſius, vt id reuereatur, nam in eandem quoque mentem, quod ſubiicitur, accipiendum:

*Haud tuum iſtuc eſt vereri te.*

Deinceps à vera ſcriptura leuiter aberrat optima editio, ex aliis ſic dirigenda:

*——ST. hem tibi. hoc primum omnium,*
*Hæc facetia eſt, amare inter ſeruales duos.*

Vbi *primum* eſt præcipuum, primarium: *facetia*, res faceta: vt ſuperius: *——ST. feciſti here facetias,*

*Cum hæc donauiſti dono tuum ſeruum Stichum.*

Atque ibidem etiam amplius peccatur, ſed in libris, quos viderim, omnibus:

*Vnam amicam amamus ambo: mecum vbi eſt, tecum eſt tamen:*
*Tecum autem vbi eſt, mecum autem ibi eſt: neuter alteri inuidet.*

Neque concinnitatem ſermonis ille omni ex parte ſatis iuuat, qui conatur: *Tecum autem mihi eſt, mecum autem tibi eſt.* Hæc germana Plauti venuſtas, ſibi vndique æqualis:

*——mecum vbi eſt, tecum ibi eſt tamen:*
*Tecum autem vbi eſt, mecum tamen ibi eſt.*

Sub finem:

*Foras egredere, ſatis mihi pulchra es. ST. at enim pulcherrima.*

Iteratò particula *mihi* inſerenda:

*——ST. at enim mihi pulcherrima.*

Certant laudibus amicæ riuales. Iam Quinta ſcena, vt diſponuat vulgo, rectius annexas ſibi complectatur vltimas binas, vt ex tribus vna conſletur, ſine ratione quidem diſcerpta in plures. Eâ igitur, tamquam ſi vna ſit, hæc pauca notamus. Medium iſtorum verſum:

*Age mulſa mea ſuauitudo, ſalta, ſaltabo ego ſimul.*
*ST. Nunquam edepol me iſtoc vinces, quin ego ibidem pruriam.*
*STE. Siquidem mihi ſaltandum eſt, tum vos date bibat tibicini.*

ſuſpicor hinc ad finem propius reiiciendum, & vbi iam ſaltant, ibi collocandum iſto ordine:

*SA. Qui Ionicus aut cinædicuſt, qui hoc tale facere poſſiet?*
*ST. Nunquam edepol me iſtoc vinces, quin ego ibidem pruriam.*
*SA. Si iſtoc me verſu viceris, alio me prouocato.*

Quod fortè probabit, qui certamen nunc demum ſaltantium cogitabit. Etſi non nego conuenire nonnihil etiam vulgato ſuo loco. Contrà autem prorſus eiiciendus videtur ille inferior:

*Quid igitur? quamquam grauatu's, non nocuit tamen.*

qui repetitus ex ſcena Actus huius quarta:

*Quid igitur? quamquam grauatus fuiſti, non nocuit tamen.*

Ibi tibicen bibere grauabatur: non hic adeo: quod & per ſe liquet, cum ne verbo quidem vrgeatur, & apertè dictum paulò antè:

*SA. Tene tu hoc educe. dudum placuit potio*
*Nunc minus grauatè iam accipit. tene tu. interim*
*Meus oculus da mihi ſauium, dum illic bibit.*

Quod & obiter ita præeo diſtinguendum. Ad finem iſta ſunt valde turbata:

*SA. Nunc pariter ambo omnes voco cinædos contra.*
*Satis eſſe nobis non magis potis eſt quam fungo imber.*

turbaturque valdius à correctoribus, Lambino, & quod pace doctorum

ctorum liceat, ipſo Turnebo: qui tamen aliquid etiam ibidem bene. Sed quod *ſtaticulis ſtare* intruditur, id nullo modo ferri poteſt: cui etiam pugnat illud boni, quod attulerunt, *quàm fungus imbri.* Cur *Satis eſſe* damnarint? phraſin elegantem, & à ſenſu requiſitam. Satis alicui eſſe, eſt parem eſſe, & propriè in certamine. Sic Perſæ initio.

*TO. Quid ergo faciam? Diiſne aduorſer? quaſi Titani, cum Diis*
*belligerem,*
*Quibus ſat eſſe non queam?*

Quod quidem & Chariſius ſic exponit. Hîc autem cum omnes cinædos prouocaſſet ſeruus contra ſe, neminem eorum ſatis ſibi futurum eſſe ait: non magis, quàm & fungus reſiſtere imbri poteſt. Tam facile victurum ſe omnes innuens, quàm facilè imber fungum ſolet proſternere. Itaque ſine controuerſia locus a me ſic rectiſſimè emendatur:

*SA. Nunc pariter ambo. nunc omnes voco cinædos contrà:*
*Satis eſſe nobis nemo magis potis eſt, quàm fungus imbri.*
*ST. Intro hinc abeamus nunc iam. ſaltatum ſatis pro vino eſt.*

& poſtremum hoc ſic diſtinguitur etiam fortè melius ex antiquis. In ipſo fine:

*Vos ſpectatores plaudite, atq; ite ad nos comeſſatum.*

dubiè memini ab alio monitum, *ad vos* legi oportere. quod ſi monitum antè, non debuit ſperni. Certiſſima & facetiſſima correctio eſt, ſiue alterius, ſiue mea. Ioco quippe fabula clauditur, ita quidem eleganti, vt inſigniore quaſi gemma non potuerit ſignari. Plaudere ſpectatores finito ludo iubet Stichus, & comeſſatum ire, non tamen in hoc ſuum conuiuium, ſed ad ſemetipſos quemq; & in proprias domos: quod inexſpectatum dictum omnes in alacrem plauſum excitaſſe certum eſt: quo languido vix dignati fuerint iſtud languidum *ad nos.* quo, ſi Diis placet, totum theatrum ſeriò inuitatur in apparatum vix ſerpulis duobus & ancillulæ vni ſufficientem. Ineptè & inficetè: ne quid amplius dicam. Etſi non me fugit interim, ſolere ſpectatores vocari interdum, ſed per iocum & obliquè, numquam ſeriò & nuncupatim: tum verò ſemper eludi vocationem illam reiectione in aliud tempus. Sic Pſeudolo:

*PS. I hac. BA. te ſequor. quin vocas ſpectatores ſimul? PS. hercle me iſti*
*Haud ſolent vocare: neq; ergo ego iſtos. verùm ſi voltis applaudere,*
*Atq; approbare hunc gregem & fabulã, in craſtinum vos vocabo.*

Sic Rudente:

*DÆ. Sequimini intrò. Spectatores vos quoq; ad cœnam vocem,*
*Ni daturus nihil ſim, neq; ſit quidquam pollucti domi,*
*Niue adeo vocatos credam vos eſſe ad cœnam foras.*
*Verùm ſi voletis plauſum fabulæ huic clarum dare,*

*Comeſſatum omnes venitote ad me ad annos ſedecim.*

Vbi præterea notabis ſic *polluctum* vſurpari, quomodo hac fabula ſuperius *pollucturа*. SC. *Agite:*

*——nam hinc quidem*

*Hodie polluctura præter nos iam dabitur nemini.*

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI TRINVMVM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

AD

Nobiliſſimum & Clariſſimum Virum

DANIELEM BVCRETIVM Philoſophum, & Medicum Vratiſlauienſem.

*E Plautinis meis, CL. Bucreti, inter amicos variè diſtributis, ſic tamen, vt indonatos prætermittere multos neceſſum habuerim, atq; inter eos potiſſimùm Cornelium Martinum noſtrum, & meum Laurentium Wolffium, ſodales enim meos diuerſis in locis vitæ ſtudiorumq; ſuauiſſimos, quos in hoc velut Albo præter alios iuſtâ nuncupatione non comparere fero ipſe ægriùs, quàm quiuis reliquorum (nam hos quidem pro amore & candore ſuo non offenſum iri ſpero) neglectum ſui laturus eſt: ſed ex Plautinis illis meis, vtcunq; pro ratione temporis huius & conſilii mei neceſſitate diſtributis, cùm aliquid omninò tibi amicorum intimo, ſodalium præcipuo, minimè prorſus inſuper habendo, debere me intelligerem; vix aliud debere mihi potius viſus ſui, nihil certè repræſentare malui, quàm eam partem, quæ commentatiunculas ſuper Trinumo noſtras continet, ob memoriam primæ arctioris noſtræ coniunctionis & perpetui deinceps contubernii, cuius auſpicium ab eius ipſius Comœdiæ communi lectione mutuaq; conſideratione feciſſe nos (id quod ad ipſam fabulam à me commemoratur etiam opportuno ſuo*

*loco.) tu quoque meminiſti. Quam adeò ob cauſſam nec gratiorem partem earum vllam à me potuiſſe adſignari tibi, nec ſi optio data eſſet, aliam potius electurum te fuiſſe exiſtimo: qui quidem nihil & ipſe iucundius habeas illius noſtri temporis & auſpicatiſſimæ conſuetudinis recordatione, tum inter omnia Plauti Dramata nullum ferè magis ames hoc iſto, quod ideò princeps eſſe tum volebas inchoandorum communium ſtudiorum & contubernij noſtri: vt hoc, & illa iſto velut auſpice inaugurarentur & teſte confirmarentur, ipſiq; noſtri animi per ipſum Plauti Genium in amorem ac mutuam rerum omnium ſocietatem congermaneſcerent, atq; intima iſta familiaritas illicio literarum huiuſmodi primùm conciliata, viſcò eodem mox arctius cohæreſceret, ac perpetuo porrò glutine conſolidaretur. Et felix omnino certumq; fuit auſpicium illud, cuius fidem anni iam plures in arctiſſima ſodalitate, neque tantùm vitæ & ſtudiorum, ſed & conſiliorum & facultatum ipſarum, ad hoc iocorum, ſeriorum; triſtium, lætorum; incommodorum, emolumentorum; denique & honorum communione per Italiam & Germaniam protelo in hunc vſque diem continuati comprobarunt. Sed idem auſpicium mihi fuit, quod vnà libens recordor, etiam huius in Plautum rectioris ſtudij mei, quem ante id tempus quaſi tranſiens & vulgi more ſupiniùs, oculo etiam animi vltrò cæcutiente, nec in omnia vel inquirente vel penetrante legeram, tuo autem exemplo tum accuratius expendere, ſuiſque momentis eius & verba & ſenſa librare, iocos obſeruare, locutionum genera notare, compoſitionem ſuſpectare, modis omnibus omnia rimari incipiebam. quo quidem fiebat, quod hîc quoque pariter ibidem commeminiſſe & commemorare iuuat, vt idem auſpicium eſſet etiam ipſius meæ Criticæ, quam, ex illa intentiore contemplatione oborto mihi lucis aliquo radio liquidioris, ordiebar in mendoſis locis peruidendis, horumque ſimul emendationibus pauculis eruendis. à quo tenui initio deinde porrò in hoc auctore, & ab hoc ad alios paullatim, ſemperque vlteriùs progreſſus, adeò rei difficultate non deterritus, vt & ſucceſſu quodam magis incitatus,*

*meus, vſuſque ſtudii amore penitus correptus, an corruptus, eò perueni diligentiâ, cuius tu mihi conſcius es, aſſiduâ, non illâ tam adiutâ ab ingenio noſtro, quàm ipsâ ingenium adiuuante, vt in varios ſcriptores multa paſſim obſeruata collegerim: quorum quantum me pœnitere debeat, aliorum iudicij & iam fuit, editis nonnullis ex hoc genere, quaſi in ſpecimen & exemplum, & porrò erit ex reliquis ſubſecuturis, & nunc autem eſſe maximè debet ex his ipſis Plautinis: cum interim me quidem ipſum, quod modeſte mihi apud te licuerit, induſtriæ meæ nuſquam dum planè piget. Sed tu inter ceteros, interque primos, de me meiſque videris: nunc tamen, vt dico, maximè de his Plautinis, & eorum de hac potiſſimum in Trinummum parte: quæ multis nominibus, & iis, quæ memoraui, & pluribus, quæ nec memorare potui voluiue, tibi mandanda præter omnes vnicè fuit, vniceq́; commendata præter omnes eſſe debet, & profectò eſt; niſi, quod abeſſe procul arbitror, animum in me tuum priſtinum mutaſti ex hac nupera noſtra diiunctione, qua nec offenſum te vel leuiculè ſperabo. Moueri quidem non ſanè debes: neque enim hoc diſcidium eſt: & ſcis abitus mei cauſſas omnes ita graues & velut ſonticas, vt neceſſitatem earum neque potuerim declinare. Patere igitur, & fer animo non tantùm æquo, ſed indulgenti quoque, pauliſper ita nos diuulſos: vt tanto fortaſſe lætior ſit inſtaurata redintegrataque conſuetudo vetus, quam ego ſpero & volo interruptam eſſe paululum ſolummodo, non abruptam. Habe verò, & habe libens, vt habebis, hunc libellum monumentum primæ noſtræ coniunctionis à Plautina hac fabula non infeliciter inaugurata. Solius inquàm huius iſtud accipe nunc monumentum. Nam contubernii deinceps in hunc diem perpetui aliud erit, ſi viuam: itemque aliud, ſi potero, meritorum per iſtud omne tempus in me tuorum: quæ multa & magna prædicandi non hic eſt, & nec attingendi quidem locus. Ego, mi Bucreti, gratum probare me ſtudebo tibi: ſin hunc minus, certè memorem probabo, neque per me ſcindetur vnquam ſanctiſſimi amoris noſtri vinculum aut laxabitur, officiis poti-*

Digitized by Google

*omnibus, ſi poteſt, arctius nectetur. quo tua pro parte tu quoq; curabis: & communem mecum addes operam, vt quando hactenus exemplum veræ Amicitiæ, multis admirantibus, cunctis collaudantibus, viſi ſumus, ab eo neuter in poſterum, quacunq; cauſsâ, vtrius tandem culpâ, demutemus: ſed idem ſimus ac videamur in perpetuum, dataq; ſemel fidei conſtantiâ, nobis, noſtriſq; conciliatricibus, Eruditionis & Virtutis altricibus literis dignâ, propter & rem honeſtiſſimam & famam pulcherrimam, ad extremum vitæ perſeueremus.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI TRINVMVM

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

### CAPVT I.

*Notum malum, optimum. Vt bene viuitur, diu viuitur. Vt diu viuitur, bene viuitur. Diſputatum accuratius de loci prolixioris initio Trinumi lectione, ſed magis diſtinctione in perſonas: quæ aliter ex ordine rei in ordinem digeſta. In verbis tamen etiam quædam immutata.*

INter primas auctoris fabulas TRINVMVS eſt: quam ridiculâ cauſsâ ſic indigetatam iure hercle ſtomachatur vir ſummus, qui THESAVRVM potius ex argumento, & Philemonis exemplo, contendit appellandam fuiſſe. Sed ingenium & poetæ ita fuit, vt ioculare nomen ex ſuo perpetuo iocandi more & ſtudio præfecret; & ſeculi illius, vt leuibus & ridicularis, quàm ſeriis quibuſq; magis afficeretur. Huius igitur non tribus numis, ſed theſauro ipſo contra caræ fabulæ menda quæ ſuperſunt ab aliorum cenſuris, pleraque eluemus ordine inſtituto: & hinc ordimur ab initio ſecundæ ſcenæ, vbi lepidiſſima ſenum duorum contentio perſonarum diſtinctione videtur laborare. Nam ſic vbique vulgatur:

*CA. O amice ſalue atq; æqualis mihi, vt vales*
*Megaronides? ME. & tu edepol ſalue Callicles.*
*CA. Valen', valuiſtin'? ME. valeo, & valui rectius.*
*CA. Quid agit tua vxor? vt vales? ME. plus quam ego volo.*
*CA. Bene hercle eſt illam tibi bene valere & viuere.*
*ME. Credo hercle te gaudere, ſi quid mihi mali eſt.*

*C A. Omnibus amicis quod mihi eſt cupio eſſe idem.*
*ME. Ehò, tua vxor quid agit? C A. immortalis eſt.*
*Viuit, victuraq; eſt. ME. bene hercle nuntias,*
*Deoſq; oro, vt vitæ tuæ ſuperſtes ſuppetat.*
*C A. Dum quidem hercle tecum nupta ſit, ſanè velim.*
*ME. Vin commutemus, tuam ego ducam & tu meam?*
*Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.*
*Numquam tu credo mihi imprudenti obrepſeris.*
*Ne tu hercle faxo haud ſcies quam rem egeris.*
*C A. Habeas vt nactus. nota mala res, optuma eſt.*
*Nam ego nunc ſi ignotam capiam, quid agam neſciam.*
*ME. Edepol proinde vt bene viuitur, diu viuitur.*
*Sed hoc animum aduorte &c.*

Neque tamen, aliquid hîc eſſe confuſionis, aliunde patet, niſi ex poſtremis. Etenim ſuperiora omnia ſic poterant ferri, ſatis inter ſe congruentia. Sed nimirum quando vltima mutationem requirunt, ea pertingit etiam ad media & prima. Cohærent autem & perſonæ vnius omnia eſſe debent extrema inde vſque ab his verbis, *Habeas vt nactus.* quod patebit ex iſta noſtra reſtitutione, qua rurſum omnia reſcribimus in ſuas perſonas ordine diſtributa, tum eius adiungendâ breui confirmatione.

Sic igitur repono:

*C A. O amice ſalue atq; æqualis mihi: vt vales*
*Megaronides? ME. & tu edepol ſalue Callicles.*
*Valen'? valuiſtin'? C A. valeo & valui rectius.*
*ME. Quid agit tua vxor? vt valet? C A. plus quam ego volo.*
*ME. Bene hercle eſt, illam tibi bene valere & viuere.*
*C A. Credo hercle te gaudere, ſi quid mihi mali eſt.*
*ME. Omnibus amicis, quod mihi eſt, cupio eſſe idem.*
*C A. Ehò, tua vxor quid agit? ME. immortalis eſt.*
*Viuit, victuraq; eſt. C A. bene hercle nuntias,*
*Deoſq; oro, vt vitæ tuæ ſuperſtes ſuppetat.*
*ME. Dum quidem hercle tecum nupta ſit, ſanè velim.*
*C A. Vin commutemus? tuam ego ducam, & tu meam?*
*Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.*
*ME. Neq; enim tu credo (ſ. crede) mihi imprudenti obrepſeris.*
*C A. Ne tu hercle faxo haud ſcies quam rem egeris.*
*ME. Habeas, vt nactus: nota mala res, optuma eſt.*
*Nam ego nunc ſi ignotam capiam, quid agam, neſciam.*
*Edepol. Proinde vt diu viuitur, bene viuitur.*
*Sed hoc animum aduorte, atq; aufer ridicularia.*

Commutationem vxorum à Callicle oblatam reſpuit Megaronides, additâ cauſsâ, quia *Nota mala res, optima*: ex vulgari prouerbione magis, an veriuerbio? Cuius ſententiam porrò perſequitur breuiter quadam velut ἐξηγήσει. Diſcrimen enim ait aucep. eſſe in

re veteri & notâ, quantumuis malâ, cum ignotâ & nouâ permutandâ: neque ſe ſciturum profectò quid agat, ſi nunc alienam capiat, cuius mores non ſit doctus: proinde ſuam ſe retenturum. & claudit inſigni gnomâ, quæ in eiuſdem dicti prioris ſenſum conſentit: ita bene viui, vt diu viuatur: id eſt, optimam vitam eſſe eam, cui aſſueueris: optimè viui, quomodo diu vixeris. Quam tamen gnomen in contrarium planè detortam legis in omnibus libris, *Vt bene viuitur, diu viuitur.* Sed peſſime. quam peius etiam explicat Interpres: *Non viuit, qui miserè viuit: nedum diu viuat.* Enimuerò ſi ſit ea lectio vera, verior hæc interpretatio, & philoſophica quidem protſus. Etenim Sapientiæ ſcitum eſt, longiſſimam etiam vitam, ſi malè agatur, breuem eſſe: contra breuiſſimam etiam, ſi benè, ſatis longam. quod vnus Seneca multis locis egregiè diſputat, illuſtrans pluribus aliis hoc genus ſententiis. quibus non modò elegantius, ſed & ſanctius dici nihil poteſt. Et profectò quàm optimè, tam diutiſſimè viuimus: quando non refert, quàm diu viuamus, ſed quam bene. Verùm grauis iſta & velut in cothurnis ambulans Sententia nihil ad Soccum: minus etiam ad hunc locum. Eſt enim alieniſſima à mente Megaronidis & ipſa re: vbi non de longitudine vitæ aut breuitate agitur, ſed commoditate. Commodiſſimè autem viui affirmatur, vt dixi, diuturnæ & inueteratæ conſuetudinis, id eſt, aſſuetâ, & cum ſuetis, ratione: in qua vel non optimâ, tamen periculoſiſſimum ſit aliquid mutari: quippe cum metuendum ſemper, ne eueniat in peius. atque ideirco habendas vxores vtriſque decernitur, vt eas ſint nacti. Tranſpoſitione leui ſumus hoc conſecuti: qua minore tamen aſſequi poſſis etiam idem, ſi ſcilicet verba ſcribas,

*Proinde bene viuitur, vt diu viuitur.*

Sed alteram illam malui, quia ſic numeri ſimul niteſcere viderentur magis. Et tamen parum, aut etiam nihil intereſt, vtrum alteri præoptes. Ceterùm & alia ſunt quædam leuiora, quæ ſimul ibidem mutauimus. Namque non ſolum *Neq; enim* reſcripſimus pro *Numquam*, idque de certâ & iuſtâ veterum librorum auctoritate: ſed perſonis etiã porrò variauimus eos ſuperiores tres verſiculos,

*Faxo haud tantillum dederis verborum mihi,*
*Numquam tu credo mihi imprudenti obrepſeris,*
*Na tu hercle faxo haud ſcies, quam rem egeris.*

qui continenter vni vulgò aſſcripti, nulla cũ elegantia, imò cum tædio iteratæ ter eiuſdem ſententiæ ab eodem. Quis autem non videt, alternatim quàm venuſtè proferantur, certantibus inuicem ſenibus, vter magis alterum ſit in permutando decepturus. Etſi non negarim, duos eorum poſteriores etiam non inuenuſtè coniungi. quod ſi cui placebit, erit ſcilicet vulgata perſonarum diſtinctio in prioribus reliquis omninò relinquenda, & hinc mutatio demum ordienda:

*ME. Vin' commutemus? tuam ego ducam & tu meam?*
*Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.*
*CA. Neq; enim tu, credo, mihi imprudenti obrepſeris.*
*Ne tu hercle faxo haud ſcies quam rem egeris.*
*ME. Habeas vt nactus &c.*

Quod magis noto, ne quis me non ſatis omnia diligenter cogitaſſe putet, quam quod ipſe putem multum adeò referre. In his dixi ab initio nulla magna ratio, paruumque momentum: in poſtremis momentum magnum, ratio maxima, & vim planè habens neceſſitatis. Omnino enim Megaronidis vltima ſunt: quò præcipuè reſpeximus hac diſputatione, & id euiciſſe nos ſperamus. De reliquis arbitrio ſuo quemque ſino ſtare.

## CAPVT II.

*Ægrotant artes, mores, fama. Quoniam. Aduerſum quod: præter quod: præ quod. Quidquid, pro quidq;. Similia Plauti loca. Eiuſdem oſcitantia notata in contrariis iiſdem perſonæ tribuendis. Perſonarum aberratio non ſemel & hic in viam reducta. Non pauci verſus fracti ſarciuntur, conſtituuntur: plurimi paſſim rectius interpunguntur ad verum ſenſum. Sententia contra Lambinum aliquoties, & ſæpe vltrò declarata. Multa loca contra alios, plura nouiter emendata. traductio mihi verſus vnius vſurpata.*

INchoatam verò ſcenam inſigniore correctione, porrò ad finem purgemus aliis notæ inferioris quidem, at pleriſque nihilominus bonæ. Poſt illum locum ſtatim a perſona iterum verbula bina videntur aberrare:

*ME. Malo te vt verbis multis multum obiurgitem.*
*CA. Men'? ME. num quis eſt hic alius præter me atq; te?*
*CA. Nemo eſt, quid igitur? ME. rogitas? tene obiurgitem?*
*Niſi tute mihi me cenſes dicturum male.*

Nec eget verbis demonſtrare, ſic rectius eſſe:

*CA. Nemo eſt. ME. quid igitur rogitas, tene obiurgitem?*

Liquet a ſe. nam cum nemo adeſſet alius, & ad Calliclem alter dixiſſet, eum ſe obiurgaturum, iſque tamen interrogaſſet, an ſe? ille mirabundus rurſum quærit, quid ita rogitet, an ipſum ſit obiurgaturus? niſi ſemet ſibimet male dicturum putet. Captatus à Plauto iocus in pronuntiatione τ̃ *Menes*. quod Callicles non dubitantis affectu profert, ipſene, an alius ſit obiurgandus, vt detorquet alter; ſed admirantis, ob quam adeò cauſſam reprehenſum eatur, qui ſibi quidem rei nullius conſcius ſit obiurgatione dignæ. Quod ante pluſculos annos etiam D. Bucretius, diuturno mihi contubernio & intima familiaritate homo coniunctiſſimus, Plautiq; iuxta mecũ ſtudioſiſſimus olim, animaduertebat, cũ hãc primã omniũ Comœdiã, ſub initiũ noſtræ ſodalitatis, vna te-

geremus, adſcito in ſocietatem optimo quoq; & eruditiſſimo iuuene Conrado Memmio, cuius amici paullò poſt abitũ noſtrum fato ſuo ante diem functi, magni quandoque viri futuri, ſi virtus & eruditio eius, tempus habuiſſent matureſcendi, γλυκυπικρὸς mihi eſt & erit perpetuò μνήμη.

Sed ibidem mox ita ſcriptum:

*Nam ſi in te ægrotant artes antiquæ tuæ,*
*Siue immutare vis ingenium moribus,*
*Aut ſi demutant mores ingenium tuum,*
*Neq; eos antiquos ſeruas, aut captas nouos,*
*Omnibus amicis morbum tu incuties grauem,*
*Vt te videre audireq; ægroti ſient.*

Non fortaſſe malè. quamquam traducendus videri poteſt vnus verſus, vt ſententia vaga nectatur, & ταυτολογία ſimul caſtigetur:

*Nam ſi in te ægrotant artes antiquæ tuæ,*
*Ac ſi demutant mores ingenium tuum;*
*Siue immutare vis ingenium moribus,*
*Neq; eos antiquos ſeruas, aut captas nouos.*

Bimembris enim oratio nunc, & ſenſus ſic diſparatus: Siue ſeculi huius contagio malus euadis, ſiue ſponte à bonis deſciſcis. Cuius membrum prius priores duo verſus, alterum duo poſteriores complectuntur. Melior quidem hæc ſtructura: quam valde probabilem præter alia facit coniunctio nunc verborum *vis* & *captas*. Hæc enim voluntariam vtraq; & ſpontaneam malitiam innuunt: præcedentia cauſſam corruptis ſeculi moribus aſcribunt: qui peſtis inſtar omnes inficiant contagiò vulgato: atque hoc nominè phraſi metaphoricâ vtitur, *ægrotant artes*: quâ eâdem magis allegoricâ vtebatur & primâ ſcenâ in apertiore de morbo & morte bonorum morum querela:

*Nam hic nimium morbus mores inuaſit bonos:*
*Ita plerią; omnes iam ſunt intermortui.*
*Sed dum illi ægrotant, interim mores mali,*
*Quaſi herba irrigua, ſuccreuerunt vberrimè.*

Sed & Lucretius eandem vſurpauit, *Ægrotat fama vacillans*: vt à Lambino tamen antè monitum.

Deinceps ſequitur:

*Sunt quos ſcio eſſe amicos, ſunt quos ſuſpicor,*
*Quorum ingenia atq; animos non poſſum noſcere,*
*Ad amici partem, an ad inimici perueniant.*

confuſo etiam ſenſuum diſcrimine: cuius tria membra faciunt libri veteres, repetito verbo ad caput verſus, *Sunt quorum ingenia atque an*. Vt conſtitui tria videantur amicorum genera: & quoſdam ſenex habere ſe amicos dicat, quos ſciat eſſe verè amicos, vt nomen poſſident; alios, quos eſſe tantùm putet; alios denique, quos planè neſciat, amicine potius ſint, an inimici. id enim verbis poſtremis

ſtremis dicit, atque eâ phraſi, ad amici partem, an ad inimici perueniant: quam ita efferas aliter, amicis an inimicis propiores ſint: vt alibi loquitur: Moſtellar.

*Plumâ haud intereſt patronus an cliens propior ſiet*
*Homini, cui nulla in pectore eſt audacia.*

Quamquam dubitaui olim, an non *pertineant* potius legeretur. Sed verbo eo *Sunt* recepto ibi, ægrotant numeri: quibus vix alia medicina ſubuenerit, quam ſubſtitutio τ͂ *nequeo* ἀντὶ τ͂ *non poſſum.* quæ nimis tamen fortaſſis audax. At hanc temeritatem ſenſus elegantiâ & auctoritate codicum vetuſtiorum redemeris. Ibidem è veſtigio:

*Si quid ſcis me feciſſe inſcitè aut improbè,*
*Si id non accuſas, tu ipſe obiurgandus es, ſcio.*

Verbum horum vltimum reliquis non adhæret, interiectâ ſequẽti perſonâ proximis deinceps iungendum:

*Si id non accuſas, tu ipſe obiurgandu's. ME. ſcio,*
*Etſi aliâ huc cauſſa ad te adueni, æquum poſtulas.*

Pugnat autem Megaronidis hoc reſponſum cum ſuperiore ipſius affirmatione, qua cum deſtinata obiurgatione ſe profitebatur ad amicum aduenire:

*Nam ego deditâ operâ huc ad te aduenio. CA. quid venis?*
*ME. Malis te vt verbis multis multum obiurgitem.*

Notes hîc quoque Plauti oſcitantiam, qui ſibi contraria loqui fecerit eundem: niſi de induſtria putabimus hîc nunc ſenem diſſimulare cauſſam aduentus ſui: cuius tamen nullam rationem video. & quomodo verò diſſimulare poſſit id quod ſemel antè palàm & apertè erat faſſus? Maiore interuallo:

*ME. Emiſtin' de adoleſcente has ædes (quid taces?)*
*Vbi nunc tute habitas? CA. emi atq; argentum dedi.*

ſuperuacua parentheſis eſt, quæ & orationem eneruat. Abiice, vt vi interrogationum iteratarum roboretur:

*ME. Emiſtin' de adoleſcente has ædes? quid taces?*
*Vbi nunc tute habitas?*

Neque tam iacentis auris & ſurdi iudicii quemquam eſſe putem, qui erectius hoc & rectius vel ipſo auditu non dignoſcat. Subſiſtit poſt interrogationem primam Megaronides, exſpectans reſponſum ab altero: quo perculſo & hæſitante, iterum vrget, atque iterum: quo poſtremo etiam, ne poſſit negare factũ, occupat redarguere argumento habitationis: & acerbè quærit, in quibus ædibus colat: iſtis ipſis ſcilicet, quas incuſaretur emiſſe. Porrò:

*ME. Mihi quod credideris, ſumes vbi poſiueris.*

ſimile quodammodo Milite:

*Dum in regionem aſtutiarum mearum te induco, ut ſcias*
*Iuxta mecum mea conſilia. PE. ſalua, ſumes tamen dem.*

Neque longulè:

*Quoniam hinc eſt profectus peregrè Charmides,*
*Theſaurum mihi demonſtrauit in hiſce ædibus.*

Traducito voces, *Quoniam hinc profectus eſt peregrè Char.* verſus gratiâ. Lambinum autem, ſi inſanire cum illo cupis, tum audito mutantem *Cum iam* ex *Quoniam*. Ita hoc ille non meminit eſſe, poſtquam, vt infinitis locis, & huius fabulæ ſuperiore, quem, malâ diſtinctione obſcuratum ibi, legas:

*Is rem paternam me adiutrice perdidit.*
*Quoniam ei, qui me aleret, nihil video eſſe relliqui,*
*Dedi meam gnatam, quicum ætatem exigat.*

Non datur ratio, cur adoleſcens rem perdiderit: ſed illâ perditâ, poſtquam nil ſuperfuit, ei filiam ſuam Luxuria ſe dicit iunxiſſe. Aliquanto inferius:

*Gregem vniuerſum voluit tecum auertere.*

Rectius antiqui ſcribunt *ſecum:* atque ita reſcribi volo. Non enim illud ſic dici poteſt, vt alia huius exempli, *Tecum oro, quæſo*, pro a te. Mox verſum leui traiectione voculæ corruperunt in optima editione, ſic reſtituendum:

*Sed nunc rogare ego viciſſim te volo.*

Et mox item:

*Vtrum indicare me ei theſaurum æquum fuit*
*Aduerſum quàm eius me obſecrauiſſet pater.*

Veteres omnes *Aduerſum quod*: & accipio. ſic dictum ſcilicet, vt *Præter quod, Præ quod*, & plura ſimilia ellipticæ formæ: Statim verò ſic diſtingue potius:

*An ego alium dominum paterer fieri hiſce ædibus?*
*Qui emiſſet, eiuſne eſſet ea pecunia?*

Parum hoc refert: non tamen nihil. Non enim id præcipuè cauebat, ne dominus ædium fieret, qui emiſſet: quod caueri non poterat, ſi quis emiſſet: ſed ne theſaurus veniret in eiuſdem poteſtatem, qui dominus ędium eſſet factus. Et theſauri, non ędium ipſarum cauſsâ nolebat ædes alienari. Itaque ſic proponit quæſtionis iſtam partem: In alienumne dominium paterer ædes transferri, vt pecunia ſimul ei cederet, qui emiſſet? Non multis etiam verſibus pòſt:

*Sed quid ais? CA. quid? ME. nunc virgo nempe apud te eſt? CA. ita eſt.*

melius diſtinguas: *CA. quid nunc? ME. virgo.* Iterum a paucis verſibus illorum fracti mutilatique ſunt quidam:

*Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quidquam ſciunt.*
*Quod quiſq; in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt.*
*Id quod in aurem rex reginæ dixerit,*
*Sciunt. quod Iuno fabulata eſt cum Ioue,*
*Quæ neq; futura, neq; facta ſunt, tamen ij ſciunt.*

Rem breuiter dicam. Singulis verſibus addiderat Plautus in fine verbum *ſciunt*: cuius iteratio totmoda ſummam gratiam loco conci-

conciliabat, quamdiu librarii non intercesserant & contaminarant. Refingendi igitur a nobis ſic medii duo:

*Quod in aurem rex reginæ dixit, id ſciunt:*
*Quod Iuno fabulata eſt cum Ioue, id ſciunt.*

Deinceps mutatur illud fortè ſine cauſſa:

*Omnes mortales hunc aiebant Calliclem*
*Indignum ciuitate hac eſſe, viuere.*

Nam aut æquiualentia poſuit verba duo Plautus *eſſe & viuere*, ſine copulâ quidem, & diſtincta: aut ſine diſtinctione in diuerſum ſenſum accipi voluit *eſſe viuere*, pro eſſe vt viueret aut viuat. Commodè tamen mutabat noſter Gulielmius, *ciuitate ac ſeſe viuere*. quæ ratio ſi cui probatur, non maiore, minore etiam aliquantò mutatione fecerit, *ciuitate hac & ſe viuere*. Continuò in iſtis:

*Ego de eorum verbis famigeratorum inſcius,*
*Proſilui amicum caſtigatum innoxium.*

Lambinus interpretatione ſuâ iungit verba *de eorum verbis* cum nomine *inſcius*: non benè. debebat cum verbo *proſilui*. quæ forma loquendi non vulgata ſimilis iſti vulgatiſſimæ eſt, de alicuius ſententia aut conſilio aliquid facere. Quamobrem & comma extendum poſt ipſum τὸ *inſcius*. Denique minimò ante finem:

*Quòd ſi exquiratur vſq; ab ſtirpe auctoritas,*
*Vnde quidquid auditum dicant, niſi id appareat,*
*Famigerator iure ſiet cum damno & malo.*

Cenſeo rectius fore *quidq;*, pro *quidquid*. quod idem tamen alter ſuppoſitum quoque infra, SC. *Huic ego:*

*Si vnumquidquid ſingillatim & placidè percunctabere.*

Non dubiè & illic mutari debet. Vltimum autem horum verſum ita pertinaciter iam omnes amplexi retinent ex Camerarii emendatione, quam ego veram nequeo mihi perſuadere. Quis enim venuſtior ſic loquatur, Ego ſum cum damno aut malo? Sed nec Gulielmianam probo, in qua iocus neque tam lepidus, vt videri ille vult, & intempeſtiuus. Veram tamen vnâ literulâ minus puto, quam addo non peiore iure, quam ipſe itidem adiecit vnam manuſcriptorum Camerarii lectioni. & quidem iſtam eandem prorſus ego addo. cumque ſcribat ille, *Famigeratori res ſit cum damno & malo:* porrò ego aſſcribo,

*Famigeratoris res ſit cum d. & m.*

quod vide tamen vt capias rectè. Non enim rem famigeratoris intelligi volo: ſed rem eam eſſe cum damno & malo famigeratoris. Res autem ea eſt idipſum totum, quod præceſſit. Niſi enim in exquiſitione auctoritatis ab vſque ſtirpe appareat, vnde quis auditum quidque dicat; id cum famigeratoris malo eſſe debere ſtatuitur. quæ locutio comica prorſus eſt, & paſſim frequentata.

## CAPVT III.

*Ars & pars. Pendentem ferire. Pendens habena. Pendere in verbera. Munire, munerari. Nox ducitur. Abbibere, procul habere. Expetere. Per pietatem, obteſtatio. Conſidens. Vtrum tane, tmeſis. Homo familiariter prædicatus. Neiuuare. Plauti quædam gemina. Interpunctiones ſæpius redditæ. Palmeriana loci vnius atque alterius emendatio firmata, ſed & amplius adiuta. Contra alios nonnulla correcta, explicata. Pleraq; alia recens obſeruata.*

SCenâ *Multas res*, non liquet, nec ſatis cogitatum eſt, vtram potius harum lectionem expeteſſam, vtram veritati tuendæ arbitrer firmiorem: *artemne* an *partem* amplecti potius par ſiet, vtra in voce plus vtilitatis ſit ſcripturæ ad Plautum corrigendum. de hac re mihi ſatis haud liquet: niſi hoc ſic faciam opinor, vtramq; vocem ſimul exputem, iudex ſim, actorque ad eam rem. Sed pueriliter nugor amatoris hîc adoleſcentis exemplo & verbis in controuerſia vt non tanti momenti, ſic neq; tanto digna molimento. Nam quantulo diſcrimine voculæ iſtæ diſtant? aut quid intereſt, vtram hic legere malis?

*Nec ſatis cogitatũ eſt, vtram potius harum mihi artẽ expeteſſam.*

Vtraque ſe defendit & notionis ſuæ vi accommodata, & exempla vſurpationis. Etenim mox deinde altera legitur:

*Vtra in parte plus voluptatis ſit vita.*

Et paullò pôſt item altera:

*——omnium primùm*

*Amoris artes eloquar.*

Sed quod iſta præceſſit: *amori me, an rei*

*Obſequi potius par ſiet.*

non egeat etiam mutatione. Cur enim me hîc nolim? Tamèn videatur ab auctore ſcriptum, *amorine, an rei*. Cui loco & ſenſu & ſermone ſimilis ferè Terentianus Hecyr.

*——fecit animi vt incertus foret,*

*Pudorine, anne amori obſequeretur magis.*

Ab interuallo pluſculorum verſuum:

*Ibi ille cuculus, ocelle mi, fiat, & iſtut, & ſi amplius vis dari,*

*Dabitur. ibi illa pendentem ferit: iam amplius orat.*

Sæpe Plautus amatores ſtupidos cuculorum appellatione ferit. Exemplo ſit vnus Aſinariæ locus, vt aliis afferendis parcam. SC. *Agedum.*

*At etiam cubat cuculus. ſurge amator i domum.*

*Pendentem hìc autem quo ſenſu?* an ſuſpenſum curâ & incertum, vt vult Lambinus? An alluſione imaginis quæ Rudente? SC. Exi è *fano:*

*LA. Quid ſi attigero? TR. extemplo hercle ego te follem pugilatorium faciam, & pendentem incurſabo pugnis. periuriſſime.*

An ſimpliciore intellectu pendentium, dum virgis cæduntur? vt extremo Caſinæ;

*Nulla cauſſa eſt, quin pendentem me vxor virgis verberes.*

Sed ſimpliciſſimè potius eſt ex Interpretis opinione. Senſu autem alio *habenam* ſeu lorariam ſcuticam *pendentem* Horatius dixit, lib. 2. epiſtol. 1. de ſeruo ceſſatore:

*In ſcalis latuit metuens pendentis habena.*

Quo ferè aſpectu Virgilius, opinor, etiam aurigam quendã ipſum pendere ait, equorum tergis imminentem:

*——pronuſq; in verbera pendet.*

Continuò autem ſequitur: *——non ſat.*

*Id eſt mali, ni amplius etiam, quod ebibit, quod comeſt.*

*Quod facis ſumti, nox datur, ducitur familia tota.*

quod niſi turbatum eſt in ordine verborum, ſic videatur emendandum:

*Quod facit ſumti, nox datur. munitur familia tota.*

Munire enim eſt muneribus afficere, munerari, vt Truculento:

Sc. *Quis illic.*

*— ST. ſuam non enim ille meretriculis*

*Muniendu rem coegit.*

ex diſertâ ibi lectione Venetæ editionis perantiquæ à Bucretio meo notatâ, non tantùm de Palmerii ſuſpectâ ſuſpicione: Sed verba potius hic turbata credam. & ſic traiicienda denuò:

*Quod facit ſumti, datur. Nox ducitur.* id eſt, ſi nox impetratur. Omiſſa enim particula conditionalis. Et *Ducere* ſic Plauto frequens. Truculenti initio;

*Si raras noctes ducit, ab animo perit.*

Ceterùm reliqua iam, quæ ſubiiciuntur, omnia pendent, neque ſat manifeſtò redditio ſermonis apparet, verbo deficiente:

*——familia tota,*

*Veſtiſpica, vnctor, auri cuſtos, flabellifera, ſandaligerulæ,*

*Cantrices, ciſtellatrices, nuncij, renuncij, raptores panis & peni.*

Subintelligi tamen ad poſtrema poteſt, ac credo debet, verbum *ſunt*. Nam ſi nox ducatur, totam familiam, quam particulatim enumerat, ait eſſe raptores panis & peni, id eſt, rapere ab amatore quidquid habeat: quod proxima declarant:

*Fit ipſe, dum illis comis eſt, inops amator.*

Vlterius porrò: *—mille modis amor ignorandu'ſt,*

*Procul adhibendus eſt atq; abſtinendus.*

Scripſit Plautus *abhibendus*: quod ſententia, & alterum verbũ requirunt. Quin pugnãt inuicem *procul* & *adhibendus*. Abhibere autem & Abſtinere venuſtè iunguntur in eundem ſenſum. quorum illud non facile alibi reperias eâ compoſitione. Simplici non diſſimiliter vſus eſt Salluſtius, ſi rectè memini, cum in hiſtoria ſcribenda cauſſas inuidiæ procul habere ſe teſtatur. Ad finem:

Ii 5

*—boni ſibi hac expetunt, rem, fidem, honorem,*
*Gloriam & gratiam.*

bene corrigit neſcio qui: *bonis ibi hac expetunt, res, fides, honor, Gloria & gratia.* malè tamẽ, quia numerorum nullam ducit rationẽ, qui non ſatis conſtant in pluribus ibidem verſibus: & tota ſcenæ pars extrema ſic fortaſſe concipienda.

*——— Sunt tamen,*
*Quos miſeros (an miſerè) maleq; habeas, quos tibi feciſti obnoxios.*
*Certum eſt ad frugem applicare animum, quamquam ibi animo labos*
*Grandis capitur. bonis ibi expetunt hac, res, fides, honor,*
*Gloria & gratia, hoc probis pretium eſt: eò mihi magis lubet*
*Cum probis potius, quàm cum improbis vanidicis viuere.*

Verbum *expetendi* in euentus ſignificatione eſſe plures, & nos alibi oſtendimus: ac ſenſum hunc poſcit ac firmat ſibi, quod additur, *hoc probis pretium eſt.* Idem verò verbum non in aliam tantùm ſententiam, ſed & ſcripturam corruptum eſt ſuperius hac ipſa ſcena, vt à Palmerio pridem oſtenſum & correctum:

*——— omnium primùm*
*Amoris artes eloquar quemadmodum expetant.*

Proximâ ſcenâ quod vbique ſcribitur:

*—PH. feceris par tuis ceteris factis, patrem*
*Tuum ſi percoles per pietatem. Nolo ego &c.*

rectius diſtinguitur in veteri Colonienſi meo: *—patrem*
*Tuum ſi percoles. Per pietatem, nolo ego cum improbis te viris,*
*Gnate mi, neq; in via, neq; in foro vllum ſermonem exſequi.*

Tu non dubita ſequi. Nam obteſtantis eſt *Per pietatem.* Pro *percoles* autem non affirmauero legendum *piè coles.* Porrò deinde:

*Cetera; rape, trahe, fuge latè.*

poſtremum etiam verbum verbum eſt, non aduerbiũ. Aufer itaque accentum, & commate à proximo interſtingue. Non enim latam aut longam fugam præcipit, ſed fugam & latibulum. Forma ſermonis autem ſimilis Pſeudolo. Sc. *Exite:*

*Qui hac habent conſilia, vbi data occaſio eſt, rape, clepe, tene, harpaga,*
*Bibe, es, fuge.*

Mox ibidem ſcripturam etſi non moueo:

*Hac tibi, ſi mea conſilia capeſſes, multa bona in pectore confident.*

ſollicito tamen. Nam quo ſenſu eſt, *bona in pectore confident?* Ec an non auſim ſuſpicari, *bona in tempore conficient?* Certè, ſi imperiis & monitis ſuis obſequatur filius, vtilitates & commoda inde multa promittit ei pater ſuo deinceps tempore percipienda. Niſi credere debemus, *confident* hîc poſitum pro confidere facient: quomodo *Deſidere* in Appuleio, & in eodem, noſtroque, & aliis plura conſimilia vſurpari interdum ſolita ad Stichum ſupra notaui. Poſteà:

*Verum*

Digitized by Google

*Vtrum id ita ne eſſe mauelit, vt eum animus æquum cenſeat.*

Poteſt eſſe tmeſis, *Vtrum itane*, pro Vtrumne ita. Sed eleganter etiam *ne* ipſum in *ſe* vertas. Pro *id* autem, plane *is* ſcribendum, vt quidam habent. Vt iam hæc ſit lectio:

*Vtrum is ita ſe eſſe mauelit.*

Omnino quoque mox *ſeruibit* ſcribes, pro ſeruiuit. A pluſculis deinde verſibus:

*LY. Ob eam rem hæc, pater, autumaui, quia res quædam eſt, quam volo*

*Ego me abs te exorare. PH. quid id eſt? veniam iam dare geſtio.*

Abuſus eſt hîc Plautus voce *venia*, ſi eſt vſus. Nullum enim hic delictum: nec eò trahendum *exorare*. Credo corrigendum,

*PH. quid id eſt? dic. enim iam dare geſt.*

Quod ita ſe orare dicit filius vt velit exorare, id dicere pater iubet ſaltem, quid ſit, & continuò daturum ſe cum prolubio quodã pollicetur. Iterum a pluribus, videtur illorum medius vltimi locum, & medii vltimus occupaſſe:

*PH. Edepol hominem prædicatum fermè familiariter.*

*Qui quidem nunquam per virtutem rem confregit, atq. eget.*

*Nihil moror eum tibi eſſe amicum cum eiuſmodi virtutibus.*

Nam melius oratio ſenſum ſuum exſequitur hoc ordine:

*Nihil moror eum tibi eſſe amicum cum eiuſmodi virtutibus,*

*Qui quidem nunquam per virtutem rem confregit, atq. eget.*

etſi neq; mala altera ſtructura, ſi ad finem medii, nõ punctum colloces, ſed comma, vt indicetur, vltimo cohærere, qui quidẽ omnino nihil commercii debet habere cum primo. Prædicatum autem familiariter eò dicit, quia turpem decoctionem æqualis ſui valdè amicè & leniter & comiter exulcerat adoleſcẽs, vt appareret, amiciſſimum & planè familiarẽ illi eſſe. Nam ſic interpretari malim, quam cum Lambino, *familiariter* eſſe libere, vt familiares ſolent: etſi vocem eandem hoc ſenſu Epidici principio fuiſſe ſcio:

*EP. Heus adoleſcens. TH. quis properantem me reprehendit pallio?*

*EP. Familiaris. TH. fateor. nam odio es nimium familiariter.*

Minus id huc conuenit. Non enim liberè & ſine circuitione, ſed timidè & verecũda circumlocutione cauſſam egeſtatis amici ſui Lyſiteles protulerat, aſperam per ſe nec probam ſatis mitigans & fuco quodam excuſationis exornans. Sic enim aiebat;

——*per comitatem edepol pater,*

*Præterea aliquantum animi cauſſa in delicijs diſperdidit.*

Non longè inde eſt:

*LY. Deſerere illum & deiuuare in rebus aduerſis pudet.*

Neſcio quid verbi hîc reponũt ex Feſto, quod Plautus nunquam, nec alius fortè quiſquã, dum Latinè ſcriptum fuit, vſurpauit. Mihi aut vulgatum retinere ſedet, aut reſcribere mutatione literulæ vnius *neiuuare*: quod eſt non iuuare: formâ compoſitionis in plurib. aliis fre-

quentatâ, quorum in noſtro creberrimum *neuelle*: atque idem hac ſcenâ: ſed ibidem porrò minus tritum aliud, *nemulta*, quod ſequenti capite oſtendemus. Nam & pluribus verbis & maiore medicina is locus eget.

## CAPVT IV.

*Nemulta. Poſt Muretum locus Trinumi valdè eximius aliâ adhuc traiectione verſus alterius nunc demum integratus & totus conſtitutus: eiuſdem ſententia inſignior hactenus Interpretes fallens, de ſapientia condimento & ætatis cibo, perſpicuè enarrata.*

LAudem ſingularem Muretus inuenit apud doctos, qui verſum eadem ſcenâ iſtum:

*PH. Agedum eloquere, quid dare illi nunc vis? LY. nihil quidquam pater.*

traiectum oſtéderit, & reuocarit in inferiorem ſuum locum. Qui minorem ego mihi ſperem, qui & alium ibidem,

*Sapientia ætas condimentum eſt, ſapiens ætati cibus eſt.*

æquè tranſpoſitum demonſtraturus ſim, & æquè in ſedem ſuam inferiorem reducturus: neque hoc tantum, ſed amplius emendaturus, atque etiam explicaturus, à nemine quidem in hunc diem, quod modeſtè liceat, quia verè licet, intellectum. Nam Lambinus, Dii boni! quæ, quot & qualia ſententiarum monſtra finxit? Sed non inſectemur alios: quod boni ipſi afferimus, proponamus. Ab eius autem verſus vnius ſenſu pendet intellectus totius prolixioris loci; ipſius autem à traductione. Prius exhibeamus ordinem & ſcripturam vulgatam. nam & in ſcriptura verborum, tum & perſonarum diſtinctione quædam erunt mutanda. Sic igitur vbique excuditur:

*LY. Leſbonico huic adoleſcenti Charmidæ (huius) filio,*
*Qui illic habitat. PH. qui comedit quod fuit, quod non fuit?*
*LY. Ne opprobra pater: multa eueniunt homini quæ volt, quæ neuolt.*
*PH. Agedum eloquere, quid dare illi nunc vis? LY. nihil quidquam pater.*
*Sapientia ætas condimentum eſt, ſapiens ætati cibus eſt.*
*PH. Mentire edepol gnate, atq; id nunc facis haud conſuetudine.*
*Nam ſapiens quidem pol ipſe fingit fortunam ſibi.*
*Eóne multa quæ neuolt eueniunt, niſi fictor malus eſt.*
*Multa eſt operâ opus ficturæ, qui ſe fictorem probum*
*Vitæ eſſe agendæ expetit. LY. ſed hic admodum adoleſcentulus.*
*PH. Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia.*
*LY. Tu modò ne me prohibeas.*

Cedò, quis hæc intelligere ſe commodè, aut intelligi poſſe, quamdiu ſic ſcribuntur, affirmabit? Αναγώλυφα ſunt, & cohærét vt funes ex arena nexi. Atq; hoc quis audebit negare? Contrà quis omnia apta inuicem & plana non fatebitur poſt hanc noſtram reſtitutionem?

LY. Ne

*LY. Ne opprobra, pater. Multa eueniunt homini, quæ volt, quæ neuolt.*
*PH. Mentire edepol, gnate. atq; id nunc facis haud conſuetudine.*
*Nam Sapiens quidem pol ipſe fingit fortunam ſibi.*
*Eò ne multa, quæ neuolt, eueniunt, niſi fictor maluſt.*
*LY. Multâ eſt operâ opus fictura, qui ſe fictorem probum*
*Vitæ agendæ eſſe expetit: ſed hic admodum adoleſcentuluſt.*
*PH. Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia.*
*Sapienti ætas condimentum eſt, ſapiens ætati cibuſt.*
*Agedum eloquere. quid dare illi nunc (ſ. nam) vis? LY. nihil quidquam, pater:*
*Tu modò ne me prohibeas accipere, ſi quid det mihi.*

In eundem locum retractos eſſe vides vtroſque aberrantes verſus, qui quidem vulgato etiam ordine ſe conſequuntur, ſed illo inuerſo. Præcedit enim qui poſterior eſſe debet. quam commutationẽ euenisse in traductione mirum nihil eſt: illud valdè mirum, cum vnius ſedem legitimam vidiſſet Muretus, alterius ſimul nõ vidiſſe. Sed non potuit, cum caligaret in ſententia verſus noſtri de condimento ſapientis & cibo ætatis. in quo ex *ſapiens* faciebat etiam *ſapientia*, cum contra debuerit *ſapienti* ex *ſapientia*. Nam diphtongus vltima adhæſit fini prioris huius vocis a principio ſequentis *ætas*. Germanus autem ſenſus in eo hic eſt: Ætas ſapienti velut pro cõdimento eſt, qui ipſus ætati pro cibo. Sapiens non ab ætate ſapit, vt cibus a condimento non eſt cibus: ſed ætas accedens hoc ſapienti præſtat, quod condimentum cibo. Sapientia ab ingenio eſt: ætas autem illam mitigat, ad maturitatem perducit, meliorem mollioremque reddit, planè vt cibus à condimento perficitur, & gratior efficitur tantum, ipſe alias per ſe conſtans. Ita quod condimentum cibo eſt, id ætas ſapienti aut ſapientiæ. Nam non pugnem de mea ibi lectione contra Muretinam: & videri poteſt elegantius, ſi ipſa ſapientia cibus dicatur, & eius condimentum, non ſapientis, ætas. Vtrũ males, ſententia manet eadem: & res ipſa clamat, huius adeò verſum reſpicere ad iſtum, imo ex iſto duci:

*Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia.*

Quia enim ſic filius ſodalem ſuum excuſabat, adoleſcentulum adhuc eum eſſe, & proinde non ſapere ſatis; pater infert contrà, non ab ætate ſapientiam proficiſci, ſed eſſe ab ingenio: neque qui ſapiens ſit, ei quidquam ætatem cõferre præter aliquod condimentum. Atq; ibi comparationem hanc mutuam facit cibi ad ſapientiam, condimenti ad ætatem; ac rurſum ſapientiæ & ætatis ad cibum & condimẽtum. Sed breuiter etiam ſuperiora enarremus, vt totus locus ſimul illuſtretur, & appareat magis in aperto veritas emendationis, arctaq; & apta huius ordinis ſequela. Cum nomen elocutus eſſet Leſbonici Lyſiteles æqualis, erumpit ſtatim ſenex in conuitium gulæ illius, & hinc probroſæ egeſtatis. Id ille auerteſe nititur, & exprobrari nõ debere ait, quia fortuna ſua homini nõ

ſit in manu, multaque temerè eueniant tam quæ nolit, quàm quæ velit. Hoc ſenex rurſum negat, & mentiri ait natum præter conſuetudinem. Non enim a fortuna, ſed ſapientia cuiuſque vitæ modum, & ſuæ quemlibet ipſum fortunæ eſſe fabrum. eòque non euenire cuiquam multa, quæ nolit, niſi malus ſit fictor. Hic enim illud *multa* prorſus in hunc ſenſum & eam quam dixi, formam: quod non animaduerſum impulit eundem Muretum in temerariam mutationem: qua ſententiam quidem relinquit, verba tamen ſua eripit auctori, & verſum ipſum decurtat ac mutilat toto pede. Ceterùm ad ſenis illam ſeriam & Philoſophicam fortunæ refutationem, excuſatiunculam petit adoleſcens ab ætate. Nàm difficilem & multæ operæ ficturam eam eſſe, neque niſi longo vſu & experientia probum aliquem exiſtere vitæ agendæ magiſtrum: illum autem amicum ſuum adhuc eſſe petadoleſcentem. Tum ſenex & huius etiam obiectionem remouet, & oſtendit à ſemet & ingenio ſuo quemque ſapere, non ab annis: idque oratione figurata illa, quam ſatis expoſuimus modò. denique ne longius obnitatur filii deſiderio, iubet tandem tamen, vtcunque hæc ſint, eloqui, quid exorare ſe velit & æquali ſuo dare. qui non dare quidquam illi, ſed ab ipſo accipere velle ait, niſi prohibeatur: exemplo & ratione noua iuuandi alium, ſine ſuo impendio, & verò cum diſpendio ipſius. Hæc eò vſque ſic aguntur: quæ tam clara nunc & perſpicua, tamque elegantia & lepida, nihil vt in iis quiſquam vel non comprehendere ſatis, vel reprehendere poſſit vllo modo. Atque eo vno loco caput hoc conſtet, digno, qui ſolus integrum ſibi vendicet, nec cui debeant adſtrui alia leuiora, quibus deuenuſtetur.

## CAPVT V.

*Quaſi, pro Quamſi. Quaſi ſi. Quaſi vt. Tamquã ſi. Ibidem vnà trahere. Eodem & iuxtà ponere. Opino. Exigi rem aliquam. Conuenit me, vt decet me. Trinummo verſus aliquot expleti, diſtincti: verba etiam nonnulla mutata. Simul aliæ leues emendationes, in Mercatorem & Militem noſtri, tum & in Martialem, ſingula.*

NEmpe ſunt etiamnunc ibidem leuiora quædam, & tanti vix, vt notentur. Tamen duo apponamus.

Verſus iſte ſic plenus eſt:

*PH. Egone indotatam te uxorem vt patiar? LY. patiundum eſt pater.*

cui alibi *me*, alibi *te* detraxerunt malè. Non autem malè retinebitur illic ſanè lectio vulgaris:

*Verùm ego quando te & amicitiam & gratiam in noſtram domum*
*Video allicere, etſi aduorſatus tibi fui, iſtac iudico.*

Sit enim *iſtàc iudico*, in illam partem cenſeo. Tamen fortè mutatis melius & ſic diſtinxeris:

*Verum etſi*

*—— etſi aduorſatus tibi ſui iſtoc ſedulò,*

*Tibi permitto: poſce, duce.*

Concinnior ſententia eſt: nec ſcriptura nimis mutat ab antiquâ. Non enim eadem antiqua, quæ in libris nouis. Porro iam Sc. *Non optuma.* variatur in diſtinctione verſuum vltimorum:

*Sed aperiuntur ædes, quo ibam commode.*

*Ipſe exit Leſbonicus cum ſeruo foras.*

ſed æquè bene cum verbo *aperiuntur*, atque cum *exit* iungitur aduerbium *commode*: quod non debet cum *ibam*. Non enim eadem illud & alterum *commodum*: quod quidem huic verbo conuenerit magis. Scenâ *Mimis quom.* non legit hoc Nonius, vt vulgò:

*—— conſit cito.*

*Quam ſi tu obycias formicis papauerem.*

quod tamen non abſurdum, omiſſo comparatiuo *magis*, vt ſolet, aut, quod æquè ſolet, particulâ alterâ *tam*. Ille autem, *Quaſi obycias*: vnde alius vult, *Quaſi tu obycias*. Si quid mutandum, & Nonio fidendum, non equidem illud *tu* addiderim, quod infartū aliunde apparet: ipſam potius poſteriorem ſyllabam τῦ *Quaſi* geminarim: *Quaſi ſi obyc.* cuius geminationis elegantis exempla dedimus quædam ad Aſinariam, vnde petatur. Eadem verò fuerit fortaſſe Mercatore Sc. *Profecto*:

*Nam meo quidem animo vetulus decrepitus ſenex*

*Tantidem eſt, quaſi ſi ſignum pictum in pariete.*

Vbi vulgò *quaſi ſit*. Fortè & Martialis epigrammate 8. lib. 2.

*Iſta tamen mala ſunt: quæ ſi manifeſta negamus,*

*Hæc mala ſunt: ſed tu non meliora facis.*

Etenim legerim.

*Iſta tamen mala ſunt. quaſi ſi manifeſta negemus.*

Prorſus hoc ita vſurpabant, vt *Niſi ſi*. Solent & alia in hanc faciem iungi, vt *quaſi vt*, de quo dicto prius loco; & *tanquam ſi*, quod vbique paſſim & apud Gellium lib. 7. cap. 18. *Commentitio conſilio regreſſi eodem die, tamquam ſi ob aliquam fortuitam cauſſam iſſent.* Sed Nonij lectionem poſſis aliter etiam aptare. *Quaſi* enim ſæpe reperias poſitum pro vulgato *Quam ſi*, vnde ipſum formatum videatur. Aulular. Sc. *Præſagibat.*

*Tu me bos magis haud reſpicias, gnatus quaſi nunquam fiem.*

Et Curculionis initio:

*PH. Tam à me pudica eſt, quaſi ſoror mea ſit.*

Atque ita fortè potius & Caſinæ Prologo:

*Quaſi ſi eſſet ex ſe nata, non multò ſecus,*

Certò quidem ita corrigendū Milite, ſcenâ quæ indidem incipit:

*Satin' abyt ille, neque herile negotium*

*Plus curat, quàm ſi non ſeruitutem ſeruiat?*

Propter numeros alij negantem particulam non tranſmutant in

*haud.* Potius ſcribe, *quaſi non.* Atq; id verba ſibi fieri plura non deſiderat. Trinumo noſtrã & eadem ſcenâ ſequitur:

*ST. Quid quod dediſti ſcortis? LE. ibidem vnà traho.*

Quem loquendi modum & ſuperius habuimus, Sc. *Larem:*

*Atq; egomet me adeò cum illis vnà ibidem traho.*

Confer, vt collata loca facilius capias, & elegantiam magis notes, fugiaſque mutationem, quam Lambinus in Commentariis inuehit hoc loco, *totidem* legens: manifeſtò ſcilicet contra prius exemplum: atque ergo contra verum. Neque verò diſſimilis huic locutio iſta Curculione, Sc. *I tu pra.*

*Eodem hercle vos pono & paro. pariſſimi eſtis ibus.*

Iſti quidem gemina Val. Maximi lib. 3. cap. vlt. *Metu violentæ mortis amicos inimicoſq; iuxtà ponere.* Deinde:

*PH. Pol opinor affinis noſter ædes vendidit.*

Obſeruant alii Plauto crebrum *opinio:* quod hîc quoque fuerit, numeris ſic nonnihil ſuadentibus. Et mox:

*LE. Nempe quas ſpopondi. ST. imò quas dependi inquito.*

*Qua ſponſione pronuper tu exactus es.*

Ambigunt inter ſe viri docti de germana lectione. *Quam ſponſionem* non accipio: non enim & *pronuper.* facilius *Qua ſponſione pro.* Sed id nondum plenæ germanitatis. Adde literulam vnam, à ſimili proxima interuerſam:

*Quas ſponſione pro nuper tu exactus es.*

quas minas nuper exactus es pro ſponſione. Locutio alibi eadem: & ex Cæcilio affert Nonius,

*Ego illud minus nihilo exigor portorium.*

Multis interiectis, verba verſus ſic ordina:

*ST. Verum hercle hic dicis. LE. oculum ego effodiam tibi.*

Et poſt pauca:

*PH. Quid tunc, ſi in ædem ad cœnam veneris.*

Alibi *tum.* Tu facito, *Quid tu.* Poſt pluſcula:

——— *verum nos homunculi*

*Salillum animæ, qui tam extemplò amiſimus.*

*Æquè mendicus atq; ille opulentiſſimus*

*Cenſetur cenſu ad Acheronteam mortuus.*

De *Salillo* non turbo: *quam* verò, non *qui* legendum putem, & forſan *emiſimus.* hoc tamen non tam neceſſe. nec item, vt *Æquo* ſcribatur & ad *cenſu* referatur. In ſententiam hanc ipſam multi multa ſimilia dixerunt. Sed cum iſtis & ſequentibus pulchrè Phocylidis verſus conſentiunt, aſſcribendos etſi vulgarios tamen:

Πλούτου μὴ φείδου· μέμνησ' ὅτι θνητὸς ὑπάρχεις.
οὐκ ἔν' ἐς ᾅδην ὄλβον ἄγειν, καὶ χρήματ' ἄγεσθαι.
πάντες ἴσοι νέκυες. ψυχῶν δὲ θεὸς βασιλεύει.
κοινὰ μέλαθρα δόμων αἰώνια καὶ πατρὶς ᾅδης.
ξυνὸς χῶρος ἅπασι, πένησί τε καὶ βασιλεῦσι.

Iuſte-

Inferius:

*ST. Noſtramne nutricem, here, quæ nos educat,*
*Abalienare à nobis?*

Aut ipſum verbũ cum quibuſdam, *here vis, quæ nos ed.* aut in paullo alium habitum flexo ſermone prouocabulum *te* inſere, vt verbum aliud ſubintelligatur:

*Noſtramne te nutricem h. q. n. ed.*

Mirum verò vbique *cuium* in his retineri:

*ST. Neque vnquam quicquam eſt, cuius ille ager fuit,*
*Quin peſſimè ei res vorterit, cuium fuit.*

cum vix quidquã manifeſtius & certius, quam *cuius*. Longè hinc:

*ST. Quin hic quidem cupit illum ab ſe abalienarier,*
*Si quidem reperire poſſiet, cui eſ ſublinat.*

Ne bis vno loco ſit idem *quidem*, melius altero verſu feceris *Si quem*. Mox:

*PH. De dote mecum conuenire nihil potes.*

Veterum alii *poteſt*, vnus *conuenirr*. Vtrumq; ſimul recipio: *mecum conueniri nihil poteſt*. Elegantius id vulgato. Statim autem illud bis interpunges interrogationis duplici notâ:

*Quid nunc? etiam conſulis?*

Poſt aliquanta:

*LE. Tu iſtuc cura quod iuſſi, iam ego hic ero,*
*Dic Callicli me vt conueniat.*

Indecorè adoleſcens cupit ad ſe venire ſenem. Sed eam ſententiam non eſſe puto. Nam alia fuit fortaſſis additurus, niſi ſeruus interrupiſſet, in hanc mentem: Dic Callicli, vt ſeu quomodo me dotem ſorori quærere conueniat, atque vt ipſe de eadem videat: quod quidem diſertè ſubiungit. Quin imò nihil deſuerit: & *vt me conueniat* valere poteſt, quomodo me deceat. Nam ſic noſter alibi verbum id cum accuſandi caſu iungit. Mercatoris vltimâ ſcena:

*Itidem vt tempus anni, aetatem aliam aliud factũ conuenit.*

Atq; idem hic eſſe, iam mihi perſuaſi. Mox prouocabulum ἀρχαι-κῶς abundans extruſerunt, quod repono verſus etiam cauſsâ:

*LE. Nam certum eſt me ſine dote haud dare. ST. quin tu i modo.*

Breuior item is verſus:

*LE. Meam neglegentiam. ST. i modo. LE. ô pater.*

quem facilè expleueris, *ST. quin i modo.* Aut poteſt iteratò ſcriptũ fuiſſe alterutrum horum, *i modo*, vel *ô pater*. Vtrumque enim valdè ſeruierit vehementiæ affectus & orationis.

## CAPVT VI.

*Celeri, grandi, vegrandi gradu eſſe. Exignauero verbum nihili, interpolatum. Facileſt, pro facilis eſt. Grauis & leuis. Acer ad ſummos bellatores, Grammaticus ad Scaurum, Rhetor ad Probum, & ſic*

*milia. Mutatæ ſæpius perſonæ in illuſtribus alicubi locis, de quorum ſententia & diſputatum. Verba interdum tranſpoſita: diſtinctiones item concinnata. Fragmentum corruptum integrum in ipſa Comœdia monſtratum. Collatus Plautus ſibi, & Auſonio: qui eadem operâ emendatur.*

SC. *Quomodo* nihil reliquerunt nobis, niſi quòd diuerſitatem lectionis prætericrunt in phraſi vulgata, quæ rariore alterâ poterat mutari:

*Neſcio quid non ſatis inter eos conuenit: celeri gradu*
*Eunt uterque.*

Nam *Sunt* pro *Eunt* elegantius legitur. atque ita Plautus ſæpè. Sticho: ——*ita celeri curriculo fui*
*Properè a portu tui honoris cauſſa.*

Epidico:

*Dij immortales te infelicitent, ut tu es gradibus grandibus.*

Idem Clitellariæ fragmento:

*Nimium es vegrandi gradu.*

Proxima huic ſcena fectum poteſt eſſe:

*LY. Egone? LE. tu ne. LY. quid malè facio? LE. quod ego nolo, cum id facis.*

Sed rectius & venuſtius ſit detractâ literulâ, *qui malè facio?* non aliâ ratione, niſi quia reſponſio magis interrogationi tali apta. Mox perſonas video malè permutatas:

*LY. Scio ego & ſentio ipſe quid agam, neq; à me officium migrat,*
*Nec tuis depellor dictis, quin rumori ſeruiam*
*LE. Quid ais? LY. nam retineri nequeo, quin dicam ea quæ promeres.*

Non Lyſiteli quidquam Leſbonicus, ſed huic contra ille conſulit & ſuadet, quod hic ſpernit & auerſatur, ipſe ſibi ſua opinione ſatis ſapiens, & officij ſui gnarus: quod ſcilicet idem & anteà de ſe prædicarat:

*LY. Tuæ rei benè conſulere cupio. LE. tu mihi es melior, quàm egomet mihi?*
*Sat ſapio, ſatis in rem quæ ſint meam ego conſpicio mihi.*

Atque idem rumori ſeruire ſe nunc dicit, ne in crimẽ & infamiam apud populum veniat: quod infra diſertius exponit:

*LE. Nolo ego mihi te tam proſpicere, qui meam egeſtatem leues,*
*Sed ut inops infamis ne ſim, ne mihi hanc famam differant,*
*Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi*
*Sic ſine dote dediſſe magis quam in matrimonium.*

Sic nempe rumori ſeruit, cum hanc infamiam cauet. quamquam & alter ſeruire dici poſſit itidem rumori, qui pòſt metuit & præcauet aliam famigerationem:

*Mea opera hinc proterritum te, meaq; auaritia autument,*
*Id me commiſſurum ut patiar fieri, ne animum induxeris.*

Verùm in Leſbonicũ hæc cautio hîc magis cõuenit, & ratio prior de con-

de cōſilii & beneficii repudiatione prorſus euincit, illi verba iſtæc, & reliqua inter vtrumq; ſic tribuenda:

*LE. Nullum beneficium duco eſſe id, quod cui facias, non placet.*
*Scio ego & ſentio ipſe quid agam, neq; à me officium migrat,*
*Nec tuis depellor dictis, quin rumori ſeruiam.*
*LY. Quid ais nam? retineri nequeo, quin dicam ea quæ promeres:*
*Itane tandem &c.*

Quæ ſequens obiurgatio & ipſa validiſſimè ſententiam noſtram probat. Inſpice tantum & expende. In ea verò diſtinguenda ſic iſta porro cenſeo & legenda:

*Tibi paterq; auoſq; facilem fecit & planam viam*
*Ad quærendum honorem: tu feciſti vt difficilis foret.*
*Culpa maximè & deſidia, tuis quàm ſtultis moribus*
*Præoptauiſti amorem tuum vti virtuti præponeres.*

Et ſtatim deleri forte debet interiecta Leſbonici perſona, vt idem ille continuet ſermonem ſuum a reprehenſione in adhortationem delabens:

*Nunc te hoc pacto credis poſſe obtegere errata? ah non ita eſt.*
*Capeſſis virtutem animo & corde expelle deſidiam tuo.*

Et profectò, quamquam non importunè interrumpat orationem caſtigatoris ſui Leſbonicus, eamque partem accuſationis refutet: omnino tamen nihil interlocutus fuiſſe, nec antè locutus quidquam videtur, quam patienter auditis omnibus integram defenſionem orditur iſthinc:

*LE. Omnia ego iſtæc, quæ tu dixiſti ſcio*

Vbi quod mox ſequitur *vel exſignauero*, quid ei verbo faciemus? Incorruptum eſſe, commodeq; explicari poſſe, non credo. Nā Lambinus quidē ineptiſſimè interpretatur. Mihi veniā eruditi dabunt, diuinationem animi mei propoſituro, quam non abſurdam neq; temerariam, etſi veram fortaſſe minus, eò vſq; amplectentur, dum alius eruerit veriorem. E literis *vel ex*, facio *vebex*, ſiue *vibex*: è reliquis aliud deinde, ſicq; audeo reſcribillare:

*LE. Omnia ego iſtæc quæ tu dixiſti ſcio, vibex ignauiâ*
*Ego vt rem patriam & gloriam maiorum fœdarim meûm.*

Quid? an abſimile verò eſt, Leſbonicum repetiſſe cōuitium ſui in ſe reprehenſoris? à quo *vibex* quidem ſuperius appellabatur:

*Itane tandem maiores famam tradiderunt tibi tui,*
*Vt virtute eorum anteparta per flagitium perderes,*
*Atq; honori poſterorum tuorum vt vibex fieres?*

Nam veram illic Camerarii coniecturam nemo dubitat hactenus aut negat. De *ignauia* pariter quadrat, literas, ſiue ſenſum ſpectes. Deſidia enim maximè illi pro culpa obiicitur, a qua fit omne deinceps malum. Præceſſit:

*——tu feciſti vt difficilis foret*
*Culpâ maximè & deſidiâ.*

Atque eadẽ ſæpius hîc paſſim incuſatur. Non tamen nimis emendationi tòti fido, quam timide attuli, & æquis doctiorum iudicus ſubmitto. Inde longius aliquanto vulgatur:

*Si iſtuc vt conare facis indicium, tuum incendes genus.*

Et emendatur *incendium*, pro *indicium*. Mihi tranſpoſitâ magis videtur vna vox, in ordinem ſic redigenda:

*Si iſtuc, vt facis indicium, conare; tuum incendes genus.*

Si facturus es, inquit, quod dicis, incendes tuum genus. Ibidem verò mox:

*LE. Facile eſt inuentu. datur ignis, tametſi ab inimicis petas.*

Vide, ne legendum *Facileſt*, quod contractum ex *facilus eſt*. de igni quippe dicitur. Solita aũt ſic contrahi aut elidi talia multa & ſcribi oſtendimus aliquot locis, ſed maximè ad Amphitruonẽ, vbi ſimilia plura & ipſam omnium rationem vidiſti, aut vide. Quod hîc autem de igni, de aqua dixit auctor Rudente Sc. *Quis eſt qui.*

*AM. Cur tu aquam grauare amabo, quam hoſtis hoſti commodat?*

Vbi *hoſtem* nõ eſſe pro peregrino, vt quidam argutatus eſt, ſed vulgata ſignificatione, arguerit hic poſita vox *inimicis*. Etſi non pernego, venuſtè peregrinum ciui opponi, quoniam de hoc quidem contra ſubiicitur ibidem:

*SC. Cur tu operam grauare mihi, quam ciuis ciui commodat?*

Heic deinceps perſonæ mutant in veteribus:

*LY. Numquam erit alienis grauis, qui ſuis ſe concinnat leuem.*
*Sicut dixi faciam: nolo te iactari diutius.*
*Tanto meliuſt te ſororis cauſſa egeſtatem exſequi,*
*Atq; eum agrum me habere, quàm te, tua qui toleres mœnia?*

Nam priores verſus duos Leſbonico etiam relinquunt, tertio demum Lyſitelem præſcribunt. Optimè, veriſſimè. Sed emendandum præterea à nobis *Tandem* pro *Tanto*.

*——— egere illam autem, vt me meritò oderit.*
*Numquam erit alienis grauis, qui ſuis ſe concinnat leuem.*
*Sicut dixi, faciam: nolo te iactari diutius.*
*LY. Tandem meliuſt te ſor. &c.*

Leſbonicus de dote & agro decernit, nec amplius vult ſibi contradici: tũ alter ſtomachabundus proclamat, & validiſſima obiectione aduerſariũ premit. Quã in re languet ac iacet *tantõ*, *tandẽ* veget, & vegetat orationem. Nec de vtrauis reſtitutione, ſiue verbi, ſeu perſonæ dubitandum. Ceterum Leſbonici dictum ambigui ſenſus eſt: & Lambiniana explicatio rei non ſatis apta. aptior fuerit, ſi *grauem* interpreteris argutiuſculè gratũ & acceptum, *leuem* cõtrà ingratũ & minus carum. Quomodo videri poteſt vtrumq; & alibi vſurpatum: alterum neſcio qua fabula ſuperiore, vbi fuit:

*Bonis quod bene fit, id eſſe & graue & grauidum ſolet.*

alterum proximâ Truculento: *——metuo, ſi tibi*
*Denegem quod me oras, ne te leuiorem erga me putem*

Sed

Sed neutrubi illorum locorũ ſic planè eſſe contendo: ne hic quidẽ affirmo. Aptior enim adhuc alia ſentẽtia, q̃ ſimplicior, omniumq́;, vt cenſeo, veriſſima: Nunquã alienis moleſtus & odioſus erit, qui ſuis ſe tolerabilẽ præbet. Id in rem præſentem ita conuenit, vt non poſſit aliud magis. Nam nolle ſe ſorori iniquũ eſſe ait aut exoſum facere: & hoc qui ſtudeat in ſuos, eum idẽ facile cauere in alienos. Inferius porrò ſecus aliquanto, quam bene diſtinctum eſt:

*LY. Scio equidem, te animatus vt ſis video, ſubolet, ſentio.*

Certè enim concinnius:

*LY. Scio equidem te, animatus vt ſis: video, ſubolet, ſentio.*

Longius etiam:

*Fulmentas iubeam ſuppingi ſoccis, non ſiſti poteſt.*

Inter fragmenta collocarunt priorem verſus partem aliquantulũ corruptam, *Fulmentas iubeam ſupponi foco.* quam hinc correctam inde exime. Denique ibidem mox:

*Credo ad ſummos bellatores acrem fugitorem fore,*
*Et capturum ſpolia, ibi illum qui meo hero aduerſus venerit.*

Veteres quidam *ſibi*, pro *ibi*: æquè benè, & nullo diſcrimine, ſi comma præcedens deleatur. Nam ſpolia capturus dicitur non herus, ſed qui hero venturus ſit aduorsùm. Ac in prioribus non accipiam ſimplicem fugam ad bellatores, ſed acrem fugitorem adoleſcentem, comparatum ad ſummos bellatores. quæ loquendi forma & Captiuis:

*Nam ad ſapientiam huius ille nimius nugator fuit.*

Id eſt: Si Thaletem compares cum huius ſapientia, nugator ille fuiſſe videri poteſt. Imò enim paullò erit alius adhuc acutior ſenſus, ſi interpretemur *acrem ad ſummos bellatores*, qui ad ſummos bellatores acritudine ſua accedat, aut ipſos æquet. id quod pulcherrimum dictionis genus & hoc loco feſtiuiſſimum. Nam æquiparare ſeruus herum ſuum videtur velle bellatoribus ſummis arte & fortitudine bellica: cum præter exſpectationem ſubiicit, fugiendi ſtudio illos æquaturum, & laudem in contrariam partem poſſeſſurum. Similitudinem autem eiuſmodi notari illo *ad*, exemplis liquet. Auſonius, qui eâ formâ præcipuè delectatus, in Profeſſorib. de Scaphylo:

*Grammatice ad Scaurum, atq́; Probum promtiſſime Rhetor.*

vbi bis fortè fuit idem *ad*, ſcripſitque auctor etiam *adq́; Probum*. Idem ibidem de Nepotiano:

*Et diſputator ad Cleanthen Stoicon.*

Cuius & illud ferè huiuſdem generis erit in Dedicatione operis ad Syagrium, ſi corrigatur:

*Nec fora non celebrata mihi: ſed cura docendi*
*Cultior: & nomen Grammatici merui:*
*Non tam grande quidem, quo gloria noſtra ſubiret*
*Æmilium aut Scaurum, Berytiumq́; Probum:*

*Sed quo noſtrates Aquitanaq; nomina multos*
*Collatus, non & ſubditus, aſpicerem.*

Nam legendum equidem arbitror *Æmilium ad Scaurum.* etſi præpoſitio hic magis ipſum reſpicit verbum *ſubiret*, quod eſt, adſcenderet. Non adſcendiſſe & extuliſſe ſe gloriā ſuam ait ad Scauri & Probi, quibus præcipuis plerumque comparare ſolet; quos eximiè vult laudare. Simul ibidem etiam *multis* verſu proximo ſcribe. Nō enim noſtrates multos, inquit, aſpexi, ſed & hos & præterea Aquitanos, ita tamen, vt multis collatus, non etiam ſubiectus, id eſt, æquo gradu pleroſque vidi.

## CAPVT VII.

*Iurator, pro Cenſore. Multa in verbis mutata, neq; pauca in explicationibus aliorum, quæ retecta. Perſonæ aliter alicubi diſtributæ. De locorum aliquot inſignium emendatione, tum illuſtratione, ſedulò agitatum & decretum.*

SEquēte ſcena *Vt mihi*, locis duobus mutarunt perſonarū flexus in verbis, quorum bina ſecundâ, vnum primâ efferetur in libris veteribus: in nouis vtrobiq; contrà, hoc ſecundâ, illa primâ. Quo diſſentiens fit inter ſenes collocutores ſenſus, & vices conſiliorum malè conuertuntur. Igitur quod hodie ſic ſcribitur:

*ME. Vide ſi hoc vtibile magis atq; in rem deputas,*
*Vt adeam Leſbonicum, edoceam, vt res ſeſe habet.*

ex olim cuſis reſtitui debet,

*Vt adeas Leſbonicum, edoceas, vt res ſe habet.*

Conſilium Megaronidæ eſt, non vt ipſe, ſed Callicles adeat & edoceat adoleſcentem. Ipſi enim cum illo nihil rei. Et huic ita ſuaſiſſe, patet ex eius reſponſione:

*CA. Vt ego nunc adoleſcenti theſaurum indicem?*

Contrà Callicles paullò pòſt in hodiernis libris orat alterum, vt argentum ab amico ſibi mutuum roget:

*—— CA. clam dos depromi poteſt,*
*Dum occaſio ei rei reperiatur: interim*
*Ab amico aliquo alicunde argentum in dotem roges.*

At antiqui *rogem* habent, & ipſum Calliclem faciunt hoc conſiliū ſuum decernere ſibi exſequendum. Et rectè, patet ex ſequentibus, quæ adſcribere nihil opus. Eadem ſcenâ:

*Ignota facies, quæ non viſitata ſit.*

ſcribendum omnes videant, & [illegible] tamen omnes, *facie*. Ibidem eſt aliàs *viſitata*, quod crediderim germanū, ſimiliter ferè vſurpatum Pſeudolo, Perſa, Epidico, Curculione: quæ loca alij notarunt. Scenâ, quæ deinceps, *Salſipotenti*:

*—— nam abſq; foret te, ſat ſcio in alto,*
*Diſtraxiſſent disq; tuliſſent ſatellites tui me miſerum fœdè,*
*Bonaq; omnia, item vnà mecum paſſim cæruleos per campos.*

Scribe,

Scribe, *Bona omnia ibidem vnà mecum.* Ibidem:

*Apage me ſis, dehinc certum eſt otio me dare: ſatis partum habeo.*

Legendum aut *Apage te ſis*, aut inſerta præpoſitione *à me*. Vulgatũ nugatoriè Lambinus interpretatur. Abire Neptunum iubet, cum quo nihil deinceps ſibi futurum. Porrò ſcena *Huic ego*, male Gulielmius noſter hic:

*Dabo operam, vt me eſſe ipſum planè ſycophantam ſentiat.*

mutabat *ipſus*. Alterius vim non perſenſit, quæ in hoc nulla. Dicit Sycophanta, ſe cõductorem ſuum ornamentis circumductum, adeoq; facturum, vt ſentiat reuera Sycophantam eſſe ſe, quem ſimulare iubeatur: ipſum ſcilicet illũ ſe fore, pro quo ſit exornatus, verum, non fictum. Sequitur ab interuallo:

*CH. Quid adoleſcens quæris? quid vis? quid iſtas pultas? SY. heus senex,*

*Cenſus coniuratori ſi rectè rationem dedi.*

in quod mirificè contortuplicata extat interpretatio Lambini, cum Turnebo *cum iuratori* legentis. Hoc fortè non malè. *Iurator* omnino pro cenſore, non tam dictus ideo, quòd ipſe iuraret, ſed quòd alios ſub iuramento ex animi ſententia, cenſeret. Neſcio tamen ſi non hìc *coniuratorem* pro collega iuratoris ſiue vno ex iuratoribus auctor dixit. Ad cenſoriam quidẽ rem alludit ſimili prorſus modo, Pœnuli prologo:

*Nomen iam habetis: nunc rationes ceteras*
*Accipite. nam argumentum hoc hic cenſebitur.*
*Locus argumento eſt ſuum ſibi proſcenium:*
*Vos iuratores eſtis: quæſo operam date.*

Vbi iuratores in diuerſum ſenſum vir doctiſſim⁹ interpretatur teſtes, qui produci iurati ſolent. Cui nemo animum vel aures commodabit. Apertè luditur in cõparatione cenſionis. Argumentum fabulæ quaſi cenſetur: cenſendi locus proſceniũ eſt: Cenſores ſiue iuratores populus & ſpectatores. Hi rationes accipiunt, ferente & dedicante Prologi actore. Pariter iam in Trinumo, cum rationes aduentus & petitionis à ſene poſceretur Sycophãta, velut indignè ferens in ſe inquiri, quid tu, inquit, me rationes poſcis? Cum cenſus ſum, tum iuratori rectè dedi. neque minus dat tamen ſtatim. Hæc loci germana ſententia eſt, quam facilè verba conficient, in hunc modum leuiter etiam correcta:

*Cenſus cum ſum, iuratori rectè rationem dedi.*

Quo iure *tum* alij fecerunt, eodem ego *ſum* addo. *Si* autem deleo ex veterum editionum auctoritate. Poſt plura:

*SY. Pater iſtius adoleſcentis dedit has duas mihi epiſtolas*
*Leſbonici. CH. mihi eſt amicus. teneo hunc manifeſtarium.*

Ambigo de verbis, *mihi eſt amicus*, vtrius ſint, Charmidis, an Sycophantæ. Illius eſſe videantur ex inferiore loco:

*CH. Ne male loquare ei præſente amico.*



Digitized by Google

Sic enim Lambinus edidit, cum vulgo *præſenti* vbique. Sed huius ſunt potius, & verior illic lectio vulgata. Quia enim hic amicum ſibi eſſe dicit adoleſcentis illius patrem, id eſt, ipſum Charmidem; ideò, cum poſtea male illi diceret, ipſe Charmides præſens prohibet malè loqui amico præſenti, ſe deſignans, ibidemq; de ſe item hoc ait: *Si appellaſſes, reſpondiſſet nomine.* ſcilicet, quia præſens aderat, ipſo Sycophanta neſciente. Verum hoc eſſe, magis firmant duo infra loci, quibus apertè Charmides amicū illum Sycophantæ appellat, à quo miſſum ille ſe dixerat: vnde, niſi quia ipſe amicum ſibi eum eſſe antea profeſſus fuit? Locus vnus:

*CH. Quid eſt negotij? SY. deuoraui nomen imprudens modo.*
*CH. Non placet, qui amicos intra dentes concluſos habet.*

Vbi *places*, & *habes* forte ſcribendum: etiamſi ſententia nō ab hoc recedit, etiam per tertiam perſonam elata. Alter:

*Te potius bene dicere æquum eſt homini amico, quàm male.*

Neceſſariò igitur hic Sycophantæ profeſſio iſta adſignanda:

*SY. Pater iſtius adoleſcentis dedit has duas mihi epiſtolas*
*Leſbonici. mihi eſt amicus. CH. teneo hunc manifeſtarium.*

Diuinitus autem poſt hæc Palmerius illud ſic emendauit:

*Quod ad exemplum eſt? coniectura ſi reperire poſſumus.*
*ST. Ad hoc exemplum eſt, Char. CH an Chares? an Charmides? num Charmides?*
*Hem iſtic erit. qui iſtum Dij perdant.*

in quo viſum mihi olim non bis repetendū nomen Charmidis, ſed altero loco ſupponendum, *an Charidemus?* vt tertio demum ſuum ipſius nomen ſit elocutus, neq; ſe prodiderit ſtatim ſenex. Nūc iteratio illa venuſtiſſima videtur, quâ deditâ operâ ſic reminiſcentiā iuuare ſtudeat hominis obliuioſi præter morem contraq; dictum vulgi, quo Mendacem Memorem eſſe oportere fertur. Ita igitur relinquatur. At *eras* iuſtius reſcribes forſan: etſi neq; *eris* ſerui nequit. Inferius, è præpoſitio verſui inſerenda:

*CH. Sub ſolio Iouis? SY. ita dico. CH. è cælo? SY. atque è medio quidem.*

Lepidiſſimus nugator etiam in cœlum perueniſſe ſe iactat, & ſubvectum quidem piſcatoria nauicula, & ad id aduorſà ſemper aqua, per illumque adeò amnem, quem ſub ſolio ipſo Iouis in cœlo medio exoriri vult ſibi credi. Tum igitur hominem confidentiſſimè ſic mentientem interrogat obſtupidus & attonitus in narrationis exitum ſenex, anne in cœlo ibi cum fuiſſet, etiam Iouem viderit. Et hic ille:

*SY. Callicli iſſe ad villam aiebant ſeruis depromtum cibum.*

ſanè quam promtè, & appoſitè ad reliquorū abſurditatē, ſe ipſum ridiculiſſimâ hac nugacitate vincens. Obturbat autem liquidā ceteram feſtiuitatē reſponſionis adiecta mentio *Calliclis*, cui nō video quā hic poſſit eſſe rei. Quid enim? an Callicli referebatur Iouem abiiſſe?

abiiſſe? Ergo is quoque in cœlo vna fuerat? At nunc illum ignotum hic Sycophanta quærit. Hoc verò abſurdum non ferendum. Suſpiceris, *Charmidi* reponendum: quaſi amicus ipſius, quem eſſe prædicabat, & à quo literas afferre ſe fingebat, in cœlo vna fuerit, atque huic dictum ibi ſit, iiſſe Iouem ad villam, cum forte non offenderetur. Nam ſanè itineris aliquem comitem fuiſſe, innuitur loquendi modo, cum non de ſe ſolo, ſed vt de pluribus, numero multitudinis, Sycophanta ſemper narrat. Vt,

*Omnium primum in Pontum aduecti ad Arabiam terram ſumus.*

Et, *imò horiola aduecti ſumus.*

Imò verò ipſum Charmidem comitem fuiſſe non obſcurè colligitur ex his veri Charmidis de ſe verbis:

*CH. Nimium graphicum hunc nugatorem. ſed ego ſum inſipientior,*
*Qui egomet, vnde redeam, hunc rogitem, quæ ego ſciam, atq; hic neſciat,*

Vnde & aliud elicias, ipſum Charmidem. cum de Sycophanta ſolo quærit in libris noſtris vnitatis numero, forte de illo quoque gemino ſuo Charmide ſimul quærere ſemper, & flexum pluralem his aliquot locis pro ſingulari reſtituendum:

*CH. Qui homo eſt me inſipientior, qui ipſe egomet vbi ſim quæritem?*
*Sed nihil diſconducit huic rei. quid ais? SY. quid? CH. hoc quod te rogo;*
*Quos locos adiſtis? SY. nimium miris modis mirabiles.*

Et deinde: *Sed quid ais? quò inde iſtis porrò?*

Et poſtremò: *CH. Ehò an etiam in cœlum aſcendiſtis?*

Quæ qui conſiderabit omnia & collata inuicem diligentius expendet, ei non vana coniectura videri noſtra poterit: etſi non eam ego nimis aſſeuero, probabili profectò tamen, ſi non neceſſaria ratione ſuffultam. De ipſo Charmidæ nomine pro Calliclis ſubſtituendo quæ diſputauimus, ordine ac rectè diſputari ſic etiam ſanè poſſunt, & tam de remouendo altero, quam altero reponendo firma ſunt vtrinque, ſi quis in illuſtrandis elaboret, argumenta. Tamen vtcunque tueri id poteram, aliud ſentio apud interiorem animum meum, aliterque & melius emendari locum manifeſti quidem vitii conuictum poſſe credo, ſiue ſcio. Quid ſuſpicari tu poſſis, antea dixi: nunc, quid ipſe ſtatuam, habebis. Et confido in hanc ſententiam, relicta priori, eiuratiſq; aliis, quæ excogitari cunque poſſint, omnibus, omnes libenter mecum abituros. *Calliclí* igitur corruptum affirmo ex *Alij Dij*; atque hoc reſcribendum quanta poſſum aſſeueratione contendo. Literas vide, & corruptionis originem, tum reſtitutionis facilitatem agnoſces. Quid enim ſimile inter ſe magis? Fons erroris inde, quod *d* literula in voce *dij*, diſſiliit in duas *cl*, vt locis innumeris factum: ibi mox *alij*

In *alii* facillimè degenerauit: & cum huc præcipitatum eſſet, quomodo tandem non laberentur in additionem literæ capitalis, vt exſiſteret iam totum nouum *Caliclis*? Enimuerò quàm faciliè hoc nothum ex legitimo natum, tam facilè ex ipſo legitimũ noſtrum viciſſim nunc renatum. Par enim viciſſitudo permutationis: & per veſtigia erroris ipſa ad verum retroimus. Vna hæc ratio firmandæ correctionis à ſimilitudine ſcripturæ ſolius: altera & ab ipſius ſententiæ aptitudine; imò & elegantia ſingulari. Ecquid enim lepidius fingi poteſt aut potuit a nugatore noſtro, quam vt de Ioue interrogatus, cum non vidiſſe reſponſurus eſſet, ita diceret, abſente ipſo deos alios de eius abitu ſibi retuliſſe? Poſſem hîc plura emendationi commendandæ: ſed abſtinebo, ne iuueniliter vectare & venditare me videar, ipſiſq; lectorum iudiciis æſtimationem eius a valore nudo ſuo permittam.

## CAPVT VIII.

*Poſtquam pòſt. Memoriâ oblitus. Probare, pro æſtimare. Tutelam tergo aut ſoribus gerere. Ab re. Dignus cum gignendi caſu. Ius orare. Subitum eſt. Rectè: reſponſio ad interrogationem de ſalute. Vxores iuuentutis incontinentiori in pœnam aut caſtigationem datæ. Verſus plures variè corriguntur, numeris, interpunctu, verbis ipſis ſæpius interpolatis: ab vno mutilo Lambini additamentum reiectum. Difficilis locus facili emendatione reſtitutus. Perſona ordinatius digeſtæ. Contra alios quædam, plura nouiter vltro dicta. Leuiter & Auſonius interpolatus.*

TRinummus hîc quaſi cenſetur. Eius igitur reliquas rationes accipite vos vti iuratores: ego bona fide & ex animi ſententia dabo. Scenâ, quam proximo capite luſtrauimus, hæc etiam ſuperſunt. Verſui,

*ST. Ego hercle, ſi eris moleſtus. CH. nam pudicum neminem &c.*

inſerenda rurſum particula ablata, ne numeri vacillent,

*Ego hercle verò, ſi eris.*

Qui mox ſequuntur:

*ST. Dimittam vt te volle video. ſed monſtra hoſce homines mihi.*
*Hos ego quæro, quibus me oportet has deferre epiſtolas.*

legi diſtinguique ſe volunt:

*——ſed monſtra hoſce homines mihi,*
*Quos ego quæro, quibus m.*

Plautina deinde geminatio eſt particulæ *pòſt*:

*Poſtquam ego me aurum ferre dixi, pòſt tu factus Charmides.*

quæ iterum inferius hac ſcenâ:

*CH. Poſtquam ille hinc abijt, pòſt loquendi liberè*
*Videtur tempus veniſſe.*

ibi verò:

*Dum*

Digitized by Google

*Dum ille ne ſis, quem ego eſſe nolo, ſis meâ cauſsâ quid lubet.*

melius feceris, *qui lubet*. Sed ille obſcuræ ſententiæ & ambiguæ lectionis eſt:

*CH. An* (ſ. *At*) *etiam maledicis? SY. imò ſaluus quandoquidem aduenis,*

*Dij te perdant, ſi tè flocci facio, an periiſſes prius.*

Nec alterutram iuuat Lambinus, vltrò verſum etiam corrumpens inſertione & *pòſt*. Mihi viſa vtraq;, & certa. Legendum enim literulis traiectis *etſi*, pro *ſi te*. Sic ſcriptura emendata eſt:

*——SY. imò ſaluus quandoquidem aduenis,*

*Dij te perdant; etſi flocci facio, an periiſſes prius.*

Sententia hæc porrò germana, ioco lepidiſſimo conſtans. Gratulaturus Sycophanta ſeni videbatur de proſpero aduentu, cum ita inciperet, *ſaluus quandoquidem aduenis*: at παρὰ προσδοκίαν ſubiicit, *Dij te perdant*. Quoniam incolumis, inquit, huc veniſti, pereas: etſi mea cauſſa ſeu per me perire potueras etiam prius, nec ego floccum interduim, ſi id factum. Scenâ *Staſimi*, rectè credo vulgari:

*ST. Quid homo nihili, non pudet te? tribuſne te poteriis*

*Memoriâ eſſe oblitum?*

& fruſtrà mutari *Memoria*. Sic enim dicatur obliuiſci memoria, vt memoria meminiſſe. quod Captiuis:

*Iſtuc ne præcipias, facile memoria memini tamen.*

Etſi nec inuenuſtè ſeruus ex iſta emendatione iocetur de ipſa memoriâ oblitâ, non de condalio ſaltem ex memoria dimiſſo. Itaque non te pudet, inquiat, tribus te poculis memoriam omnem aboleuiſſe tibi, & ſimul cum vino ebibiſſe? Multò dein longiùs, leuiculum mendum:

*CH. Lubet adire atq; appellare hunc, verùm auſculto perlubens.*

*Sed metuo, ſi compellabo, ne aliam rem occipiat loqui.*

leuiter corrige, *verùm auſculto perlubens. Et metuo.* quamquam ſanè relinqui & vulgatum poteſt.

Pòſt ibi:

*——illis quoq; abrogant etiam fidem,*

*Qui nihil meriti: quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.*

non obuia notione eſt verbum *probant*, pro æſtimant ac pendunt. Ouidius ita tamen in verſiculo vulgari:

*Vulgus amicitias vtilitate probat.*

Et noſter verò etiam Perſâ: SC. *Satin hæc.*

*Tuo ex ingenio mores alienos probas.*

qui locus huic planè gemellus. Illos porrò verſus in hunc modum interſtingue:

*Sed ego ſum inſipientior, qui rebus curem publicis*

*Potius, quàm, id quod proximum eſt, meo tergo tutelam geram.*

Digitized by Google

Et iocosè ibi *tergo tutelam gerere:* quod ad alia ſæpe quoque trahit. Hac fabula ſupra:

*Aperite hoc, aperite, heus. ecquis foribus tutelam gerit.*

Truculento: *Ecquis huic tutelam ianuæ gerit? ecquis intus exit?* Paullò pòſt:

*ST. Emere meliuſt cui imperes. CH. pol ego emi, atq; argentum dedi.*
*Sed ſi non dicto audiens es, quid ago? ST. da magnum malum.*

Quod dicam, Lambinus iam monuit: ſed dicam tamen. *audiens eſt* hic, & mox,

*CH. Si bonus eſt, obnoxius ſum: ſin ſecus eſt, faciam vti iubes.*

tertiâ perſonâ legendum, neque de hoc Staſimo, ſed de alio indefinitè capiendum. Id conuincit ipſius Staſimi proximus ſermo:

*ST. Quid id ad me attinet, bonuſne ſeruus tu vtare an malus?*

Si enim de ipſo actum, quomodo alienum ſe nunc faciat? Ad verbum *emi* igitur non *te* ſubintelligendum, ſed *aliquem*. De vocabulo *Obnoxius* ad Stichum proximam ſatis a nobis dictum. Hac etiamnum ſcenâ:

*——ô mi here exoptatiſſime,*
*Salue. CH. ſalue Staſime. ST. ſaluum te. CH. ſcio & credo tibi.*
*Sed omitto alia: hoc mihi reſponde.*

Rectius in antiquis *omitte*, quod repono. Præcidit enim ſerui gratulationem ſenex, & hanc aliaque omittere iubet, de liberis autem reſpondere. Scenâ *Quid hoc hic*: verba & interpuncta verſuum ſic diſtribue:

*ST. Nihil eſt mora? CH. nihil. ambula. actutum redi.*
*ST. Illic ſum atq; hic ſum. CA. ſequere tu me intrò hàc. CH. ſequor.*

Vltima ſcenæ mutila ſunt, nec Lambini probum additamentum. Non enim de ſe ſuiſque laboribus ſeruus loquitur, ſed de Calliclis: vt apparet ex ipſo poſtremo verſu:

*Ob rem laborem eum ego cepiſſe cenſeo.*

Vbi ſententiam veram aperio emendatione, *Ab re*. Non enim hîc conuenit de re facienda: alij ſunt labores, quos eum cepiſſe iudicat ab re, id eſt, fruſtra, & non ex merito ipſius. Immerito enim calumniis exagitatum, & oneratum infamiâ innuit, quam ille fide ſua ſibi pepererat: vt ex ſuperioribus clarum. Atque igitur verborum defectorum, *Quamquam labores multos*, huc quoque ſenſus reſpexit: Etiamſi labores multos Callicles cepit & iniquis hominum maledicorum ſermonib. impetitus fuit, tamen ego ſeruaſſe eum fidem credo & firmum in amicitia perſtitiſſe. Scenâ *Hic homo*, aut ſuperfluit verbum *ſubeſt*:

*Ita commoda quæ cupio eueniunt, quod ago, aſſequitur, ſubeſt*
*Subſequitur.*

aut mutandum fortè *ſubit*. In *commoda* nihil cum aliis turbo: tamé poſſim velle *omnimoda*. Quod de delédo *ſubeſt* dixi, non temerarium eſt. Paſſim enim delicias Plautus facit in coniungendis ſic

verbis *ſequi, aſſequi, ſubſequi.* Amphitr.

*AM. Age, i tu ſecundum. SO. ſequor, ſubſequor te.*

Fragmento Aſtrabæ:

*Sequere, adſequere, Polybadiſce: meam ſpem cupio conſequi.*

*Sequor hercle quidem: nam libenter mea ſperata conſequor.*

Scenâ *Neq; fuit:* conſtat ſua ſententia verſui:

*Nam beneficium homini proprium quod datur, proprium ſumſerit.*

ſed alio flexu efferendam, ſcribendumque *ſumſeris.* proximus ſuadet:

*Quod datum eſt vtendum, id repetendi copia eſt, quando velis.*

imò non ſuadet, ſed cogit. Niſi contrà *velit* in ipſo dicas ad illius exemplum faciendum. Vtrumque quidem verbum eodem terminatu eſſe debet: ſed potior is, vt ego cenſeo, perſonæ ſecundæ. Poſteà literula ſuperaddita ſenſum vulgò corrupit iſtic:

*Neu quis rem ipſam poſſet intelligere, & theſaurum tuum*

*Me eſſe penes, atq; eum à me lege populi patrium poſceret.*

Quis alienus obſecro repetere theſaurum poterat? imò verò ſolus filius: cuius ea propriè actio, ſi reſciuiſſet. atque id vltrò indicatur per vocem *patrium.* Detrahe igitur *s* à fine prouocabuli, & fac aduerbium, *Neu qui;* id eſt aliquo modo. De filio & hæc dicuntur, vt ipſa illa quæ præcedunt. Inde porrò potuit ſcribere Plautus, vt Nonius vult:

*CA. Non ego ſum ſalutis dignus?*

quâ loquendi formâ, ſiue caſuum metaplaſmus eſt, ſiue Græciſmus, ſed hic potius, alii quoque frequenter vſi, & ipſi, quos ſibi claſſicos noſtrum ſeculum facit & dicit. Virgil. in 12.

*Deſcendam magnorum haud vnquam indignus auorum.*

Ouid. 3. de Arte:

*Curia concilij nunc eſt digniſſima tanti.*

Suetonius Othon. *Vt iam vix vllus eſſet, qui non & ſentiret & prædicaret, ſolum ſucceſſionis imperij dignum.* Statim, ſi omnes ſcenæ verſus ad vnam exigis regulam, breuior eſt toto pede iſte:

*CH. Deos volo conſilia veſtra rectè vortere.*

Sed ego Iambicum trimetrum hunc eſſe & de induſtria miſtum fuiſſe aliis puto. Perſonæ deinceps non rectè mihi diſtributæ videntur:

*CH. Spondeo, & mille auri Philippûm dotis. LY. dotem nihil moror.*

*CA. Si illa tibi placet, placenda dos quoq; eſt quam dat tibi.*

*CH. Poſtremò, quod vis non duces, niſi illud quod non vis, feres.*

*CH. Ius hic orat, LY. impetrabit te aduocato atq; arbitro.*

*Iſtac lege filiam tuam ſponden mihi vxorem dari?*

*CA. Spondeo. CA. & ego ſpondeo item hoc.*

Indecorum enim, vt nunc vicarius ad hoc tempus Callicles partes agat etiam præſentis Charmidis, qui ipſe pro ſe vt filiam ſuam deſpondet, ita de dote quoq; agere debet. Ergo ſic repone:

*CH. Spondeo, & mille auri Philippûm dotis. LY. dotem nihil moror.*
*CH. Si illa tibi placet, placenda dos quoq; eſt quam dat tibi.*
*Poſtremò, quod vis, non duces, niſi illud quod non vis feres.*

(atque hos binos verſus eiuſdem eſſe, præter alia, arguit particula *poſtremò*: quæ ſermonis continuationem Plauti more ſignat.)

*CA. Ius hic orat. LY. impetrabit te aduocato atq; arbitro.*
*Iſthac lege filiam tuam ſponden mihi vxorem dare?*
*CH. Spondeo. CA. & ego.*

Callicles aduocatus nunc tantum, primarius vir ipſe Charmides, & ſecundas ille rectè agit, cum ait *Ius hic orat.* quæ dictio creberrima Comicis. Auſonio alicubi reddenda in epiſtola ad Symmachum, id eſt Præfatione ſuper Gripho ternarii numeri. *Quem ego verum dicere fatebor, iuſſe negabo.* Facito, *ius denegabo.* Etiamnunc Trinummo vix illud rectum:

*Eum accerſi ita ſubito eſt, properè quod eum conuentum volo.*

Hoc autem rectum, *ita ſubitum eſt.* Frequens id, atq; item alterum geminum *ita res ſubitaria eſt.* Nam Lambinus in diſtinctione,

*Euocate ita ſubito: eſt properè quod e. c. v.*

pueriliter ineptit. Noſtrum ſi recipis, facere potes etiam ibidem, *propter quod.* Ibidem adhuc perperam diſtinctio:

*CA. Beneuolens tuus atq; amicus eſt. LE. ſatin ſaluè? dic mihi.*
*CA. Rectè tuum patrem rediiſſe ſaluum peregrè gaudeo.*

Non cohærere debent, *Rectè tuum patrem rediiſſe*: ſed *Rectè* ſolum ſeorſum accipiendum, commate à reliquis ſeparatum. Ea namq; reſponſio ad ſciſcitationem eiuſmodi ſolennis: de quâ Formularium Briſſonianum vide. In fine notes in pœnam quaſi ſolitas olim iuuenibus luxurioſis vxores dari:

*CA. Miſeria vna quidem homini eſt affatim. CH. imò huic parum eſt.*
*Nam ſi pro peccatis centum ducat vxores, parum eſt.*

Iocosè quidem hoc hîc ſenex: ſed omnino ſeriò olim & nunc iuuentus diſſolutior vxoriâ habenâ caſtigari & coerceri ſolet. idque vita communis, & huius ſpeculum Comœdia vbique exemplis aſſerit: & præcipit prudens Educationis magiſter Plutarchus in libelli extremo: Πειρατέον δὲ τοὺς τῶν ἡδονῶν ἥττους, καὶ πρὸς τὰς ἐπιπλήξεις δυσηκόους, γάμῳ καταζεῦξαι. Δεσμὸς γὰρ οὗτος τῆς νεότητος ἀσφαλέστατος. idemque non inſipiens ſeruus Epidicus fabula ſibi cognomine conſulebat hero maiori in minorem, SC. *St. tacete:*

*EP. Continuo arbitretur vxor tuo gnato.*

quod hinc interpretandum. Penultimo deniq; hîc verſu:

*LE. Numquid cauſſæ eſt, quin vxorem cras domum ducam? CH. optimum eſt, licet.*

abeſſe vox vltima *licet*, & per verſum & per ſenſum poteſt. neutri tamen nimium grauis eſt, ſi ſcias commodè numeros metiri.

VALEN-

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI TRVCVLENTVM

## DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.

AD

Nob. magnæ indolis ac ſpei adoleſcentem

IVLIVM CÆSAREM WACKHERVM Magnifici & Ampliſſimi viri IOANNIS MATTHÆI WACKHERI à Wackenfels, Conſiliarii Auguſtalis, & Epiſcopi VratisL. Cancellarij Filium.

MAGNAM *fuiſſe vim oportet, quæ me nuper à cariſſimi ſodalis tam diuturno contubernio Vratiſlauia commouere, & Niſſam veſtram abſtrahere potuerit,* IVLI CÆSAR WACKHERE, *flos adoloſcentiæ nobilioris, & ſpes nobiliſſimæ maturitatis. Fuit ea verò permagna vis, ſed eadem & blandiſſima: prorſus adeò ipſa* πειθανάγκη. *Summa me ſcilicet præſtantiſſimi tui patris, ampliſſimi viri, beneuolentia in me & humanitas, ſimul auctoritas apud omnes meritò grauis, apud me grauiſſima, crebris inuitationib. huc & allicuit & abripuit: cuius iſtam mei cupiditatem neque morari debui longius, & minimè fruſtrari, conſuetudinem autem ipſam vltrò ipſe vehementius affectare. Quid enim optatius eſſe mihi poterat, quam eiuſmodi viri, tam magni, tam docti, tam humani domeſtica familiaritate, & ſermonibus eruditiſſimis planeq; Muſicis, vt fruor quotidie, de hoc noſtro & omni litterarum genere frui? Quid autē fuerat indignius, quam hominis adeò beneuoli & benefici,*

*ſic amantis & cupientis, deſiderium contemnere? Quid deinde ſtultius, quàm oblatam ita comiter, ita prolixè delatam vitæ ſtudiorūmq; commoditatem repudiare? Quid inſanius denique quàm fortunam talem, ſponte ſe in amplexus dantem, ambabus, quod dicitur, manibus, excipiendam aſpernari? Ego vero neq; tam omni ratione carui, vt boni quid mihi immineret, non intelligerem; neq; tam humanitate, vt non amplecterer: nec autem adeò fui barbarus, vt felicitatem velut ingeſtam tamen faſtidirem, quodq; votis omnibus & ſtudiis eſſet enixè cuiq; appetendum, ſine ambitu, ſine labore, inſperanti etiam mihi prouenièns non dignarer acceptare. Agnoui & accepi: tantumq; auſpicem, ducem, & Auctorem ſum ſecutus; Cuius in me effuſiſſimam humanitatem, prolixiſſimam beneuolentiam, merita plurima & maxima non anguſto hoc loco poſſum, nec inſtitui prædicare ad te, mi* IVLI CÆSAR; *quem quidem alia cauſa literis his ab initio compellabam. Eam nunc non redordiar altius, ſed expediam breuiter, vt me tempus & res ipſa monet. Poſtquam igitur, vt inceperam dicere, Vratiſlauia Nyſſam tranſii, iamq; hic vltra menſem in domeſtica patris & veſtra iucundiſſima conſuetudine vixi, paternis ædibus & rebus omnibus tanquam meis vſus, debere mihi ſanè videor benigniſſimæ hoſpitationis quandam remunerationem: quam quia ipſam ipſi parenti præſtare dignam ex tenuibus reculis meis non poſſum, exhibeo ecce tibi paruum & leue munuſculum ex literariis noſtris copiolis depromptum: quod libenter accipies tu, & cum fratre etiam ſuauiſſimo puero,* CAROLO AVGVSTO, *patris deliciis, tuis & meis quoq; amoribus, commune facies; vobis quidem liberis communi meo nomine, patris vicem, debitum; tale autem, quo præcipuè vos vti aliquando per ætatis prouectum, ſtudiorumq; prouectum maiorem commodè nec infrugiferè poſſitis. Etſi tu quidem vti iam nunc potes, eò progreſſus in literis, vt ad Plauti lectionem rectè admonearis: à quo tamen ſi parenti & præceptori adhuc videris abſtinendus, paulò pòſt ad eum paratior & inſtructior accedes cum commentationibus his noſtris, vt mendoſa & obſcura multa rectius intelligas,*

dim

olim etiam illas vltrò examinaturus, & auctâ eruditione confirmatoq; iudicio de noſtra ſententia tuam inuicem laturus. Quod vt poſſis, annis tibi non ita multis opus eſt: opus autem eſt diligentiâ in ſtudiis plurimâ: cui ne parcas hac ętate, nec indolem pręclariſſimam tuam neceſſario ſubſidio deſtituas, ipſiq; tibi ita deſis, vt exſpectationem tui tantam non impleas, vide. Nam alia abundè adſunt omnia, quibus à natura & fortuna cumulatiſſimè es inſtructus: ſola diligentia his addenda, & à te ipſo tibi aſſumenda. Ad quam non ego prolixius adhortari te debeo, quando multa acriora & plurima vndecunq; habes incitamenta: domi potiſſimū ab exemplo magnifici parentis, cuius eximię virtus, doctrina, dignitas te fratremque ſollicitè in imitationem ſui & ęmulationem ſtimulant: ſed & à te ipſo, tuiq; tam egregiâ ſpe, quę munificentiſſimā gratiam ipſius Auguſtiſſimi Imperatoris iam nunc tibi conciliauit. Is nempe, qui nuper ob virtutes & benemerita in Auguſtā domum, patrem tuum ampliſſimo honoris pręmio, & illuſtri Cęſarei Conſiliarij titulo decorauit: idem ante iam ob inſignem tuam indolem te quoq; ſplendido Canonicatus Vratiſlauienſis munere donauit. Hęc alia non minus pręclara cogitabis aſſiduè, & in oculis habebis, quantoq; magis indies intelliges, tantò maioris ęſtimabis & ſequêris diligentius, vt ipſum patrem, & in eo quęcunq; ſunt, in quo ſunt omnia ſumma, feliciter aſſequaris. Cui proceſſui tuo faueo & fauebo ſemper ex animo, lęuaq; omina perpetuò deprecabor: & nunc quidem in ſignū etiam illius meę beneuolentię & iſtius voti conteſtationem libellum hunc do dedicoq; tibi, quem anteà tantùm vt munuſculum hoſpitale deſtinabam, vel & quaſi ἐνοίκιον quoddam eſſe cupiebam. Meritò enim etiam hoc & idoneo iure conuenientiſſimaq; cauſa cupiebam. Nam cum hîc apud vos in ędibus veſtris extremam manum Plautinis totis in veteri contubernio Vratiſlauię affectis commentationibus impoſuerim; extrema pars earum aptè prorſus & iuſtè cedit vobis vt locarij titulo: niſi potius ipſum iſtum libellum tanquam vernulam accepturi eſtis, quem domi veſtrę Muſa noſtra pepererit, ſic quoq; vobis & reliquo omni iure debitum deditum. Tu ve-

*rò quocunq; nomine peculiariter eum tibi, mi Iuli Cæſar, habe, & ſiue donariolum, ſiue* ἐνοίκιον; *ſiue adeò vernam pro peculio prorſus in ſolidum tuo poſſide: Fratri tamen, vt dixi, cum vti poterit ac volet, non inuide: patri autem oſtende, approbaq; officij ratione & grato muniq; pro tam comi hoſpitatione animo meo, magis vt nos porrò amet, neq; fouere præſentem abſentemve deinceps deſinat, effice impetrabili amabilitatis tuæ gratià, noſtraq; ei ſtudia amplius commenda, & ipſe cum fratre non ingratum vobis hoſpitem, vt facitis, amate, ſimulq; omnes amati à me quiſq; pro veſtro merito & culti perpetuo ex meo voto rectiſſimè valete.*

---

# VALENTIS ACIDALII IN PLAVTI TRVCVLENTVM

## *DIVINATIONES ET INTERPRETATIONES.*

### CAPVT I.

*Parſimonia, res comparſa: Frugalitas, item. Potior, in amoribus. Alteri. Damnoſus. Accepti, nõ expenſi ratio apud meretrices: inibi locus inſignis correctus. Senium ac odium. Verſus nuperis editionibus reſtitutus. Interpuncta mutata, verba eiecta. Alia diuerſimode emendata, explicata. Curculio & Epidicus illuſtrata:*

VLtimus nobis in TRVCVLENTO labor ſupereſt, cuius vel ipſo nomine debuerant procul àbſterreri Corruptores, ne quid ei nocere tentarent. Nunc adeò non abſtiterunt & abſtinuerunt, vt vltrò irritarint de proximo, & magis omniumque maximè efferarint. Sed enim nos malaciſſare viciſſim conabimur, & aliquid efficere ſanè confidimus, maximè poſt aliorum blandas iam diu palpationes, quibus non parum videtur iam tum mitior & tractabilior redditus: etſi deleniri prorſus quidem poſſe nulla, nec à me, nec à quoquam porrò ſpes eſt. Sed adeamus in tempore, & iam hinc experiamur. Argumento fabulæ, vbi ipſe Stratilax deſcribitur:

*Vi magna ſeruus eſt ac trucibus moribus,*
*Lupæ ne rapiant domini parſimoniam.*

non eſt [illegible] violentia eius hic ſermo. Languet enim qui poteſt excitari interrogatione:

*Lupæ ne rapiant domini parſimoniam?*

Eſt

Eſt enim fortaſſe μιμητικῶς hoc dictum velut ex ipſius perſona, qui ſic ſtomachetur: Æquumne id eſt, & ego feram, à meretricibus diripi parſimoniam heri? Nimis autem pulchrè *parſimonia* poſita pro bonis ipſis comparſis & parſimonia quæſitis: vt ipſe infra Sc. *Quis illic*, interpretatur:

*——ST. ſuam non enim ille meretriculis*
*Muniendis rem coegit, verùm parſimoniâ*
*Duritiaq́ue, quæ nunc ad vos iam exportatur, peſſumè.*

Ad eundem modum Apuleius alicubi *Frugalitatem* vſurpat, pro frugibus & habentiâ totâ: cum quo nunc neſcio libro ait, *Omni frugalitate conſumta*. Peſſimo verò facto in optima editione vltimum periochæ verſum omiſerunt? quem ex aliis appones:

*Suumq́ue is repetit à meretrice ſubditum.*

Scenâ primâ:

*Sin alter alteri potitus eſt, itidem perit,*

Benè Gulielmius noſter editionum veterum lectionem reduxit, *potior: alteri* cur ſic reliquit? Nam etſi quidem id omnibus in libris, ego non tamen ſatis fero. Sanè *altero* requiri videatur: niſi pro hoc illud ipſum eſt: vt auferendi caſus iſti per *i* ſolent efferri aliquando. Exemplo ſunt, Die craſtini, ſeptimi, quotidie, quî. Sed omninò vocis eius nihil hîc fuit, niſi prorſus erro. ac libido ſit velle potius ſcriptum, *Sin alter autem potior eſt*. Abſolutè enim *potior* in re amorum, pro potiſſimo amatore: neque tam Caſinâ noſtri, quem locum non nimis aptum Gulielmius laudat:

*——hercle me ſuſpendio,*
*Quam tu eius potior fias, ſat iuſt mortuum.*

ſed magis Horat. Epod 15.

*Non feret aſſiduas potiori te dare noctes.*

Porrò autem in interpunctione vitium:

*Atq́ue hæc celamus nos damna vnâ induſtriâ,*
*Cum rem fidemq́ue nôſq́ue noſmet perdimus,*
*Ne quid parentes neu cognati ſentiant.*

quòd facilè ſententia viſa docet tollere:

*Atq́ue hæc celamus nos damna, vnâ induſtriâ*
*Cum rem fidemq́ue &c.*

Dum damna noſtra celamus, inquit, ne parentes aut cognati ſentiant, interim vnâ eademque operâ pariter rem, fidem & noſmet ipſos perdimus. At ſi non celent ipſi, contra lenones & ſcorta periturus ait ſtatim:

*Quos cum celamus, ſi faximus conſcios,*
*Qui noſtra ætati tempeſtiuè temperent,*
*Vnde ante partu demus poſtpartoribus,*
*Faxim lenonum & ſcortorum vt plus eſt minus,*
*Et minus damnoſorum hominum, quam nunc eſt, ſiet.*

In quibus inconcinnum additamentum verbulorum, *vt plus eſt:* quæ quidem abeſſe debere videntur, vt abſunt à veteri meo Colonienſi. Verſus autem facillimè expleatur aliter:

*Faxim lenonum & ſcortorum multo minus &c.*

Certè, ſi *vt plus eſt* hîc fuit; inanis poſteà verſus idem dicens:

*Nam nunc lenonum & ſcortorum plus eſt ferè.*

*Damnoſos* autem homines ibidem vocat, qui damna faciant πανηγικοὺς, non qui inferant: & eodem intellectu ſe mox *damnoſiorem:*

*Damnoſiorem me exinde amouit loco.*

quod qui ita explicant, vt cenſeant reſpectu meretricis accipiendum, cui damnum ille det, quia nihil aut parum det; hos errare puto. pariter vt Lambinum Curculione *Dites damnoſos* interpretantem de locupletibus ſumtuoſis. Ita verò ſumtuoſis quidem ſed olim, dum res ſupereſſet, vnde ſumtus fierent. Nūc enim damnoſos ideò dicit illos diuites, quia tot damnis vltrò factis è diuitiis in egeſtatem deuoluti ſint. Nec aliter Epidico *Damnoſus ſenex,* quam pro infelici & multis damnis confectò. Sed porro pergit Dinarchus de lenonum & ſcortorum multitudine:

*Nam nuſquam alibi ſi ſunt, circum argentarias*
*Scorta & lenones quaſi ſedent quotidie.*
*Ea nimia eſt ratio: quippe qui certo ſcio,*
*Triplo plus ſcortorum eſſe iam quàm ponderum,*
*Quos quidem quamnam ad rem dicam in argentariis*
*Referre habere, niſi pro tabulis, neſcio,*
*Vbi æra perſcribantur vſuraria,*
*Accipiat ilico expenſa, neq; cenſeat.*

Quos verſus omnes vnius extremi gratia aſcripſi: quem corruptiſſimum eſſe, tum putidiſſimè ab Interprete exponi, pignus in omnes fortunas meas dare ſum paratus. Quis enim aut eſſe poteſt ſenſus? aut qualis eſt, quem Lambinus facit? Accipiat ilico, ait, Phroneſium quæ ſunt expenſa, neq; cenſeat tñ ſe accepiſſe. Idem verò eodem pignore contendam, rectiſſimè à me ſic emendari:

*Accepta dico, expenſa ne qui cenſeat.*

neq; minus explicari. Nihil enim ad Phroneſium iſta: ſed de ſcortis agunt etiam circum argentarias ſedentibus. Atque ait Dinarchus, neſcire ſe, quid in argentariis ſcorta haberi referat, & in quē vſum eſſe poſſint, niſi ſi forte pro tabulis vſurpentur, in quibus rationes & vſuraria æra perſcribantur: Sed æra quidē accepta ſe dicere, ne quis putet de expenſis loqui. dicto hoc magiſne argentarios, an ſcorta perſtringens? vtroſq; videtur. Nam & alibi trapezitæ inſimulantur accipere lubentius, q̃ expendere, & ſuum ſtrenuè repoſcere, alienū nemini reddere. Magis tamen in meretrices hîc hoc dictum putem, quæ accipiunt ſemper, nec vnquam capiunt ſatis. ſemel autem acceptum nunquam dimittunt poſteà: quod hac fabula & inferius ab Aſtaphio de ipſis prædicatur:

Nam

*Nam itidem vt Acherunti hic ratio accept. ſcribitur.*
*Intrò accipimus: quando acceptum eſt, non poteſt ferri foràs.*

Accepti igitur ratio apud ſcorta perpetuò ſcribitur, nulla expenſi. Quod ioco ſic innuit Dinarchus, cum æra in illis quaſi tabulis perſcribi poſſe ait, ſed accepta, non expenſa. Locum elegantiſſimum egregia emendatione à nobis reſtitutum expectare nemo debet, vt ipſe prædicem; ego contra poſſum, vt alii. Pòſt laborant interpunctis iſta:

*Eadem poſtquam alium repperit qui plus daret,*
*Damnoſiorem me exinde amouit loco,*
*Quem infeſtum ac odioſum ſibi eſſe memorabat mala,*
*Babilonienſem militem. Is nunc dicitur*
*Venturus peregrè.*

nec laborantibus illis rectè valet ſententia. Sed & verſus vnus iuſto longior eſt: in quo *inſenſum* Lambinus volebat, non tamen aſſecutus quod volebat. Reſtituendum ita cenſeo:

*Quem ſenium ac odium ſibi eſſe memorabat mala.*

Detorta hinc ab imperitis iſta altera, qui ſenii ac odii vſurpationem iſtam ignorabant: non mutaturi, ſi Nonii principium ſaltem ipſum legiſſent. Ibi exempla plura vide: vnum atque alterum hic ſtatim. Accius:

*Mors amici ſubigit, quod mihi eſt ſenium multo acerrimum.*

Turpil.

*Quia enim odio ac ſenio mihi hæ ſunt nuptiæ.*

Interpunctiones verò ſi nunc concinnandæ:

*——amouit loco.*
*Quem ſenium ac odium ſibi eſſe memorabat mala*
*Babilonienſem militem, is nunc dicitur*
*Ventur. pereg.*

Hoc quoque iidem antiquum loquendi genus non ceperant: ſed tam clarum iſto literarum ſeculo, vt inſcitia mera ſit exemplis docere. Ibidem mox:

*Eum eſſe ſimulant militem puero patrem.*

Cur non *ſimulat*? quo flexu reliqua ſunt omnia.

Diſtingues autem iſta ipſa:

*Peperiſſe ſimulat ſeſe, vt me extrudat foras:*
*Atq; vt cum ſolo pergræcetur milite,*
*Eum eſſe ſimulat militem puero patrem.*

ac porrò ſimul lege:

*Quid iſti ſuppoſitum puerum opus autem? peſſuma,*
*Mihi verba retur dare ſeſe?*

Feci *opus autem* ex antiquo *optant*: vnde tota tamen oratio in alium ſententiæ habitum refingi poteſt, relictâ priſtinâ ſuperiorum interpunctione:

*Eum eſſe ſimulant militem puero patrem,*

*Quem iſti ſuppoſitum puerum adoptant peſſuma.*
Cur me incertæ lectioni iudicem non interponam.

## CAPVT II.

*In voce Publicani latens obſcenitas. Alter pro alius. Longè alter. Obſecro, an & affirmantis. Recipiſſis. Proficiſci. Vrbicum petus. Quia tibin'. Suaſum. Ar, ad. Sanus ſi videare; Herus ſi domi ſit; dicam: Plautinæ locutionum formulæ contra alios defenſæ. Ne, pro non-ne. Viuere pro eſſe. Mutatæ diſtinctiones: verba ablata alia, alia addita, quædam traiecta. Verſus concinnati. Diuerſæ præterea correctiones. Militis locus reti actatus. Corruptiſſimus hac fabula verſus poſt alios variè tentatus.*

SCenâ *Ad fores*, perſpicuè vna vocula à ſententia aberrat & facit aberrare:

*AS. An tute bene rem publicam aut amoris alia lege*
*Habere ſe poſtulas, quin tu otioſus fias?*

Emendo *Habere te poſtulas*: id eſt tractare cupis, tractari poſſe putas. Rem amoris, ita dictam, vt alibi rem voluptatis, pro ipſa voluptate & amore, comparauit cum publica re: quæ vtraq; eadem lege ſeu conditione habeatur, vt otioſus, qui habeat, fiat, ſed otiū longe diuersâ vtrinq; ratione. Non longo hinc interuallo:

*Hunc nos habemus publicum, illi alij ſunt publicani.*

Legendum ſuſpicor, *Hic nos h. p. illi alibi ſ. publicani.* quandoquidem ſequitur mox *Vtrobidem*, & poſteà *& illic & hic.* Δεικτικὸς autem eſt *Hic*, muliebrem partem ſignans: *alibi* indefinitè de puerili poſitum, ſed quæ & ipſa clarè ſatis notatur in ſono *publicani.* Non enim temerè ſic hoc flexiſſe mihi Plautus videtur, ſed vt ſonum conficeret *publici.* (quod pace dicam honeſtiorum & verecundiorum aurium) *ani.* Porrò poſt plura:

*DI. Ego fateor: ſed longe aliter eſt amicus atq; amator.*

Non violo τὸ *aliter*, veram fortaſſe, certè bonam lectionem. Neſcio quis tamen mihi Genius inſuſurrat a Plauto ſcriptum *alter.* Alter, eſt alius, in ipſo Captiuorum limine: atq; ibi notauimus, vno tantum aliunde Claudiani exemplo allato: quod huc multo etiam magis quadrat:

*Altera Romanæ longè rectoribus aulæ*
*Conditio.*

Addo nunc ſimillimum ex Sidonio Apollinari:

*Concretum gerat ipſe caput: longe altera noſtri*
*Gratia iudicii eſt: ſcit ſe, non ſe ſuis, amari.*

Neque ſic Horatius abhorruit vti. Epiſt. vlt.

*Permutet dominos & cedat in altera iura.*

Neque Iuuenalis Sat. 3. ——*modò longa coruſcat*
*Sarraco veniente abies, atq; altera pinum*
*Plauſtra vehunt.*

Plautus

Plautus autem in hoc vſu crebertimus omnium: cuius illud nunc vnum etiam ſuccurrit ex Milite:

*Atq; ego illi aſpicio oſculantem Philocomaſium cum altero*
*Neſcio quo adoleſcente.*

Dehinc noua ſignificatione poſitum verbum:

*Mala es atq; eadem quæ ſoles, illecebra. AS. vt exſpectatus*
*Peregrè aduenisti: nam, obſecro, cupiebat te hera videre.*
*Quæ tandem te vnum ex omnibus amat.*

Nam affirmantis videtur eſſe obſecratio, quæ rogantium aliàs tantùm. Ac forte ſic in Terentii illo quoq; Phorm. Act. 5. Sc. 1.

*Duasne vxores is habet? SO. au, obſecro, vnam ille quidem hanc ſolam.*

Tamen aliter ibi capi poteſt: & hic in noſtro tranſponi mihi r..ſtius vox eadem videatur, ac Dinarcho geſtibundo & interrogabundo aſſcribi:

——*AS. vt exſpectatus*
*Peregrè aduenisti! nam cupiebat te hera videre. DI. obſecro?*
*AS. Quæ tandem te vnum ex omnibus amet. DI. euge ſunde &c.*

Quomodo noui & inſolentis in oratione nihil: in ſenſu verò apta omnia & expedita. qui quidem intricatus atque ineptus in iſtis ſcenæ extremis:

*DI. Quàm mox te te recepiſti? iam hic eras? AS. prope eſt, profecta quò ſum.*
*DI. Redi verò actutum. ego interim te apud vos opperibor.*

Nondum abiiſſe liquet Aſtaphium: & tamen ſic quaſi abierit redieritque, Dinarchus ad eam profert illa prima: *Quam mox te recepiſti? iam hic eras.* Manum porrigunt ad emendationem libri veteres, qui Aſtaphio dant partem horum paullo aliter lectam & cũ ſequentibus continuatam. Sed nos porrò manum alteram in auxilium tendamus, & illos conantes ſaltem plene adiuuemus. Scribendum:

*DI. Quàm mox te recipiſſis? AST. iam hic ero: prope eſt, profecta quò ſum.*
*DI. Redi verò actut.*

Turbauit non rectè intellecta locutio, *profecta quò ſum*, de qua nonnihil ad Rudentẽ. Eſt autem, quò inſtitui & incepi ire. Aulul

*Nunc, quò profectus ſum, ibo: poſtea ad domum*
*Me rurſum, quantum potero, tantum recipiam*

Trinummo:

*Potin' vt me ire, quò profectus ſum, ſinas?*

Terent. Eunuch.

*Detineo te fortaſſe: tu profectus aliò fueras.*

Et hic Dinarchus interrogat, quam citò ſe domum receptura ſit Aſtaphium: cui illa, quam citiſſime ſcilicet: nam non procul eſſe, quò ire deſtinarit. Quòd ſi quid de *recipiſſi* etiam dicere vellem, nugas agam. Norunt omnes, quam id frequens in noſtra, cum ge-

minis eius *incipiſſis, occipiſſis:* quæ ſæpius alibi corrupta paſſim alii reſtituerunt. Etſi tamen hic & *recepſis* ſcribi potuit, pro receperis: id eſt, quàm mox redieris? Idque parum abeſt quin verius eſſe dicam. Scenâ iam proximè ſequente:

*Nugæ ſunt, niſi quod modo cum dederit, dare iam iubeat denuò.*

Hic *qui*, ille *lubeat* corrigunt: Ego parum ab vtroq; diuerſus, *niſi quoi, modò cum dederit, dare iã lubeat denuò.* Dein ſic iſtud diſtinguo:

*Æquo animo, ipſe ſi nihil habeat, aliis qui habent det locum.*

Sequitur alia ſcena *Quis illic:* cuius ſecundum verſum:

*AS. Ego ſum, reſpice ad me. ST. quid, ego? nonne ego video? væ tibi.*

quia legunt alii aliter, aliter etiam lubet mihi: *ST. quid, ego? AS. non nego. ST. video: væ tibi.* Indignatur violentus ſeruus, tam confidenter Aſtaphium reſpondiſſe, *Ego ſum:* & eò ſtomachabundus reddit, *quid? ego?* illa verò nihil ſe territam minaciori dicto ſimulans, ita dixi, inquit: ego ſum: non nego, neq; dixiſſe, neq; me eſſe. ibi Truculentus iſte: video te ipſam eſſe. quid, malum, autem huc tibi vẽtio eſt? &c. Porrò illic:

*AS. Ecquid tibi ego autem dico? ST. quia enim truculentum nominas.*

De conſilio veterum tollo duas literulas & a medictionem integram aliam malè perditam reſtituo:

*AS. Quid tibi ego autem male dico?*

Vult ita verſus: & magis ſenſus, e præcedenti iſto ductus,

*ST. Pergin male loqui, mulier, mihi?*

Et deinceps:

*AS. Reus merum hic quidem eſt. ST. pudendumne? tu verò clurinum pecus,*
*Aduenisti huc nos tentatum cum exornatis oſſibus.*

Corruptiſſima ſunt, quis variè varij medentur. Immedicabilis autem hactenus vox *clurinum:* pro qua olim ego, cum liberet & liceret allucinari, *vrbicum:* quaſi pecus vrbicum ruri oppoſuiſſet: At alterum verſum legi ſemper & lego:

*Aduenisti huc te oſtentatum cum exornatis oſſibus.*

quod vt non interpretationis, ita nec probationis eget. Non minus autem corrupta, quæ mox ſequuntur:

*Quia tibi inſuaſo infeciſti propudioſa pallulam.*
*An eo bella es tu, quia accepiſti arme aduenias. AS. nunc places.*

Sed ea facile quidem eſt ſanare, quamquam multorum curatio ibi vana. Priore verſu ſcripſit omninò Plautus, *Quia tibin' ſuaſo.* De *ſuaſo* Feſtus. *Quia tibin'* tmeſis eſt, pro *Quiane tibi.* Ceterùm diſtinctione iam hic cum altero nectendus, & ille meo iudicio ſic itera emendandus:

*Quia tibin' ſuaſo infeciſti propudioſa pallulam,*
*An eo bella es tu? quin accedis ar me aduenas. AST. nunc places.*

*Accedis ar* pro *ad*, vt alii monuerunt, libens retineo: in ſequentibus verò nunc verſibus obhæſi ſemper, neq; dum quidquam quod placeat

placeat expedio, cum aliorum interim commenta video meis etiam vaniora. Sed fugio a deſperato iſto loco ad minus lethaliter affectos. Verba verſus huius ita ordinanda:

*AS. Mulieres volo conuenire veſtras. ST. quas tu mulieres &c.*

Atque illum defectum licet:

*Peſſumæ eſtis. AS. quid eſt quod vobis peſſumæ hæc via.*

ſic reſtitui tamen in integrum, vt ſpero:

*Peſſumæ eſtis. AS. quid eſt quod vobis peſſumæ ſumus? ST. hàc aui.*

quod poſtremum eſt *abi*. *Sumus* iam olim in proximum *peſſumæ* correpſerat, vnde rurſum nunc extraxi. Quærit Aſtaphium, quòd ita pro peſſimis habeant ipſas. at ille illam abire tantum, quod ſæpius antè, iubet: ſe enim quidem ſcire plus quam illa arbitretur. Mox elegantiſſimum Aſtaphii dictum:

*AS. Sanus ſi videare, dicam.*

cum magno culpæ ſuæ ſocio deprauat Lambinus, vt apud ipſum videre, ſi lubet, potes. Enimuero tam non dicam hic, ſed ille dormitauit, vt ſenſum vel conniuentibus oculis non videret? qui alias aquila videt omnia & peruidet, neque nihil non, quod captat, capit. Eſt illa Plauti formula, qua duram ſententiam molliter effert, aut alioqui circumloquitur, quod non lubet apertè proferre. Hic tantundem eſt, ac ſi dixiſſet, *Non es ſanus*. Ad eundem modum alibi, *Si domi ſit hirrus, dicam*: eſt, Non eſt domi. Itemque alibi, Si habeam, dem aut commodem tibi: pro Nihil habeo, quod dare queam. Poſt pauca deinde:

*ST. Quin maceria illa ait, in horto quæ eſt, quæ in nocte: ſingulas Latere fit minor.*

Rectum eſt: ſed malim *Quid* cum interrogatione. Mox illud:

*AST. Eſt ne ille violentus?* in mentem mihi reuocat locum Militis, *Ne id, quod vidit, viderit*. Sc. *Satin*, de quo multa illic verba fecimus, & variè torſimus, in omnibus fortaſſe noſmet ipſos fruſtrati. Nam relicta ſede verborum & verſuum ordine vulgato ſic nunc commodiſſimè videtur accipi poſſe, vt per interrogationem ſecum admiretur, & per admirationem ſeipſum interroget Palæſtrio: Nonne id viderit, quod omninò vidit? *Ne* enim ita pro Nonne, vt hîc, aliiſque plurimis locis. Moſtellar.

*Sed ego ſumne infelix, qui non curro curriculo domum?*

Pſeudol.

*Sumne ego homo inſipiens, qui hæc mecum egomet loquor ſolus?*

Perſâ:

*Sed ſumne ego ſtultus, qui rei curo publicæ?*

Simpliciſſimum quidem id Milite quoque ſit, & nihil loco deſit, niſi interrogationis nota. Sed Truculenti eadem adhuc ſcena leniculum hoc mendum eſt.

*Em tu es ſexungula, malè viuitu.*

Scribe *malæ*. Nam *viuitis* valet, eſtis. quod paullò pòſt ibidem etiam forte corruptum:

*At pol hero beneuolens vt is eſt ſuo.*

Suſpectum enim *eſt* habeo de gloſſa: quâ ſublatâ, ex *vt is* conicio *viuit*. His autem qui interiacent verſus:

*——egone hæc muſſitem?*

*Iam enim eccere ibo in forum, atq; hæc facta narrabo ſeni.*

*Neq; iſtuc in ſe geſtit ergo coget exanimem mali,*

eorum corruptiſſimus hic poſtremus, nec a viro magno ſatis ex arte ſanatur: etſi iam olim eius medicatio approbata. Benè ille facit *examen mali*, pro magna vi & quaſi theſauro mali. De *ſegeſtro* violentior eſt interpretatio, vt maximè ſcripturâ ſimilem fateamur. Auſim ego ſic diuinare potius:

*Neq; ego iſtuc meo geſtio tergo cogere examen mali.*

Minatur ſeruus hero maiori ſe indicaturum flagitia filii, neq; cõmiſſurum, vt in ſuum tergum expetat examen illud mali, quod ille conficiat, in ſe quidẽ, niſi maturè indicio ſuo præueniat. redundaturum. Non mihi lubido eſt, inquiat, examẽ iſtuc mali meo tergo cogere: qua phraſi paullò ante dixit, rem & diuitias cogere: Niſi non de ſe libidinem hanc dicit, ſed filio tribuit, aliâ nõ minus honeſtâ ſententiæ figura, & verò faciliori ſcripturæ mutatione:

*Neq; iſte huic, vt ſe geſtit, tergo coget examen mali.*

Neq; iſte filiusfamilias, proinde vt geſtit, huic meo tergo malum comparabit. *Se geſtit*, vt vbique ſe poſtulat, ſe vult, & talia. Quamquam etiamnunc minori ac pæne nulla mutatione poterat legi:

*Neq; iſte huic in ſe geſti tergo coget examen mali.*

Pleniſſimus ita fit ſenſus: non coget iſte huic tergo examen mali, in ſe geſti: id eſt, quod contra ſe geſſit. Sua ſuo ſibi malo commiſſa non in me faciet euenire. in quo poſtremo, dum rectius alii moneant, acquieſcam.

## CAPVT III.

*Varronis ad hanc fabulam obſcurus & corruptus locus, emendatus, explicatus. Illud, hoc vide. Bene ambulare. Dat'. Geſti. Preter alias correctiunculas varias, locus in ſe pugnans permutatione perſonarum extricatus.*

DE principio conſequentis nunc ordine ſcenæ:

*Piſces ego credo, qui, vſq; dum viuunt, lauant,*

*Minus diu lauare, quàm hæc lauat Phroneſium:*

Varronis eſt locus lib. 8. LL. obſcurus ille mirũ in modum & prorſus αἰνιγματώδης, vt Oedipo ei opus ſit, qui Sphyngi interpres fuit. Aſſcribam, & experiar, an Oedipi vicem ego illi eſſe poſſim,

*Apud Plautum cum dicit,*

Piſces

*Piſces ego credo, qui vſque dum viuunt adlauant, diu minus lauari, quàm hæc lauat Phroneſium.*

***Adlauant** lauari non conuenit; vt T ſit poſtremum, ſed R, vt lauantur. **Analogia** adlauari reddit, quod Plauti aut librarij mendum fuit &c.*

Quid Varro in *adlauando* tricatur? aut quid omninò dicit? In noſtris quidem libris *lauant* ſimpliciter eſt: nec aliter debet ille citare: vti profectò nec citauit. Diuerſam tamen lectionem in altero *lauari* ſecutus eſt: quam & cenſura ſuâ perſequitur. & id malè ſic vel à Plauto vel à librariis ſcriptum incuſat. *Lauere* verò noſtri libri: vt appareat, iam illo ſeculo multa in auctore noſtro mutata, quæ plura cognoſceremus & miraremur, ſi Varronis eiuſdem Quæſtiones ſupereſſent. Nam in his non cum magis de interpretatione, quam de ſcriptura locorum iam tum controuersâ anquiſiſſe credo. Sed hic quod agit, iam id eſſe colligo. Diſputat de analogia, & eius in verborum diuerſo flexu certâ ratione contra illos, qui analogiam ex incerta diuerſitate oppugnabant. Itaque cum hunc Plauti locum in exemplum adduxiſſet & repeтiſſet vtrumque flexum iungi *lauant* & *lauari*; arguit inconſtantiam Plauti, ſi ſic ſcripſerit; aut librariorum temeritatem, ſi mutarint. Non enim ea inter ſe vtraque conuenire, ſed in alterutro fuiſſe manendum, vt par pari redderetur. Hoc dicit verbis ita corrigendis: *Apud Plautum, cum dicit,*

*Piſces ego credo qui vſque dum viuunt lauant,*
*Diu minus lauari, quam hæc lauat Phroneſium:*

***Ad** lauant lauari non conuenit, vt T ſit poſtremum: ſed R, vt lauantur, **analogia ad** lauari reddit: quod Plauti &c.* Cum Plautus, inquit, *lauant* præmiſiſſet, non debuit ſubiungere *lauari*: nam ad illud hoc non conuenit: ſi autem *lauari* ſcripſit, analogia poſcebat præmittere *lauantur*. Quod cùm haud poſſit per verſus rationem, ſcilicet, concludit tacite, non *lauari*, ſed *lauare* ſcriptum aut ſcribendum ſuiſſe: quo loco noſtri tamen libri *lauere*, veteres *lauare* ipſum expreſſe habent. vt iſtâ diſputatione nihil opus fuerit: minimè quidem opus nunc ſit in loco plano, & re non nimis magna. Sed Varroni dandum hoc fuit, & ego libenter dedi, vt eius tantummodo mens in tenebris hactenus altiſſimis ſepulta per emendationem excitaretur & emicaret.

Sequitur nunc eadem ſcenâ porrò:

*Sed obſecro hercle, Aſtaphium, i intrò ac nuncia,*
*Me adeſſe; tu i proſere, & ſuade iam, vt ſi lauerit.*

literæ aliquot ſimiles perperam geminatæ. Nam Plautus, opinor, ita ſcripſerat:

*i intrò, ac nuncia*
*Me adeſſe: tu i pra, & ju. &c.*

Quod deinde ſtatim eſt:

*Quæ tibi mille paſſuum peperit mora mora.*

de eo memini ad Menæchmos, cum geminam ibi locutionem explicarem. Iam verò de ſcriptura dubito vocis alterius *mora*, quæ detorquenda videtur in *moras* aut *moram*, vt oratio commodius ſtruatur. Niſi tamen hæc de induſtria tam conciſa eſt, atque ſic explenda: quæ mora tantum moræ tibi peperit, quantum eſt mille paſſuum. Ibidem mox:

*Neſcio quem præſtolata eſt, credo militem.*
*Illud eſt: vide vt iam quaſi volturij triduo*
*Prius prædiuinant &c.*

Nemo ſanus id ſanum neget: non tamen inſanus ſit, qui delete *eſt* iungendum ſuſpicetur *Illud vide:* quæ locutio peculiaris elegantiæ in tali ſenſu, & frequentiſſimi apud noſtrum vſus. Curculione:

*Hoc vide, vt dormiunt peſſuli peſſimi.*

Pſeudolo:

*Hoc vide ſis, vt alias res agunt.*

Mercatore:

*AG. Hoc ſis vide, vt palpatur: nullus eſt quum occœpit blandier.*

Hac Comœdiâ inferius:

*—— hoc vide, dentibus*
*Frendit, icit femur.*

Milite denique: *—— illuc ſis vide*
*Quemadmodum aſtitit, ſeuera fronte.*

Scenâ *Num tibi nam:*

*Benè ne ambulauiſti? DI. huc quidem hercle ad te benè*
*Quoniam tui videndi copia eſt. PH. complect'ere?*
*DI. Libens. ah hoc eſt mel melle dulci dulcius.*
*Hoc tuis fortunis, Iuppiter, præſtant mea.*
*Dane ſuauium. PH. imo vel decem. DI. haud iſtoc pauper es,*
*Plus pollicere tu, quàm ego à te poſtulo.*
*Vtinam à principio rei item parſiſſem mea,*
*Vt nunc reparcis ſuauijs.*

Formula *Benè ambulauiſti?* quærens de incolumitate peregrè venientis, pendet ab alterâ *Benè ambula*, qua abeuntes dimittebant, omnia felicia ſic precantes. In ceteris, quæ hic attuli, perſonæ manifeſtiſſimè peruerſæ ſunt, & in ſeipſam multipliciter pugnare deprehenditur oratio, ſi non totum prorſus animum auertas: nō enim dicam, ſi vel leuiter aduertas. Vnum præcipuum contradictorium, *Plus pollicere tu*, & *Vt nunc reparcis.* Et quomodo autem parcebat illa, ſi vel decem obtulerat? Nolo in nugis refutandis vltrò amplius nugari. Veriſſimè reſcribo;

*DI. Libens. ah hoc eſt mel melle dulci dulcius.*
*Hoc tuis fortunis, Iuppiter, præſtant mea.*

*PH. Dan' ſuauium? DI. imo vel decem. PH. haud iſtoc pauper es.*
*Plus pollicere tu, quàm ego à te poſtulo.*
*DI. Vtinam à principio rei item parſiſſem mea,*
*Vt nunc reparcis ſuauijs.*

Phroneſium vltrò, vt ad complexum, ſic ad ſuauium inuitat: Dinarcho autem non vnum,ſed decem parato dare,ſiniſtram eius liberalitatem auara mulier perſtringit, & egeſtatem obiicit tacitè,cum à ſuauiis non eſſe pauperem ait,& hinc offerre plus, quam poſcatur. Ibi contra ille parſimoniam ſuauiorum in ipſa incuſar: & ad eius exemplum optat, olim rei item ſuæ ſe parſiſſe. Ceterùm *Dan'* etiam correxi,lectionibus aliis reiectis, quia id hîc verum ſcio. Eſt enim pro *Daſne* qua facie vulgatiora ſunt, *viden' audin', abin', ſcin'*, & infinita. Deinceps quos verſus Gulielmus noſter à gloſſemate liberatos dedit,amplius ego ſic legam:

*Sed quod ego facinus audiui aduenient tuum?*
*Quod tu hic abſente me noui negotij*
*Geſti, cumq; bene proueniſti, gaudeo.*

Inæqualis alioqui oratio: & *Geſti*, pro geſſiſti, non inſolens Plauto. Idem noſter ibidem porrò:

*Aliam aliorſum ire, præmandare & quærere*
*Puerum aut puellam qui ſupponatur mihi.*

legebat olim *peruenari*, pro nihili verbo *præmandare*. Si tam longè abire licet à veſtigiis vulgaribus, equidem *percontari* malim: ſed non hac via,metuo,verum aſſequemur. Altero verſu facio *ſupponatur*, & *qui* habeo pro particula aduerbiali. Non tam ſermo, quàm ſenſus ità concinnior. Vlterius:

——— *DI. ò merces mala!*
*PH. Eum nunc non illa peperit,quæ peperit,prior.*
*DI. Sed tu poſterior. PH. ordine omnem rem tenes.*

Antiquæ editiones omittunt intermedias perſonas, & iunctim iſta Dinarcho vni tribuunt omnia.

——— *DI. ò merces mala!*
*Eum nunc non illa peperit, quæ peperit, prior,*
*Sed tu poſterior. PH. ord.*

quod ſequor, & ſequendum ſuaſerim. Mox interpunctis inter ſe diſparandi verſus hi duo, non in vnum ſententiæ nexum coeuntes:

*Vbi ſine labore res geri pulcrè poteſt.*
*Ad ſuum quemq; aequum eſt eſſe quæſtum callidum.*

Prior ſpeciatim ad puerperium refertur: alter generatim profertur de omni quæſtus genere & modo. cui ſententiæ non diſparis alius eſt fabulæ extremo:

*Omnes homines ad ſuum quæſtum callent & faſtidiunt.*

Vbi *faſtidiunt* verbum indubiè vitioſum, dubiè Palmerius mutat

in *ſatis vident*: etſi magnis ſe viris eam coniecturam ait probaſſe. Sed aliquanto certius ego, *cati cluunt*. quod primò coaluit in *cat-dunt*, mox in iſtud alterum ſibi proximum degenerauit.

## CAPVT IV.

*Male, pro aſtutè. Argutus. Munerigeruli. Frictio genuum in humili & blanda ſupplicatione. Quid eſt negotij? Manceris, pro manſeris. Comparatus aliquoties ſibi Plautus. Diſtinctiones mutatæ. Verſus vnus traiectus: plures aliter conſtituti. Perſona reddita. Corruptiſſimus locus emaculatus. Aliorum commenta quædam reiecta. Petronius à mala correctione defenſus.*

SI incorruptè legitur ſcenæ proximæ initio,

*Edepol commentum male:*

non capiendum *male* trito ſignificatu, ſed pro vafrè, & aſtutè: quomodo *malus* & *malitia* cum hic ſtatim, tum alibi paſſim apud noſtrum ac Comicos omnes. Illa ſententia:

*— nullam rem oportet doloſè aggrediri, niſi*
*Aſtutè accurateq; exſequatur:*

ſimiles habet in Plauto multas, ſimillimamque iſtam,

*Doli non ſunt doli, niſi aſtu colas.*

Sequentia hinc eueſtigio ſic diſtingues:

*——— voſmet iam videtis,*
*Vt ornata incedo: puerperio ego nunc me eſſe ægram aſſimulo.*

Nam ad *ægram*, *puerperio* pertinet, non ad *ornata*. Sic poſteà *puerperio cubare*:

*Eumq; gero ornatum, vt grauida, quaſi puerperio cubem.*

quod ſic ipſum quoque interpungo. τὸ *vt* enim non refertur ad verbum *cubem*: ſed cohærent, *eum ornatum, vt* ſiue tanquam *grauida*. In reliquis iam ſcenæ huius verſibus vnum eſſe traiectum ſuſpicor:

*Date mihi huc ſtactem atque ignem in aram, vt venerem Lucinam meam.*
*Hic apponite atq; abite ab oculis. ô Pithecium,*
*Face vt accumbam, adiutare ſic decet puerperam.*
*Soleas mihi date pallium inijce in me huc Archilis.*
*Vbi eſt Aſtaphium? fer huc verbenam mihi & thus & bellaria.*

Quos dum in ordinem redigo, ſimul alia ex priſcis libris aut certiore coniectura emendabo:

*Hic apponite, atq; abite ab oculis. ehò Pithecium*
*Soleas mihi dato: pallium inijce in me huc, Archilis,*
*Face vt accumbam: accede, adiuta: ſic decet puerperam.*
*Vbi es, Aſtaphium? fer huc verben.*

Cauſſam traductionis vncã, ſed ſatis mihi videor habere grauem. Rei ſcilicet ordo vult iſtum ordinem ſermonis. Prius enim, quæ in aram,

in aram, poſcit mulier: deinde ſibi ſoleas, deinde pallium: tum adiutari cupit, vt commodè accumbat ad aram: mox, quæ prius oblita, verbenam & reliqua petit: denique aquam manibus, vt ſacrum ipſum iam ſuum otiura. Scenâ *Ne exſpectetis*, rarius iſtud eſt loquendi genus:

*Et Homeronidam, & poſtilla mille memorari poteſt.*

& cui idem alterum tantum in hoc obſeruaui, Pœnuli fine:

*Trecentos nummos Philippos, credo, corradi poteſt.*

Mox deinde ſcribitur:

*Non placet cum illi plus laudant, qui audiunt, quàm qui vident.*

Ineptiunt toto loco, in prouocabulis *qui* & *qua*, libri veteres: quos omnes ſatis refutat is verſus,

*Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quam auriti decem.*

Ex quo vbique ſcribendum *qui audit, qui videt, qui audiunt, qui vident.* Sed hic inſuper muto:

*Non placet, quem illi plus laud.* atque id ille verſus ſuadet,

*Non placet, quem ſcurræ laudant.*

Cenſoria porrò prorſus cenſura militaris hominis, in qua non temerè vox *argutus* toties iteratur, ac maximè vbi argutatores iſti præficis comparantur:

*Sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro Præfica.*

Nam de Præficis ſolenniter id verbum noſter vſurpat: vt & Friuolar:

*Superaboque omnes argutando præficas.*

Illud, vtcunque tolerabile, non fero tamen ſic perpetuò legi:

*PH. Vide quis loquitur. AS. tam propinquè miles, mea Phroneſium,*
*Tibi adeſt Stratophanes. Nunc tibi opuſt. &c.*

Nam aliquando iam tempus eſt emendari:

*PH. Vide, quis loquitur tam propinquè? AS. miles, mea Phroneſium,*
*Tibi adeſt &c.*

Ibi verò ſupini omnes editores, neceſſariam Aſtaphii perſonam cum omittunt:

*ST. Euge Aſtaphium eccam, it mihi aduorſum. AS. ſalue ecaſtor Stratophanes.*
*Venire ſaluum. ST. ſcio.*

At mox:

*AS. Peperit puerum nimium lepidum. ST. ecquid mihi ſimiliſt? AS. rogas?*
*Quin vbi natuſt iam macharam & clypeum poſcebat ſibi.*

Fortè cum apoſtropho ſcribēdum *Quin'*, aut integrum ipſum *Quine* cum addita pòſt nota interrogationis. Plautinum id vt alibi omnes ſciunt, ita hîc vix quiſquam dubitabit. Non longè verſum explebis ita:

*PH. Vbi illa nam obſecro eſt, quæ me hic reliquit, atque à me abſiit?*

Etiam horum medio prouocabulum *mihi* inſerendum, quod fruſtra numerorum gratia ab aliis eiectum:

*PH. Salue, qui me interfeciſti penè & vita & lumine,*
*Quiq; vim magni doloris mihi per voluptatem tuam*
*Condidiſti in corpus, quo nunc etiam morbo miſera ſum.*

Locus ipſe verò ſimilis illi ex Epidico, Sc. *Si quid eſt:*

*——— MV. tune is es,*
*Qui per voluptatem tuam in me ærumnam obſeuiſti grauem.*

Sed illo hic aliquantò elegantior. in quo videtur etiam tecta alluſio obſcænior eſſe ſub ambiguitate vocabuli *pene.* quod temerè tamen fortaſſe ſuſpicemur. Incipit alia ſcena:

*Ite, ite hac ſimul mulieri damnigeruli, foras gerones.*

Vir magnus hic pridem legit *mulieris.* Mihi ſuccurrit aliquando, *muneri-damnigeruli:* vna voce, compoſitione duplici. Nam *munerigerulos* etiam ſeorſim dixit Pſeudolo, Sc. *Exite:*

*Manipulatim mihi munerigeruli facite ante ædes iam hic adſint.*

In penitiore hac autem ſcena deprauatiſſimus iſte locus:

*Meretricem ego item eſſe reor, mare vt eſt, quod des deuorat, nec vnquam*
*Abundat. at hoc ſaltem ſeruat mare, quom illi ſubeſt, apparet, huic dis*
*Quantum vis, nuſquam apparet neq; datori, neq; acceptrici.*

cui medici multi: ab omnibus nulla adhuc ſalus. Mitto lectiones aliorum & explicationes. Ex antiquiſſima ſcriptura, quæ hæc: *at hoc ſaltem eruatu bi eſt va mecum apparet:* ex illo, inquam, monſtruoſiſſimo ſcripturæ monſtro poſt alios ita tento: *at hoc ſaltem intereſt. nam illi æſtuanti eiectũ apparet.* Ad veſtigia non poſſis propius. Ex *ſem ſer, intereſt:* ex *vatu bi, nam illi:* ex *eſt va m, æſtuanti:* ex *ecum,* eiectum. Quæ quomodo inuicem reſpondeant, iam hinc liquet cuiuis; & in his verſato, ſimul occaſio corruptionis. Quòd ſi non omnia omninò verba, quod tamen ſperamus; at ipſam ſententiam, vt confidimus, ſumus aſſecuti. Nam dum mare & meretricem comparat, hanc tamen voraciorem peioremque & damnoſiorem ſtatuit. Intereſſe enim hoc, quòd mari aliquando abſorpta reddantur, & appareant ad littus eiecta per æſtum: at quæ meretrix abſumſerit ſemel, ea conſumpta penitus nunquã poſtea redeant aut reuideantur. Ibidem vlterius:

*Ecquid auditis hac quæ imperata ſunt? GE. ah. nolo auferant.*
*Deſiccari lubet. PH. impudens es mecaſtor. GE. tun bona fide,*
*Tune ais impudentem me eſſe, quæ ſis ſtabulum flagitij?*

Primùm nihil verius, quàm veriorem lectionem eſſe priſcam *Deſricari.*

*fricari.* Frictio enim genuum adhibita in blandiore & humiliore ſupplicatione: quam ſibi quoq; ſeruus hic fieri poſtulat, vt ille æquè ſeruus nequam Aſinariâ ab ipſomet herò ſuo requirebat & impetrabat. Sc. *Cur me*:

*Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.*
*AR: Quiduis egeſtas imperat. fricentur. da nunc quod orò.*

Et ibidem:

*LE. Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares:*

De ſiccatione munerum ridiculus eſt Lambinus, in qua facetum ipſe fuiſſe putat Getam. Deinde *iubet* an *iube* legas, non intereſt multò plus hilo. Sed verba ibidem etiam aliquot inſerunt antiquæ editiones:

*PH. Impudens es mecaſtor: quantum eſt negotij?*

Quæ putabimuſne temeraria, an recipi debere? Si hoc iudicetur; ego corrigi prius debere cenſeam, ad iſtud exemplum:

*—PH. impudens es mecaſtor. GE. quid eſt negotij? tun' bona fide,*
*Tun' his impud.*

Sit ea formula indignantis; ſimilis alteri, quam habuimus perſæpe. *Quæ res?* & de qua diximus aliquoties, ad Pœnulum memini tamen potiſſimùm, & ad Perſam. Neq; indecenter excandeſcat Geta ſic, qui ſanè nonnihil ſtomachatur, impudentem ab impudentiæ ſtabulo ſe vocari. Mox:

*Atque vt huc veniat, obſecra. GE. ilicet.*

non tantum *obſecrare* è veteribus; ſed & *licet* ſcribendũ: quæ eſt vox aſſentientis vbique. Et in ea ſæpius atq; ad omnia repetitâ iocus exſtat Rudente Sc. *Aliquando.* Hìc porrò quod legimus:

*—GE. quæſo hercle, meone hero tu improbe*
*Maledicere audes, fons vitij & periurij?*

monet me Petroniani loci, qui à correctione viri docti hoc exemplo defendendus. Nam vt hìc *fontem* Plautus vitii dicit & periurii; ſic ille fontem vrbanitatis, in iſtis: *Complexit illa tenerius manus: & ô, inquit, hominem acutum & vrbanitatis vernulæ fontem!* Vt frontem eius deſideres, qui *frontem* ibi iuſſit emendari. Propius ſcenæ finem diu quoque iactatum illud eſt:

*——emoriere ocius, ſi manu niceris.*
*GE. Quid manu nicerim? ST. fac quod iuſſi. mane. iam ego te hic*
*Oſſatim conficiam.*

Neque dum conuenit inter doctos, quid reponendũ, quando non ipſum quidem retinendum per ſe conſtat. Alius fecit; *ſi manum iceris*: alius *ſi manum imbiteris*: alius neſcio quid aliud: Mihi rudis & ſimplex coniectura, ſuperfluere pauculas literulas malè iteratas ex ſimilitudine aliarũ & vna voce reſtitui poſſe *manceris*, ac poſteà *mancerim*: quod eſt ſolenni vice τῶν *c* & *s*, *manſeris* ac *manſerim*: Abire enim hominem iubet: & ſi manſerit, mortem minatur. Hoc

perſpicuè firmari videtur, illo ipſius Stratophanis ſequente dicto: *Iuſ quod iuſſi, mane.*

## CAPVT V.

*Poſt illuc veni quàm. Exponere ictu, cubito. Metuitere. Interbitere & Interbitare. Diſtinctiones concinnatae. Lambini aliorumq; hallucinationes remotae. Verſus tranſpoſitus. De Cyamo ſeruo quaſitum. Plures aliae correctiones.*

VEtè tragicus Hippolytus eſt comicus Truculentus: cuius pleraq; omnia membra tam miſerè diſtracta, lacerata, mutilata, ſuper etiam ipſam Virbii ſortem: vt quod illi tamen ab Æſculapio contigit, vt recollectus in vnum corpus & vitæ & incolumitati priſtinæ reſtitueretur, huic euenire poſſe deſperatum ſit iampridem, etiamſi reficere ad illius exemplum vna cum filio Apollo ipſe pater adnitatur. Neq; tamen non in melius inſtaurata ſunt multa eius hactenus ab Aſclepiadis membra: ſed iſta partium ſingularum cura quaſi deſultoriæ parum etiam promouit ad totius ſalutem vniuerſam. Nos quoq; nō pauca, ſed leuius affecta, membra ſanauimus: è quibus & hæc deinceps ordine ſequentur. Sc. *Date ſoleas:*

*Quo pacto excludis quaſo? potin planius*
*Quàm excluſus nunc ſum.*

Non conuenit irato militi blandiens iſtud *quaſo*, ad ipſam quidem Phroneſium. Ad ſpectatores verò pertinet: & diſtinctione mutata ſcribendum:

*Quo pacto excludis? quaſo potin' planius,*
*Quam excluſus nunc ſum?*

Illâ enim intrò abductâ, excluſus ad ſpectatores ſe conuertit, & poſſumne, inquit, planius excludi & pulcrius ludificari? Locutionis forma ſimilis ſupra hac fabulâ, Sc. *Ad fores:*

*—— DI. an me mortuum arbitrare?*
*AS. Qui potis es amabo planius?*

In illo deinde verſu variè mutando ludos ineptos facit Lambinus:

*Num quippiam auarum mutat mores mulierum?*

At nihil ibi inſincerum, niſi *mores*, quod erit ſanum, *s* detractâ. nam præpoſitionem *ab* inſerendam vix etiam putem: quæ tamen ante vocem *auarum* facilè potuit deperire. Sententia quidem eſt, nihil illam demutare à moribus auari ſexus, nec facere quidquam præter meretricium morem. Quamquam nūc profectò cum amplius cogito, non hoc ſic dici videtur in auaritiæ incuſationem: ſed pro *auarum* credo legendum *aliarum*, vt ſenſus è próximo verſu petatur:

*Poſtquam filiolum peperit, animos ſuſtulit.*

Nam huc adſtrinxerim: & militem cenſeam eius ſuperbiam perſtrin-

ſtringere in cõmuni vitio mulierum, quæ omnes à filiorũ partione plerumq; animis fiunt elatiores. Idem igitur, inquit, facit amica mea, quod mulieres aliæ: quia filiolum peperit, ſuſtulit animos, & ſe facit ferociorẽ. Sc. *Rus mane*, diſtinctum hoc eſt non ſatis benè:

*Poſt illuc veni, quàm aduenit (ſic Dijs placet)*
*Ad villam, argentum meo qui debebat patri.*

Cohærent *Poſt illuc veni, quàm*. tmeſi, pro poſtquam illuc veni. Sic interpunge igitur, vt intelligas, poſtquam ipſe venerit, alterum ſtatim illum aduenifſe: non contra. Ibidem *Exponendi* verbum nota minus trito ſignificatu:

*Nunc ego iſtos mundulos vrbanos amaſios*
*Hoc ictu exponam, atq; omnes eijciam foràs.*

quo fuit etiam Caſinâ, Sc. *Senſim:*

*ST. Quid negotij eſt? OL. obſecro vt valentula eſt!*
*Pane expoſiuit cubito.*

Eſt vtrobique, loco mouere, de gradu deiicere: & forſan à luctatoribus tranſlatum. Etiam ibidem:

*—— nunc hodie efferam Ad hanc argentum.*

Simplex repone *feram*. Iam enim extulerat, porrò laturus ad amicam. Literæ ſuperfluentes adhæſerunt à proximis vtrinq; vocibus: quarum in altera *e* poſtrema, in altera *f* prima. Scenâ *Mirum*, verſuum iſtorum alter:

*ST. Nimio minus ſæuus iam ſum Aſtaphium, quàm fui.*
*Iam non ſum truculentus, noli metuere.*

etſi ſtigmatias ab aliis factus, mutilus quidem non eſt tamen, ſi verbi vltimi literam mediam gemines, *metuuere*. quod crebro ſolet in ſimilibus, & paſſim apud noſtrum alioſque *fuuit*, *pluuere* &c. Quamquam nec hoc neceſſe: plenique numeri fient, particulâ *Iam* in duas ſyllabas tralatitio more reſolutâ. Forſan autem ipſe verſus tranſponendus, & hoc ordine cum reliquis legendus:

*ST. Nimio minus ſæuus iam ſum, Aſtaphium, quàm fui.*
*Quid vis? AS. quid? tuam exſpecto truculentiam.*
*ST. Tam non ſum truculentus: noli metuuere.*
*Dic, impera mihi.*

Ibidem non malum:

*Heu edepol hominem nihili! AS. anne autem vt ſolet?*
*ST. Imo nihil dico.*

Sed melius, *AS. iamne autem*. Iterumne iam, inquit, ſis truculentus, & ad ingenium denuò redis? In quo ſenſu *iamne* aptius: & libentius alibi Plauto ſic vſurpatum Bacchidib. Sc. *Mirum:*

*Scis tu vt confringi vas cito Samium ſolet.*
*PI. Iamne vt ſoles?*

Sed ibi de ioco & ludo deliciarum in ſermone. Porrò hinc ad ſcenam *Neq; gnatus.* Ibi Cyami ſerui mentionem facit Dinarchus, incertum ſui, an amicæ:

*Ad me magna nunciauit hodie Cyamus gaudia.*

Ipſius eſſe videatur ob nuntium relatum: quem tamen Geta potius retulerit, qui ad eam ſuprà cum donis miſſus. At illius eſſe cōiecceris ex ſcena ipſa, vbi de donis agitur. Illic enim tanquam ſuo mulier imperat:

*PH. Grata acceptaque ecaſtor habeo. GE. iube auferri intrò. PH. i Cyame.*
*Ecquid auditis hæc, quæ imperata ſunt? GE. at nolo auferant.*

Si diſtinctio perſonarum iſta vera: ac non potior hæc:

*PH. Grata acceptaq; ecaſtor habeo. iube ferri intrò. GE. i Cyame.*
*PH. Ecquid auditis.*

Sed vtraque iſtarum & alia quæuis ambigua: nec inde certi quidquam hîc conſtituemus. Eſt verò ſcenâ, quam dixi, maximè controuerſus is verſus:

*Saluus ſum, quia pereo: ſi non peream, pane vicem qui foras.*

cuius voces vltimas duas quis non videat alienas, & à fine ſequentis hic aſſutas? Et delerunt iam has aliqui, cum varias editiones ſpecto: ſed nuſquam reliqua dum verba rectè reperio emendata. Pro *pane* certum iam olim eſt *planè* faciendum. Huic autem quid verbi omninò additum? non hercle *eſuriam*, quod veteres cuſi; neque *interea m* certè, quod ſuos manuſcriptos habuiſſe teſtatur Lambinus. Enimuerò pro gloſſa hoc ego duco verbi æquiualentis, ſed antiquioris notæ; ex quo ſupereſt adhuc Camerarianum *vicem* in eius libris. Id mihi non dubium, Plauti germanum eſſe, literulâ tamen vnâ minus. *Vitem* enim fuit, quod eſt *bitem*. Cui addita præpoſitione, quæ in lituris deliruit, *inter*; exſurgit Plautiniſſimum *interbitem:* cuius interpretamentum eſt, vt aiebam, ſcriptura Lambinianorum codicum *intercam*. Vſus eo Plautus & alibi, & Moſtellar. Sc. *Quis homo.*

*Hic ego tibi præſidebo ne interbitat quæſtio.*

Sic igitur hic verſus indubiè corrigendus:

*Saluus ſum, quia pereo: ſi non peream, planè interbitem.*

Sequentium altero:

*Nunc ſpeculabor quid ibi agatur, quis eat intrò, qui foràs*
*Veniat: procul hinc obſeruabo miles quid fortunis fuat.*

turbant etiam in vocibus extremis. Quas ego quidem ſinceras iudico, & tantum ex *miles* emendandum *meis.* Nihil enim de milite hîc: de ſe ipſo & ſuis fortunis agit Dinarchus, atque ait obſeruaturum ſe, quid rebus ſuis ſit futurum. quod probant ſubiecta mox verba, *Quia nihil habeo &c.* Militem autem præterquam quòd ſententia non fert, etiam numeri eiiciunt; iidem noſtrum *meis* vltrò depoſcentes.

## CAPVT VI.

*Secundare. Præſidere. Ne oblitus, oblituſne. Manum inijcere aliquem. Hillum penſi. Calces ciere. Pectus aculeo aut ſtimulo punctum. In perſona erratum. In verſibus quibuſdam ordinandis diuerſi concurrerunt: vnus à nobis in locum multo ſuperiorem retractus: multi alij aduerſus alios emendati & explicati.*

LEpida porrò ſcena eſt, incipiens à voce *Lepide*: in qua cùm mala ancilla malam heram malè hortatur ad officium malum, non benè verba initio concepta ſunt:

*— ama id quod decet rem tuam, iſtum exinani,*
*Nunc dum iſti lubet, dum habet, tempus ei rei ſecunda.*

quæ magis etiam alibi confuſa. Sed in his ſi vltimum non diſtinguendum à præcedentibus, vt ad *tempus ei rei* ſubintelligatur *eſt*; equidem *ſecundat* cenſeo legẽdum. Tempus ei rei ſecundat, id eſt, operam dat, fauet, proſperat, ſiue adeò ſecundum eſt. quomodo apud neſcio quem poetam meminiſſe videor de nauigatione dictum, ventos illi ſecundare. Proximum hinc verſum velim, vt eſt vulgò, retineri, nec *amantiam* & *res copes* à viro magno acceptari. Dehinc item proximo, quidquid fiat incerto vocabulo *reſtricu*; verbum ipſum *præſidebo* cum Lambino minimè mutandum. Præſidere, cuſtodiam notat, & quaſi cuſtodiæ præfecturam & præſidatum. Moſtellariâ ſic:

*Hic ego tibi præſidebo, ne interbitat quæſtio.*

Curtius lib. 4. *Quòd ſi perculſis Mazæus, qui præſidebat itineri, ſuperueniſſet; ingens clades accipi potuit.* Idem lib. 3. *Ex fœdere naues ſocijs imperat, quæ Helleſponto præſiderent.* Et omnes ſic vbique. Deinceps:

*Tu perge vt lubet ludin iſtos.*

fortè legas melius *ludi iſtoc*, id eſt iſtum ludum. Sequentia ſunt Dinarchi:

*DI. Quis eſt iſte? eia Aſtaphium, indica.*

vt libri quidem etiam priſci diſponunt. Longius hinc ludo literario comparatur amoris diſciplina:

*Literas didiciſti: quando ſcis, ſine alios diſcere.*
*DI. Diſcant, dum mihi commentari liceat, ni oblitus ſiem*
*Quod dedi. AS. interea magiſter dum tu commentabere,*
*Volt interibi* (ſic volo, non *interim*, verſus cauſſa) *illa itidem commentari.*

Vbi obſcurum, quid velint, *ni oblitus ſiem Quod dedi*: verba ſine dubio non in totum ſincera. Legerim, *ne oblitus ſiem Quod didici.* Commentari ſecum vult, ne, quæ didicerit, obliuiſcatur: aut, anne ſit oblitus. Ita *ne oblitus*, pro *oblituſne*, metatheſi frequenti. Vlterius:

*Poſtidea ego te manum inijciam quadrupli venefica.*

Veteres *in te*: ſed malè. quamquam in Perſâ non accipiebam eandem phraſin, vbi erat, *quempiam iniexit manum.* At poteſt hic archaiſmus eſſe verus exemplo aliorum itidem iunctorũ cum accuſandi caſu verborum. vt inſeruire, conuenire, impendere, inſtare: quæ paſſim apud noſtrum. Statim ſequitur:

*Nihili me: (quia) perdidi omne quod fuit. fio impudens:*
*Nec mihi adeſt ad illum penſi iam quos capiam calceos.*

Locus admodum dubiæ ſanitatis, à viro docto tamen ad Ethicos Theophraſti Characteres tentatus emendari ſimul & explicari. Legit, *Nec mihi adeſt tantillum penſi iam.* Et inter impudentiæ notas fuiſſe vult, calceis inconcinnioribus uti. Quæ ſi interpretatio vera eſt, non ſubſiſtit aliorum ad præcedentia verba *fio impudens*: quæ trahunt eò, tanquam ſi impudenter in hoc ſe facere dicat Dinarchus, quòd ea quæ dederit repoſcat. Atqui non repoſcit ille: neque tam longè placet interpretationes peti. Non magis tamen alterum probo, etſi magis è propinquo accerſitum. Nam de calceis quamuis non negem alias, hic tamen ineptum & alienum videtur. Sed nec priorum verborum iſtam correctionem amplector: Hanc potius *Nec mihi adeo eſt hillum penſi.* Hillum penſi, eſt nihil penſi. & hillum ſimpliciter, res nihili. quod Ciſtellariâ rectè corrigebat Gulielmius noſter: *Hillo ſunt homines miſerè miſeri.* Diminutiuum eſt ab *Hir, hirulum:* quod contractè fit *hillum* vel *hilum.* De reliquis verbis neſcio ſi debeo promere, quid olim coniectarim. Satius ſit tacere. Tamen cum pacis ac veniæ præfatione dicam. Non corrupta ſaltem, ſed tranſpoſita quoque inuicem videbantur mihi: tentabamque legere, *quos calces tiam.* Scilicet ad incitas ſe redactum Dinarchum queri, qui quod fuerat omne perdidiſſet. Quæ quidem locutio crebra: & è Pœnulo maximè huc facit locus:

*SY. Profectò ad incitas lenonem rediget, ſi eas abduxerit.*
*MI. Quin prius diſperibit faxo, quàm vnum calcem ciuerit.*

Sed quod timidè protuli, nulla mihi eſt audacia, quia nec fiducia, probandi. Paullò pòſt confuſi verſus duo ſunt, quos idem vir doctus ad Appuleii nuper Apologiam ordinauit, ordinatos prius à Cl. Grutero Suſpicionib. vnde, vt videtur, hauſtam vnam atque alteram etiam emendationem idem ibidem huius nomine & merito immeritò diſſimulato transſcripſit in ſe: quas adeo, pluresque & mihi poteram illic non iniuria vindicare, vti hanc quoque ipſam hîc in Plauto traductionem. Sed occupata quæ ſunt, ego quidem nemini eripio, neque me præuentum doleo: fero ſaltem indignius iſtas non innoxiæ, cumque nonnulla aliorum iniuria côiunctæ diſſimulationis artes. Hic poſt illos, de quibus inceperam dicere, verſus hoc iam modo a quocumque primùm concinnatos:

*Sed quid hoc eſt? Prò Dij immortales, Calliclem video ſenem,*

*Meus*

Digitized by Google

*Meus qui affinis fuit, ancillas duas conſtrictas ducere,*
*Alteram tonſtricem huius, alteram ancillam ſuam.*
*Pertimui, poſtquam vna cura cor meum mouit modò.*

poſt illos inquam alio traductionis audacioris genere collocandus videtur vltimus ſequentis ſcenæ:

*Ne illa ſtimulum longum habet, quæ vſq; illinc cor pungit meum.*

qui inidoneus iſti loco, ſi conſideres; huic contra, ſupra quàm dici poteſt, aptus. Ibi enim nihil Dinarchus à Phroneſio angitur aut turbatur, cuius opportunum ſibi occurſum gratulatur, eius quidem cupiens, & vltrò deſtinaróq; ad eam profectus. At hîc ad conſpectum ancillæ alterius reductus in memoriam facti ſui, quippe filiam eius herilem compreſſiſſe ſibi conſcius, pertimeſcit: atq; eò eùm cor ſibi moueri cura dicat, aptiſſimè ſubiungat, id ipſum ſibi pungi ab hac ancillâ, quantumuis etiam longiuſculè abſente: cui ideo longum ſtimulum tribuat, ea loquendi ratione, qua & aculeus ad pectoris punctionem adhibetur Trinumo:

*Iamdudum meum ille pectus pungit aculeus.*

Hæc cõiectura ſanè veriſimilis, ſi quod habet ius, à iudiciis tamen impetrare debet erudiriorum, non a mea teſtimonii dictione ſtatim obtinere. Poſtremus huius ſcenæ verſus:

*Timeo ne malefacta antiqua mea nunc inueniam omnia.*

variat in omnibus antiquis. Ex Aldina lectione *mea ſine inuêniam omnia*, facio *mea ſint inuenta omnia*. liquidiſſimâ ſcripturâ & ſententiâ. Metuit, ne flagirium hactenus occultum ſuum, ſtu rum nempe virginis, planè iam ſit patefactum, proditum, & inuentum.

## CAPVT VII.

*Audere, pro velle, item poſſe, noue. Paries, homo intermedius alios diſtinens. Vino carere, Scatere. Manſtutor reiectus. Confexim. Nuga interpretis ſpreta. Loca plura præterquam quod correcta poſt alios, etiam expoſita. Verſus quidam traductus. Numeri refecti. Perſona variata. Alia notata.*

NOuam ſignificationem deprehendiſſe mihi videor in verbo *Audeo*, quo in eodem minus iam nouã alii pridem notarũt, oſtenſo, poni interdum pro *volo*: vnde *ſodes*, pro *ſis* frequentatum. Hîc verò ſcenâ proximâ *Egone*:

*DI. Lapideus ſum, commouere me miſer non audeo.*

videtur eſſe, *poſſum*. Potius enim, quia lapideum ſe dicit Dinarchus, non poteſt ſe commouere, quam non audet aut adeò vult. Idque in ſtupore & torpore proprium omninò. Eius tamen vſurpationis exemplum aliud nullum habeo: & video, quid obiecturi ſint, quibus hæc nouitas non placebit: eſſe vulgatiſſimo ſenſu tantùm, neque audere Dinarchum præ formidine, ne fortaſſis adeſſe perſentiatur. Hos tamẽ & aliter & ſic eludere poſſum: iam nũc perſenſam Dinarchi præſentiam, vt claret ex proximè priore verſu:

*AN. Tacui, at nunc non tacebo (ſ. taceo:) quando adeſt, neceſſe eſt indicem.*

Sed ipſa interpretatio noſtra maximè firmiſſimeque nititur vnico argumento illo, quòd lapidem ſe ille ipſe dicit. Deinceps nullo ibi ſenſu eſt illud:

*AN. Video ego te propter. CA. mala qui eſt? AN. patronus parieti.*

in quo ſuauiter Interpres nugatur: aſtitiſſe Dinarchum ad parietē latitādi ſtudio, & dum ita ſe acclinat ei & adhæret, viſum tutari ac defendere, ne ruat. Sed idem & de reliquis ibidem magis intoleranda garrit. Ex antiquarum editionum hac lectione,

*Propter maleſacta, qui es patronus parieti:*

diuinationem facio huiuſmodi,

*AN. Video ego te, propter maleſacta quoius patior onus parietis.*

non illepidam, nec de cujus veritate multum dubitari poſſit. Quid enim ad veſtigia literarum vulgata proximius accedat? Deinde quid elegantius hîc, quam vt alludat ancilla ad ſenis ſuperius dictum, quo ſe parietem ipſe nominarat? Ita enim antè eſt:

*CA. Omnium primum diuerſæ ſtate. hem ſic, iſtuc volo.*
*Neue inter vos ſignificetis, ego ero paries. loquere tu.*

Dicit igitur ancilla, videre ſe Dinarchum aſtantem in propinquo, cuius ob maleſacta ſuſtineat onus huius parietis, ſenis nimirum ita promentis & vrgentis indicium nunc verbis, antea verberibus ad faſtidium experti. Sic emaculatum pulchrè hunc locum puto. Deinceps maculoſus ille quoque eſt:

*Non vinum hominibus moderari, ſed vino homines ſolent,*
*Qui quidem probi ſunt: verùm qui improbus eſt, aquam ſi bibit,*
*Siue adeo caret temeto, tamen ab ingenio eſt improbus.*

Inanis eſt ſententia: ſiue aquam bibit, ſiue temeto caret. An enim hæc contraria? Dicere id quidem debet ac vult; ſeu vinum, ſeu aquam bibit: vel, ſeu bibit vinum, ſeu caret vino. In quem ſenſum aut omittenda vox *aquam*, omiſſa ſanè in antiquis, legentibus ibidem *ſubbibit*: aut hac relictâ, mutandum *caret* in *ſcatet*. non difficili transformatione, nec aliena phraſi. Sic ferè enim Aulular.

*Quæ mihi interbibere ſola, ſi vino ſcatet,*
*Corinthienſem fontem Pirenen poteſt.*

Sed *caret* non temere tollendum. Vino enim carere eſt abſtemium eſſe: qua phraſi & Gellius vtitur libri 13. capite vltimo, vbi de prandio canino agit: *Prandium autem abſtemium, in quo nihil vini potatur, caninum dicitur: quoniam canis vino caret.* Cetera verba ſic numeri cupiant ordinari, *tamen ab ingenio improbuſt.* Scena deinceps *Blitea*:

Ea di-

*Ea dixit, eum Dinarchi puerum eſſe inuentum filium.*
*Vbi id audiuit, quamquam penes eſt mea omnis res & liberi,*
*Video eccum, qui manſtutorem me adoptauit bonis.*

Plautinã eſſe vocem hîc *manſtutorem*, non credam, neq; ſi aliquot Turnebi affirment. Quid enim huc manu-tutela? Et eiecta eſt neceſſaria vox alia *ſuis*, quam vetuſtiores omnes habent. Eam inde mihi reponã, cum aliud monuero prius, quod momenti non paullo grauioris. Nam quî tandem ipſi verſus hi cohærent, nullo ſententiæ inter ſe nexu vincti? Medius ne ſententiæ quidem vllius eſt: qui tamen & hinc remotus reliquos coire faciet nõ incommode, & alibi collocat? ipſe accipiet aliquem ſatis tolerabilem ſenſum. Nam hîc ferri nullo quidem, vt mihi videtur, pacto poteſt. Duo extremi ſi ſic iungantur:

*Ea dixit, eum Dinarchi puerum eſſe inuentum filium.*
*Sed video eccum, qui ſuis tutorem me adoptauit bonis.*

nihil hîc amplius deſideres. Nam abrumpit narrationem ſuam Phroneſium, cum aduentantem ipſum Dinarchum videt. Tertius è medio illorum excluſus recipi poſt illum poterit, leuiter etiam emendatus:

*DI. Dij immortales, vt planiloqua eſt! paucis vt rem ipſam attigit!*
*Vbi id audiuit? quam penes eſt mea omnis res & liberi.*

Commodiore certè nuſquam loco erit: & ſi queat alibi eſſe, tamen eſt à Dinarcho pronuntiandus. Huius enim res omnis apud Phroneſium erat pridem, perpetuis donis ad eam tranſlata: nunc verò etiam erat filius, ab ipſa ſibi ſuppoſitus nuper, quem vnum liberos ſuos dicit pater pluralitatis numero, vulgatâ conſuetudine Latinæ linguæ. Quòd autem quærit, *Vbi id audiuit?* id commodè interpretandum. Non enim ſanè ignorare potuit, vnde de puero Phroneſium audiiſſet: ſed ſuſpicari facillimè, ex tonſtrice ſua audiiſſe, quam Callicles antea conſtrictam duxerat & heræ ſuæ rem hanc ipſam iuſſerat nuntiare. Verùm gaudio & admiratione velut extra ſe poſitus nunc non cogitat hoc, quantumuis minimo antè geſtum. Præcedit hunc locum is verſus:

*Me videre vis, & me te amare, puerum petis.*

qui numeris defectus, eleganter ex antiquis ſuppleri poteſt, ac planè debet:

*Me videre vis, & me te amare poſtulas, (&) puerum petis.*

Sic totidem iiſdemque verbis reddit mulier, quod propoſuerat priore:

*Scio mecaſtor, quid velis, & quid poſtules, & quid petas.*

In illo etiam ſuperiore, ſententia hæret:

*DI. Mulier aſſum, profectuſt. PH. quid agitur voluptas mea?*

*Tò profectuſt* retinent & interpretantur alii, alii mutant: illi ridicule, hi non ſatis benè. Corrigendum ſic ſcio:

*DI. Mulier, ad te ſum profectus. PH. quid igitur vol. mea?*

Seuerus Dinarchus, Ego deſtinatò, inquit, ad te venio, mulier: at illa ſolitum blanda: quid igitur mea voluptas, aut qua cauſſa venis? Infrà:

*In eam rem, ſi quid habebo, tibi quoq; etiam proderit.*

Vide an non iteratis duabus voculis, & perſonis variatis faciendum:

*DI. In eam rem? PH. in eam. Si quid hab.*

Et inferius:

*PH. Nunquid vis? DI facultas opera vbi mihi erit, ad te venero.*

Non vno modo *facultas* iſtud mutarunt: hic *valeas*, alius *ſalueas*. Atqui duæ ſunt voces: altera, quam ille voluit; altera, quam ſimul ibidem non latere, ſed diſertim comparere non tamen idem vidit. Scriptura enim Plauti eſt,

*DI. fac valeas. opera vb. m. &c.*

Fini ſcenæ verbum deeſt:

*Sine eum ipſum adire vt cupit, ad me, hac rectà: ſi venerit,*
*Na iſtum ecaſtor hodie aſtutis confectum fallaciis.*

Lambinus eiectis voculis *hac rectà*, intruſit *dimittam*, prorſus violenter, & omni ſine ratione: quam nec vllam dedit. Non fert ipſa ſtructura ſermonis ipſum talem ordinem vocabulorum. Nec enim præcedere verbum poteſt inchoatiuam particulam *Na*. Relinque verſum priorem, vt vulgatur: altero pro *confectum* ſcribe *confexim*, & confectam rem ſine vlla aſtutia aut fallacia habebis. *Confexim*, valet confecerim antiqua inclinandi ratione, qua *effexis* etiam Pœnulo, pro effeceris. SC. *Quid nunc.*

*AG. Egone? egone, ſi iſtuc lepide effexis? MI. i modo.*

## CAPVT VIII.

*Potene eſt. Magno. Pecua in crumena. Muretus, Turnebus, Lambinus refutati. De lectione & explicatione plurium locorum contra hos ipſos diſputatum. Perſonæ exactæ. Verſus aliquot exemti, alioque ordine alibi collocati. Finis Comœdiæ totus traductione verſuum interpolatus, & enarratione illuſtratus. Inſignes quædam in extremo emendationes.*

VEnimus tandem multas per difficultates ad vltimam omniū vltimæ Comœdiæ ſcenam, in qua non leues etiam aliquot ſalebræ: quibus complanatis, laborioſæ induſtriæ noſtræ iuſtum plauſum licebit poſtulare. Sic ibi excuditur adhuc:

*Potin es vt mihi moleſtus ne ſies? ST. quid Aſtaphilutium eſt?*
*AS. Merito ecaſtor tibi ſuccenſet. PH. egon? at q; iſti etiam parum*
*Maleuolo. ST. ego mea voluptas, ſi quid peccaui prius,*
*Supplicium ad te hanc minam fero auri. ſi mihi ridespice.*

Quibus in emaculandis iam diu laboratum eſt à doctiſſimis viris. Sed vide primùm, an non, quod illis intactum remanſit, ita melius initio legatur, *Poten' eſt*: pro eſtne pote, ſeu poteſtne. Dehinc non

lubet

lubet agnoſcere ellipticam orationem, *atq; iſti: etiam parum male volo:* quæ ſupplenda ſit, pro merito ſcilicet ipſius. Legam, *PH. egone iſti? atq; etiam id parum: Male volo.* Succenſere dicebatur militi Phroneſium: at illa, parum eſſe ait hoc dictum de ira. nam ſe non ſuccenſere tantùm illi, ſed ad id malè etiam velle. Vltima putatur egregiè Turnebus reſtituiſſe, *ſi mihi rides, ſpice:* & in hoc Lambinus vectatur, qui viderit, *ſpece* rectius eſſe quam *ſpice.* Nam Muretus hîc nihil minus quàm Muretus. *minam puriſſimi auri: eſpice.* Sed enim qua vi ſententiæ eſt illud alterum probatum ab omnibus, *ſi mihi rides?* Mihi quidem non ridet, nec ſpecitur. Aliud aptius coniecei, *niſi mihi credis, ſpece.* Ferre ſe ſupplicium minam auri dicebat miles ad meretricem auerſam: quæ cum haud etiam reſpiceret, addit, ſi verbis meis non credis, ipſam rem vide. Tum illa non oculis ſe videre, ſed oculatis manibus, reſpondet, nec quidquam antè, quam habeat penes ſeſe, credere.

*PH. Manus vetat, priusquam penes ſeſe habeat, quidquam credere.*

Si igitur credi ſibi velit, dandum hûc in manum innuit, quod ſe ferre dicat. Hinc longo ſatis interuallo eſt:

*——STR. ades amica, te alloquor.*

*PH. At ego ad te ibam. STRAB. ad me, delicia? PH. hercle verò ſeriò.*

Ruſtico Strabaci minus conuenire videtur illud delicatum *deliciæ*: nec ille ſat decorè hîc molliculus, qui alias vbique durus. Si idem iudicas, da vocem eam meretriculæ perpetuò blandienti: *STR. ad me? PH. mea delicia, hercle verò ſeriò.* Nam *mea* ſic quidem certò inſerendum numerorum cauſsâ. Et poteſt Strabaci tamen etiam blandimentum id relinqui. Quem quòd porrò mox vrbanum nobis Lambinus facit in iſtis:

*Nequidquam es bella, malo tuo n'ſi ſimitu ego aliqui gaudeo.*

quaſi *malo* dixerit pro *bono*; fallitur & quod hoc vrbanitatis genus ſit, ego quidem non ſcio. Hoc ſcio, in aliam longè ſententiam verſum corrigendum:

*Quamquam es bella, malo tuo es, niſi ſimitu ego aliqui gaudeo.*

Libri veteres diſertè *quamquam* habent: quorum *nam* tamen pariter non recepi. Minaciter ac prorſus inurbanè, quamquam tu bella es, inquit, malo tuo es bella, niſi tecum ego ſimul aliquid inde fruor. Inconcinnum deinde illud eſt etiam, & nugis interpretis conſpurcatum:

*STRAB. Nihil φιλαρεῖ ſatius eſt, miles, ſi te amari poſtulas.*
*Auro, haud ferro deterrere potes me. ames Stratophanes.*

Cum in omnia animum verto, nihil videtur potius, quàm Phroneſio, non Strabaci (illam enim minabundus ille compellarat) attribui verſus hos ita correctos oportere:

*——Abſtine hoc mulier manum,*
*Niſi ſi te meâ manubiâ machærâ & hunc vis emori.*

*PH. Nihil φλυαρῶν ſatius eſt, miles, ſi te amari poſtulas,*
*Auro, haud ferro deterrere potes me, ne amem, Stratophanes.*

AStrabacis amore minis auertere conatur amicam miles: ſed illa, ne eum amet, non ferro ſe ait, ſed auro tantum deterreri poſſe. Quod meretricium planè dictum Strabaci non competere ſatis eſt manifeſtum: atq; inter alia abſurda, quamdiu huic tribuitur, eſt illud quoque lepidulum, quòd is nomine militem compellat, cuius hoc eſſe nomen neque ſciuit, nec audiit antea fortaſſis vnquam. Vlterius legitur:

*ST. Malam rem i & magnam. STRAB. magno opere ſerua tibi viaticum.*

Præfigenda neceſſariò præpoſitio, *In malam rem*: deinde vox *opere* fortè delenda: quam numeri grauantur. Et τὸ *magno* ſolum ruſticus ſemper in ore habet, vti poſt paucos verſus:

*STRAB. Iam hercle iam magno tu vapula vir ſtrenuus.*

Mox ambigo, an illic:

*Da tu de tuis deliciis ſummis quid pauxillulum:*

melius *diuitiis* ſcribi poſſit. Inde verò ſtatim qui verſus leguntur, eos non dubito alieno loco legi:

*PH. Campas dicis: abi, abi, conſultaui iſtuc. ST. mihi homo*
*Caue faxis volnus. tibi iam cui ſunt dentes ferrei.*

Sed & corruptos eſſe, tum peſſimè a Lambino interpolatos, ſtultiſſimeque interpretatos, magis ſcio: neque me verò falli puto coniecturâ meâ, quâ hinc exemtos & ſic emendatos ſuperioribus illis adnecto:

*ST. Hunccine hominem te amplexari tam horridum atque ſqualli-dum?*
*PH. Quamquam hic horriduſt, quamquam hic ſqualliduſt, at eſt bel-lus mihi.*
*ST. Caue, faxit volnus tibi, tam cui ſunt dentes ferrei.*
*PH. Campas dicis: abi, abi, conſultaui iſtuc mihi, mi homo.*
*ST. Dedin' ego aurum?*

Quo quidem ordine nihil planius, & ſententiis autem nihil elegantius. Dehortatur amicam miles etiam nunc ab amore ruſtici tam horridi, tam ſqualidi; monetque cauere, ne inter oſculandum vulnus ipſi faciat homo ferreis dentibus: quam inanem eius ſollicitudinem illa ridens, fruſtra ſibi monitorem eſſe ait. ac ſatis illud ſibi ipſi prouiſum ac conſultatum. Mirum verò & miſerum in modum ille quoque locus deinceps eſt corruptus:

*ST. Vbi eſt, quod tu das? ſolue zonas. PH. prouocatur. ST. quid times?*
*STRAB. Tu peregrinus, hic habito, timeo meos. non ego ambulo.*
*Pecua ad hanc collo in crumena ego obligata defero.*

Vt multa tibi verba compendii faciam, ſic emendabis:

*ST. Vbi eſt, quod tu das? ſolue zonas prouocator. quid times?*
*STRAB. Tu peregrinus. hic habito: timeo meos, non nego. clanculo*

Pecua

*Pecua ad hæc collo in crumena ego obligata deſero.*

Dederat miles Phroneſio talentum, prouocatus à Strabace, qui eum iuſſerat non minaciis, ſed minis ſecum certare:

*Melius te minus certare mecum, quàm minaciis.*

Iam cùm ipſe dedit, paria facere viciſſim iubet Strabacem: & heus tu prouocator, inquit, vbi habes, quod tu des? ſolue zonas. quid verò turbatus hæres? Excuſat ille: illum peregrinum eſſe, neceſſariò pecuniis inſtructum: ſe hîc habitare, neque zonam ære grauidam circumferre: quòd autem timere dictus ſit; ſe quidem non negare, timeri a ſe ſuos: ſed clanculò ſe munera ſatis ampla ſolere tamen ad Phroneſium deferre: pecubus in crumena obligatis alludens ad illas viginti minas, quas pro ouibus acceptas ſuprà memorabat & meretrici deſtinabat, Scenâ *Rus mane.*

Porrò hîc nec in illis iam multum ſani:

*PH. I nunc intrò amabo, & tu ergo hac mecum. ST. tu eris mecum quidem.*

*STRAB. Quid tu? quid ais? cum hoccine? ego poſterior dedi.*

quos etiam bene reſtitui in hunc modum:

*PH. I nunc intrò amabo & tu hac. ST. ergo mecum tu eris? PH. tecum quidem.*

*STRAB. Quid tu? quid ais? cum hoccine? ST. ego enim poſterior dedi.*

Strabace iam antè recepto, poſt velitationem hanc ob recens donum iubet Phroneſium militem quoque introire: qui prius quærit, an ergo ſecum futura ſit: atque illa reſpondet, futuram. Dolet id Strabaci: & cum hoccine futura es, inquit, me deſtituto? Suſcipit miles, ita meritò ſuo fieri: nam ſe poſteriorem dediſſe. Deniq; vt ad finem aliquando veniamus, ſub finem nec ego ſcio, nec quiſquam ſcierit, quid ibi ſibi velint hi duo verſus:

*Meamq; vt rem bene geſtam, veſtram rurſus bene geram.*

*Verum amabo, ſi quid animatum eſt facere, fac iam vt ſciam.*

Sed docere poſſum, nec huc pertinere, & quò pertineant, monſtrare: ſimul corruptiſſimos emendare. Quod breuiter faciam, ne ſim diutius odioſus. Adiuuor autem paululum à priſcis editionibus, quæ altero horum verſuum pro *Meamq;* exhibent *Æque*. Quantumcunq; id auxilii; tamen eo animoſior in correctionem verborum fio: in verſuum traductione non niſi me ipſo & diuinationis meæ certitudine fretus. Aggredior vtrumque; & Muſis propitiis, perficiam; non ignobile faſtigium & colophonem laboribus his meis in optimum Comicum impoſiturus. Ita finem totum reſcribo:

*PH. Tu dediſti, hic iam daturuſt. iſtuc habeo, hoc expeto.*

*Verum vtriq; mos geratur amborum ex ſententia*

*Æquum, meâ vti re bene geſtâ veſtram rurſus bene geram.*

*Verum amabo: ſi quid animatu'ſt facere, fac iam vt ſciam.*

*STRAB. Fiat. vt rem gnatam video, hoc accipiendum eſt, quod datur.*

Digitized by Google

*Meum quidem te lectulum certè occupare non ſinam.*
*PH. Lepidè ecaſtor aucupaui, atq; ex mea ſententia.*
*Veneris cauſſâ applaudite, eius hæc in tutela eſt fabula;*
*Spectatores: bene valete, plaudite, atq; exſurgite.*

Res quæ geritur aut dicitur, ordine iam liquidiſſimo conſtat. Ambobus ſe dare meretrix cupiebat, vt ſuâ re bene geſtâ, benè viciſſim illorum gereret ex vtriuſque ſententia: quod ita æquum eſſe ſtatuit. ſed vt poſſit, exorare neceſſe habet alterum prius receptum ac priores ſibi vendicantem, quantumuis miles poſterior dediſſet. Etſi dubium hoc quidem aliquo modo, an Strabax adeò potius, quàm Stratophanes exoretur. Nam quia & hic poſterior cedit & ad ipſum meretrix orationem hanc ab initio direxit; non fruſtrà videri poteſt is quoq; verſus ad eundem pronuntiatus:

*Verùm amabo, ſi quid animatus facere, fac iam vt ſciam.*

Tamen Strabacis omninò alter hic fuerit:

*Meum quidem te lectulum certè occupare non ſinam.*

quoniam is in lecto iam diu cubarat: vt patet ex illo ſuperiore;

*Ita miſer cubando in lecto hic exſpectando obdurui.*

Qui igitur eo militem prohibet: & hac rurſum ratione, tanquam potior idem potius videtur de admittendo aduentore altero ſollicitandus. Sed vter tandem oretur; exoratur facilè. quia ex re nata fieri non poſſe aliter videt. Ibi illa ſic impetrabilis exhilarata vertitur ad ſpectatores, & aucupio ſuo tam lepido iactato, Veneri ſuæ plauſum poſtulat, omneſque peractâ Venereâ planè fabulâ exſurgere iubet ac valere. quod ego meos etiam Lectores iubeo aut oro, ſecundum ipſum item plauſum: ſi quem adeò tam longa ſuper omnes fabulas commentatione meruiſſe potui, neque magis prolixitate meâ moleſtus & odioſus fui, quam diligentiâ gratus ac iucundus.

## CAPVT IX. EXTRAORDINARIVM.

*Quæ ſuis paſſim locis in Plauto nos fugerant, item de quibus aliter poſteà ſtatuimus, hìc velut per Saturam pleraq; eorum aut potiſſima retractata. De fundis & cenſibus in muliebrem mundum abſumtis loca elegantia diuerſorum ad Epidicum inſigni acceſſione aucta. Supremam dicere in Aſinaria, poſt omnes; contra pleroſque; enarratum. De Mulis in Aulularia locus Tertulliani, item Martialis, ſtabilitus. Emiſſitius, Demiſſitius, Perpeſſitius. Tertulliani ad Plautum adſpectus. Seneca correctione tentatus. Offrenatus dolis, illecebris, offâ. Rugare. Detegere, Detergere in Plauto & Appuleio an permutanda. Turpilij verſus concinnati. Occupare, Locare ſuis contrariis permutata. Species, pro ſpecimine. Lucillius correctus. Medicari morbum. Prauelle. In Simplicitus oſcitantia Nonij detecta. Habere coctum cibum, coquere. Epeus fumificus, pro coquo. De eo Varronis locus: & ibi Fragmentum notum*

*num Plauti repertum. Genere, contumeliis e dere. Reuorſionem facere. Neu, pro Niue. Plauti Querulus & Aularia, item Rudens & Vidularia argumenti ſimilis aut eiusdem Comœdia. Fragmenta alia duo rariora, emendata & explicata. His omnibus alia quoq; nonnulla inſperſa.*

Abſolutum a me Plautum, & ab illo me putabam, cùm excuſſis ad extremum ſchedulis meis video quædam inter commentandum ſuis paſſim locis me fugiſſe: quæ non abs re fuerit hìc quaſi reprehendere & retractare. Non tamen omnia prorſus hìc dare conſilium eſt, ſed potiſſima: quando nec in omnia inquirere mihi nunc licet prolixius, & quæ nunc vel oblata prætereo, vel etiam latitantia non inueſtigo; quæq; adeò nondum obſeruata, porrò ſum in tam inexhauſto ſcriptoris ingenia omnia ſtudiaque abſorbentis velut mari notaturus, iis nouus Commentarius olim fortaſſe debetur. Quæ nunc vltrò occurrunt, monitu non indigniſſima; nullo ordine, vt ſub manum quæque temerè venient, pro corollario & mantiſſa ſuperiorum hìc appendam, aut velut communis ἐπιμυθὶς fabularum omnium loco annectam. Epidici igitur ſcenâ *Si tacete*, cùm locum inſignem de indumento impluuii corrigeremus, atque ad hunc verſum,

*Quaſi non fundis exornata multa incedant per vias.*

ſimiles de fundis & cenſibus in veſtes abſumtis. Ouidii & Propertii notaremus Commentationum noſtrarum IV. capite; ſubierdixerunt ſe nobis hæc plura gemina eiuſdem rei & locutionis ex ſcriptoribus aliis exempla. Tertullian. de Habitu muliebri, in fine: *Breuiſſimis loculis patrimonium grande profertur. Vno lino decies ſeſtertium inſeritur. Saltus & inſulas tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſacciis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum vſurarum ſubſtantiam vno & muliebri corpuſculo baiulare.* Quo loco in inſaniam muliebris ambitionis vt nihil acrius aut elegantius, ſic nihil & Plautino ſimilius. Quem grauiſſimum & ſanctiſſimum ſcriptorem imitatus in eodem argumento magiſtrum diſcipulus, vt ſe ferebat, Cyprianus ſimilia dicit aliquot locis. vt de Bono pudic. *Mirum negotium; mulieres ad omnia delicata, ad vitiorum ſarcinas fortiores ſunt viris.* Et ibidem: *Quorum pretia etiam ſine artibus Kalendarium cuiuſuis excedunt.* Et adhuc ibidem: *Quid cum digiti tali* (an f. *digiti digitali*) *auro onerati nec intrare poſſunt nec egredi: vtrum vſus expoſcitur; an patrimoniorum inanis pompa monſtratur?* Item Hieronymus in vita Pauli Eremitæ: *Qui vno filo villarum inſuunt pretia.* Sed in illis Patribus huius generis multo plura & ſeueriora, quàm pro noſtro & Plauti modo. Quibus remiſſiore modulo ſuccinit Columella lib. 12. Præfat. *Nunc pleraq; ſic luxu & inertia diffluunt, vt ne lanificij quidem curam ſuſcipere dignentur*

*ſed domi ſedentes confectas veſtes faſtidio habeant; peruerſaq; cupidine pretioſiores alias à viris pelliciant; quæ grandi pecunia & totis pane cenſibus redimuntur.*

Et Martialis lib. III.

*Aurea quòd fundi pretio carruca paratur.*

Eiuſdemque libro 9. trahi huc poteſt:

*Emta tibi nox eſt fundis non tota paternis.*

Nec item illud eiuſdem longius abludit:

*Emiſti Labiene tres cynædos:*
*Addixti Labiene tres agellos:*
*Pædicas Labiene tres agellos.*

Quæ ſane loca non debuerunt illic omiſſa deperire.

PORRO Aſinariæ ſcenâ *Cur me*, ſententiam noſtram dicere obliti ſumus de iſto verſu:

*AR. Mater mihi ſupremam tua dixit, domum ire iuſſit.*

Plerique *ſupremum* legunt, & cum Lambino de valedictione interpretantur. Alii ad Varronis locum referunt; quem & ego mox dabo. Sed nuper doctus iuuenis in Præmeſſis ad funerum ritum traxit, inque ea opinione ſubſcriptorem Notis in Catullum inuenit alterum doctiſſimum iuuenem, ad quem illam ipſam epiſtolâ publicâ perſcripſit. Hi igitur putant *Supremum dicere*, eſſe ſuprema vel vltima conclamare, vt in funeribus fiebat. Ac auctoris opinionem alter firmare voluit Quintiliani loco; qui neceſſitatem adeò non affert, vt vix probabilitatem. Ipſe auctor ſtabiliri maximè coniecturam ſuam cenſuit eo, quòd ſtatim de funere in ipſo Plauto ſubiicitur, tanquam apertâ ritus huius alluſione:

*PH. Acerbum funus filia facit, ſi tè carendum eſt:*

Id licet argutè, vanè quoque tamen eſt cogitatum. Nam Plautus id quidem nunquam aſpexit, qui perſiſtit ſimpliciter in orationis ſuæ genere, quo cœperat de morbo puellam prius facere loquentem:

*AR. Salue, PH. ſaluere me iubes, quoi tu abiens affers morbum?*

Morbo μεταφορικῶς dicto ſubiungitur eodem locutionis genere funus, nulla intermedii verſus relatione ad vtrumque extremorum. Suo modo adoleſcens, ſuo loquitur puella. Verè autem *ſupremam dicere* eſt, dicere vocem ſupremam, quæ erat *Ilicet*, à Præcone in Comitio ſolita ad dimittendum populum pronuntiari. Quod non tam ex Varronis illo loco petendum lib. 5. L L: cuius verba rectè emendata iſta ſunt: *Suprema, ſummum diei. id à ſupremo. hoc tempus XII. tabulæ dicunt occaſum eſſe ſolis. Sed poſtea Lex Prætoria id quoque tempus iubet eſſe ſupremum, quo præco in Comitio ſupremam pronuntiauit populo.* Sed magis è Donato, qui clarius & explicatius ita ſcribit ad Terentii Phormionem: *Sic iudices de conſilio dimittebant ſupremâ dictâ, cum præco pronuntiabat populo Ilicet; quod ſignificat ire licet.* Suprema igitur vox *Ilicet*, quam Plautus ibidem ipſe inter-

interpretatur, & hanc intelligere ſe vltrò ac diſertè ſatis oſtēdit, cum ait, *domum ire iuſſit*. Supremam dixerat, dum domum ire iuſſerat: id eſt, *Ilicet* pronuntiauerat. quæ quidem vox in funeribus tamen etiam adhibita, vt è Seruio pridem alij docuerunt, cuius huc maximè pertinentia verba ad illud VI. Æneid.

*——Ferales ante cupreſſos:*

*Varro tamen dicit pyras ideo cupreſſo circumdari propter grauem vſtrinæ odorem, ne eo offendatur populi circumſtantis corona: quæ tam diu ſtabat, reſpondens fletibus Præficæ, id eſt planctuum principi, quamdiu conſumto cadauere & collectis cineribus dicebat nouiſſimum verbum* ILICET, *quod ire licet ſignificat. Vnde eſt, Dixitq; nouiſſima verba.* Neq; tamen is locus hilum iuuat Scheckianam opinionem, tanquam ſolum hunc funebrem ritum Plautus aſpexerit: qui non magis in animo habuit hunc, quam & illum vel in Comitio, vel Iudicio, vel denique in Sacris, vbi eadem etiam voce populus dimittebatur. Non, inquam, peculiariter ad funera adſtringendum *Supremam dicere*, ſed communis ipſa illa vox *ilicet* communiter accipienda, quam omnino Plautus interpretatus ipſe eſt additiunculâ iſtâ ſuâ, domum ire iuſſit.

Aulularia ſcenâ *Narraui:* de mulorum vſu & pretio pariter magno loquuntur verſus:

*Ego faxim, muli, pretio qui ſuperant equos,*
*Sint viliores Gallicis cantherys.*

qui mihi præter alia loca non afferenda memoriā refricant Tertulliani ad vxorem lib. I. cap. 4. *Non quidem monilium pondera, non veſtium tadia, non Gallicos vultus, nec Germanicos baiulos, &c.* vbi hac occaſione lectionem aliam marginalem aſſero *mulos*, pro *vultus*. Etſi enim hoc vocabulum tres pluresq; Vaticani manuſcripti habent, verius tamen eſt illud *mulos*. Muli namque præcipui vſus in feminarum geſtatione, de qua Tertullianus ſentit, & in eadem baiulos ſtatim addit. De vultibus Gallicis non ita conuenit: at de mulis apud omnes conſtat, & maximè omnium conuincit atq; illuſtrat hic Plauti noſtri locus. Sed & in partem Martialis venit, cuius æquè ambigua lectio epigr. 62. libr. 3. pariter in ea voce ſtabilienda:

*Aurea quòd fundi pretio carruca paratur,*
*Quòd pluris mula eſt, quàm domus, emta tibi.*

Sic veteres. Vulgò *nulli:* quod præoptet, qui nec aptitudinē mulæ ad carrucam adiunctę, neq; mendacium apertum videt de Quinctii illius domo, quæ totâ vrbe fuerit vna omnium maximo emtā.

Eiuſdem Aulularia ſcenâ primâ *Exi*, aſſerebam vocabulum *Emiſſitius:*

*Circumſpectatrix cum oculis emiſſitijs.*

allato pari *Demiſſitius* ex Pœnulo. Fugit monere, ad illum Aulularia locum reſpexiſſe Tertullianum videri, qui quidem eodem

verbo vſus de Chamæleonte, libro de Pallio cap.3. *Capitulum ſtatim à dorſo. Nam deficit ceruix. itaq; durum reflecti: ſed circumſpectū emiſſitij ocelli, imò luminis puncta vertiginant.* Formâ verò inflexionis eadem *Perpeſſitium* dixit Seneca epiſt.53. pro duro & omnia tolerante: *Leuis aliquem motiuncula decipit: ſed cum creuerit & vera febris exarſerit, etiam duro & perpeſſitio confeſſionem accepit.* Vbi non ſincerum vltimum verbum: pro quo nihil aptius nunc ſuccurrit, quàm *exprimit.* niſi potius legendum, *etiam à duro & perpeſſitio confeſſionem accipit.*

CAPTIVIS Sc. *Inijcite.* veriſſimè Gulielmius noſter olim emendauit:

*Vſq; offrenatum ſuis me ductarent dolis.*

Sed vocis eius & phraſeos vnum affert ſaltem ex Apuleio exemplum lib.6. Metam. *Hunc effrenatum vnius offulæ predâ facilè prateribus.* Addo alterum ex Apologia: *Noua nuptæ illecebris offrenatum ſuo arbitratu de via deflectit.* Qui ſcriptor eam ſine dubio è Plauto ſingulari ſtudio fuit imitatus.

CASINÆ Scenâ *Omnibus rebus*, pulchrè poſitū *rugandi* verbū:

*Id eſt mecaſtor: vide, palliolum vt rugat!*

Sed idem eodem modo in fragmento noſtri:

*Quid eſt hoc? rugat pallium: amictus non ſum commodè.*

AD Epidicum cap.2. hæſitaui in verbo *detegere*, quod primâ fabulæ ſcenâ:

*Detegetur corium de tergo meo.*

Etſi verò nulla cōiecturarum mearum ibi valdè improba, poſſim tamen hoc nunc relinquere: quamquam tergum potius dici debebat corio, non corium detegi de tergo. Voluit id in Appuleio quidam reſcribere, Apolog. *At tu piſcium inſimulator longe diuerſa inſtrumenta Magus attribuis: non frontibus teneris detergenda, ſed dorſis ſquallentibus exſcindenda.* Voluit inquā *detegenda.* Sed quâ cauſsâ? Eodem iure contra in Plauto poſſis dicere ſcribendum *Detergetur.* Turpilij verſus Pedio, in quibus id verbi, ſic in numeros recolligendi: ——*quæſo omitte ac deſere*

*Illam, quæ ſemel te nacta ſemper ſtuduit perdere,*

*Detegere, ſpoliare, opplereq; adeo fama ac flagitiis.*

AD eandem fabulam cap.3. dixi quædam de verbo *occupandi*, & ſimilibus, ſuper iſto verſu ſcenæ *St. tacete*:

*Atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.*

Quæ etſi non planè reuoco, vide tamen, an non *Occupatum* ſimpliciter ita Plautus dixerit, quomodo Columella lib.11. cap.1. *Pecuniam domini neq; in pecore nec in aliis rebus promercalibus occupet. Hæc enim res auocat villici curam, & eum negotiatorem potius facit, quàm agricolam.* Vt noſter non ad fœnebrem occupationem, nec aliò reſpexerit: ſed argentum in mercimonio & emta fidicina ſic

occupatum ſentiat, vt pecuniam ſcriptor rei ruſticæ minimè ruſticus in quibuſuis promercalibus rebus. Scilicet in re emta pretium ita occupatur & hæret, quo minus ad alium vſum nummi transferri queant. De verbo ibidem *elocandi* maneo in ſententia, maximè, cum meminerim & Iuriſconſultos interdum huiuſmodi verba permutaſſe, & in Seneca quoque reperiam *locare* prorſus hoc modo collocatum: de Benef. lib. 3. cap. 22. *Quemadmodum ille (mercenarius) beneficium dat, qui plus præſtat, quàm quod operis locauit, &c.* Apud quem eundem cùm alia, tum *creditor* & *debitor* etiam inter ſe commutaſſe iam pridem ab aliis ſunt deprehenſa.

MOSTELLARIÆ ſecundâ ſcenâ, in verbis:

*Vt & in vſu boni, & in ſpeciem populo Sint.*

mutaui *ſpecimen:* cum quo tamen idem eſſe *ſpeciem* Nonius vult, cuius exemplum è Lucillio petitum hîc per cauſſam emendemus. Lucill. lib. xxx.

*Sicuti ea, qui ea, quæ ſpeciem vitæ putamus eſſe.*

Lego, *Secutiq; ea, quæ ſpec.*

EIVSDEM Comœdiæ ſcenâ *Iuppiter*, non interpolari debet:

*PHILO. Periÿ. TR. habe bonum animum: ego iſtum lepide medicabor metum.*

Nam cum accuſandi caſu Apuleius etiam *medicandi* verbum ponit, & quidem actiuâ inſuper formâ. Apolog. *Nunquam apud eum marino aliquo & piſculento medicauit nec Proteus faciem, nec Vlyſſes ſcrobem, nec Æolus follem, nec Helena crateram, nec Circe poculum, nec Venus cingulum.* Atque idem pòſt ibidem: *Dum ætatis aliquid ſuperſit, nuptiÿs valetudinem medicandum.*

ETIAM eiuſdem penultimâ quod hactenus variè vexatur:

*Numquam edepol hodie inultus deſtinauerit tibi.*

vide, num poſſit ita conſtitui:

*Numquam edepol hac hodie inultus deſignaueris mihi.*

Vt *inultus* ſit pro impunitus. *Deſignare* & *Deſtinare* quàm facilè, quàm ſæpè ſibi inuicem ſubierint, oſtendi ad Curtium nuper. Ipſe verò vix quidquam huic coniecturæ hîc tribuo.

MILITE non vanam fortaſſe correctionem ſuppreſſi, quam maiore fiducia nunc reddo. Primâ ſcenâ:

*PY. Facetè aduertis animum tuum ad animum meum.*
*AR. Noviſſe mores me tuos meditatè decet,*
*Curamq; adhibere, vt praeuolet mihi quò tu velis.*

A *præuolando* capiunt *præuolet:* ego à *præuolendo* velim, atq; ita legam, *vt præuelim quod tu velis.* Nihil enim aliud paraſitus dicit, quàm ita ſibi mores militis cognitos eſſe opottere, atque ita animum iis aduertendum, vt quæcunque ipſe velit, ipſe prius velit. Nouitas verbi mutationes poteſt inuexiſſe.

MERCATORIS Prologo Nonius aliter legit verſum,

*Sed ea vt ſim implicitus dicam, ſi operæ eſt auribus.*

Stuporem hominis vide, qui duobus è verbis *ſim implicitus* vnam vocem nouam fecerit *ſimplicitus*: quam ſimpliciter hoc vno exemplo munitam auſus eſt producere. *Simplicitus* ait *ſimpliciter Plaut. Mercat.*

*Sed eam ſimplicitus dicam, ſi opera eſt auribus.*

Præclarè ſe geſſit, & obtinuit omnino quod voluit. Ipſum tamen vocabulum probum eſſe & conſiſtere poteſt, etſi hoc Plautinæ auctoritatis tibicine non fulcitur.

EIVSDEM ſcenâ *Homo me*, elapſa mihi nota phraſeos:

*Quaq; habeat cotidianum familia coctum cibum.*

Eſt enim hæc circumlocutio coquæ: & *habere coctum cibum* nihil aliud, quam cibum coquere. qua phraſi idem noſter vſus alibi eſt in fragmento, quod apud Varronem latens educo & primus fortaſſe mõſtro. Varro lib. 6. L.L. *Plautus Epeum fumificum coquum: ab Epeo illo, qui dicitur ad Troiam feciſſe equum Troianum Argiuis, & aptè cibum curaſſe. Ideò ait Epeum fumificum, qui legioni noſtra habet coctum cibum.* Nam verba hæc poſtrema Plauti verſum eſſe credo:

*Epeum fumificum, qui legioni noſtra habet coctum cibum.*

quibus coquus circumſcribitur; ac nomine Epei fumifici indigetatur. Quamobrem in Varrone non iunctim capienda *Epeum fumificum coquum*, tãquam a Plauto iunctim poſita; ſed vox *coquum* ſeparãda a præcedentibus, & habenda pro interpretamẽto. Nam *Epeũ fumificum* notat Varro iocosè dictum à Plauto pro coquo, alluſione priſci illius ad Troianum bellum Epei, qui ſimul achitecti, ſimul coqui munere functus ſit apud Argiuos. Ceterùm formæ ipſi loquendi ſimiles multæ ſunt vulgares, quæ ita nouæ non accidunt nobis ad animum vel aures. Talis *infeſtum habere*, pro infeſtare, Ciceronis de Rep. lib. 3. apud Nonium in *Infeſtum*. *Nam cum quæreretur ex eo, quo ſcelere compulſus mare infeſtum haberet.* Talis etiam fortè Plauti Rudente:

*Tune hic feles virginalis liberos parentibus*
*Sublectos habebis?*

quamquam ibi ſimplicius verba ſeorſim capi poſſunt.

ADHVC eiuſdem vltimâ ſcenâ tentatus aliis locus:

*EV. Qui bono ſunt genere gnati, ſi ſunt ingenio malo,*
*Suapte culpa genere capiunt, genus ingenuum improbant.*

neſcio ſi rectius ita corrigetur.

*Suapte culpa genere cadunt, genus ingenuum ingenio improbant.*

Vt *genere cadunt*, ſit pro excidunt: vt *cauſsâ cadere* vulgò, & nouiter Appuleius *contumeliis cadere*. Apolog. *Imò enim, ſi audire verum velis Æmiliane, tu potius caducus, qui iam tot calumnijs cecidiſti.* Sed dicam & aliam in eundem locum coniecturam:

*Suapte culpa culpam generi addunt, genus ingenio improbant.*

Probandæ verò vtrique aut alterutri nullum verbum impendere auſim.

AD Pſeu-

Digitized by Google

AD Pſeudolum capite ſecundo notaui locutiones, *Aſcenſionem Reuorſionem facere*: quibus Varronis exemplum addatur apud Nonium in *Reditus*: *Ad milites facit reuorſionem.*

AD Rudentem cap. 3. negaui *Neu* pro *Niue* reperiri, & hoc illi ſuppoſititium feci. Feciſſe nunc videor imprudentius, qui non cogitarim, etſi exemplum quidem non in promtu ſit, rationem non deeſſe tamen, qua alterum defendatur. Vt enim à *Siue*, *Seu* frequentatur: quidni ſic etiam à *Niue*, *Neu* poſſit vſurpari? tantoque magis, cum & *Neue* pro ipſo *Niue* in noſtro hac ipſa ad finem Comœdia ſcriptum reperiamus:

*——Spectatores vos quoq; ad cœnam vocem,*
*Ni daturus nihil ſim, neq; ſit quidquam pollucti domi,*
*Neue adeo vocatos credam vos eſſe ad cœnam foras.*

VLTIMO nunc loco fragmenta afferam duo ex Comœdia noſtri, cuius neque nomen, adeò non fragmenta ipſa dederunt Fragmentorum Collectores. Citatur enim & *Querulus* ſiue *Querolus*, & ex ea ſub perſona Laris Familiaris:

*Mihi theſaurum commendauit.*

Vnde coniicias, eodem argumento, quo Aululariam, ſcriptam aliam quoq; a noſtro Comœdiam hoc nomine, ducto ab Euclionis eiuſdem aut alterius gemini Querelis. Sic quidem eiuſdem prorſus argumenti duas fabulas nominibus diuerſis noſter fecit Rudentem & Vidulariam: è quarum hac verſus multi conſimiles laudantur iis, qui hodie leguntur in altera, & quos aliàs ex illa ipſa temerè excidiſſe queas opinari. Sed ex *Querulo* affertur alibi illud etiam: *Peierat ſæpe qui tacet. Tantum eſt enim verum, quantum & falſum dicere.* Quod vt abſurdiſſimam ſententiã continet (quomodo enim idem tantũdem eſt, falſum dicere ac verum?) ita mutilum ego ipſum eſſe; & ſi integretur, illã inſtaurari multo aptiſſimam, elegantiſſimam, veriſſimam affirmo. Ac me quidem reparare confido etiam poſſe ipſiſſimam Plauti ſcripturam, in ſeſquiuerſum ita digeſtam ex facili nec infelici diuinatione:

*——Peierat perſæpe, qui tacet.*
*Tantum enim eſt verum tacere, quantum eſt falſum dicere.*

Periurium ait etiam tacendo ſæpe committi. nam in pari eſſe, taceas verum, an falſum dicas. quod quidem puto illic dictum in inquiſione perditi, ſiquidem fuit idem Queruli argumentum cum Aulularia, theſauri. A ſententia verò ipſa non longè diſſidet locus Ammiani Marcellini lib. 29. *Fallere non minus videtur, qui geſta præterit ſciens, quàm ille, qui nunquam facta fingit.* Quin & eòdem ſpectant Auſonii verba ex Præfatione in Epicedium parentis: *Falſum me autem, morte eius obitâ, dicere, & verum tacere, eiuſdem piaculi exiſtimo.*

HÆC ex pluribus pauca vicem Auctarij adieciſſe nũc ſatis ſit: quibus adeò prolubium erat vlterius ſubnectere, quæ confuſa &

deprauata circumferuntur aliàs mirificè, reliqua omnia Fragmenta Plauti fidelius collecta, diligentius ordinata, ſincerius caſtigata: ſed alia conſilii ratio ſuaſit iſtam opellam non planè neceſſariam vel omittere penitus, vel hoc quidem tempore prætermittere, atque in aliud ſtudiis ac reliquis rebus meis commodius vna cum ceteris huiuſcemodi ſcitamentorum λειψάνοις differre.

Fuerit enim iſte Commentarius quaſi iuſta cœna, quam fortè bellaria ac ſecundæ menſæ ſint aliquando ſubſecuturæ.

F I N I S.

Digitized by Google

# MARCELLI DONATI PONZANI CO-MITIS

& 

S. STEPHANI EQVI-TIS COMMENDA-TARII,

Dilucidationes.

Digitized by Google

Digitized by Google

MARCELLI DONATI

# IN TITVM LIVIVM DILVCIDATIONES.

## T. LIVIVS LIBRO I.

### *Pater patratus ad iuſiurandum patrandum.*

QVI feriendo fœderi præerat, Latinis pater patratus dicebatur. Hic iuramento fœderis pacta firmabat, quod Plutarchus in problematibus ſcriptum reliquit. Licetq; ſacerdotibus fecialibus, qui fœderibus ſanciendis præerant, pater patratus præficeretur, nihilominus à Feciali creabatur, quod hoc in loco clare Liuius docet. Cur vero pater patratus appellaretur, ex recentioribus quidam, Calepini authoritate innixi, inquiunt ita vocatum, quod pater patratus eſſe non poſſet, qui patrem & filios non haberet. Nam reſpectu filiorum pater dicebatur, reſpectu vero patris, patratus nuncupabatur. At hæc nuncupationis ratio mihi imaginaria penitus videtur, nec vlli authoritati innixa. Rationi magis conſonum arbitror, patrem patratum appellatum ea de cauſa, quod ſicuti pater filiorum curam gerit, & in illos plenam haber poteſtatem: ita ſacerdos huiuſmodi, tanquam pater totius populi Romani, illius vice & nomine iuſiurandum peragebat. Eadem de cauſa Romanos ſenatores, *patres* vocatos obſeruamus, à curæ ſimilitudine, eo quod ita populi Romani vtilitati ac bono inuigilarent, quemadmodum patres filiorum ſtudent beneficio; vt

docuit Saluſtius *in coniuratione Catilina.* Patratus vero inſimul dictus, vt idemmet Liuius aperit, eo quod crearetur ad ferienda fœdera,& iuramenta patranda.

## T. LIVIVS LIB. I.

*Sagmina inquit te rex poſco.*

HErbam fuiſſe ſacram & puram,qua caput Patris patrati Fecialis tangeret vel circundaret, ex Liuii verbis clare patet. Sed illud difficultatem facit, quod primum inquit, *Fecialis ex arce graminis herbam tulit*: mox vero ſubdit, *Verbena caput capilloſq; tāgens.* Aliam autem eſſe herbam Gramen, aliam vero Verbenam nemo ignorat. Huiuſcemodi obiectioni ſic occurrendum puto: gramen non ſolum accipi ſpecifice pro herba ſingulari ita appellata, ſed & generice, pro herba cuiuſcunq; generis. Virg. IX. Æneid.

*Pars in gramineis exercet membra palæſtris,*

Id eſt,palæſtras exercebant in loco aperto & herboſo.Ita gramineum campum 3. *Faſt.* dixit Ouid. hoc eſt,herbidum. Minime itaq; mirum,ſi Verbenam graminis voce comprehendit Liuius: quod clare ex hiſce Plinii dictis *lib.* 22. *c.* 2. colligitur: *Non aliunde ſagmina in remediis publicis fuere & in ſacris legationibus, quam verbenæ: certe vtroque nomine idem ſignificatur, hoc eſt, gramen ex arce cum ſua terra euulſum.* Hactenus Plin. Eo autem quod ex ſacro loco, Capitolio ſcilicet,colligeretur, dicebantur ſagmina, quaſi ſancta. Feſtus *lib.* 17. ſcribit: ſagmina eſſe verbenas, hoc eſt, herbas puras, quia ex loco ſancto ſumebantur.Seruius ad illud Virgilii *lib.*12.Et verbena tempora vincti: *Verbena* (ait) *proprie eſt herba ſacra, ſumpta de loco ſacro Capitolii, qua coronabantur Fecialis & pater patratus, fœdera facturi, vel bellum indicturi*: Abuſiue tamen etiam verbenas appellamus omnes herbas ſacratas, vt ſunt laurus,oliua vel myrtus. Vt Terentius *in Andria*,act.4,& ſce. 4. *Ex ara hinc verbenas ſume*: quem locum explicans Donatus inquit: *Verbenæ, dixit, quaſi herbenæ, & ſunt omnes herbæ frondeſque feſtæ, ex aliquo puro loco decerptæ ad aras coronandas*: citatque Menandrum, qui myrtum fuiſſe teſtatur, à quo Terentius

rentius tranſtulit. Vnde & illud Virgilii, ecl. octaua, *Verbenas adole pingues.* Ita & Suetonius *in Caligula, cap.* 27. ſcriptum reliquit: *Alterum, qui ſe periturum eadem cauſa vouerat, cunctantem pueris tradidit verbenatum infulatumque: qui votum repoſcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere.* Verbenatum enim non verberatum, vt alii, legendum peritiores decreuere. *Sagmina*, inquit Martianus in l. ſanctum. de diuiſ. rer. *ſunt quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret.* Quo in loco adnotauit Budæus, perperam legi, *ſanctum* dictum à ſanguinibus. Nam legendum, *à ſagminibus*: quod etiam ex poſterioribus Catellianus Cotta, memoralium lib. in dictione, *ſanctum*, confirmat. Nec minus reprehendēdi, qui apud Modeſt. *l. vlt. D. de lege Pomp. de parric.* ſagmineis virgis cædi parricidas legunt. Non enim veriſimile eſt, Romanos religioni quam maxime addictos, permiſiſſe, ſacram frondem parricidarum corpore contaminari. Quare reponendum non dubito *ſanguineis*, hoc eſt, quæ ſanguinem ictibus elicerent, vel, quæ ex frutice illo pararentur, qui *ſanguen* appellatur: cuius meminit Plinius *lib.* 16. *cap.* 37. ſanguineos frutices vocans: & de ſanguineis virgis *lib.* 20. *c.* 10. inquiens: *ſunt, qui ſanguineis virgis tangunt ea, quæ nolunt his obnoxia eſſe*: & lib. 24. *nec virga ſanguinea felicior habetur, cortex eius interior cicatrices, quæ perſanauere, aperit.* Sanguineas autem virgas infauſtas fuiſſe ex hiſce patet. Sed ad rem noſtram reuertētes addimus, dubio procul ſagmina fuiſſe verbenam, ex loco ſacro decerptam, de qua Plinius *lib.* 25. *c.* 9. ita ſcribit: *nulla tamen Romanæ nobilitatis plus habet quam Hierabotane, aliqui periſtereon, noſtri verbenam vocant. Hæc eſt quam legatos ferre ad hoſtes indicauimus, hac Iouis menſa verritur, domus purgantur luſtranturque*: & *lib.* 22. docet, verbenarium dictum, qui verbenas in ſacris geſtabat: quod pariter teſtatum reliquit Liuius *lib.* 30. circa finem, vbi de verbena & ſanguinibus plura. *ἱερβοτάνην*, verbenam Græci dixere, hoc eſt, ſacram herbam.

## T. LIVIVS LIB. I.

*Porcum ſaxo ſilice percuſſit.*

PLuribus Deis fabuloſa antiquitas porcum mactauit: Siluano porcum cæſum docet Iuuenalis Saty. ſexta,

*Cadere Siluano porcum:*

Et Cereri Eleuſinæ quoque immolatum legimus apud Varronem *lib. 2. c.* 4. quod pariter confirmat Tibullus lib. eleg. 1. eleg. 10.

*Hoſtiaque è plena myſtica porcus ara.*

Nam myſtica, non ruſtica, vt alii, legẽdum docuere Turnebus & Muretus. Et Laribus Deis ſacrificabant porcum, teſte Horat. lib. 2. ſaty. 3.

*Immolat aquis*
*Hic porcum Laribus.*

Nonnunquam & Veneri mactari ſolitum ſcribit Callimachus. In funere defunctis & cæſam porcam Marcus Victorianus in hæc verba ſcriptum reliquit: *Qui iuſta defuncto non fecerunt, aut in faciendo peccauerunt, iis porca contrahitur, quæ omnibus annis immolari oporteat.* Hinc Cicero 2. de legibus: *Sunt iura, quæ in porca contracta.* Poſtremo & in feriendo fœdere porcus ſilice occidebatur, quod ex Liuio hoc in loco, & libro etiam 9. elicimus: & Quinctilianus *libro* 8. confirmat, inquiens, cædi ſolere porcum in feriendo fœdere. At Suet. non porcum, ſed porcam mactari ſolitam tradit, *in Claudio, c.* 25. per hæc verba: *Cum regibus fœdus in foro icit porca cæſa.* Virg. lib. 8 Æneid.

*Cæſa iungebant fœdera porca.*

Idem pariter ſentit Feſtus, ſcribens, porci effigiem inter militaria ſigna locum obtinuiſſe, quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæſa porca fœdus firmari ſolebat; quod pariter Varro confirmat. Conciliamus Liuium cum aliorum dictis, quod, ſicuti ſub appellatione hominis, comprehenditur & maſculus & fœmina, ita & nomine porci veniunt & mas & fœmina. Vere tamen porca fœmina in ſacris mactabatur, quod Cic. 2. *de legibus* docet, dum ait: *E porco fœmina piaculum pati.* Sic Liuii & Quinctiliani dicta interpretanda, ſic Virgilianum illud *lib.* 12. vbi de fœdere loquens, ait:

—*Pura-*

*——Puraque in veſte ſacerdos*
*Setigeræ fœtum ſuis, intonſamque bidentem*
*Attulit.*

Male itaque Seruius, explanans illud 8. *AEneid.* inquit: *Falſo dixit, porca, nam ad hoc genus ſacrificii porcus adhibebatur:* cum potius porcam accipi ſolitam ex prædictis pateat, idque omnes autores confirment, ſi eorum verba recte perpendantur; tum etiam, quia in omnibus fere ſacris fœminini generis victimæ immolarentur, & ſi quando per marem litaretur, ſuccidanea dabatur fœmina, ſi autem per fœminam litaſſet, ſuccidanea non admittebatur. Porci autem, qui in ſacris cædebantur, ſeu ſacris faciendis deſtinabantur, *ſacres* appellabantur. Plautus in Menechmis: *Quanti hic ſunt porci ſacres*? & in Rudenti: *Vt rem diuinam faciam, cum intro aduenero, Laribus familiaribus, cum auxerunt noſtram familiam, ſunt domi agni & porci ſacres.* Quod idem eſt his, quos Tibullus loco ſupra citato myſticos dixit, quoſque Ariſtophanes modo *μυϛηρικὰς*, modo *μυϛικὰς*, vocauit. De modo feriendi fœderis, & mactanda porca plura Cic. *lib. de Inuent.* Nec illud hoc loco prætereundum, elegantiſſime Liuium *ſaxo ſilice* dixiſſe. Nam ſicuti ſilex lapidis duritiem, qualis ex quo ignis excutitur, ſignificat: ita ſaxum magnitudinem demonſtrat. Nam proprie ſaxum lapidis magnitudinem notabilem præ ſe fert, ita, vt quandoque hac voce ſcopuli & montes deſcribantur: Virg. 1. Æneid.

*Perque vndas, ſuperante ſalo, perque inuia ſaxa*
*Diſpulit.*

Ouid. 5. Metamorph.

*Per rupes, ſcopuloſque, adituque carentia ſaxa.*

Plautus in Moſtel. *Iam ad vnum ſaxum me fluctus efferunt.* Virg. 2. Æneid.

*——Stupet inſcius alto*
*Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.*

Et 2. Georg.

*Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.*

Et rurſus,

*Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis.*

## T. LIVIUS LIB. II.

*Ante omnes, de prouocatione aduerſus magiſtratus ad populum, ſacrandoque cum bonis capite eius, qui regni occupandi conſilia iniſſet.*

COElius Rhodiginus *lib.* 12. *c.* 11. ſacratum hominis caput interpretatur ex Dionyſio Halycarnaſſæo, *libro antiquit. Rom.* 2. hominem, quem occidere liceret. Ego quidem doctiſſimi viri ſententiam non improbo: ſed *ſacratum* hoc loco caput expono, *execratum*, Græcis *κατάρατος*: iuxta illud Virg. 3 Æneid.

——*Quid non mortalia pectora cogis*
*Auri ſacra fames.*

Sic Horatius ſen. 2. ſaty. 6. *Inteſtabilis & ſacer eſto*: quod pariter Macrobius docuit *lib. Satur.* 3. Sic epilepſiæ morbus *ſacer* apud medicos vocatus, id eſt, execrandus, quicquid alii interpretati ſunt, quos redarguere facile poſſumus ex Gal. dictis *in com. 1. prognoſt. & com. 6. in ſixtum de morbis vulgaribus.* Apud eoſdem, & herpetis genus *ſacer ignis* dictus, cuius meminit Plinius *lib. 26. c.* 11. & in pecudibus obſeruauit Col. *lib. 7. c. 5.* Et *ſacer ſerpens, ἱερός*, Græcis ob feritatem ſcilicet, execrandus dictus. Erit itaque *caput ſacratum*, ni fallor, Liuio, homo abominandus, atque ab omnibus auerſandus, cuiuſmodi ſunt hi, quos nos excommunicatos vocamus, hoc eſt, ab hominum Chriſtianorum conſortio abactos, anathematizatos etiam dictos, hoc eſt, deteſtatos, deuouendos, à voce Græca *ἀνάθημα*, quod eſt ſeiunctio ſeu alienatio. Huiuſmodi homines ethnicis antiquis, violare impune fas erat. In hunc ſenſum ſcripſit Cic. in orat. pro Cor. *Quum caput eius, qui contra legem facit, conſecratur.*

## T. LIVIUS LIB. II.

*Signo amiſſo ſigniferos, ad hoc centuriones, duplicarioſque, qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri percuſſit.*

QVum primum in hunc locum incidiſſem, exiſtimabam, per duplicarios Liuium intelligere milites illos,

qui centurionibus & ſigniferis aſſociarentur, vt illis forte in pugna deficientibus, ſufficerentur, ne ſigna laberentur, ordineſque desererentur. In hanc ſententiam Liuii eiuſdem verba *lib.* 8. me adducebant, vbi inquit: *Romano haud ſatis fidenti viribus, iam Romæ promiſſum erat ab Conſulibus, vt ſubcenturionem ſibi, quem vellet, legeret, qui tutaretur eum ab vno deſtinato hoſte.* At rem aliter ſe habere ex mox dicendis manifeſte cognoui. Varro *lib.* 4. *de lingua Latina*, duplicarios ſcribit eſſe, quibus ob virtutem duplicia dabantur cibaria. Ita & Vegetius lib. 2. c. 7. *Duplares*, inquit, *torquati*, *& ſimplares torquati erant, quibus torquis aureus ſolidus virtutis præmium fuit, quem qui meruiſſet, præter laudes, interdum duas conſequebatur annonas.* Idem *duplares armaturas* vocat, quæ conſequantur duplas annonas, *ſimplares* vero quæ ſimplas. Liuius *libro ſeptimo* ſcribit, Conſulem milites, qui in præſidio cum Decio fuerant, duplici frumento in perpetuum donaſſe: & *libro vigeſimoquarto* ait: *Arpi ſine clade vllius, præterquam vnius veteris proditoris, noui perfugæ reſtituti Romanis, Hiſpanis duplicia cibaria dari iuſſa, operaque eorum forti ac fideli perſæpe Reſpublica vſa eſt.* Vetuſtum autem morem honorandi fuiſſe, dare virtutis ergo duplicia cibaria, conſtat ex Herodoto *libro ſexto*, vbi dignationes & iura Spartanorum Regum deſcribens, tradit; quod in conuiuiis dabatur illis duplum omnium quam cæteris conuiuis. Ita Xenophon in orat. de laudibus Ageſilai. *Duplicem* (inquit) *portionem in conuiuiis ex conſtituto accipiens, nec ſic quidem tota vtebatur, verum ſimplici, nec integra ea contentus, reliquum diſtribuebat; ratus geminam portionem Regi dari, non ſatietatis gratia, ſed quo poſſet, quem vellet honorare.* Idem Xenophon *in Rep. Lacedæmoniorum*, non procul à fine tradit; Lycurgum inſtituiſſe, Reges in cœna duplici parte honorandos, non vt duplo magis quam alii ederent, ſed quo & ex hoc quem vellent, honorare quirent. *Milites duplicarios* ſeu *dupliciarios* vt alii, vel *duplarios*, vti in antiqua marmorea inſcriptione in palatio Cardinalis Genuenſis iuxta viam ſalariam, virtute inſignes fuiſſe colligimus; quum eos Liuius cum centurionibus & ſigniferis commemoret, tum etiam ex

voce Græca, nam *διμοιρίτης*, duplarius dictus, ſeu *διμοιρiότης*, qui & manipuli dux interpretatur, nam *διμοιρία*, manipulus eſt. Vetus inſcriptio, de qua paulo ante meminimus, ne ab aliquo deſideretur, eſt huiuſmodi: M. AVRELIVS MVCIANVS. V. A. XXXV. NAT. TRAX MILIT. ANN. XV. IN COH: II. PRÆT. III. VENATORIS DVPLARIVS IVLIANVS HERES FECIT BENEMERENTI.

## T. LIVIVS LIB. II.

*Cætera multitudo ſorte decimus quiſque ad ſupplicium lecti.*

IGnauos milites, & ſeditioſos varie caſtigatos, ac pœna affectos obſeruamus; aliquando enim ſacramento ſoluti, militia abire iuſſi, aliquando eorum ductores, & principes viri, puta centuriones & tribuni, à militia abiecti, aliquando ſeditionis autores morte multati, nonnunquam prius flagellati, necati, & inſepulti derelicti; At quum grauiter vniuerſi deliquiſſent, ſorte decimum quemque ex illis vltimo ſupplicio affectum legimus. Quod ex hoc loco etiam colligimus. Appius namque Claudius deſertores exercitus decimum quemque ſecuri percuſſit. Sic Tacitus *Annal. lib.* 2. tradit, L. Apronium decimum quemque ignominioſæ cohortis ſorte ductos fuſti necaſſe. Sic legiones iuſſu Galbæ decumatas idem Cornelius tradit *lib. Hiſt.* 1. Et *Annal. lib.* 14. ſcribit: *Ex fuſo exercitu. quum decimus quiſque fuſti feriretur, etiam ſtrenui ſortiuntur.* Cic. *in Orat. pro Cluentio* inquit: *Statuerunt maiores noſtri, ſi à multis eſſet flagitium rei militaris commiſſum, ſortione in quoſdam animaduerti, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret.* Opilius Macrinus quum ſeditiones pateretur militares, milites decimauit, teſte Capitolino in illius vita. Sorte quoq; ad mortem ſeditionem auſuros delegit Iulius Cæſar, teſte Dione *lib. Hiſt.* 41. Scribit Diodorus Sicul. *lib.* 11. *Bibliot.* Græcos cum Xerxe & Perſis bellantes, Diis decimãdos denouiſſe Græcos quoſcũq; Xerxis partes ſequutos, ſi victores extitiſſent. Quod pariter Herod. *lib.* 7. cõfirmat. Sic quum multitudo capitale crimen cõmiſiſſet, decima-

decimationem factam colligimus etiam ex Pauſania *lib.1. Rerum Atticarum*, vbi ſcribit, Syllam Romanum captis Athenis, decimum quemque ciuem, vt ſors tulit, trucidaſſe. Polybius *in lib. de tribus politiis*, autor eſt, duo præcipue fuiſſe in militari diſciplina ſuppliciorum genera, Decimationem ſcilicet, (*δεκατίαν* dicunt Græci,) & fuſtuariam. Decimationis ſupplicio Duces exercituum in militari ſeditione, & noſtris temporibus non ſemel vſos teſtantur neoterici hiſtoriæ ſcriptores.

## T. LIVIVS LIB. III.

*Data venia, ſeducit filiam ac nutricem prope Cloacinæ, ad tabernas, quibus nunc Nouis eſt nomen; atque ibi ab lanio cultro arrepto, Hoc te vno, quo poſſum (ait) modo, filia in libertatem vindico. Pectus deinde puellæ transfigit.*

Virginiæ virginis, quam pater Virginius Icilio vxorem deſponderat, quamque Appius vnus ex decemuiris vitiare tamquam ſeruam ſatagebat, ob idque à patre peremptæ, hiſtoriam enarrat Liuius, cuiuſque indubitatam fidem facit multæ antiquitatis marmorea tabella, cum huiuſmodi inſcriptione Romæ in Sancta Maria Monticelli extante.

D. M.
VIRGINIS FILIÆ MEÆ CARISSIMÆ VIRGINEÆ NIMIAM OB PIETATEM PROPRIIS MEIS MANIBVS INTEREMPTÆ, PROH DOLOR QVANTVM FVIT CARISSIMA, IN ANNO XVI. IVVENTVTIS EIVS, MENSES V. D. III.

Huius rei antiquitatis ſtudio commotus meminiſſe volui, quamuis hiſtoriam per ſe claram, nulla dilucidatione egere cognoſcam, nec laboris noſtri titulo, aut ſubiectæ materiæ reſpondere. Mirum ſane, tabellam huiuſmodi hiſtoriam referentem, vſque ad tempora noſtra ſeruatam, ſicq; per annos amplius biſmille facti generoſi magnitudinem celebrante hiſtoria, ac inciſo marmore conſeruante memoriam, fauentibus etiam longiſſimis annorum curriculis: Namque Appium Decemuirum magiſtratum geſſiſſe,



Digitized by Google

quando id contigit, anno ab vrbe condita 303. conſtat, & Chriſtum Saluatorem noſtrum, anno ab vrbe condita 751. Auguſti Imperii 42. natum conſentiunt omnes, vnde facta computatione, manifeſtum euadit, ab inſigni facinoris anno vſque adhuc reperiri annos 2040.

## T. LIVIVS LIB. IV.

*Patres bene cœptam rem perſeueranter tueri, conferre ipſi primi; & quia nondum argentum ſignatum erat, æs graue plauſtris quidam ad ærarium conuehentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant.*

QVod æs graue diceretur antiquis Rom. nullus hactenus, quod ſciam recte, & quantum ſatis ſit, iudicio meo, explicauit. Budæus (quem tamen ſemper honoris gratia nomino) *in Annot. ad Pandectas, & lib. 1. de aſſe, & 5.* ex hoc loco æs graue interpretatus eſt, non ſignatum. Eandem interpretationem recepit Alex. ab Alex. *lib. Genial. 4. c. 15.* At præclariſſimos viros deceptos, manifeſte colligimus ex Feſto, vbi de denario loquitur, his verbis: *Graue æs dictum, quia deni aſſes (ſinguli pondo libræ) efficiebant denarium, ab hoc ipſo dictum denarium.* Et ex Plin. *lib. 33. c. 3.* in hæc verba ſcribente: *Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem deuictum, vſus eſt. Libralis, vnde etiam libella dicitur, & dipondius appendebatur aſſis. Quare æris grauis pœna dicta. Et adhuc expenſa in rationibus dicuntur; item impendia, & pondera. Quin & militum ſtipendiorum, hoc eſt, ſtipis ponderandæ, penſatores libripendes dicuntur: qua conſuetudine in iis emptionibus, quæ mancupi ſunt, etiam nunc libra interponitur. Seruius rex primus ſignauit æs, antea rudi vſos Romæ.* Ex his colligimus duo, ſcilicet Romanos non vſos ære rudi & informi, niſi ante Seruium regem; & ſignatum æs in ſolutionibus pendi conſueuiſſe, & ob id graue dictum. Quamobrem manifeſtum fit, Liuii dicta de ære graui minime intelligenda eſſe de rudi & informi, quum tunc temporis ſignato ære vterentur Romani. Sed æs graue appellatum, quia penderetur, non numeraretur in ſolutionibus. Namque ſi parua ſumma erat ſoluenda, numerabantur nummi ærei, ſi magna, appendebantur. Quod enim

enim tam penſo, quam numero olim fierent ſolutiones, clare docet Caſſiodorus *lib.Variar.7. epiſt.32.* prioris extat exemplum apud eundem Liuium,*lib.*34.vbi ſcribit,M.Catonem militibus diuiſiſſe ex præda in ſingulos ducentos ſeptuaginta æris, hoc eſt,aſſes, nummos ſcilicet æreos 270. qui numero dati,non pondere, & ideo non adiecta particula illa *grauis*,ſed tantum dixit ſimpliciter *æris.* Exempla ſecundi apud eundem Liuium plura obſeruamus.Nam 4.*lib.* tradit, Poſthumium ob rem male geſtam in Veios decem millibus æris grauis damnatum. Idem *lib.5.*ſcribit: *His creationibus incitata plebs denis millibus æris grauis condemnauit*, & paulo poſt: *Et peſſimo exemplo innoxij denis millibus æris grauis condemnati ſunt.* Audiamus & Gellium *lib.*10. *cap.6.*ita ſcribentem, Tempore primi belli Punici, Claudii Cæci filiæ ob dictum quodpiam petulantius, mulctam æris grauis 25. millia dictam. Liuius item *lib.5.* vbi de M.Furio Camillo ait: *Abſens quindecim millibus grauis æris damnatur.* Item *lib.*10. ſub finem, vbi de triumpho Papyrii de Samnitibus: *Æris grauis magna vis tranſuerſa vicies centies millies, & quingenta triginta millia.*Et paulo poſt: *Æris grauis tulit in ærarium trecenta nonaginta millia.* Et lib.32. *Egregia,*inquit,*duorum ſeruorum indicum,& vnius liberi fuit,ei centum millia grauis æris dari patres iuſſerunt.* Et lib.22.*Indici data libertas, & æris grauis* 20 *millia.* Quibus omnibus in locis intelligendum, millibus aſſium æris grauis,autoritate Varronis, *lib.8. Ling. Lat.* ſcribentis, æs pro aſſibus accipi antiquis, vnde &, mille æris legaſſe, eos dixiſſe ait,id eſt,mille aſſes. Aſſem enim libralem fuiſſe, præter Plin.loco citato, docet Cornutus *in Perſium*; Vnde & libram pro aſſe vſurpatam tradidit Priſcianus. Hinc emptiones per æs & libram, quando æs ponderabatur, non numerabatur. Horat.

*Si proprium eſt,quod quis libra mercatur & ære.*

Liu.lib.*6. Inde rem creditori palam populo ſoluit, libraq; & ære liberatum emittit,*hoc eſt, pecuniam Manlii Nexi nomine fœneratori exoluit,adhibito libripende, qui æra penderet.Sic in Aug.Suet.*c.64.*inquit: *Caium & Lucium adoptauit domi per as & libram emptos à patre Agrippa*, non enim per as

& libram

& libram legen dum puto, quod nonnulli habent textus. Inde fluxit & appellatio teſtamenti per æs & libram, quum familiæ emptor adhibebatur, cui teſtator rem ſuam iudicis cauſa mancipio vendebat, de quo Gellius *lib.5.c.27.* & Vlp.*cap.Inſtit.*20. Itaque concludendum, æs graue dictum, quod pendebatur, ita & pœna grauis æris. Poſſumus quoque dicere, à mulctæ grauitate pœnam æris grauis dictam, ex Gellio ſcribente lib.20. c.1. de lege 12.tabul. *Sed enim ipſum vide, quod iniurias factas quinque & viginti aßibus ſanxerunt: non omnino omnes, mi Phauorine, iniurias ære iſto pauco diluerunt, tametſi hæc ipſa paucitas aßium graue æris pondus fuit. Nam librariis aßibus in ea tempeſtate populus vſus eſt.* Illud tamen firmiter ſtatutum ſit, graue æs eo quod libraretur ſtatera, dictum; idque perſolui ſolitum in maioribus ſolutionibus, quamuis & id quoque in minoribus obſeruatum quandoque non negauerim. Magnitudinem ſane æris, quod patres contribuebant, ſignificare volens Liuius, æs graue plauſtris in ærarium conuectum ſcribit, quum nondum argentum Romæ ſignatum eſſet; ex quo elicimus, æs illud ſignatum fuiſſe, namque ab argenti contributione abſtinuere, eo quod nondum ſignatum eſſet, alioquin ſi æs illud rude extitiſſet, & minori moleſtia profecto, & rude informeque argentum in ærarium contuliſſent, & minore labore ſaltem decupla proportione: quod alias oſtendemus factum, quum poſterioribus temporibus argentea moneta frequenti eſſet in vſu, raro admodum, ne dicam nunquam, æris grauis vlla fiat à ſcriptoribus mentio, nam hæc maturabatur, illud vero vt plurimum pendebatur, præſertim ſi quantitas perſoluenda non eſſet exigua, ſed magna. Quod potiſſimum colligimus ex Seneca *de conſolat.* ſcribente ad Albinum: *Beatioresq́, iſtos putas, quorum pantomimæ decies ſeſtertio nubant, quam Scipionem, cuius liberi à Senatu tutore ſuo, in dotem æs graue acceperunt?* Nec poſt cuſum argentum, quod in Epit.Flori.16.ſub anno 484. factum legimus: Et ex Plinio deuicto Pyrrho rege, vnquam à Liuio æris grauis poſtea mentionem factam obſeruamus. Nec profecto F.H. *lib.de re nummaria*, ſententia recipienda, dum ait:

ait: *Quum primus aſsis æris vetuſtiſsimis temporibus libralis eſſet dicta æris grauis, ad differentiam aſsis leuioris, quæ poſtea fuit in vſu.* Nam quomodo antiquiores hac de cauſa æs graue, eo quod aſſis ærea libralis eſſet, dicere potuerint, non video, quum leuiſſimi, qui ſucceſſit poſterioribus temporibus, nullam cognitionem habere potuerint. Ad hæc quæ ex Gellio adducit de Horatio, qui pro delectamento habebat, obuii cuiuſque liberi hominis os verberare, ſeruumq; præſto habere, qui crumenam aſſium plenam geſtaret, vt cuicunque, quem depalmauerat, aſſes ſecundum legem 25. numeraret, nihil ad rem facit, conſtat enim ex eodem Gellio ibidem, tunc temporis aſſes librales fuiſſe, non leuiores, vt ipſe probare profitetur. Vnde nec tam vaſta crumena, & immane marſupium imaginandum ad eos aſſes continendos, quales librales eſſent, vt ipſe imaginatur, nam non multos quotidie palma verberaſſe Horatium exiſtimandum, atq; etiam ſemel ea exhauſta, iterum replere potuiſſe. At quoquo modo ſe res habeat, palam eſt, Gellium hæc addere, eodem in libro & capite paulo infra. Nam librariis aſſibus in ea tempeſtate vſus eſt populus Romanus. Poſtremo & è Liuii verbis demendus ſcrupus, namque ait, nondum cuſum argentum, & ideo æs graue in ærarium delatum. Cuius contrarium alibi affirmaſſe videtur, namque *lib.* 1. tradit, Sueſſa Pometia vi capta, prædaque diuendita, quadraginta argenti aurique talenta redacta; ex quibus videtur innuere argentum ſignatum tunc fuiſſe, Reſpondemus, talentum duplex fuiſſe, numarium vnum, ponderale alterum, & talentum ponderale accepiſſe Liuium; non numarium; hoc autem ſeptuaginta librarum fuiſſe, quamſæpiſſime tradit Seruius autoritate Plauti, *lib.* 5. *AEneid.* eo loco: *Auri argentiq; talenta*, & *lib.* 9. ibi: *Auri duo magna talenta.* Africanus talentum omne pondo ſexaginta tradit. Numarium talentum Hebræorum tetradrachmam fuiſſe, ſcribit Budæus *de aſſe, lib.* 4. ſed de re hac alibi plura, quum multiplicia reperiantur apud ſcriptores talenti grauia pondera, & valore inter ſe, vti & nomine, valde differentia.

T. LI-

## T. LIVIVS LIB. IV.

*Hoc decreto conſul armatus, quum paucis appellantibus tribunum, collum torſiſſet, metu cæteri Sacramento dixere.*

VVlgaris nobis, ac familiaris dicendi modus, *ti torcerò il collo*, quum alicui mortem minamur; quamobrem prima ſtatim lectione arbitratus ſum, conſulem nomina dare nolentibus, mortem miniſtraſſe; at re intimius perſpecta, veriorem interpretationem nactus ſum; lucem præferente doctiſſimo Turnebo, *lib. Aduerſ.* 18. *c.* 34. Siquidem antiquis mos dicendi fuit, collum obſtringere vel obtorquere, pro vim inferre, nam rei collo conſtricto inuiti in ius tendebantur. Ita D. Hieronymus inquit: *Obtorto collo me in ius trabit.* Et Plautus in Curcul. *Collum obſtringe.* Et in Rude: *Rape obtorto collo.* Cic. 6. in Verr. actione: *Quem obtorta gula, de conuiuio in vincula, atque in tenebras abripi iuſsit.* Et in Orat. pro Cluentio, *obtorto collo ad ſubſellia reducere dixit.* In lib. *de Viris Illuſtribus* legimus: *Conſuli legibus agrariis reſiſtenti, ita collum in comitio obtorſit, vt multus ſanguis efflueret è naribus.* Sic itaque interpretandum, Conſulem detrectantibus militiam collum torſiſſe, id eſt, manum inieciſſe, ac vi facere, quæ ſponte renuebant, coegiſſe. Quo pacto & eleganter dictum à claſſicis autoribus obſeruamus, *torquere iura*, hoc eſt, peruertere, illiſque vim inferre. Cic. in Orat. pro A. Cecinna, *verbo ac litera ius omne torquere.* Hinc & *legum tortores*, eodem in ſenſu apud eoſdem.

## T. LIVIVS LIB. VII.

*AEdem Iunoni Monetæ vouit; Cuius damnatus voti, quum Romam victor reuertiſſet, dictatura ſe abdicauit. Senatus duumviros ad eam ædem pro amplitudine pop. Rom faciendam creari iuſsit.*

VOtum, Cic. dixit, eſſe ſponſionem, qua Deo obligamur, vt interim Iuriſtarum ac Theologorum definitiones prætermittamus. Qui vero vota pro re aliqua à Diis impetranda faciebat, vouere, ſeu vota ſuſcipere, & nuncupare vota dicebatur. Qui vero ſoluebat, perſoluere & ſignare vota, cuiuſmodi, quum paſſim extent exempla, ſatis

erit Plinium audire, lib. Epiſt. 10. ad Traianum: *Solennia vota pro incolumitate tua & ſuſcepimus & ſoluimus, precati Deos, vt velint ſemper ea ſolui, ſemperq́; ſignari.* ad quod & illud Iuuenalis *Satyr.* 10. ſpectat:

*Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.*

Nam cereas tabellas literis ſignatas, quæ votum explicabant, Deorum imaginibus affigebant. At, qui votum ſuſceperat, necdum voti compos perſoluerat, reus voti appellabatur. Virg. *lib.* 5. *AEneid.*

*Vobis lætus ego candentem in littore taurum*
*Conſtituam ante aras, voti reus,*

Hoc eſt, vt Seruius interpretatur, voti debitor; quem locum quoque enarrans Macrobius lib 3. c. 2. Saturnal. *Hæc vox* (inquit) *propria ſacrorum eſt, vt reus vocetur, qui ſuſcepto voto numinibus ſe obligat.* Qui vero voto ſuſcepto aſſequutus id, pro quo vouerat, nondum tamen ſoluto voto, damnatus voti dicebatur, quod clare Liuii dicta *lib.* 27. demonſtrant: *Deos omnes* (ait) *Deasq́; precabantur, vt illis fauſtum iter, felixq́; pugna, matura ex hoſtibus victoria eſſet, damnarenturq́; ipſi votorum, quæ pro iis ſuſcepiſſent.* Et lib. 5. *Haud mirum id quidem eſſe, furere ciuitatem, quæ damnata voti, omnium rerum potiorem curam, quam religione ſe eximendi habeat.* Et *lib.* 39. ſcribit, ſe pro ægroto vouiſſe, vt primum conualuiſſet, Bacchis eum ſe initiaturum, damnatum voti Deûm benignitate ſe id exſoluere velle. Virg. *Ecloga* 5.

—— *Tibi ſic vota quotannis*
*Agricolæ facient, damnabis tu quoq́; votis.*

Vbi Seruius, *Quum præſtiteris,* inquit, *quæ homines te orauerint, reddes illos obnoxios ad vota ſoluenda. Nam ſumus voti damnati & obnoxij, antequam reddamus.* Ex quibus patet, Alex. ab Alex. *lib. Genial.* 3. *cap* 22. perperam *damnatum voti* interpretatum, qui voti compos, vota exſoluiſſet; quod præcipue ex præſenti loco dignoſcitur. Nam dictator voti damnatus, nondum eo ſoluto, dictatura ſe abdicauit. Cui voto ſubſequenti anno ſatisfactum, ſtatim ſubdit Liuius.

T. LI-

## T. LIVIVS LIB. VII.

*Lauo humero matari prope traiecto.*

NVllibi me legiſſe apud Græcos Latinosve ſcriptores, præterquam hoc in loco vocem hanc *Matari* recordor, qua de re illius ſignificatum potius diuinare, quam certi aliquid affirmare poſſum. Vidit difficultatem Glareanus,& mendum in textu eſſe cenſuit, legendumq; *machæra* voluit. Sed quum machæra eſſet breuis gladii ſpecies,& cæſim potius, quam punctim feriendo aptior, non acquieſco illius ſententiæ.Nam Dioſcoridi *lib.4.Macharoticon*,gladiolus herba dicitur. Et Apuleius *lib.9.de Aſino aureo*,id exprimens, inquit: *Comminabatur ſeſe conciſurum eum machæra fruſtatim.* Plautus vero iter facientes petaſatos & machæratos dicit,hoc eſt,breuiori gladio cinctos, quali peregrinantes vti ſolent. Alii vero dixere, *Matarin* fuiſſe haſtam ſeu lanceam longiorem, qua Galli vterentur; at quum Gallos lancea,*Geſſa* vocata,paſſim vſos obſeruem, nec interpretationem huiuſmodi recipere audeo; quod vero Galli geſſa ſint vſi,conſtat ex Cæſare *lib.2.belli Gallici*,quod pariter confirmat Lactantius, Statii interpres, *lib.4.Thebaidos*,in eum locum:

*--- Pars Geſſa manu,pars robora flammis*
*Indurata diu.*

Idem quoque apertiſſime demonſtrat Virgilius *lib.8. Æneid.*de Gallis verba faciens:

*--- Duo quiſque Alpina coruſcant*
*Geſſa manu.*

Et Claudianus in Eutropium lib.2.

*Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens,*
*Illis ante vagus,tandem regionibus hæſit,*
*Geſſaq; depoſuit Graio iam mitis amictu.*

Itaque ſicuti neutram interpretationem recipimus,nec reiicimus,tamen ambas ſuſpectas habemus. Sit ſub iudice æquo determinatio. Nos ſane mendum in textu eſſe non dubitamus.& loco matari,*materi* reponendum.Nam μάτερις παλτοῦ τι εἶδος, hoc eſt,materis iaculi ſeu teli eſt ſpecies,ſic

ſcribente

ſcribente Strabone *lib.4 Georg.* & Nonius Marcellus mate-rim teli genus poſt lanceam longius dixit. Siſenna: *Galli materibus,* (inquit) *Suevi lanceis configunt.* Et alibi: *Lanceis & materibus medium perturbant agmen.* Sic apud Cæſarem *belli Gallici lib.1.* legendum: *Nonnulli inter carros rotasq; materes ac tragulas ſubiiciebant, noſtrosq; vulnerabant.* non *mazaras*, vt vulgati textus, nec *materas*, vt alii, eſt enim tertiæ declinationis. Hinc forte *Materæ* Deæ dictæ in Ægio Siciliæ vrbe religione olim celeberrimæ; quarum ſimulacris tum Meriones, tum Vlyſſes haſtas affixerunt, inſcriptis etiam dicantium nominibus, quarum Dearum meminit Cæl.Rhodig. *lib.lect.antiq.21.c.16.* Gallorum autem materes proprias fuiſſe, ex Cæſaris dictis coniicere poſſumus, rurſusque firmare ex præſenti Liuii loco; nam Romani aduerſus Gallos pugnabant. Vnde docte Turnebus *Aduerſ.lib.9.c.7.* annotauit, & hodie à Gallis ſagittam capitatam, matellatam dictam, quaſi materatam. Nonnulli à materi materiarios milites à Cæſare *libro belli Gall.7.* dictos credidere, quod ſcilicet materi armarentur; at profecto minus recte, ſi textus verba ponderentur, nam Cæſar hoſce cum frumentariis coniunxit, de munitionibus verba faciens; & per materiarios intelligendi, qui materiam ad ædificandas munitiones ſuppeditant. Sic Hircius *de Bello Afric.lib.* in hunc ſenſum in Africa inopiam eſſe dixit materiei ad crates & arietes fabricandos. Et Plautus *in Milit.* ait: Si nos materiarius non moratur, cito erit parata nauis.

## T. LIVIVS LIB. VIII.

*In Veliternos, veteres ciues Romanos, quod toties rebellaſſent, grauiter ſæuitum, & muri deiecti, & Senatus inde abductus, iuſſique trans Tyberim habitare; vt eius, qui cis Tyberim deprehenſus eſſet, vſque ad mille pondo clarigatio eſſet; nec priuſquam ære perſoluto, is, qui cœpiſſet, extra vincula captum haberet.*

CÆl. Rhodiginus *lib.5.c.11.* ex hoc Liuii loco, Taleam vulgo dictam, clarigationem exiſtimat dici poſſe. Budæus *in poſt.Annot.* Clarigationem cum Hermolao Barbaro

eſſe voluit, quam Græci ἀνδρολήψιαν vel ἀνδρολήψιον dixere, cuius Iulius Pollux *lib.8.c.1.* ſi Græca Latina reddamus, ita meminit: *Androlipſia eſt, quando quis homicidas fugientes petens non accipit; licet ex non reddentibus vſque ad tres abducere.* Eadem fere Suidas. De eadem re & Demoſthenes *in orat.* κατὰ ἀριστοκράτους, in eandem fere ſententiam: *Si quis violenta morte obierit, pro hoc gentilibus atque cognatis Androlipſiæ ſunto, quoad iudicio cædis, pœnæq; ſubiecerint, vel necis autores dederint; Androlepſia vero ad tres vſque, nec eo amplius eſto.* Hæc *lib.6. Decretalium, Epiſt.6.ſub titulo de iniur. & auth.ſed omnino.c.ne vxor pro mar.* Pigneratio vocatur, interpretes barbari *repreſaliam* dicere maluerunt. Vet.Glo. ἐνεχυριασμὸς, id eſt, redemptio pro vita propria, vel pignore, & *Nouell.52.* ὅμηρος, hoc eſt, vades, obſes, pignus, & quoque ἁρπαγὴ, id eſt, violentum, nam reddere nolentibus, vi pigneratio ſeu repreſalia fiebat. Ego ſane Clarigationem pignerationem dici Latine poſſe cenſerem, niſi pigneratio res potius, quam perſonam reſpiceret. Clarigatio vero, ſicuti Androlepſia, potius perſonas, quam res. At clarigationem fuiſſe perſonarum potius, quam rerum prehenſionem, ex ipſius Liuii verbis clare percipimus, quæ tamen prehenſio ceſſabat, ſoluta pœnæ loco pecunia determinata; ſicque reſpectu prehenſionis perſonarum Androlipſiam, reſpectu vero redemptionis ſolutæ pecuniæ medio, taleam & pignerationem dici poſſe, & ita ſcribentium de re hac ſententiæ, quæ diuerſæ videntur, conciliantur. Profecto minus apte Calepinus clarigationem belli denuntiationem interpretatus eſt; ſicuti & clarigare, bellum indicere; motus forte Plinii autoritate *lib.22.c.2.* vbi habet: *Legati ad hoſtem cum clarigatu mitterentur.* At Plinius de fecialibus loquitur, quos & legatos appellat, quique mittebantur ad hoſtes repetitum, quæ illi vi & iniuſte abſtuliſſent, quod ſi dicto non paruiſſent, bellum poſtea indicebant; quorum repetitionis actio ſub clarigatione quoque continebatur. Illud ſane non reticendum, Gregorium IX. in Concilio Lugdunenſi, *c.vnic.de iniur.lib.5.Decret.tit.8.* prohibere androlepſiam perſonarum Eccleſiaſticarum, quam repreſaliam & peregrinationem

& clari-

& clarigationem dici poſſe, non dubitamus. Clarigationes in Gallia vocantur *Dioict de Marque*, vti adnotauit Guido Pap *c.32.* De re hac plura Bart. *in tract. repreſal. q.1.* & Tiraquell. *in com. in l. ſi vnquam* & D. Thom. 2.2. q.40. a.1. vbi adnotatum lector inueniet, quæ repreſaliæ legitimæ & iuſtæ, & quæ non, ſint dicendæ, & de eadem quæſt. Ioan. Andreas *ad reg. iur. non debet, in 6.*

## T. LIVIVS LIB. VIII.

*Nec quenquam ferme ex Pollia Tribu candidatum, Papiriam ferre ſolitum.*

HEnricus Glareanus in ſuis ad Liuium Annot. ſcribit, Maguntinum Codicem non *Papiriam*, ſed *ſuffragia* habere, & interpretationem omittens, ait tantummodo, ſe vereri locum corruptum eſſe, quam rem, dum ipſe perpēderem, in eam veniebam ſententiam, vt Liuium de Papiria lege verba facere exiſtimarem: fuere ſiquidem plures Papiriæ leges, puta *de conſecratione, de refectione Trib pleb. de re numaria, de triumviris capitalibus*, & poſtremo Papiria Tabellaria, *de ſuffragiis*, qua cautum, vt in iubendis legibus, aut antiquandis, populus tabella ſuffragium ferret, quæ lex gratiſſima pop. Rom. fuit, vt tradit Cic. 3. *de legib.* & de eadem idem dixit *in Planciana*, quod frontem aperiret hominum, mentes tegeret, daretque eam libertatem, vt quæ vellent, facerent. Et *in 2. Agraria*, vindicem tacitæ libertatis, & *in Corneliana*, Principem iuſtiſſimæ libertatis appellauit. Putabam itaque, ſenſum verborum Liuii eſſe, neminem candidatum ex Pollia Papiriam legem ferre ſolitum, hoc eſt, quando populus per tabellas occulta ſuffragia, vt lege Papiria cautum fuerat, daret, ad petitos honores promotum odio aliarum Tribuum, quod ſicuti ipſæ omnes rogationem Flauiam de animaduertenda in Tuſculanos antiquaſſent, ſola Pollia cenſuiſſet Tuſculanorum puberes verberatos necari, coniuges liberoſque ſub corona lege belli venire. At quum Liuiana dicta exactius perlegiſſem, dictionem illam *Papiriam* non ad legem, ſed ad tribum referendā, manifeſte

deprehendi, ſenſumque genuinum eſſe, Papiriam Tribum neminem fere poſtea ex Pollia tribu candidatum ad honores petitos promoueri paſſam, eo quod memor eſſet immaniſſimæ ſententiæ à ſola Pollia in Tuſculanos ſuos latæ. Tuſculanos autem in Tribu Papiria ſuffragia tuliſſe probat Carolus Sigonius ex hoc loco ſolo, *lib.2. de antiquo iure Italiæ, c.9.* quod veritati conſentaneum exiſtimandum; ſiquidem eos ciues Romanos factos, & legiones ab Tuſculo deductas, conſtat ex ipſomet Liuio *lib.6.* illiusque mos eſt, cum abſolute profert, gentem aliquam ciuitate Rom. donatam, & ſuffragium quoque obtinuiſſe, tandem intelligere; ſicuti econtra, ſi ſuffragandi ius vna cum ciuitate non conceſſum, id exprimere, vti *lib.8.* ait, Acerranis ciuitatem ſine ſuffragio datam. Et rurſus, Formianos & Fundanos ciues Romanos ſine ſuffragio factos, & *lib.9.* Anagninis ciuitatem ſine ſuffragii latione datam, quod pariter confirmari poteſt ex Val. Max. dictis, *lib.9. c.10.*

## T. LIVIUS LIB. X.

*Primoribus Samnitum ea deteſtatione obſtrictis, decem nominati ab Imperatore, eis edictum, vt vir virum legerent; donec ſexdecim millium numerum confeciſſent. Ea legio linteata, ab integumento conſepti, quo ſacrata nobilitas erat, appellata eſt, his arma, inſignia data, & criſtatæ galeæ, vt inter cæteras emineret.*

QVidam hunc locum explanantes dixere, legionem Linteatam dictam, eo quod linteis loricis ſeu thoracibus armarentur: ait enim Liuius, linteatam legionem appellatam ab integumento, quo erant conſepti; Antiquos vero lineis ſeu linteis loricis vſos, conſtare aiunt. Æmilius Probus, ſeu, vt alii, Cornelius Nepos *in vita Iphicratis*, ſcribit, illum Athenienſibus loricas linteas pro æneis tradidiſſe, vt expeditiores in militari officio eſſent. Ad hæc ab Homero *Iliad.2.* Aiax Locrenſis λινοθώρηξ dictus, id eſt, linteum thoracem habens; ita & paulo poſt amplius etiam λινοθώρηξ dictus. Sed & apud Xenophontem *in Pædia Cyri, lib.6.* Abradates Rex Suſorum induebatur thorace lineo, more patrio;

patrio; & apud eundem in expeditione Cyri minoris, *lib.* 4. Chalybes linteis loricis ad vnum vſque membrum induebantur. Et Pauſanias *lib.* 1. *de Atticis*, Sarmatas, ſeu Nomadas loricis lineis vſos tradidit. Celebratur & Amaſis Ægypti regis linteus thorax ab Herod. *lib.* 3. de quo Plin. *lib.* 19. *c.* 1. inquit: *Mirentur hoc ignorantes AEgyptij quondam regis, quem Amaſim vocant, thoracem in Rhodiorum inſula oſtendi in templo Mineruæ 365. filis ſingula fila conſtantem.* Virg. lib. 12. Æneid.

*Lancea conſequitur, rupitq; infixa bilicem*
*Loricam.*

In hunc ſenſum Sidonius Apollinaris ſcribit *lib.* 8. *ad Leonem:* Linteatum dici, veſte ſeu alio tegumento linteo indutum. His tamen non obſtantibus, crediderim huiuſmodi interpretationem ſubſiſtere minime poſſe, ex ipſius textus verbis. inquit enim Liuius, arma, inſignia, & galeas huius legionis militibus data, non ergo loricas lineas, quas certe non reticuiſſet, ſed ſignatim nominaſſet, quum eas non ignoraret; ſiquidem prius *lib.* 4. meminerat thoracis lintei à Coſſo, interfecto Tolumnio, adempto, ac in templo Iouis Feretrii ſacrato. Præterea Samnitum legionem, inquit, linteatam dictam ab integumento conſepti, quo ſacrata nobilitas erat, & paulo ſupra dixerat, paratum locum in caſtris linteis contectum, & *lib.* linteo lecto ſacrificatum, & cætera, quæ ſequuntur. Ad hæc Plinius loco citato ſcribit ex Homeri authoritate, linteis thoracibus armatos pugnaſſe, non itaq; exiſtimandum, linteos thoraces tot fuiſſe Samnitibus, vt ſexdecim millia ipſorum (tot enim cōſtitiſſe legionem linteatam, ſcribit Liuius) illis armari potuiſſent. Poſtremo omnem ſcrupum adimit Feſti Pompeii authoritas, qui *lib.* 10. paulo poſt à principio ſcribit, Samnitum legionem linteatam appellatam à Liuio, quod Samnites ſinguli ad aram velis linteis circundatam, ſe non ceſſuros Romano militi iurauerant.

## T. LIVIVS LIB. X.

*Tripudium Soliſtimum Conſuli nuntiauit.*

INter cætera auſpicia, quibus antiqui Rom. maximam curam adhibuere, ita vt niſi his præmonentibus, comitia

non haberent, neminem ad principem magiſtratum promouerent, non pacem, non bella inirent, nec pugnam aggrederentur; pullorum auſpicia multæ exiſtimationis fuiſſe, paſſim legimus. His enim è cauea emiſſis, puls vel offa pro cibo ab aruſpice, pullario dicto, dabatur, quod ſi oblata eſca, pulli è cauea non exiſſent, aut progreſſi, illam non attigiſſent, triſtis euentus omen erat, quod Val. Max. *l. b. 5. c. 4.* & Liuius *lib. 6.* tradidere. Sic Tiberio Graccho, qua die cæſus occubuit, pulli emiſſi è cauea, retro ceſſere, *ex Plutarcho in illius vita.* Et Claudius Pulcher in hoſtes moturus, non paſcentibus in auſpicando pullis, nauali pugna, claſſi profligata, improſpere conflixit, *ex Suet. in Tiberio, c. 2.* Econtra vero, ſi pulli è cauea egreſſi, oblatum cibum depaſti eſſent, ita vt illis veſcentibus, offæ ſeu pultis fruſtulum ab ore in terram decideret, & in terra pauirent, auſpicia ſecunda portendebat, atque fortunatum euentum, quod Cic. 1. *& 2 de Diuinatione*, & Feſtus Pompeius *lib.* 14 tradidere. Hoc autem vocabatur *tripudium ſoliſſimum:* In hæc verba docente ibidem Cic. *Sed quia, quum pulli paſcuntur, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pauire, terripauium primo, poſt terripudium dictum eſt, hoc quidem iam tripudium dicitur; quum igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti tripudium ſoliſſimum nuntiant.* Quod & libro Epiſt. Famil. refert: *Soliſſimum vero dicebant ab imo ſolo, quod offa ex ore cadens feriebat.* At hæc auſpicia ab ipſis tandem Romanis poſt multa ſecula, tanquam omnino ſuperſtitioſa, repudiata, vti videre licet apud Ciceronem, *lib. de Diuinatione.* Diuinis vero legibus, & noſtris Canonibus ſunt damnata, vt patet *ex cauſa 25. quæſt 5.* Nec omittendum illud Acii antiqui poetæ: *Nil credo auguribus qui aures verbis diuitant alienas, ſuas vt auro locupletent domos.* Et iure Valerius Flaccus 1. *Argonaut.* exta lubrica appellat, quod auſpicia omnia inconſtantia & fallacia ſint. Mendacii autem pullorum auſpicia, coarguit locus hic, quia etſi pro Papirio, auſpicante pullario, pulli non paſcerentur, vicit tamen ille pugnans, & multa millia hoſtium fudit & interemit, pullario, qui mentierat, in primo congreſſu ante ſigna occumbente.

T. LI-

## T. LIVIVS LIB. X.

*Equites omnes ob inſignem multis locis operam, corniculis armilliſq; argenteis donat.*

Milites ob ſtrenuam in pugna nauatam operam donabantur à ducibus coronis multiplicibus, haſtis puris, phaleris, torquibus, armillis, addit hoc loco Liuius, *& Corniculis.* Sed quale eſſet corniculum, haud compertum eſt, quod ipſe legerim; illud ſane coniectari licet, ab hoc ornamenti genere, milites corniculo inſignitos, *cornicularios* appellatos. De cornicularijs autem militibus, qui ſcilicet olim eſſent, nondum certi quicquam ex antiquis ſcriptoribus, recentioribusve, mihi diligentiſſime perſcrutanti, reperire licuit. Quod tamen ex aliorum ſcriptis occurrit, in medio afferam, nec, quæ ex mea Minerua deprompſi, reticebo; vt in re iſta perdifficili & abſtruſa, lumen quod dari poteſt, non deſit. Turnebus *Aduerſ. lib. 5. c.* 10. ita ſcribit: *Vti in exercitu & acie dicitur cornu, ita in cohortibus Tribuni militum corniculum, & fortaſſe in ordinibus Centurionum, à quo cornicularius, qui corniculo Tribuni militum præeſt.* Cæl. Rhodig. *lib.* 17. *c.* 10. ſcribit: *Corniculariuм vero obiter ſunt, qui putent, corniculis militantem, ſicuti à cornu dicti cornicines.* Et paulo infra addit ex Amm. Marcellino, *lib.* 16. Cornicularios & cornutos vocatos & Baccatos milites, vſu præliorum diuturno firmatos; quorum etiam meminit idem author, *lib.* 15. inquiens, Baccatos atque cornutos fluxioris fidei, & vbertate mercedis, ad momentum omne verſabiles, Conſtantini Imperatoris iuſſu in Siluani mortem, qui ad culmen Imperij ſurrexerat, ſolicitatos, illum interfeciſſe. De cornutorum quoque Tribuno alibi idem Ammianus verba facit. Verum hæc, ſicuti, quod quærimus, non aperiunt, ita difficultate non vacant. Namque apud Amm. Marcellinum textus correctiores non habent *cornutos & baccatos*, ſed *Carnutes & Braccatos*, hoc eſt, populos illos Galliæ, inter Celtas Andegauenſibus Turonibusque finitimos; *Ex Cæſare, lib. 5. & 6. belli Gallici*, quamuis Plinius inter Danubium & Hercinium ſaltum eos conſtituat, *libro* 4. *cap.* 12. Hos vero,

Braccatos ſcilicet, Galliæ Narbonenſis populos fuiſſe, teſtimonio Plinii conſtat, *lib.3.c.4.* cui lectioni præcedentia & ſubſequentia verba maxime fauere videntur. Carolus Sigonius de antiquo iure prouinciarum, lib.2.c.2. *Cornicularios* (inquit) *autem qui fuerint, nemo tradidit, ego tribuni militaris miniſtrum fuiſſe, facile dixerim.* Hoc autem confirmat authoritate Valerii Maximi, *lib.6.c.1.* ita ſcribentis: *Cominius Tribunus plebis diem ad populum dixit M. Lectorio Tribuno militum, quod cornicularium ſuum ſtupri cauſa appellaſſet.* Iulius Frontinus idem affirmare videtur Stratagem. *lib.3.* ita ſcribens: *Tanquam Tribuni cornicularius vigilias excitauit*, vel vigiles, vt alii legunt. Læuinus Torrentius in ſuis Comment. in Suetonium, in Domitiano, cap.17. *Cornicularius*, inquit, *ordo, ac gradus in militia erat*; *neque aliud, quam accenſi Tribunorum, Centurionumque ac Decurionum fuiſſe videtur.* Huic ſententiæ fauent Aſconii dicta in Verr. *Accenſi* (inquit) *dicebantur attributi Decurionibus, hoc eſt, eorum miniſtri, quos nunc Commentarienſes & cornicularios appellant.* Accenſos autem, ab acciendo dictos, eo quod mandata proferrent, & accirent, alibi docuimus. Ita & Suetonius *de claris Oratoribus*, de Orbilio ait: *Orbilius primo apparituram fecit magiſtratibus, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.* Et de viris Illuſtribus, libro ... *M. Scaurus primo in Hiſpania corniculo meruit, ſub Oreſte in Sardinia ſtipendia fecit.* Ex his omnibus cogitabam ego cornicularios forte fuiſſe, qui tribunorum & centurionum imperia mandataque per ordines & in acie proferrent, paruo cornu argenteo varie concinentes, quo pacto hodiernis temporibus triremium ductores corniculo, quod collo appenſum geſtant, ori appoſito varie & diuerſimode ſibilantes ad varia munia obeunda nautas & remiges excitant. Sicut itaque in vniuerſo exercitu, teſte Vegetio, *lib.2. de re milit. cap.22.* cornicines erant, & tubicines, qui in pugnam milites incitabant, quod pariter & Liuius tradit, *lib.2.* ita & in ſingulari quoque ordine erant cornicularii, imperantium mandata corniculo ſignificantes. Ita in militia Palatina cornicularii accipiuntur pro Accenſis Primiſcriniorum, vel Principis proximorum, ſi

Alciato

Alciato credimus *in l. 2. Corniculario. C. de prox. ſacr. ſcrin. lib. 12.* Veniebat quoque in mentem corniculum fuiſſe ſignum ſeu vexillum, ſub quo equites ducebantur, quemadmodum & noſtris temporibus equeſtrium militum ſignum & ſigniferum vulgo *Corneta* dicitur, quod comprobare videtur Vegetius *de re milit. lib. 2. c. 24.* ſcribens: *Qui ſub vno corniculo militabant, centurio & ſui milites, ambo cornicularii dicebantur.* Et Symmachus *lib. Epiſt. 1. ad Theodoſium* inquit. *Prætorianus vrbanarum cohortium miles ad corniculariorum gradum inculpati laboris diuturnitate promoti.* Poſtremo dum Liuianum textum præpondero, & animo concipiebam, quod ſicut Venetorum Ducum ornamentum illud, quod capite geſtant miris gemmis exornatum, cornu vocant, ita & antiquitus militari ornamento caput militis illius honeſtarent Imperatores exercituum, qui ſtrenuum aliquod facinus egiſſet, hocque corniculum appellaretur, cui inderentur plumæ, aliudve ſimile, & argenteum erat, vel aureum, quod noſtrates etiam gemmis exornatos ferre, & *aieronera* dici paſſim ſcimus; quod ex ſculpturis antiquis pariter colligere poſſumus, in quibus conſpicimus militum nonnullos in galeæ ſummitate huiuſmodi cornicula habẽtes; Corniculum autem vocari hoc capitis ſeu galeæ ornamentum puto, ab animaliũm quadrupedum quorundam ſimilitudine, quorum caput cornu vel cornibus inſigniãtur. Sic Luna *cornu præfulgens* dicitur. Hanc noſtram ſententiam confirmare poſſumus ex iconibus galeatum militarium à Gulielmo Choul Gallo *lib. de Caſtramentatione antiquorum*, deſcriptis, prẹſertim ex 5. & 6. in ordine, corniculos in ſummitate præferentes. Sic in numiſmate argenteo Alexandri Magni caput galeatum cum corniculis conſpicimus, vnde & eorum vſum à Græcis ad Romanos translatum exiſtimamus. Sic in ſacris literis Moyſes cornubus illuſtris, & 1. Regum c. 2. *Dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui*, & pluries, cornu exaltationem pro ſublimatione, ſacræ paginæ accipiunt. Certe cornicularii milites virtute præſtantes, & fortitudine inſignes erant, quod tum ex dictis colligere poſſumus, tum etiam ex Suetonio in Domitiano, c. 17.

dum ait, illum à Clodio, ſeu vt alii legunt, Clodiano corniculario, cum aliis contrucidatum. Et Caſſiodorus *lib. 11. variar.* tradit cornicularios dictos, qui præerant cornibus ſecretarii, hoc eſt, qui in conſilio Præfecti prætorio ſtabant armati, à Græcis ὑπασπισταί, quo ſenſu accepta & hæc vox apud Maternum *lib. 2.* & Firmicum *Matheſeos 3.* In inſcriptione antiqua, in Sacello ſanctæ Mariæ, in via Pontificum, legitur: VECTORIVS PROCVLVS ADIVTOR CORNICVL. In alia in hortulo ad Aquam Virgineum: ATENÆVS FIRMVS CORNICVLARIVS SVP. PRÆF. VIGIL.

## T. LIVIVS LIB. XX.

*Ad hoc ades libera, loca, & lautia legatis decreta.*

SIgonius in ſcholiis ad Liuium, & Turnebus *aduerſ. lib. 3. c. 32.* interpretati ſunt, quod ædes liberæ eſſent, quæ nulli alii vel inquilino, vel habitatori ſeruirent, ſed ſoli, quibus dabantur vacuæ, incolerent, quam ſententiam improbare minime auſim; At vt & ego aliquid noui in re ſatis dubia afferam, crediderim, *ades libera* interpretari poſſe ædes gratuito legatis à pop. Rom. traditæ; hoc eſt, quarum gratia, nullam penſionem penderent legati; ideoque liberæ dicecentur: Cuius interpretationis autorem habeo eundem Liuium ſcribentem lib. 42. *Ariarathis legatis filium eius Romam adducentibus, decretum à Senatu, vt Cn. Sicinius Prætor ædes inſtructas locaret, vbi filius Regis. Comiteſque eius habitare poſſent.* Sicuti autem amicis & acceptiſſimis ædes liberæ dabantur, ita minus amicis aut ingratis, hoſpitium duntaxat extra vrbem. Ita Liuius *lib. 45.* de Pruſſia Romam aduentante; *ædeſ quæ ipſum comiteſque eius benigne reciperent, conducta*, & Val. Max. *lib. 5. c. 1.* de eodem Pruſſia Bithyniæ Rege; *Senatus* (inquit) *cenſuit, vt ei domus Romæ quam optima conduceretur.* Et iterum de Rege Ptolomæo, qui Romam quum veniſſet, ac in hoſpitium Alexandrini pictoris ſe recepiſſet, Senatuſque id reſciuiſſet, eum ad publicos penates deduxit. Idem Liuius eodem libro ſcribit, Attalo & Eumenis fratri legato datas ædes liberas. Et rurſus, Legato Antiochi Regis, ædes liberas hoſpitio

ſpitio datas. Et lib. 35. *Eumeni abſenti, & præſenti Attalo, gratiæ actæ, ædes liberæ decretæ.* Et lib. 45. *Maſgabæ Regis Maſſaniſſæ filio ædes hoſpitales aſſignatæ.* Ex quibus patet, ædes liberæ quum darentur à Senatu, & pop. Rom. ſummum honoris genus ac beneuolentiæ indicium extitiſſe. Sicuti etiam coniicimus, vt etiam diximus, minus gratis, vel nullum hoſpitium, vel extra vrbem aſſignatum. Liuius lib. 30. *Carthaginenſibus Legatis de pace agentibus hoſpitium in villa publica datum.* Et *lib.* 45. Legatis Rhodiorum nullum hoſpitale ius dandum patres cenſuiſſe ſcribit. Hæc ſicuti genuina interpretatio mihi videtur, nihilo ſecius & aliam ſubiicere libet; Vt ædes ſcilicet liberæ dicerentur, quæ nulla militum cuſtodia, aut Romanorum aſſiſtentia aſſignarentur. Ita *liber locus* apud Plautum in Pœnulo dictus, in quo remotis arbitris, voluptati opera dari poſſit, ait enim; *Locum velle ſibi liberum præberier, vbi nequam faciat clam*, & iterum; *liberum, vt commonſtraremus tibi locum, & voluptuarium.* Quid autem per *locum* ſit intelligendum, aut *loca* apud Liuium, nullus adhuc (quod ſciam) aperuit. Nos lucem aliqualem afferre conamur, & *locum* ita interpretamur, quod Regibus, aut eorum legatis ad ſpectandum in theatro aſſignaretur, vel in Senatu, aut comitio, ad eos audiendos præberetur. De loco in theatro clare Suetonius in Auguſto, cap. quadrageſimoquarto, *Romæ* (inquit) *legatos liberarum, ſociarumque gentium in Orcheſtra conſidere vetuit, quum quoſdam etiam libertini generis mitti deprehendiſſet.* De loco in Senatu Liuius *libro quadrageſimoſecundo*, de Satyro principe legationis Rhodiorum ait: *Itaque omni modo per patronos hoſpiteſque diſceptandi cum rege locum in Senatu quærebat.* Et paulo poſt, Regis Perſei legatis Senatum datum. Et *lib.* 30. Legatos Carthaginenſium, & Philippi Regis, Senatum vt eis daretur petiiſſe. Et lib. eodem: *Eumenes igitur, vt Romam venit, exceptus cum tanto honore, quantum non meritis tantum eius, ſed beneficiis etiam ſuis, ingentia quæ in eum congeſta erant, exiſtimaret deberi pop. Rom. in Senatum eſt introductus.* Et *libro quadrageſimoquinto*, ait, Maſgabæ regis Maſſaniſſæ filio Romam aduenienti extemplo Senatum datum. Itaque ſicuti dare locum in ſenatu

maximum

maximum erat honoris indicium, ita è conuerſo quum in Comitio dabatur. Liuius lib. 29. *Decem legati Locrenſium obſiti ſqualore & ſordibus, in Comitio ſedentibus Conſulibus, velamenta ſupplicium, ramos oleæ (vt Græcis mos) porrigentes, ante tribunal cum flebili voce procubuerunt.* Et *lib.* 45. de Rhodiorum legatis tradit, ſtantibus illis in Comitio, Conſulem pronuntiaſſe, ſociis & amicis Romanos Senatum dare conſueſſe, Rhodios non ita meritos, vt ſociorum loco haberentur. Et *lib.* 42. de Illyriis legatis: *Quæſitum & quid ita non adiſſent magiſtratum, vt ex inſtituto loca, & lautia acciperent, ſciretur denique veniſſe eos, & ſuper qua re veniſſent. Heſitantibus in reſponſo, vt curia excederent dictum, reſponſum tanquam legatis, vt qui adire Senatum non poſtulaſſent, dari non placuit.* Quod ſi medium ſeruari modum pop. Rom. cenſuiſſet, non in Comitio, nec in Senatu Romæ locum audientiæ præbebat, ſed extra vrbem in æde Bellonæ, quod colligi poteſt ex Liuio *lib.* 33. ſcribente: *Legatis Regis Philippi debellati extra vrbem in villam publicam deducti, ibique ius locus, & lautia præbita, & ad ædem Bellonæ Senatus habitus.* Quoties itaq; honoris gratia locum præbitum, vel non, apud Liuium legimus, intelligendum de Senatu, vti *lib.* 35. Eumeni, *lib.* 44. Oneſimo Pythonis filio nobili Macedone alienato à Perſeo rege, & *lib.* 28. Saguntinorum legatis, & *lib.* 42. de Illyriis legatis. *Lautia* Beroaldus, Turnebus, Budæus & Sigonius interpretati ſunt munera quæ à pop. Rom. legatis vel Principibus externis dabantur. Quibus fauere videntur Plutarchi dicta *Probl.* 42. huiuſmodi: *Quæſtores legatis munera mittebant, quæ lautia dicebantur*, quæ explicatio nimis profectò generica videtur. Siquidem, vt ego reor, per lautia intelligendum tantummodo munera ad quotidianum victum ſpectantia, qualia & noſtris temporibus Reſp. Veneta Principibus viris aduenientibus exhibere conſueuit. Lautia enim quaſi lauta, ſeu lautitia ſunt dicta; ſic Feſtus epularum magnificentiam *lautitia* dixit, & lautam cœnam pro opipare inſtructam obſeruamus apud Plinium *Epiſt.* 194. Hanc noſtram explicationem confirmare poſſumus ex ipſomet Liuio; qui præter Lautia, & alia hoſpitalia, pecuniam etiam & vaſa aurea & argentea, & alia

dono

dono data non ſemel ſcriptum reliquit, vti *lib.38.* Saguntinorum legatis, ait, locum inde lautiaque præberi iuſſa; & muneris ergo in ſingulos dari non minus dena millia æris. Et *lib.42.* Antiochi legatorum principi Apollonio cenſum millium æris miſſum munus, & ædes liberæ hoſpitio datæ. *lib.35.* Attalo & Eumenis fratris legato datas ædes liberas, ac lautia decreta, & munera, equos duos, bina equeſtria arma, & vaſa argentea, centum pondo, & aurea, viginti pondo. Et *lib.45.* Maſgabæ Maſſaniſſæ filio, munera emere Quæſtorem iuſſum ex centum pondo argenti, & proſequi eum Puteolos, omnemque ſumptum, quoad in Italia eſſet, præbere, & duas naues conducere, quibus ipſe comiteſque regis in Africam deueherentur; & comitibus omnibus liberis ſeruiſque veſtimenta data. Iterum, *Pruſiæ regi præter ædes conductas, & munera ei ex ſeſtertiis iuſſa dari, & vaſorum argenteorum pondo quinquaginta, vt filio eius Nicomedi, ex ea ſumma munera dari cenſuerunt, ex qua Maſgabæ filio regis Maſſaniſſæ data erant.* Et lib.42. *Ita Reguiis Carthaginenſeſque demiſſi, munera ex inſtituto data vtriſque, aliaque hoſpitalia comiter conſeruata.* Ex quibus ſatis apertum fieri cenſeo, per *lautia* non intelligenda alia munera, quam quæ ad victum quotidianum pertinerent. Quum vero idem Liuius hoſpitalia data vel conſeruata ſcribit; ſemper comprehendit ædem liberam, locum, & lautia, quæ hoſpitibus amicis omnia præbebantur à populo Romano.

## T. LIVIUS LIB. XXI.

*Caræ ſortes extenuatas.*

SOrtis inſtrumenta, *ſortes* dicebantur. Cicero de diuinat. *Simia ſortes euertit, ſortes diſſipauit.* Accipiuntur & nõnunquam ſortes pro oraculi reſponſo, quæ olim Satana ſuggerente, diuerſis in locis conſulentibus reddebantur, quibus impoſturis & hodiernis temporibus impuri impiiſſimique quidam delectantur, & ſortilegi dicuntur, *26. quæſt. 1. in toto titulo, extra de ſortileg.* Erant autem, vt docet Cic. *lib. 1. de Diuinat.* duo oraculorum genera, ſeu reſponſorum, vnum quando voce dabantur à furẽtibus, ac demum afflatis, puta

à Pythia

à Pythia, Apollinis numine correpta: alterum, quod æquatis & paribus ſortibus, ex vrna ducebatur; Habebant enim taſellas, ſeu folia, aut paginas, taleolaſve ligneas, certis quibuſdam ſententiis obſcuris notatas, quarum quædam fœlicitatem, quædam calamitatem prænunciabant, educebantur vero è ſiſella, vel vrna; & hæc etiam ſortes ſeu oracula vocabantur. Cic. loco citato: *Quum Spartiatæ oraculum ab Ioue Dodonæo peterent, legatique illud in quo inerant ſortes, collocauiſſent, Simia & ſortes ipſas, & cætera quæ erant ad ſortes ipſas parata, diſturbauit*, quod pariter Æſchylus docuit. Oraculum itaque Cære reddebatur, non modo reſponſo voce dato, ſed ſortibus inſcriptis; has autem extenuatas ait Liuius, eo quod vel tabellæ imminutæ ex ſe eſſent, vel reſponſa non ſemper, nec omnibus ex more darentur, quod po[illegible]tosum habitum. Quæ tamen interpretatio ne exacte ſatisfaciat, efficiunt eiuſdem Liuii verba per initia ſubſequentis libri, huiuſmodi: *Sortes ſua ſponte attenuatas vnamque excidiſſe ita ſcriptam: Mauors telum ſuum conuertit.* Itaque extenuare & attenuare, non propria ſignificatione & communi accipiendum, ſed pro eo quod eſt diſgregare, ſeu diſiungere, & cõcreto & aggregato ſeu coniuncto opponitur: ſic Cic. *de Nat. Deorum*, aerem die extenuatum, nocte concretum dixit, ita vt ſenſus ſit, ſortes, quæ in vrna insimul iunctæ erant, attenuatas ſponte, hoc eſt, nullo reſponſum petente, nec Sacerdote dante ex ſe extenuatas, hoc eſt, diſiunctas, vnamque ex vrna excidiſſe, in qua erat inſcriptum: *Mauors, &c.* quod pro portento habitum. Cære vrbs præclara Hetruriæ fuit, ex eodemmet Liuio *lib. 1. & in extrema parte lib. 4. & lib. 28.* Plinio *lib. 3. c. 5.* & Strabone *lib. 5.* Hanc perperam Seruius Agillinam vocatam tradit in eum Virgilii locum, 8. Æneid. *Vrbis Agillinæ ſedes*, & illud 10. eiuſdem: *Qui à Cærete domo.* Seruio autem errandi occaſionem præbuiſſe puto Plinii verba, loco citato, quæ diſiunctiue legenda, non coniunctim: Agillinam enim aliam vrbem fuiſſe à Cærete, palam eſt. In vrbe itaque Cære religionis eximium fuiſſe cultum, præter oraculum, & ſortes, ex eo colligimus, quod Feſtus tradat, cærimonias dictas à

Cære

Cære oppido, quamuis Gellius *lib.* 4. *c.* 9. à Cerere deriuatas, ſed minus appoſite, ſcripſerit. Nec non ex eo quoque, quod Gallis Capitolium obſidentibus, Flamen Quirinales, aliisq; Sacerdotes Veſtales virgines, ac pop. Ro. Sacra Cære conuexere, ex ipſo Liuio *lib.* 5. Petaſones, Cæretanos, & Cæretana vina, mire extollit Martialis. Quamuis autem à Cæretanis Rom. ſacra ſeruata fuerint, vnde & hodie vulgo *Cærete* de ſeruatis dicitur, illi tamen ſola ciuitate Rom. donati ſunt, nec vnquam ſuffragii ius obtinere potuerunt, vnde qui Romani ciues ſuffragandi notæ cauſa munere priuantur, ita vt nec ferre ſuffragia in comitiis, nec in eiſdem ad honores promoueri poſſent, dicebantur referri in Cæritum tabulas, vt docet Gellius *lib.* 16. *c.* 13.

## T. LIVIVS LIB. XXII.

*Vbi vis magna Sparti fuit, ad rem nauticam congeſtam ab Aſdrubale.*

GEniſtam vinculi vſum præſtaſſe antiquis tradit Plinius *lib.* 24. *cap.* 9. vbi quoq; ait, ſe du bitare eam eſſe, quam Græci auctores *Sparton* appellauere, quum ex ea lina piſcatoria apud eos factitari docuerit, & hanc deſignaſſe Homerum, quum dixit, *nauium Sparta diſſoluta:* Nondum enim fuiſſe Africanum, vel Hiſpanum Spartum in vſu, certum eſt: & quum ſutiles fierent naues, lino tantum, non Sparto vnquam ſutas: Idem Plinius *lib.* 23. *cap.* 12. ſcribit, Antigonum ex papyro funes paraſſe, nondum communicato Sparto. Libro vero 19. c. 2. de Sparto ex profeſſo verba faciens, inquit: *Sparti quidem vſus, multa poſt ſecula cœptus eſt, nec ante Pœnorum arma, quæ primum Hiſpaniæ intulerunt. Herba hæc ſponte naſcens, & quæ non queat ſeri, iuncuſque proprie aridi ſoli,* & paulo poſt ſubdit: *Hinc ſtrata ruſticis eorum, hinc ignes, faceſque, hinc calceamina, & paſtorum veſtis;* ſequitur deinde Plinius modum parandi Spartum docere; poſtremo addens: *Verum tamen complectetur animo, qui volet miraculum æſtimare, quanto ſit in vſu omnibus terris nauium armamentis, machinis ædificationum, aliiſque deſideriis vitæ.* Itaque hoc loco per Sparti magnam vim intelligendum, vel herbam ipſam

ipſam perfectam,& paratam in nauium vſum,vel quod magis arridet,funes ex Sparto paratas, namq; & Græcis Σπάρτον, funis,& rudens eſt, & Σπάρτη filum : Et Athenæus *lib. 5.* filum craſſius Spartia appellauit, inquiens: *Putria calceorum Spartia accendens.* Apud Catonem *de re ruſtica,cap.*11. Spartæas obſeruamus vrnas,& amphoras,hoc eſt,ex funibus Sparteis confectas,pice poſtea,vel reſina cerave oblinitas, fictilibus, & teſtaceis minus frangibiles, niſi dixerimus, ex Sparti iuncis eaſdem contextas fuiſſe. Plinius loco præcitato tradit, *Funes ex Sparto paratas, præcipue in aquis marique inuictas, in ſicco præferunt è cannabi funes. At Spartum alitur etiam demerſum, veluti natalium ſitim penſans.* Cato *de re ruſt. c. 3.* ait, *Trochleas Græcanicas binas, quæ Spartæis funibus ducantur.* Et Liuius ipſemet *lib. 26.* ſcribit: *Naues onerariæ 113. in portu expugnatæ, captæque quædam, cum ſuis oneribus, frumento, armis, ære præterea, ferroque, linteis, & Sparto, & nauali alia materia, ad claſſem ædificandam.* Ex quibus ſatis patere puto, per Spartum intellexiſſe Liuium funes ex Sparto confectas. Noſtris temporibus earum vſum deſiiſſe exiſtimandum ex cannabis redundantia, ex quo firmiores & minori negotio parantur. De Sparto Dioſcorides *lib.* 4. vbi mirum, in Com. doctiſſimum Mathiolum de re hac ne verbum quidem feciſſe.

## T. LIVIVS LIB. XXIII.

*Exhortandoſque qui redempturis auxiſſent patrimonia, vt Reipublicæ, ex qua creuiſſent, ad tempus commodarent.*

REdemptura à verbo *redimere* deriuata, redimere vero multis modis accipitur, præſertim apud Iuriſtas. Nam redimere quandoque eſt emere, Cic. *qui merces redimunt, vt ſtatim vendant.* Dicitur ſecundo redimere pro reemere, Cic. in Ant. *Pompeio ſua domus patebit, eamque non minoris, quam emit Antonius redimit.* ita in contractibus familiare pactum redimendi. Tertio pro liberare, ſeu recuperare illos qui ſunt capti. Cic. in offic. *redimere captos à ſeruitute.* Quarto redimere pro corrumpere, vt, redimere delatorem pecunia, hoc eſt, eum à delatione deducere, *ex Vlp. l. 29. D. de iur. fiſci,*

ſic

ſic redimere ſententiam, redimere iudices. Macer. *l.34.eo.* Et redimere litem, id eſt, futuri emolumenti litis paciſci, *l.7. D.mandati*, & alibi pluries. Vnde & *redemptor litis*, qui certa mercede pacta, litis periculum in ſe recipit. Vlp. *l.6. D mandat.* & Cic. pro Q. Roſ. *Roſcius ſocietatis non ſuas lites redemit*, & pro Mil. *Qui palam ſe iudicibus redemerat.* Poſtremo accipitur redimere, pro certo precio aliquid faciendum ſuſcipere, ex Cic. *lib.2.de Diuinat.* & Celſus *in l.redemptores.D.de rei vendicat.* Verum illud animaduertendum, quod ſicuti *locare* proprie eſt precium accipere, & *conducere*, dare pro annuo fructu alicuius rei, nonnunquam tamen promiſcue accipiuntur, vt adnotauit Accurſius *in l.2. tit. de exercit. act.* & fuſius Budæus ibidem, ita & redimere licet proprie ſit precium accipere pro re facienda ſuſcepta, nihilominus & aliquando eſt pretium ſoluere pro re conducta. Ita publicani dicebantur vectigalia redimere, & redemptores vocabantur. Ita redemptor cæſoriarum, redemptor ſyluæ, portus, venalium rerum, ſalinarum, metallorum picariarum, arenariarum, cretæfodinarum, paſcuorum, & aliorum conſimilium pop. Rom. redituum, quorũ exempla paſſim legimus. Ita & Valla lib. 1. eleg. *locare* etiam promiſcue accipi docet. Locare enim ſepulturam faciendam (inquit) tam ſignificat dari alicui faciendam, quam ſe eam ad faciendam locare. Itaque *redemptores* dicebantur publicani, qui vectigalia & alios reditus publicos conducebant, & magis proprie, qui etiam aliquid opus publicum faciendum pacta pecunia in ſe recipiebant. Redemptores (inquit Feſtus) proprie, & antiqua conſuetudine dicebantur, qui quum aliquid ad faciendum aut præbendum conduxerant, effecerantque, tum demum pecunias accipiebant. A redemptore dicta *redemptura*, quæ eſt redemptio ſeu conductio publicorum operum, ex Vlp. *l.5. D. de inſtit. act.* & Cic. *de Prob.* Publicanos temeritate redemptionis pene eſſe euerſos. Publicanorum autem ordo potentiſſimus Romæ erat, qui redempturas exercebat, plurimumque autoritate valebat, vt Cic. *in epiſt. ad Lentulum, Appium, & Q. Fratrem, & in Orat. pro Plancio* ſcriptum reliquit: *Flos equitum Rom.* (inquit) *publicanorum ordine continetur.* Et

C Liuius

Digitized by Google

Liuius *lib.* 25. ait, publicanos iurgantes cum pop. Rom. Tribuniſque Pleb. auſos ſuffragio euertere concilium, & turbare. Male tamen audiebant Publicani, quod per initia *lib.* 21. docuit idem Liuius, ac illos pecunioſos fuiſſe, vtpote quibus plurimum lucri ex redempturis accederet, ex hoc loco patet, nec ſolum ſingulos redempturas, ſed & ſocietate coniunctos, plures exercuiſſe. Itaque quum veſtimenta & frumentum Hiſpanienſi exercitui mittenda eſſent, tres ſocietates hominum vndeuiginti id onus in ſe receperunt, hiſce pactis tamen, ne alii triennio futuro publicani eſſent, & quæ in naues impoſuiſſent, ab hoſtium tempeſtatiſque vi, publico periculo eſſent, & ita priuata pecunia reſpublica adminiſtrata eſt, vt quum pecunia in ærario eſſet, redemptoribus iis primis ſolueretur. Publicorum operũ extruendorum locationes paſſim apud eundem Liuium legimus, huic vero conſimilem *lib.* 34. vbi habet: *Itaque redemptoribus vetitis frumentum parare, ac Romam dimiſsis, bellum, inquit, ſe ipſum alet.*

## T. LIVIVS LIB. XXIV.

*His ſuperioribusq; illis equi adempti, qui publicum equum habebant, tribuque moti, ærarii omnes facti; neque Senatu modo, aut equeſtri ordini regendo cura ſe Cenſorum tenuit. Nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpſerunt, qui quadriennio non militaſſent, quibus neque vocatio iuſta militiæ, neq; morbus cauſa fuiſſet. Et ea ſupra duo millia nominum in ærarios relata, tribuq; omnes moti.*

QVid eſſet, *ærarium facere*, ſeu *ærarium relinquere*, vel *in ærarios referre*, quorum frequens apud ſcriptores fit mentio, à nullo hactenus plene & ad amuſſim declaratum inueni. Budæus *in Annot. in Pandect. ex l. vltima de Senatoribus* ſcriptum reliquit: *AErarii verbum frequens apud antiquos, à paucis ſatis intelligitur.* Verum ſicuti id iure optimo retulit, ita neque ipſe rem plene aperit. Nicolaus Grucchius *lib.* 1. *de Comitiis Rom.* rem hanc veluti per tranſennam tantum tetigit, minime tamen explanauit. Carolus Sigonius *lib.* 2. *de antiquo iure Rom. capite decimoſexto*, Ærarios interpretatur, qui à militaribus ſtipendiis eſſent repulſi, idque probare

bare

bate contendit auctoritate Liuii ſcribentis *lib.* 7. Attellanos hiſtriones cenſoria nota vacuos fuiſſe, quia neque tribu mouerentur, neque à militaribus ſtipendiis eſſent repulſi. At pace doctiſſimi viri ſit dictum, interpretatio minime genuina eſt, aliud enim eſt, à ſtipendiis repelli, aliud, ærarium fieri. Qui enim ſtipendiis priuabantur, non ærarii dicebantur, ſed *are diruti* appellabantur. Ita Feſtus ſcribit: *AEre dirutum militem dicebant, cui ſtipendium ignominiæ cauſa non eſt datum, quod æs diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculum.* Et Cic. in Verr. act. 6. *Aleatoris Placentini caſtra commemorabuntur, in quibus quum frequens fuiſſet, tamen ære dirutus eſt.* Præterea ſenſus verborum Liuii à Sigonio adductorum eſt, quod quamuis hiſtriones & ſcenam exercentes, tanquam infames à militia arcerentur, nihilominus Attellani hiſtriones peculiari priuilegio ab hac nota excipiebantur, & ſtipendia facere poterant. Cœlius Rhodiginus *lib. lect. antiq.* 29. *cap.* 6. ſcribit, Ærarios in Romana hiſtoria nuncupatos, qui plebei ordinis, delicti nomine in Cæritum tabulas à Cenſoribus reiecti, nec in centurię albo ſcripti amplius, pro capite duntaxat tribut[illegible]uſa æs conferebant. Sed hæc Rhodigini ſententia in duobus potiſſimum peccat, nam aliud erat, in Cæritum tabulas referre, aliud, ærarium facere; præterea non plebei duntaxat, ſed & patritii, grauis & equeſtris ordinis homines ærarii fiebant, quod ex mox dicendis, & etiam dictis clariſſime patet. Petrus Gregorius iuris vniuerſi ſyntagmatis *par.* 3. *lib.* 47. *c.* 7. *nu.* 10. ait: *Referebant in ærarios, hoc eſt, inter eos, qui ærario pendere debebant, pœnæ nomine, eum qui irreuerenter loquutus eſſet*, &c. Sed hæc expoſitio valde diminuta eſt, nec rem totam aperit, quinimo quum pecuniaria pœna quis afficiebatur, quantitas æris perſoluendi explicite addebatur, ſecus in his qui ærarii fiebant, quod ſuperius in libro 4. Dilucidationibus demonſtrauimus. His itaque ſic ſe habentibus, noſtram in re iſta ſatis difficili & obſcura opinionem in medium afferre libet, eamque doctioribus diſcutiendam proponere. Dionyſius Halicarnaſſæus *in fine lib.* 2. ita ſcriptum reliquit: *Cenſum neceſſarium legitimum, ex quo numerus militaris ætate hominum cognoſcebatur, diuitia-*



Digitized by Google

*diuitiarumque magnitudo, pro modo quarum oportebat vnumquemque ad bellum tributa pendere; nullo intra decem & ſeptem cenſu condito, a L. Cornelii, & Q. Fabii conſulatu. Ita vt boni quidem viri, & vtiles, in cenſibus militiisque eſſent: Flagitioſiſſimi vero, & prauiſſimi ſine cenſu relinquerentur locumque alium perciperent, in quo liceret eis, vt vellent, viuere. Ex quibus elicimus, cenſum agi ſolitum non modo bonorum, ſed & perſonarum.* Sic ſumitur cenſus apud Pomponium *l 2. §. poſt deinde, D. de origine iuris,* quod etiam clarius docuere idem Halycar. *lib.* 4. & Liuius *lib.* 1. 7. *&* 39. Sic *cenſum agere* peculiare verbum hiſtoricis, eſt recenſere capita & patrimonia, ſeu ſubſtantias ſuas profiteri, quod late adnotauit Zaſius ad dictam l. 2. Qui autem pro cenſis bonis ſoluebant, non pro capite; ſicuti & econtra, qui pro capite, quum pauperes eſſent, non pro bonis pendebant, licet enim & diuitum perſonarum cenſus haberetur, id fiebat, non vt pro capite ſoluerent, ſed vt militarent, ſi ætas legitima eſſet, vel aliud impedimentum non obſtaret, ſicuti cenſi capite militiæ non admittebantur, niſi per vrgentiſſimas neceſſitates. Quod vero pro bonis diuites in publicum ærarium conferrent, ex iam dictis patere poteſt, ſed clarius etiam ex Liuio *lib.* 39. de Catonis triſti & aſpera cenſura: *Ornamenta & veſtem muliebrem, & vehicula quæ pluris quam quindecim millium æris eſſent, in cenſum referre viatores iuſſit. Item mancipia minora annis* 20 *quæ poſt proximum luſtrum* 10. *millibus æris, aut pluris eo veniiſſent, vti & quoque pluris, quam quanti eſſent æſtimarentur, & his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur.* Quod vero & capite cenſi pro capite ſoluerent, docet Alconius Pædianus *in Diuinationem Cicer.* in hæc verba: *Cenſores ciues ſic notabant, vt qui plebeius eſſet, in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac pro hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ, ſed adhuc eſſet ciuis tantummodo, vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderet.* Idem poteſt intelligi ex ſacris paginis in Euangelio Matth. *cap.* 22. vbi à Phariſæis Ieſus Dominus & Saluator noſter percontatur, liceatne cenſum dare Cæſari, an non? & ille reſpondit, oſtendite mihi numiſma cenſus, at illi obtulerunt ei denarium. Hunc autem pro capitis cuiuſque cenſu perſolui ſolitum credendum, nam

pro

pro ſubſtantiis plus denario pro earum valore & æſtimatione perſolui ſolitum non ambigendum. Idem quoque colligimus ex Dione in Veſpaſiano, & apertius ex Polyhiſtoris chronica. Ita Heſychius inquit : κένσος εἶδος νομίσματος ἐπικεφάλαιον, id eſt, *Cenſus eſt genus nummi, quod viritim imponitur, ſiue Capitatio.* Quod autem capite cenſi ignobiliſſimi haberentur, docet Gellius *libro decimoſexto, capite decimo,* in hæc verba : *Qui in plebe,* inquit, *Romana tenuiſſimi pauperrimique erant, neque amplius, quam mille quingentum æris in cenſum deferebant, Proletarii appellati ſunt. Qui vero nullo aut perquam paruo ære cenſebantur, capite cenſi vocabantur, extremus autem cenſus capite cenſorum æris fuit 375. ſed quoniam res, pecuniaque familiaris, obſidis vice, pignoriſque eſſe apud Rempublicam videbatur, amoriſque in patriam fides quadam in ea firmamentumque erat, neque Proletarii, neque capite cenſi milites, niſi in tumultu maximo ſcribebantur, quia familia iis tenuis, aut nulla eſſet. Proletariorum tamen ordo honeſtior aliquanto. & re & nomine, quam capite cenſorum fuit. Nam & aſperis Reipub. temporibus, quum iuuentutis inopia eſſet, in militiam tumultuariam legebantur, armaque iis ſumptu publico præbebantur & non capitis cenſione, ſed proſperiore vocabulo à munere officioque prolis edendæ appellati ſunt. Quod quum re familiari parua, minus poſſent Rempublicam iuuare, ſobolis tamen gignendæ copia ciuitatem frequentarent. Capite cenſos autem primus C. Marius, vt quidam ferunt, bello Cymbrico difficillimis Reip. temporibus, vel potius, vt Saluſtius ait, bello Iugurthino milites ſcripſiſſe traditur, quum id factum antea in nulla memoria extaret.* Hactenus Gellius. Id etiam ex Feſto *lib.* 140. Valerio Maximo *libro ſecundo, capite primo,* Nonnio Marcello, Paulo Oroſio *libro quarto, capite primo,* & D. Auguſtino ciuitatis Dei *lib.* 3. colligere licet. Hinc illud Tertulliani in Apologetico: *Si agri tributo onuſti viliores: Hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora*, id eſt, capita qui cenſum perſoluebant, in ſtipendia militaria eroganda, namque ex pecuniis ex cenſu collectis ſtipendium militi perſolui ſolitum clare teſtatur Liuius *libro vigeſimotertio*, inquiens : *Senatus quo die primum eſt in Capitolio conſultus, decreuit, vt eo anno duplex tributum imperaretur, ſimplex confeſtim*

*exigeretur, ex quo ſtipendium præſens omnibus militibus daretur.* Qui vero pro ſubſtantiarum æſtimatione perſoluebat, quantum ſoluendo eſſet, in ſingulo quoque cenſu agendo, in Cenſorum tabulis deſcribebatur, prout æſtimatio excreſcebat, vel imminuebatur, ac capite cenſi omnes ſemper eandem qualitatem pecuniæ pro capitis cenſu quotannis pendebant, vti in ærarii tabulis adnotatum erat. Quod munus ad Quæſtores ærarios ſpectabat, vt ſcilicet mulctas reciperent, ex Tacito *lib.* 13. vbi de Piſone deſignato Conſule, inter mulctas enim cōnumerabatur æs illud, quod pro ſuo capite ærarii facti pendere tenebantur. Nec obſtat, quod ab Halycarnaſſ. ſcribitur *lib.* 4. quod qui pauperrimi erant, & minimi cenſus, in ſexta claſſe, immunes erant ab omni militiæ & tributi onere, nam etſi capite cenſi in ſexta claſſe erant, dicta Dionyſ. intelligenda, quod eſſent immunes ab omni onere tributi, id eſt, quo ad bona, non quo ad capita, nam ideo capite cenſi dicebantur, quod pro capite cenſum ærario perſoluerent. His itaque omnibus præmiſſis, dico *ærarium facere*, vel *relinquere*, vel *referre in ærarios*, nil aliud fuiſſe, quam redigere eum vel eos in numero capite cenſorum, vt ſcilicet pro capite, ſicuti & capitecenſi, ſtatutam pecuniam penderent, nec militiæ adſcribi poſſent, quod ignominioſum fuiſſe conſtat. Idem potiſſimum confirmare poſſumus ex hiſce Liuii dictis lib. 4. *Cenſores ægre paſſi, Mamercum, quod magiſtratum populi Rom. minuiſſet, tribu mouerunt, octoplicatoque cenſu ærarium fecerunt*, hoc eſt, damnauerunt, vt pro ſui capite octo plus ærario ſolueret, quam capite cenſi pendere tenebantur. Hoc pariter comprobat Pædianus loco citato, per ea verba: *Et ærarius fieret, ac per hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ, ſed ad hoc, vt eſſet ciuis tantummodo, vtque pro capite ſuo, tributi nomine æra pendat.* Sic Liuii dicta in calce lib. 29. interpretanda, dum ait: *Exitu cenſuræ, quum in leges iuraſſet C. Claudius, & in ærarium aſcendiſſet inter nomina eorum, quos ærarios relinquebat, dedit collegæ nomen. Deinde M. Liuius in ærarium venit, & præter Mæciam tribum, quæ ſe nec condemnaſſet, neque condemnatum conſulem, aut cenſorem feciſſet, populum Romanum omnem quatuor & triginta tribus, ærarios reliquit, quod & innocentem*

*nocentem ſe condemnaſſet, & condemnatum conſulem, & cenſorem feciſſent.*

Reliquum eſt, vt declaremus quid eſſet *tribu mouere*. Cenſores, quos nota afficiebant, triplici pœna plectere ſolebant, nempe vel ærarios faciebant, vel tribu mouebant, vel in Cęritum tabulas referebant. Grauior erat nota, ſi Aſconio credimus, loco adducto, ærarium fieri, nam & idem ſuffragio priuabatur, quum ex albo cenſuræ ſuæ oblitaretur, & per conſequens, in Cærites tabulas relatus eſſet. Minor nota erat, referri in tabulas Cæritas, nam nulla alia pœna hi afficiebantur, quam quod ſuffragandi munere priuabantur; quod teſtatum reliquit Gellius *lib. 16. cap. 13.* in hæc verba: *Primos autem municipes, ſine ſuffragii iure, Cærites eſſe factos accepimus, conceſſumque illis, vt ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent, pro ſacris bello Gallico receptis, cuſtoditiſque.* Hinc tabulæ Cærites appellatæ verſa vice, in quas Cenſores referri iubebant, quos notæ cauſa ſuffragiis priuabant. Tertia adhuc minor nota erat, tribu mouere, mouebantur autem tribu, qui ex honeſtiori in minus honeſtam migrare iubebantur ob ignominiam, & reatus alicuius pœnam, quod clare docet Liuius *lib. 45.* Id autem præſertim fiebat, quum ex ruſtica tribu in vrbanam tribum motus pertranſire cogebatur. Nobiliores enim Ruſticæ vrbanis, & præſtantiores habitæ; quod docuit Plinius *lib. 18. cap. 3.* ita ſcribens: *Ruſticæ tribus laudatiſſimæ eorum qui rura habebant: Vrbanæ vero, in quas transferri ignominiæ eſſet, deſidiæ probro.* Ex his colligimus, tribus ruſticas nobiliores habitas vrbanis, quia agricultura priſcis illis Romanis maximo in honore haberetur, vitaque ruſtica cæteris commendatior eſſet; quod pariter Varro teſtatus eſt *libro ſecundo de re ruſtica*, inquiens: *Viri magni maiores noſtri non ſine cauſa præponebant ruſticos Romanos vrbanis. Vt ruri enim qui in villa viuunt, ignauiores, quam qui in agris verſantur in aliquo opere faciundo, ſic qui in oppido ſederent, quam qui rura colerent, deſidiores putabantur.* Quum itaque tantum honoris tribubus ruſticis acceſſiſſet, commutata veteri ratione factum eſt, vt nobiles vrbanique iure in ruſticas transferri voluerint. Sic Ap. Claudius in

ruſticam tribum, quæ poſtea ab ipſo Claudia appellata fuit, commigrauit, teſte Dionyſio; ſic Auguſtus, quamuis à gente Iulia & Octauia ortum duceret, ex vrbanis in ruſticas Fabiam & Scaptiam tranſductus, in illam vtique tanquam gentis Iuliæ, in hanc vero vti gentis Octauiæ. Nam Scaptienſes & Fabianos Auguſti tribules dixit Sueton. in illo cap. 40. Hinc factum, vt temporum ſucceſſione, nonnullæ tribus à familiis nobiliſſimis, quæ in illis ſe coniecere, denominationem ſuſceperint, vti Papiria, Cornelia, Æmilia, Fabia, Horatia, Menenia, Sergia, & Veneria. Ego autem & aliam cauſam, quod ruſticæ ſcilicet tribus vrbanis nobiliores ſint, dari poſſe exiſtimo; Nempe, quod plures longe numero euaſerint pluribus externis populis in ciuitatem aſcitis, qui ex ſeipſis nouas tribus indies confecerunt, reliquis priſcis vrbanis quatuor tantum remanentibus. Ad hæc hiſce omni hominum genere humillimis etiam coinquinatis. Appius enim Cæcus cenſor, teſte Diodoro, poteſtatem dedit ciuibus quibuſcunque Rom. vt in quam tribum vellent, diſtribuerentur. Vnde Q. Fabius Cenſor, ignobiliſſimos, qui per omnes tribus diſperſi erant, excretos in quatuor vrbanas coniecit, teſte Liuio in calce *lib.* 9. Quum itaque tribus ruſticæ & numero & qualitate ſuffragantium, vrbanis quam maxime excellerent, accidit vt in magiſtratibus dandis, & adimendis, & legibus antiquandis vel ferendis, plurimum valerent Ruſticæ tribus, ob idque ingenuiores & nobiliores in illis inſeri curauerint, ſique pœna plectendus quis eſſent, ex ruſtica tribu in vrbanam coniiceretur, vel ex Ruſtica honeſtiori in minus honeſtiorem ruſticam, nam moueri tribu nil aliud erat, quam mutare tribum aliquam iubere Cenſores, quod conceptis verbis docuit Liuius *lib.* 45. Illud ſane mirandum, hiſtoricos nullibi meminiſſe prioris pœnæ, hoc eſt, referendi in Tabulas Cærites, ſed ſolum id haberi ex Gellio loco citato. Hoc autem eueniſſe coniicio, quod Hiſtoriæ ſcriptores ſub nomine ærarii facti, & relationem in Cæritum tabulas comprehenſi ſint, quum tam hi, quam illi æque priuarentur ſuffragandi iure.

T.LI-

## T. LIVIVS LIB. XXIV.

*Et in vico Iſtrico fontem ſub terra tanta vi fluxiſſe, vt ſerias, doliaq́; quæ in eo loco erant prouoluta, veluti impetus torrentis tulerit.*

SEriam vaſis genus quoddam fuiſſe, omnibus receptum eſt, ſed quæ illius forma, materia, magnitudo & vſus eiuſdem fuerit, non ita manifeſtum. Donatus enarrans illud Terentianum in Heaut. *Releui dolia omnia, omnes Serias*, inquit: *Seria vas fictile de limo oblongum.* Budæus *lib. de aſſe* 5. ita habet: *Seriam oblonga forma fuiſſe puto, & in ſummo ceruicatam.* Recentiores Iuriſtæ nonnulli, & ipſi vas oblongum fuiſſe, tradunt. Sed hi omnes nulla ratione, omnes nulla auctoritate ſententiam ſuam comprobant, ita vt mere imaginaria eorum dicta ſint cenſenda. Magnum vas Seriam fuiſſe, non dubitamus, ſiquidem miraculo caret portentum à Liuio ſcriptum, ſi ſeriæ, ſicuti & dolia, quaſi à torrente, à fonte prouolutæ, magnæ non fuiſſent. Ad hæc Colum. *lib.* 13. docet, ex Seriis in minora vaſa vinum diffundi ad vetuſtatem ſeruandam, nempe in cados & amphoras. Præterea idem auctor meminit Seriarum, quarum ſingulæ ſint amphorarum ſeptenum. Alciatus, loco infra dicendo, ait, Seriam vas fuiſſe maius, & capacitatis maioris, quam culeum, quod vicenas amphoras continebat. Addamus à Seria, vaſe magno, diminutiuum *Seriolam* deriuari. Perſius *Satyr.* 4.

*Seriolæ veterem metuens deradere limum.*

Ita vt & fictile vas fuiſſe Seriam, ex Perſio & Donato affirmare poſſimus. Necnon & ex Lampridio, ſcribente in Heliogabalo: *Quumq́; Seriam quaſi veram rapuiſſet, quamuis virgo maxima falſam monſtrauerat, atq́; in ea nihil reperiſſet, exploſam fregit.* Alciatus *in com. in tit. de verb. ſignific. l.* 206. figulini fuiſſe operis Seriam, teſtatur. Sed & alterius quoque materiei confectam conſtat. Primum ex eodem met Perſio ibidem ſcribente:

*—— Et ô,*

*Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria.*

Seriam ſparteam, hoc eſt, ex ſparto confectam, & pice

circumlinitam, colligere poſſumus ex Pacuuio, vetere poeta, ſcribente:

*Nec vlla ſubſcus cohibet compagem aluei;*
*Sed ſuta lino, & Spartis ſerilibus.*

Vbi Spartea ſerilia vocat, hoc eſt, ad ſerias cõficiendas apta. Vnde & ex ære, ligno excauato, aliave conſimili materia parari potuiſſe ſerias, non dubitandum. Præcipuum vero feriæ vſum fuiſſe in vino condendo crediderim. Nam Vlpianus *l.ii.§.proprietatis. D.de vſufruct.* vinarium vas fuiſſe teſtatur, & Colum.*lib.*12.*c.*18.ita ſcribit: *Dolia quoque ante quadrageſimum vindimiæ diem picanda ſunt.* Frumentarium vas alii Iuriſtæ recentiores Seriam fuiſſe, contendunt ex Paulo, *ex eadem l.*206.*de verb.ſignific.* ſed & alium vſum præſtitiſſe Seriam, colligimus ex Col.*lib.*13. vbi de ſalſura ſuillæ carnis verba faciens, ait: *Sed quum ad fauces ſeriæ peruentum eſt, ſale reliqua pars repletur, & impoſitis ponderibus, in vas comprimitur, eaq; caro ſemper conſeruatur, quæ tamquam ſalſamentum in muria ſua permanet.* Varro vero *lib.*3.*de re ruſt.c.*2. ſeriarum oleariarum meminit, id eſt, ad oleum ſeu oliuas conditas ſeruandas, deſtinatum vas. Illud poſtremo annotari libet, Turnebum, quem ſemper honoris gratia nomino, *lib.Aduerſ.*30. *c.*6. Terentianum illud in Heauton. act.3. ſcen.1.*relinire ſerias* interpretatum, ſerias aperire. Cuius ſententiam, etſi redarguere non libet, tamen nec prætereundum dicimus, forſan *relinire* eo in loco interpretandum, iterũ linire pice, quum ſcilicet pix vetus à vaſe decidiſſet, ita vt haud bene contenta adſeruarentur.

## T. LIVIVS LIB. XXVII.

*Itaq; colonos etiam maritimos, qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant.*

SAcroſanctum, auctore Feſto *lib.*28. dicitur illud, quod iureiurando interpoſito inſtitutum eſt, vt ſi quis violaſſet, morte pœnas penderet, vel quod ſine inexpiabili ſcelere violari nemini prorſus liceret. Sic Cato ait, Ædiles ſacroſanctos eſſe, ſic Tribunos ſacroſanctos dixere, auctoritate Dionyſii

Dionyſii Halyc.*lib.5.* quod affirmarunt & Liuius *lib.3.& 9.* & Plinius *lib.7.* Et ſacroſancta poteſtas Liuio *lib.19.* Tribunicia appellata. Ita quoque iura ſacroſancta vocauit Ariſtophanes *in Nebulis*, & Cic.*lib.Offic.3.* Vrbis muri & ipſi ſacroſancti dicti *in l.fin.D.de rer.diuiſ.* ita vt qui eos violaſſet, morte mulctaretur. In hunc ſenſum Cic.*in Catil.* illius poſſeſſiones ſacroſanctas vocauit, hoc eſt, inuiolabiles, in hæc verba: *In vaſtitate omnium tuas poſſeſſiones ſacroſanctas futuras putas?* Et fœdus ſacroſanctum legimus apud Tacitum *lib.12. Annal.* Ita ſacroſanctam Eccleſiam, quæ aſylum præbet, ſcribit Iuſtinianus, *C.de ſacroſanct.Eccleſ.* Et Cic. *in orat. pro domo ſua*, ſacroſanctam domum appellauit, in qua tutum refugium eſſet omnibus, vt inde accipi non poſſent. Nihil vero ſacroſanctum eſſe poſſe, niſi quod per populum plebemve ſancitum eſſet, idem Cic. *in orat.pro Cornel.* docet. Itaque Coloniarum maritimarum ſacroſanctas dixit Liuius vacationes, hoc eſt, quas vti auctoritate pop.Rom.& iuramento firmatas, nemini violare liceret, ob idque nec inuite dare milites cogi poſſent.

## T. LIVIVS LIB. XXVIII.

*Secures, rutra, falces, alueolos, molas, quantum in quadraginta longas naues opus eſſet, tritici 120. millia modium, in viaticum decurionibus remigibusq; collaturos.*

HÆc omnia, inquit Cæl.Rhodiginus *lib.7.c.30.* facile ſe à difficultate extricans, ſunt claſſium inſtrumenta, at qualia ſint, minime explicat. *Rutra* ab eruendo ſeu ruendo deduci, quidam volunt. Nonius à radendo deriuatum rutrum putat: Ego ſane inſtrumentum fuiſſe cenſeo ferreum, ad eruendam terram ſeu arenam, quum opus eſſet, quale nos *batillum* ſeu *palam* vocamus, cuius non ſemel Varro *de re ruſtica* meminit. Feſtus ait: *Rutrum tenentis iuuenis effigies in Capitolio Ephebi fuit, more Græcorum arenam eruentis, exercitationis gratia.* Plinius lib.36. cap.23. *Experimentum marmorati eſt in ſubigendo, donec rutro non cohærent.* Cato *de re ruſtica*, *cap.11.* ſcribit: *Oportet habere villicum, pallas ſex, rutra quatuor, raſtros quadridentes duos.* Varro apud Non.

Cui

Cic.in orat.pro Cælio: *Ex quibus requiram, quo modo lauerint, alueumne illi, an equus Troianus fuerit.* Apud Caton.c.43.vitibus infodiendis, alueatos ſulcos eſſe oportere, legimus, h.e. excauatos. Ex quibus omnibus ſatis patere arbitror, alueolos vaſa fuiſſe excauata, in eum, quem diximus, vſum.

*Molæ* quæ fuerint, à Liuio commemoratæ, haud facile eſt affirmare. Namque non molendinariæ, ſiquidem in nauibus non erant piſtrina, itaque coniicio, fuiſſe nauales machinas, ſeu claſſicas, ad ſaxa magna, cuiuſmodi molaria, iacienda in hoſtiles naues, ad eas mergendas, vel diſrumpendas, & opprimendas. Ita Statius lib. Theb.3.

*Veſtraq; ſudes fractiq; molares.*

Ouidius lib. Metamorph.3.

*-- Aut comes* ( inquit ) *ero, dixit, dextraq; molarem Suſtulit.*

Liuius lib.31. *Baliſtis, Catapultiſq;, & alio omni genere tormentorum tela ingerentia, & pondere ingenti ſaxa iaciebant.* Illud ſane manifeſtum eſt, hæc omnia ad naues pertinentia, fuiſſe inſtrumenta.

## T. LIVIVS LIB. XXIX.

*Tribunos militum in vincula coniectos, dein verberatos, ſeruilibuſq; omnibus ſuppliciis cruciatos occidit.*

QVæ ſeruilia ſupplicia à Liuio appellentur, indagandum. Fuſtibus cædi, liberorum pœna erat, vt notat Marcellus *lib.10.D.de pœn.* inquiens: *Ex quibus cauſis liber fuſtibus verberatur, ex iis ſeruus flagellis ceditur.* Sic Calliſtratus *l.28.§.1.D.eo.* inquit: *Non omnes fuſtibus cædi ſolent, ſed ij dumtaxat, qui liberi ſunt.* Quomodo autem milites fuſte aliquando vſque ad mortem cæderentur, videre licet apud Polybium *in lib.6.Epit.* & tunc grauius eſt fuſtigatio ſupplicium, quam flagellatio, in reliquis vero non ita. Nam flagella, nudatis corporibus, cuti admouebantur, fuſtes autem veſtitis inferebantur, & in flagellatione ſanguis eliciebatur, in fuſtigatione vero nequaquam. *§.ſi quis aliquem. de pœn. tenen. lib.2. feud.tit.27.* Sic maiorem pœnam arbitratus eſt Accurſius flagel-

Digitized by Google

flagellorum, quam fuſtium, *in l.veluti, de pœn.P. quod etiam ſtatuit Paulus l.Pedius, l.4.de incend.rui. & naufrag. lib.47. P. tit.* 9. Ob id Horatius *lib.Satyr.1.Satyr.3.* horribile flagellum vocauit, inquiens:

*Nec ſcutica lignum, horribile ſectere flagellum.*

Et Virgilius ſanguineum dixit, lib.8.Æneid.

*Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.*

Et Iuuenalis Satyr.6.

*.. Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis.*

Et in ſacra Scriptura, Eccleſ.c.28. *Flagelli plaga liuorem facit.* Seruile itaque ſupplicium fuit flagellatio, quod etiam ex ſacris paginis conuincitur. Nam *Act.Apoſt.c.22.* legimus de D.Paulo: Sic enim, quum tribunus iuſſiſſet ipſum flagellis cædi, eum affatus eſt: *Sic hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?* quo audito, ſolutus à vinculis eſt. Quod etiam innuere videtur Cic. *in orat. pro Rabirio*, ſcribens: *Portia lex virgas ab omnium ciuium Rom. corpore amouit, hic miſericors flagella retulit*, quaſi dicat, virgæ, quibus liberi homines Rom. cædi ſolebant, à lege Portia inhibitæ ſunt, at hic, dum miſericordiam profitetur, flagella, hoc eſt, ſeruile ſupplicium retulit. Multis autem modis ſerui flagellabantur, erant enim flagella *Maſtiges* dicta, ex reſtibus compacta, quibus aurigæ vtebantur in incitandis & impellendis equis ad curſum. Martialis lib.14.

*Proficies nihil, hoc cædas licet vſque flagello.*

Parabantur quoque flagella ex loris ſeu corrigiis coriaceis, quibus male affici ſeruile erat; quod teſtatus eſt Terentius *in Adelph.* inquiens: *Nam ſi moleſtus pergis eſſe, iam intro arripere, atque ibi vſque ad necem operiere loris. S.Loris liber?* Vlpian. *libro D.29.* ſcribit, impuberem ſeruum habena cædi, vel ferula. Hoc genus flagelli innuere voluiſſe Calliſtratum Iuriſconſultum *in l.veluti.7. de pœn.* vocans vincula, exiſtimant, non contemnendi nominis Doctores, dum inquit, vinculorum verberationem pœnam eſſe. Non enim probant Accurſii eo in loco explicationem, dicentis, vinculorum pœnam eſſe, verberari fuſtibus. Plagæ, quæ infligebantur huiuſmodi vinculis, ſeu funiculis, acerbiores erant,

quam

quam quæ ſimplicibus coris fiebant, nam habebant etiam in extremitatibus eorum glandes ferreos, & globos plumbeos, vel etiam hamos, vt magis percuſſa caro laceraretur. Hinc flagella huiuſmodi *ſcorpiones* appellabantur, quod ſicuti ſcorpiones caudarum aculeo maxime lædunt, ita apicibus & extremitatibus flagellorum additis appendicibus, cutis verberatorum miſere laniaretur. Horum autem inuentum Cretarum fuiſſe, ex Plinio *lib.7. c.56.* ſcripſit vir doctiſſimus, & Iuriſconſultus celeberrimus, cuius nomen lubens omitto, reuerentiæ gratia, illius enim ſcriptis me multum debere, fateor, ſed tormenti vox eum fefellit. Eo enim in loco deſcribens Plinius rerum diuerſarum inuentores, ait: *Et in tormentis ſcorpionem Cretas, catapultas Syrus, Phœnices baliſtam & fundam*; vbi de bellicis inſtrumentis tormenta appellata, verba facere Plinium, luce meridiana clarius dignoſcitur. Ex dictis patet, cur Græca voce ſerui criminoſi *μαςίγιαι* & *ςιγματίαι* ſint appellati, à verberibus ſcilicet & flagellis, quæ nomina contumelioſa ſunt. Legimus apud Xiphilinum Dionis Epitomiſtam, in Aug. hæc: *Stigmatias quidam non modo prodidit dominum, à quo notis fuerat compunctus, ſed etiam ad eum ſeruandum promptiſſimus fuit.* Sic & ſeruus huiuſmodi Latinis *verbero* eadem de cauſa dictus. Et Cic. 2. *Offic.* dixit: *Barbarus ſtigmatias.* Ita & qui mancipia cædunt, *ſtigmatia* & *ſtigones* dicti, ſicuti qui cæduntur, *maſtigia* & flagella ipſa, *maſtiges*, vt recte adnotauit Cæl. Rhodig. *lib.25. cap.24.* Impiiſſimi Iudæi, vt IESVM CHRISTVM SALVATOREM noſtrum, regemque cœli & terræ ignominia afficerent, inter cętera tormenta flagellis quoq; eum cæciderunt, ſimili cruciatu inſontem afficientes.

## T. LIVIUS LIB. XXIX.

*Ludi Taurilia per biduum facti religionis cauſa.*

LVdos Taurios, Feſtus Pompeius tradit *lib.18.* olim inſtitutos, & dies inferis conſecratos, quod, regnante Tarquinio Superbo, magna in mulieres grauidas incidiſſet peſtilentia, ob diuturnam taurinæ carnis eſitationem. An

An vero taurilia & taurii ludi idem eſſent, non ſat ſcio; quamuis minime diuerſa fuiſſe exiſtimem. Aliam tamen appellationis cauſam aſſignari poſſe, non abnuerim, quam Feſtus ſcriptam reliquit. Denominationem autem puto deſumptam à tauris, quibus in huiuſmodi ludi genere vterentur. Sicuti Taurinam Romæ portam, Eſquilinam etiam dictam, legimus, à bouis capite, quod ſupra erat inſculptum; & *Taurobobium*, ſacrificium taurorum, & *Suotaurilia*, ſacrificium ex oue, ſue & tauro paratum. Quod autem in ludis Romani taurorum pugnam frequenter ſpectandam præberent, veluti & hodiernis temporibus fieri videmus in alma vrbe Venetiis, Florentiæ, & alibi, deprehendimus ex Plutarcho, *in lib. de Alexandri fortuna*, & Seneca, *lib. de Ira* 30. vbi pugnantes tauros in ludis phœniceo colore & rubicundo irritari, efferarique ſcribunt. Et Plinius *lib. 8. c.* 450. de tauris verba faciens, ait: *Theſſalorum gentis inuentum eſt, e quo iuxta quadrupedante, cornu intorta ceruice taurum necare; primus id ſpectaculum dedit Romæ Cæſar Dictator.* Varro *lib.* 1. aut, aliorum computatione, quarto: *In tauriis ludis*, inquit, *conſuetum, metas circumcurrere*, quod nec à tauris alienum, ſcribente Plinio eodem in loco hæc de tauris verba: *Bigarumq; etiam curſu citato, velut aurigas, inſiſtere.* Quod autem dicit Liuius, hos ludos religionis cauſa factos, explicandum Diis præſertim inferis dicatos, ex Feſto ſuperius adnotaui. Præterea ſcribit Athenæus, tauro Bacchum aſſimilari. Lycophron Iouem taurum vocauit. In Petiegeſi Dionyſius Afer Dianam *tauropolon* dixit, & ταυεία Græcis, Latinis *Diana taurica* vocata. Et Diodorus ſcribit, Martis & Dianæ ſacrificia *tauropolia* nuncupata, vnde iure Plinius loco iam citato ſcripſit de tauris: *Hinc victima optima, & lautiſsima Deorum placatio.* Ταῦρος quoque Græcis Neptunus dictus, & ταύρια, Neptuni feſtum. In ludis itaque religionis cauſa factis, id eſt, in Deorum honorem, tauriis vel tauriliis appellatis tauris, vſos fuiſſe Romanos, ob idque ita appellaſſe, non ſolum ex dictis patere puto, ſed & antiquorum numiſmatum fide comprobare poſſumus. Sebaſtianus Erizus Cæſaris Augusti argenteum nummum, in cuius aduerſa parte inſculpta eſt

eſt pugnacis tauri effigies, enarrans, inquit, eum cuſum ob memoriam ludorum tauriorum ab Auguſto celeberrime factorũ. Ego argenteos nũmos antiquos binos vidi, ſimiles vndequaque. In parte vna impreſſum erat caput Mineruæ galeatæ, & galeæ cono criſtam adiectam, vel plumeam, vel ex cauda equina, vel ex alia re conſimili, quales ſæpe deſcribuntur ab Homero in Iliade: in altera taurus integer impreſſus, eo ſtatu & ſitu, vt videatur colluctari, atq; aliquem cornu petere velle. Habet enim caput oblique demiſſum, & cornua ad feriendum accommodata & compoſita; pedes autem inflexos & incuruatos, quaſi eis terram fodere, & puluerem ſpargere conetur, iuxta illud Virgilianum, lib. 9. Æneid.

*Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.*

In ora infima inſcriptum eſt ΘΟΥΡΙΩΝ. Hos nummos eadem de cauſa cuſos, affirmare poſſumus. Nam Græci dicunt θορεῖν, quod Latini, impetum facere, ſeu impetu inſilire. Et θούριος dictus eſt Mars, quod eſt bellicoſus ſeu pugnax, θοραῖος, potens, audax, θοῦρος impetuoſus. Quamuis & aliter tum Auguſti prius numiſma, & poſteriores hi nummi dici poſſint cuſi à Thuriis populis Italiæ, in Sicilia, quorum meminere Æmilius Probus, & Plutarchus in Alcibiade, Thucydides *lib.5.* & Diodorus Siculus *lib* 13 & Stephanus de vrbibus, in hæc verba: *Θούριοι πόλις Ἰταλίας, ἣ πρότερον Σύβαρις*, id eſt; *Thurÿ vrbs Italia, qua prius Sybaris dicebatur.*

## T. LIVIVS LIB. XXX.

***Naues longas, elephantos, perfugas, fugitiuos, captiuorum quatuor millia tradiderunt.***

PErfugam & fugitiuum appellari apud Iuriſconſultos quandoque obſeruamus, quod fecit Saturninus *in l. aut facta.16. D. de pœn.* reuera tamen inter ſe diſtingui perfugam à fugitiuo, præcipue ex hoc loco clariſſime patet. Perfugam autem dici ad hoſtes confugientem, omnibus receptum eſt. Cic. in Ant. *Cur de perfugis noſtris copias comparat contra nos?* & in Offic. *Perſuga à Pyrrho venit in caſtra Fabritÿ.*

Sed fugitiui ſignificatio non vna. Sicuti enim fuga quandoque pro exilio à Iuriſperitis accipitur, vti *in l.4. §.ad tempus, de re milit.l.5.D.de interd.& releg.* ita & fugitiuum, qui à fuga deriuatur, pro exule accipi poſſe exiſtimandum, vel etiam pro alicuius criminis reo. Nam aliquando fugitiui ſeu fugientes in Iure ad Græcorum exemplum, qui eos φεύγοντας vocant, dicuntur rei. *l.properandum, C.de iud.l.fin. C.de bon. mat.* Eandem ſignificationem vocis *fugitiui* obſeruamus in ſacra Scriptura, vti Num.35.cap. *Sex erant oppida in fugitiuorum auxilia ſeparata, vt fugiant ad ea, qui fuderint ſanguinem.* Ita & Sapientiæ, cap.vlt. *Hos tanquam fugitiuos perſequebantur,&c.* Ex quibus quis forte ſuſpicari poſſet, per fugitiuos hoc in loco à Liuio ſignificari poſſe exules & criminoſos Romanos, qui ad Carthaginenſes confugerant. At certe res aliter ſe habet. Nam per fugitiuos intelligendum ſeruos, qui à patronis Romanis confugerant ad Carthaginenſes, non dubitandum; appellatione enim *fugitiui* ſeruos venire, qui fugam fecerunt, paſſim apud Iuriſtas & alios Latinos ſcriptores obſeruamus. Cic.in Anton. *Dolobella habet legionem, habet fugitiuos.* Et in Verr. *Neque tam fugitiui illi à dominis, quam tu à iure & legibus:* & item, *Athenio princeps fugitiuorum:* & in Epiſtol. *Dicitur mihi ſeruus tuus fugitiuus Vandaci eſſe.* Fugitiuus, inquit Ofilius, eſt, qui extra domini domum fugæ cauſa, quo ſe à domino celaret, manſit. Et Caſſius ſcribit, Fugitiuum eſſe, qui certo propoſito dominum relinquat. Hinc fugam vendere dicebantur, qui ſeruos fugitiuos vendebant, quod S.C. vetitum erat, ne ſerui ad fugam inuitarentur. *l.2.D.ad leg.Falcid.l.6. C.eod. l.35. §.ſi quis amico.D.de contrah.empt.* Et fugitiuarii appellati, qui ſeruos fugitiuos mercede reducebant. *l.18. D.de preſcript. verb.* vel qui dominis indicabant, vbi ſerui fugitiui celarentur, *l.13 D.eod.* & apud Florum fugitiuarii appellati, qui ſeruos fugitiuos perſequebantur. Sic Varro *lib.3.de re ruſtica, cap.14.* ſcripſit: *Fugitiuarius dicitur, qui fugitiuum conquirit & ſectatur.* Fugitiuos ſeruos bellum in Sicilia agitantes, vicit C.Marius. Et M.Craſſus de fugitiuis ſeruis, & Spartaco eorum Duce laurea coronatus inceſſit, *ex Plinio lib.15.c.29.*

Ex

Ex his ſatis patere puto, fugitiuos Liuium dicere ſeruos illos, qui à patronis fugam fecerant ad Carthaginenſes, tanquam in loco tuto ſe recipientes. Sciendum autem, quod inter perfugas minus peccant *emanſores* dicti, ſcilicet qui diu vagati extra caſtra, tandem reuertuntur. *l. de errorem*, § 2. *D. de re milit.* qui & remanſores nonnunquam dicti. *l.* 5. §. *à barbaris, D. eo.* Inter fugitiuos vero, qui minus delinquerant, dicti *errones*, ſerui, inquam, vagabundi, ſic enim interpretatur Vlp. *tit. de ſeru. fugit.* Ita Arrianus *de re mil. l. qui cum*, inquit; erronis crimen in ſeruo leuius eſſe, quam fugitiui; inde Labeo puſillum fugitiuum erronem appellat. At nec ignorandum, nonnunquam huiuſmodi ſeruum emanſorem dictum, vti *l. aut facta, D de pœnis.* Tempus diſcernit emanſorem à fugitiuo, vti effractorem vel furem diurnum à nocturno. De hac eadem materia plura Azo *in ſum. C. de ſer. fug.* quæ obiter ſint dicta.

## T. LIVIVS LIB. XXIII.

*Ex argento multaticio tria ſigna anea Cereri Liberoq́; & Libera poſuerunt.*

PEr Liberum patrem quidam hoc loco intelligendum credidere Solem, Virgilii authoritate moti, libro Georgicor. 1.

*—— Vos ô clariſſima mundi*
*Lumina labentem cœlo qui ducitis annum,*
*Liber & alma Ceres.*

Quod pariter confirmari poteſt ex Macrobio *lib. Saturnal.* 1. *cap.* 18. *&* 21. ſcribente, Liberum patrem eſſe Solem, eundemq; Adonem. Nihilominus Liberum ego communiſſima appellatione intelligendum non dubito Bacchum hoc in loco; quod aliorum numinum connexa nomina palam faciunt. Siquidem Cic. tradit *lib. 2. de Nat. Deor.* Liberum Cereris fuiſſe filium, & fratrem Liberæ. Sic idem Liuius *in calce lib.* 41. ſcribit, ſupplicationem fuiſſe ad Cereris, Liberi Liberæque ædes. Has A. Poſthumium dictatorem vouiſſe,

teſtatum reliquit Halycarnaſſeus *lib.6.* quod pariter confirmat Cornelius Tacitus,*lib. Annal 2.* vbi quoque addit, ædem iuxta Circum Maximum vetuſtate abolitam, Libero Liberæque & Cereri dedicaſſe Tiberium imperatorem. Auguſtinus Liberam etiam Venerem dictam, ſcripſit. Quamobrem ſi & Cererem interpretemur Lunam, ſicuti Liberum Solem, ex Virgilii authoritate, & Liberam Venerem, non erit inconueniens, præſertim quum Apollinem & Liberum eadem ſacra habuiſſe apud Thraces, Lacedæmonios & Bœotios, eiſdemque honoribus coli mos fuerit, id ſcribente Macrobio, loco iam allegato.

## T. LIVIVS LIB. XXXIV.

*Argenti infecti tulit in ærarium quatuordecim millia, pondo ſeptingenta triginta duo, & ſignati bigatorum xvij. millia xxiij. & Oſcenſis argenti cxx. millia ccccxxxviij.*

HEluium ouantem in vrbem ingreſſum, argẽti Oſcenſis 120. millia 438. in ærarium tuliſſe ſcribit Liuius, & paulo poſt M. Porcium Catonem ex Hiſpania triumphantem, eiuſdem argenti Oſcenſis 540. Et deinceps Q. Minutium argenti Oſcenſis 278. millia. Et *lib.40.* quod Q. Fuluius Flaccus ex Hiſpania triumphans ſignati Oſcenſis nummum centum ſeptuaginta tria millia ducentos. Quale autem eſſet argentum Oſcenſe, neminem explicantem hactenus me legiſſe, ſcio; qua de re operæ pretium facturum me exiſtimo, ſi, quid in hac re ſentiam, literis mandabo. Oſcos populos Latii in Campania fuiſſe, tradit Strabo, vbi de Latio nouo verba facit. Annius ex Manethone *lib. 16. Commentariorum* ſcribit, Oſcum apud Turrhenos regnaſſe, cuius inſigne fuit ſerpens, quem Oſcum appellauere Hetruſci, à quo Rege Oſci populi dicti. Plinius *lib.3.c.5.* Oſcos populos in Latio veteri conſtituit. Liuius *lib.* 10. Oſcæ linguæ meminit, inquiens: *Gnarosq; Oſcæ linguæ exploratum quid agatur, mittit.* Oſcæ fabellæ, ſeu ludi, idem autor verba facit in principio lib.7. *Quod genus ludorum ab Oſcis acceptum, tenuit iuuentus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt.* De eiſdem Cic. *in Epiſt. lib.7.* Mario ſcribens, ait: *Non enim te puto Græcos aut Oſcos ludos*

*ludos deſideraſſe, præſertim quum Oſcos ludos, vel in Senatu noſtro ſpectare poſſis.* Prop. *lib. Eleg.* 4. *Eleg* 2. meminit Oſcæ terræ. Et Horat. 1. Serm. Sat. 5. *Meſſe clarum genus Oſci.* Ab huiuſcemodi populis argentum, Oſcenſe dictum, denominationem ſumpſiſſe, quis arbitrari poſſit. Verum id probari non debet, quum populi iſti parum potentes, & ſatis arctæ ditionis, ex hiſtorica lectione obſeruemus, quinimo & à propriis ſedibus dimotos, narrat Strabo, & ad internecionem deletis ipſis, immiſſam Latinam gentem, vnde *Latium nouum* ea regio appellata; quod etiam comprobare poſſumus, quum neque bello Punico primo, neque Gallico Ciſalpino, neque Punico ſecundo, vlla fiat Oſcenſium ſeu Oſcorum mentio apud ſcriptores, inter Latii populos, qui auxilia Romanis miſerunt, ſicuti aliorum fere omnium populorum, quibus Latium tunc temporis incolebatur, & quorum Polybius & Liuius nomina memoriæ tradiderunt; nempe Marſos, Samnites, Campanos, Pelignos, Sabinos, Vmbros, Picenſes, Etruſcos, commemorantes. Non itaque à populis hiſce Oſcis, Oſcenſe argentum dictum, affirmandum. Quamobrem cogitabam, forte Oſcenſes nummos ab auibus, quæ Oſcinæ appellabantur, dictos, quod ſcil. Oſcinæ auis imago in illis eſſet inſculpta. Quales autem eſſent huiuſmodi aues, docet Seruius in 1. lib. Æneid. ibi:

*Aſpice bis ſenos lætantes agmine Cycnos.*

*In auguriis* (inquit) *non ſolum aues conſiderantur, ſed volatus in præpetibus, & cantus in Oſcinibus.* Et lib. 3. Æneid. in eum locum:

*Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.*

*Aues* (ait) *Oſcinæ ſunt, aut præpetes, Oſcinæ ab os & cano dictæ, ore futura prædicunt, præpetes vero à volatu.* Et rurſus 4. Æneid. ad illud:

*Solaq; culminibus ferali carmine bubo.*

*Omnes aues* (inquit) *Oſcines bonæ, præpetes malæ.* De his Cic. *lib.* 1. *&* 2. *de natura Deorum, & lib.* 6 *Epiſt. Epiſt.* 6. *ad Cæcinnam,* & Plinius *lib.* 10. *c.* 19. Et Amm. Marcel. *lib.* 22. *& lib.* 28. Coruum autem in nummis argenteis, Oſcenſibus dictis, ſigna-

tum fuiſſe, coniicere licet, quum Liuius *lib.*10. de aue Oſcea ſeu Oſcina dicta, ita ſcribat: *Ante Conſulem hæc dicentem, coruus voce clara occinuit.* Et Horatius lib.3. Carm. Ode 2.

*Oſcinem coruum prece ſuſcitabo*
*Solis ab ortu.*

At quum inter argenteos nummos antiquos, quos pene infinitos vidi, coruum ſignatum non obſeruauerim, quumque videam, Liuium non modo ſignati Oſcenſis verba facere, ſed & ſimpliciter de Oſcenſi argento loqui, aliam interpretationem, hac omiſſa, indagandam iudico, veramque ſubſequentem eſſe, non dubito, Oſcenſes ſcilicet nummos vocatos, ſeu argentum Oſcenſe, ab Oſcea, Hiſpaniæ vrbe, cuius Ptolemæus *lib.2.Georgic.cap.6.* & Plinius *lib.3. cap.1.& 3.* meminere, hodie vocant *Hiſca, Hueſca & Guiſcà.* Oſcenſes vero inter Hiſpaniæ non ignobiles fuiſſe modo, ſed inter Principes connumeratos, docet Cæſar *libro primo de bello ciuili*, in hæc verba: *Interim Oſcenſes & Calagurritani, qui erant cum Oſcenſibus contributi, mittunt ad eum legatos, ſeſeq; imperata facturos pollicentur; his Tarraconenſes, & Lacetani, & Auretani; & paulo poſt diebus Lurgauenenſes, qui flumen Iberum attingunt, inſequuntur.* In Oſcenſium autem ditione argentifodinas celebres fuiſſe, coniiciendum. Nam Hiſpaniam argentifodinis abundare, docet Liuius per initia *lib.*27. ſcribens: *Hiſpana gentis ager frugifer, argentum etiam incolæ fodiunt.* Polybius quoque argentifodinas, quæ ſunt in Hiſpania connumerans, citra Carthaginem nouam, ait: *Quatuor decurias hominum operantium, qui tunc in dies ſingulos vicena quinta drachmarum millia pop Rom. referrent.* Plinius *lib.33.cap.6* de argento ſcribit: *Reperitur in omnibus pene prouinciis, ſed in Hiſpania pulcherrimum, id quoque in ſterili ſolo, atque etiam in montibus, & vbicunque vna inuenta vena eſt, non procul inuenitur alia.* Et paulo poſt: *Mirum adhuc per Hiſpanias ab Annibale olim inchoatos puteos durare, ſua ab inuentoribus nomina habẽtes. Ex queis Bebelo hodie appellatur, qui 300. pondo Annibali ſubminiſtrauit in dies.* Apud Tacitum *Annal.6.* legimus, Sextum Marium Hiſpaniarum ditiſſimum delatum inceſtaſſe filiam, ſaxo Tarpeio deiectum, ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniæ

pecuniæ malo vertiſſe, aurarias eius, quamquam publicantur, ſibimet Tiberium ſepoſuiſſe, quo in loco per aurarias, non modo auri, ſed & argentifodinas intelligendum, nam a nobiliori appellationem deſumpſit Tacitus. Poſidonius Hiſpaniæ ſubterranea, non infernum, ſed Pluton, id eſt, opulentiæ & diuitiarum Deum vocauit, tanta eſt in eo terrarum tractu metallorum fœcunditas. Et in ſacra Scriptura, *Macchab.1.cap.*8. legimus, quod Romani multa fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quod in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri, quæ illic ſunt. Liuius ipſe *lib.*34. de Catone Conſule in Hiſpania bellum gerente, tradit: *Pacata prouincia, vectigalia magna inſtituit, ex ferrariis argentariisq́, quibus tum inſtitutis, locupletior in dies prouincia fuit.* His ita ſe habentibus, inducimus, argentum Oſcenſe dictum a Liuio, quod in Oſcea Hiſpaniarum vrbe colligebatur & coquebatur, ex Hiſpanicis argentifodinis, ibique etiam cudebatur, quodque pulcherrimum fuiſſe & optimum coniiciendum, tum ex Plinio, loco ſupra allegato, tum ex eo, quod a Liuio illius mentio fuit in omnibus prædictis triumphis, in quibus latus eſt a triumphantibus ex Hiſpania, ſicuti & de Illyrico argento meminit idem Liuius, *lib.* 45. in triumpho L. Ancii, Glareanus in annot. ad hunc locum ſcribit: *Oſcea vrbs eſt Ilbergetum apud Ptolomæum in Hiſpania, vbi videntur fuiſſe argentifodinæ.* Cæterum id argentum meliusne fuerit, an peius alio argento, clarius mihi non conſtat.

## T. LIVIVS LIB. XXXIV.

*Si quis extra ordinem auidius procurrit, & ipſe inter equitas ſparo percutit, & tribunos centurionesque caſtigari iubet.*

HAſtilis genus fuiſſe ſparum, quo ruſtici armarentur, colligimus ex Virgilio, ſcribente 11. Æneid.

*Agreſtiſq́; manus armat ſparus,*

Vbi Seruius inquit: *Sparus eſt ruſticum telum. in modum pedis recuruum*; cuius tamen ſententiam minus veram oſtendũt, quæ de Epaminunda ſcribuntur, quem ſparo eminus transfixum, ſcribit Æmilius Probus, ſiue is ſit Cornelius Nepos, in illius vita; hæc etiam addens: *At Epaminundas, quum animaduerteret, mortiferum ſe vulnus accepiſſe, ſimulq; ſi ferrum, quod ex haſtili in corpore remanſerat, extraxiſſet, animam ſtatim amiſſurum, eo vſq; retinuit, quoad renunciatum eſt, viciſſe Bœotios. Id poſtquam audiuit, ſatis (inquit) vixi, inuictus enim morior, tum ferro extracto, confeſtim exanimatus eſt.* Ita & Diodorus illum, niſi ſpiculo extracto, quo transfixus fuerat, animam efflaſſe ſcribit, quod & Pauſanias *in Arcadicis*, & Cic. *in Epiſt. Famil. illa elaboratiſſima ad l. Lucium Q. Filium*, & *2. de finibus*, Ælianus *lib. 12. var. hiſt.* & Valerius Maximus *lib. 3. cap. 2.* clare teſtatum reliquere. Si itaque ſparo eminus transfixus Epaminundas, non vtique ſparus telum in modum pedis recuruum. Illud ſane ab omnibus receptum lego, Sparum ſeu ſparus (nam vtrumque obſeruamus) armorum ſpeciem vilem & ignobilem fuiſſe; quod ex iam dictis percipi poteſt, necnon ex mox dicendis. Feſtus tradit, ſpara fuiſſe minimi generis iacula; & Lucilius ait;

*Tum ſpara, tum rumices, portantur tragula porro.*

Saluſtius in Catil. non longe ab extrema parte: *Sed ex omni copia circiter quarta pars militaribus armis inſtructa, cœpit, vt quoſque caſus armauerat ſparis, aut lanceis, alij peracutas ſudes portabant.* Mirum itaque videtur, Catonem Conſulem & inſignis exercitus Imperatorem in pugna armatum, ſparo ignobili iaculo extitiſſe. Dicendum arbitror, Catonem ſeueriſſimum Ducem, ac faſtus contemptorem, quod eiuſdem mores ſemper demonſtrauerunt, in ambitionis contemptum ſparum vile armorum genus geſtare voluiſſe, vt ſuis militibus oſtenderet, in animi virtute, & corporis robore, non armorum ſpecie, victoriæ ſpem conſtituendam eſſe.

T. LI.

Digitized by Google

## T. LIVIVS LIB. XXXIV.

*Vt emiſſis ſoliferreis falaricisq; gladios ſtrinxerunt, tum velut redintegrata eſt pugna.*

SOliferreum genus teli fuit, totum ferreum & ſolidum, hoc eſt, ſine haſtili vlla, & quaſi totum ferreum dixeris, nam ſolum totum & ſolidum ſignificare palam eſt. *Falarica* autem erat, vt idemmet Liuius interpretatur *lib.* 21. miſſile telum, haſtili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum, vnde ferrum extabat; id ſicut in Pilo, quadratum, ſtupa circumligabant, linebantque pice, ferrum autem tres in longum habebat pedes, vt cum armis corpus transfigere poſſet, ſed id maxime ſi hæſiſſet in ſcuto, nec penetraſſet in corpus, pauorem faciebat, quod quum medium accenſum mitteretur, conceptumque ipſo motu multo maiorem ignem ferret, arma omittere cogebat, nudumque militem ad inſequentes ictus præbebat. De huiuſmodi telo Virgil. lib. 9. Æneid. de Turno falaricam iaculante ait:

*Sed magnum ſtridens contra falarica venit,*
*Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga,*
*Nec duplici ſquamma lorica fidelis & auro*
*Suſtinuit, collapſa ruunt immania membra:*
*Dat tellus gemitum, & clypeum ſuper intonat ingens.*

De Falarica autem plena ibidem Seruius; & Vegetius *lib.* 2. *de re militari.* A Falarica forte genus illud haſtilis, quod nobiles noſtrates ab equorum ephippiis inter equitandum pendentes geſtare apertum ſolent, & vulgo *Falarina* vocantur, dictum eſt.

## T. LIVIVS LIB. XXXVI.

*Polixenidas enim, vt virtute militum haud dubie ſuperari ſe vidit, ſublatis dolonibus effuſe fugere intendit.*

VArro dolonem exponit *ingens contus cum ferro breuiſſimo.* Beroaldus in Com. ad Suetonium in Claudio c. 13. *Dolones,* inquit, *autore Donato ſunt tela quædam bellica, à lædendo dicta, nam Græcis* δόλ© *læſio dicitur.* Seruius enarrans illud ex 7. Æneid.

*Pila manu, ſæuoſque ferunt in bella dolones,*

ait, dolonem flagellum eſſe, inter cuius virgam lateat pugio; dolones autem à fallendo dici, quod decipiant ferro, quum ſpeciem primum referant ligni. Hac dictione vſus eſt Alphenus Iuriſconſultus D. *ad legem Aquiliam*, cuius hæc ſunt verba: *Tabernarius eum conſequutus lucernam repoſcebat, & fugientem retinebat, ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolon inerat, verberare tabernarium cœpit.* Accurſius legit *dolor*, ſed peritiores *dolon* legendum ſtatuunt, inter quos Budæus in Annot. ad eum locum, Suetonius loco citato ſcribit: *Reperti & equeſtris ordinis duo in publico cum dolone, ac venatorio cultro.* Heſychius δόλωνες ait, ξιφίδια ἐν ξύλοις ἀποκείμενα, id eſt, *dolones ſunt gladioli, ſeu pugiones in ligno reconditi, vel repoſiti.* In hac ſignificatione hoc in loco à Liuio dolones minime accipi poſſe, adeo manifeſtum eſt, vt nulla indigeat probatione, idque verborum ſeries clariſſime demonſtrat, quod & Beroaldus confirmat, inquiens, apud Liuium dolones accipi, pro armamentis naualibus, at genus deſcribit, ſed non ſpeciem, aut ſpecificam differentiam, ſicuti ſi quis hominem diceret eſſe animal. Cogitabam ego dolones dictas à Liuio antennas illas, quibus minora vela breuioribus funiculis alligantur, trochleiſque in altum eriguntur, vel deprimuntur, & inferius relaxantur, appellatas vero dolones à verbo *dolo*, quod eſt dolabro cædere, & læuigare, nam antennæ huiuſmodi in rotundum dolantur, craſſiores circa medium, & ad extremitates, tenuiores, de quibus Virg. 3. Æneid.

*Cornua velatarum obuertimus antennarum.*

Nec obſtat quod Ouidius Epiſt. 5. ſcripſerit:

—*Rigido pendentia lintea malo.*

nam intelligendum eſt, mediis antennis, quibus vela alligantur. Alias autem eſſe antennas à nauis malo palam eſt, vnde Lucanus lib. 2.

*Antennas, proram, malos, tonſaſque natantes.*

Quod ſi hæc interpretatio non arriſerit, aliam ſubiicimus ex Suida deſumptã, δόλωνες qui interpretatur minuſcula nauium vela, vulgo *Trinchetto* dicunt, ſicut maius velum ἀκάτιον

voeant,

vocant, *tertium vero* quod retrorſum panditur in puppi, ἐπίδρομον, noſtrates *mezana* nuncupant, δόλωνας autem appellatas puto à verbo δολόω, quod eſt, decipio; namque quum Liuius Dux Romanæ, claſſis vela contraxiſſet, maloſque inclinaſſet, armamenta compoſuiſſet, opperiens hoſtilem claſſem ad pugnam, tamen vt æquaret læuum cornu, dolonibus erectis altum petere intendit; fefellitque hoſtes, qui nihil tale facturum eum exiſtimauerant, ſed ſolum in pugna paratum ſtaturum crediderant, ita & Polyxenidas quum virtute hoſtium ſuperare ſe vidiſſet, ſublatis dolonibus effuſe fugere intendit, ſicque hoſtiles conatus fruſtratus eſt, quia itaque maiora vela, quibus pręcipue pręter remos naues agantur, ex vtraque parte contracta erant, vt naues ſtabiles in pugna eſſent, Romanus vt æquaret cornu læuum, dolonibus erectis in altum tendens, decepit hoſtem, hoc eſt, minoribus velis, ita hoſtis ſublatis eiſdem fugam arripuit, fuga fallens hoſtes, à qua fallacia minora vela in hunc vſum parata *dolones* dicta veriſimile eſt.

## T. LIVIVS LIB. XXXVII.

*Regia claſſis ſeptem & triginta maioris formæ nauium erat, in quibus tres hepteres, & quatuor hexeres habebat, & præter has decem triremes erant.*

QVæ εἰρεσία Græcis, Latinis remigatio eſt, ideo proculdubio *hepteris* nauis fuit ſeptem remorum ordinibus acta, ſicuti *hexeres*, quæ ſex remorum acta ordinibus impellebatur, nam ἕξ ſex, ἑπτὰ ſeptem ſignificat; ita & biremes, triremes, quadriremes, quinqueremes eodem modo dictæ, quod paſſim apud ſcriptores legimus. Plinius *libro 7. capite 56.* prænarratas non ſolum commemorat, cum ſuis inſtitutoribus, ſed addit etiam *decemremen*, 12. ordinum, quindecim, triginta, quadraginta, & vſque ad quinquaginta. Liuius *libro quadrageſimoquinto*, ſcribit: *Paulus ipſe poſt dies paucos regia naui ingentis magnitudinis, quam 21. verſus remorum agebant, ornata Macedonicis ſpoliis, non inſignium tantum armorum, ſed & regiorum textilium, aduerſo Tyberi ad*

*vrbem*

*vrbem eſt ſubuectus*, qua in re ſemper dubitaui, quales eſſent huiuſmodi remorum ordines adeo multiplices, nam ſi hinc inde recta linea, vti noſtris temporibus fieri conſpicimus, diſponebantur, profecto, quæ tres, quatuor, quinque remorum ordineſve habebant, magna nauigia dici non poterant, & vix ad pugnam capeſſendam apta fuiſſent, vtpote quæ octo vel decem remis ad ſummum agerentur, quatuor ſcilicet vel quinque vtrinque ſitis. Si vero remorum ordines plures in medio, ſuperiori & infimo nauigii corpore poſitos fuiſſe dixerimus, non vtique commode, & eodem tempore ad nauim impellendam agi potuiſſent, quin inuicem implicarentur, præſertim multiplicatis ordinibus, ſecundum Plinii dicta. Quamobrem in eam veniebam ſententiam, non à numero remorum, ordines plures pauciores ve dictos, ſed potius à numero remigantium, ſingulis remis appoſitis; ita vt *triremes* eſſent, quarum remos ſingulos tres homines, *quinqueremis*, cuius quinque impellerent. Quod ſi quis obiecerit, ergo in quinquaginta remorum ordinibus conſtante naui, qualem habuit Tryphon, ſi Plinio credimus, remi fuiſſent immenſæ magnitudinis, quum à quinquaginta hominibus impellendi eſſent, vel ſaltem à vigintiquinque, ſi per ordinem interpretemur binos remos alterum dextrorſum, ſiniſtrorſum alterum è directo poſitum; cui obiectioni facile reſponderi poſſe exiſtimamus, ſi animo conceperimus immenſam propemodum magnitudinem nauium, quibus obeliſci ex Ægypto Romam conuecti ſunt, quarum meminit Plinius *lib.16. cap.40. & 36 cap.9.* necnon etiam ingentem proceritatem quarundam arborum, quarum verba facit idem Plinius *lib.36.c.40.* nempe vnius à Tiberio Cæſare expoſitæ; fuit autem trabs è larice longa pedes 120. bipedali craſſitudine æqualis, quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo, faſtigium & acumen æſtimantibus; & alterius à M. Agrippa relictæ in porticibus ſeptorum, miraculi cauſa; fuit & abies admirationis præcipua in naui, quæ ex Ægypto, C. Principis iuſſu obeliſcum adduxit.

T. LI-

## T. LIVIVS LIB. XXXVII.

*Quinque tantum Rhodiæ naues cum duabus Cois effugerunt, terrore mi: antis flammæ via ſibi in confertas naues facta, contis enim binis à prora prominentibus, trullis ferreis multum conceptum ignem præ ſe portabant.*

TRullam antiquis fuiſſe vas ad recipiendas alui deiectiones, ſeu corporis retrimenta exiſtimauerunt ex recentioribus nonnulli, inter quos Cœlius Rhodig. vir eximiæ doctrinæ, *lib.* 21. *c.* 35. *& lib.* 27. *c.* 14. Horum ſententiæ videtur ſuffragari Martialis *lib.* 9. ſcribens Epigram. 89.

*Clinicus Herodes trullam ſubduxerat ægro.*

Pro vaſe potatorio trullam accipiendam eſſe alii acriter contendunt; inter quos Alexan. ab Alexandro *lib. Gen.* 3. *cap.* 10. exponens illud Iuuenalis Sat 3.

*——Laudare paratus;*
*Si bene ructauit, ſi rectum minxit amicus,*
*Si trulla inuerſo crepitum dedit aurea fundo.*

Quæ mehercle ſententia magis veritati conſentanea videtur, nam & Horatius 2. *ſer. Saty.* 3. in eundem ſenſum accipit:

*—— Qui Veienanum feſtis potare diebus;*
*Campana ſolitus trulla, vappamque profectis.*

Et Plautus in Amphit.

*Interea dum illi certant, in popinam diuertendum eſt mihi:*
*Lances detergam omnes, omneſque trullas hauriam.*

Cic. in Ver. 6. *Erat enim vas vinarium ex vna gemma prægrandi trulla excauata, cum manubrio aureo.* Plinius lib. 37. c. 2. *T. Petronius Conſularis moriturus inuidia Neronis Principis, vt eius menſam exhæredaret, trullam murrhinam trecentis ſeſtertiis emptam fregit;* & paulo infra: *Alius hic furor, H.S.* 150. *millia trullam vnam non ante multos annos mercatam à matrefamilias, nec diuite.* In eodem ſenſu trulla accipitur apud Iuriſconſultos. Paulus in l. 13. D. de ſupel. leg. *Trulla*, inquit, *quæ circa cœnam ſolet traiici.* Et Scæuola *in l. Seia. D. de aur. & arg. leg.* idem confirmat in hæc verba: *Seia dulciſſima poculum aureum, quod elegerit, fidei hæredum commiſſo vt darent; quæro quum in hæreditate non ſint niſi trullæ, ſcyphi, modioli, phyalæ, an Seia de his ſpeciebus eligere poſſit.*

*Reſpondi,*

*Reſpondi, quum omnia potui parata pocula dicantur, poſſe.* Antonius Panormitanus *lib.* 4. *de dict. & fact. Alphonſi regis Hiſp. c.* 12. ſcribit, illi à Genuenſibus quotannis pro tributo trullam auream penſitam; pro trulla autem poculum intelligendum nulli dubium. Lib. 4. Regum in ſacra Biblia capite poſtremo legimus: *Mare areum, quod erat in domo Domini, fregerunt Chaldæi, & tranſtulerunt æs omne in Babylonem; ollas quoque areas. & trullas, & tridentes, & ſcyphos. & mortariola, & omnia vaſa area, in quibus miniſtrabant*; ex quibus omnibus trullam ex poculorum genere fuiſſe colligimus, ſicque etiam interpretanda Martialis allegata dicta. Turnebus Aduerſ. *lib.* 17. *c.* 22. Varronem citat *lib.* 4. *de lingua Latina* ſcribentem: *Trulla quæ in culinam in lauatrinam aquam fundunt*, ex quibus inquit: *Trulla de ſitulis aquam hauriunt, & de ahenis, aut labris*, lib. tamen 21 *c.* 9 & potatoriorũ vas trullam eſſe dicit. Sed ſiue potatorium, ſeu excrementis alui recipiendis paratum, vel in alium vſum vas trullam eſſe dixerimus, illud ſane pro comperto habere debemus, vas magnum, & multæ capacitatis fuiſſe; Nam Varro loco citato tendit: *Trulla à ſimilitudine Trua, illa magna, hac puſilla*, hoc idem ex prædictis confirmare poſſumus, nec non & ex Catone *de re ruſt. c.* 10. vbi habet; *villicum habere oportere vrnam quinquagenariam vnam, & trullas tres*: & c. 13. Torcularium vſui eſſe opus trullas æreas tres, amphoras oleareas duas. & paulo poſt eodem capite: *Vrceos fictiles vrnales duos, trullas ligneas duas*, Itaque hoc in loco per trullas Liuium ſignificare vaſa magna, non dubito; namque ſi multæ capacitatis non fuiſſent, haud vtique igne quem continebant, incendii timorem hoſtilibus nauibus incuſſiſſent. Nec illud reticendum in ſtudioſorum gratiam, quamuis ad præſentis loci explicationem nihili faciat; Trullam à Vitruuio *lib.* 7. inſtrumentum illud appellari, quo liniendis & læuigandis muris arenato vel gypſato vtuntur cementarii, vulgo *Cazzolam* vocant.

T. LI-

# T. LIVIVS LIB. XXXVII.

*Fuluius Conſul vnus creatus, quum cæteri centurias non expleſſent.*

NIcolaus Grucchius *de comitiis Rom. lib.* 1. præſentem locum in hæc verba interpretatus eſt : *Illud etiam poteſt ex iis, quæ dicta ſunt, intelligi, quid apud Liuium ſignificet centurias non explere, vt lib. 7. Dec. 4. Fuluius Conſul vnus creatus, quum cæteri centurias non expleſſent. Habebat Fuluius tres competitores, quorum nullus legitimum numerum centuriarum conficere potuit, vel quia in ſingulis centuriis pares numero ſuffragatores habuerint, vel quia ita alias alii centurias tulerant, vt pares numero centuriarum reperti ſint, poſt vocatas omnes omniũ claſſium centurias. His enim duobus modis poterant centurias non explere candidati, hoc eſt, non conficere eum numerum centuriarum, quo vnus tandem plures tuliſſe iudicaretur, quam alius.* Hactenus Grucchius, qui & *lib.* 2. de electione tribunorum plebis agens ait : *Porro autem tribus non explere eodem modo interpretandum eſt, quo ſupra interpretati ſumus, centurias non explere*, ſicque exponit Liuii verba *lib.* 3. vbi ſcribit : *M. Duellius comitia habuit, & quinque tribunis pleb. creatis, quum præ ſtudiis aperte petentium nouem tribunorum alii candidati tribus non explerent, concilium dimiſit, nec deinde comitiorum cauſa habuit.* Verum etſi tanti viri ſententiæ, cuius lucubrationibus me multum debere confiteor, refragari nolim, tamen Liuii vtrobique verba interpretari aliter poſſe, affirmare nõ erubeſco. Non enim rationi ac æquitati conſonum videtur, candidatos conſulares ſeu tribunicios, qui paria ſuffragia in vnaquaque claſſe obtinuiſſent, vel pares centurias ſuffragantes, repulſam ob id pati potuiſſe, quinimo vel iterum centuriæ aut tribus ad ferenda ſuffragia reuocandæ erant, quod de tribunis pleb. conſtat lege Trebonia, quam tradidit L. Trebonius trib. pleb. Herminio & Virginio Coſſ. anno ab V. C. 305. ſcillicet, vt qui plebem Romanam tribunus pleb. rogaret, is eo vſque rogaret, dum 10. Trib. pleb. faceret, quod Liuius tradit *lib.* 3. *&* 5. Ex hac lege itaque manifeſtum fit, quod ſi accidiſſet tribunos pleb. ad exactum numerum

ſtatutum

ſtatutum minime factos, reuocandas fuiſſe populi tribus ad ſuffragia ferenda, quo vſque 10. trib. pleb. creati eſſent. In Ædilium comitiis, ſi candidati ſuffragiis pares fuiſſent, ſorte decernebatur, quis magiſtratum obtineret. Cic. in orat. pro Plancio: *Neque enim vnquam maiores noſtri ſortitionem conſtituiſſent ædilitiam, niſi viderentur accidere poſſe, vt competitores pares ſuffragiis eſſent.* Qua de re æquius proculdubio videtur, quod ſi conſulatus candidati pares ſuffragiis & ipſi fuiſſent, ſorte cui conſulatus obueniret, decerneretur, quam eos à ſpe obtinendi conſulatum deiicerent, nulla præſertim alia de cauſa, quam quod eis paria ſuffragia contigiſſent. Ad hæc, ſi non diſſonum, mirum ſaltem exiſtimandum, quod in conſularibus comitiis tribus Fuluii competitoribus paria æque centuriarum ſuffragia contigiſſent. Alia itaque dictis hiſce Liuii interpretatio excogitanda, quam eſſe exiſtimamus alteram ex mox dicendis. Candidati (vt ego puto) centurias non explere dicebantur, quum vltra dimidiam partem centuriarum omnium ſibi ſuffragantem non haberent, tunc enim illorum in electione nulla habebatur ratio, & *deiecti* dicebantur. Liuius *lib.* 38. tradit, à Fuluio conſule M. Æmilium Lepidum conſulatum petentem ſui inimicum deieciſſe, eo quoque anno, ſicuti & anteacto anno fecerat. Exemplum ſit in tribus 35. quum non ſemper illarum idem fuerit numerus, ni candidati in tributis comitiis tribus ſaltem octodecim ſibi fauentes habuiſſent, repulſam paſſi dicebantur, nec amplius eorum eiſdem in comitiis vlla habebatur ratio; at qui vltra dimidium tribus ſibi ſuffragantes habuiſſet, ſeu centurias in centuriatis comitiis, (nam in vtriſque par eſt ratio) ex illis, qui competitores ſuffragantium numero ſuperaſſet, obtinebat, & magiſtratum petitum conſequebatur. Quod ſi hæc explicatio alicui non arriſerit, ſequentem accipiat. In comitiis, tribus ſeu centuria quæ ſorte prærogatiua erat, prima ſuffragium ferebat; hæc autem in comitiis tanti momenti habita eſt, vt fere ſemper cæteris præſcriberet, quod ſequerentur. Sic Cic. *lib. de Diuinat.* 1. *& in orat. pro Murena* ſcriptum reliquit: Maiores voluiſſe prærogatiuam eſſe omen iuſtorum comitiorum.

tiorum, tantamque comitiis centuriatis religionem fuiſſe, vt fere ſemper valuerit omen prærogatiuum. Ita & Liuius *lib.24.* tradit: *Interim prærogatiua ſuffragium init, creatique in ea conſules Q. Fabius Maximus quartum, M. Marcellus tertium, eoſdem conſules ceteræ centuriæ ſine variatione vlla dixere.* & *lib.36.* de Veturia prærogatiua: *Ita de tribus conſultatione data, ſenioribus dimiſſis, iuniores ſuffragium ineunt, M. Claudium Marcellum fulgentem tum Sicilia domita, & M. Valerium abſentem conſules dixerunt; auctoritatem prærogatiuæ omnes centuriæ ſequutæ ſunt.* His ita ſe habentibus interpretor illud, quum cæteri centurias non expleſſent, hoc pacto ſcilicet, M. Æmilium Lepidum, Cn. Manlium Vulſo, & M. Valerium Meſſalam videntes Fuluium nobiliorem à prærogatiua centuria conſulem dictum, ſpe potiundi conſulatum deiectos, noluiſſe à cæteris centuriis ſuorum nominum rationem haberi in ſuffragando, ſatius exiſtimantes; ſponte à petitione deſiſtere, quam manifeſtam pati repulſam, quam iure ſuſpicabantur futuram, ob prærogatiuæ aduerſum omen. Sicque dicebantur centurias non expleſſe, eo quod non à cæteris centuriis (ipſis ita volentibus) eorum petitionis per ſuffragia vlla habita ſit ratio. Quod autem in conſulibus creandis; habitis comitiis, facultas eſſet illis, quorum habebatur ratio in ſuffragando, non ſolum abnuendi conſulatum, ſed & obtinendi, ne à cæteris centuriis, quum prærogatiua aliquem conſulem declaraſſet, ſui haberetur ratio, conſtat ex ipſomet Liuio *lib.36.* exemplo T. Manlii Torquati, quem quum Veturia iuniorum, quæ prærogatiua erat, cõſulem dixiſſet, nec dubium eſſet, quin & conſentirent cæteræ centuriæ in ſuffragiis ferendis, oculorum valetudinem excuſans Veturiam iuniorum in ſuffragium redire iuſſit, vt alium conſulem, ſe prætermiſſo, declararet, quum tamen eadem frequens ſucclamaſſet, nihil ſe mutare ſententiæ, eundemque conſulem dictum; tum Torquatus: *Neque veſtros mores*, inquit, *conſul ferre potero, neque vos imperium meum, redite in ſuffragium, & cogitate bellum Punicum in Italia, & hoſtium ducem Annibalem eſſe*; tum Veturia auctoritate mota viri, & admiratum circa fremitu, petiit à Conſule, vt Veturiam ſeniorum citaret, velle

E ſe cum

ſe cum maioribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum conſules dicere. Conſultatione facta alios conſules crearunt. Ex his itaque patet, comitiorum ſuffragium ab aliquo ſuffragatorum interrumpi potuiſſe, ſicque qui ex candidatis per omnium centuriarum ſuffragium pertranſire noluiſſent, ab incæpta petitione deſiſtentes, centurias non expleuiſſe dicebantur. Huic interpretationi Liuii dicta eodem in loco fauere videntur, dum ait, Fuluium Conſulem creatum, poſtero die Cn. Manlium, Lepido deiecto, (nam Meſſala tacuit) collegam dixiſſe; quæſo quid aliud eſt *Meſſalam tacuiſſe* dicere, quam eundem noluiſſe à Fuluio Conſule in ſibi collega declarando ſui rationem haberi? Sic & M. Acilius Glabrio competitoribus in cenſura T. Quinctio Flaminio, P. Cornelio Cn. filio, Scipione, L. Valerio Flacco, M. Porcio Catone, M. Claudio Marcello, inclinante in eo populi fauore, quod ægre patiebantur tot nobiles competitores nouum hominem ſibi præferri, Trib. Pleb. ei diem dixerunt; Glabrio inuidiam declinans deſiſtere ſe à petitione dixit. Eodem modo interpretanda Liuii citata verba *lib. 3.* quum ait; *Quinque trib. pleb. creatis, quum præſtudiis aperte petentium nouem tribunorum, alii candidati tribus non explerent*, hoc eſt, nollent nomina ſua per ſuffragia omnium tribuum tranſire, timentes concurrentium in petitione nimis ambitioſa ac potentia ſtudia, ideoque mallent à petitione deſiſtere, quam repulſæ dubiam aleam ſubire. Hæc habui quæ ex mea Minerua, in re perdifficili proferrem, cuius difficultatem teſtatus Glareanus in Liuianis Annot. inquit: *Quid ſit tribus explere, etiam atque etiam ſecum conſideret lector.*

## T. LIVIVS LIB. XXXVIII.

*Cenſores Romæ T. Quinctius Flaminius, & M. Claudius Marcellus Senatum perlegerunt, Princeps in Senatu tertium lectus P. Scipio Africanus, quatuor ſoli præteriti ſunt.*

PRæteritum aliquem non ſemel apud Ciceronem obſeruamus dici, pro repulſam paſſum in petitione magiſtratus;

ſtratus; vti in Orat. pro Plancio: *Quos omnes ſcimus ædilitate præteritos, conſules eſſe factos.* Et rurſus: *Populus ſolet nonnunquam dignos præterire*; & in Tuſcul. *Quum bonus ſuffragiis præteritur, & à vano populo repulſam fert.* Si itaque Liuii verba illa; *Senatum cenſores perlegerunt*, hoc eſt, *elegerunt ſenatores*, interpretemur, ſenſus erit, quatuor tantum præteritos, id eſt, repulſam paſſos. *perlego* enim illud aliquando ſignificat, quod lego; ſcilicet eligo tanquam bonum & præſtantem. Sic Horat. in Car. ſecul. *Virgines lectas* dixit. Et Virg 9. Æneid.

—*Lectiſſima matrum*

*Corpora*;

Cic. in 3. Verr. *lectiſſimos viros*, & in 5. *lectiſſimum adoleſcentem*, Et *lectiſſimam fœminam* ad Att. & libro de Inuentione, *vxorem lectiſſimam*, & *fœminam lectiorem.* Alia quoque poteſt afferri interpretatio, quam nobis Feſtus præbet, per hæc verba: *Præteriri ſenatores quondam in opprobrio non erat, quod vt reges ſibi legebant, ſublegebantque, quos in conſilio publico haberent, ita poſt exactos eos, Conſules quoque, & tribuni militum conſulari poteſtate coniunctiſſimos quoſque patritiorum ſibi, & deinde plebeorum legebant, donec poteſtas tribunicia interuenit, qua ſancitum eſt, vt Cenſores ex omni ordine, optimum quemque curiatim in Senatum legerent; quo factum eſt, vt qui præteriti eſſent, & loco moti, haberentur ignominioſi.* Itaque ex Feſto præteritos interpretari poſſumus Senatu motos. Cui expoſitioni etiam maior lux afferenda. Statuamus itaque Cenſores, ſeu dictatorem, ad quos ſpectabat munus legendi Senatum, conſueuiſſe ſchedulam ſeu ſyngrapham habere, in qua ſenatorum omnium nomina deſcripta recitarentur, ſi quando in legendo alicuius mentio fieret, qui antea in ſenatu non fuiſſet, in ſenatorum nouum eum electum intelligebatur, ſi qui vero ex iis, qui in præcedenti ſchedula ſenatoria deſcripti fuerant, ſilentio præterirentur, eos ſenatu motos dignoſcebatur, ideoque præteriti dicebantur, quod ex ipſomet Liuio elicere licet, ita *libro vigeſimotertio*, ſcribente: *Neque enim poſt L. AEmilium, & C. Flaminium cenſores, ſenatus lectus fuerat, quum tantum ſenatorum aduerſa pugna, ad hoc ſui quemque caſus per quinquennium*

 *abſumpſiſ-*

*abſumpſiſſent.* Et paulo poſt, de Fabio Buteone dictatore ad ſenatum legendum dicto à C. Terentio Conſule, de ſeipſo verba facienti, ſubdit: *Nam neque ſenatu motorum quenquam ex iis, quos C. Flaminius. & L. AEmilius Cenſores in ſenatum legiſſent, tranſcribi tantum, recitarique eos iuſſurum, ne penes vnum hominem iudicium, arbitriumque de fama, ac moribus ſenatoris fuerit, & ita in demortuorum locum ſublecturum, vt ordo ordini, non homo homini prelatus videretur. Recitato vetere ſenatu, inde primum in demortuorum locum legit, qui poſt L. AEmilium & C. Flaminium cenſores curulem magiſtratum cœpiſſent, nec dum in ſenatu lecti eſſent, vt quiſque eorum primus creatus erat; tum legit qui AEdiles, trib. pleb. quaſtoreſve fuerant, tum ex iis qui magiſtratum non cœpiſſent, qui ſpolia ex Romano hoſte fixa domi haberet, aut ciuicam coronam accepiſſet; ita 177. cum ingenti approbatione omnium in ſenatum lectis, extemplo ſe magiſtratu abdicauit. Itaque ſi de priori ſenatus deſcriptione nihil immutatum eſſet, & noua ſchedula tum præcedenti conueniret, nullum ſenatorem nouum factum, nec aliquem ſenatu motum, qui viveret, manifeſtum erat; ſi qui vero dempti aut additi in legendo deprehenderentur, alius ſenatus dicebatur.* Ita Liuius *lib.* 37. de ſenatus lectione M. Cornelio Cethego, & D. Sempronio Tuditano cenſoribus ait: *Inde alius lectus ſenatus, octo præteritis, inter quos L. Cæcilius Metellus erat infamis auctor deſerendæ Italiæ poſt Cannenſem cladem.* Qui itaque ſenatorum vetere nota aliqua notabatur, quique in recitando ſenatu, quod quinto quoque anno fieri ſolebat, præteritus eſſet, hic ſenatu motus dicebatur, & è ſenatorum albo diſpunctus, & obliteratus, quod comprobare poſſumus ex pluribus in Liuiana hiſtoria exemplis; vti ex prædicta Cethegi & Tuditani cenſura, in qua octo in ſenatus lectione præteriti; Salinatoris, ac Neronis in qua ſeptem; Flaminii, & Marcelli, in qua quatuor, & M. Catonis, in qua ſeptem præteritos legimus, quod & aliquando priuato odio factum nulla ſaltem legitima præcedente cauſa colligimus ex Liuio *lib* 4. ſcribente: *Retinuit quoſdam Lepidus à collega præteritos*, vnde nonnunquam acres inimicitiæ exortæ, tradente eodem *in Epit libro quinquageſimonono.* C. Attinium Labeonem trib. pleb. Q. Me-

Q. Met-llum cenſorem, à quo in ſenatu legendo præteritus erat, de ſaxo deiici iuſſiſſe.

## T. LIVIVS LIB. XXXVIII.

*Subſtructionem ſuper AEquimelium in Capitolio, & viam ſilice ſternendam à porta Capena ad Martis locauerunt.*

GLareanus in Annot. vix hunc locum intelligi poſſe tradit; quum tamen, vt mea fert ſententia, ex eiuſdemmet Liuii verbis facile explicari poſſit. Superius *lib.* 4 ſcripſit, Melium frumentarium diuitem equeſtris ordinis in annonæ caritate frumentum plebi elargitum, regnum affectaſſe, ob idque ab dictatore Quinctio Cicinnato, Q. Minucio deferente, in ius vocatum, reluctantem ab Ahala Seruilio obtruncatum, eiuſque bona publicata, atque eiuſdem domum dirutam, vt monumento area eſſet oppreſſæ nefariæ ſpei, quam *AEquimelium* vocatam ſcribit, idque anno ab vrbe condita 317. contigiſſe teſtatur, M. Geganio Macinno tertium, & L. Sergio Coſſ. In eodem vero ſtatu aream Æquimelii permanſiſſe ex præſenti loco colligimus, vſque ad annum 561. M Fuluio Nobiliore, & C. Manlio Vulſo Coſſ. ſicque per annos 244. quo tempore cenſores T. Quinctius Flaminius, & M. Claudius Marcellus deformitatem eam in Capitolio auerſantes, eo in loco denuo ædificandum decreuere: nil enim aliud ea verba, *ſubſtructionem ſuper AEquimelium locaſſe* ſignificant, quam ædificium à fundamentis extruendum in area *AEquimelio* dicta locauiſſe. Sic Cic. in Orat. pro Milone dixit: *Quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones facile mille homines verſarentur.* Et iterum: *Areæ, quas ille caſis lucis ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat.* Columel. lib. 2. c. 2. *Quibuſdam ſubſtructionibus partes agri ſunt occupandæ.* & lib. 1. *Quum ex depreſſiore loco fuerint orſa fundamenta, non ſolum ſuperficiem ſuam ſuſtinebunt facile, ſed & pro fultura, & ſubſtructione fungentur aduerſus ea, quæ mox ſi forte villam prolatare libuerit, ad ſuperiorem partem applicabuntur.* Cæſar lib. 2. Belli Ciuil. *Altero Theatro; quod eſt ante oppidum, ſubſtructionibus eius operis maximis aditus ad caſtra difficili, & anguſto.* De ſub-

ſtructione plura apud Vitruuium *lib.* 1. videre poterit curioſus lector.

## T. LIVIVS LIB. XXXVIII.

*Centum funditores ab AEgio, & Patris, & Dymis, acciti; à pueris ij more quodam gentis, ſaxis globoſis, quibus ferme arena immiſtis ſtrata littora ſunt, funda mare apertum inceſſentes exercebantur. Itaque longius certiuſque validiore ictu, quam Balearis funditor, eo telo vſi ſunt; & eſt non ſimplicis habena, vt Balearica, aliarumque gentium funda; ſed triplex ſcutale, crebris ſuturis duratum, ne fluxa habena volutetur in iactu glans, ſed librata, quum ſederit, velut neruo miſſa excutiatur. Coronas modici circuli magno ex interuallo loci aſſueti traiicere, non capita hoſtium ſolum vulnerabant, ſed quem locum deſtinaſſent oris.*

GLareanus *in Annot.* inquit ad hunc locum: *Tolerabilius eſſet, ſi triplex ſcytale legeretur.* Sed quid ſibi vellet, id ſcribens ignoro. *Scytale* animal venenatum eſſe tradidit Col. *lib.* 6. *c.* 17. & Plinius *lib.* 32. *c.* 5. & Gell. *lib.* 17. *c.* 9. breuem epiſtolam & Laconicam dixit; vtrumque enim σκυτάλη ſignificat apud Græcos; quod ſi ſcytale eſt à voce σκύταλον quod eſt ſcutica, ſeu virga, quid hæc quæſo commune habeant cum funda non video? qua de re ſcutale legendum non ambigo, & pro ſcutale intelligendum eſſe partem fundæ mediam, cui globus traiiciendus imponitur, ita appellatam, quod ſcuti formam præ ſe ferat, quod in noſtratibus fundis videre eſt, & oculata fide percipere. Sicuti itaque Baleares funditores funda vtebantur ex ſimplici habena conſtante, ſic memorati à Liuio fundas habebant, quarum ſcutale, hoc eſt, media pars ex triplici loco coriaceo, ſeu ex triplici tela funiculove conſtabat ad ſcuti formam, id eſt, orbicularem & in longum protenſam, crebriſque ſuturis duratam, ne fluxa habena volutaretur, & cum ea in iactu glans, ſed librata quum ſederit in ſcutale inquam, velut neruo miſſa excutiatur; Legendum itaque *ſcutale*, quod pariter docet Cœl. Rhodig. *lib.* 14. *c.* 7. Hunc locum quoque aduocat Priſcianus in calce ſexti libri. Turneb. *Aduerſ. lib.* 14. *c.* 7. minus clare, ne dicam apte, hæc Liuii verba interpretatus eſt,

eſt, dum ait: *Scutale hic exiſtimo corium eſſe, cuius lotis habena conſutis facta erat, ſic appellata, quod ex eo genere corii ſcuta conficerentur.* Quæ eſſent coronæ modici circuli funda magno interuallo traiici ſolita, ſe neſcire fatetur Glareanus, ſubdens, *niſi exprimere voluerit Liuius iacientis geſtum*, quo nihil inſulſius excogitari poteſt. Ego non dubito, Liuium deſcribere genus glandis ſeu globi iaculive à iam dictis funditoribus traiici ſolitum, vocat autem *coronas*, quod coronæ inſtar orbiculares eſſent, à ſimilitudine ſcilicet coronæ, & ſuperficie ſuperna & inferna plana. Addit vero, *modici circuli*, quia non ingentes, quales coronæ, ſed modicæ magnitudinis eſſent. Sic circulus circa Lunam ἅλως Græcis, Latinis corona appellatur ab Aſtrologis, & philoſophis. Præfert autem Liuius funditores ab Ægio, Patris, & Dymis accitos Balearibus, quos tamen excellentiſſimos funditores fuiſſe ipſemet teſtatur *lib.* 21. & Plinius *lib.3, c.vlt.* Baleares funda bellicoſos dixit, quod pariter confirmat Cæſar *ſecundo belli Gallici*, & Virg. *lib.*1. *Georg.* ſcribit:

*Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ.*

## T. LIVIVS LIB. XXXVIII.

*Vrbem ne quam Formulæ ſui iuris facerent, quæ poſt id tempus, quo T. Quinctius traieciſſet in Græciam, aut vi capta à Romanis eſſet, aut voluntate in amicitiam veniſſet.*

FOrmulam aliquando diminutiuum formæ eſſe conſtat ex Plauto in Perſa ſcribente:

*Tempori hanc vigilare oportet formulam & ætatulam.*

Sed hæc ſignificatio nihil ad rem præſentem. Vt plurimum formula apud Latinos ſcriptores & Iuriſconſultos præſertim, accipitur pro præſcripta verborum norma, vel nota, præſertim circa actiones, à qua recedere antiquitus non licebat; ſicuti autem plures erant actiones, ita & totidem formulæ, quas videre licet apud Carolum Sigonium *libro de antiquo iure Rom.* & has omnes complexus eſt particulari libello, ſeu tractatu, F.N. & de aliis Tacitus *lib. de Orat.* & Cic. *lib. de Finib. in Ver. de claris Orat. in orat. pro Mur. de legibus, in orat. pro ſuo reditu, pro Quinto Roſcio*, & alibi pluries. At proprie



Digitized by Google

formula accipitur pro actione ipſa, apud Paulum de Fort. l. *ſi ſeruus nauem exerceat, non voluntate domini, de eo, quod ibi periit vulgaris formula, in dominum danda eſt*, hoc eſt, actio in factum. Hinc *formulam intendere* pro dictare actionem ſeu inſtituere iudicium, ex Suetonio *in Vitellio, c.7.* Et *formula excidere*, pro cadere cauſa. Suetonius in Claudio, c.14. *Nec ſemper præſcripta legum ſequutus, duritiem, lenitatemque multarum ex bono & æquo moderatus eſt; nam & iis qui apud priuatos iudices formula excidiſſent, reſtituit actiones.* Quod autem *formula excidere* dicit Suetonius, idem eſt cum eo quod vocat Iuſtinianus lib. 4. Inſtitut. titu. 6. *cauſa cadere, & rem amittere.* Præſcriptas formulas ſolemnes antiquas exaratas, circa vnamquamque actionem, ſuſtulere Impp. Conſtantinus, Theodoſius, & Valentinianus, ſed non formulas ipſas, hoc eſt, actiones ſpeciales, quæ libellis continentur, vt probat Iaſon *in l. 1. D. de edend.* His ſic ſe habentibus, erit ſenſus verborum Liuii, inter cæteras conditiones pacis initæ à Romanis cum Ætolis, hanc fuiſſe, ne ipſi aliquam vrbem, ex iis, quæ poſt id tempus, quo T. Quinctius traieciſſet in Græciam, aut vi capta à Rom. eſſet, aut voluntarie in eorum amicitiam veniſſet, formulas ſui iuris facerent, id eſt, in eam vel eas actionem, quaſi ſui iuris eſſent, intentarent, ſed liberæ remanerent, actio enim nil aliud eſt (vti definiuit Iuſtinianus) quam, ius proſequendi in iudicio, quod ſibi debetur. Eodem modo interpretanda & Liuii verba *lib. 29. ſubſequenti*, quum ait: *Einſdem formulæ diſceptatio de Perrabeorum Magnetumque oppidis fuit, omnium enim iura poßidendo per occaſiones Ætoli miſcuerant*, hoc eſt, eiuſdem actionis iudicium Perræbeorum & Magnetum oppida ſibi ab Ætolis ablata reddi petentes. Et paulo poſt ſubdit Liuius: *Et Paracheloida, quæ Athamariorum eſſet, nullo iure Theſſalorum formulæ factam*, hoc eſt, nullam iuris actionem Theſſalos habere in Paracheloida; quæ Athamariorum eſſet. Et rurſus inquit: *De iniuriis, quas vltra citroque illatas querantur, quomodo inter eas gentes & Macedonas diſceptetur. formulam iuris exequendi conſtituendam*, id eſt, conſtituendum, iniuriarum actiones ex iuris forma exequendas eſſe, alterutrum, inter Macedonas,

& gen-

& gentes illas. Formulæ iniuriarum meminit Suet.*in Vitellio,cap.*7.in hæc verba: *Quum libertino cuidam acerbius debitum repoſcenti, iniuriarum formulam quaſi ab eo calce percuſſus intendiſſet.* Liuius quoque *lib.*43. tradit: *Lampſacenos in ſociorum formulam referre, Q. Mamius prætor iuſſus*, hoc eſt, actionem illis ſociorum datam, vt ſcilicet, quod petierant, ſi pax cum Perſeo fieret, à Rom. exciperentur, nec amplius in regia poteſtate eſſent. Et *lib.*44. de Onoſimo Macedone inquit: *Senatus eum in ſociorum formulam recipi iuſſit*, id eſt, illi eam actionem iuris concedi,quam Rom.ſocii habebant. Et *lib.* 45. vbi de Paulo Æmilio ait: *Diuiſa itaque Macedonia partium vſibus ſeparatis,quanta vniuerſos teneat Macedonas formula dicta, quum leges quoque ſe daturum oſtendiſſet*, hoc eſt, quam iuris actionem Romani haberent in Macedonas, & quæ iuris actio competeret Macedonibus,ſtatutum. Et *lib.*40.ſcribit: *Vis hanc formulam cognitionis eſſe*, id eſt, actionem in iudicio. Nam,vt dixi,in vnaquaque actione erat verborum formula ſtatuta, qua vtebantur in actione intentanda. Vnde tot tantæque actionum formulæ, quas videre poterit Lector apud prællegatos ſcriptores. Hæc omnia interim annotauimus, quum Turnebus *lib.*14.*c.*11.*Aduerſ.* hæc Liuii verba conciſe,ne dicam ſubobſcure, explicauerit.

## T. LIVIVS LIB. XXXVIII.

*Illius excetra delinimentis & venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici,nec Deorum verecundiam habere.*

NOn *excetra*, ſed *echidna* legendum, putarunt quidam, quodnam ſerpentis genus excetra ſit, ſe ignorare affirmantes, ἔχιδναν vero viperam fœminam eſſe, cuius mas ἔχις dicatur. Quibus non obſtantibus,*excetra* lectionem retineo,nam excetra Hydra Lernæa eſt appellata, ſcribente Plauto in Perſ.

*Nam cum Leone & cum Excetra, cum Ceruo & cum Apro AEtolico,cum Auibus Stimphalicis,cum Antæo deluctari malim, quam cum Amore.*

Quæ ad Herculeos labores alludens dixit Plautus. Vene-

natum anguem certe Excetram fuiſſe dictam, ex D. Hieronymo colligere poſſumus, qui Hiberam *excetram* obtrectatorem virulentum vocauit, quomodo & Duronia P. Æbutii mater Hiſpalam filii amaſiam excetram hoc in loco appellauit.

## T. LIVIVS LIB. XXXIX.

*Luxuria enim peregrina origo ab exercitu Aſiatico inuecta in Vrbem eſt. Ii primum lectos aratos, veſtem ſtragulam pretioſam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ ſupellectiles habebantur, monopodia & abacos Romam aduexerunt.*

LAurentius Valla *lib. Eleg. 6. cap. 46.* Vlpianum corripit *in l. inſtratum, D. de verb. ſignificat. & in l. lex Cornelia, §. inter pulſationem, D. de iniur.* affirmantem authoritate Labeonis omne veſtimentum eſſe, quod iniicitur, & ita ſtragulum veſtem eſſe, quæ iniiciatur. Quod pariter confirmat *in l. quæſitum eſt, §. ſed ſi fundus, D. de fundo inſtr.* Aduertas, ait Valla, veſtimentum non eſſe inſtratum, neque ſtragulam veſtem pro hominis veſtimento, ſed pro lecti operimento tantum apud authores inueniri. Vlpianum & Labeonem, Alex. ab Alexandro, *Genial. lib. 3. cap. 19.* tutatus eſt: & primum authoritate Tranquilli in Nerone, cap. 50. *Funeratus eſt*, inquit, *Nero impenſa ducentum millium ſtragulis albis auro intextis, quibus vſus Kalendis Ianuariis fuerat.* Addit authoritatem Pompeii Feſti ſcribentis: *Veſtis generaliter dicitur, vt ſtragula, vt pallium, tunica, vel penula.* Paulus quoque Iuriſconſultus *in l. quum & tunicam, D. de aur. & arg. leg.* & ipſe tradit, ex pellibus veſtes confici, quum & tunicam & ſtragulam pelliceam nonnulli habeant. Poſtremo adducit & hunc Liuii locum pro ſua corroboranda opinione. Addimus & nos Ciceronis authoritatem *in 3. Verr.* ſcribentis: *Per triennium quæ illa plena domo telarum ſtragulam veſtem conficit, nihil niſi conchylio tinctum:* & iterum 4. Verr. *Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam veſtem Melitenſem, plurimam ſtragulam, multam Deliacam ſupellectilem. &c.* D. Hieronymus ſtragulam muliebrem veſtem appellat Prouerb. capite 31.

Digitized by Google

pite 31. *Stragulam veſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indumentum eius.* Non deſunt, his non obſtantibus, qui ſtragulam ſeu ſtragulum opertorium lecti, à ſtrato aut ſternendo dici putent, ex Plinio *lib.13.cap* 12. vbi de Papyro agens, ait: *Et è libro vela, tegeteſq́ue, necnon & veſtem & ſtragulum, ac funes.* Martialis Epigram. vlt.

*Stragula purpureis lucent villoſa tapetis.*

Et paulo poſt:

*—— Nudo ſtragula ne toro paterent.*

Tibul. 1. Eleg. 2.

*Nam neque tunc pluma, nec ſtragula picta ſoporem.*

Et Martialis lib. 2.

*Zoilus ægrotat, faciunt hanc ſtragula febrem.*

Qui à ſtrato ſtragulam deducunt, citant Virgilium 4. *Æneid.* de Didone ſcribentem:

*—— Stratiſq́ue relictis*
*Incubat.*

Et Papinianum *Syl.* 1. de Venere:

*Feſſa iacet ſtratis.*

Et ſecundo eiuſdem:

*Quis matutinos abrumpit murmure ſomnos,*
*Impoſitus ſtratis.*

Varro ſtragulam à ſternendo dictam ait, in hæc verba: *Quicquid inſternebant, à ſternendo ſtragulam appellabant.* Budęus *in poſt. Annotat.* hoc in loco veſtem ſtragulam interpretatur *tapetes*, quos Græci & ipſi τάπηλα vocant, tegmen, inquam, ſeu ſtratum mire pictum variis coloribus, quo equi, menſæ & pauimenta ſternuntur, vulgo quoque tapeti dicti; ſicuti & Latinis. Virg. lib. 10. Æneid.

*—— Qui forte tapetibus altis*
*Extructus, totum perflabat pectore ſomnum.*

Et lib. 7.

*Inſtratos oſtro alipedes pictiſq́ue tapetis.*

Et Statius lib. 1. Theba.

*Alioſq́ue inferre tapetes.*

Plautus in Pſeud.

*Neque Alexandrina belluata, conſutaq́ue tapetia.*

Ego

Ego ſane in hac opinionum varietate exiſtimo, ſtraguli nomine abſolute prolato, venire non modo ſtragula lectorum, ſed et tapetia, aliaque huiuſmodi telarum ſeu pannorum genera, animalium herbarumque variis figuris & coloribus contexta, ob id *belluata* dicta à Plauto, & *picta* à Tibullo. Si vero cum additione *veſtis* ſtragulam protulerimus, dubio procul intelligendum indumentum ſeu veſtimentum, eiuſdem tamen generis, vnde Aſconius *in 3. Verr. Act.* ſcriptum reliquit; ſtragulam veſtem eſſe pictam, & aurum quoque & aliquando intextum habentem exiſtimandum, quum addat Liuius verbum illud, *pretioſam*. Noſtram ſententiam confirmare poſſumus ex ſacris paginis. Nam 4. *Regum, cap.* 8. ſtragulum abſolute prolatum, operimentum lecti ſignificat: loco vero Prouerb. ſupra citato, cum additione, *veſtem ſtragulatam*, indumentum exprimit, quod & loco iſto fecit Liuius. At non minor occurrit difficultas in explicatione alterius vocis *Plagulæ*. Nonius: *Plaga*, inquit, *grande tegumen linteum, quam lecticariam ſyndonem dicimus.* Varro de vita populi Rom. *Chlamydes, plagæ, vela, vaſa aurea*: & rurſus: *Eburneis lectis & plagis ſigillat.* Suetonius in Tito, *cap.* 10. ſcribit: *Lectica dimotis plagulis.* Ex quibus colligere poſſumus plagas, ſeu diminutiuum plagulas, textilia fuiſſe, quibus lecti vel lecticæ circumtegebantur, quam interpretationem recipit & Turnebus, *lib. Aduerſ.* 1. *cap.* 25. Budæus loco dicto, Plagam, ſtragulum & tapetia confundit. Vlpian. *L.* 23. *de aur. & arg. leg.* plagulam inter muliebres veſtes recenſet, ſed quam bene & eleganter, diiudicet lector, mihi quidem audiendus non videtur.

## T. LIVIVS LIB. XXXIX.

*Tunc pſaltriæ ſambucistriæq. & conuiualia ludionum oblectamenta addita epulis.*

Ψάλτρια Græcis, ſicuti & Latinis, fidicina dicitur, hoc eſt, quæ inſtrumento muſico ex fidibus conſtante, pulſat ſeu cantat. Hanc vocem à verbo pſallo, ψάλλω etiam Græcis, quod eſt, canto ore vel inſtrumento muſico, deductam quidam exiſtimant. Alii vero à pſalterio, muſico inſtrumen-

ſtrumento,ita vt pſaltriæ eſſent,quæ pſalterio canerent, vel
pulſarent; cuius inſtrumenti muſici ſæpe in ſacris paginis
fit mentio. Fuit autem pſalterium muſicum inſtrumen-
tum,vt D.Hieronymus tradit, in modum quadrati clypei,
cum decem chordis; ita ſcriptum eſt in Pſalmo 32. *In pſal-
terio decem chordarum pſallite illi.* Et Pſalmo 91. *In pſalterio deca-
chordo cum cantico in cythara.* Idem doctor in expoſitione
Pſalmorum ait: *Pſalterium proprie eſt genus organi muſici, me-
lius ſonans,quam cythara, ſimilitudinem habet cythara, ſed non eſt
cythara. Inter pſalterium & cytharam hoc intereſt, quod cythara
deorſum percutitur,pſalterium vero ſurſum.* Et alio in loco: *Cy-
thara deorſum habet cauamen & ſex chordas habet, pſalterium de-
orſum habet cauamen.* D.Auguſt. ſcribit: *Pſalterium eſt orga-
num,quod quidem manibus portatur percutientis, & chordas di-
ſtinctas habet,ſed illum locum, vnde ſonum accipiunt chordæ, illud
concauum lignum,quod pendet, & tactum reſonat, quia accipit ae-
rem,pſalterium in ſuperiore parte habet, cythara vero hoc genus li-
gni cauum, & reſonans in inferiore parte habet.* Pſalterium D.
Ambroſius in conuiuiis inferi ſolitum ad libidines exci-
tandas, teſtatum reliquit, quod & Plutarchus *in Symp.lib.3.*
confirmat. Illud profecto minime admiratione caret, quod
Paulus *lib.5.ſententiarum,tit.*4. tradit, pſalterium ſcilicet eſ-
ſe canticum in alterius infamiam compoſitum, quod obi-
ter ſit dictum. Itaque pſaltrites ego interpretor,quæ pſalle-
rent & canerent. Cic.in Catil. *Poetæ lepidi & delicati cantare
& pſallere didicerunt.* Gellius lib.19.cap.9. *Quos habere tum ado-
leſcentes ſciebat ſcitiſſimos vtriuſque ſexus, qui canerent voce, & qui
pſallerent.* Nam vt docet Nonius, Melos bipartitum erat,
cum aſſa voce,& organico. Aſſa voce ſine inſtrumento ali-
quo muſico voce tantum canere dicebantur: organico ve-
ro,quum & inſtrumento muſico aliquo canebant. Sic in-
terpretanda puto Terentii verba illa in Adelph.

*Iſthæc enim penes vos pſaltria eſt?*

Et Cic. in Orat.pro Seſt. *Qui in cœtum mulierum pro pſaltria
adducitur.* Et in Tuſcul. *Pſaltriam adducamus.* Sic *pſallocythari-
ſtæ*, apud Sueton. *in Domit. cap.*4. hoc eſt, quæ canebant, ſi-
mulque cytharam pulſabant. *Sambuciſtrias* exiſtimo fuiſſe,
quæ

quæ ſambucam ſeu ſambycem, vt alii dicunt, muſicum inſtrumentum pulſarent. Erat autem ſambuca, quam Galli, Hiſpani & Itali eadem voce *arpam* appellant; quod inter recentiores docuit Turnebus *Aduerſ.lib.*20.*cap.*2. id tamen nulla ratione nec auctoritate comprobans. Athenæus *Lyrophœnicam* nominat, ac fuiſſe Ibici poetæ Rhegini inuentum tradit. Nos vere arpam ſambucam fuiſſe non dubitamus, ex Porphyrii dictis, in Ptolemæi Harmoniaca, vbi ſcribit: *Sambuca triangulum inſtrumentum eſt, quod ex inæqualibus longitudine, ſicut & craſſitudine, neruis efficitur.* Apud Plautum *in Sticho*, vbi legitur:

*Fidicinas, tibicines, ſambucas aduexit ſecum forma eximia.*

Non *ſambucas*, ſed *ſambucinas* legendum, contendunt nonnulli; ego potius, ſi quid immutandum eſſet, reponerem *ſambuciſtrias*, authoritate Liuii hoc in loco; quamuis non ignorem, & apud Polybium mulierem ſambuca pulſantem, *Sambucam* appellatam.

## T. LIVIVS LIB. XXXIX.

*Eodem anno Galli Tranſalpini tranſgreſſi in Venetiam, ſine populatione aut bello, haud procul inde, vbi nunc Aquileia eſt, locum oppido condendo cœperunt.*

ADmonet Glareanus, non defuiſſe, qui mendum in textu eſſe dixerint, legendumque *in Venetos*, quum hæc locutio frequentior authoribus ſit: ego tamen *Venetiam* legendum non dubito. Nam ſicuti *Venetiæ* vrbs appellatur, ita *Venetia* prouincia ſeu regio, cuius populi ſeu incolæ Veneti nuncupati. Scribit Liuius idem per initia *lib.*1. Antenorem cum multitudine Henetum, qui ſeditione ex Paphlagonia pulſi, & ſedes & Ducem, Rege Pylæmone ad Troiam amiſſo, quærebant, veniſſe in intimum maris Adriatici ſinum, Euganeisque, qui inter mare Alpesque incolebant, pulſis, Henetos Troianosque eas tenuiſſe terras, & in quem primum egreſſi ſunt locum, Troia vocatur, pagoque inde Troia nomen eſt; Gens vniuerſa Veneti appellati. Hoc pariter tradit Cornelius Nepos, ſi Plinio credimus, id affirmanti *lib.*6.*cap.*2. qui *lib.*2.*cap.*72. inquit: *In parte Italiæ,*

*quæ*

*quæ Venetia appellatur, eiſdem horis vmbra gnomoni par ſit.* Clarius vero *lib.3.cap.72.* Venetiam decimam Italiæ regionem deſcribit. Et Liuius ipſe *libro 41.* ſcribit: *Ex iis M. Aemilio Senatus negotium dedit, vt Patauinorum in Venetia ſeditionem comprimeret.* Hanc regionem Venetorum angulum vocauit Liuius *lib.5.* Quod vero hoc in loco ſcribit idem author, Gallos ſcilicet Tranſalpinos ſine populatione aut bello in Venetiam tranſgreſſos, in eam me trahit ſententiam, vt exiſtimem, horum partem quoque poſtea, vel patrii ſoli amore motam, vel ſuæ gentis authoritate reuocatam, cum de ea re Romani per legatos conqueſti eſſent, in Galliæ maritimam oram reuerſos, quæ Brittaniæ opponitur, Venetorum etiam nomen retinuiſſe. Horum non ſemel meminit Cæſar *in Com. de bello Gallico, lib.2. & 3.* inquiens, eorundem ciuitatis longe ampliſſimam authoritatem eſſe omnis oræ maritimæ regionum earum, quod naues habeant Veneti plurimas, quibus in Britanniam nauigare conſueuerunt, & ſcientia atque vſu nauticarum rerum cæteros antecedunt, & in magno impetu maris atque aperto paucis portubus interiectis, quos tenent ipſi omnes fere, qui eodem mari vti conſueuerunt, habent vectigales. De iis quoque meminit Liuius *in epit. lib.104.* ſcribens: *C. Cæſar gentem Oceano iunctam Venetos, nauali prælio vicit.* Ita Plinius non damnandus, quod Venetos populos *lib.4.cap.18.* in Gallia repoſuerit: illud tamen non recipiendum ex ipſo, quod ibidem in Lugdunenſi Gallia locarit, quum id Cæſaris ſcriptis minime conueniat. Niſi lata appellatione Galliam Lugdunenſem acceperimus pro Gallia Celtica, cuius Ptolemæus fuſe *lib. Geograph.2.cap.8.* verba facit, & cuius pars occidentalis mari Oceano alluitur.

## T. LIVIUS LIB. XXXIX.

*Quinctius alter Prætor, ſuos equites catellis ac fibulis donauit.*

CAtellos quidam exponunt fuiſſe telorum ſpeciem, more Theutonico fabrefactos, Virgilii authoritate moti, lib.7. Æneid.

*Theutonico*

*Theutonico riſu ſoliti vibrare cateias.*

Quo in loco ſcribit Pierius, in Romano Codice & quibuſdam aliis legi *catelas*, non *cateias*. Seruius ibi Gallicum telum exponit. Sed quamuis hæc expoſitio rationi videatur conſentire, nam teli munus equitibus proportionatum videtur, nihilominus quum in Liuiano textu *catellis* per duplex l ſcriptum legamus, apud Virgilium per ſimplex, non penitus hanc interpretationem literæ conuenire, dicere poſſumus. Alii exiſtimatunt legendum eſſe *catillis*, quum catillus diminutiuum ſit catinæ. Col. lib. 12. cap. 57. *Hanc miſturam quum in catillo compoſueris, oleum ſuperinfundito.* Et Cato *de re ruſtica, cap* 84. ſuillam iubet poni in menſa cum catillo & ligulis. Hos autem cateillos ornamenti genus fuiſſe dicunt, bullis ſimiles, quibus vtebantur prætextati pueri nobiles, quæ bullæ rotundæ erant, & in media parte protuberantes, quales catilli prominentes videntur in rotundum, ita vt id generum ornamenti ſimile eſſet ei, quod vulgo *medaglia* vocatur. Ego ſane puto, catellum fuiſſe ornamenti ſpeciem circulare quidem, quo collum vel brachium circumdarent, quod ex Plauto diſcere licet, ſcribente in Curcul.

*Delicatum te hodie faciam, cum catello, vt accubes ferreo.*

Et Horatio lib. Epiſt. 1.

*Nota refert meretricis acumina ſæpe catellam,*
*Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentes.*

Ex quibus patere poteſt, catillum ſeu catillam diminutiuum eſſe catenæ, ſicuti & catenula. Huic expoſitioni fauet verbi Græci ſignificatio; nam κατιλεῖν eſt in orbem globari, & colligi in arctum.

Alios autem, ait Liuius, equites victores *fibulis* donatos, quod pariter ornamenti ſpeciem fuiſſe, non dubitandum; nec tantum à catellis diſtantem. Namque fibula non ſolum eſt, qua cingulum coniungitur ad veſtem ſubligandam, ſed & circulus, quo collum circumdari ſolebant in ornamentum. Col. *lib. 6. c. vlt.* de bobus verba faciens: *Aenea fibula pars auriculæ circumſcribitur, ita vt manante ſanguine tanquam O litera ductus appareat.* Iuriſconſultus *in l. argumento. D. de*

*to.D.de arg.& aur.leg.* inquit, fibulas eſſe magis ornamentum, quam veſtem. Plinius *lib.33.cap.1.* ex Homero ſcribit, Fabricam Deam fibulas & alia muliebris cultus, ſicut inaures, in primordio factitaſſe. Virg.4. Æneid.

*——Vt fibula crinem*
*Auro internectat.*

Philoſtratus imaginem Cupidinis deſcribens, eum effingit cum fibulis aureis. Quod vero fibulæ non ſolum mulierum & delicatorum eſſent ornamentum, ſed & militare quoque, conſtat non ſolum ex hoc Liuii loco, ſed & alio, *lib.7.* vbi habet: *Puero annulum aureum, tunicam laticlauo, cum Hiſpano ſagulo, & aurea fibula, ornatum donat.* Plinius quoque *lib.33.cap.3.* ſcribit: *Sed in militia quoque in tantum adoleuit hæc luxuria, vt M. Bruti in Philippicis Epiſtola reperiantur frementes, fibulas tribunitias ex auro geri.* Trebellius Pollio *in Claudio* 2. tradit, à Valeriano Imp. Zozimo Syriæ procuratori præceptum, vt Claudio inter extra dona daret fibulas argenteas inauratas duas, & fibulam auream. Flauius Vopiſcus *in Aurelio* teſtatum reliquit, illum conceſſiſſe, vt fibulas aureas gregarii milites haberent. Quod ſi quis hoc in loco fibulas communiſſima ſignificatione recipiendas contenderit, nõ refragabor; vt ſcilicet fibula eſſet inſtrumentum illud, quo extremæ cinguli partes coniunguntur, vel ad veſtes connectendas parantur, iuxta illud Virgilianum:

*Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.*

Et Papiniani dictum:

*Emicat, & torto chlamydem diffibulat auro.*

Ita de fibulis veſtium meminere Iuriſconſulti *in l.1. C. nulli licere in fren.lib.12.* Sic & apud medicos legimus, *fibulis labia vulnerum coniungi*; & huiuſmodi operatio ab eiſdem *infibulatio* appellatur. Ita & *fibulis parietes coniungere* docet Col.*lib.1.* & *tigna coniungere fibulis*, demonſtrat Cæſar *belli Gallici lib.4.* & Cato *de re ruſtica*, *c.152.* fibulas appellat clauos, quibus tigna connectuntur. & *c.31.* fibulas vocat illud, quo aliquid colligatur; has enim præcipit in ſtercus aut aquam coniici, vt lentiore & flexibiliore ſint vimine, ne in adſtringendo rumpantur. Hinc *fibulam imponere*, eſt coer-

cere & reprimere, ex Seneca *in moralibus*, tradente Lactantio *lib.1.cap.16.* de ſalaciſſimo Ioue verba faciens, cuius oppoſitum eſt, *laxare fibulam*, hoc eſt, anſam præbere. Ita Tertullianus de Corona militis: *Vt etiam voluntariis delictis fibulam laxet.* Natus autem vterque dicendi modus à fibula cinguli, qua veſtis aſtringitur, ſi fluxior ſit, aut remittitur, ſi fuerit adſtrictior. Niſi malimus dicere, deriuatum à fibula, qua adoleſcentulorum genitale traiiciebant antiqui, conſeruandæ vocis gratia, cuius operationis rationem deſcribit Corn. Celſus *lib.7.* & de qua Martial. lib. 7.

*Menophili penem tam grandem fibula nectit.*

Et lib. 14.

*Dic mihi ſimpliciter Comœdis & Cytharœdis*
*Fibula quid præſtas? Vt carius futuant.*

## T. LIVIVS LIB. XXXIX.

*Vtique Fecenia Hiſpalæ datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſet, vtique ei ingenuo nubere liceret; neu quid ei, qui eam duxiſſet, ob id fraudi ignominiave eſſet.*

QVia Turnebus hunc locum diſcutiens *lib. Aduerſ. 30. cap. 25.* nonnulla perperam exponit, alia omittit, quæ neceſſario erant perpendenda, alia vero diminute explicat, icc irco nos maiorem lucem quoad melius licuerit, Liuii dictis interim afferre conabimur. *Dare*, à quo *datio* deriuatur, apud Iuriſconſultos proprie accipitur, quum dominii translationem ſignificat, §. *ſic itaque*, *Inſtit. de act. l. vbi autem*, §. *final. D. de verbor. obligat.* ita & *dare in ſolutum*, frequens apud eoſdem; ſic & *dare* dicitur, qui permutat, *l dediſſe, D. de verb. ſignificat.* Senatus itaque qui Hiſpalam ob Bacchanalium ſcelus detectum, præmio afficere voluit, inter cætera ei conceſſit, vt ſua bona in alium transferre poſſet pro libito, quod antea facere ei non licebat, nec vti mulieri, nec vti libertinæ. Nam Romanis moribus priſcis mulier ſui iuris non erat, ſed ſub perpetua tutela, vel patris, vel mariti, aut proximorum, aut tutoris dati à iudice, quod Cic. *in orat. pro Murena,*

*Murana*, *& in Topicis*, & Boetius *in Comment.* docuere. Nec etiam vti libertinæ: nam ex lege 12. tabularum ſemper erat in tutela patronorum, vel liberorum eorum, vel eorum omnium, ad quos ſucceſſio bonorum libertorum ab inteſtato ſpectare poterat §. 1. *de ſucceſſ. libert.* nam antiquitus ex iure ciuili erat ſucceſſionis ius in bonis liberti patronis tantum, *ex §. 12. tabul.* ſi is deceſſiſſet ſine legitimo hærede, Iure prætorio pars dimidia deinde delata bonorum liberti patrono; ſubinde lege Papia cum filiis liberti patronus in virilem partem vocatus, ſi ſeſtertium centum eſſet patrimonium. Poſtea Iuſtinianus decedentibus ſuis liberis ab inteſtato libertis, patronis *ex lege 12. tab.* delatam ſucceſſionem reſeruauit, ſucceditq; liberto non tantum patronus, ſed etiam coniuncti vel proximi patrono vſq; ad quintum gradum; quod ex dicto tit. *de ſucceſſ. libert.* dignoſcitur. Nec ſolum permiſſa Hiſpalæ datio, ſed & diminutio.

Pro *diminutione* autem nequaquam intelligendum de capitis diminutione, de qua paſſim Iuriſconſulti, quæ triplex erat, quia quælibet eius ſpecies in pœnam, non in præmium dabatur. Quod ſi per diminutionem cum Turnebo interpretemur, quod ſcilicet poſſet de peculio fortunarum ſuarum diſponere, erit verboſitatis vitium in Liuio; nam ſi poterat per dationem totum peculium in alium transferre, nonne & tanto magis & eiuſdem partem diſtrahere? Quamobrem quum per *diminutum* apud Iuriſperitos intelligi quandoque videam, quod vſucaptum eſt, *l. deperditum*, *D. de pet. hered.* ita & per *datam diminutionem* intelligerem Hiſpalæ ius vſucapionis. Nam ſicuti ſeruus non poterat ſuo nomine vſucapere, quia ab alio ipſe poſſideretur. *l. qui in ſeruitute, 165 de reg. iur. P.* Ita & libertinus, quamuis libertatem adeptus, quum tamen, vt diximus, in perpetua eſſet tutela patroni, & ad eum bona illius, ſeu eorum pars ſpectare poſſet, ideo videbatur quaſi precario poſſidere, ob idque haud vere vſucapere poſſe.

Permiſſa tertio Hiſpalæ gentis *enuptione*; quod Turnebus interpretatus eſt, conceſſum ius, vt poſſet nubere aliis, quam libertis ſui patroni. At, quæſo, quo in loco legit

vnquam, aut apud quem authorem obſeruauit, libertos ea lege obſtrictos, vt non poſſent nubere extra gentem libertorum patroni, cuius eſſent liberti? Scio quidem inter capita legis Iuliæ *de maritandis ordinibus* fuiſſe, vt ſi liberta ab inuito patrono diuetteret, alii nubere eo inuito non poſſet. *l.6.§.3. de iure patr.* at hoc aliud eſſe, quis non videt? nec ob id concludendum, libertam ea lege arctatam, vt extra patroni libertos matrimonio iungi non poſſet. Itaque magis mihi alia expoſitio probatur, nempe, Hiſpalæ datum ius, vt poſſet nubere extra libertinum ordinem, hoc eſt, patritiorum genti. Namque lege Iulia, quam Auguſtus tulit, vel antiquatam emendauit, ex Pauli Iuriſconſulti ſententia, cautum fuerat, ne libertina ſenatoris filium, nec libertinus ſenatoris filiam ducerent. Nam ſenatores vtplurimum ex patricia gente, libertini vero ſemper plebeii, *ex Cic. in 4. in Catilinam.* Hinc Liuius per initia *lib.4.* deſcribit magnum certamen patrum cum plebe, de connubio patrum & plebis, refragantibus patribus, qui ſic contaminari ſanguinem ſuum, confundique iura gentium rebantur. Itaque interpretor *enuptionem gentis permiſſam Hiſpala*, id eſt, ei conceſſum, vt poſſet, quamuis libertini gentis, nubere extra gentem libertinam & plebeiam, hoc eſt, nobili patritio, gentili ſcilicet; nam *enubere*, eſt *extra nubere*, ex eodem Liuio, paulo infra ſcribente: *Virginiam Auli filiam patriciam plebeio nuptam, L. Voluminio Conſ. matronæ, quod è patribus enupſiſſet, ſacris arcuerant.* Ita quoque gens proprie de patriciis dicta. Sic Liuius lib.1. *Dicti patres maiorum & minorum gentium, qui à Romulo & Tarquinio Priſco è patriciorum numero lecti in ſenatu fuere.* Sic lib.18. *Scipionem è Cornelia gente* dixit. & libro 4. *gentem Claudiam.* Cic.1. de Orat. *Claudiorum gentem*, in orat. pro Flacco, *Valeriam gentē*, in orat. pro Sextio, *AEliorum gentem.* Suet. in Veſpaſiano, cap.1. *gentem Flauiam.* Et apud Liuium Publius Decius aduerſus patricios verba faciens, ait: *Semper iſta audita ſunt eadem, vos ſolos gentem habere.* Hinc *gentilitas* nobilium ius, & *gentiles* agnati in nobili familia eadem, ex Cic. *in Orat. & in Top.* Et vulgo nobiles *gentil' huomini* appellantur, quaſi gentis homines. Nec huic noſtræ explicatio-

plicationi obſtat, quod paulo poſt addit Liuius, datum ſcilicet eidem, vt ingenuo nubere liceret; nam id ad plebeios etiam ingenuos referendum, vt ſcilicet Hiſpalæ, quamuis ſerua nata, & ancillula eſſet; etiamſi poſtea manumiſſa, & quæ ob id non poterat ingenuo nubere, permiſſum vt id facere liceret.

Subdit Liuius, eidem datam *tutoris optionem*, *quaſi ei vir teſtamento dediſſet*; quorum verborum interpretationem Turnebus omiſit, ego ſic exponenda cenſeo, datum ſcilicet Hiſpalæ, vt quamuis libertina eſſet, teſtari poſſet, ſibi aſſumendi, quem vellet, tutorem, quum antea teſtamentum condere non potuiſſet, niſi poſt mortem patroni, quia in nullius manu erat, tutore à tribunis & prætore petito; quod clare paulo antea ſcribit Liuius, vbi de Æbutio herede inſtituto ab Hiſpala verba facit. *Virum* enim *bonum* apud Iuriſtas dictum *Iudicem*, notat gloſſa *in c. potuit, in ver. celeri, ad fin. de loca. l. continuus. §. cum ita. D. de verbor. obligat.* & nomen *viri* ſæpe eſt dignitatis, refertur enim ad virtutem, vimque animi & corporis, *l. 1. C. de dignitat. lib. 12.* ita vt per virum intellexerit Liuius iudicem vel magiſtratum aliquem, puta tribunum, præſidem, vel prætorem, qui prætorem dare poſſet valide teſtamento condendo; ſic enim expono verba illa, *quaſi vir ei teſtamento dediſſet*, hoc eſt, quaſi iudex, ſeu prætor tribunusve teſtamento ei dediſſet, id eſt, tutorem ei dediſſet, vt teſtamento valide ſibi hæredem inſtituere poſſet, quorum certe explicatio, etſi genuina mihi videtur, addo tamen & aliam coniecturalem. *Viri* appellatione maritum nuncupari, manifeſtum eſt; hunc vero ab vxore & dominum vocatum, colligimus non ſolum ex Ethnicorum monumentis, ſed & ex ſacris paginis. Sara Abraham virum ſuum dominum vocat, *Geneſ. cap. 18.* Ita & Berſabea Dauidem, *3. Regum*, idem & *Iudicum cap. 19.* obſeruamus, quod pariter confirmant D. Petrus *prima Epiſtola Canon.* & D. Chryſoſtomus *in Epiſt. 1. ad Corinth. homil. 2.* & Clemens *lib. Recognit. 9. cap. vlt.* & Iacobus de Voragine, vbi de Diua Natalia, D. Adrianum maritum ſuum dominum appellante. Apud Iuriſconſultos dominum aliquando accipi pro marito obſerua-

ſeruamus. Ita Imperator Diocletianus *in l. ſi quaat*, ibi, *conſentiente domino*. C *de inoff. donat.* dominum accipit pro marito, vt notat Salyc. ita & *in l. ea quæ*, vti notat Baldus D. *de donat. inter vir. & vxor. & in l. Lucius*, § *qua marito*, D. *de legat.* 2. & *in l. vxorem*, § *teſtamento*, D. *de legat* 3. & Virgilius libro Æneid. 4.

*—— Connubia noſtra*
*Reppulit ac dominum AEnean in regna recepit.*

Ouid. in Epiſt. Acontii ad Cidippen:

*Elige de vacuis, quam non ſibi vendicet alter,*
*Si neſcis, dominum res habet iſta ſuum.*

Et Lucretia *lib. Faſt* 2. de marito loquens, ait:

*Mittenda eſt domino (nunc nunc properate puellæ,)*
*Quamprimum noſtra facta lacerna manu.*

Apud Plutarchum *in libello de claris mulieribus*, Timoleontis vxor captiua Ariſtotimi cum aliis mulieribus, ſuum & illarum maritos dominos appellat. Idem Plutarchus in libro, cui titulus, In Principe requiri doctrinam: *Perſarum regum vxores ſane dominum appellant.* Itaque ſicuti mulieres viros ſuos olim dominos appellauere, ita & econuerſo dominos libertorum vocari poſſe viros, non inconuenit; ſicque hoc loco Liuium virum accipere pro domino & patrono; ita vt ſit ſenſus, permiſſum Hiſpalæ optionem tutoris, ac ſi dominus teſtamento id dediſſet, & libertæ non habenti facultatem, ſcilicet ſibi eligendi tutorem. Nam liberti mortuo patrono, tenebantur petere tutorem filiis illius, *l. 2. § liberti, de tutel. P. & l. 2. C. qui pet tuto.*

## T. LIVIVS LIB. XXXIX.

*Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, A. Poſthumius Albinus faciebant, malus in Circo inſtabilis in ſignum Pollentiæ procedit, atque id deiecit.*

CVius rei ille *malus* fuerit, explicatum vellem, tum *Pollentiæ* qualis fuerit Dea; hæc Glareanus in hûc locum, nil vltra annotans. Nos vtrunque ſcrupum demere tentamus. In Circo poſitas fuiſſe Deorum ſtatuas, necnon & princi-

principum virorum, docet Alex. ab Alex. *lib. Genialium* 5. *capit.* 8. & Liuius ipſe clare docet per initia *lib.* 40. Signa multa in Circo maximo cum columnis, quibus ſuperſtabant, poſita fuiſſe, tradens, ac tempeſtate deiecta, addimus nos, & forte ſigna prouinciarũ vel vrbium principum pop. Rom. ſubditarũ, ꝙ & noſtris tẽporibus in ſummis feſtiuitatibus fieri ſolitum à principibus viris, non ſemel oculata fide percepimus; quemadmodum Florentiæ in nuptiis Sereniſſimi Ferdinandi Medices, Magni Ducis Etruriæ, & in Oenoponte in mirabili apparatu nuptiarum Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi Auſtriaci. Signum itaque *Pollentiæ* interpretari poteſt, *Vrbem ſcilicet Pollentiæ repræſentans*, non illius quidem exiſtentis in Baleari maiori, de qua Plinius *libro* 3. *cap.* 5. ſed de alia in Piceno ſita, cuius meminit Ptolemæus *lib.* 3. *cap.* 1. & Cicero *de Aruſp. reſponſ.* & rurſus Plinius *lib.* 35. *cap.* 12. tradens, in ea fieri vaſa teſtacea nobilia ſolitum, necnon lanam præſtantem velleris cani, *ex eodem libro* 8. *cap.* 48. Cui tamen videtur contrariari Sillius, *libro* 8. ſcribens:

—— *Fuſciq; ferax Pollentia villi.*

Conciliamus tamen, ſtatuentes, Plinium non de ſimplici canicie intellexiſſe, & abſoluta, quæ candida tota eſt, ſed de procedente in hominis capite, in qua non pili omnes candeſcunt, ſed & pars nigreſcit, vnde colorem ſubnigrum ſeu fuſcum præ ſe ferunt. Sed ad rem noſtram reuerſi, dicamus, quum Pollentia nondum eſſet Romanorum colonia, quod ex ipſomet Liuio patet, inferius ſcribente, Pollentiam anno ab vrbe condita 566. coloniam deductam; haud veriſimile videri, illius ſignũ in Circo poſitum. Reliquum itaque eſt, vt ſtatuamus, Liuium intelligendum de ſigno Deæ *Pollentiæ* dictæ; cuius rei haud dubiam faciunt fidem ſubſequentia verba illa: *Et religione moti Patres, diem vnum adijciendum ludorum celebritati cenſuerunt; & ſigna duo pro vno reponenda, & nouum auratum faciendum.* Nec mirum, Romanos Deam Pollentiam coluiſſe, ac illius ſignum in Circo poſuiſſe. Nam, vt docet Feſtus, *Pollentia & Potentia* idem ſignificant. Ita Plautus in Rud. dixit:



Digitized by Google

*Ne impiorum potior ſit pollentia.*

Et in Caſſi.

*Vt viro tuo ſemper ſis ſuperſtes, atq; vt potior pollentia, vt vincas virum, victrixq; ſies.*

Ad hæc, quum antiquorum ſeu gentilium Dei ſupra triginta millia fuerint, tradente D. Auguſtino *lib.4. Ciuitatis Dei c.23. & lib.7.c.2.* & Pindarus ante ipſum triginta millia quoque eſſe dixit; vnde Max. Tyrius, qui illum citat *Ser.1.* innumerabiles fuiſſe ſcripſit, cui, inquam, mirum videri poterit, Romanos *Potentiam* ſeu *Pollentiam* Deam coluiſſe. *Malum* autem, à quo deiectum Pollentiæ ſignum tradit Liuius, vnum ex illis fuiſſe arbitramur, quibus funibus alligatis, vela tenſa ſuffulciuntur ad aeris iniurias arcendas, vt commodius ſpectatores ludos ſpectare poſſint; quod antiquitus non ſemel factum ſcriptumque obſeruamus, & noſtris temporibus plerunque fieri, nemo ignorat. A malo itaque minus firmiter ſolo hærente ſignum Pollentiæ deiectum, quod Liuius ſcribit, quomodo ſit intelligendum, palam ſatisfactum putamus.

## T. LIVIVS LIB. XXXIX.

*Et ſeparatim Flaccus molem ad Neptunias aquas, vt iter populo eſſet, & viam per Formianum montem.*

QVæ à Liuio Neptuniæ aquę fuerint appellatę, ſe ignorare fatetur Glareanus; Nos in hoc indagando non parum laborauimus, &, ni animus fallit, veritatem adinueniſſe putamus. Dionyſius Halycarnaſſeus *lib.1.* de Neptunia oppido verba facit, quod in Romanæ Campaniæ ora maritima poſitum eſt, hodie & *Nettuno* dicitur, cui nobiliſſima Colonnenſium familia dominatur. Hanc olim *Neptunias aquas* dictam exiſtimo, eo quod ad mare ſit ſitum. Ita & à Neptuno *Neptunia* dicta, quæ ad Neptunum ſeu mare ſpectant. Neptunus enim non ſolum eſt maris Deus, ſed & ipſum mare, eo quod terras nubat, id eſt, cooperiat. Sic *Neptunalia*, Neptuni ſacra, quæ & *ſalatia* à ſalo. Quod vero ab aquis frequens ſit, oppidis nomen indere, exemplo ſint;

ſint; caſtrum in Vmbria *Aqua ſparta* dictum, *Aqua viua* in Apulia, & ibidem *Aqua Lagna*. *Aqua nata*, hodie. *Aquino* in Samnio. *Aqua nigra* in Gallia Traſpadana. *Aquæ Sextiæ* in Narbonenſi Prouincia. *Aquæ Statiallorum*, hodie *Acqui*, in Ducatu Montisferrati ſub ſereniſſimi Vincentii Ducis Mantuæ ditione poſitæ. *Aquæ calidæ*, & *Aquæ Quinctianæ* in Hiſpania, & aliæ *Aquæ calidæ* in Britannia, oppida ſcilicet; & alia multa, quæ conſulto prætermitto. Hanc noſtram interpretationem fouet, quod ibidem Formiæ ciuitas ſit ſita; à qua *Formianus* propinquus mons dictus, vbi & Ciceronis ſitum nobile rus *Formianum* dictum, ſi Volaterrano credimus, cuius meminit Cic. 2. *Orat. lib.* ſicuti & de Formiano ciuitate ad Att. verba facit; de eadem & Martialis lib. 10. Epigram.

*O temperatæ dulce Formiæ littus*, &c.

In quibus huius oræ amœnitatem deſcribit. Addamus quoque ad noſtram comprobandam ſententiam; eodem in loco & nunc exiſtere antiquum Vicum voluptuoſiſſimum, *Mole* dictum à Flacci conſtructione, ita vt hæc omnia Liuii textui quam optime conueniant. Ad hanc autem regionem populum Romanum frequenter conueniſſe, voluptatis ac animi ſubleuandi, corporiſque recreandi cauſa, credibile eſt. Namque olim Romanorum delitias ea in ora maritima potiſſimum extitiſſe vbique legimus. Hanc noſtram expoſitionem quiſque recipiat aut improbet pro ſuæ Mineruæ captu. Nobis ſat ſit, in re obſcura lumen aliquod dediſſe.

## T. LIVIVS LIB. XL.

*Et peſtilentia in agris, foris, & conciliabulis & in vrbe tanta fuit, vt libitina tunc vix ſufficeret.*

Exiſtimabam alias, *conciliabula* dici poſſe loca illa in Vrbe, in quibus viri nobiles conuenire ſolent, negotiandi vel in ſimul colloquendi cauſa, quales nunc Neapolis *Seggi*, & Florentiæ *Loggie* dicta. Hanc natam opinionem confirmabam Feſti dictis *lib.* 3. ſcribentis, conciliabulum fuiſſe locum, vbi in concilium conueniebatur, quo in ſignificatu vſus C. Gracchus apud Gellium *libro* 3. *cap.* 7. ſic Plautus in Bach.



Digitized by Google

*Quod ſi ad ſe veniat de ſubito in prandium aut potatio forte,*
*Aut cœna, vt ſolet fieri in iſtis conciliabulis?*

Idem in Trin.

*Ne penetrarem me vſque, vbi eſſet damni conciliabulum.*

At me haud recte ſenſiſſe, hæc verba Liuii primum admonuere, deinde mox ſubſequenda certiorem reddidere, Namq; loca extra vrbem *conciliabula* fuiſſe, Liuii verba hoc in loco, tum etiam paulo infra demonſtrant, vbi habet: *Decemuiri ſupplicationem in biduum valetudinis cauſa in vrbe, & per omnia fora conciliabulaque edixerunt*; & rurſus: *Et veneficii quæſtio ex S. C. quod in vrbe propiuſue vrbem decem millibus paſſuum eſſet commiſſum, C. Claudio prætori qui in locum T. Minucii erat ſuffectus, vltra decimum lapidem per fora conciliabulaque, C. Mænio priuſquam in Sardiniam prouinciam traiiceret, decreta.* Per fora autem & conciliabula Liuius intellexiſſe videtur, vt mea fert ſententia, omnia quæ extra vrbem erant, maiora minorave oppida, caſtella, & loca, in quibus erant conuentus aliqui iuridici. Conciliabula autem ſpecifice loca fuerunt, in quibus ius dicebatur, foris tamen inferiora. Conciliabulum autem à municipio, colonia, oppido, præfectura, vico, caſtelloque ſeparari & diſtingui, docet Paulus Iuriſconſultus, *lib. 4. ſenten. tit. 6.* Hanc ſententiam confirmant Frontini dicta *lib. de limitibus agrorum*, vbi de controuerſia territorii loquitur. Quod vero in conciliabulis ius diceretur, præter loca adducta clariſſime oſtendunt verba legum antiquarum de limitibus agrorum, puta Peduceæ, Alienæ, ſeu vt alii, Alianæ, Roſciæ, Flaulæ, vel vt alii, Fabiæ; in quibus legitur, in agrorum limitum litibus, magiſtratus, qui in ea colonia, in qua erant agri controuerſi, municipio, præfectura, foro, conciliabulo iure dicundo facto, vt fiat. Non negandum tamen, & conciliabulum nonnunquam accipi pro frequenti hominum conuentu. Nec ab hac interpretatione diſcrepant Feſti & Gellii dicta, ſi recte perpendantur; Conciliabulum vero minoris fuiſſe conditionis municipio, declarat Frontinus loco citato, inquiens: *Hoc conciliabulum fuiſſe fertur poſtea in municipii ius relatum.* Et Vrbicus *de limitibus agrorum* ait: *Sunt autem loca publica coloniarum, vbi*

*prius*

*prius fuere conciliabula, & poſtea ſunt in municipii ius relata.* Ex quibus colligimus, municipia melioris conditionis fuiſſe colonis, quod & Gellius *lib. 16 c. 13.* ex C. D. Adriani oratione demonſtrat. Sic Liuius *lib. 34.* & Paterculus priore volum. ſcriptum reliquit, Puteolos primum coloniam fuiſſe, qui tamen poſtea paulo ante Cic. Conſulatum in municipii conditionem mutati, vt conſtat ex eodemmet Cic. *in orat. in Rullum*, & in altera *pro Cælio*. Ex ſuperius etiam adductis ſatis conſtare puto, diſtinctionem inter forum & conciliabulum allatam a Carolo Sigonio *lib. 2 de antiquo iure Italiæ c. 15.* minime ſubſiſtere, dum inquit: *In conciliabulis exercitas nundinas, in foro vero ius dictum.* Nam locus Liuii ab ipſo adductus *lib. 7.* ad ſuam confirmandam ſententiam, tantum abeſt vt illi faueat, vt illi aduerſari facile dignoſcatur. Inquit enim legem latam, ne ambiendi magiſtratus gratia, nundinas & conciliabula obire liceret. Non enim Liuium pro eadem re nundinas & conciliabula accepiſſe dicendum, ſed inter ſe diſtincta fuiſſe, non ambigendum, & vtrobique homines frequentes conuenire conſueuiſſe. In conciliabulis vero & ius dictum fuiſſe, ſatis iam probatum exiſtimo.

## T. LIVIVS LIB. XL.

***Etiam magnificentia creſcente notatum eſt, Ludis Circenſibus P. Cornelii Scipionis Naſicæ, & P. Lentuli AEdilium Curulium, 63. Africanas, & 40. Vrſos & Elephantos luſiſſe.***

PLinius *lib. 8. cap. 17.* docet Africanas Pantheras eſſe, in hæc verba de Pantheris ſcribens: *Senatuſconſultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam aduehere, contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius Tribunus plebis, permiſitque Circenſium gratia importari. Primus autem Scaurus AEdilitate ſua varias centum quinquaginta vniuerſas miſit. Dein Pompeius Magnus quadringentas decem, D. Auguſtus quadringentas viginti.* Suet. *in Caligula, c. 18.* inquit: *Edidit & Circenſes plurimos à mane vſque ad veſperam, interiecta modo Africanarum venatione, modo Troiæ decurſione.* Dictæ autem Pantheræ Africanæ, eo quod in Africa frequentes ſint, & inde in Italiam translatæ, quemadmodum

modum & *ventum Africanum* ita appellatum,quod ex Africa flare incipit. Horatius:

*Luctantem Icariis fluctibus Africum.*

Et *Gallinæ Africanæ*,quæ ex Africa ad nos conuehuntur,quarum meminit Cato *lib. 3. de re ruſt. c. 4.* Vocatæ quoque *Panthera variæ*, vt à Plinio loco citato, ob maculas quibus ſunt conſpicuæ, vnde & *menſæ* quædam dictæ *Pantherinæ* ab eodem Anton. *lib. 13. c. 15.* hoc eſt, varietate ciborum inſignes. Et elegantiſſime Plautus in Epid. ſcribit:

*Qui varie valent caprigenum hominum non placent mihi, neq; Pantherinum genus.* ſcilicet homines ingenii varii & inconſtantis. Cicero ſemper *pantheras* vocauit, præſertim *lib. de nat. Deorum*, bis de illis verba faciens. Ita & Iuriſconſulti *l. 2. D. ad legem Aquiliam*; quamuis & apud eoſdem *Panthera* genus retis ſit & aucupii, Vlp. *l. 11. D. de act. empt.* cuius meminit & Varro *lib. 4. de lingua Latina*, Suidas quoque eiuſdem vocabuli fecit mentionem,licet illius ſignificatum omiſerit explicare. Græci animal πάνθηρ, rete πάνθηρον dixere, voces diſtinguentes, ſicuti & res ipſæ ſignificatæ diſtinguuntur.

## T. LIVIVS LIB. XL.

*Eas arcas quum ex amicorum ſententia dominus aperuiſſet, quæ titulum ſepulti Regis habuerat, inanis inuenta, ſine vllo veſtigio corporis humani, aut vllius rei, per tabem tot annorum oſſibus abſumptis; in altera duo faſces candelis inuoluti ſeptenos habuere libros, non integra modo, ſed recentiſſima ſpecie.*

HAnc eandem Hiſtoriam ex Annalibus Heminæ Plinius recenſet *lib. & cap. 13.* cuius verba, quia in pluribus à Liuio diſcrepat, tranſcribere libet: *Caßius Hemina vetuſtiſſimus author Annalium quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium ſcribam agrum ſuum in Ianiculo repaſtinantem, offendiſſe arcam, in qua Numa, qui Romæ regnauit, ſitus fuiſſet; in eadem libros eiuſdem repertos P. Cornelio L. F. Cethego, M. Bebio. Q. F. Pamphilo Coſſ. ad quos à regno Numæ colliguntur anni 535. & hos fuiſſe è charta; maiore etiam cum miraculo, quod tot infoſſi durauerant annis. Quapropter in re tanta ipſius Heminæ verba ponam. Mirabantur alii, quomodo*

*quomodo illi libri durare potuiſſent, ille ita rationem reddebat: Lapidem fuiſſe quadratum circiter, in media arca vinctum candelis quoquo verſus. In eo lapide inſuper libros impoſitos fuiſſe, propterea arbitrarier eos non computruiſſe.* ex quibus diſcrepantia facile dignoſcitur inter hoſce ſcriptores, nam Liuius agrum L. Petilii fuiſſe tradit, Plinius Cn. Terentii, ille binas arcas, hic vnam tantum, ille candelis libros inuolutos ſcribit, iſte in lapide poſitos, illumque candelis vinctum. At quia vterque durationis cauſam in candelas refert, ob id quid per candelas ſit intelligendum, curque id præſtare potuerint, perquirendum. Quum ſcirem apud Græcos à quibus perſæpe Latini voces mutuati ſunt, per κανδύλη, arcam reponendis pretioſis veſtibus ſignificari, cogitabam, candelæ appellatione intelligendum arcam ſeu capſam, ſed repugnabat ſcriptura vocis non per *y*, ſed per *i*, ſimplex exarata. Præterea verba illa *inuoluti*, Liuii, & *vinctum*, Plinii, huic explicationi minime reſpondere videbam. Quamobrem candelas accipiendas cenſui in communiſſima ſignificatione; Nec in earum formam longæue aſſeruationis cauſam reiiciendam, ſed in illarum materiam; ſiquidem candelæ vt plurimum ex cera confici ſolent, quandoque & ex ſeuo, pice, & reſina, quæ omnia ſui craſſa viſciditate aeris contactum prohibere poſſunt, à quo putredinem & corruptionem ortum ducere ſtatuere naturalis Philoſophiæ periti, necnon & experimentum docet. Nam ſi flores fructusve teſtaceo alicui vaſi impoſuerimus, ore optime obturato, eodemque cera vel pice vndequaque circumlinito, in plures menſes incorruptos aſſeruari videbimus; ſic quæ oleo, vel melle conduntur, diu aſſeruari manifeſtum eſt, ea quidem ratione, quod aeris contactum arcent. Sic Æmilius Probus, ſeu Cornelius Nepos *in Ageſilao*, cui & Plutarchus congruit, ſcribit: *Ibi eum amici quo Spartam facilius perferre poſſent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt, atq; ita domum retulerunt*, Quamuis Diodorus Ageſilai corpus in melle Spartam deportatum ſcriptum reliquit. Ita Xenophon *lib. 5. de reb. Græc.* cadauer Ageſipolidis regis in melle conditum domum reportatum, quum non longe ab vrbe Olyntho mortuus eſſet, me-

moriæ

moriæ mandauit. Verumtamen quum horum ſcriptorum verba pondero, in eam venio ſententiam, vt exiſtimem, eas arcas ſeu arcam commentitias fuiſſe; nec Numæ tempore infoſſas, ſed longe poſtea à callido aliquo viro, vt poſtmodum repertæ admirationi eſſent effodientibus, & per conſequens lucri cauſa. Hoc autem præcipue coniicio ex ipſius Liuii verbis; dum inquit, nihil repertum in ea, quam Numæ corpus continere, vti indicabat inſcriptio, per tabem tot annorum conſumptis oſſibus; in altera vero repertos libros integra & recentiſſima ſpecie. Nam Romæ pluries ſepulchra effoſſa marmorea, necnon & in ædibus nunc ſacris antiquis reperta, quibus apertis ineſſe corpora compertum per plures centenos annos ſepulta, vna cum veſtibus ſuam ſpeciem præ ſe ferentibus, quæ tamen mora, ſtatim in cinerem pulueremque euaſere; tantum abeſt à veritate, vt per 535. annorum curriculum Numæ corporis veſtigium nullum in arca illa fuerit repertum. Nec minus veritati conſentaneum, quod per totidem annos ſolo candelarum beneficio chartacei libri illi potuerint adeo recenti & integra ſpecie aſſeruari. Ad hæc inquit Liuius, libros hoſce concrematos, quum animaduerſum fuiſſet, pleraque continere ad diſſoluendas religiones Pop. Rom. & nihilominus Numam condendæ religionis populo Rom. authorem præceptoremque fuiſſe, atque religioſiſſimum habitum & vocatum ſemper, ex ipſomet Liuio & Plutarcho colligimus.

## T. LIVIVS LIB. XLI.

*Prodigia eo anno nuntiata, in Craſtumino auem Sangualem (quam vocant) ſacro lapidem roſtro cecidiſſe.*

De ſanguali aue ita Plinius lib. 10. cap. 7. *Sangualem auem, atque Immuſſulum augures Romani in magna quaſtione habent. Immuſſulum aliqui Vulturis pullum arbitrantur eſſe & Sangualem Oſſifragæ. Maſſurius Sangualem oſſifragam eſſe dixit, Immuſſulum autem pullum Aquilæ priuſquam albicet cauda. Quidam poſt Mutium augurem viſos non eſſe Romæ affirmauerunt; Ego (quod veriſi-*

*veriſimilius eſt ) in deſidia rerum omnium non arbitror agnitos.* Ex his Plinii dictis elicimus, Sangualem auem fuiſſe Oſſifragam appellatam, quam auem dixit Ariſtoteles eſſe aquilæ perſimilem, ſed maiorem tamen,& coloris leucophæi, ſeu fuſci, hoc eſt, in nigro albicantis. Ex Aquilarum genere quas *Haliatos* vocant, eſſe Oſſifragam docet Plinius *libro decimo, capite tertio*, naſcique ex diuerſo Aquilarum coitu. Albertus Magnus *libro de animalibus*, & ipſe inter Aquilam Oſſifragam reponit, minorem tamen ſtatuit, in hoc ab Ariſtotele diſcrepans. Cur vero Liuius *Sangualis* auis roſtrum ſacrum nuncupauerit, non ita manifeſtum. Puto ego, eo quod augures huius auis volatum magnificerent, auem ſacram habitam *Sangualem*, ob idque & ſacrum illius roſtrum appellaſſe Liuium; vel forte etiam propterea, quod in Sangi Dei ſacrificiis huius auis aliquis eſſet vſus, vnde & *Sangualis* appellatio, quaſi *Sangi auis*. De hoc gentilium Deo ita Sextus Pompeius lib. 17. *Propter viam fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratia Herculi aut Sango, quiſquis idem eſt Deus. Alii profecturi viam Herculi aut Iano ſacrificabant.* Eſt & Ianus ſecundum aliquos, Sabina lingua *Sangos*. De templo huius Dei Plinius *libro octauo, capite quadrageſimooctauo*, & Varro *libro quarto, de lingua Latina* inquit: *AElius Gallus Dius Fidius dicebatur Dionis filius, vt Græci Διόσκουρον Caſtorem, & putabant hunc eſſe Sangum Sabina lingua, Herculem ab Græca.* Sangi ædes de cœlo tactas ſcribit Liuius per initia *libro 32. & libro 8.* vbi legitur *Semonis Iani*; eam lectionem diſpungendam doctiſſimi quidam cenſuere, & reponendum *Sabino Sangi.* Dionyſius *lib. Antiquitatum 2.* ſcribit Sabinorum genti inditum nomen, ex Sabino Sangi Diui gentilis. Sangi ſacellum ſtatuit P. Victor in ſeptima Vrbis regione. Nonnulli non *ſacro*, ſed *ſacrum* legendum dixere; & non ad auem, ſed ad lapidem adiungunt, quam lectionem ſi admiſerimus, quid per ſacrum lapidem ſit intelligendum, erit indagandum; Veniebat in mentem hiſtoria, cuius meminit Liuius *libro primo*, in hæc verba: *Id quia inaugurato Romulus fecerat, negare Attius Nauius inclytus ea tempeſtate augur, neque mutari, neque nouum conſtitui, niſi aues addixiſſent poſſe. Ex eo ira regi mota; eludenſ-*

Digitized by Google

*eludenſque artem vt ferunt; agedum inquit, diuina tu, inaugura, fierine poſſit quod nunc ego mente concipio, quum ille in augurio rem expertus, profectò futuram dixiſſet; Atqui hoc animo agitaui inquit, te nouacula cotem diſciſſurum, cape hæc, & perage, quod aues tua fieri poſſe portendunt. Tum illum haud cunctanter diſcidiſſe cotem ferunt. Statua Antii poſita capite velato, quo in loco res acta eſt, in Comitio, in gradibus ipſis, ad læuam Curiæ fuit; cotem quoque eodem in loco ſitam fuiſſe memorant, vt eſſet ad poſteros miraculi monumentum.* De huiuſmodi lapide ob miraculum *ſacrum* appellatum prius nouacula diſciſſum, mox ab aue Sanguali cæſum, forte Liuium intellexiſſe cogitabam; ſed cum id in Craſtumino oppido, non Romæ, contigiſſe ſcribat, vtique non recipienda præſens explicatio. Author eſt Pauſanias apud Troezenios ante Dianæ Lycææ templum lapidem extitiſſe *ſacrum* appellatum; ſcribit Lampridius *in Heliogabalo*, illum *lapides diuos* dictos è templo Dianæ Laodiceæ auferre voluiſſe. Dicamus itaque, in Craſtumino forte & lapidem huiuſmodi fuiſſe. Quod ſi nec expoſitio iſta arriſerit, alia erit ſubſequens recipienda. Fictilia ſeu lapidea Deo ſigna & ſimulachra, *ſacros lapides* dictos, quum ea religioſiſſime colerent Romani, vnde & per Iouem lapidem iurabant, ſi Plinio credimus id *lib. 33. cap. 7.* affirmante. Ita & agrorum termini lapidei *ſacri* dicti, quod Arnobius ſcripſit. Iterum aliquem ſangualem auem roſtro cecidiſſe in agro Guſtunino exiſtentem forte exiſtimandum, idque pro prodigio habitum. De ſanguali aue legenda quæ à Iulio Obſequente *Prodigiorum libro c. 63.* literis mandata fuere.

## T. LIVIVS LIB. XLII.

*Cenſores vias ſternendas in vrbe, glarea extra vrbem ſubſtruendas marginandaſque primi omnium locauerunt; ponteſque multis locis faciendos, & ſcenam ædilibus Prætoribuſque præbendam. Et carceres in circo, & oua ad notas curriculis numerandas, & ...dam, & metas trans... & caueas ferreas pe... intromitterentur ferreis in monte Albano Conſulibus, & cliuum Capitolinum ſilice ſternendum curauerunt.*

LOcus hic hactenus deploratæ reſtitutionis habitus; nos tamen lacunas replere, & genuinam lectionem reddere, &

re,& vna ſenſum verum elicere conabimur. Legendum itaque puto, Cenſores curaſſe, carceres in Circo faciendos, & Oua ad notas curriculis numerandas, & rhedam, & metas tranſitus, & caueas ferreas per quas intromitterentur feræ; ſicque omnes lacunæ replentur, & lectio ſenſui congruit. Circo maximo ædificando locum aſſignatum ſcribit Liuius *libro decimo*, in eo vero fuiſſe carceres, hoc eſt, locum, in quo equi coercerentur, ne inde intempeſtiue exirent, ſed ſignum expectarent ſe mouendi, quod à Magiſtratu, qui ludis præſidebat, dari ſolebat, adeo manifeſtum eſt, vt nulla prorſus indigeat probatione. Quæ vero Oua dicerentur, & in quem vſum parata, non æque manifeſtum. Ex marmoribus & numiſmatibus antiquis, quorum icones Onuphrius Panuinius typis cudendos curauit, conſpicimus columnas modo binas, quaternas nonnunquam, iuxta poſtremas metas Circi poſitas, quibus veluti quendam lectulum ſuperſtructum, cui ſuperpoſita corpuſcula quædam ouali forma ad amuſſim figurata, quina quandoque numero, vt plurimum ſeptena; horum vſum tradit fuiſſe Petrus Ligorius antiquitatum peritiſſimus, lib. quem de antiquitatibus Italice conſcripſit, quod aurigis ſingulo tranſcurſu, ſingulum ouum daretur; ſed perperam vt ego coniicio, alius enim ouorum vſus erat, nempe vt aurigantibus oſtenderent, quot circuitus in curſu perficiendi eſſent, nam à loco vbi ſiti erant, non amouebantur; ob id non ſemper eodem numero fuiſſe, ex iconibus prædictis oculata fide dignoſcitur. Vt plurimum vero in Circenſibus fuiſſe ſeptem curricula colligimus ex Propertio, *lib. Eleg.* 24. ad Cynthiam ſcribente:

*Aut prius infecto depoſcit præmia curſu,*
*Septima quam meta triuerit arte rotam.*

Hoc idem ex Seneca *lib. Epiſt.* 4. Gellio *lib.* 3. *c.* 10. Lactantio *lib.* 7. *c.* 27. Caſſiodoro, *Variarum lib.* 3. *Epiſt.* Hæc tamen Domitianus, ſi Suetonio credimus, *in illo c.* 4. ad quina tantum corripuit ſpatia, ſcilicet vt quino tantum circuitu currerent aurigæ, vt multiplicaretur curſus, nam cum antea viginti quinq; eſſent, vſq; ad centum propagauit. Huic noſtræ

ſententiæ fauent Liuii dicta, dum ait, Oua in Circo poſita ad notas numerandas curriculorum, hoc eſt, ad ſignandum numerum curriculorum quæ ab aurigis perficienda erant. Et *rhedas* lego vbi particula illa, *dum*, præcedenti lacuna, duorum vel trium elementorum ſpatium continens. Rhedam autem fuiſſe vehiculum conſtat ex Nonio Marcello, & Cic. in Epiſt. ad Atticum 17. 5. lib. *Hanc* (inquit) *Epiſtolam dictaui ſedens in rheda*, & Quintiliano *lib.* 1. *c.* 5. & ex Iuriſconſultis *l. cum in plures.* §. *vehiculum, D. locati, & in l.* 4. *D. de ſupel. leg.* vnde & *rhedarius*, ipſe rhedæ ductor Cic. in Orat. pro Milone, & *rhedarius mulus* Cat. de re ruſt. lib. 3. c. 17. Erat autem rheda vt plurimum vnius equi currus, aut alterius iumenti, quamuis & aliquando duorum, ſcribente Cic. ad Atticum Epiſt. 2. lib. 6. *Hic venit Vedius mihi obuiam cum duobus eſſedis, & rheda equis iuncta.* Hac vero Romanos primum in Circenſibus vſos docet Seruius ad illud Virgilianum in 3. Georg.

*Magnis Circenſibus actis.*

Qui currus etiam *Celes* vocabatur, vt ſcribit Budæus *in l. athletas, D. de his qui not. infam.* & ante eum docuit Ariſtophanis interpres, & Plinius *lib.* 34. *c.* 5. poſtea Romani in Circenſibus vſi bigis & quadrigis, poſtremo Nero decem iugi curru in ludis aurigauit, vt tradit Suet. *in illo cap.* 14. Itaque ſenſus erit, additam Rhedam Circo, vt illa quæ vnius equi eſſet, currus in ludis tranſcurreret. Et *metas trans* .... lego *& metas tranſitus*, ſeu *tranſcurſus*, in Circo namque erant ab vtroque capite metæ, circum quas currus agebantur, quod in prædictis iconibus cernimus, & ideo *tranſitus*, ſeu *tranſcurſus* metas Liuius appellauit. *Pe* .... *intromitterentur ferreis*, legendum non dubito *per quas intromitterentur feræ.* In Circenſibus enim non ſolum curru certatum, ſed & cum feris pugnabatur, vti ex hiſtorica lectione palam fit, præſertim ex Liuio *lib.* 44. ſcribente, Ludis Circenſibus P. Cornelii Scipionis Naſicæ, & P. Lentuli ædilium curulium 63. Africanas, & 40. vrſos, & elephantos luſiſſe. Et ex Sueto. *in Caligula cap.* 18. inquiente: *Edidit & Circenſes plurimos à mane vſque ad veſperas, interiecta modo Africanarum venatione, modo Troiæ decurſione.* Hæ autem feræ ferreis caueis continebantur,

tur, quibus reclusis in Circi arenam exibant cum hominibus ad id muneris deſtinatis concurſuræ, quod ex marmoris antiqui icone æneis typis exarati, & paſſim venalis, videre licet. Itaque ni me fallit animus, locus hic antea habitus incurabilis, priſtinæ ſic integritati reſtitutus. Paulo poſt vbi ſcribit Liuius: *Piſauri viam ſilice ſternendam, & Sinueſſam à....... auiariæ*; legendum puto, *Et Sinueſſæ glarea viam ſilice ſternendam*, ſcilicet, nec leuis coniectura me admonet, nam tranſpoſitis elementis, & vno corrupto, aut omiſſo, librarii vitio, vel incuria, ea lectio quoque depravata; namque ablata litera *m* à voce *Sinueſſam*, & loco illius poſito, poſtremum dictionis *auaritiæ* diphthongum fit *Sinueſſæ*, & dempta à voce *auiari* quæ relinquitur, *a*, priori, etiam ſyllaba *ri*, & addita *m*, à priori voce, vt diximus, ablatam: legitur etiam & in dictione ſeu ſyllaba *gn*, interpoſita *l*, quæ prætermiſſa fuit, & addita *r*, quam à voce *auiar* dempſimus, fit *glar*, & *i*, in *e*, tranſmutato, & inſuper addita *a*, antecedente, fit *glarea*. Et ſic locus, cuius nullus percipi poterat ſenſus, clarus euadit.

## T. LIVIVS LIB. XLII.

*Medicis omnium Rex erat, circa eum Agema quod vocant, equitumque ſacra ala.*

GRæcis *ἄγημα* dicitur *vehementia*, à qua etiam *ἄγημα agema* illud dictum, teſte Arriano, peditum, equitum, & elephantorum, quod in bello ducem præcedebat, vtpote quod fortis & vehemens eſſet in pugna. *Agemata* dixit Liuius hoc eodem libro 42. Macedonum legiones; inquit enim: *Deleta deinde & viribus & robore ætatis ex omni cetratorum numero duo erant Agemata, hanc ipſi legionem vocabant.* Q. Curtius *de geſtis Alex. lib.* 4. vbi de acie Alexandri Macedonis ſcribit: *In dextro cornu locati ſunt equites, quos Agema appellant*; & de eadem *lib.* 5. meminit idem author. Polybius *lib.* 5. de Agemate ita ſcriptum reliquit: *Vocatis ad ſe ſcutatis, & quos Macedones Agema vocant*; & in alio loco eiuſdẽ lib. *Eurilochus Magnes*

*tribus millibus hominum præerat, quos reges Agema vocant.* Quibus in locis ἄγημα legendum, non ἄγιμα, vti in codicibus qui circumferuntur, mendoſe legitur.

De *ala ſacra*, ſeu ſacris militibus alibi fuſe verba fecimus.

## T. LIVIVS LIB. XLIII.

*Cenſores extemplo iam atrium libertatis aſcenderunt, & ſibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, & dimiſſis ſeruis publicis, negarunt ſe prius quidquam negotii publici geſturos, quam iudicium populi de ſe factum eſſet.*

QVi in publico tabulario, id eſt, loco, in quo publicæ ſcripturę cuſtodiebantur, inſeruiebant tabularum obſignationi, *tabularios* dictos, in Ammiani dilucidationibus docebimus, hos vero ſeruos publicos fuiſſe patet *ex l. vltima. C. de ſer. rei pub.* & Capitolinus in Gordianis tabularios *ſeruos publicos* appellat: *Non ſcribæ, non ſerui publici, non cenſuales illis actibus intereſſent.* Quod etiam ex hoc Liuii loco facile confirmari poteſt. Poſtea vero Arcadii & Honorii conſtitutione ſancitum eſt, vt nulli deinceps ad tabularii officium pateret aditus, qui obnoxius eſſet ſeruituti. Hi autem huic conditioni erant addicti & mancipati, vt non poſſent ad aliam aſpirare militiam & dignitatem, quod patet ex l. *ſcripturas, C. qui potiores in pig. hab. & l. 3. 5. 7. 8. C. Th. de num. act.* His tamen aduerſari videtur Taciti locus, *libro Annal.* 14. vbi de Balbo prætorio ſene orbo, & diuite, cuius propinquus Valerius Fabianus, ſubdit teſtamentum, accitis Vicio Rufino, & Terentio Latino equitibus Rom. & aliis minus illuſtribus, qui teſtamenti tabulas obſignarent. Taciti hæc ſunt verba: *Igitur Fabianus tabulariis, quos memoraui, & aliis minus illuſtribus obſignat.* Si itaque Vicium & Terentium equites, & alios minus illuſtres, *tabularios* nominat, non ergo veritati conſentaneum, quod diximus cum Liuio, hoſce fuiſſe ſeruos, ſeu generis ſeruilis. Facile diluitur difficultas, ſi à Corneliano textu mendum auferamus, & literam genuinam legendam ſubdamus, namque poſtrema editio præſertim à Lipſio & Vetrano recepta ita habet: *Igitur Fabianus tabulas iis, quos memoraui, &c.* ſicque patet

ret Tacitum loquutum non de tabulariis publicis, ſed de teſtibus teſtamentum obſignare ſolitis, qui ſeptem erant antiquitus, quemadmodum & hoc tempore obſeruatur, *l. 1. ſ. vnus. C. de teſt. & Imperator. §. 1. Inſtit.* ad quod ſpectat illud Ciceronis in Ver. *Tabulæ teſtamenti obſignatæ non minus multis ſignis, quam è lege oporteat.* Nos vero obſignatores nobiles deligi ſolitos colligimus ex Cic. pro Quinctio, *Teſtificantur iſti P. Quinctium non ſtetiſſe, & ſe ſtetiſſe. Tabulæ maxime ſignis hominum nobilium conſignantur.* Et ad Att. *Curii teſtamentum Ciceronum ſignis obſignatum.*

## T. LIVIVS LIB. XLIII.

*Hoc anno intercalatum eſt, tertio die poſt Terminalia Kalendæ intercalares fuere.*

TEmpora annorum dimenſionibus terminantur. Eſt autem annus, vt generaliter definitur, certum temporis interuallum, quod fit dum ſydus aliquod errans, ſigniferum orbem ſuo motu per ſignorum ordinem integre abſoluit. Quamobrem obſeruamus apud ſcriptores annum lunarem, ſolarem, & omnium planetarum annum, quem magnum dixere, quum ſcilicet omnia ſimul errantia ſydera ad ſua quæque loca recurrunt. Sed lunaris annus quadrifariam accipitur, primus namque eſt, quum Luna 27. diebus, & 8. horis Zodiacum percurrens, ad ſignum, ex quo egreſſa eſt, reuertitur. Secundus duobus diebus & quatuor horis prolixior, qui conſuete *menſis* appellatur, quum Solem à quo noua digreſſa eſt, 29. diebus & 12. horis exactis iam defecta repetit. Tertius qui 12. menſibus huiuſmodi, id eſt, diebus 364. expletur, & vocatur communis. Quartus, qui ἐμβόλιμος Græce dictus, id eſt, ſuperaugmentum, & habet menſes 13. id eſt, dies 384. Qui apud Hebræos à principio menſis paſchalis incipit, ibidemque finitur. Apud Romanos vero ab incipiente Luna menſis Ianuarii ſumit initium, ibidemque terminatur. Item Solis eſt annus, quum ad eadem loca ſignorum redit peractis diebus 365. & horis ſex, hoc eſt, quadrante vnius diei, quæ pars quater

ducta cogit interponi diem vnum, quod Romani *Biſſextum* vocant, & ad eundem circuitum redeatur, & ſic vnus Biſſextilis efficitur, qui & Intercalaris etiam appellatur; eo quod menſe Februario dies addatur, & ſicuti diebus 28. perfici ſolet, in anno biſſextili die intercalato ſeu interpoſito diebus 29. conſtet. Quamuis apud Græcos aliquando aliter ſit intercalatum, ſcribente Cicerone in Verr. *Tunc Cephaloeditani decreuerunt intercalarium 45. dies longum, vt reliqui menſes in ſuam rationem reuerterentur.* Et rurſus: *Eſt conſuetudo Siculorum, cæterorumque Græcorum, quod ſuos dies, menſesque congruere volunt cum Solis Lunæque ratione, vt nonnunquam ſi quid diſcrepet, eximant vnum aliquem diem, aut ſummum biduum ex menſe, quos illi exhæreſimos dies nominant, ita nonnunquam vno die longiorem menſem faciunt aut biduo.* His ſic præmiſſis ſciendum, adhuc Romulum primum Romanæ vrbis parentem, annum ex trecentum & quatuor diebus conſtituiſſe, ſed quum ea dierum ratio, neque Lunæ, neque Solis curſui conueniret, Numa Pompilius ſex & quinquaginta dies addidit, ratus ea temporis intercapedine lunares curſus confici, namque ex hoc dierum numero & prioribus, duodecim menſes conſtituit, quod prius feciſſe Ægyptios ſcribit Herodotus. Verum quia ad Solis curſum conficiendum aliquot adhuc dies deerant, Græcorum more menſem intercalarem adhibuerunt; quod Macrobius *libro primo Saturnalium cap.* 14. his verbis annotauit: *Quum Romani ex diſtributione Pompilii ad Lunæ curſum, ſicuti Græci, annum proprium computarent, neceſſario etiam menſem intercalarem inſtituerunt more Græcorum*, & reliqua, quæ de intercalatione author idem proſequitur. Et Liuius libro primo, de Numa rege: *Omnium primum ad curſum Lunæ in duodecim menſes deſcribit annum, quem quia trecenos dies ſingulis menſibus Luna non explet, deſuntque dies ſolido anno, qui ſolſtitiali circumagitur orbe, intercalares menſibus interponendo, ita diſpenſauit, vt viceſimo anno ad metam eandem Solis, vnde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatiis dies congruerent.* Quod vero intercalares dies non omnibus menſibus interpoſuerit, vt prima facere Liuii verba ſonare videntur, ſed altero menſe

*inter-*

*intercalari* dicto comprehenderit, ſi recte illius dicta perpendantur, ſatis conſtare puto. Clarius autem id aperit idem Liuius *libro* 37. vbi habet de L. Scipione: *Triumphauit menſe intercalario pridie Kalend. Martias.* Ita *in l. quum Biſſextum. D. de verbor. ſignificat.* Ex Catone habemus apud Iuriſconſultos, menſem intercalarem eſſe additum, omneſque dies eius pro momento tempori obſeruari. In cuius loci annot. Budæus inquit, menſem intercalarem dici non modo eum, qui intercalatur, ſed & in quo intercalatur, & priorem intercalatitium, poſteriorem intercalarem dici, cuiuſmodi hodie eſt Februarius. Vnde apud Ciceronem in Epiſto. legimus, *ad 6. Kalend. intercalares priores*, & ad Lig. *Ego tamen quum ad tertium Kalen. intercalares veniſſem.* Et in Orat. pro Quinct. *Dic Neui diem ante 5. Kal. intercalares.* Et rurſus: *Prid. Kal. intercalares.* Etſi vero intercalandi apud Romanos certam notam habitam, colligamus ex Liuio loco primum allegato, vt ſcilicet ſingulo quoque 20. anno menſis intercalaretur, nihilominus quum intercalandi munus ad Pontifices ſpectaret, factum eſt, vt illi in intercalando fraude vterentur, publicanis morem gerentes; cuius rei certiſſimū teſtem habemus Suetonium, ſcribentem ita in Cæſare Dict. cap. 40. *Conuerſus hinc ad ordinandum Reipublicæ ſtatum, Faſtos correxit, iampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, vt neque meßium feriæ æſtate, neque vindemiarum autumno competerent. Annumque ad curſum Solis accommodauit, vt 365. dierum eſſet, & intercalario menſe ſublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in poſterum è Kalendis Ianuariis nobis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem & Decembrem menſes interiecit duos alios, fuitque is annus, quo hæc conſtituebantur 15. menſium cum intercalari, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat.* De hac eadem re Am. Marcellinus *lib. 26.* modum intercalandi à Cæſare inuentum recenſens, hæc in fine ſcribit: *Hæc nondum extenſis ſuſius regnis diu ignorauerunt Romani, perque ſecula multa obſcuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant; quum in Sacerdotes poteſtatem tranſtuliſſent intercalandi, qui libenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium ſuum*

*detrahebant tempora, & augebant.* Ex iam dictis itaque ſatis patere puto, Liuii dicta intelligenda eſſe de anno, in quo intercalatum eſt, hoc eſt, in quo 13. menſes fuere, ſcilicet 12. ex conſuetudine, & inſuper 13. intercalares. Quo autem in loco inter cæteros conſuetos menſes intercalares reponentur, ex Liuii verbis intelligimus, nempe die tertio poſt Terminalia Kalendas intercalares fuiſſe. Terminalia autem ſacrificia erant, quæ fiebant Termino Deo ad Oct. Kalend. Martias, ex Lactantio *Diuinarum Inſtit. lib.1.c.*20. de his Terminalibus Cic. *in Philipp.* Horatius *Epod.* 2. *Ode* 9. & Varro *de lingua Latina, lib.* 5. & Ouid. 2. *Faſtorum.* Itaque circa finem Februarii intercalatum à Rom. conſtat ex hoc loco Liuii, & ex eodem libro 45. vbi ait: *Intercalatum eo anno, poſtridie Terminalia intercalares fuere*, Kalendæ ſcilicet, vt ego interpretor. Vbi notandum hanc intercalationem à præcedenti diſtare per tres annos tantum, nam prior anno ab V. C. 580. poſterior anno 583. Et Cenſorinus ait, intercalatum, à Romanis inter Terminalia, & Regifugium, & ſicuti Terminalium feſtum celebrabatur 6. Kal. Martias, ita poſtridie Regifugii feſtum, in memoriam Tarquinii fugæ, qui eo die Roma profugit; quod pariter Macrobius confirmat. Ex quibus patet, quum apud Catonem legimus de re ruſt. c.150. *Si intercalatum erit Kal. Maiis, agnos* 30. *non amplius promittat*, legendum *Kalen. Mart.* Poſtremo ſciendum, & intercalandi modum à Cæſare inuentum, & à nobis obſeruatum vitio non carere; quod docuere Plinius *lib.* 18. *c.* 25. & Budæus *in Poſt. Annot.* & Bæda *de ratione temporum*, & deniq; omnes illi, qui de Gregoriano Kalendario conſtituendo ſcripſere.

## T. LIVIVS LIB. XLIII.

*Fuga comitum, & quiritatio facta, vt tumultus tota Vrbe diſcurrentium cum luminibus.*

VArro lib. de lingua Latina, *quiritare*, inquit, *eſt Quirites ciere.* Et Nonius, *quiritare* ait, *eſt clamare, deductũ ab iis, qui Quirites inuocant.* Lucillius li.12. Sat. *Cõcurſus velut aurarum, clareq; quiritãs.* Ab Apuleio ponitur *pro ſuppetias petere.* Budæus *in calce li.* 2. *de aſſe* ſcribit: *Quũ olim Cato, & alii ſeueriores in Vrbe magiſtra-*

*magiſtratus conciones queribundas ad populum haberent, quiritare à crebra Quiritum appellatione vocatum.* Ciceroni in Epiſtolis, *quiritare* eſt fidem pop.Rom.implorare, ait namque: *Et illi miſero quiritanti, ciuis Romanus ſum; reſpondit, abi nunc, populi Romani fidem implora.* Tacitus in calce lib.16.Annal. *Igitur flẽtes quiritantesq́; qui aderant.* Liuius lib.40. *Occulebat vim, quod pre vlulatibus, ob tympanorumq́; & cymbalorum ſtrepitum, nulla vox quiritantium inter ſtupra & cædes exaudiri poterat.* Et paulo poſt: *Deducere in locum, qui circumſonet vlulatibus cantuq́; ſymphonia, & cymbalorum & tympanorum pulſu, ne vox quiritantis, quum per vim ſtuprum inferatur, exaudiri poſſit.* Publius quoque Nigidius in Commentariis Grammaticis ſcribit, *clamat, quiritat.* Ab hoc verbo *quirito* tractæ voces, *quiritatio* & *quiritatus.* Teſtimonio Vallæ, authoritate Varronis, *quiritatus* eſt clamor vrbanorum, quiritatus quoque infantium eſt, ſicuti clamor virorum, & vlulatus fœminarum. Plinius Epiſtola 106. *Audires vlulatus fœminarum, infantium quiritatus, clamores virorum.* Ita & quiritatio eſt clamor publicus, cum mœrore & triſtitia auxilium implorantium, quod clare ex ipſius textus verborum ſerie colligitur. Nec mirum (quod Glareanus annotauit) Liuium Romana voce in Græca actione vſum, nam Romanis, non Græcis ſcribebat hiſtoriam.

## T. LIVIUS LIB. XLIII.

*Bis ampliatus tertio abſolutus eſt reus.*

IN iudiciis antiquis *ampliare* verbum forenſe erat, & ſignificabat interloqui, ſeu ſententiam differre, quum cauſa adhuc eſſet obſcura, vnde iudex pronuntiabat; *non liquet.* Cic. in orat. pro Cluentio: *Homines ſapientes, qui neq; abſoluere hominem nocentiſsimum poſſent, neque re incognita primo condemnare vellent, non liquere dixerunt.* Hoc verbum *ampliare* non extat in Pandectis, extant tamen reliquiæ formulæ (*non liquet*) apud Vlp. *l. Pomponius* 13. *§ arbiter. D. de recept. arbit.* ſcribit A. Gellius lib.14.cap.2. *à verbo ampliare deriuata vox ampliatio, & amplius pronuntiare, quæ idem ſignificabant*; quod ex Cic. facile deprehenditur, quum *in Orat. pro Cæcinna*, in-

quit: *Quum cauſam non audiſſet, & poteſtas eſſet ampliandi, dixit ſibi non liquere.* Et in Verr. *Glaucias primus tulit, vt comperendinaretur reus antea, vel iudicari primo poterat, vel amplius pronuntiari.* Et rurſus: *Vt de Philadomo amplius pronuntiaretur*, alias *ampliaretur.* Et iterum: *Vt etiamſi lex ampliandi faciat poteſtatem, tamen iſte turpe exiſtimaret, non primo iudicare.* Et ad Heren. *Quid fuit iudices, quare iſtum nefarium ampliaueritis?* Et de claris Orat. *Quum Conſules re audita, amplius de conſilij ſententia pronuntiauiſſent.* Rem hanc clare aperit Aſconius, inquiens: *Mos veterum fuerat, vt ſi quis abſoluendus eſſet, ſtatim abſolueretur, ſi damnandus, ſtatim damnaretur, ſi cauſa non eſſet idonea ad damnationem, abſolui tamen non poſſet, amplius pronuntiaretur.* Verum quum Romanis mos eſſet, etiam iudicia proferre per tabellas, tres dabantur tabellæ, diuerſis notis inſculptæ, quarum quam vellent, in vrnam imponerent. Vna habebat ſignatum *A.* quæ erat abſolutionis nota: altera C quæ condemnationis: tertia *N.L.* quæ *non liquere* ſignificabat, & ſic cauſam vel reum ampliandum; quod colligimus ex Cicerone *in Diuinat.* & Paulo, *l. Pomponius, de re iudic. P. & l. final. de iniu. iuncta l. decurionum. §. final. ex quibus cauſis maior. P.* Omitto enim, quod alij ſcripſere, nempe, D. damnationis notam fuiſſe, & θ. literam Græcam mortis notam fuiſſe, ex Perſio, Satyr. 4.

*Et potis es vitio nigrum præfigere theta.*

Et Martiale 7. Epigram. 36. ad Caſtricium:

*Noſti mortiferum quæſtoris Caſtrice ſignum,*
*Eſt operæpretium diſcere theta nouum.*

Et Auſonio:

*Tuumq́, nomen theta ſectilis ſignet.*

Nam de litera D. nihil apud probatum auctorem me legiſſe memini; de θ. autem, quod diximus, ſpectat potius ad Græcorum, quam Romanorum morem. Sed ad rem noſtram reuertentes, *ampliatos*, ſcribit Liuius, P. Furium Philum, & M. Matienum reos, hoc eſt, iudicium illorum dilatum, & quum dicenda de integro cauſa eſſet, excuſati exilii cauſa ſolum vertiſſe. Et M. Tiſinium bis ampliatum, tertio abſolutum. Itaque ampliati dicebantur, vt *in Annot.* Budæus

tradit,

tradit, quorum damnatio vel abſolutio differebatur, aut quia coram teſtes ſiſtendi eſſent, & cum illis committendi, aut quia nondum plene liquebat, aut de crimine, aut de modo pœnæ, aut quia argumenta & probationes nondum ſatis erant idonea ad abſoluendum vel condemnandum. Ad quod videtur ſpectare Plautinum illud in Amphit.

*Iacent rationis, ſilet iudicium, quid dicam neſcio.*

Verum quia comperendinatio & ipſa erat iudicii ferendi prorogatio, ob id Budæus ibidem, Sigonius *lib. de Iudiciis 2. c. 21.* & F. H. *in Com. verbo ius, & in Com. in 3. Verr.* in differentiis aſſignandis inter ampliationem & comperendinationem plurimum laborauere. Nos, quas præcipuas arbitramur, breuiter adducimus: Ampliatio libera erat, & in iudicum poteſtate poſita, comperendinatio neceſſaria, & legis Seruiliæ imperio conſtituta; cuius rei paſſim in Verr. extant exempla. Ampliatio quoque ſæpius fieri poterat, comperendinatio ſemel tantum; bis factam ampliationem, ex hoc Liuii loco colligimus. Publicanorum quorundam cauſam tribus ampliationibus prolatam, tradit Cic. *lib. de clar. Orat.* Valerius Maximus *lib.* 4. ſcribit cauſam C. Cottæ repetundarum accuſati à L. Scipione ſepties ampliatam fuiſſe, at comperendinatione ſemel iudicium dilatatum, alias docuimus. Tertia differentia eſt, quod ampliationis tempus in iudicis arbitrio poſitum erat, comperendinationi vero perendinum diem tantum aſſignatum, hoc eſt, diem tertium, Græci *μεταύριον* dicunt, id eſt, *poſtcraſtinum*, quod ex Cic. in Bruto clare percepimus. Hiſce tribus differentiis præcipue ampliationem & comperendinationem diſtingui puto, cæteras minus forte veras, vel ſaltem haud neceſſarias cenſeo, vtputa quod in comperendinatione poſſet eſſe ampliatio, nequaquam in ampliatione comperendinatio; & quod in comperendinatione defenſor ſeu reus primum diceret, ſecundo loco accuſator, in ampliatione primum accuſator, deinde defenſor, & aliæ eiuſdem generis, quas lubens omitto, quum ex dictis Liuii ſatis ſententiam apertam exiſtimem.

T. LI-

## T. LIVIVS LIB. XLIII.

*Ita prætritis ſilentio obliteratis, in futurum conſultum ab Senatu Hiſpanis, quod impetrarunt, ne frumenti æſtimationem magiſtratus Romanus haberet, neve cogeret viceſimas vendere Hiſpanos quanti ipſe vellet, & ne præfecti in oppida ſua ad pecunias cogendas imponerentur.*

PLures viceſimæ differentiæ apud ſcriptores obſeruamus. Dion Caſſius *lib.55.* refert, Octauium Auguſtum viceſimam hæreditatis & legatorum, exceptis, quæ genere proxime iunctis, ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, ſtatuiſſe inferri in ærarium militare Cæſaris. Hinc lex Iulia *de viceſima* dicta. Leges addidiſſe de hæreditatum viceſima Antoninum philoſophum, ſcribit Iulius Capitolinus, quas omnes ſuſtuliſſe Iuſtinianum conſtat ex C. *de edict. D. Hadr. tollend.* Huius viceſimæ ibidem *l. vlt.* fit mentio, & à Paulo *lib. Sentent. 4. cap. 6.* & à Plinio *in Panegyr. lib. 7. Epiſt. ad Corelliam*, & alia eiuſdem lib. *ad Fabatum.* De eadem Æmilius Macer binos libros conſcripſit. Fuit & alia viceſima portorii, vectigal, inquam, quod pendebatur pro exportatione rerum; cuius meminit Cic. *in 4. act in Verr.* inquiens: *Scribit H——S. LX. ſocios perdidiſſe ex viceſima portorij Syracuſis.* Quum Plinius locis allegatis viceſimæ verba facit, ſunt qui intelligant de viceſima rerum venalium, cuius tamen impiiſſimæ & infandæ exactionis nullibi meminiſſe ſcriptores obſeruaui. Fuit & alia viceſimæ lex longe antiquior, lata anno 298. ab vrbe condita, cuius meminit Liuius *lib. 7.* in hæc verba: *Ab altero Conſule nihil memorabile geſtum, niſi quod legem nouo exemplo ad Sutrium in caſtris tributim de viceſima eorum, qui manumitterentur, tulit: Patres quia ea lege haud paruum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt.* Hac libertini tantum tenebantur, ob idque etiam ad Ciceronis vſque tempora retentam, ipſemet, vti ad Attic. ſcribens *lib. 2.* ita confirmat: *Portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diuiſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum præter viceſimam, quæ mihi videtur vna conciuncula clamore pediſſequorum noſtrorum eſſe peritura.* Hanc Neronem cum aliis per initia ſui Imperii, vt popula-

e

rem

rem auram aucuparetur, ſuſtuliſſe vel remiſiſſe, teſtari videtur Tacitus *lib.*13. Aurum viceſimarium hinc deductum, putant doctiores, quod ex hac viceſima colligeretur, cuius Liuius *lib.* 13. in hæc verba ſcribens, meminit: *Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, Conſulibus, aurum viceſimarum, quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruaretur, promi placuit, prompta ad quatuor millia pondo auri.* De hac viceſima, de qua Pomponius ait, A. Ofilium primum ſcripſiſſe, *l.2.§.ex his. D. de orig. iur.* intelligendum opinatur F.H. At de nulla harum viceſimarum Liuii verba intelligenda, tum temporum computatio, tum ratio ipſa ſuadet. Namque nulla earum in Hiſpanorum ita erat poteſtate, vt eam quoquo modo vendere poſſent, ſed eorum omnium exactio ad Rom. magiſtratus ſeu viceſimarios exactores ſpectabat. Quamobrem ego per viceſimas hoc loco interpretor, vigeſimam partem frumenti, quam Hiſpanorum vnuſquiſque poſſidebat: duo enim impetrauerunt Hiſpani à Senatu, vnum, ne magiſtratus Rom. eorum frumento pro libito pretium conſtituerent; alterum vero, ne cogere poſſent eoſdem, viceſimam frumenti, quam haberent ſinguli, partem vendere, quanti ipſi magiſtratus vellent.

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Romanus ad Clitas, quas vocant, munimenta ceruis etiam obiectis, vt viam intercluderet, à Macedonico ad Toroniacum mare perducit.*

QVi qualeſque eſſent cerui in re bellica, & in munimentis conficiendis, diſcere licet ex Iulio Cæſare, *lib.* 7. *belli Gallici*, de obſidione Vercingetoricis verba faciente, vbi ita ſcriptum reliquit: *Duas foſſas 15. pedes latas, eadem altitudine perduxit: quarum anteriorem campeſtribus & demiſſis locis, aqua ex flumine deriuata compleuit, poſtea aggerem & vallum 12. pedum extruxit, huic loricam pinnasq; adiecit, grandibus ceruis, eminentibusq; ad commiſſuras pluteorum atque aggeris, qui adſcenſum hoſtium tardarent*, & cætera quæ ſequuntur. Ex quibus elicimus, fuiſſe ceruos ligneos ſtipites, truncos ſeu cippos humi infixos ad hoſtium impetum retardandum; quod & Liuius

Liuius hoc loco confirmare videtur, inquiens, munimentis à Romanis fabrefactis, & ceruis obiectis, viam intercluſam. Vocatos autem ceruos, & ab aliis ſtipitibus differre arbitror, quod in ſupernis cacuminibus veluti bifurcati eſſent, & acuminati inſtar animalium ceruorum cornua. Ita & cerui appellatæ furcæ, quæ ad caſæ agreſtis ſuſtentationem figebantur, & eadem de cauſa. Vnde Virgil.

*Atq; humiles habitare caſas, & figere ceruos.*

Ita & à ſimilitudine celeritatis animalis cerui fugientes ſeruos ceruos appellatos, eadem ratione, docet Pomponius Feſtus. Idem & Varro refert *lib.4. de lingua Latina,* inquiens, Ceruos in caſtris à ſimilitudine cornuum ceruorum appellatos, quorum meminit & Tibullus *lib.4. ad Meſſal.*

*Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos.*

Male enim qui legunt *neruos,* namque verbum illud *defigere,* quis non vidit neruis minime aptari poſſe?

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Cenſores cenſum Idibus Decembribus ſeuerius quam antea habuerunt, multis equi adempti, inter quos P. Rutilio, qui tribunus plebis, eos violenter accuſarat. Tribu quoque is motus, & operarius factus ad opera publica facienda.*

Cenſores variis pœnis animaduertiſſe in illos, quos nota afficiebant, legimus. Namque equum adimebant quandoque, ſcilicet quem ei è publico in bellicos vſus aſſignatum, habebat; vel tribu mouebāt, hoc eſt, è honeſtiore tribu in minus honeſtum transferebant, vti ex ruſtica in vrbanam, vel ex ruſtica in ruſticam, quod docet Liuius, vbi de Claudio cenſore. Nam in vrbanam tribum transferri ignominioſum erat, vti teſtatum reliquit Plinius *lib.18. c.3.* præterea in Ceritum tabulas transferebant, hoc eſt, ſuffragio ſpoliabant. Ad hæc ærarium faciebant, id eſt, (ſi Pædiano credimus) nullum aliud ciuitatis ius relinquebant in centuria, atque adeo in tribu, quam vt pro capite ſuo æs penderent. Senatores etiam aliquos notabant, & ſenatu amouebant. Hæc tantum cenſoriæ pœnæ genera ex hiſtoriis recentiores adnotarunt. Addimus nos, hoc Liuii loco moniti,

niti, ſextum genus, quod erat operarium facere ad opera publica facienda, ſcilicet, vt pecunias ſoluerent in opera publica impendendas, hoc eſt, ſoluendas illis, quibus opus aliquod publicum faciendum locaſſent cenſores. Ita apud eundem Liuium legimus *lib.* 10. ex pecunia collecta & fœneratorum damnatione plura opera publica facta, ita & alia opera publica confecta, ex pecunia multaticia à pecuariis damnatis exacta, & *lib.* 35. De mulcta quoque fœneratorum quadrigas inauratas, clypeos inauratos in Capitolio poſitos, & porticum factam extra portam tergeminam.

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Titus Sempronius ex ea pecunia, quæ ipſi attributa erat, ædes P. Africani pene Veteres ad Vortumni ſignum, laneaſq; & tabernas coniunctas in publicum emit, baſilicamq; faciendam curauit, quæ poſteà Sempronia appellata eſt.*

EX hoc Liuii loco patet, differentiam illam, quam Carolus Sigon. *lib. Prouinciarũ* 2.*c*.8. ſtatuit inter pecuniam attributam & vectigalem, corruere. Ait enim, pecuniam attributam fuiſſe, quæ hauriebatur ex ærario, vectigalem vero, quæ ex vectigalibus & tributis colligebatur. At hæc pecunia attributa T. Sempronio, ex vectigalibus fuit collecta; ergo non ex ærario, quod ex eiuſdem Liuii verbis elicitur, ſic ſcribentis: *Cenſoribus dimidium ex vectigalibus eius anni attributum ex S.C. à quæſtoribus, ex qua pecunia attributa T. Sempronius baſilicam faciendam curauit, quæ poſtea Sempronia appellata eſt.* Cæl. Rhodig. *lib.* 10. *cap.* 3. videtur innuere attributam pecuniam fuiſſe, quæ tributi nomine ſtatueretur, idque ex Liuio *lib.* 39. ſcribente de cenſura Catonis aſpera ita in omnes ordines; ornamenta & veſtem muliebrem, vehicula & mancipia æſtimantem, & his omnibus rebus terni in millia æris attribuentem. Item *lib.* 1. ait: *Vnde equites alerent equos ex publica pecunia emptos, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent.* Huic ſententiæ fauere videtur Varro *libro* 5. *de Lingua Latina*, vbi ait: *Tributum dicitur à tribubus, quod in pecunia, quæ à populo imperata erat, tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur.*

Cic.

Cic.*in pratura vrb.*inquit: *Ne diutius teneam pecuniam attributam; profectus eſt quaſtor in prouinciam:* quæ verba exponens Aſconius, attributam pecuniam eſſe inquit, quæ in militum ſtipendium de ærario à tribunis ærariis quæſtoria adnumerabatur. Hæc ſententia etſi ſpecifice ſuſtineri poſſit, tamen generice & in vniuerſaliori ſignificatione mihi magis probatur Budæi expoſitio in prioribus Annot. *in P.ex titul.de officio quaſt.*vbi pecuniam attributam *aſſignatam* interpretatur. Nam quæ in ſtipendium militum aſſignabatur, attributa dicebatur ex Cic.& Aſconio locis adductis, ita & quæ equis alendis aſſignata erat ex viduarum cenſu, ex Liuio *attributa* appellata, ſic & quæ magiſtratibus in prouinciam proficiſcentibus aſſignabatur, attributa pecunia dicta. Cic.in Piſon. *Nonne ſeſtertium centies & octogies ex arario ſibi attributum Roma in queſtu reliquiſti?* Idem Cic. Conſul ad Caninium ſcribens, inquit: *De drachmis centum millibus nihil eſt, quod in iſto genere cupiam poſſim accommodare, omnis enim pecunia ita tractatur, vt prada à Prafectis, qua autem mihi attributa eſt, à quaſtore curetur.* Attribuere enim inter cæteras ſignificationes accipitur pro aſſignare. Cic.in Anton.*Antonius mihi pecuniam attribuit:* & rurſus: *Quantiq; locarint, tantam pecuniam redemptori reſoluendam attribuendamq; curent:* & ad Attic.*Pueros attribue ei, quot & quos videbitur.* Et ad Q.Fratrem: *Inſula, qua erant à Sylla, Rhodiis attributa,* & alibi pluries. Quare hoc in loco pecuniam T.Sempronio attributam, *aſſignatam* interpretandum puto, ſicque omnem difficultatem tolli.

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Legati ex Macedonia quinquatris vltimis adeo expectati venerunt, vti, niſi veſper eſſet, extemplo Senatum vocaturi Conſules fuerint.*

VVlgatiſſimum eſt, Quinquatria fuiſſe feſta, quæ Mineruę ſeu Palladi fiebant, ita appellata, quod per quinque dies poſt Idus, qui inter atros connumerabantur, fiebant, vti Ouid.3.Faſt.

*Vna*

*Vna dies media eſt, poſt fiunt ſacra Mineruæ,*
*Nomina quæ à iunctis quinque diebus habent.*

Et Varro *de Lingua Latina* 5. docet, quinquatria fuiſſe feſtá Mineruæ ſacra, per quinque dies ab Idibus. Gellius libro 2. cap. 21. *Quod quinquatrus*, inquit, *dicamus, quod quinque ab Idibus dierum numerus ſit atrus nihil.* Porphyrion enarrans illud Horat. Epiſt. 2. Epiſt. 2.

*At potius puer, vt feſtis quinquatribus olim,*

ſcribit, quinquatrus à quinque diebus dici, qui dies ad ferias Mineruæ pertinet, propterea quod feſtæ ſolemnitates eiuſdem Deæ per hoc ſpatium celebrabantur. Cic. *in Epiſt.* eleganter dixit: *Quinquatribus egi cauſam ſuam, non inuita Minerua:* & rurſus: *Ita tumultuoſæ conciones quinquatriis afferebantur.* Domitianum Imperatorem quinquatria quotannis Mineruæ celebraſſe ſolemnia in monte Albano, ita vt & collegium ad magiſterium earum inſtitueret, teſtis eſt Sueton. in illo, *cap.* 4. Quod etiam inſigniter deſcribit Iuuenalis *Satyr.* 11. tam liber & verax, quam contra vani & adulatores Papinius & Martialis. Nero Agrippinæ matri ſtruens inſidias, eam Baias euocauit ad ſolennia quinquatrium ſimul celebranda, ex eodem Sueton. *cap.* 34. Errant ſane toto cœlo (vt aiunt) qui quinquatrum diem vnum ſolummodo fuiſſe feſtum ex Varrone exiſtimant, ſcribente *lib. de Lingua Latina* 2. quinquatrum diem vnum feſtum ſic appellatum, quod erat poſt diem quintum Idus Martii; quam ſententiam & ſequutus eſt Beroaldus in comm. loci citati, qui tamen vna cum aliis eiuſdem opinionis facile erroris conuincitur. Nam Sueton. *in Auguſt. cap.* 71. ſcribit: *Nos mi Tyberi quinquatris ſatis iucunde egimus, luſimus enim per omnes dies, forumq́ aleatorium calefecimus.* Præterea Liuius *lib* 36. ſic habet: *Interrupit hos ſermones nocte, quæ pridie Quinquatrus fuit pluribus ſimul locis circa forum incendium ortum.* quo loco *pridie quinquatrus* interpretandum non dubito, priorem ex quinquatriis diem. Sic & apud Cic. ad Attic. 9. *Fuit enim pridie quinquatrus egregia tempeſtas, qua ego illum vſum puto.* Gellius namque *lib.* 19. *c.* 24. putat dictum pridie, quaſi priſtini, id eſt, priore die. Sed de re hac clarius Ouid. lib. 3. Faſt.

H —— Sunt

*—— Sunt ſacra Mineruæ*
*Nomina, quæ à iunctis quinq; diebus habent.*
*Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,*
*Cauſa, quod eſt illo nata Minerua die.*
*Altera treſq; ſuperſtrata celebrantur arena,*
*Enſibus exertis bellica læta Dea eſt.*

Ex his, quæ à Liuio ſunt dicta *vltima quinquatria*, facile colligimus, non vltimum quinquatrium, diem videlicet quintum intelligere, hæc illius verba clare demonſtrant: *Legati ex Macedonia quinquatribus vltimis adeo expectati venerunt, vt, niſi veſper eſſet, extemplo Senatum vocaturi Conſules fuerint. Poſtero die Senatus fuit, legatiq; auditi ſunt.* Hunc genuinum ſenſum verborum Liuii eſſe etſi arbitror, nihilominus & aliam expoſitionem afferre libet huiuſmodi. Habemus ex Feſto Pompeio, *lib.2.* Quinquatria proprium Mineruæ feſtum fuiſſe poſt Idus Martias, aliud vero feſtum quinquatrium poſt Idus Iunias, quæ vocabantur *quinquatria minuſcula*, ſeu *minores*, & erat feſtum tibicinum, qui colebant Mineruam. Hinc Ouid. 6. Faſt.

*Et iam quinquatras iubeor narrare minores,*
*Huc ades ô cœptis flaua Minerua meis.*
*Cur vagus incedit tota tibicen in vrbe,*
*Quid ſibi perſonæ, quid toga longa volunt?*

Itaque *vltima quinquatria* interpretari poſſumus hæc minora vocata, quæ poſtremo tempore celebrabantur, menſe ſcilicet Iunio, ad differentiam priorum, quibus proprie colebatur Minerua menſe Martio; vtramlibet accipiat lector expoſitionem.

## T. LIVIVS LIB. XLV.

*Cætera omnis generis arma cumulata in ingentem aceruum, precatus Martem, Mineruam, Lunamq; matrem, & cæteros Deos, quibus ſpolia hoſtium dicare ius faſq; eſt, ipſe Imperator face ſubdita ſuccendit, deinde circumſtantes tribuni militum, pro ſe quiſque ignes conieceruut.*

HVnc locum enarrans doctiſſimus Turnebus *Aduerſ. lib. 16. cap. 20.* non *Lunam matrem*, ſed *Luam matrem* legendum

gendum contendit, alio eiuſdem Liuii loco *lib.*8. permotus. Per initia enim libri illius legimus: *Armorum vis magna, tum inter cæſa corpora hoſtium, tum in caſtris inuenta eſt. Ea Luæ matri ſe dare Conſul dixit.* Hanc Luam Deam ita appellatam, inquit Turnebus, à luendo & expiando, eamque præfuiſſe luſtrationibus & luſtris, poſt cædem enim hoſtium & bellum, opus purgamentis & piaculis eſſe. Ego ſane libentiſſime, ni ratio aliter ſuaderet, cum doctiſſimo viro conſentirem. Sed quæſo, vnde hæc noua Dea excogitata? quis illius ex claſſicis authoribus verba fecit? Nam in loco adducto mendum ineſſe, mox demonſtrabimus. Fatemur gentilium Deorum innumeram farraginem, ita vt D. Auguſtinus *lib.*4. *Ciuitatis Dei, cap* 23. & *lib.*7. *cap.*2. ex Varrone dixerit, ſupra triginta millia fuiſſe, & Pindarus ante illum triginta millia eſſe dixit, ſi Maximo Tyrio credimus, qui illum citat *Ser.*1. id tamen referens ad opera & effectus diuinitatis. Verum enimuero, quomodo Liuius pene incognitam Deam ſpecifice cum Marte & Minerua nominarit, non video: quinimo rationi conſentaneum erat, vt potius eam (ſi qua eſt) in generali illa dictione, *& cæteros Deos, quibus ſpolia hoſtium dicare ius, faſq́; eſt*, comprehenderet. Auget difficultatem, quod epitheton, *matrem*, adiunxerit, quo præcipuos magnoſque Deos donauit antiquitas, non communioribus attribuens. Adhæc admiratione non caret, ſi hæc luſtrationibus præerat, cur ſcriptores illius non meminere, vbi de exercituum luſtratione agunt. *Armiluſtrum* vocauit Varro *lib.*4. *linguæ Latinæ*, ex quo Plutarchus *in Romulo*, & Liuius ipſe *lib.*1. Dionyſius Halycar. *lib.*4. ſcripſere, cur in claſſium expiatione, cuius Liuius *lib.*39. & Appianus meminit *lib.*5. *bel. ciuil.* Nec in rogi militaris luſtratione, de qua Virg. lib. 11. Æneid.

*Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis*
*Conijciunt igni galeas enſeſq́; decoros.*

Cur, inquam, in huiuſmodi militaribus expiationibus ſcriptores de Lua Dea ne verbum quidem fecere? Vtrobique itaque Liuium matris Lunæ verba feciſſe crediderim, mendumque ineſſe potius *lib.*8. quam *lib.*45. impreſſorum

incuria, qui pro litera *n*, elementum *u* facile ſuppoſuere, nam characteres vtranque literam exprimentes, conſimiles maxime ſunt, ſique inuertantur, alter alterum repræſentat. Lunam vero iure matris attributo donatam conſtat, quippe quæ ſublunarium omnium generationi & incremento opem ferat. Vnde non immerito Ariſt. *lib. de Animal.* ſcripſit, Lunæ naturam perſimilem videri naturæ terræ, quam magnam matrem dictam alibi docuimus. Ait Turnebus, *Quid attinet arma in honorem Lunæ comburi?* At ipſe ſciat velim, in re militari maximum Lunæ vſum, nec contemnendum iuuamen plerunque in rebus bellicis eam præſtitiſſe. Communiora omitto, particularia exempla aliquot adduco, ex antiquorum hiſtoria excerpta. Germani in prælio ineundo religioſi Lunam nouam obſeruabant, tradente Plutarcho *in Iulio Cæſare.* Ipſemet Liuius, de cuius dictis agitur controuerſia, quot bellicas inſidias ſilente Luna patratas, quæ itinera ea perlucente noctu facta recenſet? *Lib.* 32. vbi de T. Quinctio ſcribit: *Nocte itinera fieri iubet, & pernox forte Luna erat.* At audiamus, quæ magis ad diuinitatem accedunt exempla. Idem Liuius *lib.* 44. hæc habet: *C. Sulpitius Gallus Tribunus militum ſecundæ legionis, qui prætor ſuperiore anno fuerat, Conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis, pronuntiauit, nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda vſque ad quartam horam noctis Lunam defecturam eſſe, id quia naturali ordine ſtatis temporibus fiat, & ſcire ante, & prædici poſſe. Itaque quemadmodum quia certi Lunæ Soliſq; & ortus & occaſus ſint, nunc pleno orbe, nunc ſeneſcente, cornu exiguo fulgere Lunam, non mirarentur, ita ne obſcuram quidem, quum condatur vmbra terræ, trahere id in prodigium non debere. Nocte, quam pridie Nonas Septembris inſecuta eſt dies, edita Luna cum defeciſſet, Rom militibus Galli ſapientia prope diuina videri. Macedonas, vt triſte prodigium, occaſum regni, perniciemq; gentis portendens mouit; nec aliter vates; clamor vlulatuſq; in caſtris Macedonum fuit, donec Luna in ſuam lucem emerſit.* Pergit deinceps Liuius pugnam deſcribere, & Romanorum victoriam. Sed audiamus & Tacitum, *lib. Annal.* 1. vbi de ſeditione Pannonicarum legionum: *Noctem minacem, & in ſcelus erupturam*

*fors*

*fons leniuit. Nam Luna clariore pene cœlo viſa langueſcere, id miles rationis ignarus, omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſideris adſimilans, proſpereq́; ceſſura quæ peragerent, ſi fulgor & claritudo Deæ redderetur. Igitur æris ſono, tubarum cornuumq́; concentu ſtrepere, vt ſplendidior obſcuriorve lætari aut mœrere, at poſtquam oborta nubes officere viſui, creditumq́; conditam tenebris, vt ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora auerſari Deos lamentantur.* Et paulo poſt: *Tum redire paulatim amor obſequij, omittunt portas, ſigna vnum in locum principio ſeditionum congregata, ſuas in ſedes referunt.* Itaque parumne momenti in bellicis rebus Lunæ numen eſſe dicemus? an potius iure hoſtium arma, ſicuti Marti & Mineruæ, Lunæ comburi debuiſſe non negabimus? Ergo vt ipſiſſimis Turnebi de Luna prolatis verbis vtar, iſtam Lunam Deam capite foras præcipitem agendam puto, & in hos penates reuocandam Lunam matrem; quæ tempeſtates præuidere, & præcauere quoque milites doceat; quæ terras ſatiaret, accedens corpora impleat, abſcedens inaniat, frondes quoque ac pabula iuuet, & tandem in omnia illius vis penetret, ita vt recte Plinius *lib.40.c.99.* eam mundi ſpiritum appellarit.

## T. LIVIVS LIB. XLV.

*In quatuor vrbanas tribus deſcripti libertini, præter eos, quibus filius quinquenni maior ex S. C. eſſet. Eos, vbi proximo luſtro cenſi eſſent, cenſeri iuſſerunt. Et eis, qui prædium prædiave ruſtica plus ſeſtertium 30. millium haberent, cenſendi ius factum eſt. Hoc quum ita ſeruatum eſſet, negabat Claudius ſuffragij lationem iniuſſu populi Cenſorem cuique homini, nedum ordini vniuerſo adimere poſſe.*

PLures difficultates ex præſentis textus lectione emergunt, quarum prima eſt, quomodo affirmet Liuius ex Claudii ore eius ſuffragii, cenſorem non poſſe ciui cuiquam adimere, quum oppoſitum ſupra docuerimus ex Gellio & Aſconio palam id confirmantibus. Altera vero, quo pacto dixerit Claudius, libertinis adimi ſuffragii ius, & qua de cauſa. Id enim ſatis obſcurum videtur. Tertia, an li-

Cæſar lib.3.bel.ciuil. *Vallus contra hoſtem in altitudinem pedum decem.* Fiebant antiquitus valli ſeu munimenta caſtrorum nonnumquam ex terra & ceſpitibus, vti ex Liuio colligimus lib.25. *Circumſpectare atque agitare Dux cœpit, ſi quo modo poſſet, vallum circum inijcere, ſed erat adeo nudus tumulus, & aſperi ſoli, vt nec virgulta vallo cædendo, nec terra ceſpiti faciendo*, & quæ ſequuntur. Plinius lib.35.c.14. *Hinc & ceſpitum natura, caſtrorum vallis accommodata.* Et de eadem re plura Vegetius *lib.3. c.*8. Fiebant & nonnunquam valli lapidum congeſtis molibus. Sic Carthaginenſes ſaxis vndique circa, ex propinquis vallibus congeſtis vallum auxerunt, tradente Liuio *lib.*28. Philippus quoque Macedonum Rex lapidum congerie, vt pro muro eſſent, præmuniuit caſtra, apud eundem Liuium *lib.*31. & pariter Antiochus *lib* 36. arboribus obiectis, & quandoque vallum conſtitutum legimus *lib.6.* poſt principium, vbi de vallo Volſcorum. Et *lib.*25.*&* 31. vbi de Philippo Macedonum Rege. Ex militum haſtis hoſti obiectis veluti vallum quandoque factum legimus apud eundem authorem *lib.*36. Eodem pacto Cic. in Piſ. Alpium montes aduerſus Gallorum aſcenſum tranſgreſſumque *vallum* dixit. Couſtruebant pariter antiqui caſtrorum munimentum ſeu vallum ex palis ſolo infixis inuicem adhærentibus & connexis, qui & ipſi valli appellati. Sic palum, cui vitis alligatur, *vallus* dictus. Virg.1.Georg.

*Exacuunt alij vallos furcasq; bicornes.*

Et iterum:

—— *Et vallos primus ſub tecta referto.*

Et 2.eiuſdem:

*Quadrifidasq; ſudes & acuto robore vallos.*

In hac ſignificatione accipiendam valli vocem hoc in loco, non dubito, dum ait, Scipionem Africanum coegiſſe ſingulos milites ſeptenos ferre vallos, hoc eſt, palos acutos, quibus conficiendis caſtrorum munimentis, quum opus eſſet, vterentur, & humo infigerent. Eodem modo & Cic. in Tuſcul. *ferre vallum* dixit: & Epiſt.6.ad Att. *Vallum Lucillianum*, Satyricum carmen appellauit, quo ceu vallo, id eſt, fuſte Lucillius homines male afficiebat, ſeu verberabat.

MAR-

# MARCELLI DONATI IN CORNELIVM TACITVM DILVCIDATIONES.

## CORNELIVS TACITVS LIB. I.

*Neque mortem nepoti pro ſecuritate priuigni illatam credibile erat, propius vero Tiberium ac Liuiam, illum metu, hanc nouercalibus odiis ſuſpecti & inuiſi iuuenis cædem feſtinauiſſe.*

ABIIT in prouerbium, *Nouercale odium*, & pro inſigni malo *nouerca*; ſic ſcriptum: *Dies quandoque parens quandoque nouerca.* Et Menander in ſententiis Comicis Græcorum *cap.24.* δεινότερον ἄλλο δὲν μητρείης κακὸν, hoc eſt, *Nullum maius malum nouerca.* Charondas Sibaritis tulit legem, vt qui liberis ſuperinduxiſſet nouercam, conſilio Senatus, & patriæ ſubmoueretur; nunquam ab eo exiſtimans patriam recta ac ſalubria conſilia ſperare poſſe, qui liberis propriis male cõſuluiſſet; quod ſcripſit Diodorus Siculus *lib.12.Bibliot.* Gloſſa *in §.ſocrum, de Nupt.* tradit Nouercam dici, quaſi *noua arca*; Rectius tamen alii, quaſi νέα ἀρχή, id eſt, *noua princeps*, ſtatim enim atque in domum mariti traducitur, omnia ſibi arrogare nititur. Et ſæpe nouercalibus delinimentis infatuati mariti coguntur iudicium ferre contra proprium ſanguinem; & filios exhæredare, *ex l. 4. de inoff. teſt. in P.* ſic Euripides *in Alceſte* ſcribit:

> ἐχθρὰ γὰρ ὑπιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις
> τοῖς πρὸς θ' ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα.

hoc eſt: *Inimica eſt enim ſubiens nouerca, prioribus liberis vipera*



Digitized by Google

*nihilo mitior.* Hinc ſcriptores ſemper nouercę voci *impiā, crudelem, iniuſtam, ſæuam,* & huiuſmodi adiiciunt. Virg. in Bucol.

*Eſt mihi namque domi pater, eſt iniuſta nouerca.*

Ceſtius Pius apud Senecam lib. 4. Controuerſiarum ait: *Sed adhuc crudelis & pertinax nouerca poſt omnia deuicta, nihilominus ſæuit.* Et Ouidius in Epiſt. Medeæ ad Iaſonem:

*Sæuiet in partus dira nouerca meos.*

Et Claudianus de raptu Proſerpinæ.

*In diræ ſubito mores tranſiſſe nouercæ.*

Virgilius iterum 2. Georg.

*Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ.*

Ouidius rurſus 2. Triſtium.

*Nam quid in Hippolyto eſt, niſi ſæua flamma nouercæ?*

Et Seneca in Traged. Octauia.

*Tulimus ſæuæ iuſſa nouercæ,*
*Hoſtilem animum, vultuſque truces.*

Et iterum:

*Sæua cui lacrymis dedit etiam nouerca.*

Itemque in Hippolyto.

*Vicit ſæuas cura nouercas.*

Et rurſum:

*Audite Athenæ, tuque funeſta pater peior nouerca.*

Et Statius lib. 2. Syl.

*Cui ſibila ſerpens poneret, & ſæuæ vellet ſeruire nouercæ.*

Valerius Flaccus lib. 1. Argon.

*——Heu ſæua nec quicquam erepta nouercæ.*

Et iterum.

*——Heu ſæuæ formido nota nouercæ.*

Ouidius lib. 1. Metamorph.

*Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.*

Et lib. 9. Metamorphoſ.

*Mors mihi munus erit, decet hæc dare dona nouercam.*

Horatius lib. Epod. Ode 5. *Quod vt nouerca me intueris.* Iure itaque Tacitus odia Vatiniana, quibus Liuia Druſum proſequebatur, *nouercalia* appellauit. Et paulo infra inquit: *Nouercalibus Liuiæ in Agrippinam ſtimulis.* Et rurſus: *Liuia grauis domui Cæſarum nouerca.* Et *manus auidæ nouercales.*

C.TA-

Digitized by Google

# C. TACITVS LIB. I.

*Nam Tiberius cuncta per Conſules incipiebat, tanquam vetere Republica, & ambiguus imperandi. Ne edictum quidem, quo Patres in Curiam vocabat, niſi Tribunitiæ poteſtatis præſcriptione poſuit, ſub Auguſto accepta.*

CONſulum ius vocandi Senatum fuiſſe elicimus ex Liuio *libro* 23. ſcribente: *Conſules edixerunt, quoties Senatum vocaſſent, vti Senatores, quibuſque in Senatu dicere ſententiam liceret, ad portam Capenam conuenirent.* Clarius Dionyſius Halycarnaſſæus *libro decimo* id docet. Quamobrem dubium videtur Taciti dictum, quum ait, Tiberium qui cuncta per Conſules incipiebat, Senatum conuocaſſe Tribunitiæ poteſtatis præſcriptione. Cui difficultati obuiam ire poſſum ex Gellii ſententia *lib.* 14. *cap.* 7. vbi habet, ex Varronis ſententia ius vocandi Senatum fuiſſe non ſolum penes Conſules, ſed & Dictatorem, Prætores, Tribunos plebis, Interregem, Præfectum vrbis, Tribunos militares, qui pro Conſulibus fuiſſent; Decemuirosq;, qui Conſulare imperium habebāt. Item & Triumuiros Reipub. conſtituendæ cauſa creatos. De vocatione Senatus à Prætoribus facta plura habemus apud Liuium exempla, præſertim abſentibus Conſulibus, vti *lib.* 8. poſt principium, & *lib.* 10. vbi de P. Sempronio Prætore creato loquitur, & *lib.* 32. vbi de Senatu à Prætoribus poſt Cannenſem cladem vocato. Et iterum *lib.* 3. vbi de Senatu vocato à M. Æmilio Prætore. & *lib.* 42. vbi de L. Cor. Lentulo Prætore, & *libro* 46. vbi de M. Iunio prima luce, Catone authore, Senatum vocante, & *lib.* 8. vbi de Seruio Sulpicio, & *lib.* 5. ad finem, & *lib.* 41. Quod pariter habemus ex Tacito *lib.* 17. vbi Prætor Vrbanus, quem non nominat, *Senatum* vocauit. De vrbis Præfecto erat authoritas Liuii *lib.* 31. vbi inquit, Senatum abſentibus Conſulibus conuocatum fuiſſe à V. Fabio Præfecto vrbis. Sed quod magis ad præſentem rem facit, quod ſcilicet à Tribunis plebis conuocaretur Senatus, multæ extant authoritates. Præſertim Cic. *lib. Epiſt. famil* 10. *Epiſt.* 27. vbi inquit: *Nam quum Senatum ad* 13. *Kal. Ian. Tribuni plebis vocaſſent, deq; alia re referrent*

totam

Digitized by Google

Liuius hoc loco confirmare videtur, inquiens, munimentis à Romanis fabrefactis, & ceruis obiectis, viam interclusam. Vocatos autem ceruos, & ab aliis ſtipitibus differre arbitror, quod in ſupernis cacuminibus veluti bifurcati eſſent, & acuminati inſtar animalium ceruorum cornua. Ita & cerui appellatæ furcæ, quæ ad caſæ agreſtis ſuſtentationem figebantur, & eadem de cauſa. Vnde Virgil.

*Atq; humiles habitare caſas, & figere ceruos.*

Ita & à ſimilitudine celeritatis animalis cerui fugientes ſeruos ceruos appellatos, eadem ratione, docet Pomponius Feſtus. Idem & Varro refert *lib.4.de lingua Latina,* inquiens, Ceruos in caſtris à ſimilitudine cornuum ceruorum appellatos, quorum meminit & Tibullus *lib.4.ad Meſſal.*

*Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos.*

Male enim qui legunt *neruos,* namque verbum illud *defigere,* quis non vidit neruis minime aptari poſſe?

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Cenſores cenſum Idibus Decembribus ſeuerius quam antea habuerunt, multis equi adempti, inter quos P. Rutilio, qui tribunus plebis, eos violenter accuſarat. Tribu quoque is motus, & operarius factus ad opera publica facienda.*

CEnſores variis pœnis animaduertiſſe in illos, quos nota afficiebant, legimus. Namque equum adimebant quandoque, ſcilicet quem ei è publico in bellicos vſus aſſignatum, habebat; vel tribu mouebãt, hoc eſt, è honeſtiore tribu in minus honeſtum transferebant, vti ex ruſtica in vrbanam, vel ex ruſtica in ruſticam, quod docet Liuius, vbi de Claudio cenſore. Nam in vrbanam tribum transferri ignominioſum erat, vti teſtatum reliquit Plinius *lib.18.c.3.* præterea in Ceritum tabulas transferebant, hoc eſt, ſuffragio ſpoliabant. Ad hæc ærarium faciebant, id eſt, (ſi Pædiano credimus) nullum aliud ciuitatis ius relinquebant in centuria, atque adeo in tribu, quam vt pro capite ſuo æs penderent. Senatores etiam aliquos notabant, & ſenatu amouebant. Hæc tantum cenſoriæ pœnæ genera ex hiſtoriis recentiores adnotarunt. Addimus nos, hoc Liuii loco moniti,



Digitized by Google

niti, ſextum genus, quod erat operarium facere ad opera publica facienda, ſcilicet, vt pecunias ſoluerent in opera publica impendendas, hoc eſt, ſoluendas illis, quibus opus aliquod publicum faciendum locaſſent cenſores. Ita apud eundem Liuium legimus *lib.* 10. ex pecunia collecta & fœneratorum damnatione plura opera publica facta, ita & alia opera publica confecta, ex pecunia multaticia à pecuariis damnatis exacta, & *lib.* 35. De mulcta quoque fœneratorum quadrigas inauratas, clypeos inauratos in Capitolio poſitos, & porticum factam extra portam tergeminam.

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Titus Sempronius ex ea pecunia, quæ ipſi attributa erat, ædes P. Africani pene Veteres ad Vortumni ſignum, laneasq; & tabernas coniunctas in publicum emit, baſilicamq; faciendam curauit, quæ poſteà Sempronia appellata eſt.*

EX hoc Liuii loco patet, differentiam illam, quam Carolus Sigon. *lib. Prouinciarũ* 2. *c.* 8. ſtatuit inter pecuniam attributam & vectigalem, corruere. Ait enim, pecuniam attributam fuiſſe, quæ hauriebatur ex ærario, vectigalem vero, quæ ex vectigalibus & tributis colligebatur. At hæc pecunia attributa T. Sempronio, ex vectigalibus fuit collecta; ergo non ex ærario, quod ex eiuſdem Liuii verbis elicitur, ſic ſcribentis: *Cenſoribus dimidium ex vectigalibus eius anni attributum ex S. C. à quæſtoribus, ex qua pecunia attributa T. Sempronius baſilicam faciendam curauit, quæ poſtea Sempronia appellata eſt.* Cæl. Rhodig. *lib.* 10. *cap.* 3. videtur innuere attributam pecuniam fuiſſe, quæ tributi nomine ſtatueretur, idque ex Liuio *lib.* 39. ſcribente de cenſura Catonis aſpera ita in omnes ordines; ornamenta & veſtem muliebrem, vehicula & mancipia æſtimantem, & his omnibus rebus terni in millia æris attribuentem. Item *lib.* 1. ait: *Vnde equites alerent equos ex publica pecunia emptos, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent.* Huic ſententiæ fauere videtur Varro *libro* 5. *de Lingua Latina*, vbi ait: *Tributum dicitur à tribubus, quod in pecunia, quæ à populo imperata erat, tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur.*

Cic.

Cic.*in pratura vrb.*inquit: *Ne diutius teneam pecuniam attributam, profectus eſt quaſtor in prouinciam:* quæ verba exponens Aſconius, attributam pecuniam eſſe inquit, quæ in militum ſtipendium de ærario à tribunis ærariis quæſtoria adnumerabatur. Hæc ſententia etſi ſpecifice ſuſtineri poſſit, tamen generice & in vniuerſaliori ſignificatione mihi magis probatur Budæi expoſitio in prioribus Annot. *in Pan. titul.de officio quaſt.* vbi pecuniam attributam *aſſignatam* interpretatur. Nam quæ in ſtipendium militum aſſignabatur, attributa dicebatur ex Cic.& Aſconio locis adductis, ita & quæ equis alendis aſſignata erat ex viduarum cenſu, ex Liuio *attributa* appellata, ſic & quæ magiſtratibus in prouinciam proficiſcentibus aſſignabatur, attributa pecunia dicta. Cic.in Piſon. *Nonne ſeſtertium centies & octogies ex ærario ſibi attributum Romæ in queſtu reliquiſti?* Idem Cic. Conſul ad Caninium ſcribens, inquit: *De drachmis centum millibus nihil eſt, quod in iſto genere cuipiam poſſim accommodare, omnis enim pecunia ita tractatur, vt præda à Præfectis, quæ autem mihi attributa eſt, à quaſtore curetur.* Attribuere enim inter cæteras ſignificationes accipitur pro aſſignare. Cic.in Anton. *Antonius mihi pecuniam attribuit:* & rurſus: *Quantiq́ locarint, tantam pecuniam redemptori reſoluendam attribuendamq́ curent:* & ad Attic. *Pueros attribue ei, quot & quos videbitur.* Et ad Q.Fratrem: *Inſulæ, quæ erant à Sylla, Rhodiis attributæ,* & alibi pluries. Quare hoc in loco pecuniam T.Sempronio attributam, *aſſignatam* interpretandum puto, ſicque omnem difficultatem tolli.

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Legati ex Macedonia quinquatris vltimis adeo expectati venerunt, vti, niſi veſper eſſet, extemplo Senatum vocaturi Conſules fuerint.*

VVlgatiſſimum eſt, Quinquatria fuiſſe feſta, quæ Mineruę ſeu Palladi fiebant, ita appellata, quod per quinque dies poſt Idus, qui inter atros connumerabantur, fiebant, vti Ouid.3.Faſt.

*Vna dies media eſt,poſt fiunt ſacra Mineruæ,*
*Nomina quæ à iunctis quinque diebus habent.*

Et Varro *de Lingua Latina* 5. docet, quinquatria fuiſſe feſtá Mineruæ ſacra,per quinque dies ab Idibus. Gellius libro 2. cap.21. *Quod quinquatrus*,inquit, *dicimus, quod quinque ab Idibus dierum numerus ſit atrus nihil.* Porphyrion enarrans illud Horat.Epiſt.2.Epiſt.2.

*At potius puer,vt feſtis quinquatribus olim,*

ſcribit, quinquatrus à quinque diebus dici, qui dies ad ferias Mineruæ pertinet, propterea quod feſtæ ſolemnitates eiuſdem Deæ per hoc ſpatium celebrabantur. Cic.*in Epiſt.* eleganter dixit: *Quinquatribus egi cauſam ſuam,non inuita Minerua:* & rurſus: *Ita tumultuoſæ conciones quinquatriis afferebantur.* Domitianum Imperatorem quinquatria quotannis Mineruæ celebraſſe ſolemnia in monte Albano, ita vt & collegium ad magiſterium earum inſtitueret, teſtis eſt Sueton.in illo,*cap.*4. Quod etiam inſigniter deſcribit Iuuenalis *Satyr.*11.tam liber & verax,quam contra vani & adulatores Papinius & Martialis. Nero Agrippinæ matri ſtruens inſidias, eam Baias euocauit ad ſolennia quinquatrium ſimul celebranda,ex eodem Sueton.*cap.*34. Errant ſane toto cœlo (vt aiunt) qui quinquatrum diem vnum ſolummodo fuiſſe feſtum ex Varrone exiſtimant,ſcribente *lib.de Lingua Latina* 2. quinquatrum diem vnum feſtum ſic appellatum, quod erat poſt diem quintum Idus Martii; quam ſententiam & ſequutus eſt Beroaldus in comm. loci citati, qui tamen vna cum aliis eiuſdem opinionis facile erroris conuincitur.Nam Sueton.*in Auguſt.cap.*71.ſcribit: *Nos mi Tyberi quinquatris ſatis iucunde egimus, luſimus enim per omnes dies, forumq; aleatorium calefecimus.* Præterea Liuius *lib* 36. ſic habet: *Interrupit hos ſermones nocte, quæ pridie Quinquatrius fuit pluribus ſimul locis circa forum incendium ortum.* quo loco *pridie quinquatrus* interpretandum non dubito, priorem ex quinquatriis diem. Sic & apud Cic. ad Attic.9. *Erit enim pridie quinquatrus egregia tempeſtas, quæ ego illum vſum puto.* Gellius namque *lib.*19.*c.*24. putat dictum pridie, quaſi priſtini, id eſt,priore die.Sed de re hac clarius Ouid.lib.3.Faſt.

*—— Sunt ſacra Mineruæ*
*Nomina, quæ à iunctis quinq; diebus habent.*
*Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,*
*Cauſa, quod eſt illo nata Minerua die.*
*Altera tresq; ſuperſtrata celebrantur arena,*
*Enſibus exertis bellica læta Dea eſt.*

Ex his, quæ à Liuio ſunt dicta *vltima quinquatria*, facile colligimus, non vltimum quinquatrium, diem videlicet quintum intelligere, hæc illius verba clare demonſtrant; *Legati ex Macedonia quinquatribus vltimis adeo expectati venerunt, vt, niſi veſper eſſet, extemplo Senatum vocaturi Conſules fuerint. Poſtero die Senatus fuit, legatiq; auditi ſunt.* Hunc genuinum ſenſum verborum Liuii eſſe etſi arbitror, nihilominus & aliam expoſitionem afferre libet huiuſmodi. Habemus ex Feſto Pompeio, *lib.2.* Quinquatria proprium Mineruæ feſtum fuiſſe poſt Idus Martias, aliud vero feſtum quinquatrium poſt Idus Iunias, quæ vocabantur *quinquatria minuſcula*, ſeu *minores*, & erat feſtum tibicinum, qui colebant Mineruam. Hinc Ouid. 6. Faſt.

*Et iam quinquatras iubeor narrare minores,*
*Huc ades ô cœptis flaua Minerua meis.*
*Cur vagus incedit tota tibicen in vrbe,*
*Quid ſibi perſonæ, quid toga longa volunt?*

Itaque *vltima quinquatria* interpretari poſſumus hæc minora vocata, quæ poſtremo tempore celebrabantur, menſe ſcilicet Iunio, ad differentiam priorum, quibus proprie colebatur Minerua menſe Martio; vtramlibet accipiat lector expoſitionem.

## T. LIVIVS LIB. XLV.

*Cætera omnis generis arma cumulata in ingentem aceruum, precatus Martem, Mineruam, Lunamq; matrem, & cæteros Deos, quibus ſpolia hoſtium dicare ius faſq; eſt, ipſe Imperator face ſubdita ſuccendit, deinde circumſtantes tribuni militum, pro ſe quiſque ignes coniecerunt.*

HVnc locum enarrans doctiſſimus Turnebus *Aduerſ. lib. 16. cap. 20.* non *Lunam matrem*, ſed *Luam matrem* legendum

gendum contendit, alio eiuſdem Liuii loco *lib.*8. permotus. Per initia enim libri illius legimus: *Armorum vis magna, tum inter cæſa corpora hoſtium, tum in caſtris inuenta eſt. Ea Luæ matri ſe dare Conſul dixit.* Hanc Luam Deam ita appellatam, inquit Turnebus, à luendo & expiando, eamque præfuiſſe luſtrationibus & luſtris, poſt cædem enim hoſtium & bellum, opus purgamentis & piaculis eſſe. Ego ſane libentiſſime, ni ratio aliter ſuaderet, cum doctiſſimo viro conſentirem. Sed quæſo, vnde hæc noua Dea excogitata? quis illius ex claſſicis authoribus verba fecit? Nam in loco adducto mendum ineſſe, mox demonſtrabimus. Fatemur gentilium Deorum innumeram farraginem, ita vt D. Auguſtinus *lib.*4.*Ciuitatis Dei, cap* 23. & *lib.*7.*cap.*2. ex Varrone dixerit, ſupra triginta millia fuiſſe, & Pindarus ante illum triginta millia eſſe dixit, ſi Maximo Tyrio credimus, qui illum citat *Ser.*1. id tamen referens ad opera & effectus diuinitatis. Verum enimuero, quomodo Liuius pene incognitam Deam ſpecifice cum Marte & Minerua nominarit, non video: quinimo rationi conſentaneum erat, vt potius eam (ſi qua eſt) in generali illa dictione, *& cæteros Deos, quibus ſpolia hoſtium dicare ius, faſq; eſt*, comprehenderet. Auget difficultatem, quod epitheton, *matrem*, adiunxerit, quo pręcipuos magnosque Deos donauit antiquitas, non communioribus attribuens. Adhæc admiratione non caret, ſi hæc luſtrationibus præerat, cur ſcriptores illius non meminere, vbi de exercituum luſtratione agunt. *Armiluſtrum* vocauit Varro *lib.*4.*linguæ Latinæ*, ex quo Plutarchus *in Romulo*, & Liuius ipſe *lib.*1. Dionyſius Halycar. *lib.*4. ſcripſere, cur in claſſium expiatione, cuius Liuius *lib.*39. & Appianus meminit *lib.*5.*bel.ciuil.* Nec in rogi militaris luſtratione, de qua Virg. lib. 11. Æneid.

*Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis*
*Conijciunt igni galeas enſeſq; decoros.*

Cur, inquam, in huiuſmodi militaribus expiationibus ſcriptores de Lua Dea ne verbum quidem fecere? Vtrobique itaque Liuium matris Lunæ verba feciſſe crediderim, mendumque ineſſe potius *lib.*8. quam *lib.*45. impreſſorum

incuria, qui pro litera *n*, elementum *u* facile ſuppoſuere, nam characteres vtranque literam exprimentes, conſimiles maxime ſunt, ſique inuertantur, alter alterum repręſentat. Lunam vero iure matris attributo donatam conſtat, quippe quæ ſublunarium omnium generationi & incremento opem ferat. Vnde non immerito Ariſt. *lib. de Animalib.* ſcripſit, Lunæ naturam perſimilem videri naturæ terræ, quam magnam matrem dictam alibi docuimus. Ait Turnebus, *Quid attinet arma in honorem Lunæ comburi?* At ipſe ſciat velim, in re militari maximum Lunæ vſum, nec contemnendum iuuamen plerunque in rebus bellicis eam præſtitiſſe. Communiora omitto, particularia exempla aliquot adduco, ex antiquorum hiſtoria excerpta. Germani in prælio ineundo religioſi Lunam nouam obſeruabant, tradente Plutarcho *in Iulio Cæſare.* Ipſemet Liuius, de cuius dictis agitur controuerſia, quot bellicas inſidias ſilente Luna patratas, quæ itinera ea perlucente noctu facta recenſet? *Lib.* 32. vbi de T. Quinctio ſcribit: *Nocte itinera fieri iubet, & pernox forte Luna erat.* At audiamus, quæ magis ad diuinitatem accedunt exempla. Idem Liuius *lib.* 44. hæc habet: *C. Sulpitius Gallus Tribunus militum ſecundæ legionis, qui prætor ſuperiore anno fuerat, Conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis, pronuntiauit, nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda vſque ad quartam horam noctis Lunam defecturam eſſe, id quia naturali ordine ſtatis temporibus fiat, & ſcire ante, & prædici poſſe. Itaque quemadmodum quia certi Lunæ Soliſq; & ortus & occaſus ſint, nunc pleno orbe, nunc ſeneſcente, cornu exiguo fulgere Lunam, non mirarentur, ita ne obſcuram quidem, quum condatur vmbra terræ, trahere id in prodigium non debere. Nocte, quam pridie Nonas Septembris inſecuta eſt dies, edita Luna cum defeciſſet, Rom militibus Galli ſapientia prope diuina videri. Macedonas, vt triſte prodigium, occaſum regni, perniciemq; gentis portendens mouit; nec aliter vates; clamor vlulatuſq; in caſtris Macedonum fuit, donec Luna in ſuam lucem emerſit.* Pergit deinceps Liuius pugnam deſcribere, & Romanorum victoriam. Sed audiamus & Tacitum, *lib. Annal.* 1. vbi de ſeditione Pannonicarum legionum: *Noctem minacem, & in ſcelus erupturam*

*fors*

*fons leniuit. Nam Luna clariore pene cœlo viſa langueſcere, id miles rationis ignarus, omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſideris adſimilans, proſpereq; ceſſura quæ peragerent, ſi fulgor & claritudo Deæ redderetur. Igitur æris ſono, tubarum cornuumq; concentu ſtrepere, vt ſplendidior obſcuriorve lætari aut mœrere, at poſtquam obortæ nubes officere viſui, creditumq; conditam tenebris, vt ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora auerſari Deos lamentantur.* Et paulo poſt: *Tum redire paulatim amor obſequij, omittunt portas, ſigna vnum in locum principio ſeditionum congregata, ſuas in ſedes referunt.* Itaque parumne momenti in bellicis rebus Lunæ numen eſſe dicemus? an potius iure hoſtium arma, ſicuti Marti & Mineruæ, Lunæ comburi debuiſſe non negabimus? Ergo vt ipſiſſimis Turnebi de Luna prolatis verbis vtar, iſtam Lunam Deam capite foras præcipitem agendam puto, & in hos penates reuocandam Lunam matrem; quæ tempeſtates præuidere, & præcauere quoque milites doceat; quæ terras ſatiaret, accedens corpora impleat, abſcedens inaniat, frondes quoque ac pabula iuuet, & tandem in omnia illius vis penetret, ita vt recte Plinius *lib.* 40. *c.* 99. eam mundi ſpiritum appellarit.

## T. LIVIVS LIB. XLV.

*In quatuor vrbanas tribus deſcripti libertini, præter eos, quibus filius quinquenni maior ex S. C. eſſet. Eos, vbi proximo luſtro cenſi eſſent, cenſeri iuſſerunt. Et eis, qui prædium prædiave ruſtica plus ſeſtertium 30. millium haberent, cenſendi ius factum eſt. Hoc quum ita ſeruatum eſſet, negabat Claudius ſuffragij lationem iniuſſu populi Cenſorem cuique homini, nedum ordini vniuerſo adimere poſſe.*

PLures difficultates ex præſentis textus lectione emergunt, quarum prima eſt, quomodo affirmet Liuius ex Claudii ore eius ſuffragii, cenſorem non poſſe ciui cuiquam adimere, quum oppoſitum ſupra docuerimus ex Gellio & Aſconio palam id confirmantibus. Altera vero, quo pacto dixerit Claudius, libertinis adimi ſuffragii ius, & qua de cauſa. Id enim ſatis obſcurum videtur. Tertia, an li-

bertini ſolum eſſent deſcripti in quatuor vrbanis tribubus, an & aliqui in ruſticis? Diluitur prima difficultas, quia adimere ſuffragium, dupliciter poteſt conſiderari, vno modo pro auferre ab eo, qui iam ſuffragandi ius adeptus eſſet, alio modo eſſe impedimento, quo minus quis ſuffragii ius non adipiſcatur, quum antea non habuerit. Priori modo cenſores ius adimere ſuffragandi potuiſſe cuicunque habenti, palam fecimus ſupra, vbi de cenſoriis notis loquuti ſumus, nam ea referendo in Cærites tabulas, & ærarium faciendo, id præſtare poterant Cenſores; ſicque Gellii & Aſcanii dicta interpretanda. Secundo modo Liuii verba intelligenda; namque Sempronius Cenſor ſtatuendo libertinos, qui ptius non eſſent cenſi, cenſeri poſſe, ſi ruſtica prædia pluris ſeſtertium 30. millium haberent, excludebat quoq; à cenſu illos, quibus in prædiis ruſticis minus dicta ſumma eſſet; quod Claudius impugnabat, inquiens, id eſſe adimere libertinis ſingulis, non ſolum qui minus ſeſtertium 30. millium, ſed & eorum ordini vniuerſo ſuffragii lationem, & illis, qui dictam ſummam non poſſiderent. Et ratio eſt, quia qui incenſi erant, ſuffragium ferre non poterant, quamuis ciuitatis Romanæ iure donati eſſent, & in tribu deſcripti. Quod docuit Nicolaus Gruchius inter recentiores plurimæ doctrinæ vir, *libro de Comitiis Rom. 2. cap. 3.* & quoque ex hoc loco comprobari facile poteſt: & ita Cenſores poterant adimere ius ſuffragii, hoc eſt, inhibere, quo minus quis illud conſequeretur. Ex quibus etiam facile patet reſpōſio ad ſecundum obiectum. Quod vero ad tertium ſpectat, dicimus, Libertinos homines non ſolum in quatuor tribubus vrbanis deſcriptos fuiſſe, ſed & in aliquibus ruſticis aliquando locatos. Namque Appius Claudius Cenſor anno ab vrbe condita 441. libertinos ex quatuor vrbanis in alias omnes diſperſiſſe, teſtati ſunt Diodorus & Plutarchus *in Publicola*, quod quum nobiles & ingenui iniquiſſimo animo ferrent, Q. Fabius Rullianus nouem poſt annos Cenſor, iterum in quatuor vrbanas redegit, vnde Maximi nomen ab vniuerſa ciuitate obtinuit: quumque ſubſequentium Cenſorum incuria vel conniuentia id minime ſeruatum

tum eſſet, L. Æmilius Papus, & C. Flaminius Cenſores anno ab vrbe condita 532. libertinos in ruſticas tribus diſperſos in quatuor vrbanas tantum reuocarunt, & eſſe voluerunt. Poſtea S.C. & hæc ſeries immutata, namque permiſſum, vt libertini, quibus filius quinquenni maior eſſet, in ruſticis cenſerentur. Poſtremo Tiberius Gracchus anno ab vrbe condita 585. in ſolam Exquilinam tribum vrbanam eos redegit, quod ex hoc Liuii loco colligimus, & ex Cicer. 1. *de Oratore libro*, ſubſequentibus vero temporibus modo per ruſticas tribus libertinos deſcriptos, modo in vrbanas redactos pro dominantium in Repub. libidine, vtque libertinos eoſdem vel amore vel odio proſequebantur, vel ut iam aliquando occaſio vel neceſſitas expoſtulabant, in hiſtoria obſeruamus. Et hæc de re hac pro nunc ſint ſatis. Illud profecto non prætermittendum, ne viri doctiſs. authoritate ſtudioſi decipiantur, haud veritati conſentaneum, quod à Carolo Sigonio, *libro de iure antiquo ciuium Rom. 2. c. 14.* ſcriptum eſt ex Liuii authoritate hoc in loco, Tiberium Gracchum ſcilicet contendiſſe, omnes libertinos ab omnibus tribubus repellere; quod falſum eſſe, clare conuincitur ex ipſius Liuii verbis, ſcribentis, ſeruatum vt libertini, qui in quatuor vrbanas tribus deſcripti erant, præter eos, quibus ex S.C. filius quinquenni maior eſſet, vbi proximo luſtro cenſi eſſent, ibi & cenſerentur. Nam diſceptatio præſertim Cenſorum erat, circa illos, qui non ſolum cenſi erant, vt ſuperius ſatis manifeſtum factum puto.

## T. LIVIVS LIB. LVII.

*Militem quotidie in opere habuit, & triginta dierum frumentum, ac ſeptenos vallos ferre cogebat, ægre propter onus incedenti dicebat: quum gladio te vallare ſcieris, vallum ferre deſinito.*

VAllum in primo caſu pro munimento caſtrorum obſeruamus, quamuis & aliquando in eadem ſignificatione & caſu eodem *vallus* legatur. Tibull. libro Eleg. 1. Eleg. 2.

*Non arces non vallus erat.*

Cæſar lib.3.bel.ciuil.*Vallus contra hoſtem in altitudinem pedum decem.* Fiebant antiquitus valli ſeu munimenta caſtrorum nonnumquam ex terra & ceſpitibus, vti ex Liuio colligimus lib.25. *Circumſpectare atque agitare Dux cœpit, ſi quo modo poſſet, vallum circum inijcere, ſed erat adeo nudus tumulus, & aſperi ſoli, vt nec virgulta vallo cadendo, nec terra ceſpiti faciendo*, & quæ ſequuntur. Plinius lib.35.c.14. *Hinc & ceſpitum natura, caſtrorum vallis accommodata.* Et de eadem re plura Vegetius *lib.3. c.*8. Fiebant & nonnunquam valli lapidum congeſtis molibus. Sic Carthaginenſes ſaxis vndique circa, ex propinquis vallibus congeſtis vallum auxerunt, tradente Liuio *lib.*28. Philippus quoque Macedonum Rex lapidum congerie, vt pro muro eſſent, præmuniuit caſtra, apud eundem Liuium *lib.*31. & pariter Antiochus *lib* 36. arboribus obiectis, & quandoque vallum conſtitutum legimus *lib.6.* poſt principium, vbi de vallo Volſcorum. Et *lib.25.&* 31. vbi de Philippo Macedonum Rege. Ex militum haſtis hoſti obiectis veluti vallum quandoque factum legimus apud eundem authorem *lib.*36. Eodem pacto Cic.in Piſ. Alpium montes aduerſus Gallorum aſcenſum tranſgreſſumque *vallum* dixit. Conſtruebant pariter antiqui caſtrorum munimentum ſeu vallum ex palis ſolo infixis inuicem adhærentibus & connexis, qui & ipſi valli appellati. Sic palum, cui vitis alligatur, *vallus* dictus. Virg.1.Georg.

*Exacuunt alij vallos furcasq; bicornes.*

Et iterum:

—— *Et vallos primus ſub tecta referto.*

Et 2.eiuſdem:

*Quadrifidasq; ſudes & acuto robore vallos.*

In hac ſignificatione accipiendam valli vocem hoc in loco, non dubito, dum ait, Scipionem Africanum coegiſſe ſingulos milites ſeptenos ferre vallos, hoc eſt, palos acutos, quibus conficiendis caſtrorum munimentis, quum opus eſſet, vterentur, & humo infigerent. Eodem modo & Cic. in Tuſcul. *ferre vallum* dixit: & Epiſt.6.ad Att. *Vallum Lucillianum*, Satyricum carmen appellauit, quo ceu vallo, id eſt, fuſte Lucillius homines male afficiebat, ſeu verberabat.

MAR-

Digitized by Google

MARCELLI DONATI

# IN CORNELIVM TACITVM DILVCIDATIONES.

## CORNELIVS TACITVS LIB. I.

*Neque mortem nepoti pro ſecuritate priuigni illatam credibile erat, propius vero Tiberium ac Liuiam, illum metu, hanc nouercalibus odiis ſuſpecti & inuiſi iuuenis cædem feſtinauiſſe.*

ABIIT in prouerbium, *Nouercale odium*, & pro inſigni malo *nouerca*; ſic ſcriptum: *Dies quandoque parens quandoque nouerca.* Et Menander in ſententiis Comicis Græcorum *cap.* 24. δεινότερον ἄλλο δ'ἐν μητρείης κακὸν, hoc eſt, *Nullum maius malum nouerca.* Charondas Sibaritis tulit legem, vt qui liberis ſuperinduxiſſet nouercam, conſilio Senatus, & patriæ ſubmoueretur; nunquam ab eo exiſtimans patriam recta ac ſalubria conſilia ſperare poſſe, qui liberis propriis male cōſuluiſſet; quod ſcripſit Diodorus Siculus *lib.* 12. *Bibliot.* Gloſſa *in* §. *ſocrum, de Nupt.* tradit Nouercam dici, quaſi *noua arca*; Rectius tamen alii, quaſi νέα ἀρχή, id eſt, *noua princeps*, ſtatim enim atque in domum mariti traducitur, omnia ſibi arrogare nititur. Et ſæpe nouercalibus delinimentis infatuati mariti coguntur iudicium ferre contra proprium ſanguinem; & filios exhæredare, *ex l.* 4. *de inoff. teſt. in P.* ſic Euripides *in Alceſte* ſcribit:

ἐχθρὰ γὰρ ὑπιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις
τοῖς πρὶς θ' ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα.

hoc eſt: *Inimica eſt enim ſubiens nouerca, prioribus liberis vipera*

*nibilo mitior.* Hinc ſcriptores ſemper nouercę voci *impiã, crudelem, iniuſtam, ſæuam,* & huiuſmodi adiiciunt. Virg. in Bucol.

*Eſt mihi namque domi pater, eſt iniuſta nouerca.*

Ceſtius Pius apud Senecam lib. 4. Controuerſiarum ait: *Sed adhuc crudelis & pertinax nouerca poſt omnia deuicta, nihilominus ſæuit.* Et Ouidius in Epiſt. Medeæ ad Iaſonem:

*Sæuiet in partus dira nouerca meos.*

Et Claudianus de raptu Proſerpinæ.

*In dira ſubito mores tranſiſſe nouerca.*

Virgilius iterum 2. Georg.

*Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ.*

Ouidius rurſus 2. Triſtium.

*Nam quid in Hippolyto eſt, niſi ſæua flamma nouercæ?*

Et Seneca in Traged. Octauia.

*Tulimus ſæuæ iuſſa nouercæ,*
*Hoſtilem animum, vultuſque truces.*

Et iterum:

*Sæua cui lacrymis dedit etiam nouerca.*

Itemque in Hippolyto.

*Vicit ſæuas cura nouercas.*

Et rurſum:

*Audite Athenæ, tuque funeſta pater peior nouerca.*

Et Statius lib. 2. Syl.

*Cui ſibila ſerpens poneret, & ſæuæ vellet ſeruire nouercæ.*

Valerius Flaccus lib. 1. Argon.

*——Heu ſæua nec quicquam erepta nouerca.*

Et iterum.

*——Heu ſæua formido nota nouercæ.*

Ouidius lib. 1. Metamorph.

*Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.*

Et lib. 9. Metamorphoſ.

*Mors mihi munus erit, decet hac dare dona nouercam.*

Horatius lib. Epod. Ode 5. *Quod vt nouerca me intueris.* Iure itaque Tacitus odia Vatiniana, quibus Liuia Druſum proſequebatur, *nouercalia* appellauit. Et paulo infra inquit: *Nouercalibus Liuiæ in Agrippinam ſtimulis.* Et rurſus: *Liuia grauis domui Cæſarum nouerca.* Et *manus auidæ nouercales.*

C. TA-

## C. TACITVS LIB. I.

*Nam Tiberius cuncta per Conſules incipiebat, tanquam vetere Republica, & ambiguus imperandi. Ne edictum quidem, quo Patres in Curiam vocabat, niſi Tribunitiæ poteſtatis præſcriptione poſuit, ſub Auguſto accepta.*

CONſulum ius vocandi Senatum fuiſſe elicimus ex Liuio *libro* 23. ſcribente: *Conſules edixerunt, quoties Senatum vocaſſent, vti Senatores, quibuſque in Senatu dicere ſententiam liceret, ad portam Capenam conuenirent.* Clarius Dionyſius Halycarnaſſæus *libro decimo* id docet. Quamobrem dubium videtur Taciti dictum, quum ait, Tiberium qui cuncta per Conſules incipiebat, Senatum conuocaſſe Tribunitiæ poteſtatis præſcriptione. Cui difficultati obuiam ire poſſum ex Gellii ſententia *lib.* 14. *cap.* 7. vbi habet, ex Varronis ſententia ius vocandi Senatum fuiſſe non ſolum penes Conſules, ſed & Dictatorem, Prætores, Tribunos plebis, Interregem, Præfectum vrbis, Tribunos militares, qui pro Conſulibus fuiſſent; Decemuirosq;, qui Conſulare imperium habebāt. Item & Triumuiros Reipub. conſtituendæ cauſa creatos. De vocatione Senatus à Prætoribus facta plura habemus apud Liuium exempla, pręſertim abſentibus Conſulibus, vti *lib.* 8. poſt principium, & *lib.* 10. vbi de P. Sempronio Prætore creato loquitur, & *lib.* 32. vbi de Senatu à Prætoribus poſt Cannenſem cladem vocato. Et iterum *lib.* 3. vbi de Senatu vocato à M. Æmilio Prætore. & *lib.* 42. vbi de L. Cor. Lentulo Prætore, & *libro* 46. vbi de M. Iunio prima luce, Catone authore, Senatum vocante, & *lib.* 8. vbi de Seruio Sulpicio, & *lib.* 5. ad finem, & *lib.* 41. Quod pariter habemus ex Tacito *lib.* 17. vbi Prætor Vrbanus, quem non nominat, *Senatum* vocauit. De vrbis Præfecto erat authoritas Liuii *lib.* 31. vbi inquit, Senatum abſentibus Conſulibus conuocatum fuiſſe à V. Fabio Præfecto vrbis. Sed quod magis ad præſentem rem facit, quod ſcilicet à Tribunis plebis conuocaretur Senatus, multæ extant authoritates. Præſertim Cic. *lib. Epiſt. famil* 10. *Epiſt.* 27. vbi inquit: *Nam quum Senatum ad* 13. *Kal. Ian. Tribuni plebis vocaſſent, deq; alia re referrent*

*totam*

Digitized by Google

quit: *Quum cauſam non audiſſet, & poteſtas eſſet ampliandi, dixit ſibi non liquere.* Et in Verr. *Glaucias primus tulit, vt comperendinaretur reus antea, vel iudicari primo poterat, vel amplius pronuntiari.* Et rurſus: *Vt de Philadomo amplius pronuntiaretur*, alias *ampliaretur.* Et iterum: *Vt etiamſi lex ampliandi faciat poteſtatem, tamen iſte turpe exiſtimaret, non primo iudicare.* Et ad Heren. *Quid fuit iudices, quare iſtum nefarium ampliaueritis?* Et de claris Orat. *Quum Conſules re audita, amplius de conſilij ſententia pronuntiauiſſent.* Rem hanc clare aperit Aſconius, inquiens: *Mos veterum fuerat, vt ſi quis abſoluendus eſſet, ſtatim abſolueretur, ſi damnandus, ſtatim damnaretur, ſi cauſa non eſſet idonea ad damnationem, abſolui tamen non poſſet, amplius pronuntiaretur.* Verum quum Romanis mos eſſet, etiam iudicia proferre per tabellas, tres dabantur tabellæ, diuerſis notis inſculptæ, quarum quam vellent, in vrnam imponerent. Vna habebat ſignatum *A.* quæ erat abſolutionis nota: altera C quæ condemnationis: tertia *N.L.* quæ *non liquere* ſignificabat, & ſic cauſam vel reum ampliandum; quod colligimus ex Cicerone *in Diuinat.* & Paulo, *l. Pomponius, de re iudic. P. & l. final. de iniu. iuncta l. decurionum. §. final. ex quibus cauſis maior. P.* Omitto enim, quod alii ſcripſere, nempe, D. damnationis notam fuiſſe, & θ. literam Græcam mortis notam fuiſſe, ex Perſio, Satyr. 4.

*Et potis es vitio nigrum præfigere theta.*

Et Martiale 7. Epigram. 36. ad Caſtricium:

*Noſti mortiferum quæſtoris Caſtrice ſignum,*
*Eſt operæpretium diſcere theta nouum.*

Et Auſonio:

*Tuumq́; nomen theta ſectilis ſignet.*

Nam de litera D. nihil apud probatum auctorem me legiſſe memini; de θ. autem, quod diximus, ſpectat potius ad Græcorum, quam Romanorum morem. Sed ad rem noſtram reuertentes, *ampliatos*, ſcribit Liuius, P. Furium Philum, & M. Matienum reos, hoc eſt, iudicium illorum dilatum, & quum dicenda de integro cauſa eſſet, excuſati exilii cauſa ſolum vertiſſe. Et M. Tiſinium bis ampliatum, tertio abſolutum. Itaque ampliati dicebantur, vt *in Annot.* Budæus

tradit,

tradit, quorum damnatio vel abſolutio differebatur, aut quia coram teſtes ſiſtendi eſſent, & cum illis committendi, aut quia nondum plene liquebat, aut de crimine, aut de modo pœnæ, aut quia argumenta & probationes nondum ſatis erant idonea ad abſoluendum vel condemnandum. Ad quod videtur ſpectare Plautinum illud in Amphit.

*Iacent rationes, ſilet iudicium, quid dicam neſcio.*

Verum quia comperendinatio & ipſa erat iudicii ferendi prorogatio, ob id Budæus ibidem, Sigonius *lib. de Iudiciis* 2. *c.* 21. & F.H. *in Com. verbo ius, & in Com. in* 3. *Verr.* in differentiis aſſignandis inter ampliationem & comperendinationem plurimum laborauere. Nos, quas præcipuas arbitramur, breuiter adducimus: Ampliatio libera erat, & in iudicum poteſtate poſita, comperendinatio neceſſaria, & legis Seruiliæ imperio conſtituta; cuius rei paſſim in Verr. extant exempla. Ampliatio quoque ſæpius fieri poterat, comperendinatio ſemel tantum; bis factam ampliationem, ex hoc Liuii loco colligimus. Publicanorum quorundam cauſam tribus ampliationibus prolatam, tradit Cic. *lib. de clar. Orat.* Valerius Maximus *lib.* 4. ſcribit cauſam C. Cottæ repetundarum accuſati à L. Scipione ſepties ampliatam fuiſſe, at comperendinatione ſemel iudicium dilatatum, alias docuimus. Tertia differentia eſt, quod ampliationis tempus in iudicis arbitrio poſitum erat, comperendinationi vero perendinum diem tantum aſſignatum, hoc eſt, diem tertium, Græci μεταύριον dicunt, id eſt, *poſtcraſtinum*, quod ex Cic. in Bruto clare percepimus. Hiſce tribus differentiis præcipue ampliationem & comperendinationem diſtingui puto, cæteras minus forte veras, vel ſaltem haud neceſſarias cenſeo, vtputa quod in comperendinatione poſſet eſſe ampliatio, nequaquam in ampliatione comperendinatio; & quod in comperendinatione defenſor ſeu reus primum diceret, ſecundo loco accuſator, in ampliatione primum accuſator, deinde defenſor, & aliæ eiuſdem generis, quas lubens omitto, quum ex dictis Liuii ſatis ſententiam apertam exiſtimem.

## T. LIVIVS LIB. XLIII.

*Ita prætєritis ſilentio obliteratis, in futurum conſultum ab Senatu Hiſpanis, quod impetrarunt, ne frumenti æſtimationem magiſtratus Romanus haberet, neve cogeret vicesimas vendere Hiſpanos quanti ipſe vellet, & ne præfecti in oppida ſua ad pecunias cogendas imponerentur.*

PLures viceſimæ differentiæ apud ſcriptores obſeruamus. Dion Caſſius *lib.55.*refert, Octauium Auguſtum viceſimam hæreditatis & legatorum, exceptis, quæ genere proxime iunctis, ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, ſtatuiſſe inferri in ærarium militare Cæſaris. Hinc lex Iulia *de viceſima* dicta. Leges addidiſſe de hæreditatum viceſima Antoninum philoſophum, ſcribit Iulius Capitolinus, quas omnes ſuſtuliſſe Iuſtinianum conſtat ex C. *de edict. D. Hadr. tollend.* Huius viceſimæ ibidem *l. vlt.* fit mentio, & à Paulo *lib. Sentent. 4. cap. 6.* & à Plinio *in Panegyr. lib. 7. Epiſt. ad Corelliam*, & alia eiuſdem lib. *ad Fabatum.* De eadem Æmilius Macer binos libros conſcripſit. Fuit & alia viceſima portorii, vectigal, inquam, quod pendebatur pro exportatione rerum; cuius meminit Cic. *in 4. act in Verr.* inquiens: *Scribit H—S. LX. ſocios perdidiſſe ex viceſima portorij Syracuſis.* Quum Plinius locis allegatis viceſimæ verba facit, ſunt qui intelligant de viceſima rerum venalium, cuius tamen impiiſſimæ & infandæ exactionis nullibi meminiſſe ſcriptores obſeruaui. Fuit & alia viceſimæ lex longe antiquior, lata anno 298. ab vrbe condita, cuius meminit Liuius *lib. 7.* in hæc verba: *Ab altero Conſule nihil memorabile geſtum, niſi quod legem nouo exemplo ad Sutrium in caſtris tributim de viceſima eorum, qui manumitterentur, tulit: Patres quia ea lege haud paruum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt.* Hac libertini tantum tenebantur, ob idque etiam ad Ciceronis vſque tempora retentam, ipſemet, vt ad Attic. ſcribens *lib. 2.* ita confirmat: *Portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diuiſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum præter viceſimam, quæ mihi videtur vna conciuncula clamore pediſſequorum noſtrorum eſſe peritura.* Hanc Neronem cum aliis per initia ſui Imperii, vt popula-

rem

rem auram aucuparetur, ſuſtuliſſe vel remiſiſſe, teſtari videtur Tacitus *lib.13.* Aurum viceſimarium hinc deductum, putant doctiores, quod ex hac viceſima colligeretur, cuius Liuius *lib.13.* in hæc verba ſcribens, meminit: *Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, Conſulibus, aurum viceſimarium, quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruaretur, promi placuit, prompta ad quatuor millia pondo auri.* De hac viceſima, de qua Pomponius ait, A. Ofilium primum ſcripſiſſe. *l.2.§.ex his. D. de orig.iur.* intelligendum opinatur F.H. At de nulla harum viceſimarum Liuii verba intelligenda, tum temporum computatio, tum ratio ipſa ſuadet. Namque nulla earum in Hiſpanorum ita erat poteſtate, vt eam quoquo modo vendere poſſent, ſed eorum omnium exactio ad Rom. magiſtratus ſeu viceſimarios exactores ſpectabat. Quamobrem ego per viceſimas hoc loco interpretor, vigeſimam partem frumenti, quam Hiſpanorum vnuſquiſque poſſidebat: duo enim impetrauerunt Hiſpani à Senatu, vnum, ne magiſtratus Rom. eorum frumento pro libito pretium conſtituerent; alterum vero, ne cogere poſſent eoſdem, viceſimam frumenti, quam haberent ſinguli, partem vendere, quanti ipſi magiſtratus vellent.

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Romanus ad Clitas, quas vocant, munimenta ceruis etiam obiectis, vt viam intercluderet, à Macedonico ad Toroniacum mare perducit.*

QVi qualeſque eſſent cerui in re bellica, & in munimentis conficiendis, diſcere licet ex Iulio Cæſare, *lib. 7. belli Gallici*, de obſidione Vercingetoricis verba faciente, vbi ita ſcriptum reliquit: *Duas foſſas 15. pedes latas, eadem altitudine perduxit, quarum anteriorem campeſtribus & demiſſis locis, aqua ex flumine deriuata compleuit, poſtea aggerem & vallum 12. pedum extruxit, huic loricam pinnasq́ adiecit, grandibus ceruis, eminentibusq́ ad commiſſuras pluteorum atque aggeris, qui adſcenſum hoſtium tardarent*, & cætera quæ ſequuntur. Ex quibus eficimus, fuiſſe ceruos ligneos ſtipites, truncos ſeu cippos humi infixos ad hoſtium impetum retardandum; quod & Liuius

Liuius hoc loco confirmare videtur, inquiens, munimentis à Romanis fabrefactis, & ceruis obiectis, viam intercluſam. Vocatos autem ceruos, & ab aliis ſtipitibus differre arbitror, quod in ſupernis cacuminibus veluti bifurcati eſſent, & acuminati inſtar animalium ceruorum cornua. Ita & cerui appellatæ furcæ, quæ ad caſæ agreſtis ſuſtentationem figebantur, & eadem de cauſa. Vnde Virgil.

*Atq; humiles habitare caſas, & figere ceruos.*

Ita & à ſimilitudine celeritatis animalis cerui fugientes ſeruos ceruos appellatos, eadem ratione, docet Pomponius Feſtus. Idem & Varro refert *lib.4. de lingua Latina*, inquiens, Ceruos in caſtris à ſimilitudine cornuum ceruorum appellatos, quorum meminit & Tibullus *lib.4. ad Meſſal.*

*Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos.*

Male enim qui legunt *neruos*, namque verbum illud *defigere*, quis non vidit neruis minime aptari poſſe?

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Cenſores cenſum Idibus Decembribus ſeuerius quam antea habuerunt, multis equi adempti, inter quos P. Rutilio, qui tribunus plebis, eos violenter accuſarat. Tribu quoque is motus, & operarius factus ad opera publica facienda.*

CEnſores variis pœnis animaduertiſſe in illos, quos nota afficiebant, legimus. Namque equum adimebant quandoque, ſcilicet quem ei è publico in bellicos vſus aſſignatum, habebat; vel tribu mouebãt, hoc eſt, è honeſtiore tribu in minus honeſtum transferebant, vti ex ruſtica in vrbanam, vel ex ruſtica in ruſticam, quod docet Liuius, vbi de Claudio cenſore. Nam in vrbanam tribum transferri ignominioſum erat, vti teſtatum reliquit Plinius *lib.18.c.3.* præterea in Ceritum tabulas transferebant, hoc eſt, ſuffragio ſpoliabant. Ad hæc ærarium faciebant, id eſt, (ſi Pædiano credimus) nullum aliud ciuitatis ius relinquebant in centuria, atque adeo in tribu, quam vt pro capite ſuo æs penderent. Senatores etiam aliquos notabant, & ſenatu amouebant. Hæc tantum cenſoriæ pœnæ genera ex hiſtoriis recentiores adnotarunt. Addimus nos, hoc Liuii loco moniti,

niti, ſextum genus, quod erat operarium facere ad opera publica facienda, ſcilicet, vt pecunias ſoluerent in opera publica impendendas, hoc eſt, ſoluendas illis, quibus opus aliquod publicum faciendum locaſſent cenſores. Ita apud eundem Liuium legimus *lib.* 10. ex pecunia collecta & fœneratorum damnatione plura opera publica facta, ita & alia opera publica confecta, ex pecunia multaticia à pecuariis damnatis exacta, & *lib.* 35. De mulcta quoque fœneratorum quadrigas inauratas, clypeos inauratos in Capitolio poſitos, & porticum factam extra portam tergeminam.

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Titus Sempronius ex ea pecunia, quæ ipſi attributa erat, ædes P. Africani pene Veteres ad Vortumni ſignum, laneaſq; & tabernas coniunctas in publicum emit, baſilicamq; faciendam curauit, quæ poſteà Sempronia appellata eſt.*

EX hoc Liuii loco patet, differentiam illam, quam Carolus Sigon. *lib. Prouinciarũ* 2. *c.* 8. ſtatuit inter pecuniam attributam & vectigalem, corruere. Ait enim, pecuniam attributam fuiſſe, quæ hauriebatur ex ærario, vectigalem vero, quæ ex vectigalibus & tributis colligebatur. At hæc pecunia attributa T. Sempronio, ex vectigalibus fuit collecta; ergo non ex ærario, quod ex eiuſdem Liuii verbis elicitur, ſic ſcribentis: *Cenſoribus dimidium ex vectigalibus eius anni attributum ex S. C. à quæſtoribus, ex qua pecunia attributa T. Sempronius baſilicam faciendam curauit, quæ poſtea Sempronia appellata eſt.* Cæl. Rhodig. *lib.* 10. *cap.* 3. videtur innuere attributam pecuniam fuiſſe, quæ tributi nomine ſtatueretur, idque ex Liuio *lib.* 39. ſcribente de cenſura Catonis aſpera ita in omnes ordines; ornamenta & veſtem muliebrem, vehicula & mancipia æſtimantem, & his omnibus rebus terni in millia æris attribuentem. Item *lib.* 1. ait: *Vnde equites alerent equos ex publica pecunia emptos, viduæ attributa, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent.* Huic ſententiæ fauere videtur Varro *libro* 5. *de Lingua Latina*, vbi ait: *Tributum dicitur à tribubus, quod in pecunia, quæ à populo imperata erat, tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur.* Cic.

Digitized by Google

Cic.*in pratura vrb.*inquit: *Ne diutius teneam pecuniam attributam, profectus eſt quaſtor in prouinciam:* quæ verba exponens Aſconius, attributam pecuniam eſſe inquit, quæ in militum ſtipendium de ærario à tribunis ærariis quæſtoria adnumerabatur. Hæc ſententia etſi ſpecifice ſuſtineri poſſit, tamen generice & in vniuerſaliori ſignificatione mihi magis probatur Budæi expoſitio in prioribus Annot. *in Pen. titul.de officio quaſt.*vbi pecuniam attributam *aſſignatam* interpretatur. Nam quæ in ſtipendium militum aſſignabatur, attributa dicebatur ex Cic.& Aſconio locis adductis, ita & quæ equis alendis aſſignata erat ex viduarum cenſu, ex Liuio *attributa* appellata, ſic & quæ magiſtratibus in prouinciam proficiſcentibus aſſignabatur, attributa pecunia dicta. Cic.in Piſon. *Nonne ſeſtertium centies & octogies ex ærario ſibi attributum Romæ in queſtu reliquiſti?* Idem Cic. Conſul ad Caninium ſcribens, inquit: *De drachmis centum millibus nihil eſt, quod in iſto genere cuipiam poſſim accommodare, omnis enim pecunia ita tractatur, vt præda à Præfectis, quæ autem mihi attributa eſt, à quaſtore curetur.* Attribuere enim inter cæteras ſignificationes accipitur pro aſſignare. Cic.in Anton. *Antonius mihi pecuniam attribuit:* & rurſus: *Quantiq; locarint, tantam pecuniam redemptori reſoluendam attribuendamq; curent:* & ad Attic. *Pueros attribue ei, quot & quos videbitur.* Et ad Q. Fratrem: *Inſulæ, quæ erant à Sylla, Rhodiis attributa,* & alibi pluries. Quare hoc in loco pecuniam T. Sempronio attributam, *aſſignatam* interpretandum puto, ſicque omnem difficultatem tolli.

## T. LIVIVS LIB. XLIV.

*Legati ex Macedonia quinquatriis vltimis adeo expectati venerunt, vti, niſi veſper eſſet, extemplo Senatum vocaturi Conſules fuerint.*

VVlgatiſſimum eſt, Quinquatria fuiſſe feſta, quæ Mineruę ſeu Palladi fiebant, ita appellata, quod per quinque dies poſt Idus, qui inter atros connumerabantur, fiebant, vti Ouid.3.Faſt.

*Vna*

Digitized by Google

*Vna dies media eſt,poſt fiunt ſacra Mineruæ,*
*Nomina quæ à iunctis quinque diebus habent.*

Et Varro *de Lingua Latina* 5. docet, quinquatria fuiſſe feſtá Mineruæ ſacra,per quinque dies ab Idibus. Gellius libro 2. cap.21. *Quod quinquatrus*,inquit, *dicamus, quod quinque ab Idibus dierum numerus ſit atrus nihil.* Porphyrion enarrans illud Horat.Epiſt.2.Epiſt.2.

*At potius puer,vt feſtis quinquatribus olim,*

ſcribit, quinquatrus à quinque diebus dici, qui dies ad ferias Mineruæ pertinet, propterea quod feſtæ ſolemnitates eiuſdem Deæ per hoc ſpatium celebrabantur. Cic.*in Epiſt:* eleganter dixit: *Quinquatribus egi cauſam ſuam,non inuita Minerua:* & rurſus: *Ita tumultuoſæ conciones quinquatriis afferebantur.* Domitianum Imperatorem quinquatria quotannis Mineruæ celebraſſe ſolemnia in monte Albano, ita vt & collegium ad magiſterium earum inſtitueret; teſtis eſt Sueton.in illo,*cap.*4. Quod etiam inſigniter deſcribit Iuuenalis *Satyr.*11.tam liber & verax,quam contra vani & adulatores Papinius & Martialis. Nero Agrippinæ matri ſtruens inſidias, eam Baias euocauit ad ſolennia quinquatrium ſimul celebranda,ex eodem Sueton.*cap.*34. Errant ſane toto cœlo (vt aiunt) qui quinquatrum diem vnum ſolummodo fuiſſe feſtum ex Varrone exiſtimant,ſcribente *lib.de Lingua Latina* 2. quinquatrum diem vnum feſtum ſic appellatum,quod erat poſt diem quintum Idus Martii; quam ſententiam & ſequutus eſt Beroaldus in comm. loci citati, qui tamen vnà cum aliis eiuſdem opinionis facile erroris conuincitur.Nam Sueton.*in Auguſt.cap.*71.ſcribit: *Nos mi Tyberi quinquatris ſatis iucunde egimus, luſimus enim per omnes dies, forumq; aleatorium calefecimus.* Præterea Liuius *lib* 36. ſic habet: *Interrupit hos ſermones nocte, quæ pridie Quinquatrius fuit pluribus ſimul locis circa forum incendium ortum.* quo loco *pridie quinquatrus* interpretandum non dubito, priorem ex quinquatriis diem. Sic & apud Cic. ad Attic.9. *Erit enim pridie quinquatrus egregia tempeſtas, qua ego illum vſum puto.* Gellius namque *lib.*19.*c.*24. putat dictum pridie, quaſi priſtini, id eſt,priore die.Sed de re hac clarius Ouid.lib.3.Faſt:

*—— Sunt ſacra Mineruæ*
*Nomina, quæ à iunctis quinq; diebus habent.*
*Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,*
*Cauſa, quod eſt illo nata Minerua die.*
*Altera treſq; ſuperſtrata celebrantur arena,*
*Enſibus exertis bellica læta Dea eſt.*

Ex his, quæ à Liuio ſunt dicta *vltima quinquatria*, facile colligimus, non vltimum quinquatrium, diem videlicet quintum intelligere, hæc illius verba clare demonſtrant: *Legati ex Macedonia quinquatribus vltimis adeo expectati venerunt, vt, niſi veſper eſſet, extemplo Senatum vocaturi Conſules fuerint. Poſtero die Senatus fuit, legatiq; auditi ſunt.* Hunc genuinum ſenſum verborum Liuii eſſe etſi arbitror, nihilominus & aliam expoſitionem afferre libet huiuſmodi. Habemus ex Feſto Pompeio, *lib.2.* Quinquatria proprium Mineruæ feſtum fuiſſe poſt Idus Martias, aliud vero feſtum quinquatrium poſt Idus Iunias, quæ vocabantur *quinquatria minuſculæ*, ſeu *minores*, & erat feſtum tibicinum, qui colebant Mineruam. Hinc Ouid. 6. Faſt.

*Et iam quinquatras iubeor narrare minores,*
*Huc ades ô cœptis flaua Minerua meis.*
*Cur vagus incedit tota tibicen in vrbe,*
*Quid ſibi perſona, quid toga longa volunt?*

Itaque *vltima quinquatria* interpretari poſſumus hæc minora vocata, quæ poſtremo tempore celebrabantur, menſe ſcilicet Iunio, ad differentiam priorum, quibus proprie colebatur Minerua menſe Martio; vtramlibet accipiat lector expoſitionem.

## T. LIVIVS LIB. XLV.

*Cætera omnis generis arma cumulata in ingentem aceruum, precatus Martem, Mineruam, Lunamq; matrem, & cæteros Deos. quibus ſpolia hoſtium dicare ius faſq; eſt, ipſe Imperator face ſubdita ſuccendit, deinde circumſtantes tribuni militum, pro ſe quiſque ignes coniecerunt.*

HVnc locum enarrans doctiſſimus Turnebus *Aduerſ. lib. 16. cap. 20.* non *Lunam matrem*, ſed *Luam matrem* legendum

gendum contendit, alio eiuſdem Liuii loco *lib.*8. permotus. Per initia enim libri illius legimus: *Armorum vis magna, tum inter caſa corpora hoſtium, tum in caſtris inuenta eſt. Ea Luæ matri ſe dare Conſul dixit.* Hanc Luam Deam ita appellatam, inquit Turnebus, à luendo & expiando, eamque præfuiſſe luſtrationibus & luſtris, poſt cædem enim hoſtium & bellum, opus purgamentis & piaculis eſſe. Ego ſane libentiſſime, ni ratio aliter ſuaderet, cum doctiſſimo viro conſentirem. Sed quæſo, vnde hæc noua Dea excogitata? quis illius ex claſſicis authoribus verba fecit? Nam in loco adducto mendum ineſſe, mox demonſtrabimus. Fatemur gentilium Deorum innumeram farraginem, ita vt D. Auguſtinus *lib.*4.*Ciuitatis Dei, cap* 23. & *lib.*7.*cap.*2. ex Varrone dixerit, ſupra triginta millia fuiſſe, & Pindarus ante illum triginta millia eſſe dixit, ſi Maximo Tyrio credimus, qui illum citat *Ser.*1. id tamen referens ad opera & effectus diuinitatis. Verum enimuero, quomodo Liuius pene incognitam Deam ſpecifice cum Marte & Minerua nominarit, non video: quinimo rationi conſentaneum erat, vt potius eam (ſi qua eſt) in generali illa dictione, *& cæteros Deos, quibus ſpolia hoſtium dicare ius, faſq; eſt*, comprehenderet. Auget difficultatem, quod epitheton, *matrem*, adiunxerit, quo præcipuos magnoſque Deos donauit antiquitas, non communioribus attribuens. Adhæc admiratione non caret, ſi hæc luſtrationibus præerat, cur ſcriptores illius non meminere, vbi de exercituum luſtratione agunt. *Armiluſtrum* vocauit Varro *lib.*4.*lingua Latina*, ex quo Plutarchus *in Romulo*, & Liuius ipſe *lib.*1. Dionyſius Halycar. *lib.*4. ſcripſere, cur in claſſium expiatione, cuius Liuius *lib.*39. & Appianus meminit *lib.*5.*bel.ciuil.* Nec in rogi militaris luſtratione, de qua Virg. lib. 11. Æneid.

*Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis*
*Coniiciunt igni galeas enſeſq; decoros.*

Cur, inquam, in huiuſmodi militaribus expiationibus ſcriptores de Lua Dea ne verbum quidem fecere? Vtrobique itaque Liuium matris Lunæ verba feciſſe crediderim, mendumque ineſſe potius *lib.*8. quam *lib.*45. impreſſorum

incuria, qui pro litera *n*, elementum *u* facile ſuppoſuere, nam characteres vtranque literam exprimentes, conſimiles maxime ſunt, ſique inuertantur, alter alterum repræſentat. Lunam vero iure matris attributo donatam conſtat, quippe quæ ſublunarium omnium generationi & incremento opem ferat. Vnde non immerito Ariſt. *lib. de Anima. lib.* ſcripſit, Lunæ naturam perſimilem videri naturæ terræ, quam magnam matrem dictam alibi docuimus. Ait Turnebus, *Quid attinet arma in honorem Lunæ comburi?* At ipſe ſciat velim, in re militari maximum Lunæ vſum, nec contemnendum iuuamen plerunque in rebus bellicis eam præſtitiſſe. Communiora omitto, particularia exempla aliquot adduco, ex antiquorum hiſtoria excerpta. Germani in prælio ineundo religioſi Lunam nouam obſeruabant, tradente Plutarcho *in Iulio Cæſare.* Ipſemet Liuius, de cuius dictis agitur controuerſia, quot bellicas inſidias ſilente Luna patratas, quæ itinera ea perlucente noctu facta recenſet? *Lib.* 32. vbi de T. Quinctio ſcribit: *Nocte itinera fieri iubet, & pernox forte Luna erat.* At audiamus, quæ magis ad diuinitatem accedunt exempla. Idem Liuius *lib.* 44. hæc habet: *C. Sulpitius Gallus Tribunus militum ſecundæ legionis, qui prætor ſuperiore anno fuerat, Conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis, pronuntiauit, nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda vſque ad quartam horam noctis Lunam defecturam eſſe, id quia naturali ordine ſtatis temporibus fiat, & ſcire ante, & prædici poſſe. Itaque quemadmodum quia certi Lunæ Soliſq; & ortus & occaſus ſint, nunc pleno orbe, nunc ſeneſcente, cornu exiguo fulgere Lunam, non mirarentur, ita ne obſcuram quidem, quum condatur vmbra terræ, trahere id in prodigium non debere. Nocte, quam pridie Nonas Septembris inſecuta eſt dies, edita Luna cum defeciſſet, Rom. militibus Galli ſapientia prope diuina videri. Macedonas, vt triſte prodigium, occaſum regni, perniciemq; gentis portendens mouit; nec aliter vates; clamor vlulatuſq; in caſtris Macedonum fuit, donec Luna in ſuam lucem emerſit.* Pergit deinceps Liuius pugnam deſcribere, & Romanorum victoriam. Sed audiamus & Tacitum, *lib. Annal.* 1. vbi de ſeditione Pannonicarum legionum: *Noctem minacem, & in ſcelus erupturam*

*fors*

Digitized by Google

*ſons leniuit. Nam Luna clariore pene cœlo viſa langueſcere, id miles rationis ignarus, omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſideris adſimilans, proſpereq́; ceſſura quæ peragerent, ſi fulgor & claritudo Deæ redderetur. Igitur æris ſono, tubarum cornuumq́; concentu ſtrepere, vt ſplendidior obſcuriorve lætari aut mœrere, at poſtquam obortæ nubes officere viſui, creditumq́; conditam tenebris, vt ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora auerſari Deos lamentantur.* Et paulo poſt: *Tum redire paulatim amor obſequij, omittunt portas, ſigna vnum in locum principio ſeditionum congregata, ſuas in ſedes referunt.* Itaque parumne momenti in bellicis rebus Lunæ numen eſſe dicemus? an potius iure hoſtium arma, ſicuti Marti & Mineruæ, Lunæ comburi debuiſſe non negabimus? Ergo vt ipſiſſimis Turnebi de Luna prolatis verbis vtar, iſtam Lunam Deam capite foras præcipitem agendam puto, & in hos penates reuocandam Lunam matrem; quæ tempeſtates præuidere, & præcauere quoque milites doceat; quæ terras ſatiaret, accedens corpora impleat, abſcedens inaniat, frondes quoque ac pabula iuuet, & tandem in omnia illius vis penetret, ita vt recte Plinius *lib.40.c.99.* eam mundi ſpiritum appellarit.

## T. LIVIVS LIB. XLV.

*In quatuor vrbanas tribus deſcripti libertini, præter eos, quibus filius quinquenni maior ex S. C. eſſet. Eos, vbi proximo luſtro cenſi eſſent, cenſeri iuſſerunt. Et eis, qui prædium prædiave ruſtica plus ſeſtertium 30. millium haberent, cenſendi ius factum eſt. Hoc quum ita ſeruatum eſſet, negabat Claudius ſuffragij lationem iniuſſu populi Cenſorem cuique homini, nedum ordini vniuerſo adimere poſſe.*

PLures difficultates ex præſentis textus lectione emergunt, quarum prima eſt, quomodo affirmet Liuius ex Claudii ore eius ſuffragii, cenſorem non poſſe ciui cuiquam adimere, quum oppoſitum ſupra docuerimus ex Gellio & Aſconio palam id confirmantibus. Altera vero, quo pacto dixerit Claudius, libertinis adimi ſuffragii ius, & qua de cauſa. Id enim ſatis obſcurum videtur. Tertia, an li-

bertini ſolum eſſent deſcripti in quatuor vrbanis tribubus, an & aliqui in ruſticis? Diluitur prima difficultas, quia adimere ſuffragium, dupliciter poteſt conſiderari, vno modo pro auferre ab eo, qui iam ſuffragandi ius adeptus eſſet, alio modo eſſe impedimento, quo minus quis ſuffragii ius non adipiſcatur, quum antea non habuerit. Priori modo cenſores ius adimere ſuffragandi potuiſſe cuicunque habenti, palam fecimus ſupra, vbi de cenſoriis notis loquuti ſumus, nam ea referendo in Cærites tabulas, & ærarium faciendo, id præſtare poterant Cenſores; ſicque Gellii & Aſcanii dicta interpretanda. Secundo modo Liuii verba intelligenda; namque Sempronius Cenſor ſtatuendo libertinos, qui prius non eſſent cenſi, cenſeri poſſe, ſi ruſtica prædia pluris ſeſtertium 30. millium haberent, excludebat quoq; à cenſu illos, quibus in prædiis ruſticis minus dicta ſumma eſſet; quod Claudius impugnabat, inquiens, id eſſe adimere libertinis ſingulis, non ſolum qui minus ſeſtertium 30. millium, ſed & eorum ordini vniuerſo ſuffragii lationem, & illis, qui dictam ſummam non poſſiderent. Et ratio eſt, quia qui incenſi erant, ſuffragium ferre non poterant, quamuis ciuitatis Romanæ iure donati eſſent, & in tribu deſcripti. Quod docuit Nicolaus Gruchius inter recentiores plurimæ doctrinæ vir, *libro de Comitiis Rom. 2. cap. 3.* & quoque ex hoc loco comprobari facile poteſt: & ita Cenſores poterant adimere ius ſuffragii, hoc eſt, inhibere, quo minus quis illud conſequeretur. Ex quibus etiam facile patet reſpōſio ad ſecundum obiectum. Quod vero ad tertium ſpectat, dicimus, Libertinos homines non ſolum in quatuor tribubus vrbanis deſcriptos fuiſſe, ſed & in aliquibus ruſticis aliquando locatos. Namque Appius Claudius Cenſor anno ab vrbe condita 441. libertinos ex quatuor vrbanis in alias omnes diſperſiſſe, teſtati ſunt Diodorus & Plutarchus *in Publicola*, quod quum nobiles & ingenui iniquiſſimo animo ferrent, Q. Fabius Rullianus nouem poſt annos Cenſor, iterum in quatuor vrbanas redegit, vnde Maximi nomen ab vniuerſa ciuitate obtinuit: quumque ſubſequentium Cenſorum incuria vel conniuentia id minime ſeruatum

tum

tum eſſet, L. Æmilius Papus, & C. Flaminius Cenſores anno ab vrbe condita 532. libertinos in ruſticas tribus diſperſos in quatuor vrbanas tantum reuocarunt, & eſſe voluerunt. Poſtea S.C. & hæc ſeries immutata, namque permiſſum, vt libertini, quibus filius quinquenni maior eſſet, in ruſticis cenſerentur. Poſtremo Tiberius Gracchus anno ab vrbe condita 585. in ſolam Exquilinam tribum vrbanam eos redegit, quod ex hoc Liuii loco colligimus, & ex Cicer. 1. *de Oratore libro*, ſubſequentibus vero temporibus modo per ruſticas tribus libertinos deſcriptos, modo in vrbanas redactos pro dominantium in Repub. libidine, vtque libertinos eoſdem vel amore vel odio proſequebantur, velut iam aliquando occaſio vel neceſſitas expoſtulabant, in hiſtoria obſeruamus. Et hæc de re hac pro nunc ſint ſatis. Illud profecto non prætermittendum, ne viri doctiſs. authoritate ſtudioſi decipiantur, haud veritati conſentaneum, quod à Carolo Sigonio, *libro de iure antiquo ciuium Rom. 2. c. 14.* ſcriptum eſt ex Liuii authoritate hoc in loco, Tiberium Gracchum ſcilicet contendiſſe, omnes libertinos ab omnibus tribubus repellere; quod falſum eſſe, clare conuincitur ex ipſius Liuii verbis, ſcribentis, ſeruatum vt libertini, qui in quatuor vrbanas tribus deſcripti erant, præter eos, quibus ex S.C. filius quinquenni maior eſſet, vbi proximo luſtro cenſi eſſent, ibi & cenſerentur. Nam diſceptatio præſertim Cenſorum erat, circa illos, qui non ſolum cenſi erant, vt ſuperius ſatis manifeſtum factum puto.

## T. LIVIVS LIB. LVII.

*Militem quotidie in opere habuit, & triginta dierum frumentum, ac ſeptenos vallos ferre cogebat, ægre propter onus incedenti dicebat: quum gladio te vallare ſcieris, vallum ferre deſinito.*

VAllum in primo caſu pro munimento caſtrorum obſeruamus, quamuis & aliquando in eadem ſignificatione & caſu eodem *vallus* legatur. Tibull. libro Eleg. 1. Eleg. 2.

*Non arces non vallus erat.*

Cæſar lib.3.bel.ciuil.*Vallus contra hoſtem in altitudinem pedum decem.* Fiebant antiquitus valli ſeu munimenta caſtrorum nonnumquam ex terra & ceſpitibus, vti ex Liuio colligimus lib.25. *Circumſpectare atque agitare Dux cœpit, ſi quo modo poſſet, vallum circum inijcere, ſed erat adeo nudus tumulus, & aſperi ſoli, vt nec virgulta vallo cædendo, nec terra ceſpiti faciendo*, & quæ ſequuntur. Plinius lib.35.c.14. *Hinc & ceſpitum natura, caſtrorum vallis accommodata.* Et de eadem re plura Vegetius *lib.3. c.*8. Fiebant & nonnunquam valli lapidum congeſtis molibus. Sic Carthaginenſes ſaxis vndique circa, ex propinquis vallibus congeſtis vallum auxerunt, tradente Liuio *lib.*28. Philippus quoque Macedonum Rex lapidum congerie, vt pro muro eſſent, præmuniuit caſtra, apud eundem Liuium *lib.*31. & pariter Antiochus *lib* 36. arboribus obiectis, & quandoque vallum conſtitutum legimus *lib.6.* poſt principium, vbi de vallo Volſcorum. Et *lib.*25.*&* 31. vbi de Philippo Macedonum Rege. Ex militum haſtis hoſti obiectis veluti vallum quandoque factum legimus apud eundem authorem *lib.*36. Eodem pacto Cic. in Piſ. Alpium montes aduerſus Gallorum aſcenſum tranſgreſſumque *vallum* dixit. Conſtruebant pariter antiqui caſtrorum munimentum ſeu vallum ex palis ſolo infixis inuicem adhærentibus & connexis, qui & ipſi valli appellati. Sic palum, cui vitis alligatur, *vallus* dictus. Virg.1.Georg.

*Exacuunt alij vallos furcaſq; bicornes.*

Et iterum:

—*Et vallos primus ſub tecta referto.*

Et 2.eiuſdem:

*Quadrifidaſq; ſudes & acuto robore vallos.*

In hac ſignificatione accipiendam valli vocem hoc in loco, non dubito, dum ait, Scipionem Africanum coegiſſe ſingulos milites ſeptenos ferre vallos, hoc eſt, palos acutos, quibus conficiendis caſtrorum munimentis, quum opus eſſet, vterentur, & humo infigerent. Eodem modo & Cic. in Tuſcul. *ferre vallum* dixit; & Epiſt.6.ad Att. *Vallum Lucillianum*, Satyricum carmen appellauit, quo ceu vallo, id eſt, fuſte Lucillius homines male afficiebat, ſeu verberabat.

MAR-

Digitized by Google

MARCELLI DONATI

# IN CORNELIVM TACITVM DILV-CIDATIONES.

## CORNELIVS TACITVS LIB. I.

*Neque mortem nepoti pro ſecuritate priuigni illatam credibile erat, propius vero Tiberium ac Liuiam, illum metu, hanc nouercalibus odiis ſuſpecti & inuiſi iuuenis cædem feſtinauiſſe.*

ABIIT in prouerbium, *Nouercale odium*, & pro inſigni malo *nouerca*; ſic ſcriptum: *Dies quandoque parens quandoque nouerca.* Et Menander in ſententiis Comicis Græcorum *cap.* 24. δεινότερον ἄλλο δὲν μητρείης κακὸν, hoc eſt, *Nullum maius malum nouerca.* Charondas Sibaritis tulit legem, vt qui liberis ſuperinduxiſſet nouercam, conſilio Senatus, & patriæ ſubmoueretur; nunquam ab eo exiſtimans patriam recta ac ſalubria conſilia ſperare poſſe, qui liberis propriis male cõſuluiſſet; quod ſcripſit Diodorus Siculus *lib.* 12. *Bibliot.* Gloſſa *in* §. *ſocrum, de Nupt.* tradit Nouercam dici, quaſi *noua arca*; Rectius tamen alii, quaſi νέα ἀρχή, id eſt, *noua princeps*, ſtatim enim atque in domum mariti traducitur, omnia ſibi arrogare nititur. Et ſæpe nouercalibus delinimentis infatuati mariti coguntur iudicium ferre contra proprium ſanguinem; & filios exhæredare, *ex l.* 4. *de inoff. teſt. in P.* ſic Euripides *in Alceſte* ſcribit:

ἐχθρὰ γὰρ ὑπιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις
τοῖς πρόσθ' ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα.

hoc eſt: *Inimica eſt enim ſubiens nouerca, prioribus liberis vipera*

*nihilo mitior.* Hinc ſcriptores ſemper nouercę voci *impiā, crudelem, iniuſtam, ſæuam,* & huiuſmodi adiiciunt. Virg. in Bucol.

*Eſt mihi namque domi pater, eſt iniuſta nouerca.*

Ceſtius Pius apud Senecam lib. 4. Controuerſiarum ait: *Sed adhuc crudelis & pertinax nouerca poſt omnia deuicta, nihilominus ſæuit.* Et Ouidius in Epiſt. Medeæ ad Iaſonem:

*Sæuiet in partus dira nouerca meos.*

Et Claudianus de raptu Proſerpinæ.

*In dira ſubito mores tranſiſſe nouerca.*

Virgilius iterum 2. Georg.

*Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ.*

Ouidius rurſus 2. Triſtium.

*Nam quid in Hippolyto eſt, niſi ſæua flamma nouercæ?*

Et Seneca in Traged. Octauia.

*Tulimus ſæuæ iuſſa nouercæ,*
*Hoſtilem animum, vultuſque truces.*

Et iterum:

*Sæua cui lacrymis dedit etiam nouerca.*

Itemque in Hippolyto.

*Vincit ſæuas cura nouercas.*

Et rurſum:

*Audite Athenæ, tuque funeſta pater peior nouerca.*

Et Statius lib. 2. Syl.

*Cui ſibila ſerpens poneret, & ſæuæ vellet ſeruire nouercæ.*

Valerius Flaccus lib. 1. Argon.

*——Heu ſæuæ nec quicquam erepta nouercæ.*

Et iterum.

*——Heu ſæua formido nota nouercæ.*

Ouidius lib. 1. Metamorph.

*Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.*

Et lib. 9. Metamorphoſ.

*Mors mihi munus erit, decet hæc dare dona nouercam.*

Horatius lib. Epod. Ode 5. *Quod vt nouerca me intueris.* Iure itaque Tacitus odia Vatiniana, quibus Liuia Druſum proſequebatur, *nouercalia* appellauit. Et paulo infra inquit: *Nouercalibus Liuiæ in Agrippinam ſtimulis.* Et rurſus: *Liuia grauis domui Cæſarum nouerca.* Et *manus auidæ nouercales.*

C. TA-

## C. TACITVS LIB. I.

*Nam Tiberius cuncta per Conſules incipiebat, tanquam vetere Republica, & ambiguus imperandi. Ne edictum quidem, quo Patres in Curiam vocabat, niſi Tribunitiæ poteſtatu præſcriptione poſuit, ſub Auguſto accepta.*

COnſulum ius vocandi Senatum fuiſſe elicimus ex Liuio *libro* 23. ſcribente: *Conſules edixerunt, quoties Senatum vocaſſent, vti Senatores, quibuſque in Senatu dicere ſententiam liceret, ad portam Capenam conuenirent.* Clarius Dionyſius Halycarnaſſæus *libro decimo* id docet. Quamobrem dubium videtur Taciti dictum, quum ait, Tiberium qui cuncta per Conſules incipiebat, Senatum conuocaſſe Tribunitiæ poteſtatis præſcriptione. Cui difficultati obuiam ire poſſum ex Gellii ſententia *lib.* 14. *cap.* 7. vbi habet, ex Varronis ſententia ius vocandi Senatum fuiſſe non ſolum penes Conſules, ſed & Dictatorem, Prætores, Tribunos plebis, Interregem, Præfectum vrbis, Tribunos militares, qui pro Conſulibus fuiſſent; Decemuirosq;, qui Conſulare imperium habebāt. Item & Triumuiros Reipub. conſtituendæ cauſa creatos. De vocatione Senatus à Prætoribus facta plura habemus apud Liuium exempla, præſertim abſentibus Conſulibus, vti *lib.* 8. poſt principium, & *lib.* 10. vbi de P. Sempronio Prætore creato loquitur, & *lib.* 32. vbi de Senatu à Prætoribus poſt Cannenſem cladem vocato. Et iterum *lib.* 3. vbi de Senatu vocato à M. Æmilio Prætore. & *lib.* 42. vbi de L. Cor. Lentulo Prætore, & *libro* 46. vbi de M. Iunio prima luce, Catone authore, Senatum vocante, & *lib.* 8. vbi de Seruio Sulpicio, & *lib.* 5. ad finem, & *lib.* 41. Quod pariter habemus ex Tacito *lib.* 17. vbi Prætor Vrbanus, quem non nominat, *Senatum* vocauit. De vrbis Præfecto erat authoritas Liuii *lib.* 31. vbi inquit, Senatum abſentibus Conſulibus conuocatum fuiſſe à V. Fabio Præfecto vrbis. Sed quod magis ad præſentem rem facit, quod ſcilicet à Tribunis plebis conuocaretur Senatus, multæ extant authoritates. Præſertim Cic. *lib. Epiſt. famil* 10. *Epiſt.* 27. vbi inquit: *Nam quum Senatum ad* 13. *Kal. Ian. Tribuni plebis vocaſſent, deq; alia re referrent*

*totam*

*totam Rempub.ſum complexus,egique acerrime.* Ex lib. 11. Epiſt. 6. *Quum Tribuni plebis edixiſſent Senatus adeſſet ad* 14. *Kal. Ian. haberentque in animo de præſidio Conſulum deſignatorum referre.* Ex his itaque ſatis patere puto, non ſolum Conſules, ſed & Tribunos, vt alios omittam, Senatum conuocaſſe; quod ſicuti primis temporibus Reipub. frequens Conſulum munus fuit, rarum vero Tribunorum plebis, ita poſterioribus, quibus imperantes Tribuniciam poteſtatem ſibi adiunxerant, eadem Senatum conuocare non infrequens. De qua re libet Dionyſii Halyc. *lib.* 10. verba ſubſcribere. *Antea* (inquit) *tantum in concionibus regnabant Tribuni, Senatum vocare, aut ſententiam dicere eis non licuit; ſed Conſulum is honos fuit. Huius anni Tribuni primi Senatum conuocare auſi ſunt, authore Icilio, qui eius collegii Princeps erat, vir induſtrius & pollẽs Rom. facundia.*

## C. TACITVS LIB. I.

*Erat in caſtris Percennius quidam Dux olim Theatralium operarum, deinde gregarius miles.*

Tacitus videtur hiſce verbis contrariari Liuio per initia *lib.* 7. ſcribenti de Atellanis Fabellis, Quod genus ludorum ab Oſſis acceptum tenuit iuuentus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt, eo inſtitutum manet, ne actores Atellanarum nec tribu moueantur, & ſtipendia tanquam expertes artis ludicræ faciunt. Ex quibus patet, hiſtrionibus olim vetitum ſtipendia facere, nec iniuria; ſiquidem Iulianus Iuriſconſultus eos dicit infamia notari, qui artis ludicræ pronuntiandive cauſa in ſcenam prodierint, *in l.* 1. *de his qui not. infa. lib.* 3. *P. tit.* 2. Quod etiam confirmat Vlpianus *l.* 4. *eodem l.* 2 *§. fina. eod. & l.* 2. *§. ait prætor, de iis, qui not. infam.* Marcellus quoque *l. quædam delicta. l.* 14. *de pœn. P.* ex reſponſis Menandri tradit, militem qui artem ludicram feciſſet, capite puniendum eſſe. Æmilius Probus *in proœmio Vitæ Imperat.* ſcriptum reliquit: *Magnis in laudibus tota fuit Græcia auctorem Olympiæ citare; In ſcenam vero prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem gentibus fuit turpitudini; quæ omnia apud nos, Romanos ſcilicet, infamia, partim humilia, ac ab honeſtate remota ponuntur.* Nihilominus Tacitus hoc in loco inquit: *Percennium*

Digitized by Google

*nium quendam olim ducem Theatralium operarum, gregarium militem extitiſſe, & ſeditionis militaris miniſtrum.* Conciliari hæc poſſe exiſtimo, ſi dixerimus, Percennium non fuiſſe hiſtrionem, actorem ſcilicet in ſcena, ſed præfuiſſe tantum Theatralibus operibus, ſic enim ſignificare puto vocari illum Ducem.

## C. TACITVS LIB. I.

*Et centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant; quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, & rurſus aliam poſcebat.*

VEteribus Romanis lege & vſu ſancitum, vt ciues ſuos non virgis ſed vite verberarent, quod à Lucio Floro & Liuio *lib.* 57. relatum eſt. Quare milites ciues Romanos in minoribus criminibus vite corrigebant. Ita Scipio Africanus Numantiam obſidens, milites extra ordinem quos deprehendiſſet, ſi Romanus eſſet, vitibus, ſi extraneus, fuſtibus cecidit. Et Plutarchus *in Gracchis* author eſt, Liuium Druſum, & C. Gracchum Tribunos plebis plebiſcito ſanxiſſe, ne liceret quempiam Latini nominis virgis afficere, ſed vitibus, in hac re Latinos Romanis adæquantes. Nec obſtat, quod Liuius *lib.* 5. *in Oratione Ap. Claudii* ſcriptum reliquerit: *Fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit.* Et Cic. 3. Philip. *Fuſtuarium meruerunt legiones, quæ Conſulem reliquerunt.* Nam relinquere Conſulem & ſigna, & decedere præſidio, non inter minora delicta enumeranda. Munus autem caſtigandi milites vite, Centurionum erat, teſtimonio Plutarchi in vita Galbę, vbi de Sempronio Denſo centurione; Vnde Macrobius *vitem* appellat *centurialem.* Et Marc. *D. de re mil. l.* 13. §. 3. ſcribit: *Eum qui centurioni caſtigare ſe volenti reſtiterit, ſic veteres notauerunt, ſi vitem tenuit, militiam mutat, ſi ex induſtria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur.* Plinius *lib.* 14. *cap.* 1. de vitibus loquens ait: *Quid quod inſertæ caſtris, ſummam rerum, Imperiumque continet. Centurionum in manu vitis illius virtutis præmium, tardos ordines ad lentas Aquilas perducit, & in delictis pœnam honorat.* Et Iuuenalis de Mario verba faciens, Saty. 8. ſcribit:

*Nodoſam*

*Nodoſam poſthac pungebat vertice vitem,*
*Si lentus pigra muniret caſtra dolabra.*

Et Silius Italicus *lib.12.* de Ennio, quem Centurionem fuiſſe dicit:

*Ennius antiqua Meſſappi ab origine Regis*
*Miſcebat primas acies, Latiaque ſuperbum*
*Vitis adornabat dextra decus.*

Poſteriorum tamen Imperatorum tempore hoc immutatum, & in minori etiam delicto, & liberi fuſtibus etiam verberari cœpti, ex Calliſtrato, *l. 2. §.1. D. de pœn.* & Macer. *l. 10. eod.* habet: *Ex quibus cauſis liber fuſtibus caditur, ex his ſeruos flagellis cadi.*

## C. TACITVS LIB. I.

*Vt denarius diurnum ſtipendium forct.*

Locus iſte eruditiſſimos pleroſque viros exercuit; namque ſi denarius decem aſſibus permutabatur, & decem aſſes diurnum ſtipendium militibus ſeditionem agitantibus erant; nihil amplius ſibi in ſtipendium dari petere videbantur. ſecus tamen eos enixe expetere & poſcere, declarat continuata textus lectio; quod vero decem aſſes ſtipendium diurnum eiſdem eſſet, oſtendunt manifeſta verba illa Taciti, paulo ſupra prolata. Enimuero militiam ipſam grauem, infructuoſam, denis in diem aſſibus corpus & animam æſtimari. Denarium autem denis aſſibus permutatum docent Voluſius Metianus *libello de ponderibus*, Vitruuius *libro* 3. & Plinius *libro* 33. *cap.3.* Teſtatur Vertranus *in Annotat. ſuis*, Æmilium Ferretum de re hac ad Turnonium Cardinalem ſcripſiſſe plura. Iuſtus Lipſius *in Notis ad Tacitum* ait: *Scripſ9 de re hac copioſe Com. 6. Antiq. lect. Sed quum virorum horum ſcripta hactenus legere mihi non licuerit, quamuis multam adhibuerim diligentiam, quid de illorum ſententia dicam, non habeo. Vertranus ipſe rem adeo conciſe tetigit, vt difficultatem tollere non videatur.* Amplius, milites ſeditioſos ſtipendii additamentum non obtinuiſſe affirmat, quod nullibi apud Tacitum legimus, quinimo oppoſitum potius exiſtimandum, ſcribente illo infra eodem libro: *Tiberium lætitia curaque adfecere;*

*gaude-*

*gaudebat oppreſſam ſeditionem, ſed quod largiendis pecuniis, & miſſione feſtinata, fauorem militum quæſiuiſſet, bellica quoque Germanici gloria angebatur.* Leuinus Forentius *in Com. Suetonii in Iulio Caſ. c. 26.* vt difficultatem dilueret, eo deductus, vt ſit auſus proferre, decem aſſes, quæ in diem miliri erogabantur in ſtipendium, alios fuiſſe à decem aſſibus, quibus denarius permutabatur; quo nil abſurdius excogitari poteſt; ſiquidem id repugnat omnium de re nummaria ſcribẽtium ſententiæ, & veritati ipſi, namque Plinius lib. &c. citato tradit, ſemper in militari ſtipendio denarium pro decem aſſibus datum, ergo aſſes ſtipendii & ærarii eo tempore eiuſdem generis, & valoris fuere. F.H. *lib. de re nummaria* hunc ſcrupum demere conatus, veritatem aſſequutus eſt, vt ego arbitror. Verum quum ille quoque conciſe admodum rem ita tractet, vt ex breuitate ſuboriatur obſcuritas; nos operæpretium facturos cenſemus, ſi fuſius de eadem re verba fecerimus. Duo prius præfati, ex quibus ſenſus facillimus Corneliani textus eruitur, ac omnis difficultas tollitur. Primum eſt, quod denarius, argenteus ſcilicet nummus, primum decem aſſibus æreis permutabatur, vt ſuperius comprobauimus; at procedentibus temporibus variis de cauſis pluribus aſſibus permutatum, ita vt quandoque ſexdecim aſſibus valuerit; quod pręcipue ex Vitruuio colligimus *lib. 3.* ita ſcribente; *Noſtri autem primo in denario denos æreos aſſes conſtituerunt*, paulo poſt ſubiungens, ad ſexdecim aſſes eius valorẽ deductum, ita vt Auguſti tempore denarius ſexdecim aſſes valuerit. Secundo ſciẽdum, Antiquitus morem fuiſſe, vt ſtipendii militaris rationes, non ad denarios argenteos, ſed ad æreos aſſes computarentur. Vnde *ære dicati* dicebantur milites, quibus ſtipendium quod in nummis æreis erat, ſubtrahebatur. Ad hæc Liu. lib. 5. *Placere* (inquit) *autem omnibus his voluntariam extra ordinem profeſſis militiam, æra procedere, & equiti certus numerus æris eſt aſſignatus.* Ita Cæſar ciuil. belli 3. *Scæuam centurionẽ vt erat de ſe meritus, centũ millibus æris donauit.* His ita conſtitutis, dicamus; quũ milites ſeditioſi in ſingulos dies decẽ aſſes æreos pro ſtipẽdio haberent, expoſcebãt ſibi dari loco illorũ denariũ argẽteum, qui tũc ſexdecim aſſibus permu-

permutabatur, ita vt ſex aſſium quotidie lucrum facerent. Namque etſi etiam concedamus, argentea moneta ſtipendium perſolutum, denario inquam, tamen numerabantur ſecundum currentem valorem, hoc eſt, ſexdecim aſſium à quæſtoribus, ita vt incrementum à decem ad ſexdecim aſſium Reip. commodo, non militum cederet. Nec obſtat Plinii dictum illud: *In militari ſtipendio ſemper denarium pro decem aſſibus datum*, quæ verba pluribus negotium ita fecere, inter quos Budæus *lib. de aſſe* 5. vt ſe à difficultate extricare nequierint, & aliorum captu & arbitratu quid ſtatuendum ſit, reliquerint; quod enim Plinius inquit expoſitioni noſtræ tantum abeſt vt aduerſetur, vt eam plane confirmet. Senſus enim verborum Plinii eſt; quod etſi denarius decem aſſibus primum permutaretur, poſtea ad ſexdecim aſſes excreuerit, Auguſti tempore & Tiberii per initia principatus ſui, quo tempore militaris ſeditio excitata, nihilominus militibus pro decem aſſibus numeratus primum iuxta veteris ſtipendii valorem; poſtea Imperatorum munificentia militum vtilitati proſpicientium, & indulgentium etiam, licet aſſes ſexdecim valentem denarium ſolutum. Ex quibus patere poteſt, Vertranium lapſum ex eiſdem Plinii verbis concludentem, militibus nullum commodum acceſſiſſe.

## C. TACITVS LIB. I.

*Repente lymphati diſtrictis gladiis in Centuriones inuadunt, ea vetuſtiſſima militaribus odiis materies, & ſæuiendi principium, proſtratos verberibus multant, ſexageni ſingulos, vt numerum Centurionum adæquarent.*

LEgiones Romanorum militum, non ſemper vno eodemque numero peditum fuiſſe, ſed temporum ſucceſſione variaſſe, ex antiquorum ſcriptis colligimus. Per initia enim Romanæ dominationis legionem à Romulo inſtitutam trium millium peditum, & trecentorum equitum conſtat fuiſſe. Ex ſingulis enim tribubus mille conſcripti ſunt pedites, & centeni equites, ſed aucta ciuitate, receptis Sabinis, ad quatuor millia peditum amplificata legio, teſte Dionyſio, & Plutarcho, vnde & legio quadrata dicta,

quod

quod pariter ex Liuio liquet, ſcribente libro ſexto; *Legionibus quaternum millium ſcriptis*, & libro vigeſimoptimo, *Sempronio data legiones duæ, eæ quaterna millia erant peditum*; & in oratione Scipionis Africani: *Propter quod facinus tota legio millia quatuor hominum in foro Romæ ſecuri percuſſi ſunt.* Polybius libro tertio inquit: *Romani quatuor legionibus exercitum complent, ſingulæ quæque legiones quaternis millibus peditum complent.* Subſequentibus vero temporibus pro arbitrio Imperatorum & Senatus quandoque variatum; Nam bello Gallico teſte Liuio, decem legiones deſcriptæ ex agreſte & vrbana iuuentute, quaternum millium & ducentorum peditum; & bello Latino ſcriptæ quatuor legiones quinis millibus peditum pro ſingula; ex eodem Liuio *lib.* 8. Et lib. 39. *in bello Hiſpanico legiones quina millia peditum habuere.* Et *libro trigeſimoſeptimo*, idem Liuius ſcribit, duas legiones fuiſſe quinque millium peditum, & quadringentorum, vel, vt alii ſcribunt, quadragintorum. Et *libro quadrageſimoſecundo*, in bello Perſico in Macedonia tradit ſcriptas legiones ſena millia peditum, pro vnaquaque continentes. Scribit Feſtus, C. Marium primum legionem ſex millium conſcripſiſſe. Ita Vegetius *rei militaris lib. & c.* 2. ſena millia armatorum legionem habuiſſe teſtatum reliquit. Et Modeſtus *in libello de vocabulis rei militaris*, ſcribit legionem habuiſſe peditum ſex millia. Quod potiſſimum colligimus ex Eutropio *lib.* 2. vbi habet: *Factæque legiones decem*, qui modus ſexaginta vel amplius armatorum millia efficiebat, paruis adhuc Romanis rebus, tanta tamen in re militari virtus erat. Moderantibus autem Imperatoribus Rom. Remp. id quoque vſu veniſſe patet ex hoc Taciti loco, vbi legimus ſexaginta fuiſſe centuriones in ſingula legione, nam centum peditibus centurio præerat, vti palam eſt, vnde militibus in illos ſæuientibus, ſexageni ipſorum ſingulos, quod ait Tacitus, mulrabant verberibus, ita vt numerum centurionum adæquarent.

## C. TACITVS LIB. I.

*Primam ac viceſimam legiones Cæcinna legatus in ciuitatem Vibionem reduxit turpi agmine, quum fiſci de Imperatore rapti inter ſigna atque aquilas vellerentur.*

PEcuniæ publicæ ærarii & fiſci nomine comprehenduntur, differunt tamen, vt Budæus inter recentiores annotauit, eo quod ærarium pertinet ad ciuitatem, fiſcus vero ad Principem; quod à Plinio mutuatus eſt in *Panegyr. ad Traianum*, dum ait: *At fortaſſe non eadem ſeueritate fiſcum, qua ærarium cohibes, imo tanto maiore, quanto tibi plus licere de tuo, quam de publico credis.* Idem ſentire videtur Dion *in Traiani vita.* Et clarius Spartianus *in Adriano* vbi habet: *Damnatorum bona in fiſcum priuatum redigi vetuit, omni ſumma in ærario publico recepta.* In eandem ſententiam Vulcatius Gallicanus in Auidio Caſſio: *Bona Auidii Caſſii hoſtis appellati proſcripta, Antoninus in priuatum ærarium congeri noluit, quare Senatu præcipiente in ærarium publicum ſunt relata.* Fiſcum autem priuatum ærarium vocari palam eſt. Quod & ex Vlp. colligimus, *l. 2. §. 2. D. ne quid in loc. publ.* vbi legimus: *Hoc interdictum ad ea loca, quæ ſunt in patrimonio fiſci, non pertinet, res enim fiſcales, quaſi propria, & priuata Principis ſunt.* Poſterioribus autem temporibus ærarium Principis dictũ eſt proprie pro priuatis rebus Auguſti vel Auguſtæ. Sic terminos iſtos apud Iuriſtas confundi obſeruamus. Ita Paulus *ad ærarium deferri*, pro delatione ad fiſcum dicit, *l. edicto, de iure fiſci, lib. 40. P. tit. 14. Inſtit. §. penult. de vſucap. iuncta l. neque enim, tit. de reſtit. milit. lib. 2. C. tit. 51.* Fiſcus etiam generaliter acceptus pro ſacris theſauris, *in l. 2. & 3. C. de quadrien. præſcrip.* fiſci etiam nomine Eccleſiam intelligi notat Innocent. *in c. cum pro cauſa, de ſenten. excom.* vnde & ipſa fiſcum habet, *cap. quia diuerſitatem, de conceſ. preben. & ibi gloſſa.* Illud vero non omittendum, duplicis generis eſſe bona Principis, priuata quædam, & patrimonialia, de quibus *in tit. de feudis rei priu. & ſaltib. diu. domus*, & potiſſimum *in l. 2.* & hæc nullo modo ſub nomine fiſci veniunt; alia vero, quæ Princeps ex vectigalibus, tributis & confiſcationibus percipit, & hæc proprie fiſcalia dicta, & ad fiſcum ſpectantia. Per

initia

initia autem Reip.Rom.nullis extantibus Principibus,& *a fiſci* publicam pecuniam dictam quandoque, conſtat ex Plinio *lib. 7. c. 28.* vbi de L. Siccio Dentato donato ex fiſco decem millibus æris. At quod magis ad præſentem locum ſpectat, fiſci ab Imperatore appellati Sacculi, in quibus Principis pecuniæ propriæ, ſeu etiam publicæ in ſtipēdia militum erogandæ continebantur, quas Aſconius docet ita dictos à vaſe ruſtico *fiſcus, fiſcina ficella, & ſpartea* appellata; de quo Iuriſconſulti *D. locati. l. 19. §. 5.* & Columella, *lib. 12. c. 47. 49. & 50.* Varro *lib. 4. de lingua Latina*, ſic dicta ſcribit à ferendo huiuſmodi vaſa, in quibus & olim pecunia portari ſolebat, & ita accipiendo contentum pro continente, fiſcus dicitur pecunia fiſcalis; ſed erant & fiſci, vti diximus, propriè loculi ſeu crumenę, & marſupia, in quibus principis pecunia portabatur, quod ex præſente Taciti loco palam fit, & ex Cic. *in Verr.* vbi habet: *Reperiebam fiſcos complures cum pecunia Siciliensi, à quodam Senatore ad equitē Rom. tranſlatos*; idem Iſidorus comprobat; & clarius Suet. in Claudio, c. 18. *Auxilio plebem per magiſtratus ex omnibus vicis conuocauit, ac poſitis ante ſe cum pecunia fiſcis, ad ſubueniēdum hortatus eſt, repræſentaturus per opera dignam cuiq; pecuniam.* Ab huiuſcemodi fiſcis, & *pecunia confiſcata* dicta, Suet. in Auguſto, c. 101. *Legionariis trecentos nummos, quam ſummam repræſentari iuſſit. Nam confiſcatam ſemper repoſitamque habuerat.* Inde & *confiſcare hæreditates.* Suet. in Domitiano. c. 12. *Confiſcabantur alieniſſimæ hæreditates vel vno exiſtente, qui diceret audiſſe ſe ex defuncto quum viueret, hæredem ſibi Cæſarem eſſe.* Ita & *cōfiſcare perſonas.* Suet. in Caligula, c. 41. *Quum prætereuntes duos equites Romanos locupletes ſine mora corripi confiſcarique iuſſiſſet, exultans rediit, glorianſq; nunquam ſe proſperiore alea vſum.* Confiſcare bona vulgatiſſimum eſt. Sic & *fiſcarii* dicti, à fiſco Imperatorum, ſcilicet exactores, & qui annuas fiſcariorum pręſtationes repetunt, & qui diſcuſſiones rationales tractare conſueuerunt, teſtimonio Vitruuii. Tantæ autem ſunt pecuniæ, quas ex publicis exactionibus ſeu vectigalibus & aliis penſionibus confiſcationibuſq; principes colligunt, vt iure dictū ſit, fiſcum ſemper ſoluendo eſſe, *l. 2. de fund. dotal. lib. 23. P. tit. 5.* Non tamē prætermittendum dictū boni Imperatoris

Traiani, aureum profectò, quod in Iuliano Sextus Aurelius memoriæ prodidit; illum nempe exactiones nimias improbantem dicere ſolitum, Fiſcum eſſe veluti lienem, quod eo excreſcente, artus reliqui contabeſcerent. Cur autem milites fiſcos de Imperatore raptos inter ſigna, Aquilaſque veherent, haud mirum eſt, ibi enim & proprias pecunias ſinguli milites deponebant; quod elicimus ex Suet. *in Domitiano c.7*. & nos alibi fuſius docuimus.

## C. TACITVS LIB. I.

*Centurionatum inde egit.*

PEremptus militari ſeditione legionum centurionibus, nouos elegit Germanicus coram militibus, qui eorundem merita vel demerita perpendentes, eos, vel approbabant, vel reiiciebant; hanc actionem Tacitus *centurionatum agere* dixit, noua quidem voce vſus, ſemper enim *centuriatum* vocauit Cic. ſic in Orat. pro Pomp. inquit: *Imperator in cuius exercitu veneant centuriatus, atque venierint*. Et in Orat. in Piſonem: *Quid centuriatus palam venditos?* Liuius quoque centuriatum dixit, lib.2, de bello Punico: *Vbi ad decuriatum, aut centuriatum conueniſſent*. Inſueta itaque voce Tacitum vſum dicendum, vel *centuriatum* non dixiſſe, eo quod hæc dictio ſingularem dignitatem vel officium ſignificet, *centurionatum* vero vniuerſalem & multorum centurionum electionem. In militari autem ſeditione morem fuiſſe cædendi centuriones, patet tum ex Taciti ſuperius dictis, tum ex Hirtii Com. *de bello Alexandrino*, vbi legimus, legionem trigeſimam deceſſione facta centuriones aliquot occidiſſe.

## C. TACITVS LIB. I.

*Idem annus nouas ceremonias accepit, addito ſodalium Auguſtalium ſacerdotio; vt quondam T. Tatius retinendis Sabinorum ſacris ſodales Tatios inſtituerat.*

MArcus Vertranus in ſuis notis ad Cornelium Tacitum, *ſodales Titios* legendum putat, eo quod apud alios ſemper legerit *Titios*, nunquam *Tatios*, vti apud Suet. *in Galba, capite octauo*, vbi habet: *Inter 15. viros ſodaleſque Titios*, *item*

*item Auguſtales coaptatus.* Et apud Lucanum 1. *lib.* Pharſaliæ legimus:

*Septemque viri epulis, Titiique ſodales.*

Ad hæc Varro *lib. 1. de lingua Latina* ſcribit, Titios nuncupatos à Titiis auibus, quas in auguriis certis obſeruare ſolebant. Nos tamen & Titios & Tatios nuncupari poſſe non dubitamus, rectius tamen *Tatios*, à Tito Tatio, vt ſcribit Tacitus hoc loco, & *lib. 2. Hiſt.* quemadmodum & *ſodales Auguſtales* ab Auguſto dicti ex Suetonio *in Claudio, c. 6. & in Galba, c. 8.* & Tacito locis dictis, & *Antoniani* ab Antonino Pio ex Capitolino in illo, & Antonino philoſopho non ſemel, & Spartano in Caracalla. *Heluiani* ab Heluio Pertinace, vbi & eoſdem *Martianos* dictos inquit à Marco Antonino; & ex Spartiano in vita Seueri. *Aureliani* à M. Aureliano, ex Capitolino in vita Antonini philoſophi. Et *Alexandrini* ab Alexandro Seuero in eiuſdem vita, qui *Mameanos* etiam inſtituit in honorem matris, eodem teſte. Verum quod magis ad rem facit, habemus ex Liuio *lib. 1.* à T. Tatio centuriam equitum Tatienſem appellatam, & ex Feſto libro 18. *Curiam Titiam, & tribum Titiam,* à prænomine Titi Tatii appellatas, cur non & ſodales Titios & Tatios ab eodem dici potuiſſe dubitamus? *Titios* nempe à nomine, & *Tatios* cognomine. Verum quia in re hac parum laborat Vertranus, ideo nec nos plura; ſed ad illud quod magis refert, ſermonem intendimus. Idem Vertranus Tacitum inconſtantię inſimulat, ac ſui diſſimilem appellat; quod ſcilicet hoc loco T. Tatium ſodales inſtituiſſe Tatios dixerit ad retinenda Sabinorum ſacra, at 2. Hiſt. tradiderit, huiuſmodi Sacerdotium à Romulo Tatio regi ſacratum fuiſſe. Ego ſane non contradicendi ſtudio, ſed quia ſemper in tutandis potius, quam accuſandis veterum ſcriptis pronior frui, aliter ſentiendum puto, ac iniuria Tacito inconſtantiæ notam inuri; ſiquidem haud inconueniunt, ſed & ſimul ſtare poſſunt hæc duo, quod ſcilicet T. Tatius ſodales Tatios inſtituerit, & quod Romulus eoſdem T. Tatio conſecrarit; nam inſtituere, primam originem ſignificat, at conſecrare, non ita, ſed iam inſtitutos duntaxat ad retinenda ſacra Sabinorum, mox illo

 extincto,

extincto, à Romulo illius honori conſecrari & confirmari. Quod ſi nec Liuius, nec Dionyſius, Plutarchuſque de re hac verba fecere, non tamen Tacitus accuſandus, imo laudandus, vti illis in ſcribendo vberior. Sane illi Romulum T. Tatio funus ampliſſimum feciſſe, ac parentale annuum decreuiſſe, non reticuere, vnde & veriſimile, & Sacerdotes Tatios ab illo inſtitutos, Romulum conſecraſſe.

## C. TACITVS LIB. I.

*Patiens tulit abſolui reum criminibus maieſtatis; de pecuniis repetundis itum ad reciperatores.*

DVo hoc in loco ſcrupum faciunt. Vnum quod ſcribat Tacitus, Granium Marcellum duntaxat accuſatum à Cæpio Criſpino, & à Romano Hiſpano læſæ Maieſtatis poſtulatum, & tamen ſubdat, eum ab hoc crimine liberatum, at de pecuniis repetundis ad reciperatores itum. Alterum vero, quod in Senatu reciperatores datos ſcribat, quod non alibi factum obſeruamus. Quibus vt lucem afferamus ſciendum, *reciperari*, *reciperatores*, *& reciperationem* paſſim legi in Pandectis Florentinis, pro *recuperari, recuperatores, & recuperatio.* Præterea ratione iuriſdictionis duplices iudices fuiſſe, ordinarios ſcilicet, & delegatos; Ordinarii dicebantur, qui aſſiduam & conſuetam exercebant iuriſdictionem, ab alio iudice vel Magiſtratu non pendentem. Delegati vero, ſeu Commiſſarii vocati, qui alterius iudicis vices agentes, nihil quicquam ex præſenti iuriſdictione habebant ordinarium. Hi autem à Romanis antiquis reciperatores ſeu recuperatores appellati, eorumque iudicium recuperatorium. Hoc quidē vel ex eo patere poteſt, quod Cicero ad demonſtrandum, quod nullam iuriſdictionem ordinariam haberent, fere ſemper eas cum iudicibus coniungit. Ita in Orat. pro Cæcinna ait: *Si quis iudex recuperatorve dicat.* Et iterum: *Non reperies quenquam iudicem aut recuperatorem*, & in Verr. 5. *Nullum vnquam iudicem aut recuperatorem dedit.* Præterea & illud memoriæ reuocandum, quæſtiones fuiſſe, vel de re publica,

vel

vel de priuata; de publica nunquam iudicium penes recuperatores, ſed ordinarii iudices erant Senatus Populuſque Rom. Si de priuata; vel quæſtio erat de iure vel æquo, vel de facto: de iure iudicabant Centumuiri, vt longa verborum ſerie docet Cic. *lib. de Orat.* 1. ſi de facto erat controuerſia, iudicium ad recuperatores ſpectabat, quod pluribus exemplis comprobare poſſumus. Liuius *lib.* 26. ſcribit, orta quæſtione de pręmio coronę muralis inter Q. Trebellium Centurionem, & Sextum Digitum ſocium naualem, à Scipione tres recuperatores datos, qui cauſam cognoſcerent. Sic lib. 43. *Cum controuerſia ſubrepta pecunia à L. Caruleio Prætore quini Senatorii ordinis recuperatores dati.* An aliquis eſſet ſeruus vel liber, ingenuus, vel libertinus ſi diſputabatur, & recuperatores dabatur, exemplum habemus apud Suet. in Veſpaſiano. c. 3. de Flauia Domicilla recuperatorio iudicio ingenua pronuntiata. An facta eſſet iniuria necne, ſi diſputabatur, recuperatores dabantur, quod comprobari poteſt ex Gellio ſcribente, lib. 20. c. 1. *Prætores legem duodecim tabularum, ſi iniuriam faxit, æris pœna ſunto; aboleſcere cenſuerunt, iniuriiſq; æſtimandis recuperatores ſe daturos edixerunt.* Et Cic. in Rhetor. iudicium iniuriarum à Prætorę datum, *iudicium recuperatorium* vocat. Ex his patere puto, recuperatores dari ſolitos in priuato iudicio, vbi de facto ageretur, ob id Domitianus *tradente Suet. in illo, c.* 8. Recuperatores ne ſe ſemper perſuaſoris aſſertionibus accommodarēt admonuit. Nam recuperatorium iudicium, vti quod de facto procederet, potiſſimū teſtibus, non perſuaſionib. innitebatur. Munus vero dādi recuperatores potiſſimū ad Prætores ſpectabat. Vnde Plautus in Bacchid.

*Poſtquam Prætor recuperatores dedit.*

Et Cic. *in Frumentaria* ait: *Veniant Syracuſas, & de Prætore, videlicet æquo iure Apronium delicias tuas, ac vitam tuam iudicio recuperatorio proſequentur.* Valerius Probus *in libello de notis antiquis*, Prætoris formulam iudicium recuperatorium dantis deſcribit. Idem etiā ex Cic. authoritate *in Rhet.* & Gellii loco adducto cōprobari poteſt. Non ſolum autē Prætores, ſed & Cōſules recuperatores dediſſe elicimus ex veterib. legibus, vbi habemus; *Conſulis, Prætoris, quicunq; erit, de ea re iuriſdictio.*

*iudicii, Iudicis recuperatorumve datio eſto.* Exercituum Duces, ſeu Imperatores aliquando recuperatores dediſſe manifeſtum ex ſuperius allato Scipionis exemplo inter milites de corona murali contendentes. Quinimo & Romanos Imperatores recuperatores dare conſueuiſſe, conſtat ex Capitolino in M. Cæſare; ſcribente, illum in Senatus honorificentia, multis & Prætoriis, & Conſularibus, & priuatis decidenda negotia delegaſſe, quo magis in exercitio iuris eorum creſceret authoritas; nil aliud eſt enim, vt diximus *recuperatores dare*, quam cauſam cognoſcendam alicui delegare. Senatum vero dediſſe recuperatores nunquam legimus, ſed bene ipſo iubente à Prætore datos, vti ſupra authoritate Liuii, *libro* 43. demonſtrauimus. Ita quoque & hoc loco non recuperatores in cauſa Granii Marcelli à Senatu datos, ſed iuſſu illius cum conſenſu Tiberii; vel ex illius mãdato commiſſum iudicium recuperatorium; quod oſtendunt verba illa: *Itum ad recuperatores*; aliter enim Tacitus datos dixiſſet. Ex his ſatisfactum ſecundæ obiectioni præmemoratæ cenſemus. Quod vero ad primum ſcrupum ſpectat, illum facile euitamus. Namque ſcribente Tacito, Granium Marcellum Prætorem Bithyniæ à Quæſtore ipſius Cæpione, Criſpino maieſtatis poſtulatum, ſubſcribente Romano Hiſpone, includit etiam pręter maieſtatis crimen, & repetundarum obiectum. Nam quum Cæpio Marcelli Quæſtor in Prouincia fuiſſet, ob idque pecunias ac earum rationes tractaſſet, facile ei fuit, Prætorem ſuum inſimulare; quod Tacitus ſolita breuitate inuoluit. Illud poſtremo notandum, apud Athenienſes iudices fuiſſe perſimiles recuperatoribus, qui *διαιτηταὶ* vocantur, quorum meminit Iul. Pollux. Dabantur autem recuperatores ſtatim propoſita quæſtione, nulla dilatione interpoſita, quod colligimus ex Plinio *libro Epiſt.* 3. *Epiſtola penultima*; ſcribente Maximo ſuo: *Nam vt in recuperatoriis iudiciis, ſic nos in his comitiis quaſi repente apprehenſi ſynceri iudices fuimus.*

## C. TACITVS LIB. I.

*De modo lucaris, & aduerſus laſciuiam fautorum multa decernuntur, ex quibus maxime inſignia. Ne domos Pantomimorum Senator introiret; Ne egredientes in publicum Equites Romani cingerent, aut alibi quam in Theatro ſpectarentur, & ſpectantium immodeſtiam exilio multandi poteſtas Prætoribus fieret.*

LVcar erat pretium, quod ex lucris percipiebatur à pop. Rom. & *Lucaris pecunia*, quæ in luco dabatur, & *Lucaria feſta*, quæ in luco Romani faciebant, qui permagnus erat, inter viam Salariam & Tiberim, in memoriam, quod victi à Gallis fugientes è prælio ibi ſeſe occultauerant, & hæc omnia ex Feſto Pompeio, *lib.*10. necnon & ex Plutarcho, *in Quæſtionibus.* Lucar ex Lexico antiquo Vectigal interpretatus eſt abſolute Turnebus, *libro Aduerſ.*28.*cap.*6. nos ſubaudiendum putamus cum Feſto concordantes, *Vectigal*, quod ex luci alicuius prouentibus percipiebatur. Sic ſenſiſſe etiam videtur ex recentioribus Cæl. Rhodig. *lib.*8.*cap.*9. M. Vertranus in Annot. ad hunc locum, interpretatur, pecuniam expendi ſolitam in ſpectaculis publicis. Sed etſi exponamus, feſta ipſa in primis temporibus in lucis fieri ſolita, & poſtea ad vrbem deducta, non reluctabimur: in lucis enim vrbi proximis ſacra & ludos peragi ſolitos, præter Feſtum & Plutarchum teſtatur Liuius *lib.*39. de Bacchanalibus, quæ in luco Similæ fiebant, verba faciens. Qui mos à Germanis forte deductus, qui nemoribus pro templis vſi ſunt, ex Tacito *in libro de moribus Germanorum.* Hincque illud Plinii *lib.*12. *cap.*1. de arboribus loquentis: *Hæc fuerunt numinum templa, priſcoq; ritu ſimplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant, nec magis auro fulgentia, atque ebore ſimulachra, quam lucos, & in iis ſilentia ipſa adoramus.* Quod vero ludi in ſacris fierent, palam fit ex omnibus propemodum authorum ſcriptis, ſed præſertim ex Cic. *in* 7. *in Verr. actione*, vbi ait: *Nunc ſum deſignatus AEdilis. Scio mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani nominati ſunt, maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæ eſſe faciendos; Lucaria ſcilicet.* Lactantius Firmianus *lib.*6. *cap.*20. ad finem, inquit: *Et cæteris*

*Diis paulatim idem honos tribui cœpit, ſinguliq́; ludi numinibus eorum conſecrati ſunt, ſicut Siſinnius Capito in libro ſpectaculorum docet.* Siue itaque *Lucaris modum impoſitum* interpretamur, Feſtis Ludiſque in lucis fieri ſolitis, ſiue pecuniæ ex lucis perceptæ, & in ludos faciendos expenſæ, parum refert; & ſenſus verborum Taciti ex ſerie ipſa fit clarus.

## C. TACITVS LIB. I.

*Templum vt in Colonia Tarraconenſi ſtrueretur Auguſto, petentibus Hiſpanis permiſſum; datumque in omnes prouincias exemplum.*

VErtranus interpretatur, datum Tyberii literarum exemplum ad omnes prouincias, vt ſcilicet ſtruerent Auguſto templum. Nos potius interpretandum cenſemus, ex conceſſione facta Hiſpanis petentibus, vt ſibi liceret in Colonia Tarraconenſi ſtruere Auguſto templum, datumque exemplum cæteris prouinciis, vt & ipſæ idem facerent, motæ ſcilicet exemplo Hiſpaniarum, ne, inquam, paterentur in demonſtranda erga Auguſti Manes obſeruantia, ſe ab Hiſpanis ſuperari. Poſſumus & aliter Taciti dictum explicare, nempe, quod Tiberius decreuerit non ſolum ab Hiſpanis, ſed & ab aliis prouincialibus omnibus conſtrui templa in honorem Auguſti, datumq; ad omnes prouincias exemplum, id eſt, modulum & formam, quibus in ædificandis Auguſto ædibus ſacris vterentur.

## C. TACITVS LIB. I.

*De comitiis Conſularibus, quænam primum illo principe, ac deinceps fuere, vix quicquam affirmare auſim; adeo diuerſa non modo apud authores ſed in ipſius orationibus reperiuntur.*

COmitia Conſularia hoc loco vocat Tacitus illa, quibus Conſules creabantur; quod fiebat comitiis centuriatis. Ita Liuius de primis Conſulibus ſcribit: *Duo Conſules inde ex comitiis centuriatis à præfecto vrbis ex commentariis Seruij Tullij creati ſunt.* Et Cicero per initia Orat. pro Muræna: *Quæ deprecatus à Diis immortalibus ſum, Iudices, more inſtitutoq́; maiorum illo die, quo auſpicato comitiis centuriatis, L. Muræ-*

*nam*

*nam Conſulem renuntiaui.* Et lib. 7. Epiſt. in Epiſt. cuius initium: *Ego vero iam te nec hortor*, inquit: *Ille autem, qui comitiis tributis eſt auſpicatus, centuriata habuit, Conſulem hora ſeptima renuntiauit.* Idem docet Gellius *lib.* 13. *cap.* 14. Huiuſmodi comitia primo per vrbis Præfectum habita, ex Liuii citato loco patet. Deinde per Conſules haberi ſolita vt plurimum, & ferme perpetuum, apud Liuium & alios obſeruamus. Nonnunquam autem habita comitia Conſularia ab Interrege, quum res ad Interegem rediiſſet, patet ex Liuio, *lib.* 3. in creatione Lucretii Tricipitini, & T. Veturii Gemini Conſulum. Et *lib.* 4. in creatione L. Papyrii Mugilani & L. Sempronii Atratini Conſulum. Et iterum *eodem libro*, in creatione Auli Cornelii Coſſi, & L. Furii Medulini Conſulum. Et *lib.* 7. vbi de creatione C. Sulpitii Petici, & M. Valerii Publicolę Conſulum. Et rurſus in creatione M. Valerii Coruini, & A. Cornelii Coſſi Coſſ. Et *lib.* 8. in creatione Manlii Torquati, & P. Muris Coſſ. Rurſumq; in creatione C. Petilii, & L. Papyrii Mugilani Coſſ. & alibi etiam non ſemel. Huiuſmodi comitia & aliquando habita per Dictatorem, quum Conſules haberi non poſſent, conſtat ex Liuio *lib.* 7. vbi habet, Dictatorem creatũ fuiſſe ægris Conſulibus, L. Furium Camillum, & paulo poſt T. Manlium Torquatum. Et *lib.* 32. L. Veturium Philonem, abſentibus Conſulibus, & *lib.* 36. ob eandem cauſam Q. Fuluium Flaccum, & *libro* 39. Q. Cæcilium Metellum Dictatores creatos, comitiorum Conſularium habendorum cauſa. Sic & Claudius Nero, M. Liuium collegam Dictatorem dixit eadem de cauſa, apud Liuium *lib.* 38. & *lib* 37. ita ſcribit: *Hac recitata à Conſule, ita mouere Senatum, vt non expectanda comitia Conſules cenſerent, ſed Dictatore comitiorum cauſa dicto, extemplo in prouinciã redeundum.* Non deſunt, qui Conſularia comitia aliquando per Prætores habita affirment, quorum tamen nullum afferũt exemplum, imò Cic. *lib.* 9. *ad Att.* in illa Epiſtola, quæ incipit, *Tres Epiſtolæ* horum ſententiam refellit; habet enim: *Iſte omnium turpiſſimus & ſordidiſſimus, qui Conſularia comitia à Prætore ait haberi poſſe.* Conſules denique ſemel abſque comitiis centuriatis à Patribus clientibusque Patrum factos,

factos, T. Quinctium & Q. Seruilium, quum plebs irata noluiſſet Conſularibus comitiis intereſſe, habemus ex Liuio *lib. 2.* verſus finem. Poſtremo creandorum Conſulum comitia ad ſe tranſtulere Imperatores cæteri, exemplo Cæſaris, qui, teſte Suetonio in illo, *cap.* 41. quamuis comitia cum populo partitus eſſet, exceptis tamen Conſulatus competitoribus, iuſſit de cætero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur, pro parte altera, quos ipſe dediſſet. Pulchre itaque de populo Rom. Iuuenalis Satyr. 10.

*Qui dabat olim Imperium, faſces, legiones, omnia,*
*Nunc ſe continet, atq; duas tantum res anxius vrget,*
*Panem & Circenſes.*

Modeſtius quidem Auguſtus, qui & ipſe cum populo munia Magiſtratuum creandorum partitus, validiorum proninciarum Magiſtratus ad ſe tranſtulit, cæteras Proconſulibus ſortito permiſit, ex ipſomet Suetonio in illius vita, *capite* 47. Tiberius deinceps, cuius mores fuere ſimulatiſſimi ac varii, vt Tacitus in ſequentibus docet, publicam quamuis autoritatem ſeruare profeſſus, re vera Conſulum creationem ad ſui commendationem trahebat, variis ac diuerſis artificiis vſus; ob id iure, inquit Tacitus, de comitiis Conſularibus illo Principe, & deinceps, qualia fuerint, certi quidquam firmare, ſe minime auſum. Illud ſane ſcriptum poſteriorum Imperatorum temporibus à Iuriſconſultis legimus, ad Principem, Magiſtratuum creationem pertinere, non ad populi fauorem. Ita docet Modeſtinus *l. 1. ad leg. Iuliam, de ambitu*, vitandi ambitus cauſa id moris inductum. Quod de bonis Principibus intelligendum, qui & bonos, magiſtratibusque gerendis aptos eligere ſtudent, ſecus vero malos Imperatores, quos & ſui ſimilibus venali fauore, non virtute præualente, magiſtratus vt plurimum demandaſſe, magno ſubditorum malo, paſſim in lectione hiſtorica obſeruamus.

C. TA-

## C. TACITVS LIB. III.

*Atque vbi colonias tranſgrederentur atrata plebs, trabeati equites, pro opibus loci veſtem, odores, aliaq́ funerum ſolennia cremabant.*

EX hiſce Taciti verbis exiſtimauere nonnulli, trabeam fuiſſe veſtis genus, qua in funeribus equites vterentur, ſed perperam; quamuis enim in Germanici funere trabeati equites inceſſiſſent, non ob id tamen inferendum, trabeam funerale indumentum extitiſſe, ſed bene familiare equitibus in publicis ſolennitatibus. Valerius Maximus *lib.2. cap.1.* vbi de ordine equeſtri verba facit, inquit: *Trabeatos vero equites Idibus Iulij Q. Fabius tranſuehi inſtituit.* Et Suetonius *in Domitiano, cap.14.* ait: *Decretum erat, vt quoties gereret Conſulatum, equites Romani, quibus ſors obtigiſſet, trabeati & cum haſtis militaribus præcederent eum.* Non ſolum autem equites Romanos trabea vſos, ſed ante eos Rom Reges, docet Plinius *lib.8.cap.48.* inquiens: *Trabeis vſos accipio Reges.* Et lib.9. cap.39. *Purpuræ vſum ſemper Romæ fuiſſe video, ſed Romulo in trabea.* Hinc Romulus *trabeatus* dictus Ouidio, lib.1.Faſt.

*Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini.*

Quinimo Papinianus *lib.5.Syl.2.* non ſolum Romulo, ſed & Remo eius fratri trabeam attribuit, inquiens:

*Non ſanguine cretus*
*Turmali, trabeaq́ Remi, ſed paupere clauo*
*Auguſtam ſedem, & Latij penetrale Senatus*
*Aduena pulſaſti.*

Ex hoc quoque eſt illud Iuuenal. ad finem *Satyr.*8. de Seruio Tullo Romano Rege ſexto:

*Ancilla natus trabeam & diadema Quirini,*
*Et faſces meruit Regum vltimus ille bonorum.*

Iſidorus lib.19. *Trabea togæ ſpecies* (inquit) *ex purpura & cocco, qua operti Romani Reges initio incedebant. Conſules poſt Reges trabeam vſurparunt.* Virg. lib.7. Æneid.

*Ipſe Quirinali trabea cinctuq́ Gabino*
*Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul.*

Et Claudianus in Panegyr.2.

*Quo*

*Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes*
*Indueret. factiſq; ſuum conceſſerit annum.*

Liuius lib.32.*Conſul vere primo trabeatus in continentem ad hoſtem pergit.* Halycarnaſſeus *lib.5.* & Amm.Marcellinus lib.26. *Trabeam* Conſularem veſtem fuiſſe teſtati ſunt. Et Auſonius in Protreptico ad nepotem:

*Vt trabeam pictamq; togam mea pramia Conſul*
*Induerer, faſtiſq; meis pralatus haberer.*

Duces autem & trabea vſos, teſtantur Dionyſius Halycarnaſſeus loco citato, & Am.Marcellinus loco iam dicto; Præfectis Prætorio & principibus exercituum trabeam aſſignant. Sueton.*in libro de veſtium generibus*, & ex eo Seruius enarrans Virgilii locum prænarratum, *trabeam* pariter augurale indumentum extitiſſe, ſcribunt. Idem Dionyſ.*lib.2.* Saliis trabeam togam aſſignat, περιπορφύρους appellans, id eſt, puniceam. Quamuis Liuius *lib.1.* Saliis non trabeam, ſed togam pictam aſſignet. Cuiuſmodi autem trabea fuerit, colligimus ex eodem authore, & pariter libro eodem, vbi docet, togam fuiſſe circumdiſtinctam purpura ſub tegmine puniceo, veſtemque fuiſſe Romanis gentilem & honorificam; ex quibus colligere poſſumus, trabeam fuiſſe togam ſeu veſtem diſcolorem, purpuream & puniceam, vt hoc loco Halycarnaſſ. ex purpura & cocco, vt Iſidorus *in l.1. C.de pub.læt.& l.1.eiuſdem.C.de Conſul.lib.12.* Trabea, inquit, An.Cornutus, erat togæ ſpecies ex purpura & cocco, qua operti nobiles Rom. initio præcedebant. Trabeam autem ita dictam, arbitratus eſt Turnebus, eo quod diſcolores veluti trabes haberet pannorum, ordituram ſcilicet vnius, texturam vero alterius coloris, cui ego non aſſentior. Nam potius diſcolorem ex duplici panno confectam, purpureo ſcilicet & puniceo, ſeu coccineo fuiſſe, elicitur ex præallegatis authoritatibus. Hæc latius dixiſſe volui, quum inter recentiores, V.L. qui librum de veſtibus antiquorum edidit, ſobrie admodum, ne ieiune dicam, rem hanc pertractarit.

C. TA-

## C. TACITVS LIB. III.

*Ex in biduum criminibus obiiciendis ſtatuitur, vtq́ſex dierum ſpacio interiecto, reus per triduum defenderetur.*

TEmpus accuſatori & reo cauſam agendi non ſemper idem antiquitùs ſtatutum obſeruamus, præſertim apud Aſconium *in Orat.Cic.*ſcribit Plinius *lib.Epiſt.*4. *Epiſt.*9. *ad Vrſum*, in foro coram iudicibus lege cautum fuiſſe, vt ſex horæ accuſatori, nouem vero darentur reo orandi, vno ſcilicet & altero die. At Cn.Pompeius tempus hoc magis etiam reſtrinxit, ſcribente Pediano in Cic.Orat.pro Milone: *Pompeius legem promulgauit, qua prius teſtes dati per triduum, dein vno die, atque eodem, & ab accuſatore & à reo perorari iubebat.* Ego puto id iudicis arbitrarium fuiſſe, pro perſonarum & criminum qualitate. Sic apud Iuriſconſultos legimus, quale quantumque tempus ſit, iudicis arbitrio relinqui definiendum, *l.ab hoſtibus*, §.*final.ex quibus cauſis maior.* Id autem ex hoc Taciti loco elici poteſt, ſiquidem Tiberius habita ratione perſonarum Germanici ſcilicet, de cuius nece ambigebatur, & Piſonis qui reus agebatur, necnon criminis de veneno obiecti, certum accuſatoribus & reo obiiciendorum & diluendorum criminum ſex dierum tempus conſtituit. Alioquin id minime facturus, ſi à lege certum & ordinarium tempus ſtatutum fuiſſet.

## C. TACITVS LIB. III.

*Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa, quam ſenior Auguſtus poſt Iulias rogationes incitandis cœlibum pœnis, & augendo ærario ſanxerat, &c.*

HIc locus Beatum, Æmilium, Ferrettum, Vetranium & Lipſium fatigauit, dum varii varie legendum textum cenſuere. Nos in eo enucleando non parum laborauimus, & quæ adinuenimus, ſubiicimus. Plures fuiſſe apud Romanos leges Iulias obſeruamus. Fuit enim *lex Iulia de ciuitate*, quam tulit Sextus Iulius Cæſar Conſul cum L.Mar-

L. Marcio, anno ab vrbe condita 672. fuit & *Iulia de prouinciis*, à C. Iulio Cæſare Conſule cum Bibulo lata, anno 691. Idem tulit & legem Agrariam, *Iuliam de vi, Iuliam Maieſtatis, Iuliam iudiciariam, Iuliam de ſacerdotiis, Iuliam repetundarum, Iuliam de prouinciis, Iuliam de legibus Cæſaris, Iuliam de fœnore, & Iuliam de Coloniis.* Poſt C. Cæſarem, Auguſtus, qui illi in Imperio ſucceſſit, tulit *Iuliam de vi publica & priuata, Iuliam Maieſtatis, Iuliam de ambitu, Iuliam de viceſima, Iuliam de Iudiciis, Iuliam de adulteriis, Iuliam caducariam, Iuliam Theatralem, Iuliam ſumptuariam, Iuliam de manumiſſionibus, Iuliam de veneno, Iuliam peculatus, Iuliam de reſiduis, de tutoribus, & Iuliam Semproniam de limitibus.* Quæ omnes Iuliæ dictæ ſunt, quod à Dictatore Iulio Cæſare latæ ſint, vel ab Auguſto partim etiam reformatæ, partim vero de nouo latæ, qui eas in honorem eiuſdem Iulii Cæſaris Dictatoris patris ſui Iulias appellauit, vel quod eas, vt ederet, edoctus eſſet ex Commentariis Iulii Cæſaris, vt ipſe populo ſuadebat, ne grauaretur eas recipere, tanquam ab authoritate Iulii Cæſaris, quem vehementer viuum amauerat, & peremptum vindicauerat, prodiiſſent. Hoc loco tamen per rogationes Iulias, Tacitum tantum Iuliæ de maritandis ordinibus intellexiſſe, nō dubitandum. Vocauit autem Iulias, non Iuliam, non quod plures eſſent, ſed quia Iulia hæc plura haberet capita, per quæ Auguſtus publicum bonum ſpectans, multiplicibus præmiis & immunitatibus honoribusque vxorem ducentes ſeu habentes, atque ex his liberos, proſequutus eſt. Et econtra cœlibes & orbos pueris ſubiecit, & de iis ſecundis Tacitus verba facit hoc in loco. Et intellexit Horatius in carmine ſeculari, ſcribens:

> *Diua producas ſobolem, patrumq;*
> *Proſperes decreta ſuper iugandis*
> *Fœminis, proliſq; noua feraci,*
> *Lege marita.*

In errore numquam verſantur, qui exiſtimauere, Horatium intellexiſſe de lege Papia Poppæa. Nam ſcripſit hæc ille anno ab vrbe condita 736. & mortuus erat anno 761. quo lata eſt Papia Poppæa. Cauſa autem ferendæ legis

Iuliæ

Iuliæ de maritandis ordinibus fuit, quod Rempublicam minime conſiſtere & augeri poſſe, ſine multiplici liberorum procreatione videretur. Vnde & ante Auguſt. Q. Metellus cenſor, vt ducere omnes vxores omnino cogerentur, liberorum ſuſcipiendorum cauſa cenſuit, tradente Floro, *lib.* 59. Ciuitatem enim ſine matrimoniorum frequentia conſiſtere non poſſe exiſtimabat, teſte Gellio, *lib.* 1. *c.* 6. Quinimo eiuſdem Metelli de prole augenda oratio ad poſteros prouenit, quam populo recitandam Aug. edicto ſanxit, tradente Suetonio in illo, *cap.* 89. Varia autem, vt dixi, capita lex iſta continebat, veluti, ne cœlibes, niſi qui genere eſſent proximi, quicquam ex teſtamento ciuis Rom. caperent; Ne orbi plus quam dimidiam eorum, quæ relicta eſſent, vt collegimus ex Euſebio, Nicephoro, & Sozomeno; & *l.* 1. *C. de infirm pœn. cœlib.* Ne coniunx coniugis teſtamento, niſi decimam relictorum partem caperet, reliquæ nouem ad fiſcum ſpectarent, ex Vlp. *c. Inſtit.* 15. *l.* 1. *C. de his qui ſe def. tit.* 10. & *l.* 2. *C. de infir. cœlib. pœn.* Vt ſi liberta ab inuito patrono diuerteret, alii nubere, inuito patrono, non poſſet. Vt iuſiurandum, quod liberto impoſitum eſt, ne vxorem ducat, ei remittatur. *l.* 6. §. 3. *de iure pat. l.* 1. *D. vnde vir & vxor.* Ne ſenatores eorumve liberi libertinas, & quæ ipſæ, quarumve pater vel mater artem ludicram fecerint, item ex numero corpore quæſtũ faciẽtium vxorem ne ducãt. Cæteri autem ingenui prohibentur ducere lenam à lenone, lenamve manumiſſam, & in adulterio deprehenſam, & iudicio publico damnatam, & quæ artem ludicram fecerit, *ex Paulo, l.* 44. *de ritu nupt.* Marcianus autem *in l.* 19. *eo.* ſcribit, caput trigeſimum quintum legis Iuliæ fuiſſe, vt qui liberos haberent in poteſtate, iniuria prohibuerint vxores ducere, vel nubere, à magiſtratibus cogantur in matrimonium collocare & dotare. Vt patriciis liceret libertinas vxores ducere, præterquam ſi ſenatores ſenatorumve liberi eſſent. Ne qua ſponſalia rata eſſent, niſi ſtatim exacto biennio nuptiæ fierent, hoc eſt, ne puellæ decem annis minores ducerentur, quarum annus ætatis duodecimus maturus coniugio habebatur, ex Zonara, *lib.* 2. & Dione, *lib.* 44. Gellius quoq;

author eſt, eadem lege cautum; Vt ex Conſulibus prior ille faſces ſumeret, qui plures liberos, quam collega, haberet, quod ſi par vtrique numerus fuiſſet, præferendus qui pluries maritus fuiſſet, quod ſi in vtroque pares eſſent, qui maior natu eſſet, prius faſces ſumeret. Plura & alia capita eiuſdem legis fuiſſe conſtat ex Marciano, vt diximus.35.enumerante, quæ referri non poſſunt, ob amiſſos Iuriſconſultorum antiquorum libros. Hanc legem pop.Rom.& præcipue equeſtri ordini inuiſam fuiſſe, colligimus ex Sueton.in Aug.c.34.ſcribente: *Leges tractauit, & quaſdam de nouo ex integro ſanxit, vt ſumptuariam, de adulteriis & pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. Hanc quum aliquantulum ſeuerius emendaſſet, præ tumultu recuſantium perferre non potuit, niſi adempta demum lenitave parte pœnarum, & vacatione triennij data, auctiſque præmiis. Sic quoque abolitionem eius publico ſpectaculo pertinaciter poſtulante equite, accitos Germanici liberos, receptosq́; partim ad ſe, partim in patris gremium oſtentauit, manu vultuq́; ſignificans, ne grauarentur imitari iuuenis exemplum. Quumq́; immaturitate ſponſarum & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi ſentiret, tempus ſponſas habendi coarctauit, & diuortiis modum impoſuit.* Ex quibus amplius colligimus, Auguſtum pluries legem Iuliam de maritandis ordinibus emendaſſe, modo lenius, modo ſeuerius. Seuerius, inquam, quum iam ſeneſcens addidit capita, quæ lege Papia Poppæa continentur, vt hoc loco Tacitus tradit. Continebat autem lex Papia Poppæa de maritandis ordinibus & ipſa plura capita; Vti qui Senator eſſet, quive filius, nepos proneposve, ex filio vel ex filia natus, ne quis eorum ſponſum vel vxorem ſciens dolo malo vxorem habeat libertinam, aut etiam quæ ipſa, eiusve pater materve, artem ludicram faceret, feciſſetve. Ne Senatoris filia, neptisve ex filio, proneptisve ex nepote filia nata, nato libertino, eive qui ipſe, cuiusve pater vel mater artem ludicram facit, fecitve, ſponſa nuptave ſciens dolo malo eſſet. Vt ne quinquaginta annis minor ſexagenario nuberet, aut vir hac ætate iunior quinquagenariam fœminam duceret in vxorem. Vt patronis, qui ius trium liberorum habeant, contra tabulas teſtamenti liberti, aut ab inteſtato

teſtato contra hæredes ſuos non naturales, bonorum poſſeſſio detur. Vt patronæ ingenuæ duobus liberis honoratæ, libertinæ tribus idem iuris detur, quod patronis ex edicto. Vt liberis ingenuæ trium liberorum iure honoratæ idem iuris, quod ipſi patronæ tribuatur. Vt omnibus ingenuis, præter Senatores eorumque liberos, vxores libertinas habere liceret. Quæ omnia colliguntur ex Iuriſconſultis, *ſub tit. de ritu nupt. de vulgar. ſubſtit. de iure pat.* & aliis locis innumeris. Vlpian. *cap. Inſtit.* 14. Dione, *lib.* 56. & Lactantio, *lib.* 1. *Inſtitut. cap.* 16. Aduerſus tranſgreſſores legis Papiæ Poppææ ſeueras pœnas inſtituit Auguſtus, quarum nonnullæ legi poſſunt apud doctiſſimum Alciatum *lib. Diſpunct.* 3. *cap.* 6. Harum ex actione ditabatur ærarium, vt ſupplere poſſet maximis expenſis, quæ Auguſti temporibus in alendis exercitibus fiebant, præcipue quum multi nec coniugia frequentarent, nec prolis procreationi operam darent, inuiſæ legi parere abnuentes, & pœnas potius ſubire malentes: vnde multi delatoribus etiam perperam legem interpretantibus periclitabantur. Nam, vt paulo poſt ait Tacitus, inditi & cuſtodes, vt ſi, (ita enim legendum puto, non, *viſi*, vt Vertranus, nec, *aut ſi*, vt Lipſius, nec locum mancum puto, vt Ferretus) à priuilegiis parentum ceſſaretur, id eſt, ſi liberi non ſuſciperentur, populus, Reſpublica ſcilicet, veluti omnium parens vacantia bona teneret; vacantia, inquam, ob filiorum defectum, ideoque fiſco applicarentur. Lege enim Papia Poppæa cauebatur contra eos, qui cœlibes manerent, ne ex teſtamento ſolidum capere poſſent, niſi intra dies centum legi paruiſſent, quod Tertullianus *in lib. de Monogam.* Sozomenus & Vlpianus *in Inſtit.* oſtendunt. Sed ad inſtitutum reuertentes, duo adnotatione digna addamus; Legem Papeam *Poppæam* perperam ab Alexandro ab Alexan. *lib.* 4. *cap.* 8. ab Auguſto latam, Papiam *Pompeiam* appellari, quod & ante ipſum feciſſe Iſidorum *in* 4. non ignoramus, dum ſcribit, ſub Octauiano Cæſare ſuffectos Cōſules Papium & Pompeium legem hāc tuliſſe. In eodem errore & verſati Zazius *in Catalogo legum antiquarum*, & Beroaldus *in Suetonium*,

Papiam *Pompeam* appellantes; quum nunquam cum Papio Pompeius Conſul fuerit. Quod docuit Ioan. Cuſpinianus *in ſuis Com. in Aurelij Caſsiodori Conſules, in anno ab vrbe condita* 761. Verum latam fuiſſe hanc legem M. Papio Mutilo, & Q. Poppæo 2. Coſſ. ſuffectis, Auguſto Imperante, anno 761. ex ſupputatione Bartholomæi Marliani *in Annal. Conſulum & Dictatorum* cõſtat; quod pariter ex Dione *lib.* 56. conuincitur, apud quem *Popilium* pro *Popæo*, textu corrupto legi exiſtimamus. Alterum vero, quod prætermittendum minime duximus, eſt; Conciliari facile poſſe Iuriſconſultos, qui eandem legem faciunt legem Iuliam de maritandis ordinibus, & Papiam Popæam cum Tertulliano, qui in Apologetico eas ſic diſtinguit: *Nonne vaniſsimas leges Papias, quæ ante ſuſcipi liberos cogunt, quam Iuliæ matrimonium contrahi.* Cui & hoc loco Tacitus & Suet. & Dion locis citatis fauere videntur. Concilium autem huiuſmodi eſt, Iuriſcõſultos ſcilicet eaſdem leges coniunxiſſe, quia ambæ de matrimoniis contrahendis, & liberis ſuſcipiendis pertractant, & ſub eodem Auguſto latæ ſunt; quamuis re ipſa vere ſint diſtinctæ. Hinc in Iuriſperitorum ſcriptis interdum *legem Iuliam*, interdum *Papiam*, interdum *Iuliam Papiam*, nonnunquam *Papiam Popæam* dici obſeruamus. Sed de hac lege plura in Dilucidationibus in Suetonium à nobis ſcripta, adeat ſtudioſus lector.

## C. TACITVS LIB. III.

*Extitiſſe tandem viros, qui cruentas Epiſtolas armis cohiberent.*

PRincipum reſcripta, quibus ſcilicet illi vel ad præſentium poſtulata, vel ad abſentium conſultationes reſpõdebant, *Epiſtolæ* dicta, habemus ex Iuriſcõſultis, *l* 1. *D. de conſtit. Princip.* & exemplum *in l. ſed addes*, 19. §. 8. *D. locat. l. diui fratres, D. de iure patron. l.* 3. *D. de teſtib.* Sanctio etiam Imperatoria, *Epiſtola* quandoque dicta. Ita Epiſtola D. Adriani de periculio diuidendo inter mandatores & fideiuſſores, cuius fit mentio *l. fin. C. de conſtit. pecun.* Itaque Cornelius Tacitus inquit, quod quum Tiberius libellis accuſatorum frequentem

tem inſumeret operam, repertos tandem viros, Florum ſcilicet & Sacrouirum,qui bellum intentantes cruentas Epiſtolas armis cohiberent, id eſt, Tiberium auerterent à decretis & reſcriptis pœnalibus, quibus accuſatorum ob frequens crimen læſæ Maieſtatis modo huic, modo illi attributum,libellis trucibus & ſanguinolentis decretis & reſcriptis reſpondebat, hoc eſt, quibus pœna ſanguinis reis accuſatis infligebatur.

## C. TACITVS LIB. III.

*Cæterum tempora illa adeo infecta, & adulatione ſordida fuere, vt non modo primores ciuitatis, quibus claritudo ſua obſequiis protegenda erat,ſed omnes Conſulares, magna pars eorum,qui Prætura functi, multiq; etiam pedarij Senatores certatim exurgerent,fœdaq; & nimia cenſerent.*

GEllius *lib.*3,*c.*18. ex Varronis ſentẽtia in Satyra Menippæa,quæ ἱπποκύων inſcripta eſt, tradit, eos qui non à Cenſoribus allecti eſſent in Senatum ( vtpote equites,quibus à C.Gracchο,teſte Plutarcho in eius vita, ius eundi in Senatum,& ſententiam dicendi tributum eſt ) *Senatores pedarios* appellatos.Ad hæc addit Gellius,authoritate C.Baſſi, Senatores, qui honoribus & magiſtratibus functi eſſent, curuli ſella in ſenatum & curiam vehi ſolitos;qui vero non geſſiſſent, pedibus ibant in curiam, & ideo *pedarij* vocati; quæ etiam à Feſto Pompeio *lib.*14.annotantur. Alii tamen pedarios Senatores exiſtimãt dictos, qui in Senatu ſententiam non dicebant, ſed ab alio dictam comprobabant,mouentes ſe loco,& in partem cuius ſententiam approbabant proficiſcentes. Cui opinioni fauere videtur Cic.*in Epiſt.ad Att.Epiſt.*14.*&* 15.vbi inquit: *Et raptim in eam ſententiam pedarij concurrerunt.*Et rurſus: *Quum præclarum caput recitaretur,ne quis ad nos referret,ne decerneret,ne pedibus iret.* Idem & à Tacito hoc loco confirmari videtur,dum ſcribit: *Pedarij Senatores certatim exurgerent.fœdaq; & nimia cenſerent.* Feſtus *lib.*1.inquit: *Pedarium Senatorem ſignificat Lucillius, quum ait: Agipes vocem mittere cœpit,quia ita appellatur, qui tacitus tranſeundo ad eum,cuius ſententiam probat,quid ſentiat,indicat.* Hinc pedibus

ire in ſententiam, & pedariam ſententiam obſeruamus apud Latinos ſcriptores; tranſlata ſcilicet à ſententia, quæ rogabatur per diſceſſionem, vt diximus. Pedarios autem Senatores fuiſſe minoris authoritatis cæteris, ex dictis & ex Tacito ipſo hoc in loco facile conſtare poteſt. Clare vero ex Liuio *lib.27.* vbi de Liuio antea ex Cõſulatu à populo damnato, & à Cenſoribus in Senatu reducto, qui ignominiæ acceptæ memor, aut verbo aſſentiebatur, aut pedibus in ſententiam ibat, donec cognati eius in Senatu ſtantem ſententiam dicere coegerunt. Hinc forte apud Iuriſperitos legimus, Pedaneos iudices dictos, qui viliora & humiliora, minimique momenti iudicant, *ex l.4.& fin. C.de Ped.iud.l.fin. C.vbi & apud quos* χαμαιδικαστὰς, hoc eſt, humiles iudices appellauit Theophilus *Inſtit.de interdict.* Ego ſane non modo locis citatis, ſed & *l.3.§.1.D.ne quis eum qui in ius voc.l.1.§.item ſcribit.D.de poſtul.& Nouell.*82.non *pedaneos*, ſed *pedarios iudices* legendum cenſeo: nam *Pedanius* Latina vox in hac ſignificatione non eſt, teſtimonio Gellii, *lib.3.c.18.* Nec omittendus præclarus locus Vopiſci in Aureliano, ex quo triplicem modum probandi ſentẽtiam in Senatu elicimus, & eſt huiuſmodi: *Deinde aliis manibus porrigentibus, aliis pedibus in ſententiam euntibus, pleriſque verbis conſentientibus, conditum eſt S.C.* Quæ eo libentius annotaui, quum non alibi rogationis probationem porrectione manuum, ni memoria me deſtituit, obſeruarim.

## C. TACITVS LIB. III.

*Medio cum delectu caſtella & munitiones idoneis locis imponens.*

OPpida frequentiores & ampliores hominum conuentus facere; Caſtella minores atque anguſtiores, ſed murorum tamen ambitu vtraq; circumſepta, ſicuti vici ſine muris. Quod ex Iſidoro colligimus, ſcribente: *Vici, caſtella & pagi ſunt, quæ nulla ciuitatis dignitate ornantur, ſed vulgari hominum conuentu incoluntur, & propter paruitatem ſui ciuitatibus attribuuntur.* Vicus dictus eſt à vicinis, ſcilicet habitationibus, vel quod vias haberent ſine muris. *Caſtrum* antiqui

dicebant

dicebant oppidum loco altiſſimo ſitum, quaſi *caſam altam*, à quo *caſtellum*, ſiue quod caſtrabatur ibi licentia habitātium, ne paſſim vagarentur. Illud palam eſt, caſtrum dici locum muris munitum, indeque *caſtellum* diminutiuum, caſtrum ſcilicet vel oppidum paruum, Græcis *φρούριον κῶμα*, id eſt, locus munitus. Author Etymol. definit *ἡ κοιμητεία καὶ ἀνάπαυσις ζώων καὶ ἀνθρώπων ἀπὸ τῶν ἀγρῶν*, id eſt, *quies animalium & operum, ab agrorum opere.* Namque agricolæ poſt opera diurna, ſeque & animalia tanquam in locum tutum recipiebant ab agris in caſtella. Interpres ſacrorum Euangeliorum, vbi vertit *Matth.* 21. *&* 14. *Marc.* 9. *Luc.* 5. 8. 9. 10. 17. 19. 24. caſtellum, Græcus textus habet *κώμην*. A caſtello caſtellani dicti, caſtellorum incolæ. Ita Liuius *lib.* 38. inquit: *Stipem à Tyrannis caſtellaniſq; de viis colligens.* Et lib. 35. *Decem milliaria popularium cum caſtellanis agreſtibus in armis habuit.* Quod autem caſtellum locus munitus eſſet, conſtat ex Cic. ſcribente in Epiſt. *Multa caſtella cepi, multa vaſtaui.* Et ad Att. *Caſtellum natura munitum.* Et rurſus in Epiſt. *Caſtella munita.* Et de clar. Orat. *Ligurum caſtella oppugnauerunt.* Et in orat. in Piſonem: *Receptaculum veterum Catilinæ militum caſtellum forenſis latrociniȷ.* Tacitus lib. 4. *Apud caſtellum ſeminatum, quod magna vis armata aut incondita tuebatur.* Et iterum: *Soluta iam caſtelli obſidio.* & 11. Annal. *Romani ad exſcindenda caſtrorum ardua.* & lib. 12. *Caſtellus ſeſe defenſare, bellum ducere ſtatuerat.* Ita apud Liuium lib. 3. *Virginius, tribunal Appiȷ Claudiȷ caſtellum omnium ſcelerum, id eſt, tutamen & receptaculum vocauit.* Ab eadem ſimilitudine in acie caſtella mobilia, non ſtabilia vocata à Tacito & aliis, quod ex Taciti eiuſdem verborum ſerie facile dignoſcitur, dum inquit: *Caſtella & munitiones idoneis locis imponens.* Erant itaque caſtella in acie propugnacula, quæ in procinctu portabantur, ex aſſeribus, ſiue alia conſimili materia fabricata, ad caſtrametandum quam maxime apta, ita dicta à ſtabilium caſtellorum ſimilitudine & vſus conuenientia. Ita paulo poſt Tacitus ſubdit: *Sed vt in limine belli diſpoſitis caſtellis per expeditos & ſolitudinum gnaros, mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat.* Cic. in Anton. *Aditus hoſtium caſtellis & aggeribus prohibetur.* Liuius libro 5. *Inde ad Veios exercitus*

K 4 *ductus,*

*ductus, denſioraq́; caſtella facta, & à procurſationibus ceſſatum, quæ multæ temere intra murum & vallum fiebant, edicto ne quis iniuſſu pugnaret.* Et lib. 36. *Vno caſtello aduerſus arcem poſito, cæteras vrbis partes diuiſis copiis pro ſitu mœnium circumſedit.* Et lib. 25. *Ita tria prætoria circa Capuam erecta, exercitus diuerſis partibus opus aggreſſi, foſſa valloq́; circundare vrbem parant, & caſtella excitant, modicis interuallis.* Et rurſus lib. 5. *Et iterum caſtella primo pauca, poſtea exercitu aucto creberrima fecerunt.* Et iterum: *Sed caſtris præerat Virginius priuatim Sergio inuiſus infeſtusque, is, cum pluraque caſtella oppugnata, ſuperas munitiones, &c.* Ita & Liuius libro 7. *Caſtellatim diſſipatos* dixit, hoc eſt, per caſtella diſiunctos ac diuiſos. Sicuti vero in huiuſmodi caſtellis diſponebantur milites ad tutelam; ita eadem conſimilitudine caſtella in aquæductibus dicta aquarum receptacula, quorum frequens mentio apud Iuriſconſultos & Vitruuium, *lib. 8. cap. 7. & 10. cap. 9.* & Plinium, *lib. 36. cap. 15.* & Frontinum, *lib. de aquæductibus*, quibus qui præerant, *caſtellarij* dicti, ſicuti caſtellani, qui caſtellis, quorum primo loco verba fecimus, præſidebant, vt diximus. Extat marmorea tabella Romæ in Æde SS. 40. Martyrum, huiuſmodi: CLEMENTI CÆSARVM SERVO CASTELLARIO AQVÆ CLAVDIÆ, &c. quod adnotare libuit in fidem ſuperius dictorum.

## C. TACITVS LIB. IV.

*Nam patricios confarreatis parentibus genitos, tres ſimul nominari, ex queis vnus legeretur vetuſto more: neque adeſſe vt olim eam copiam, omiſſa confirmandi adſuetudine, aut inter paucos retenta; pluresq́; eius rei cauſas adferebat, potiſſimam penes incuriam virorum fœminarumq́;. Accedere ipſius cerimoniæ difficultates, quæ conſulto euitarentur.* Et paulo infra: *Sed lata lex, qua Flaminica Dialis ſacrorum cauſa in poteſtate viri, cætera promiſcuo fœminarum iure ageret.*

TRibus modis olim Romanos nuptias contrahere conſueuiſſe, ex Boetio *com 2. in Cic. Top.* habemus, vſu ſcilicet, coemptione, & confarreatione. Ita & Arnobius *lib. aduerſus*

*aduerſus gentes* 4. ſcribit: *Vxores Dii habent, atque in coniugalia fœdera veniunt conditionibus ante quæſitis; vſu, farre, coemptione.* Quæ eſſent nuptiæ vſu contractæ, docet Gellius *lib.* 3.*c.*2. ſcilicet quando mulier tutoribus authoribus, cum marito matrimonii cauſa conueniebat, & per annum impletum apud eum remanebat; qua coniunctione non intercepta, vſu dicebatur capta. Siquidem ſui iuris antiquitus nunquam fœmina erat, ſed ſemper in alicuius tutela; quemadmodum M. Portius Cato, pro lege Oppia apud Liuium dixit *lib.* 44. Vnde nec minimam rem fœmina ſine authoritate parentum, fratrum, aut liberorum, vel tutoris agere poterat. Sic Cicero *pro Cæcinna* ſcripſit; non potuiſſe ſine tutore obligari. Excipiebantur tamen Veſtales quæ eximebantur à poteſtate, lege Numæ. Coemptione fiebant nuptiæ, vt ait Boetius, in loco citato, dum ſeſe coemendo inuicem interrogabant, vir ita; An ſibi mulier materfamilias eſſe vellet, & illa reſpondebat velle; itaque mulier viri conueniebat in manum, & erat materfamilias viro, indeque erat in poteſtate mariti. Proinde Euripides iure ſcriptum reliquit: *γυνὴ μὲν ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων, οὐ τῶν τεκόντων ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ λέχους,* id eſt, *mulier egreſſa domum parentum, non eſt amplius parentum, ſed mariti*, quinimo & in familia quoq; mariti, & in ſui heredis locum veniebat, teſte Aulo Gellio *lib.* 18.*c.* 6. & Vlpiani *in fragmentis ſeu epit. tit. qui heredes inſtitui poſſint.* Nuptiæ vero, quæ fiebant per confarreationem, celebrabantur inter ſacra, hoc eſt ſacrificio libato. Vnde Vlpianus in vndetriginta libris, qui ex corpore eius collecti dicuntur, *tit.* 9. *de iis, qui in manu ſunt*, ſcribit: *Farre conuenitur in manus certis verbis, & decem teſtibus præſentibus, & ſolenni ſacrificio facto, in quo panus farreus quoque adhibetur.* Dionyſius Halyc. *lib.* 2 *hiſt. Rom.* inquit: *Nominabant autem Priſci Rom. ſacras nuptias vocabulo ſuo farreaceas, quia coniunges veſcerentur eodem farre, quod nos Zeam dicimus; & quemadmodum noſtri homines antiquiſſimam hordeaceam frugem rati, hordeo quod molam ſalſam vocant, hoſtias initiarent, ita Romani quoduis ſacrificium igne adhibendum, aſpergunt farre.* Et paulo infra: *Hæc ſane inter virum & vxorem communio primi & ſacri quondam habiti cibi, atque fortunæ quamuis opimæ, à communi*

*muni farre nomen inuenit*, Plinius lib. 18. c. 3. ait: *Quia in ſacris nihil religioſius confarreationis vinculo, nouæque nuptæ farreum præferebant.* Farreum autem dicebatur, quod ex farrina farris toſti, ſale aſperſa, & aqua conficiebatur, quod ex Plinio colligimus *lib.* 18. *cap.* 2. vbi etiam docet ex Numæ inſtituto farre toſto vſos, quod ſalubrius eſſet, & quod purum ad rem diuinam niſi toſtum haberetur, vnde ab adolendo *adoreum far* dictum huiuſmodi putarunt, quod pariter elicitur *ex Val. Max. lib.* 2. *c.* 1. & Feſto Pompeio *lib.* 6. Hinc & illud Ouidii lib. 2. Faſt. *Torrida cum mica farra.* Farra autem & farinam furfure non ſeparatam dixere Antiqui; Sic Sammonius qui verſibus medicinam ſcripſit, *c.* 6. ait:

*Aut acido Baccho miſcebis farra lupini*; & cap. 1.

*Deſinit interea glomerari farrea nubes.*

Deſcribens ſcilicet furfuraceas ſquamas illas, quę in pectendo caput decidunt. Sic Plinius *lib.* 18 *cap.* 9. inquit: *Farinam à farre dictam, nomine ipſo apparet.* & *lib. eodem cap.* 7. populum Rom. farre tantum è frumento vſum. Vnde apud Catonem *de re ruſt. c.* 10. obſeruamus farream fiſtulã & pilam farream, ad far ſcilicet pinſendum, nam farre excorticato vtebantur ad farreum parandum, ſiue molam ſalſam quę eadem erant; quod præcipue ex Plinio loco ſupra citato, & *lib.* 12. *c.* 18. & Val. Max. *lib.* 2. *c.* 10. colligitur. Far autem huiuſmodi vocauit Cato expinſum; Græci οὐλοχύτην dixere, ex cuius inquam farina, ſale & aqua mola parabatur, frequens in ſacris pulmenti genus. Ideo Plinius loco iam dicto ſcribit: *Nec minus propitii erant Dii mola ſalſa ſupplicantibus.* & Plaut. in Amphit.

*Prodigali Ioui aut mola ſalſa hordei, aut thure cõprecatũ oportuit.*

Et Horatius lib. Sat. 2. Sat. 3.

*Ante aras ſpargisq; mola caput improbe ſalſa.*

Lucanus lib. 1.

——————*Infundere Bacchum*
*Cœperat, obliquoque molas inducere cultro.*

Et Virgilius Ecloga octaua.

*Sparge molam, &c.*

Et quarto Æneid.

*Ipſa mola, manibuſque piis.*

Et

Et Ouid.lib.1.Faſt.

*Ante Deos homini quod conciliare valeret,*

*Far erat, & puri lucida mica ſalis.*

Tibul. Eleg. 4.

*Farre pio placant & ſaliente ſale.*

Non ſolum autem farre in ſacrificiis vſos antiquos, ſed & cæteris frugibus, colligi poteſt ex Virgiliano illo 2. Æneid.

*Iamque dies infanda aderat, mihi ſacra parari,*

*Et ſalſæ fruges.*

Hordeo litatum Halycar.docuit. Columella *lib.* 8. *c.* 5. farris hordeacei meminit, ita vt farris nomine & hordeum nonnunquam acceptum. Farris voce & frumentum quandoq; comprehenſum conſtat ex Vlpiano *in Inſtit. tit.* 9. quod pariter Seruius *in Com. Virg li.1.Georg.* atteſtatum reliquit. Idem etiam confirmare poſſumus ex Liuio *lib.* 23. ſcribente: *Et ægre patiens Gracchus, quum neque pugnam conferre Dictatoris iniuſſu auderet, pugnandum autem eſſet, ſi palam frumentum importare vellet, neque importandi clam ſpes eſſet; Farre ex agris circum vndique conuecto, quum plura dolia compleſſet, nuncium ad magiſtratum Caſsilinum miſit, vt exciperent dolia, quæ amnis deferret; inſequenti nocte intentis omnibus in flumen, ac ſpem à Romano nuncio factam, dolia medio miſſa amni defluxerunt; æqualiter inter omnes frumentum diuiſum.* Idem *lib.* 4. vbi de Spurio Melio, eum frumentarium diuitem appellat, atque ſtatim ſubdit, bilibri farris ſperaſſe libertatem ciuium ſuorum emiſſe, & iterum: *Selibri ſe farris gratiam ſeruatori relaturum.* Et lib.7.inquit: *Iiſdem militibus legiones libras farris, & ſextarios vini contulerunt.* Ad hoc ſpectat & illud Horatianum libro primo Saty.5.

*——Cui ſatis vna*

*Farris libra foret.*

In lege 12. tabul. (vt refert Gel. *lib.* 2. *c.* 1.) ſcriptum erat: *Si volet ſuo viuito, ni viuit, qui tum vinctum habebit, libram farris in dies dato.* Idem colligere poſſumus ex Plin. *lib.18.c.3.* ſic Ruellius *li.2.c.17.* ſcriptũ reliquit: *Duo farris genera Gallia alit, vnum rubeo colore, quod frumentũ rubeum appellant.* At quomodocunque ſit, illud ſane conſtat, à farre, quo in ſacris nuptiarum vteban-

vrebantur antiqui, *confarreationem* dictam, quod Alex. ab Alex. *lib. Genialium* 2. & Bar. Briſſonius *lib. de ritu nupt.* clare docent. At quod magis ad rem noſtram facit, videndum, cur confarreatis parentibus geniti, Tiberio imperante pauci Binas explicitas tradit Tacitus, tertiam implicitam & ſubobſcuram. Manifeſtæ ſunt. Prima incuriam virorum fœminarumque. Secunda ceremoniarum difficultates, quæ conſulto vitarentur. Tertia non ita aperta eſt. Quod quando per confarreationem geniti, tum lumen, quæ in manum Flaminis conueniret, tum Flamen ipſe exeuntes à iure patrio nihil adipiſcerentur; ſiquidem ex horrida illa antiquitate à Numa, vt diximus, conſtituta confarreationis lege, illud conſequebatur; quod Pontificibus reiterari matrimonia non licebat, vti docet Tertullianus *lib. de exhortatione caſtitatis*, 1. ad vxorem ſcribens, Regem ſicuti Pontificem Maximum rurſus nubere nefas eſſe. Et Dionyſius Halyc. loco ſupra citato ait, de confirmatione loquens: *Hac ſane inter virum & vxorem communio primi & ſacri quondam habiti cibi atque fortunæ, quamuis opima à communi ſarra nomen inuenit, vinculum efficiens indiſſolubile, nec vlla res tale coniugium dirimere poterat, ita lex hæc mulieres nuptas, non habentes quo ſe verterent alio, cogebat vnius mariti ſe attemperare moribus, viros item ſic habere mulieres vt rem neceſſariam, nulloque vnquam tempore diuellendam.* Quod itaque confarreatis orti parentibus pauci reperirentur Tiberii temporibus, in cauſa fuit, quod ex confarreationis priuilegio nihil aliud accederet viris, quam quod inter Pontifices connumerari poſſent; fœminis vero quod eorundem vxores eſſe valerent. Quod commodum econtra incommodo maximo compenſabatur non ſolum, ſed & ſuperabatur. Nam tunc temporis diuortia, repudia, & ſecundæ, tertiæ, & quartæ nuptiæ frequentes erant, voluptate, neceſſitate, aliaque huius generis cauſa ſuppeditante, & ſuadente. Nec obſtat, quod & defarreationis nonnulli meminerint, hoc eſt, ſolutionis matrimonii ex confarreatione contracti. Namque præterquam quod huius vocis nulla apud probatos authores fiat mentio, non tamē ex diſſolutione permiſſa concludendum, quod nouas nuptias tum à Flaminica, tum à

Flamine

Flamine contrahi liceret. Itaque lata lex à Tiberio, vt conſarreatis parentibus genitis leuamen aliquod daretur; præſertim mulieribus, vt in poſterum Flaminica Dialis ſacrorum cauſa in poteſtate viri tantum eſſet; cætera promiſcuo fœminarum iure ageret.

## C. TACITVS LIB. IIII.

*Et erat eiſdem regionibus Curtius Lupus Quæſtor, cui prouincia vetere ex more Cales euenerat.*

QVidam hoc loco per *Cales* interpretati ſunt Galliæ maritimã oram, cum vrbe ita appellata in Morinis, quam nos alibi *Geſſoriacum* antiquis appellatam oſtendimus, duplicique coniectura mouentur; Quarum primam colligunt ex Suet. in Claudio, *c.* 24. vbi verba facit de Gallica Quæſtoria prouincia; Secundam eliciunt ex eodemmet textu Taciti, vbi habet, Curtium Lupum Quæſtorem, cui prouincia vetere ex more Cales obuenerat, ad ſeruitia ferocia bellum agitantia cohibenda, quum forte munere Deum tres triremes adpuliſſent, diſpoſuiſſe claſſicorum copiam, ſicque cœptam coniurationem diſieciſſe. At quale imperium Quæſtori Lupo in triremes fuiſſet, niſi de Cales vrbe maritima & portuoſa intellexerimus? Secunda interpretatio eſt Turnebi *lib. Aduerſ.* 2. *c.* 9. vbi non *Cales* ſed *Calles* geminata litera *l*, legendum putat, & intelligendum per *Calles* loca inculta, & ſaltus, vbi paſcebantur pecora, qui plurimi in Apulia illo in Italiæ tractu erant. Quorum ſic meminit Varro lib. 2. de re ruſtica c. 10. *Neque ſenes neque pueri Callium difficultatem, & montium arduitatem, atque aſperitatem facile ferant, quod patiendum illis, qui greges ſequuntur præſertim armentitios, & caprinos, quibus rupes & Sylua ad pabulandum cordi.* & Iſidorus lib. 15. c. 16. *Callis*, inquit, *eſt iter pecudum inter montes anguſtum, & tritum, à callo pedum vocatum, ſiue callo pecudum perduratum.* Huic expoſitioni fauere videntur verba textus illa: *Mox poſitis pro palam libellis ad libertatem vocabat agreſtia, per longinquos ſaltus, & ferocia ſeruitia.* Verum neutram harum interpretationum recipiendam puto: non priorem, quia Cales in Gallia in Morinis antiquis Geſſoriacum, modernis tantum Cales,

non

non in Italia, vbi ſeruilis coniuratio. Nec conueniens erat, quod ſi Curtius Lupus Quæſtor prouinciam Cales in Galliis habebat, Quæſtorium imperium in Italia exerceret. Poſterior Turnebi nec ipſa recipienda: ſiquidem Calles, & ſyluæ inter prouincias Conſulares veterē ex more numerabantur, non inter Quæſtorias; quod palam fit ex Suetonio in Cæſare, *cap.*19. ſcribente: *Eandem ob cauſam opera optimatibus data eſt, vt prouinciæ futuris Coſſ. minimi negotii, id eſt, ſyluæ, & calles decernerentur.* Quamobrem magis nobis probatur Vertrani expoſitio, qui per *Cales*, intelligendum exiſtimat Italicam ciuitatem, quæ ab initio Auſonum, dein Romana Colonia, tandemque municipium fuit. Verum quum ipſe in re hac aperienda nimium ſobrius fuerit, paulo fuſius rem aperire decreui. Cales vrbem fuiſſe Auſonum Sidicinis finitimam colligimus ex Liuio *lib.*8. ita ſcribente: *Inſequens annus L. Papirio Craſſo K. Diuillio Coſſ. Auſonum magis nouo, quam magno bello fuit inſignis; Ea gens Cales incolebat vrbem.* Et paulo poſt: *Exercitu victore à ſuperioribus Coſſ. accepto, ad Cales, vnde bellum ortum erat, profectus.* Et iterum: *Sidicinis finitimis arma coniunxerunt; horum autem exercitu fuſo, obſeſſa Cales & expugnata, Calibus præſidium impoſitum.* Idem Liuius *lib.* 27. & 29. inter Colonias Romanas Cales connumerat; Hanc quoque Ptolemæus *lib. Geographiæ* 3. inter Campaniæ vrbes ſtatuit. Et de ea Horatius, lib.4. Carminum.

*Sed preſſum Calibus ducere liberum*
*Si geſtis.*

Hanc vrbem à Calai Boreæ filio extructam poſt Argonautarum reditum teſtatur Silius lib. 8.

*Quem genuere Cales non parua conditor vrbis,*
*Vt fama eſt Calais Boreæ.*

Hæc hodie *Calui* vocatur, alii *Catinulam* eſſe contendunt. Municipium effectum *Cales*, ac lege Iulia Ciuitate donatum colligimus ex oratione C. Gracchi, quam de legibus promulgatis habuit. Virg. lib.7.

*Quique Cales linquunt.*

Quem locum explicans Seruius ait: *Cales vrbs Campaniæ, de qua ita ſcriptum in lib. Coloniarum: Cales municipium muro ductum,*

*ctum. Iter populo non debetur. Ager eius limitibus Gracanicis antea fuerat adſignatus, poſtea iuſſu Cæſaris Auguſti militibus nominis ſui eſt reuocatus.* De oppido Cicero ad Atticum: *Iter faciens in Samnium venit Cales, manſit Theani.*

## C. TACITVS LIB. IIII.

*Egreſſus dein Senatum vitam abſtinentia finiuit.*

XIphilinus ex Dione, quem *Cremutium Cordum* vocat Tacitus, non abſtinentia cibi vitam finiſſe ſcribit, ſed manus ſibi afferre coactum; & paulo infra, accuſationis eius cauſas enarrans eaſdem cum Tacito, inquit: *De iis enim rebus accuſatus occiſus eſt.* Suetonius in Auguſt. *cap. 56.* quò ſpectat ad nominis appellationem, cum Tacito conuenit, hunc hiſtoriæ ſcriptorem *Cremutium Cordum* vocans, vnde mendum in Xiphilini textu impreſſoris incuria eſſe credendum. At quod ad contradictionem de interitus modo ſpectat, exiſtimo ſic eorum dicta concilianda; Nempe manum ſibi afferre, hoc eſt, ſibi mortem conſciſcere, etſi proprie ſit ferro vitam finire, nihilominus & de quocunque alio mortis modo voluntario dici poſſe; Sic Cic. in Epiſt. ad Oct. *Ego Senatum ſibi manus afferre coegi.* Ita & *occidere*, licet magis proprie ſignificet gladio & ferro interimere; vti apud Iuriſconſultos, *l. 10. ſi ipſe ſeruus. D. de pec.* tamen Vlpianus, l. 2. §. 1. D. ad leg. Aquil. *Occiſum*, inquit, *accipere debemus ſiue gladio, ſiue fuſte, vel quo alio telo, vel manibus, ſi forte ſtrangulauit eum, vel calce petiit, vel capite, vel qualitercunque.* Vulgo enim occidiſſe dicitur is, qui mortis cauſam quolibet modo præbuit. Quum itaque Cremutius Cordus iniuſtis accuſationibus petitus, à Seiano conſentiente Tiberio mori coactus ſit, cibi abſtinentia, ob id iure ſibi manus attuliſſe, atque occiſum dici potuit. Libet annotare, Cordum hiſtoriarum ſcriptorem, de quo Capitolinus in Gordianis meminit, alium à Cremutio Cordo fuiſſe, is enim Iunius Cordus appellatus.

ſcrupum facit, quod Strabo, qui claruit Auguſti & Tiberii temporibus, ſcriptum reliquit *lib. 6. Geographiæ*, templum Veneris Erycinæ ipſo viuente vetuſtate collapſum; quod pariter & hoc loco confirmat Tacitus; At Suetonius *in Claudio, cap. 25.* ait, huiuſmodi templum Veneris Erycinæ in Sicilia vetuſtate collapſum, vtque ex ærario Pop. Rom. reficeretur, Claudium authorem fuiſſe. Diluitur apparens contradictio facile, ſi dixerimus, munus à Tiberio libenter ſuſceptum, ſed non aggreſſum, vel ſaltem non perfectum, à Claudio poſtea abſolutum. Apud radices montis Eryces, delubrum Veneri Erycinæ primum erectum diximus, poſtea aliis in locis, præſertim Romæ alia templa eidem extructa docet Liuius, qui *lib. 22.* ita ſcribit: *AEdem Veneri Erycinæ votam à Q. Fabio Max. Dictatore*, & lib. 40. *AEdes deæ eo anno dedicatæ, vna Veneris Erycinæ ad portam Collinam.* Et libro 23. *Interea Duumuiri creati ſunt Q. Fabius Maximus, & Otacilius Craſſus ædibus dedicandis, Marti Otacilius, Fabius Veneri Erycinæ, vtraque in Capitolio eſt, canali vno diſcretæ*; de hoc Ouidius lib. 4. Faſtor.

*Templa iubet Veneri fieri.*——

Calamitatis à Carthaginenſibus ad montem Erycis perpeſſæ meminit Liuius *lib. 21.* de Veneris vero Erycinę ſacris plura Strabo, *lib. 5.* Polyb. *lib. 1.* ſæpe Cic. *in Verrinis & Cluentiana.*

## C. TACITVS LIB. V.

*Iiſdem Conſulibus Aſinii Galli mors vulgatur, quem egeſtate cibi peremptum haud dubium, ſponte vel neceſſitate, incertum habebatur. Conſultuſque Cæſar, an ſepeliri ſineret, non erubuit permittere, vltroque incuſare caſus; qui reum abſtuliſſent, antequam coram conuinceretur. Scilicet medio triennio defuerat tempus ſubeundi iudicium Conſulari ſeni, tot Conſularium parenti.*

DVo in præſenti textu leguntur, quibus Dion aperte aduerſari videtur, ait namque Tacitus, incertum fuiſſe an Gallus ſponte, vel neceſſitate cibi egeſtate obierit; at Dion, referente Xiphilino, neceſſitate ita mandante Tiberio, peremptum clare oſtendit in hæc verba de Aſinio Gallo: *Nam*

*quo die cœnabat apud Tiberium, eique propinabat amice, condemnatus eſt à Senatu, vt quum eſſet Prætor futurus, in exilium mitteretur. Quumque id Tiberius feciſſet, tamen ei mortem obire cupienti, cognito Decreto Senatus, non permiſit, ſed eum quo magis affligeretur, iuſſit bono animo eſſe, vtique ſolutus à vinculis in cuſtodia teneretur, quouſque ipſe in vrbem veniret (vt paulo ante dixi) vt hac ignominia affectus, & percuſſus metu, diutiſſime miſer, & calamitoſus eſſet, idque factum eſt, ſemper enim cuſtodiebatur à Coſſ. quum non eſſet Tiberius Conſul; tum autem à Prætoribus, non vt ne fugeret, ſed vt ne ſibi manus afferret; cum eo nullus amicus, nullus famulus verſabatur, loquebatur nemini, videbatque neminem, niſi quoties cibum ſumere cogeretur. Cibus vero huiuſmodi erat; vt non ei voluptatem afferret, non vires eius reficeret, (quod erat omnium grauiſſimum) quum non ſineret mori.* Ex his itaque conſtat Gallum quamuis tædio vitæ afficeretur, tamen neceſſitate ſibi egeſtate vltimum diem obiiſſe. Ex eiſdem altera contradictio elicitur: nam Dio Aſinium hunc Gallum à Senatu damnatum dum cœnaret cum Tiberio, nec adhuc palam ſe illi inimicum manifeſtaſſet, aperte docet; At Tacitus ait, Tiberium doluiſſe Gallum reum è viuis exceſſiſſe antequam coram conuinceretur. Crediderim ego, vtrumque ſcrupum facile tolli poſſe. Quo ad primum dicimus, Tacitum ad duo ſpectaſſe, nempe ad cupiditatem Galli ſe mori cupientis, & ad modum quo iubente Cæſare interemptus eſt, ob idque incertum protulit, an ſponte vel neceſſitate necatus fuerit Gallus. At Dio mortis modum animaduertens à Tiberio iniunctum, neceſſariam Galli mortem tradidit & coactam. Quod vero ad ſecundam cõtradictionem apparentem pertinet, etiam ſic tolli poſſe putamus. Nempe Dionem de condemnatione Galli à Senatu facta, retuliſſe in gratiam Tiberii, illo inaudito & indefenſo, quæ leuis fuit, illo ſcilicet tantum exilii multato pœna; ſed Tacitus de vltimo ſupplicio quo damnari Gallum Tiberius cupiebat, confictis in eum criminibus, quæ quum falſa deprehenderet Senatus, & ipſemet Tiberius talia eſſe ſciret, interitus Galli culpam à ſeipſo auertere volens, & non conficta crimina, ſed vera eidem iure obiecta oſtendere, condoluit Gallum è viuis exceſ-

exceſſiſſe, antequam coram iudicibus ſui reatus conuinceretur. Verum veri conſcientia ductus, Gallum ſepeliri permiſit, id tamen humanitati ſuæ adſcribi, non innocentię accuſati exiſtimari affectans; Erat tamen omnibus notum ipſius in Gallum virum vndique innocuum, iniuſtum æque atque implacabile odium, cuius prætenſas cauſas ſi ſpectemus, iniuſtas profecto cognoſcemus. Prima odii cauſa fuit, quod duxerat vxorem Aſinius Gallus Viſpaniam M. Agrippæ filiam, alias Tiberio coniunctam, at non in eius iniuriam, quum iam eam dimiſiſſet Tiberius: Secunda, quod nimis libere, vt annotauit idem Tacitus *lib. Annal. 1.* Tiberio dicenti ſe non toti Reipub. parem, at quæ ſibi eiuſdem pars demandaretur, eandem ſuſcepturum, Aſinius eum interrogauit, quam partem Reipub. ſibi mandari vellet, at ex vultu Tiberii offenſionem coniectatus, ſubdit, vnam eſſe Remp. & vnius animo regendam, addens laudes in Auguſtum, & Tiberium ipſum. Obiecit etiam Tiberius Gallo, quod Pollionis Aſinii patris ferociam retineret, & quod pluſquam ciuilia agitaret. Nam pater Auguſt. Aſinium imparem Imperio, licet appetentem, eum admonuerat, quamuis nec quicquam ab Aſinio imperante Tiberio actum legimus, ex quo affectati imperii argui poſſet: Annotauit etiam Tacitus *lib. 6.* Tiberium arguentem impudicitiæ Agrippinam ei obieciſſe Aſinium Gallum adulterum, cuius morte ad tædium vitæ fuerit compulſa; atque id æque falſum Taciti eiuſdem teſtimonio, qui eam dominandi auidam virilibus curis præditam, fœminarum vitia exuiſſe ſcribit. Itaque non peccata Aſinii, non ſcelera eiuſdem, ſed crudelitas Tiberii illius mortis fuit in cauſa. Nec tamen Aſinio è viuis ſublato, Tiberii crudele odium in eum ademptum, ſed & in illius amicos exercitum. Namque Syranus, qui nullam ei iniuriam fecerat, homo doctus & eruditus, occiſus eſt, quod Tiberius eum Galli amicum diceret, & familiarem, teſtimonio Dionis. Sed hæc bonorum ac præſtantium virorum apud malos principes calamitas.

## C. TACITVS LIB. V.

*Paulo Fabio L. Vitellio Coſſ. poſt longam ſeculorum ambitum auis Phœnix in AEgyptum venit.*

FAbuloſam auem Phœnicem plerique ſcriptorum affirmant ex Plin. *lib.* 10 *c.* 2. quam tamen veram tradit Corn. Tacitus hoc in loco ſcribens: *Cæterum aſpici aliquando in AEgypto eam volucrem non ambigitur.* Tacito conſentit Dion, ſeu ex illo Xiphilinus, inquiens: *Eodem anno Phœnix in AEgypto viſa eſt, ea Tiberio mortem denuntiare putabatur, etenim ſequenti anno grauiter ægrotauit, &c.* Fabuloſam auem arguunt, quod de eadem multa ſcripta legamus, & ipſorummet ſcribentium aſſertione minus vera, & varia, præſertim de tempore apparitionis ipſius. Namque Sext. Aurelius Victor temporibus Claudii Imperatoris viſam apud Ægyptum Phœnicem tradit, cæteri Tiberio imperante. Tacitus ipſe Coſſ. Paulo Fabio & L. Vitellio, Plinius Q. Plautio, Sex. Papinio Coſſ. authoritate Cornelii Valeriani; cui conſentire videtur Dion, namque ſi ante Tiberii mortem per annum id accidit, & ille Cn. Acerronio Proculo, & C. Portio, vel vt alii ſcribunt Pontio interiit, ergo non Coſſ. Q. Plautio, & Sex. Papinio, qui in Conſulatu præmemoratos anteceſſere. Solinus Plinio conſentit, & hunc ſequutus Suidas. Quibus tamen non obſtantibus, crediderim Phœnicem veram auem exiſtimari poſſe, ſed raro viſam, vt pote quæ vnica dicatur; Vnde Herodotus *in Euterpe lib.* 2. ſcriptum reliquit, Phœnicem ſibi nunquam viſam, niſi in pictura. At viſam aliquando alii ſcriptores atteſtati ſunt; quinimo & Romæ conſpectam Claudii Principis Cenſura, & in comitio propoſitam, atque actis teſtatam ipſemet Plinius ſcribit; licet autem illam falſam & confictam dicat, & per initia capitis, non fabuloſam tamen Phœnicem abſolute inquit, ſed dubitatiue profert, ait enim: *Haud ſcio an fabuloſe, vnam in toto orbe nec viſam magnopere.* Nec obſtant ſuperius adducta in oppoſitum. Namque Sext. Aurel. Vict. ex nominis ſimilitudine hallucinatum conſtat: nam & Tiberius ipſe *Claudius* appellatus. Nec differentia temporis de huius volucris apparitione ſub Tiberio

rio inter Tacitum & Plinium & alios ita inſignis eſt, vt ex ea propoſitionis falſitas ſit inducenda, ſiquidem inter binos illos Conſulatus tantum tertius numeratur, nempe, C. Ceſtii, & M. Seruilii. Demus itaque nonnulla de Phœnice ſcripta, veritate carere poſſe, haud tamen ipſam fabuloſam fuiſſe dicendum, præſertim quum illius formam & plumarum colores à pluribus hiſtoricis antiquis deſcribi obſeruemus, vti à Plinio, Tacito, Herodoto, Tzetze, Solino, Sex. Aurel. Victore, & à Poetis etiam, puta Claudiano, Lactantio Firmiano, Ouidio, & aliis. Quod ſi hanc auem Tiberii tempore viſam miraculo haud carere dixerimus, forte non erit incongruum, ſub illius enim imperio Ieſus Chriſtus Saluator noſter paſſus eſt, cuius typum quendam referre Phœnicem congrue tradidere Theologi ſanctique Patres nonnulli, præſertim D. Ambroſius *lib. 3. Hexam. cap. 23.* & ſicuti auis hæc vnica dicta, ita Saluator noſter vnicus Chriſtus; illa calore cœleſti ſine ſemine genita, hic ex Spiritu ſancto procreatus intra puriſſima B. Virginis viſcera, ſicut illa inter beneolentia aromata, hic in ligno Crucis peremptus; illa intra odorata ligna mortua, & in vermem commutata, ille in ſepulchro, quaſi vermium eſca poſitus; iſta, ex verme denuo renata, ille poſt triduum ex monumento reuixit, illa noua vita reſumpta ad Solem euolauit, Redemptor noſter aſcendit ad dexteram Diuini Patris, quum antea à mortuis reſurrexiſſet.

## C. TACITVS LIB. XII.

*Claudius triremes, quadriremeſque, & vndeuiginti hominum millia armauit.*

ETſi numerum nauium, quibus naualem pugnam inſtituit Claudius in Fucino lacu, Tacitus non deſcribat, nihilominus ex illius dictis facile conciliantur Dion & Suetonius in re hac valde prima facie diſcrepantes, ſiquidem Suetonius *in Claudio, cap. 21.* ſcribit: *Hoc ſpectaculo claſſis Sicula & Rhodia concurrerunt duodenarum triremium ſingulæ.* Dion vero quinquaginta vtrinque naues depugnaſſe tradit, quod &

Xiphilinus confirmat. Qua in re ingens diſcrimen quis non videt? Lipſius in ſuis ad Tacitum notis in re hac ſe hærere fatetur. Leuinius Torrentius in ſuis in Suetonium Commentariis Tacitum, ad Suetonii partes trahere contendit, & numerum armatorum, ad triremium numerum accommodare conatur, violenta certe quadam Metamorphoſi. Et virum doctum reprehendit, qui loco duodenarum *quinquagenum*, legendum cenſuit, ſic Suetonio Dionem concilians. Ego in eam venio ſententiam, in Suetonii textu deeſſe dictionem *quadriremium*, & legendum eſſe, *duodenarum triremium & quadriremium*, namque ex Tacito habemus in ea Naumachia non ſolum triremes, ſed & quadriremes fuiſſe, quas omnes Dion vnica appellatione naues vocauit, generali ſignificatione illas comprehendens; ita vt quadraginta octo triremes & quadriremes pugnauerint, ex Suetonio, numerus parum diſtans ab eo, quem Dion recenſuit. Non enim aſſentior illis, qui ex Dione centum naues eo in nauali conflictu fuiſſe dixerunt, quinquaginta ſcilicet hinc inde; quod falſum eſſe ex textus Græci lectione facile conuincitur. Habet enim: καὶ πεντήκοντα ναῦς ἑκάτεροι εἶχον, οἱ μὲν ῥόδιοι, οἱ δὲ σικελοὶ ὀνομασθέντες. quo loco interpretandum ἑκάτεροι *vtrique*, nam *vtrinque*, Græcis ἑκατέρωθεν dicitur. ἑκάτερος vero à quo ἑκάτεροι, Latinis *vterque* eſt, id eſt, *vtrique* copulatiue, ſeu coniunctim. Ita vt ſit ſenſus verborum Dionis, ambas claſſes pugnantium, vnam & alteram ſcilicet, quinquaginta naues habuiſſe; quas ſi compares duodenis triremibus, & totidem quadriremibus, ſingula ex parte, tum Rhodiæ claſſis, tum Siculæ, ex Suetonio duarum tantummodo nauium erit diſcrimen. Quinquagenarium vero numerum ſeu quadragenarium octauum tum triremium tum quadriremium conuenire numero vndeuiginti armatorum millium, quod Tacitus tradit, optime nouere nauticæ militiæ perici. Si itaque Suetonii dictis, quę diſiunctim leguntur addamus dictionem, *& quadriremium*, tranſcribentium vel impreſſorum incuria omiſſum (nam non ſolum ea in pugna fuiſſe triremes, ſed & quadriremes, docet Tacitus) coniunctim autem ſi Dionis verba legamus, vbi textus Græcus ſonar,

nat, tolletur difficultas omnis, quæ hactenus tot viros doctos fatigauit.

## C. TACITVS LIB. XII.

*Perdita prius Domitia leuibus & muliebribus cauſis. Quia Lepida minore Antonia genita auunculo Auguſto, Agrippinæ ſobrina prior, ac Cn. mariti eius ſoror, parem ſibi claritudinem credebat, nec forma, ætas, opes, multum diſtabant, &c.*

BInas Lepidas apud Suetonium obſeruamus, alteram in Caligula, *capit. primo*. Germanici ſororem patris Agrippinæ natam ex Druſo, & Antonia iuniore. Alteram ex Cn. Domitio Neronis auo, & Antonia maiore genitam, ſororemque Domitii Neronis patris, & Agrippinæ viri. Quam inceſtaſſe eundem Domitium tradit idem Suetonius in Nerone, *cap. quinto*. De hac verba facere Tacitum conſtat ex ipſius textus ſerie. Siquidem hæc Domitia dicta, vti ex gente Domitia orta, non illa ex Druſa ortum ducens; Tum hanc mariti Agrippinæ ſororem, & Neronis amitam vocat Tacitus. Ex cuius dictis duæ inſurgunt non contemnendæ difficultates. Vna, quomodo Domitiam Lepidam minore Antonia genitam dixerit, quam ex maiore natam tradidere Suetonius, Plutarchus, & Plinius; quare mendum in textu ineſſe dicendum, atque non *minore*, ſed *maiore* legendum, non enim rationi conſonum, Tacitum in recenſenda ferme ſui temporis genealogia adeo fœde lapſum; Præterea ſi Auguſto auunculo Agrippina Lepidam priorem, ſeu, vt legit Vertranus, *propiorem*, (in hoc namque parum laboro, quum vtraque vox propinquiorem ſignificet) dixit Tacitus, cui dubium de Antonia maiore intelligendum? Altera difficultas emergit, quod hanc Lepidam perditam ab Agrippa ſcribat Tacitus adhuc viuente Claudio Imperatore, eandem vero ſcribat Suetonius *capitulo trigeſimoquarto*, ex Xiphilino ex Dione interemptā poſt Agrippinæ matris necem iuſſu Neronis, Medicis, vt largius eam purgarent, adactis. Tollitur & hæc obiectio dicendo: Agrippinam quidem mortem Lepidæ molitam illis cauſis obiectis, quas recenſet ipſe Tacitus, at non datam, ſed

indictam tantum, inquit enim: *Ob hæc mors indicta multum aduerſante Narciſſo*; Vnde quum paulo poſt Claudii mors ſequuta ſit, & Nero ad Imperium aſſumptus, iam rerum omnium potita Agrippina, & aduerſante Nerone in amitam beneuolo, apud quam prius inops & egens puer nutritus fuerat, & adoleſcens blandimentis, & largitionibus deuinctus, quod Suetonius & Tacitus tradidere, mortem indictam, minime exequutioni mandatam, ſed in memoratum à Suetonio tempus dilatam.

## C. TACITVS LIB. XIII.

*Cæterum peractis triſtitiæ imitamentis Curiam ingreſſus.*

QVid ſibi velit Tacitus inquiens Neronem Curiam ingreſſum peractis triſtitiæ imitamentis, haud facile eſt conijcere, ſi triſtitiam in propria & communiſſima ſignificatione acceperimus, at non ita, ſi *triſtitiæ* vocem aliter interpretemur, cui rei potiſſimum ex Cicerone lucem afferimus. Nam illi *triſtitia* aliquando ſeueritas, ſeu grauitas dicitur; item *triſte*, graue & ſeuerum eſt. Sic libro de Aruſp. reſponſ. *Triſtitia autem, & in omni re ſeueritas abſit*; & libro de clar. Orat. *Homo ipſa triſtitia, & ſeueritate popularis.* Et de Orat. *Triſtitiam & ſeueritatem mitigare & relaxare.* Et in Orat. pro Cœl. *Cum triſtibus ſeuere, cum remiſſis iucunde viuere.* Et rurſus, libro de Clar. Orat. *Triſte & ſeuerum dicendi genus.* Iterum libro de Orat. *Seuerus ac triſtis vultus.* Et libro de Repub. *Qui numero optimatum & principum obtulit his vocibus, & grauitatis ſuæ liquit illum triſtem, & plenum grauitatis ſonum.* Dum itaque Nero primis annis ſub matris Agrippinæ præceptis, Burrhi & Senecæ diſciplina vitam duxit, intra triſtitiæ imitamenta ſtetiſſe dicit Tacitus, at iuuentutem ingreſſus, egreſſum triſtitiæ imitamenta, nam non ſua ſponte, & ingenio, decus Imperatorium, ſeueritatem nempe & grauitatem ſeruabat, ſed iuxta indita & præcepta ab his, qui illius curæ præerant; ideo non proprie ſeueritas & grauitas illi inerant, ſed ſimulatæ & tanquam ex imitatione moderatoribus inditæ, & præceptæ.

C. TA-

## C. TACITVS LIB. XIII.

*Id ſolum Diis & fili prouiſum, quod viueret priuignus. Ituram cum illo in caſtra. Audiretur hinc Germanici filia, inde vilis rurſus Burrhus, & exul Seneca, trunca ſcilicet manu, & profeſſoria lingua generis humani regimen expoſtulantes.*

AGrippina Claudii defuncti vxor, quum per malas artes Neronem filium ad principatum prouexiſſet, poſthabito Britannico ex eodem Claudio priuigno, cunctis malæ dominationis cupiditatibus flagrans, plures innocentes etiam peſſumdare ſatagebat, cuncta peruertens ad libitum, cuius ferociæ obſiſtentes Afranius Burrhus cohortis Prætorianæ præfectus, & Annæus Seneca, ille militaribus curis & ſeueritate morum, hic præceptis eloquentiæ & comitate honeſta contra obuiam ibant, ſeſe inuicem iuuantes. Quam rem moleſte ferens Agrippina, indignabunda eos impugnabat, ſed incaſſum, quum apud Principem gratia & authoritate præualerent, ac probris onerabat, Imperatori quoque minabunda, adultum iam eſſe Britannicum iactans, veram dignamque ſtirpem ſuſcipiendo patris Imperio, quod inſitus & adoptiuus per iniurias matris exerceret. Non abnuere ſe, quin cuncta infelicis domus mala patefierent, ſuæ inprimis nuptiæ, ſuum veneficium: Ituram cum priuigno in caſtra, vbi audiretur hinc Germanici filia, inde vilis Burrhus & exul Seneca, trunca ſcilicet manu & profeſſoria lingua. Hoc in loco duo difficultatem potiſſimum faciunt. Primum, quid pro *trunca manu* ſit intelligendum. Secundum, *profeſſoria lingua* quomodo ſit interpretanda. Quoad primum ſpectat, nonnulli Burrho ea verba applicant, dicentes, eum manum truncam habuiſſe, quorum vtrumque falſum cenſemus; nam haud veriſimile eſt, virum militaribus artibus clarum, ſub Claudio & Nerone Prætorianis militibus Præfectum fuiſſe, ſi manum obtruncatam habuiſſet, nec Dion, Suetonius, & Tacitus ipſe, qui ſæpe illius meminere, id reticuiſſent. Præterea ex verborum ſerie patet, ea verba Senecæ, cui proximiora ſunt, & coniuncta, attribuenda, quem quum nullibi legamus



Digitized by Google

mus manu detruncatum, verba hæc non ad literam exponenda,ſed abditiorem ſenſum habere coniiciendum,ita vt Agrippina Burrho viro militari in caſtris apud milites verba facturo,natalium humilitatem ad infringendam illius authoritatem eſſet obiectura, mulier ex aduerſo nobiliſſima,& filia Germanici Imperatoris exercitibus chariſſimi & amantiſſimi; Senecæ vero ignauiam & ad militaria munia tantam ineptiam, quaſi manum non haberet, & quales ſunt,qui mutilati manibus carent; Truncum enim ſemper in malam partem accipi, obſeruamus apud Latinos. Sic homo dicitur truncus, quod quaſi ſtipes ſtupidus ſit. Cicero in Piſonem: *Sed qui tanquam truncus atq; ſtipes, ſi ſtetiſſet modo, potuiſſet tamen ſuſtinere titulum Conſulatus.* Virgil. 6. Æneid.

*—— Truncas inhoneſto vulnere nares.*

Et 2. eiuſdem:

*—— Iacet ingens littore truncus.*

Vocat autem eundem Senecam Agrippina exulem, quaſi facinoroſum argueret, ex quo exul factus eſſet, ingratitudinis notam eadem voce inurens, quod ab ipſa redux ab exilio factus, non modo ſuarum partium non eſſet, ſed & contra ipſam cum Burrho conſpiraret. Quod eidem quoque profeſſoriam linguam exprobat, expoſitionem noſtram confirmat, quod ſcilicet manu nihil, parum lingua, licet tamen eloquentiam maxime profiteretur, valeret; ſiquidem *profeſſoria lingua* dixit, hoc eſt, præceptoria & pædagogica. Sic Latinæ linguæ profeſſores, Grammaticæ & artis Oratoriæ præceptores appellare ſolemus. Vnde profeſſorum nomine neque Medicos, neque Philoſophos, neque Iuriſconſultos contineri, traditum à Iuriſtis, *l.* 1. §. 1. *cum ſeq. D. de var. & extraord. cognit. & in rub. de profeſſ. & medicis, lib.* 10. *Cod.* Senecam autem Neroni eloquentiæ magiſtrum datum, teſtatur Sueton. in illo, *cap.* 6. ſcribens: *Vndecimo ætatis anno à Claudio adoptatus eſt, Annæoq; Senecæ iam tunc Senatori in diſciplinam traditus.* Quod & Dion confirmat, Neronis doctorem appellans Senecam. Tacitus tradit *lib.* 14. *Annal.* Neronem ſic Senecæ præceptori oranti reſpondiſſe: *Quod medita-*

*meditatæ orationi tuæ ſtatim occurram, id primum tui muneris habeo, quod me non tantum præuiſa, ſed ſubita expedire docuiſti.* Profeſſoriam pariter linguam exprobraſſe Agrippinam Senecæ dicere poſſumus, quod ſcilicet meritorie & orando forenſes cauſas agere ſolitus eſſet, lucri cauſa. Verbum enim *profiteor*, à quo profeſſorium deriuatur, inter cætera ſignificata, eſt, publice in actis enuntiare. Sic, *profiteri cenſum, profiteri natales, profiteri merces*, paſſim legimus. Et apud Iuriſtas Conſt. D.2 §.vlt. *Profeſſores iuſtitiæ.* Huius rei præſertim fidem facit Dion, ſcribens, Caium Caligulam parum abfuiſſe, quod Senecam non occideret, ideo quod cauſam quandam in Senatu, præſente Caio ipſo, pulcherrime egiſſet. Nec mirum, Agrippinam Senecæ eloquentiæ detraxiſſe, illius linguam *profeſſoriam* vocans, quum & ipſius frater Caligula Imperator, Senecam tunc maxime placentem, commiſſiones meras componere, & arenam ſine calce eſſe diceret, teſte Suetonio in illo, *cap. 53.* Itaq; Tacitus ex Agrippinæ ore hoc loco vitio vertens Senecæ eloquentiæ præcepta, & militiæ inhabilitatem, pulcherrima cōtrapoſitione, *lib. Hiſt. 2.* Antoninum Pium collaudās, illum ſtrenuum manu, & ſermone promptum appellat. Niſi itaque Senecam manu mutilatum dixerimus, quod nullibi legimus, nec illius vitæ ſcriptores tradidere, iam dicta expoſitio erit recipienda; niſi malueris interpretari, *manu trunca*, id eſt, ſine multitudine adhærentium, & amicorum conſectantium turba deſtitutum, in qua Romæ innixa erat Senecæ potentia. Manus enim aliquando pro multitudine & copia accipitur. Cic. ad Att. *Quos impetus in totam illam manum feci,* Virg. *6.* Æneid.

*Hic manus ob patriam pugnando vulnera paſſi.*

Et iterum:

*—— Iuuenum manus emicat ardens*

*Littus in Heſperium.*

Et præſertim pro multitudine militari. Corn. Tacitus lib. Hiſt. 2. *Paganorum manus, qui partim inter milites.* Cic. in orat. pro leg. Manilia: *Vt non modo manus tanti exercitus.* & in orat. pro Cec. *Qui manum fecerit, copias armarit.* Sic, *manus militum,* dixit

dixit Vlpian. *in l. metum autem præſentem, in princ.p D. quod met. cauſa.* Et pro hominum collectione accipitur, *l. 6. D. ad l. Iul. pecul.* & Cic. in Verr. 4. *Comites illi tui delecti, manus erat tua, Præfecti, ſcribæ, medici, accenſi, aruſpices, præcones, manus erant tua.* Accipitur etiam *manus* pro poteſtate, teſte Virg.

*Ante oculos interq; manus ſunt omnia veſtra.*

Cic. in Tuſc. *Cui in manu ſit, quem eſſe dementem velit.* & in Epiſt. *Verum hæc non ſunt in noſtra manu.* Ita & Cic. in Orat. pro lege Manilia: *Mithridates autem & ſuam manum iam confirmarat.* Sic & apud Pomp. in l. 2. in prin. D. de orig. iur. *Omnia itaq; manu Regu gubernabantur.* Vnde illud vulgatum;

*An neſcis longas Regibus eſſe manus?*

hoc eſt, plurimam poteſtatem habere. Itaque in hoc textu interpretari poſſumus, *manu trunca*, hoc eſt, poteſtate ipſius, quæ Romæ numeroſa hominum obſequentium aſſectatione ingens erat, in caſtris diminutam admodum amicis deſtituto futuram apud milites.

## C. TACITVS LIB. XIII.

*Eius accuſationis author extitit Pætus quidam exercendis apud ærarium ſectionibus famoſus, & tunc vanitatis manifeſta.*

EOrum bona ſeu pecuniæ, qui damnabantur, ad ærarium ſpectabant, vnde ærarios factos paſſim legimus, præſertim apud Liuium, & *lib. 38.* apud eundem obſeruamus, quæſtores ærarios ſcilicet miſſos à Prætore in Scipionis damnati bona, in iisque non ſolum veſtigium vllum pecuniæ regiæ adinuentum, ſed nec tantũ redactum, quantæ ſummæ damnatus fuerat. Erant enim quæſtores publicarũ pecuniarũ miniſtri; vnde Aſconius in Verr. *Quæſtor eſt, ad quẽ rediguntur pecuniæ ex proſcriptis bonis, & à quo ſocijs annumerantur. Sector autem eſt æſtimator redemptorq; bonorum damnati atq; proſcripti, qui ſpem ſectatus lucri ſui, id eſt, ſequutus ſpem æſtimationis ſuæ, bona omnia auctione vendit, & ſimul infert pecuniam ærario, vel ſocijs.* Quum itaque alicuius bona publicabantur, *ſectio* Latinis dicebatur, quæ poſtea confiſcatio dicta eſt, deriuata appellatione ex eo, quod prædam ex hoſtibus ca-

piam

ptam milites inter ſe ſecabant & diuidebant. Cic. in Anton. *Nemo fuit, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet accedere, præter Antonium.* Et rurſus: *Appellatus es de pecunia, quam pro ſectione debebas.* Hinc & *ſectores* dicti, qui bona condemnatorum ſimul & ſemel auctionabantur. Tacitus *lib. Hiſt.* I. vbi de Galba pecuniam colligente à Nerone donatam, ait: *Vbique haſta & ſector, & inquieta vrbs auctionibus.* Et iterum de Othone: *Reliquias Neronianarum ſectionum nondum in fiſcum conuerſas, reuocatis ab exilio conceſſit, iuſtiſſimum donum, & in ſpeciem magnificum, ſed feſtinata exactione vſu ſterile.* Suetonius in Vitellio, c. 2. *Cuius filius ſectionibus, cenſuturis*, vel, vt alii, *conciliaturis*, vel, *cogniturus vberius compendium nactus.* Hinc Feſtus lib. 17. inquit: *Sectores dicuntur, qui empta ſua proſequuntur.* Vet. Gloſſis *ſector βιώνης* dicitur, quæ vox impropriè vſurpata; nam propriè præfectum commeatui ſignificat. Suidas tamen & Heſychius appellant τὰ δημόσια ἀγοράζων, id eſt, *publica emens*; & ſectio Ariſtophani dicta δημιοπρασία, hoc eſt, *auctionaria emptio*, ſicuti Plutarcho in Craſſo δημοπράτης dictus, *auctione emptor*; ſicuti *ſector* verbale maſculinum, ita *ſectrix* fœmininum. Plinius lib. 36. cap. 17. *Vnde enim vitricus Silla, & Metella mater proſcriptionum ſectrix.* Cæſar libro belli Gallici ſecundo ſcribit: *Poſtridie eius diei refractis portis, quum iam defenderet nemo, atq; intromiſſis militibus noſtris, ſectionem eius oppidi vniuerſam Cæſar vendidit.* De ſectione Cicero libro de Inuent. 2. ait: *Si dici poſſit ex hoſtibus, equus eſt captus, cuius prædæ ſectione venierit, iuris eſt.* Idem in Orat. pro Sexto Roſcio: *Scimus per iſta tempora eoſdem fere ſectores fuiſſe collorum & bonorum.* Et rurſus: *Sector hic eſt, qui bonorum Sex. Roſcij emptor atq; poſſeſſor eſt.* Et in *Anton. 2.* eundem Antonium ſectorem Pompeii appellat, quoniam in ſubhaſtatione Pompeii bona redemerat: & demum ſcribit: *Expectantibus omnibus, quiſnam eſſet tam impius, tam demens, tam Diis hominibusq; hoſtis, qui ad illud ſcelus auctionis auderent accedere, inuentus eſt nemo præter Antonium.* Et rurſus: *Tantus igitur te ſtupor oppreſſit, vel, vt verius dicam, tantus furor, vt primum, quum ſector ſis iſto loco natus, deinde quum Pompeij ſector, non te execrandum pop. Rom. non deteſtabilem, non omnes tibi Deos, omnes homines, & eſſe inimicos, & futuros ſcias?*

Cic-

Cic.idem in Verr. *Quum videret, te iam non contra accuſatorem tuum, ſed contra quæſtorem ſectoremq́; pugnare.* Ex his ſatis patere pnto, ſectores qui damnatorum bonorum emptioni operam dabant, male audiſſe, & peſſime habitos à probis viris; ob id Tacitus Pætum ſectionibus famoſum dicit, quæ vox etſi aliquando in bonam partem accipiatur, in deteriorem tamen frequentius intelligitur; inde *famoſa mulier* appellata, quæ famæ parum integræ & impudica ſit. Cic. *lib. de Orat. 2.* & Saluſtius *largitionem famoſam impudentemq́;* dixit. Quod vero improbus vir eſſet Pætus, oſtēdunt ſubſequentia de illo Taciti verba hæc: *Exiliumq́; accuſatori irrogatum, & tabulæ exuſtæ ſunt, quibus obliterata ærarij monimenta retrahebat.* Sciendum tamen, non ſolum ſectionem dici de damnatorum bonorum venditione & emptione facta, ſed & de emptione & venditione qualibet, auctione ſeu ſub haſta facta. Eutropius *lib. 8. Hiſtor. Rom.* de Antonino: *Ad huius belli vſum ærario exhauſto, quum largitiones nullas haberet, neq; indicere prouincialibus aut Senatui aliquid vellet, inſtrumenta regij cultus facta in foro D. Traiani ſectione diſtraxit, vaſa aurea, pocula cryſtallina, & murrhina, vxoriam ac ſuam ſericam, ac auream veſtem, multa ornamenta gemmarum, ac per duos continuos menſes venditio habita eſt, multumq́; auri redactum. Poſt victoriam tamen emptoribus pretia reſtituit, qui vendere comparata voluerunt, moleſtus nulli fuit, qui maluit ſemel empta retinere.*

## C. TACITVS LIB. XIII.

*Ergo edixit Princeps, vt leges cuiuſq; publici occultæ ad id tempus proſcriberentur.*

MArcus Vertranus in ſuis Annot. *cuiuſq; publici leges* interpretatus eſt, *cuiuſq; communis* ſeu *ciuitatis leges*; & certe vir alioquin oculatiſſimus, toto (vt aiunt) cœlo aberrauit. Nam immodeſtiam publicanorum populus Romanus crebris flagitationibus arguebat, vt inquit Tacitus: *Non prouinciæ externæ, ciuitatesve ſociæ, aut vectigales populo Romano*, quamobrem per *publicum*, intelligendum vectigal, vti habemus apud Iuriſconſultos, *l. 34. D. ex quibus cauſis maior.*

*maior*.quinimo vectigalia abſolute publica vocantur,*l.* 1 §.1. *de publican.* Et, *publicorum conductores* obſeruamus *in l.*33.*D. pro ſoc.* Cicero & ipſe *Epiſt.* 1. *ad Q.Fratr.* ait: *Vt & publicanis ſatisfacias, præſertim publicis male redemptis.* Idem de prouinc. Conſul. *An qui frui publico nō potuit, hic ligetur ipſa lege cenſoria?* Addamus Quintilianum in declamatione 340. ſcribentem: *Ego non ea voluntate feci, vt hic liber eſſet, ſed vt publica non ſolueret.* Et declam.341. *Ante omnia nulla lege comprehenſum eſt, vt alienam rem non profiteri liceret, alioquin publicum euerſum eſt.* Suetonius in Caligula *cap.* 40. de vectigalibus a Caligula inſtitutis, verba faciens, ait: *Additumq; ad caput legis, vt teneretur publico, qui meretricium feciſſet.* Et Horatius Epiſt.1.

*Pars hominum geſtit conducere publica.*

Hinc vectigalium & publicorum conductores *Publicani* dicti, Suetonio in Veſpaſiano, *cap.* 1. & paſſim omnibus. Itaque per *publicum* hoc in loco interpretandum vectigal cuiuſcunque generis. Et erit ſenſus verborum Taciti, quod quum publicani immoderate vectigalia exigerent, legibus quibuſdam iam in deſuetudinem profectis, innixi, eas in nouum vſum retrahentes ſuo commodo & populi Romani diſpendio; Nero cuiuſque vectigalis leges ad id vſque tempus occultas proſcribi & aboleri voluit, ſicque populi indemnati conſultum, ac illius crebris flagitationibus ſatisfactum, ſanciens adhæc, ne publicani omiſſas petitiones vltra annum reſumerent, hoc eſt, ne vectigal, quod ſibi deberi dicerent, a die protenſæ exactionis poſt annum petere & exigere poſſent.

## C. TACITVS LIB. XIV.

*Druidæq; circum, preces diras ſublatis ad cœlum manibus fundentes, nouitate aſpectus perculere militem, vt quaſi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberent.*

QVi apud Gallos Britannosque eſſent Druidæ, inter cęteros Cæſar *belli Gallici libro* 6. & Amm. Marcellinus *libro* 10. tradidere. Ille in hæc verba: *Sed de his duobus generibus alterum eſt Druidum, alterum Equitum. Illi rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica ac priuata procurant, leges interpretantur. Ad hos adoleſcen-*

*adoleſcentium magnus numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magnoq́ ij apud eos ſunt honore: nam fere de omnibus controuerſiis publicis priuatiſq́ conſtituunt; ſi quod eſt admiſſum facinus ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controuerſia eſt, iidem diſcernunt, præmia pœnaſq́ conſtituunt. Si quis priuatus aut populus eorum decreto non ſteterit, ſacrificiis interdicunt. hæc pœna apud eos eſt grauiſſima.* Et paulo poſt: *His autem omnibus Druidibus præeſt vnus; qui ſummam inter eos habet authoritatem, hoc modo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit, & ſi ſint plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur. Nonnunquam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ medio habetur, conſidunt in loco conſecrato; huc omnes vndique, qui controuerſias habent, conueniunt, eorumq́ decretis & iudiciis parent. Diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur. Et nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerunque illò diſcendi cauſa proficiſcuntur. Druidæ à bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa vnà cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumq́ rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, & ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, & à propinquis parentibuſque mittuntur; magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent, neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare, quum in reliquis fere rebus publicis priuatiſque rationibus Græcis literis vtantur.* Et rurſus: *Inprimis hoc volunt perſuadere, non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto; multa præterea de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant, & iuuentuti tradunt.* Et amplius plura alia, quæ breuitatis gratia omittuntur. De iiſdem Druidibus Amm. Marcellinus hæc ſcriptis reliquit, de Galliis verba faciens: *Per hæc loca hominibus paulatim excultis, viguere ſtudia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos & Eubages, & Druidas; & Bardi quidem fortia virorum illuſtrium facta, heroicis compoſita verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: Eubages vero ſcrutantes ſumma & ſublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celſiores, vt authoritas Pythagoræ decreuit, ſodalitiis adſtricti conſortiis; quæſtionibus*

*nibus occultarum rerum altarumq́ erecti ſunt, & deſpectantes humana, pronuntiarent animas immortales.* De Druidibus Plinius *lib.16.cap.poſtremo* ſic ſcribit: *Non omittenda ea in re & Galliarum admiratio; Nihil habent Druides (ita ſuos appellant magos) viſco & arbore, in quo gignatur (ſi modo ſit robur) ſacratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos, nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt; vt inde appellati quoq́ interpretatione Græca poſſint Druides videri. Enimuero quicquid adnaſcatur illis, è cœlo miſſum putant, ſignumq́ eſſe electæ ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inuentu, & inuentum magna religione petitur. Et ante omnia ſexta Luna, quæ principia menſium annorumq́ iis facit, & ſeculum poſt triceſimum annum, quia iam virium abunde habeat, nec ſit ſui dimidia, omnia ſanantem ſuo vocabulo appellantes. Sacrificio epulisq́ rite ſub arbore præparatis, duos admouent cādidi coloris tauros, quorū cornua tunc primū vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus, arborē ſcandit, falce aurea demetit, candido id excipitur ſago, tunc demum victimas immolant, precantes vt ſuum donū Deus proſperum faciat, iisque, quibus dederit, fœcunditatem eo potu dari cuique animalium ſterili arbitrantur, contraq́ venena omnia eſſe remedio.* Tanta gentium in rebus friuolis plerunque religio eſt. Rurſum idem author *lib.29.cap.3.* de Druidibus inquit: *Præterea eſt ouorum genus in magna Galliarum fama, omiſſum Græcis; Angues innumeri æſtate conuoluti, ſaliuis faucium corporumq́ ſpumis artifici complexu glomerantur, anguinum appellatur. Druidæ ſibiles id dicunt in ſublime iactari, ſagoq́ oportere intercipi, ne tellurem attingat.* Id autem paulo poſt, inquit Plinius, inſigne Druidis. Poſtremo *lib.30.cap.1.* idem Plinius de Galliis loquens, inquit: *Namq́ Tiberij Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum.* Ex iam dictis, qui fuerint olim Druides, facile colligimus. At in his plures difficultates inſurgunt, præſertim ſi dictis Taciti hoc in loco ea comparemus. Siquidem Tacitus ait, inſtructa acie Britannorum ad pugnandum cum Romanis, Monæ inſulæ incolas Druidas circum adfuiſſe, preces diras ſublatis ad cœlum manibus fundentes, & nouitate aſpectus militem percellentes; Econtra Cæſar eos à militia penitus immunes tradit, & à bello abeſſe conſueuiſſe. Conciliare poſſumus dicentes: Druides alioquin à militia vacan-

tes,in extremo tamen ſuorum & patriæ diſcrimine, quum de ſumma rerum ageretur, futuræ pugnæ adfuiſſe, precibus ſuis ſuppetias ferentes, & ad ſtrenue præliandum animantes,non tamen ipſos armis concurſuros. Alia quoque inſurgit difficultas.Namque Plinius ſcribit, Tiberii Cæſaris principatu, Gallorum Druidas ſublatos.Econtra Suetonius in Claudio *cap.25.*tradit, Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum ciuibus ſub Auguſto interdictam,à Claudio penitus abolitam. Diluitur difficultas vel nullo negotio. Nam dici poteſt, ſub Tiberio quidem magos, inter quos Druidas connumerari haud dubium eſt,Italia Senatuſconſulto pulſos, quod præter Plinium docuit Tacitus, *lib.Annal.2.* At & poſtea reprobaſſe Claudio imperante, qui licet eos aboleuerit, teſte Sueton. nihilominus & poſtea reſurrexiſſe, quod conſtat ex eodem Tacito, ita ſcribente libro Hiſt.4. *Imperante Veſpaſiano, poſſeſsionem rerum humanarum Tranſalpinis gentibus portenti ſuperſtitione vana Druidæ canebant.* Quinimo & ſub poſterioribus Imperatoribus eoſdem viguiſſe, manifeſtum eſt, ſcribente Vopiſco in Aureliano. Dicebat enim, quodam tempore Aurelianum conſuluiſſe Druidas, ſciſcitantem, vtrum apud poſteros Imperium permaneret; tum illos reſpondiſſe, dixit: Nullius clarius in Republica nomen, quam Claudii poſterorum futurum. Et eſt quidem iam Conſtantinus Imperator eiuſdem vir ſanguinis, cuius puto poſteros,ad eam gloriam, quæ à Druidibus prænuntiata ſit,peruenire. Idem autem in Numeriano ſcribit: *Quum Diocletianus apud Tungros in Gallia quadam in caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans,& cum Druida quadam muliere rationem conuictus ſui quotidiani faceret,& illa diceret Diocletiano, nimium auarus, nimium parcus es, ioco non ſerio Diocletianum reſpondiſſe fertur; Tunc ero largus, quum Imperator fuero. Poſt quod verbum Druias dixiſſe fertur, Diocletiane iocare noli, nam Imperator eris, quum Aprum occideris.* Lampridius in Alex. ita ſcriptum reliquit: *Mulier Druias eunti exclamauit Gallico ſermone, Vadas,nec victoriam ſperes,nec militi tuo credas.* Quod vero Tacitus ſubdit, Britannis Monæ Inſulæ debellatis, exciſos lu-

cos

tos ſæuis ſuperſtitionibus ſacros, Polydori Virgilii Vrbinatis de rebus Anglicis ſcribentis, detegit errorem. Nam ipſe Monam antiquorum, de qua Tacitus hoc loco, & Cæſar *libro 6.bell.Gall.* Dion Caſſius & Plinius, verba fecere, vocis ſimilitudine deceptus, quam *Monariam*, ſeu, vt alii, *Monarinam*, aut *Monaidam*, Ptolemæus appellauit, hodie *Man* vulgo dicunt Angli, eſſe exiſtimauit; quum tamen hæc diſtet à continenti per vigintiquinque milliaria. Mona vero, quæ hodiernis temporibus *Angleſen* vocatur, per milliare tantum, quod conuenit Taciti dictis, hoc in loco, ex quo Polydori error innoteſcit, præſertim quum in Angleſen, vera, inquam, Mona, trunci innumerabiles & arborum radices paſſim terra obruti inueniantur, quæ reliquiæ ſunt luci exciſi à Paulino Suetonio, cuius rei facit fidem Humfredus Lhuyd *in Epiſt.ad Abrahamum Ortelium.* De Druidibus plura qui ſcire cupiet, adeat Diodorum Siculum, *lib.5.* Strabonem, *lib.4.& 14.* & Laertium *in proœmio.*

## C. TACITVS LIB. XIV.

*Gymnaſium eo anno dedicatum à Nerone, præbitumq; oleum Equiti ac Senatui, Græca facilitate.*

ROmanos Græcorum mores aſpernatos, conſtat ex Liuio *libro 36.* vtpote qui leuiſſimum hominum genus eſſent: quos & vanos dixit Plinius, *libro 28.cap.8.* & Græcam vanitatem appellauit, *lib.2. cap.109.* Græciamque omnibus libidinum illecebris repletam, tradidit Liuius per initia *lib.34.* Græcos luxui quam maxime ſtuduiſſe, docet Firmicus Maternus *Aſtronomicon libro & capite primo,* & confirmat Seruius *in 6.AEneid.libro,* ibi:

*Principium cælum & terras campoſq; liquentes.*

Vnde Horatius 2.Serm.Satyr.3.

*—— Vel ſi Romana fatiget*
*Militia aſſuetum Græcari.*

De Græcorum luxuria & leuitate abundat Cic. *in orat.pro Flacco.* Plin.*lib.15.c.4.* de oleo verba faciens, inquit: *Vſum eius ad luxuriam vertere Græci, vitiorum omniũ genitores, in gymnaſiis*

*publicando.Itaque quum Nero gymnaſium dedicaſſet, in quo non ſolum ipſe,ſed & Equites & Senatores publice ſe exercebant, quod antea minime fieri ſolebat, præbuit & oleum,quo corpora inungerent, Græca facilitate*,id eſt,vt ego interpretor, indulgentia, licentia & luxu Græco, contraque bonos Romanos mores. Ita ſcribit Tacitus ipſe *lib.15.* Neronem indies magis ac magis in vitia prolabentem, minime auſum Romæ incipere ſcenas,ſed Neapolim quaſi Græcam vrbem delegiſſe.

## C. TACITVS LIB. XV.

*Vna vox eius vſque ad contumeliam Senatus penetrauerat, quod dictitaſſet,in ſua poteſtate ſitum,an Proconſulibus, qui Cretam obtinuiſſent,grates agerentur.*

INſignis hic locus eſt, & à nemine, quod ſciam, hactenus animaduerſus, & cuius illuſtrationem minime prætermittendam duxerim. Itaque quemadmodum, ſi qui Conſules,aut prætores,ſeu proconſules & proprætores prouinciis præfecti,in illis adminiſtrandis deliquiſſent,peculatus, repetundárum, vel alterius criminis à prouincialibus perfacta adminiſtratione Romæ poſtulabantur,ita ſi eiſdem ſatisfeciſſent,in diſceſſu illis in Concilio prouincialium gratiæ agebantur, quod & Romæ in rei bene actæ teſtimonium per literas vel legatos ſignificabant. Accuſatorum exempla paſſim habemus apud eundem Tacitum & Liuium, aliosque Romanæ hiſtoriæ ſcriptores. Quod vero his,qui bene ſe geſſiſſent,grates agerentur, ex hoc loco patet, necnon ex Liuii verbis,*lib.33.*vbi habet: *Placentini Cremonenſesq; addiderunt fauorem,Conſuli gratias agentes, commemorantesq; obſidione ſe eſſe ab eo liberatos,&c.* Verum cum vſu compertum eſſet, ex quorundam prouincialium libidine & potentia, iniuria aliquando accuſationes exerceri, necnon minime merentibus gratias agi, exemplo Claudii Timarchi Cretenſis iactitantis, in ſua poteſtate eſſe, vt Proconſulibus, qui Cretam obtinuiſſent, gratiæ agerentur, ob id Pætus Thraſea cenſuit,vt in poſterum, qualis quiſque ex prouinciarum adminiſtratoribus eſſet, iudicium penes ciues, non prouinciales eſſet, qui precibus vel pretio præpotente aliquo

quo corrupti, gratiarum actionem à prouincialibus extorquebant, vel ad nutum alterius eiſdem accuſatio decernebatur. Vt itaque metu repetundarum prouincias adminiſtrantium infractam auaritia, ita & vetita gratiarum actione ambitionem cohibendam. Verum abnuentibus Conſulibus ex Pæti ſententia, haud Senatuſconſultum factum: Sed media via incedens princeps, ſanxit, ne in poſterum apud Concilium prouinciale ſociorum proprætoribus aut proconſulibus pro prouincia probe adminiſtrata, gratiæ agerentur, ſed ſi opus eſſet & conueniens, apud Senatum id fieret, & ab ipſo Senatu; ob idque minime à prouincialibus Romam legati amplius mitterentur in hunc vſum.

## C. TACITVS LIB. XV.

*Pluſq́; infamiæ id incendium habuit, quia prædiis Tigellini AEmilianis proruperat.*

MIrum ſane eſt, Æmiliana, è quibus prorupit incendium ſub Nerone, in illo incomparabili vrbis incendio, cuius hoc in loco meminit Tacitus, etiam Claudio imperante, exarſiſſe, teſte Suetonio in illo, *cap.* 18. Locus autem hic fuit extra portam Frumentariam, vel, vt alii, Flumentariam, in vrbis tamen continentibus ſeu ſuburbiis, teſtimonio Varronis, *libro 3. de re ruſtica, cap.* 2. ſcribentis: *Eorum ædificia, qui habitant extra portam Frumentariam, aut AEmylianam.* Ita autem appellatam exiſtimandum ab Æmyliorum familia, quæ ab Æmylio Pythagoræ Philoſophi ortum duxit, cui propter eximiam humanitatem, quam *αἱμυλίαν* Græci vocant, cognomen inditum ex Plutarcho *in Numa,* & Paulo Æmylio, & Feſto, *libro* 1. vnde per y ſcribendum contendunt. Quamuis alii dixerint, ita gentem hanc vocatam ab Æmilia Italiæ regione, vnde ortum duxit, ideoque per i ſcribunt. Verum quicquid ſit, manifeſtum eſt, ab hac familia Romæ potentiſſima, & viris præclariſſimis inſignita, *prædia AEmiliana* dicta, ſicuti & *Vicus AEmilianus*, qui fuit in regione vrbis ſeptima viæ latæ, vt Rufus docuit; ſicuti & *Tribus AEmiliana*, & *AEmiliana via*, quæ à Placentia Ariminum

minum vſque producta fuit ab Æmilio Conſule. Ex hac gente orti Paulus Æmilius, & Scipio Africanus minor, illius filius, & Mamercus Æmilius Cenſor, qui legem Æmiliam de cenſuræ tempore tulit, tradente Liuio, *lib.9.* vt interim pleroſque alios omittam.

## C. TACITVS LIB. XVI.

*Liberto & accuſatori præmium operæ, locus in theatro inter viatores Tribunitios datus.*

QVi viatores Romanis antiquis eſſent, diu anxie quæſiui, & difficultatem afferebat, quod apparitores, viatores, accenſi, lictores, ſummotores, ita officio coniunctos obſeruarem, vt quæ inter illos differentia eſſet conſtituenda, ignorarem, quod tandem longo ſtudio & diligentia me adinueniſſe exiſtimo. Itaque hi omnes iam dicti *apparitorum* nomine & communiſſima appellatione dicti, quod ſcilicet Magiſtratibus aſſiſterent, & præſto eſſent ad obſequendum. Liuius libro 3. *Poſtremo quum locus adeundi apparitoribus non daretur, ipſe cum agmine patriciorum iuuenum perturbam vadens, in vincula duci iubet.* Et libro octauo: *Quum præ ſtrepitu ac tumultu nec ipſius Dictatoris, nec apparitorum eius vox audiretur.* Quod & potiſſimum paſſim patet ex lectione Hiſtoriæ Ammiani Marcellini, & ex Iuſtiniano, *in l.31. §.5. Cod. de Epiſcop. & cleric.* Hi quoque nominati miniſteria, *l.3. § tutor. D. de ſuſpect. tutor.* Aliquando apparitio, *l. finali, § finali, D. de euiction.* Cicero tamen *in Epiſtol. ad Thermum,* apparitionem pro officio apparitoris accepit. Vocati quoque & interdum officia, *l. illicitam, §. ne tenuis, D. de offic. præſid.* Nonnunquam officiales, *Rubric. & l 1. Cod. de filiis official. & cap. nullus, 4. quæſt. quarta.* Interdum executores, *l.2. Cod. de ſportul.* Aliquando miſſi, vti *cap.1. de immunit. eccleſ. & ibi gloſſa in Nouell.* τάξεις ταξεῶται, id eſt, *ordo*, & in gloſſa veteri, ἀμφιδιάρχαι, ἀρχιπταρίται. In horum numero fuere lictores, qui apparebant his tantum magiſtratibus, qui authoritatem haberent non ſolum vocandi & ligandi, ſed & quoque puniendi, hique ab aliis in hoc diſtingueban-

guebantur, quod ſecuri & virgis ſupplicium de damnatis ſumebant, iuſſu magiſtratuum, quibus apparebant, quod paſſim in Hiſt. palam fit, omnique dubitatione caret. Ita Tribunos Conſulari poteſtate creatos, lictores habuiſſe, conſtat ex Liuio, *libro 3.* Ita Conſules vbique, ita & Imperatores. Iſti autem lictores & aliquando ſummotores dicti, eo quod eorum officium eſſet, turbam & alios quoſcunque ſummouere; quod patere poteſt ex ipſo Liuio, *libro 3.* ſcribente: *Lictor decreſſe ait, vociferantemq; Iulium ſummouet.* Et rurſus: *Inquit, lictor, ſubmoue turbam, & da viam domino ad prehendendum mancipium.* Et lib. 8. *Repente ſtrepitus ante curiam lictorum ſubmouentium auditur.* Et lib. 45. *Aſſuetis Regio Imperio tamen nouum forma terribili præbuit tribunal, ſummotor aditus, præco, accenſus, inſueta omnia*; quo in loco pro ſummotore intelligendum lictorem, non dubitandum, quum eodem libro alio in loco ſcribat idem Liuius: *Lictor apparuit, ſummouente eo inceſſerunt virgæ, & ſecures prælatæ.* Et alibi: *Et ſummouere populum lictores iuſſi.*

Accenſi munus fuit vocandi, & ab acciendo dicti, ex Varrone, *lib. 5. de lingua Latina,* vbi habet: *Conſul loquitur ad exercitum, Impero, qua conuenite ad comitia centuriata.* Quare hic *accenſo,* illic *præconi* dicit, hæc eſt cauſſa, in aliquot rebus item vt præco accenſus acciebat, à quo accenſus quoque dictus. Et Cicero in Epiſt. ad Q. Fratrem: *His rebus nuper C. Octauius iucundiſſimus fuit, apud quem primus lictor quieuit, tacuit accenſus.* Verum quia & id munus proprium erat; & Viatores in quo differrent & diſtinguerentur, indagandum. Quod Viatoris munus præcipuum eſſet vocandi, conſtat ex Col. in præfat. libri primi: *Illis temporibus* (inquit) *proceres in agris morabantur, & quum conſilium publicum deſiderabant, à villis arceſſebantur in Senatum, ex quo, qui eos arceſſebant, viatores nominati ſunt.* Cic. de Senect. *A villa arceſſebantur in Senatu, Curius & cæteri ſenes, ex quo qui eos arceſſebant, viatores nominati ſunt.* Et Feſtus ait: *Qui magiſtratibus apparent, eo quia initia tribuum omnium, quum agri in propinquo erant vrbis, atque aſſidue homines ruſticabantur, crebra eorum opera erat in via, quam vrbe, quod ex agris plerunq; homines à magiſtratibus vocabantur,*

*& frequens eorum erat ab agris ad vrbem via.* Et Liuius libro.... *Quibus in forum delatis, & à viginti matronis, apud quas deprehenſi erant, per viatorem accitis.* Et alibi: *Conſul viatorem miſit, qui patri nuntiaret, vt ſine lictoribus ad Conſulem veniret.* Et libro 10. *Per viatorem Imperator acciri iubebat nobiliſſimum quemque.* Et libro 41. *Cn. Cornelius euocatus à viatore.* Et Plinius libro 18. cap. 3. *Cincinnato viator attulit Dictaturam, & quidem, vt traditur, nudo plerunque pulueris, etiamnum ore. Cui viator vela corpus, inquit, vt proferam Senatus populiq; Romani mandata.* Ex dictis patet, ſicuti *Accenſi*, ita & *Viatoris* quoque vocandi munus fuiſſe. At quomodo diſtinguendi ſint, non æque manifeſtum. Ego ſtatuendum puto, in hoc Viatores ab Accenſis diſtingui, quod Viatores non modo vocandi ius haberent, ſed & ligandi; Accenſi vero minime. Verum, quia Carolus Sigonius id aperte negat *libro 2. de iure antiquo ciuium Romanorum, cap.* 15. ideo comprobandum eſt. Liuius *lib.* 3. de Appio ſcribit: *Arreptus à viatore, prouoco, inquit.* Et *libro* 6. vbi de Manlio: *In vincula duci iuſſit. Arreptus à viatore, &c.* Et lib. 9. *Quum apparitor verecundia maieſtatis Poſthumium laxe vinciret.* Et *lib.* 4. vbi de Mælio ſcribit: *Quum apparitor iuſſu Magiſtri Equitum eam duceret, arreptus à circumſtãtibus, &c.* Vtrobique enim apparitoris voce viatorem, omnemque alium, qui ligandi ius haberet, intelligendum non dubito. Sicut & *lib.* 3. quum Liuius ait: *Dimiſſi circa domos apparitores ſimul ad pignora capienda, ſciſcitandumq; num conſulto detrectarent, &c.* de Viatoribus interpretandum coniicio. At Cicero omnem ſcrupum demit, quum ait in Vatinium: *Miſerune viatorem, qui M. Bibulum vi domo extraheret.* Itaque quum Viatores facultatem haberent ligandi, in hoc ab Accenſis diſtinguebantur; Accenſi vero à Viatoribus alia differentia diſcernuntur. Namq; Accenſi munus erat, etiam meridie conclamare populo, quod Viatores nõ faciebant. Id autem conſtat ex Varrone, loco citato, vbi habet: *Accenſum ſolitum ciere Beotia oſtendit, vbi primum Accenſus clamarit meridiem.* Et Plin. *lib.* 7. *c.* 6. ſcribit: *Poſt aliquos annos adiectus eſt & meridies, Accenſo Conſulũ id pronuntiante.* Viatores autẽ proprios fuiſſe Tribunorum plebis, ſicuti lictores Conſulum, exiſtimauit

plurimæ

plurimæ lectionis vir, Andreas Tiraquellus *in ſuis Annot. ad Alexandrum ab Alexandro, lib.* 1. *cap.* 27. motus authoritate Liuii *lib.* 2. vbi habet: *Ardens igitur ira Tribunus Viatorem mittit ad Conſulem, Conſul lictorem ad Tribunum*; qua tamen in re eum hallucinatum non dubito, namque non modo Tribuni plebis, ſed & alii Magiſtratus viatores habuere quibus vocandi ius fuit. De Senatu conſtat ex Plinio loco citato, vbi Cincin. De Conſulibus nulli dubium. De Ædilibus patet ex Liuio *lib.* 30. ſcribente: *Pecuniam ex ærario Scribæ Viatoreſque Aedilitii clara egeſsiſſe per iudicium comperti.* Romæ in Baſilica Sancti Petri in Vaticano extat tabella antiqua inſcripta, in qua fit mentio T. Tettieni Viatoris Ædilitii. Et in Æde Sanctæ Ceciliæ in alia tabella legitur:

Q. LVCRETIVS Q. L. GEMELLO VIATORI QVÆSTOR. AB ÆRAR. Q. LVCRETIVS Q. L. CHRESTVS VIATOR QVÆSTOR. AB ÆRAR. In alia in domibus Dominorum S. Crucis legitur: TIBERIO ONESIMO VIATORI COLLEGII MAGNI. Quod pariter & reliqui magiſtratus viatores proprios habuerint, rationi conſonum eſt, & conſtat ex Iuriſconſultis, *l. finali, de iudic. P. l. magis puto. §. illud quæri poteſt, de rebus eorum, qui ſub tutel. P.* Vnde & viatores Prætoris, ſcilicet, vel Iudicum aliorum eiſdem dicti executores litium, vt Imperator docet *in §. triplici, de actionibus.* Viatores ex ſeruorum genere fuiſſe contendunt aliqui ex recentioribus, authoritate Strabonis innixi *lib.* 5. & Gellii *lib.* 10. *cap.* 3. vbi legimus Romanos abeunte Annibale Brutios ignominię cauſa à Romanis ſuperatos, non milites ſcribendos ſtatuiſſe, nec pro ſociis haberi, ſed magiſtratibus in prouincias abeuntibus parere, & adminiſtrare ſeruorum vice. Idem & aduerſus Picenos & Lucanos obſeruatum, qui viatorum tabellariorum loco ſunt habiti. In oppoſitum tamen ſtat veritas, ſiquidem Viatores ciues Romanos fuiſſe conſtat ex antiqua inſcriptione tabellæ, quam Carolus Sigonius *de antiquo iure ciuium Rom. lib.* 2. *cap.* 15. deſcribit, quam ibidem ſtudioſus lector legere poterit. Præterea quomodo Nero liberto & accuſatori pręmium operæ dediſſet, locum

in theatro inter viatores, ſi hi ex ſeruili genere extitiſſent? Ad hæc Liuius *libro* 38. ſcribit de Scipione: *Ab Roſtris in Capitolium aſcendit. Simul ſe vniuerſa concio auertit, & ſecuta Scipionem eſt, adeo vt poſtremo ſcribæ, viatoreſque tribunos relinquerent, nec cum iis præter ſeruilem comitatum, vt præconem, qui reum ex Roſtris citaret, quiſquam eſſet.* Ecce itaque, quod Liuius viatores à ſeruili comitatu diſcernit. Ad authoritates autem Strabonis & Gellii dicimus; Aliud eſſe ſeruorum vice haberi, aliud vero ſeruum eſſe, namque & communi appellatione, etiam ſeruire dicuntur, qui liberi ſunt, non ſerui. Et ita à Frontino *libro de Aquæductibus*, & à Varrone & Liuio apparitores (inter quos viatores ſtatuimus) ſeruos publicos appellatos obſeruamus, hoc eſt, qui publico inſeruirẽt, quum tamen hi fere omnes ex libertino genere eſſent, vti Cicero ad Q. Fratrem ſcribens, & ad Appium *in Verr. & in Cornel.* docet, & Tacitus *lib.* 13. demonſtrat. Valgius Rufus & cum eo Gellius *lib.* 12. *cap.* 3. Viatores in collegio lictorum repoſuere, quos tamen aberraſſe ex iam dictis conſtat, apertius vero ex præallegata antiqua tabella, ex qua dignoſcitur, præcones potius ex viatorum collegio fuiſſe, quam lictores. Quantum aberrauerit doctiſſimus Turnebus *lib. & cap.* 11. viatoris vocem ex antiqua inſcriptione interpretantis, ex dictis iam ſatis patere puto.

## C. TACITVS LIB. XVI.

*AEquitate Deum erga bona malaque documenta.*

IVſtus Lipſius in Notis ad hunc locum ſcribit: *Deprauatio manifeſta; quam adnotare volui, tollere non potui.* Ego tamen non ſolum nullum mendum ineſſe exiſtimo, quinimo præclariſſimam ſuſpiciendamque ſententiam mira breuitate Tacitum complexum non dubito. Æquitas animi abſolute eſt conſtantia quædam, & moderatio, quum æquo animo patienterq; omnia feruntur, ac in bonam partem accipiuntur, quæ & *tolerantia* dicitur. Cic. pro Plancio: *Fugiſti ſententiam legis, æquitatem omnem reieciſti.* Et primo de Finibus: *Probabo modo iſta ſis æquitate, quam oſtendis.* Et lib. de ſenectute: *Noui enim moderationem animi tui & æquitatem.* Et in Epiſtolis:

*AEquita-*

*Æquitatem tuam non potui non probare.* Æquitatis vim duplicem dixit idem Cic. *in partit. Oratoriis*, cuius altera directi, & veri, & iuſti, æqui & boni ratione defenditur, altera ad viciſſitudinem referendę gratiæ pertinet, quod in beneficio *gratia*, in iniuria *vitio* nominatur; His ſic ſe habentibus, interpretor Taciti dicta: *Factum æquitate Deum*, id eſt, tolerantia & permiſſione, quibus nulla præſcripta lex, vt P. Egnatius Sotani infidus amicus, in eum pecunia corruptus teſtimonium diceret, Caſſius vero Aſclepiodorus verus & ſyncerus eum laborantem non deſeruerit, etiamſi fortunis ob id exutus eſſet, & in exilium actus, tolerantia inquam Deorum erga mala bonaque documenta, id eſt, exempla, nam documentũ pro exemplo ſumitur à Salluſtio & Cic. non ſemel; malũ ſiquidem exhibuit exemplũ Egnatius, bonũ vero Caſſius, quibus Deorum eadem æquitate vltio & gratia habita.

## C. TACITVS LIB. I.

*Adeo animoſus corruptor, vt Corcio Proculo ſtipulatori, de parte finium cum vicino ambigenti, vniuerſum vicini agrum ſua pecunia emptum dono dederit, per ſocordiam Præfecti, quem nota pariter & occulta fallebant. Sed tunc è libertis Onomaſtum futuro ſceleri præfecit, à quo Barbium Proculum Teſſararium ſpeculatorum, & Veturium Optionem eorundem perductos.*

SPiculatorum, non ſpeculatorum legendum eſſe hoc loco, non deſunt, qui putent, eo quod ſtipulatores Imperatorum ſpiculo vterentur, ex Vegetio *lib. 2. cap. 7.* Quibus M. Vertranus aſſentiri videtur in ſuis Annot. necnon Turnebus *lib. Aduerſ. 24. cap. 41.* Caligas ſpiculatorias, non ſpeculatorias legens, in Suet. Caligula, c. 52. & apud Tertul. de corona milit. *ſpeculatoriam moroſiſſimam pedibus abſoluit*; quum vtrobique tamen *ſpeculatoriam* legendum ex mox dicendis patere putem. Quod vero hi in errore verſati ſint, docet Suidas ſcribens σπεκουλάτωρας τοὺς δορυφόρους, hoc eſt, *ſpeculatores ſtipatores Principis.* Præterea Prætoriani milites, qui Imperatorib. aſtabant, eoſq; ſtipulabant, lancea nõ ſpiculo vſos conſtat ex Suetonio ſcribente in Claudio, c. 35. *Neq; conuiuia inire auſus eſt, niſi ſpeculatores cum lanceis circumſtarent.* Et in

Galba cap. 18. *Deſcendentem Galbam ſpeculator impulſu turba lancea prope vulnerauit.* Adhæc ſpeculum à pilo, quod commune legionariorum militum erat, non differebat, ſi Vegetio credimus, vnde nequaquam credendum, ſpiculatores à ſpiculo dictos, ſed potius ſpeculatores à ſpeculando, eo quod Principis tutelæ inuigilantes vndique ſpecularentur, vt inſidiarum omne genus præcauerent. Speculatores autem non ſolum in Prætorianis militibus frequentes fuiſſe, ſed in legionibus ipſis, conſtat ex Hirtio *de bello Hiſpanico* ſcribente: *Speculator de legione ſecunda Pompeiana captus à militibus, & interfectus eſt.* Et rurſus de ſpeculatoribus miſſis in Cæſaris caſtris: *Complures Getuli qui ſumus clientes C. Marii, & propemodum omnes ciues Romani in legione quarta, & ſexta.* Quinimo vnaquæque cohors proprios habebat ſpeculatores, ſi Tacito credimus ſcribenti: *Dilapſis ſpeculatoribus cætera cohors non aſpernata concionem, &c.* In antiquo marmore Romæ in domo Laurentii de Lallis exiſtente legitur: C. FABIVS C. F. SER. CRISPVS. CARTAG. SPECVL. COH. VI. PR. Horum autem ſpeculatorum munus erat, de rebus hoſtium ad ſuos deferre quicquid percepiſſent, ſiue ex ſpecula, ſiue in ipſis hoſtium caſtris. Neque eorum recipienda ſententia; qui ſpeculatores ab exploratoribus differre dixere; quod ſpeculator è ſpecula proſpiciat, explorator inter hoſtes verſetur. Namque Liuius *lib. 22.* inquit: *Per eoſdem dies ſpeculator Carthaginenſis, qui per biennium feſellerat, Romæ deprehenſus, præciſiſque naribus dimiſſus.* Et Hircius de bello Gallico; *Ex Getulis duos pro perfugis ſpeculandi gratia in Cæſaris caſtra mittunt.* & paulo poſt: *Pro ſpeculatoribus miſſi à Scipione.* Et rurſus Liuius lib. 30. *Præmiſſi ſpeculatores excepti à cuſtodibus Romanis deducti ad Scipionem.* Siue itaque hi è ſpecula, ſiue in caſtris, ſeu quocunque alio modo explorarent, ſpeculatores dicti, quod Virgilius in apibus, perbelle expreſſit, inquiens:

*—Quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti,*
*Inque vicem ſpeculantur aquas & nubila cœli.*

Vtebantur quoque Principes ſpeculatoribus ad damnatorum caput amputandum, vel alio pacto in reos lege agendum.

dum. Iul. Firmicus lib. 8. c. 26. *Speculatores* (inquit) *facit, qui nudato gladio hominum amputant ceruices.* Et Seneca lib. 1. de Ira: *Tum centurio, qui ſupplicio praeerat, condere gladium ſpeculatorem iubet.* Et Vlp. *l. 6. de bonis damnatorum* ſcribit: *Spolia, quibus indutus eſt, qui ad ſupplicium ducitur, neque ſpeculatores vltro ſibi vindicent, neque optiores ea deſiderent.* Idem confirmare poſſumus ex ſacro Marci Euangelio *c. 6.* vbi de morte D. Ioannis ait, à ſpeculatore eum decollatum; textus Græcus habet *σπεκουλάτωρα.* Mirandum ſane, Torrentium virum doctiſſimum, quique ante nos ſpiculatorem, non ſpeculatorem legendum apud Suetonium in Caligula *cap. 51.* annotauit, auſum fuiſſe affirmare, Caium vſum ſpeculatoribus in mittendis literis ad Senatum, Suetonii *auth. in illo c. 44.* vbi de ſpeculatoribus ne verbum quidẽ, ſed ſimpliciter *latoribus* ſcribit, vti ex lectione loci illius facile dignoſcet diligens lector. Ex dictis itaque ſatis patere exiſtimo, quales eſſent milites dicti ſpeculatores, ſtipulatores ſcilicet Principis, quorum meminit in textu Tacitus, hos vero electos inter milites, qui fortiores corpore & fide præſtantiores haberentur palam eſt. Sic idem Tacitus *lib. Hiſt. 2.* ait: *Ipſum Othonem comitabantur ſpeculatorum lecta corpora.* & rurſus: *Et cum ipſo Pratoriarum cohortium, & ſpeculatorum, equitumque valida manus diſceſſit.* & iterum: *Poſtquam ſpeculatores Syria Iudaeaque adactum in verba eius Orientem nuntiauere.*

*Barbium Proculum, Teſſerarium ſpeculatorum*, quomodo ſit intelligendum, non ſat bene explicat Vertranus, dum Teſſerarium interpretatur, qui præceptum Ducis per militum contubernia nuntiabat, hoc eſt, quod à Tribuno per ſingulos dies extremo Sole accepiſſet. Quam expoſitionem etiam recipere videtur Turnebus *lib. 3. Aduerſ. c. 7.* & vtrique fauere Vegetium *lib. 2. c. 7.* dum ait: *Teſſerarii ſunt, qui teſſeram per contubernia militum, aut per contubernia pretorianorum nuntiant.* Hæc interpretatio an veritati conſentiat indagandum. Multi generis teſſeram militarem obſeruo apud ſcriptores. Vna erat ſymbolum bellicum, ſeu ſignum, quo conſocii milites ab hoſtibus dignoſcebantur, de qua Virgilius lib. 7. Æneid.

*It bello*

*It bello teſſera ſignum.*

Et Silius lib. 5.

*Tacitum dat teſſera ſignum.*

Claudianus lib. 1. Panegyr. Stiliconis.

*Decretoque togæ fœlix legionibus iret*
*Teſſera Romuleas leges adiiſſe fatemur:*
*Quum procerum iuſſu ſamulitia cernimus arma.*

Et Liuius lib. 7. *Cæteris omnibus teſſeram dari iubet.* De hac etiam Vegetius *lib. & cap.* 7. Hæc autem teſſera verbalis erat; In caſtris enim Cæſaris Venerem teſſeram fuiſſe tradit Appianus *lib. 2. belli ciuil.* alias fœlicitatem, teſte Hircio *de bell. Afric.* In Pompeii Magni Herculem inuictum, *eodem authore eodem in loco.* In Pompeii iunioris, Pietatem, *ex Appiano lib. 3.* Neronem quandoque dediſſe Tribuno ſignum petenti Optimæ matri, *ex Tacito lib.* 13. & Suetonio *in illo cap.* 9. Brutum in Philippicis Apollinem, *ex Plutarcho in illius vita.* Antoninum Pium Æquanimitatem, *ex Capitolino in illo.* C. Caligulam Priapum dediſſe Caſſio Chereæ Tribuno prætoriano, tradit Suet. *in illo cap.* 56. & Seneca *lib.* 10. *Epiſt. ad Serenum,* Seuerus Iouem; Septimius, Laboremus, *ex Spartiano in illo.* Pertinax, Militemus, *ex Capitolino in ipſo.* Claudius excubitori Tribuno ſignum de more petenti, verſum Græcum quem Suetonius deſcribit *in illo cap.* 42. Vegetius *lib.* 3. *capite quinto*, Victoriam, Palmam, Virtutem, Deus nobiſcum, Triumphum Imperatoris quorundam teſſeram fuiſſe recenſet. Illud autem animaduertendum; ſignum, ſeu teſſeram verbalem aliquando datum congreſſuris cum hoſte militibus, vt in pugna in feriendo ſe ab hoſte diſcernerent. Ita Hircius loco citato inquit: *Signo fœlicitatis dato, eoq; admiſſo in hoſtem contra Principes ire contendit.* Aliquando vero in caſtris etiã prætorianis excubias agentibus, quod ſignũ Tribunus ab Imp. acceptũ militibus dabat. Teſſeram vulgo *contraſegno*, excubitores *ſentinelle* appellãtur. Prioris teſſeræ minime teſſerariũ fuiſſe Proculum Barbium, clarum eſt, quum in actu bellico non eſſent Imperator & milites; Nec minus ſecundæ, non enim exiſtimandũ rem tanti momenti ad Imperatoris vitã cuſtodiendã manipulari ordinario cõmiſſam;

ſingula

ſingula enim die Sole occiduo petebatur,&dabatur teſſera, quod ēt noſtris temporib.obſeruari norūt omnes. Manipularem autē fuiſſe Proculū patet ex ipſomet Tacito paulo infra ſcribente: *Suſcepere de manipulares imperiūRomanum transferendum, & transtulerunt*; in hoc à Suet.diſcrepans in Othone *c.5.* qui quinque ſpeculatorib.rem cōmiſſam tradit. Teſſerā aliam militarē non verbotenus, ſed naturalē apud ſcriptores annotamus;quam ēt frumētariam dixere, & erat tabella lignea,certa inſignita nota,quæ dabatur militibus, vt ex publico in ipſorummet alimentū frumenti certam quantitatē acciperent, fuiſſe autē vt plurimum figuræ quadratæ ex ipſa voce Græca coniiciendū, nam Græcis *τέσσαρες quatuor* ſignificat,planas autē, quia & Polybius *πλατεῖαν* eam appellauit, quamuis & aliquādo eas rotūdas fuiſſe obſeruemus ex Dione ſcribente in Tito: *σφαίρια ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν εἰς τὸ θέατρον ἐρρίπτει σύμβολον ἔχοντα, τοῦ μὲν ἐδωδίμου.* Fuiſſe quoq; aliquando Teſſerā dare militib.ſuctum,ad annonā recipiendam ſtellatæ figuræ, coniicimus, eo quod eā inde *ſtellaturam* vocabant. Lamprid.in Alex. *Alexander Caſar annonam militū diligenter inſpexit, & Tribunum, qui de ſtellaturis militib.aliquid abſtuliſſet, capitali pœna affecit.* Et Spart.in Peſcennio: *Peſcennius Imp.Tribunos duos quos conſtitit ſtellaturas accepiſſe, lapidib. obrui à militibus iuſſit.* Huiuſmodi ſtellaturę verba faciunt Iuriſc.*l.12.C.de erog. milit.annona lib.12.* Et in C.Theod.in conſtit.quadā Honorii & Theodoſii,ſicuti & teſſaræ frumentariæ Vlp.*l.52.§.1.D.de iudic.* & Paulus *l.49.D.de leg.& iud.lib.31.§.1.* Et Iuuenalis:

*Summula ne pereat,qua vilis teſſera venit*
*Frumento.*———

Quum itaque vel donatiui loco vel ſtipendii in ſolutum dabatur militibus frumentum aliave annona, teſſeræ tot aſſignabantur Tribunis, quot milites ſub eis militabant; has vero viritim Tribuni per ſuum Teſſerarium militibus impartiebantur.Fuiſſe itaq; Barbium Proculum ſpeculatorum Tribuni Teſſerarium huiuſmodi exiſtimo: Veturium vero ipſius optionem,hoc eſt,vicarium,ſeu vices gerentē, *locumtenentem* vulgo vocant. Notum enim eſt ex Varr.lib.1.*de ling. Latina*, Feſto & Vegetio *li.2.c.7.* quod *optio* maſculini generis dici

dici ſolet, qui muneris alicuius militaris adminiſtrandi vices gerit. Sic Plautus in Aſinaria: *optionem tibi ſummitto Leonidam*; Et Calliſtratus *in l. vlt. de iur. immunit.* ſcribit: *Quamobrem tum qui in Palatina militia idipſum agat, quod in exercitu optiones iure arbitror dici optionem.* Ita Vlpianus l.6.de bonis damnat. *Neque ſpeculatores, neque optiones ea deſiderent*; quo loco per optiones intelligendi ſpeculatorum Vicarii. Prædictæ autem noſtræ expoſitioni fauent leges nonnullæ, in quibus optiones accipiuntur pro illis, qui annonam militibus diuidunt, vti lex 9. *C.de iure fiſci.l.9.C.de exact.tribut.l.3. C.de apoch. public.& Nouel.Martiani de indul.rel. Nouel. Iuſtiniani* 129. tales etiam ſunt ὀπτίωνα Procopio *lib.3.de bello Vandal.* Illud inſuper annotare libet, Plutarchum tanti feciſſe has Taciti voces, vt eaſdem in Galba, vbi de hac coniuratione in textu Græco, receperit ὀπτίων καὶ τεσσεράριος; quum tamen Teſſerarium interpretatus ſit διάγγελον, optionem vero διοπτῆρα. Simphori Teſſerarii fit mentio in marmore antiquo *in libro Epigram.Antiq.Vrbis,pagina* 144. & in alio ibidem *pagina* 63. in voto HERCVLI INVICTO Fabiani ſigniferi, & Valerii Firmini Optionis.

## C. TACITVS LIB. I.

*Flagitatum, vt vacationes præſtari Centurionibus ſolitæ remitterentur.*

M. Vertranius hũc locum perperam interpretatus eſt, ni me fallit animus, dum inquit: *Non erant hæ militiæ vacationes, ſed largitiones pecuniæ ob ſpectatam per multos annos fidem, illam vero pecuniam milites honoris cauſa ſinguli primum tribuebant.* Vt vero id palam fiat, ſciendum, quod vacatio honeſta & cum honore quædam à militia fuit, quæ militibus dabatur iis,qui per viginti annos in legione militaſſent; vel qui quinquageſimum annum exceſſiſſent; & hæc perpetua erat & cum priuilegiis, atque à Duce exercitus, vel Principe,vel Senatu dabatur; Veterani enim rude donati in colonias mittebantur, & pro nauata tot annis opera Reipub. agros accipiebant,teſte Liuio *lib. 55. in Orat. M. Pompilii centurionis.* Et *lib.* 7. vbi habet: *Conſul educto in æſtiua milite, exercitum*

*tum purgare miſſionibus turbulentorum hominum inſtituit; aliis emerita ſtipendia eſſe dicendo, alios graues tum ætate tum viribus parum validos*; Et lib. 42. *Spurius Liguſtinus ita loquitur: viginti duò ſtipendia annua in exercitu emerita habeo, & maior ſum annis quinquaginta, quod ſi mihi nec ſtipendia omnia emerita eſſent, nec dum ætas vacationem daret, tamen quum quatuor milites pro me vnò dare poſſem, æquum erat me dimitti.* Erat etiam vacatio perpetua, quæ gratioſa dabatur abſque vlla ex memoratis cauſa, qualem à Senatu P. Æbutio datam legimus *lib.* 39. Altera erat vacatio à militiæ muneribus, non perpetua, ſed temporanea, & ſine priuilegiis veteranorum, quæ quandoque & ipſa gratioſe à Principe dabatur, vnde ſtatutum ſub Theodoſio, ne quis obtineret à Principe vacationem temporalem, niſi ex iuſtis cauſis, illiſque probatis, *l. vnica de iis, qui à principe vacat. accep. lib.* 10. *C. tit.* 44. Sic legimus apud Liuium *lib.* 23. Præneſtinis militibus Senatum duplex ſtipendium, & quinquennem vacationem decreuiſſe. Erat denique & alia vacatio non ſolum temporanea, ſed & particularis; non quidem ab vniuerſa militia eximens, ſed tantum à quibuſdam militiæ muneribus, & hæc non à publicis Magiſtratibus, ſed à Centurionibus obtinebatur, certa pecunia illis perſoluta, nam ſicuti Duces Tribunis, ita Tribuni Centurionibus & hi gregario militi, ſeu manipularibus imperabant. Hinc eueniebat, vt Centuriones milites quoſq; locupletiſſimos labore ac ſæuitia fatigarent, donec vacationem emerent, vnde factum, vt miles redempta laborum temporanea vacatione huiuſmodi à Centurione ſuo ſumptu exhauriretur, ac otio langueſceret; ita vt poſtmodum pro diuite inops, pro ſtrenuo iners ad manipulum rediret, ac rurſus alii pari egeſtate, & otio corrupti, ſeditiones ac diſcordias excitarent, & in bella ciuilia ruerent; dum inter ſuos manipulares latrocinantur, commeatum rapiunt, aut ſimilia mala miniſteria exercent, vt habeãt vnde militare otium redimere poſſint. Hac de cauſa apud eundem Tacitum *lib. Annal.* 1. milites tumultuantes Centuriones verberibus cõficiunt, tanquam materiem vetuſtiſſimam militaribus odiis præſumentes, & paulo poſt ſubdit: *percunctante Germanico,*

*quo Centuriones exegiſſent. Nudant vniuerſi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant, mox indiſcretis vocibus pretia vacationum, anguſtias ſtipendii, duritiem operum, ac propriis nominibus incuſant; Vallum, foſſas, pabuli materia, lignorum adgeſtus, & ſi qua alia ex neceſſitate, aut aduerſus caſtrorum otium quaeruntur.* Ex hiſce interpretationis noſtræ veritatem patere puto. Quis enim cum Vertrano militem Centurioni, ob ſpectatam in militia fidem pecuniam perſoluiſſe iure affirmare audebit, quum iam Ducis, Imperatoris, Senatuſve munus eſſet, ad quos ſpectabat, non ad priuatos milites, Centurionis meritis ſatisfacere, eoſq; bene actorum remunerate. Præterea, huiuſmodi vacationes haud vniuerſales, vel ordinariæ erant, ſed tãtum ex Centurionum libitu & permiſſione dabantur; conuentione habita cum hoc vel illo ſingulari milite. Quamobrem Otho Imperator effectus, ne militum flagitationem reiiceret, nec centurionum animos auerteret, ex Fiſco ſuo vacationes annuas exoluturum promiſit. Sic enim ſubleuati milites, nec ſtipe & emolumento ob id percipi ſoluto Centuriones defraudati. Quod pariter factum à Vitellio idem Tacitus paulo infra ſcribit; nempe Centurionibus vacationes ex Fiſco numeratas, hoc eſt, certam ſummam pro vacationibus huiuſmodi illis numeratam, quod quoque à bonis poſtea Principibus perpetuitate diſciplinæ firmatum tradit idem Tacitus, vtiliter quidem, nam Centurionibus nihili ſoliti emolumenti detractum, milites ab impenſa ſubleuati, & militiæ onera æqualiter inter omnes partita.

## C. TACITVS LIB. II.

*Et Iudaeam inter Syriamque Carmelus, ita vocant montem, Deumque nec ſimulachrum Deo, aut templum, ſic tradidere maiores, aram tamen, & reuerentiam.*

SVetonius *in Veſpaſiano, cap. 5.* ſcribit: *Apud Iudaeam Carmeli Dei oraculum illum conſulentem, ita confirmaſſe ſortes, & quicquid cogitaret volueritque animo, quantumlibet magnum, id eſſe prouenturum pollicerentur.* Duos eſſe montes Carmelos author eſt D. Hieronymus, alterum Galilææ prouinciæ ad Auſtralem

Auſtralem plagam, in quo fuit Nabal maritus Abigail, vt 1. *Regum* 25. Alter iuxta Ptolemaidem mari imminens,in quo Helias flexis genibus pluuiam impetrauit, 3. *Regum*, *c.* 18. Et huius meminere Suetonius & Tacitus, & Plinius *lib.* 5. & Strabo & Ptolemæus *libro pariter* 5. Huius quoque frequens in ſacris Bibliis fit mentio, gratiſſimumq; Deo locum fuiſſe conſtat,quum populo Hebræo per eum & in eo,modo gratiam donaq;, modo iram & pœnam demonſtraret. Prioris exemplum Ieremiæ c.2. *Et induxi vos in terrā Carmeli,vt comederetis fructum eius,& bona illius.* Et c.49.eiuſdem:*Et reducam Iſrael ad Tabernaculū ſuum, & paſcetur Carmelum*; & Micheæ 7. *Paſce populum tuum in virga tua,gregem hæreditatis tuæ,habitantes ſolos in ſaltu, in medio Carmeli paſcentur.* Secundi habemus exempla Iſaiæ c.16. *Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo,* & 33.*Concuſſa eſt Baſan & Carmelus.* Et 37.*Ego aſcēdi in altitudinem montium,iuga Libani, & ſuccidam excelſa cedrorum eius, & electas abietes illius, & introibo altitudinem ſummitatis eius, ſaltum Carmeli eius.* Et Ierem. c.4.*Ecce Carmelus deſertus, & omnes vrbes eius deſtructæ ſunt à facie Domini.* & c.48. *Ablata eſt lætitia & exultatio de Carmelo*; & Amos 1. cap. *Exſiccatus eſt vertex Carmeli.* Et Nahum 1. cap. *Infirmata eſt Baſan & Carmelus.* Et in Cantico quum Deiparæ virginis pulchritudo repræſentatur : *Caput illius aſſimilatur Carmelo,* cap.7.& Iſaiæ cap.35.de eadem:*Data eſt ei gloria Libani, & decor Carmeli.* In Carmelo *lib.* 1. *Regum,* Saul parta victoria de Amalec, erexit ſibi fornicen triumphalem, & obtulit holocauſtum Domino de initiis prædarum, quæ attulerunt ex Amalec. Ex his mihi coniici poſſe videtur, Deum, quem Carmeli dicit Tacitus, fuiſſe Deum, qui ſine fine viuit & regnat,cui Hebræi illo in monte ſacrificium offerebant, eumq; ibidem venerabantur, aram & reuerentiā habentes,minime vero templum,hoc enim ſolum in Hieruſalem,innominatum vero,quia non illi particulare nomen vt cæteris Diis gentium. Baſilidem autem Sacerdotē eum,de quo paulo poſt TacitusHebręum fuiſſe coniicio, quia Suet. de ea re verba faciēs meminit Ioſephi cuiuſdā captiui Hebræi Veſpaſiano ea fœlicia vaticināti, ob id vinculis ſoluti.Ioſeph.de bel. Iudaico eum *Ioſippū* appellat; quinimo

N 2 Beroal-

Beroaldus multis rationibus eundemmet hiſtoriæ ſcriptorem fuiſſe comprobare contendit. Ad hæc Suetonius *in Traiano cap.* 4. ita ſcribit: *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur.* Id de Imperatore Romano, quantum euentu poſtea patuit, prædictum patuit. Iudæi ad ſe omen trahentes rebellarunt; Nam vt Cornel. Tacitus ſubdit; Pluribus perſuaſum fuerat, antiquis ſacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore fore, vt valeſceret Oriens, Præfectique Iudæis rerum potirentur. Quæ ambages Veſpaſianum & Titum prædixerunt. Sed vulgus modo humanæ cupidinis ſibi tantam fatorum altitudinem interpretati, ne aduerſariis quidē ad vera mutabantur. Oroſius in hanc ſcribit ſententiam: *Iudæi in Carmelum montem ſeductis ſortibus, quæ portendebant, exortos à Iudæa duces rerum potituros eſſe, bellum ad ſe trahentes, in rebellionem exarſerunt.* Egeſippus vero *lib.* 5. refert, in ſacris literis impreſſum fuiſſe, quod futurus eſſet vir, qui de regione Iudęorum imperium aſſumeret in orbe terrarum, quæ res eos in tanto furore poſuit, vt ſibi non ſolum libertatem, ſed & regnum pollicerentur. Id alii ad Veſpaſianum referendum putauere, ſed & prudentiores (ait Egeſippus) ad Ieſum referendum eſſe conſtanter crediderunt, qui in Iudæorum terris ſecundum carnem genitus ex Maria virgine beatiſſima, regnum ſuum per vniuerſa terrarum ſpatia diffudit. Hæc commemorare volui, vt videant noſtri ſeculi & futuri homines, eam eſſe Dei ſummi opificis omnipotentiam, vt etiam ex ore Taciti & Suetonii alioquin acerrimorum Hebraicæ & Chriſtianæ religionis ſubſannatorum, & irriſorum, & gentilium aliorum, ſuam gloriam & honorem inuitis ipſis, & caligine ignorantiæ perſtrictis mentis oculis, elicere potuerit; eoſque futuri Meſſiæ, & Chriſti Ieſu Domini noſtri, & generis humani Redemptoris vaticinium literis mandare coegerit, ita tamen, quod quæ ſcripſerint non intellexerint, gratię illius minime participes, cui honor & gloria ſit in ſecula ſeculorum. Ita & Lampridius *in Alexandro Seuero* teſtatum reliquit, illum Chriſto templum facere voluiſſe, quod & Adrianum cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus

omnibus Ciuitatibus ſine ſimulachris iuſſerat fieri,ſed prohibitus eſt ab iis, qui ſacra conſulentes repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato vertiſſet, & templa reliqua deſerenda. Idem Imperator inter bonos optimus,in ſuo ſacrario Chriſti imaginem habuit. Ad hæc, quum Chriſtiani locum quendam qui publicus fuerat occupaſſent, è contra Popinarii dicerent,ſibi eum deberi,reſcripſit:Melius eſſe vt quomodocunq; illic Deus colatur, quam Popinariis dedatur.Hæc omnia attuliſſe libuit, vt videant Chriſticolæ etiam ab Ethnicis ſine fide & baptiſmate Chriſtum magnifactum. Deiparam virginem de monte Carmelo colunt Carmelitani Monachi, quorum primus inſtitutor fuit Angelus,nobilibus Hieroſolymitanis ortus parentibus,qui temporibus Sancti Franciſci & D.Dominici floruit,illius Seraphici ordinis,hnius Prædicatorum primi inſtitutoris.

## C. TACITVS LIB. II.

*Gratum primoribus ciuitatis, etiam plebs approbauit, quod reuerſis ab exilio, iura libertorum conceſſiſſet, quanquam id omnino ſeruilia ingenia corrumpebant, abditis pecuniis per occultos aut ambitioſos ſinus.*

IVſtus Lipſius in ſuis ad Tacitum Notis in hunc locum inquit: *Hæc cum ſequentibus ſuſpecta erroris habeo, ſed ſuſpecta tantum, nam quid iuuem non habeo.* M. Vertranus genuinum certe ſenſum aſſequutus eſt,'at verborum difficultatem nõ ademit. Patrono egenti tenebatur alimenta præbere libertus, *l. 2. de libert. & eorum lib.6.C.tit.*7. tenebantur & libertorum filii petere tutorem à patronis, *l.2.§.liberti.C.qui pet.tut.* libertùs quoque tenebatur obſequia honoremq; & reuerentiam præſtare patrono, *l.5.de obſeq.à lib.pat.praſt.* C. Plato *lib.de legibus* 11. inquit, ius eſſe patrono propria authoritate capere libertum, ſi ab eo ſufficienter non colatur.Item lis à liberto moueri aduerſus patronum non poterat; nec eundem actione famoſa in ius vocare poterat, ſaltem niſi venia à Prætore impetrata *l.4.§.Prator ait,de in ius voc.in P. l.veniam, C. eod.tit.* Poterat & patronus libertum ingratum ac contumacem;in ſeruitutẽ reuocare, *l.1.de ingrat.lib.* C. Tenebatur

& libertus operas præſtare ad nutum patroni, *Caius l. cum patronus. l. 22. & l. 1. & 5. de ope. libe lib. 38. P. tit. 1.* Sed quod magis ad rem præſentem facit, erat & ſucceſſionis ius patronis in bonis liberti, ex l. 12. tab. ſi is deceſſiſſet ſine legitimo hærede, *§. 1. de ſucceſſ. libe.* Deinde l. Papia cum filiis liberti patronus in virilem partem vocatus, ſi ſeſtertium centum eſſet patrimonium, *§. poſtea eod.* Poſtea & Iuſtinianus decedentibus ſine liberis ab inteſtato libertis; patronis ex l. 12. tab. delatam ſucceſſionem reſeruauit, *§. Sed veſtra conſtitutio, eod.* Succedebantque liberto non ſolum patronus, ſed etiam coniuncti, vel proximi patrono, vſq; ad quintum gradum, *§. ſed noſtra.* His ſtantibus, quum Galba nobiles exulantes patriæ reddidiſſet, minime tamen bonis reſtitutis, egeniq; ideo eſſent, nec à Vitellio bonorum traditione iuuarentur, tamen ius libertorum illis conceſſit, quod parum vel nihil proficuum fuit calliditate libertorum, qui pecunias, quibus potiſſimũ eorum diuitiæ cõſtabant, transferebant in potentes amicos, ſicq; patronos fraudabant. Ita enim interpretor ambitioſos & occultos ſinus. Namq; intimos amicos ſinus quandoque appellatos obſeruamus. Ita Cic. ad Atti. dixit in hunc ſenſum, *in ſinum & familiaritatem adoleſcentis.* Et iterum: *Bibulum noli dimittere ex ſinu tuo.* Et in 3. Verr. *Calumniatores de ſinu ſuo appoſuit,* id eſt, familiares, & amicos, ſic & ipſe Tacitus lib. Hiſt. 4. *Tradi ſe præfectis Centurionibusq;, quos vbi ſpoliis, ſanguineque expleuerint, mutari, exquiriq;, nouos ſinus,* id eſt, amicos. Addidit autem Tacitus *ambitioſos,* hoc eſt, per ambitionẽ conquiſitos, vt eorum fauore & gratia tutarentur. Sic Iuriſperiti *ambitioſa decreta* dixere per gratiam fauoremq; elicita. *Vlp. l. ambitioſa. 4. de decret. ab ordi. faciend. & l. 3. D. de minor. 4. l. ſerui. §. cum Prætor, D. ad SC. Trebel.* ita & *ambitioſe iubere* apud Marcianum, id eſt, gratioſe & fauorabiliter, obſeruamus, *l. ſeruos, §. cum Prætor. D. ad S C. Trebel.* dixit autem Tacitus non ſolum ambitioſos ſinus, ſed & *occultos,* haud congrue, ſiquidem apud eoſdem Iuriſtas legimus, *in ſinu habere,* id eſt, in occulto, *l. 27. D. de prob.* Et Lampr. in Cõmodo ſcripſit: *prædã omnem in ſinum contulit,* hoc eſt, occultauit. Et iterum: *Qui etiã condemnationes in ſinũ vertiſſe diceretur.* Tertul. *in lib. De fuga in perſecu.* ait:

ait: *Paciſcens cum delatore, vel milite, vel miniſtro aliquo præſidis, ſub tunica & ſinu q᷑ aiũt.* Et ipſemet Tac. lib. Hiſt. 3. *Sed opes Cremonenſiũ in ſinu præfectorũ, legatorũq; fore*, id eſt, occulta poteſtate.

## C. TACITVS LIB. II.

*Poſtremo ne ſalutis quidem cura, infamibus Vaticani locis magna pars tetendit, vnde crebræ in vulgus mortes.*

VAticanus Collis non procul à Tiberi eſt, conterminus Ianiculo ſupra molem Adriani, in quo D. Petri Baſilica nunc eſt, & Pontificum aliorumq; nobiliſſimæ ædes; quomodo itaque illius locos infames vocet Tacitus difficultate non caret, præſertim quum antiquitus in eo & Circus Caii & Neronis, & Obeliſcus fuerint, tradente Plinio *lib. 16. cap. 40. & lib. 36. cap. 11.* nec non & celeberrima illa Ilex, de qua idem author *lib. 16. c. 44.* Ibidemq; etiam laudabiles perficerentur patellæ, ſcribente Iuuenali Saty. 6.

*Et Vaticano fragiles de monte patellæ.*

Et quod pariter delitioſus haberetur, innuere videtur Horat. *lib. 1. Carm.* ſcribens:

*——————Vt paterni*
*Fluminis ripæ, ſimul & iocoſa*
*Redderet laudes tibi Vaticani*
*Montis imago.*

Itaque cur infames illius locos ſcripſerit Tacitus, indagandum. Ego ſane ab effectu ſic appellatos exiſtimo, eo quod Vitelliani milites, æſtus & ſitis impatiẽtes, libidinibus quoque operam dantes, Fluminis vicinitate allecti, crebris mortibus occaſionem præbuerint, vires concubitu frequenti imminuentes, & copiam aquę ingurgitantes, nam tunc forte à meretricibus loci illi frequentibus incolebantur; ſicuti ea Tiberis flumen adiacentem habuiſſe conſtat. Quod ſi hæc expoſitio non placet, aliam ſubiicimus, Tacitum non vniuerſum Vaticanum infamem appellaſſe, ſed tantum partem, hoc eſt, locos infernos, quos tunc aquis putribus, & cœno multo abundaſſe credendum, ob idque inſalubres habitationes habuiſſe, præſertim æſtiuo tempore caloribus æſtuantibus. Cuius rei aliquod lumen habemus ex Gellio,

M. Varr. auth. ſcribente, *libro decimoſexto*, *cap.* 17. Aram & ſtatuam Aio Deo locatam in Vaticano in infima noua via. Ælius Lampridius in Ant. Heliogabalo ita ſcribit: *Fertur Elephantorum quatuor Quadrigas in Vaticano agitaſſe, dirutis ſepulchris, quæ obſiſtebant.* Ex quibus colligere poſſumus, poſtquam Romæ ſepeliere mortuos (quod antea, vt alibi oſtendimus, vetitum erat) Vaticani locos ſepeliendis cadaueribus deſtinatos, ob idque à Tacito infames vocatos.

## C. TACITVS LIB. III.

*Secuta è claſſicis Legio.*

SVpra dixit Tacitus: *E Claſſicis Rauennatibus legionariam militiam poſcentibus optimus quiſque adſciti*; Hic è claſſicis legionem ſcribit, vtrobique an de militibus claſſis, an de naualibus miniſtris, ſeu remigibus ſit intelligendum, indagandum. Hos *claſſiarios* vocauit Suetonius *in Galba*, *cap.* 12. inquiens: *Nam quum claſſiarios, quos Nero ex remigibus iuſtos milites fecerat, redire ad priſtinum ſtatum cogeret, recuſantes, atque inſuper Aquilam & ſignum pertinacius flagitantes, non modo immiſſo equite diſiecit, ſed decimauit etiam.* Item in Tiberio, c. 62. *Damnatos poſt longa & exquiſita tormenta præcipitari coram ſe in mare iubebat, excipiente claſſiariorum manu, & contis atque remis elidente cadauera, ne cui reſidui ſpiritus quicquam ineſſet.* Et in Othone, c. 8. *Et placuerat per claſſiarios arma transferri, remittiq; nauibus.* Et in Veſpaſiano, c. 8. *Claſſiarios vero qui ab Hoſtia & Puteolis Romam pedibus per vicos commeant, petentes conſtitui ſibi aliquid calcearii nomine, quaſi parũ eſſet ſine reſponſo abegiſſe, iuſſit poſt hac excalceatos curſitare, & ex eo ita curſitant.* Hircius lib. 3. bel. ciuil. *Aqua prohibere claſſiarios inſtituit.* His ſic ſe habentibus, ſi demus, claſſicos Tacito eoſdẽ eſſe, quos claſſiarios Suetonius & Hircius appellauere, conſtat nautas, remiges, & nauium miniſtros quoſcunque in legionem militarem redactos. Si vero à largiori ſignificatione claſſicos acceperimus pro his omnibus, qui claſſi inſeruiunt, dubio procul & milites claſſi aſſignati ſub eadem voce continebuntur; Nam & apud Iuriſtas *in l. vnica. C. de claſſic. lib.* 2. *& C. Theod. eodem l. vnica.* claſſici milites ſunt deputati nauibus. Quinimo & claſſiarios quando-

quandoq; nuncupatos obſeruamus. Lampridius in Commodo: *Quum illi ſæpe pugnanti vt Deo populus fauiſſet, irriſum ſe credens, pop. Rom. à claßiariis, qui vela ducebant, in Amphitheatro interimi præcepit.*

## C. TACITVS LIB. IV.

*Nam ſi caderet Marcellus, agmen reorum ſternebatur.*

REum appellaſſe Latinos ſcriptores illum, de quo pateretur, qui cauſam diceret, qui lege aliqua tenetur, qui aliqua culpa argueretur, paſſim obſeruamus. Vnde *reum facere*, pro *accuſare*, dixit Cic. *in Verr. in Orat. pro Planco, pro Sextio, de Aruſp. Reſp. & ad Attic.* quod pariter Iuriſperitis receptum, *l.3. D. de accuſat.* Ita etiam & *agi reus*, eodem ſenſu dictum, quo *accuſari*. Valer. Max. lib. 6. cap. 8. *M. Antonius auorum noſtrorum temporibus clariſsimus Orator inceſti reus agebatur.* Et lib. 8. cap. 1. *Q. Fuluius à C. Valerio AEdile apud populum reus actus.* Et Plinius iunior inquit: *Dum ille peragitur reus, ſedimus.* His ſic ſe habentibus, obſcurum & improprium videtur, quod Tacitus delatores reos appellauerit, quum potius actores eſſent dicendi. Delatorem autem fuiſſe Marcellum Eprium, præſertim ſub Nerone, conſtat ex ipſomet Tacito ſupra, & paulo infra. Cuius potentia ſi cecidiſſet, ſternebatur actio delatorum aliorum minus potentium. Hunc ſcrupum ſic tolli poſſe cenſemus. Rem, pro lite, antiqui dixere, vnde illud Ciceronis contra Iuriſconſultos in Orat. Murænianа: *Tot homines, tam ingenioſos ſtatuere non potuiſſe, vtrum rem an litem dici oporteat.* Et Varro *lib. 6. de lingua Latina* ſcribit: *Quam rem ſeu litem dicere oportet.* Hinc, *rem amittere*, eſt, litem amittere, *l. 8. D. de reſtit. in integ. l. 22. §. penultimo, D. rem ratam habere.* A re autem, id eſt, lite, reus dictus antiquis; & reus non modo accuſatus & conuentus, ſed & accuſator & actor appellati. Cic. 2. *de Orat.* ait: *Reos appello non eos modo, qui arguuntur, ſed omnes, quorum de re diſceptatur,* ſic enim olim loquebantur. Et Gal. Ælius apud Feſtum inquit: *Reus eſt, qui cum alio litem conteſtatam habet, ſiue is agit, ſiue cum eo actum eſt.* Ex quibus manifeſtum fit, reos olim fuiſſe, qui nunc litigatores ſeu litigantes, & per conſequens, nomine rei non

ſolum accuſatum, ſed & delatorem intelligi poſſe, ſicque iure optimo Tacitum, Marcellum Eprium, licet delatorem, *Rei* nomine vocare potuiſſe, ſicuti & vterque ex contrahentibus reus appellatur à Iurisconſultis, *l.5. §.conuentionales, D.de verb.oblig.* Addamus tamen, Eprium & alios, qui ſub Nerone delatores fuere, aſſurgente Veſpaſiani Imperio, rectè à Tacito reos appellatos, & proprie, quia in iudicium vocabantur, vt de illis ſupplicium ſumeretur.

## C. TACITVS LIB. IV.

*Aſiaticus enim (is libertus) malam potentiam ſeruili ſupplicio expiauit.*

CORnelius Tacitus non ſolum hoc loco, ſed & *lib.Hiſt.* 20.ſcribit: *Sumptum de eo ſupplicium in ſeruilem modum.* Et lib.4.Hiſt. *Solatio fuit ſeruus Virginij Capitonis, quem proditorem Tarracinenſium diximus, patibulo affixus.* Seruile itaque ſupplicium, quod fuerit Tacito indagandum, quum qui in illum annotationes ſcripſere, id prætermiſerint. Seruile ſupplicium crucis patibulum fuiſſe, colligimus ex antiquis ſcriptoribus, præſertim hiſtoricis. Vulcatius in Auidio Caſſio inquit: *Centuriones rapi iuſſit, & in crucem tolli, ſeruiliq; ſupplicio affici.* Iul.Capitolinus in Macrino: *Nam & milites in crucem tulit, & ſeruilibus ſuppliciis ſemper affecit.* Hircius de bello Hiſpanienſi: *Ea nocte ſpeculatores prehenſi ſerui tres, & milites ex legione vernacula; ſerui ſunt in crucem ſublati, militibus ceruices abſciſſæ.* In eundem ſenſum intelligenda Liuii verba, libro 30. *De captiuis, vt quiſq; liber aut ſeruus, ſuæ fortunæ à quoq; ſumptum ſupplicium eſt*, id eſt, ſerui cruce, ſecuri liberi multati. Nam & lib.33. de Marco Accilio ſeruilem coniurationem debellante, ſcribit: *Ex his multi occiſi, multi capti, alios verberatos crucibus affixit, qui principes coniurationis fuerant.* Et *libro* 30. de fugitiuis & profugis à Carthaginenſibus redditis, ait: *De perfugis grauius, quam de fugitiuis conſultum. Nominis Latini qui erant, ſecuri percuſſi, Romani in crucem ſublati.* Idem *lib.*29. inquit, Legatos tribunos militum ſeruilibus omnibus cruciatibus cruciatos occidiſſe. Et libro 24. *Qui caput hoſtis*

*hoſtis retuliſſet, eum ſe extemplo liberum iuſſurum eſſe, qui loco ceſſiſſet, in eum ſeruili ſupplicio animaduerſurum.* Et libro 22. *Et ſerui quinque & viginti in crucem acti, quod in campo Martio coniuraſſent.* Capitolinus in Pertinace ſcribit: *Eos, qui calumnijs appetiti per ſeruos fuerant, damnatis ſeruis delatoribus liberauit, in crucem ſublatis talibus ſeruis.* Sic Herodianus *lib.5.* tradit, à Macrino ſeruos, quicunque dominos detulerant, in crucem actos. Dion lib.54. *Seruitia dominis reddita ad pœnam, quorum domini non extarent, cruci ſunt fixa.* Valerius Maximus libro 2. capite 7. ait, cruce digniſſimos fugitiuos ſeruos. Cui ſententiæ alludens Cicero in Orat. pro Deiotaro, inquit: *Quæ crux huic fugitiuo poteſt ſatis ſupplicij afferre?* Iuuenalis Satyr.6. habet:

> *Pone crucem ſeruo.*

Et apud Petronium in Satyrico mulier de ſeruo inquit: *Nec Dij ſinant, vt amplexus meos in crucem mittam.* Apud Plautum in milite ſeruus ait:

> *Noli minitari, ſcio crucem futuram mihi ſepulchrum,*
> *Ibi maiores mei ſiti ſunt, pater, auus, proauus, abauus.*

Et in Amphit. Mercurio ſerui Soſiæ perſonam agenti, inquit Amphitrio:

> *Ita ego te certo cruce & cruciatu mactabo.*

Et in Aulularia *Scen.* 1. Euclio herus Staphilæ ſeruæ ait:

> *Si reſpexeris Donicum,*
> *Continuo hercle ego te dedam diſcipulam cruci.*

Vnde & Horatianum illud lib.1. Serm.1.

> *Si quis eum ſeruum, patinam qui tollere iuſſus*
> *Semeſos piſces, tepidumq́; ligurierit ius,*
> *In cruce ſuffigat, Labione inſanior inter*
> *Sanos dicatur.*

Paulus *lib.5. Sent. tit.*21. habet: *Si ſerui de Domino conſuluerint, ſummo ſupplicio*, id eſt, cruce, *afficiuntur.* In ſacra Geneſi, c.40. & 41. *Seruus Pharaonis magiſter piſtorum ſuſpenſus in cruce.* Denique ſeruile ſupplicium crucis fuiſſe, docet Lactantius *lib.4. cap.26.* Non negandum tamen, præter ſeruos & aliquando liberos ſummosque viros cruce peremptos: vti Polycrates Samiorum tyrannus, teſte Cic. *lib.5. de Finibus*, Herodoto *in Thalia*,

*in Thalia*,& Euſebio *lib.8.de præpar.Euangel.cap.*14.& Hamilcar Pœnorum Dux,tradente Iuſtino. Item & Annibal eorundē Dux, ſi Epit.Liuianæ credimus, *lib.*17. & Gauius ciuis Romanus, de quo Cic.*in poſtrema in Verr.act.*Mago Suffetes Magiſtratum Inſulæ Cambis cruci affigi iuſſit, ex Liuio *lib.*28. Præter alios plurimos, quos enumerare nimis longum eſſet. Erat namque crucis mors cæteris acerbior, ſcribente D.Auguſtino in Ioan.tract.36. *Supplicium crucis ideo durius,quod diutius cruciabat,& omnes crucifixi longa morte necabantur.* Erat & ignominioſiſſimum,tradente eodem Auguſtino in Matth. Serm.18. *Nihil illo tempore fuit ignominioſius, quam mors crucis.* Verum poſt Saluatoris noſtri Chriſti Ieſu mortem, adeo venerandum, tantæque maieſtatis fuit crucis patibulum,vt Conſtantinus Magnus lege lata ſanxerit, ne quis amplius crucis ſupplicio, quod tum frequentiſſimum erat,puniretur, tradente Caſſiodoro *lib.*1.*hiſt.Trip. cap.*10. & Sozomeno *lib.*1.*hiſt.Eccleſ.cap.*8. & Nicephoro *lib.* 7.*cap.*46. Nec illud prætermittendum, crucis patibulum ab antiquis *Gabalum* vocatum. Varro: *Nos barbari quod innocentes in gabalum ſuffigimus homines, vos non barbari, qui noxios abſoluitis.*

## C. TACITVS LIB. IV.

*Signo vltionis in accuſatores dato, petijt à Cæſare Iunius Mauricus, vt Commentariorum principalium poteſtatem Senatui faceret, per quos noſceret,quem quiſq; accuſandum popoſciſſet.*

COmmentaria dixere Latini libros, in quibus non fuſe lateque res, ſed tantum quaſi per capita deſcriberentur. Cic.in Brut.*Non eſt oratio,ſed quaſi capita rerum, & orationis commentarium.* Paulo plenius Seneca lib.3.Declamat. *Sine commentario nunquam dixit Seuerus Caſſius, nec hoc commentario contentus erat, in quo nuda res ponuntur.* Hunc *Diurnum*, *Ephemeridem*, *Regeſtum*, à verbo *regero*, quo vſus eſt Quintilianus, vnde vulgo *Regiſtrum* & Latine vocari poſſe, docet Budæus *in Annot.in Pand.in l.abeſſe 32. D. ex quibus cauſis maior.* Ita Plutarchus Iulii Cæſaris Commentarios *Ephemerides* appellauit, inquiens: Καῖσαρ ἐν ταῖς ἐφημέρισι γέγραφεν.

Huiuſ-

Huiuſmodi autem commentariis omnes fere Magiſtratus, qui Reipublicæ Romanæ munia obibant, vſos fuiſſe comperimus. De Conſulibus inquit Cic. ad Att. *Commentarium Conſulatus Græce ſcriptum, ad te miſi.* De Prætoribus idem in Verr. *Audite decretum mercenarij Prætoris, ex ipſius commentario.* De Regibus in orat. pro Rabirio: *Ex Annalium monumentis & Regum commentariis aliquid conquirere.* Et T. Liuius lib. 1. *Omnia ea ex commentariis Regis in album relata.* Et in fine eiuſdem libri: *Duo Coſſ. inde comitijs centuriatis à præfecto vrbis ex commentarijs Seruij Tullij creati ſunt.* Et lib. 45. *Eumenes Rex commētarium ferens ſecum, quod de apparatibus belli fecerat, omnia inquirens, Romam venit.* Et lib. 45. *Quod ex alijs gentibus Principum literas deprehenſas in commentarijs Regis habebant.* De Pontif. Cicero de claris Orat. ait: *Quod ex pontificum commentarijs longe plurimum ingenio valuiſſe videatur.* Et Liuius libro 4. *Si non ad faſtos, non ad commentarios pontificum admittimur.* Quod vero & Imperatores propria haberent commentaria, patet ex Cicer. in Anton. *Nihil tum, niſi quod erat notum, in C. Cæſaris commentarijs reperiebatur.* Tranquillus in Tiberio: *Commentario* (inquit) *quod de vita ſua ſummatim breuiterq́; cōpoſuit, auſus eſt ſcribere, Seianum ſe puniiſſe, quod comperiſſet furere aduerſus Germanici liberos filij ſui.* Idem in Caligula: *Commentarios ad matris fratrumq́; ſuorum cauſas pertinentes confectos in forum concremauit, vt inde delatorum nomina exciperentur.* Et Traianus ad Plinium: *Dediſſe me ius trium liberorum Suetonio Tranquillo, & conditione, qua aſſueui, referri in commentarios iuſſi.* Quod etiam publica ſcriberentur, & vrbana Commentaria, patet ex Cic. in lib. de Orat. *Pater publicis commentariis conſignatis.* Et in Epiſtolis: *Quam quiſq; ſententiam dixerit, in commentario eſt rerum vrbanarum.* Et iterum: *Commentarium rerum vrbanarum primum dedi L. Caſtrinio.* Ex his patet, qualium Tacitus dixerit Iurium Mauricum Commentariorum Senatui poteſtatem fieri petiiſſe à Cæſare, principalium, inquam, hoc eſt, ſuperiorum Principum, quorum ſub Imperio delationes frequentes exercitæ, puta Claudii & Neronis. Ita *commentarium Principis* legimus apud Modeſtinum, *in l. abeſſe. 32. D. ex quibus cauſis maior.* Vnde & qui Principis

Com-

Commentaria perſcribebant, *Commentarienſes* dicti. Et in caſtris *Commentarienſes* appellati, ex Vegetio, *lib.*1. qui militum munia, vti excubias commeatusque, & alia huiuſmodi in commentarios referebant. Et apud Iuriſtas, *l.*4.*de cuſt. reo.* obſeruamus, Commentarienſes vocatos, qui detractorum nomina in commentariis deſcribebant; ac veluti cuſtoditorum diarium conficiebant; ſic accepti *in l. in fraudem,* 45. §.*quoties, D. de iure fiſci,* Commentarienſes, quorum manu acta ſubnotantur, quoties apud fiſcum agitur. Illud ſane poſtremo minime prætereundum videtur, quod admiratione haud carere credo, explanationes ſcilicet in Virgilium, Horatium, aliosque authores *Commentaria* inſcribi, quum Commentaria, vt diximus, breuia ſint, ac veluti per capita ſcripta, hæc antem fluxiore oratione fuſeque ſint literis mandata. Scio quidem, Gellium dixiſſe: *Qui Commentaria in Virgilium ſcripſerunt.* Et alibi: *Probi Grammatici Commentarium.* Et iterum: *Taurus in primo Commentariorum, quæ in Gorgiam Platonis conſcripſit.* Scio quoque in ſcholis ab expoſitionis excellentia Auerroem communiſſima appellatione *Commentatorem* vocari. Attamen apud alios probatos ac claſſicos authores Commentarium in hac ſignificatione me legiſſe minime recordor, ob idque haſce expoſitiones potius & rectius *Commentationes* dicendas, ſemper cenſui. Siquidem Commentatio paſſim Ciceroni meditatio eſt, & præſertim *lib. de Orat.* vbi habet: *Subitam orationem, commentatio & cogitatio facile vincit.* Et iterum: *Quos locos multa commentatione ac meditatione paratos atq; expeditos habere debetis.*

## C. TACITVS LIB. V.

*Illic immenſæ opulentiæ templum, & primis monumentis vrbs deiugis, templum intimis clauſum.*

DOctiſſimus Lipſius Taciti obſcura breuitate & obſoletarum vocum vſu perſtrictus, hunc locum mutilatum annotauit, quum tamen integer ſit; quod pluries eidem in Taciti annotat. accidiſſe manifeſtum eſt, dum locos

ex ſui

ex ſui ſententia deprauatos, aſteratiꝺo deſignat, quorum tamen plerique, ſi exacte perpendantur, nullo mendo ſcatere facile dignoſcitur. Senſus itaque Taciti verborum eſt, Hieroſolymam vrbem propriis munimentis primis circumductam ſeiunctam fuiſſe à templo, quod & ipſum munimentis propriis in vrbis intimis poſtea munitum fuit. Sicut enim *iugo* verbum *coniungo* ſignificat, & ab eo *iugis*, pro *coniuncto* accipitur, ita & *de* præpoſitio, quæ in cōpoſitione detrahit & negat, addita, fit *deiugo*, quod eſt ſecerno & ſeparo, vnde *deiugis*, id eſt, ſecreta & diſiuncta. Sic Pacuuius dixit: *Noſtram vnanimitatem memoria deiugat.* Quod vero vrbs Hieroſolyma, & in illa templum propria mœnia & munimentum habuerint, eaque inuicem diſiuncta, conſtat ex eodemmet Tacito, in ſequentibus, & Strabone *libro* 14. paſſimque ex Ioſepho *de bello Iudaico*, & Egeſippo *de excidio Hieroſolymitano.*

## C. TACITVS LIB. V.

*Neuter ducum cunctator; ſed arcebat latitudo camporum, ſuopte ingenio humentem.*

INgenium in animatis, pro moribus, induſtria, ſolertia & intellectus acie ſemper à Cicerone & à reliquis accipi annotauimus. At in inanimatis nonnunquam ab aliquibus pro inſita & ingenita natura. Ita Iuriſtæ *in l.6. C. de bon. præſcript.* dixere, ingenium naturam ſignificare, & ad ea, quæ anima & ſenſu carent, transferri. Virgilius 2. Georgicorum:

*Nunc locus aruorum ingeniȷs.*

Et Plinius *lib.* 140. ſcripſit: *Ad cœli mores ſoliq; ingenia.* Saluſtius lib. Hiſt. 3. *Caſtriſq; collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur.* Et Næuius in Lycurgo:

*Ite actutum in frondoſos lucos,*
*Ingenio arbuſta vincta ſunt, non obſita.*

Ipſemet Tacitus alibi: *Locorumq; ingenio ſeſe contra imbelles regias copias tutabantur.*

C. TA-

## C. TACITVS DE MORIBVS GERMANORVM.

*Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem Barditum vocant, accendunt animos, futuræq́; pugnæ fortunam ipſo etiam augurantur; terrent enim trepidantve prout ſonuit acies. Nec tam vocis illi, quam virtutis concentus videtur, affectatur præcipue aſperitas ſoni, & fractum murmur, obiectis ad os ſcutis, quo plenior & grauior vox repercuſſa intumeſcat.*

QVamuis *bardus* Nonio ſit, vi propria & ingenio tardus; Græcorum authoritate, quibus βάρδιστος piger, & tardus dicitur, ſic Homerus *Iliad.* Ψ. equi βάρδιστοι dicti tardi, & Feſto *bardus*, ingenio tardus vocatus. Nihilominus *Bardi* proprie inter Gallos homines fuere, fortia illuſtrium virorum facta heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitantes, teſt. Amm. Marcell. *lib.5.* de quibus Lucanus lib.1.

*Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.*

Et Martialis lib.4. Epigram.4.

*Laſſi Bardiaci os, quod euocat.*

Et Iuuenalis Satyra 19.

*Bardiacus iudex datur hæc punire volenti.*

Quod vero Bardi Galli genere eſſent, præter iam dicta confirmat etiam Heſychius, ſcribens: Βαρδαῖοι ᾠδοὶ παρὰ γαλάταις. Verum quia Bardi laudabilium doctrinarum ſtudiis incumbebant, nec ad militiæ munera proni erant, hinc forte & *Bardi* nuncupati, hoc eſt, tardi. Vnde iure optimo Zaſius *in epit. feud. tit. de feud. ſucceſſ.* ſtrenuum virum ac bellicoſum bardo oppoſuit. Ab horum Bardorum cantu forſitan *Barditum* dictum cantum illum, ſeu clamorem, quo per initia pugnæ Germani Galliis contermini, vſi ſunt, Taciti teſtimonio. Nonnulli textus legunt *Barritum*, non *Barditum*, nec mehercle iniuria. Siquidem Amm. *lib.16.* de Germanis & Alemannis verba faciens, inquit: *Iam geſtientes barritum ciere vel maximum, qui clamor ipſo fauore certaminum à tenui ſuſurro exoriens, paulatimq́; adoleſcens, ritu extollitur fluctuum cantibus illuſorum*; hunc quem diſſonum & trucem

cem cantum Liuius *libro* 5.appellauit, & Vegetius *lib.3.c.18.* Barritum vocauit. Idem Tacitus paulo infra cantum, fremitum, clamoremque diſſonum nuncupauit, inquiens: *Excepere orationem alacres barbari, moti cantu & fremitu, clamoribus diſſonis.* Barritum autem hunc dictum exiſtimant quidam à ſimilitudine inconditæ vocis elephanti, quem *barrire*, tradit Spartianus, *in Antonino Geta*, vnde & *barrus* elephas Latinis dictus, vt docent interpretes in illud Horatii Ode 12. Epod.

*Quid tibi vis mulier nigris digniſſima barris?*

Huiuſcemodi clamore, vel ſaltem conſimili, non ſolum Germanos vſos per initia pugnæ, ſed & alias nationes obſeruamus. Liuius *libro* 4. vbi de prælio Volſcorum & Romanorum: *Clamor indicium fuit, quo res inclinatura eſſet, excitatior crebriorq; ab hoſte ſublatus, ab Romanis diſſonus, impar, ſegnis, ſæpe iteratus, incerto tempore prodidit pauorem animorum, eò ferocior illatus, hoſtes vrgere ſcutis, micare gladijs.* Et lib 30. *Ad hoc dictu parua, ſed magni eadem in re gerenda momenti res, congruens clamor à Romanis eoq; maior & terribilior, diſſonæ illis, vt gentium multarum diſcrepantibus linguis, voces.* Et libro 40. de Romanis aduerſus Ligures pugnaturis: *Aduerſus ita incompoſitos eos venientes, clamore pariter omnium, qui in caſtris erant, Calonum quoque & Lixarum, ſublato ſimul omnibus portis Romani eruperunt.* Cæſar libro 3. belli ciuilis: *Eſt quædam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata nobis, quæ ſtudio pugnæ incenditur; hanc non reprimere, ſed augere Imperatores debent.* Neque fruſtra antiquitus inſtitutum eſt, vt ſigna vndique concinerent, clamoremque vniuerſi tollerent, quibus rebus & hoſtes terreri, & ſuos incitari exiſtimauerunt. Hoc idem refert Plutarchus in ipſius Cæſaris vita. Idem Cæſar libro 7. belli Gallici: *Hoſtes committunt prælium, vtrimque clamore ſublato; excipitur rurſus ex vallo atque omnibus munitionibus clamor.* Hircius de bello Hiſpanico: *Hic etſi virtute noſtri antecedebant; aduerſarij loco ſuperiori defendebantur acerrime, & vehemens fiebat ab vtriſque clamor.* Ex his, id moris fuiſſe Italis & Hiſpanis, vt ſcilicet pugnaturi clamorem ederent, quam poſſent, maximum, manifeſtum eſt, quod & de Germanis

diximus. De Pœnis pariter id affirmari poteſt ex Liuio, *libro* 26. ſcribente: *Prælium non ſolito modo clamore ac tumultu eſt cœptum, ſed ad alium virorum, equorum armorumq́ ſonum diſpoſita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ ſilenti nocte cieri ſolet, edidit clamorem, vt auerteret etiam pugnantium animos.* Hoc quoque à Gallis obſeruatum, idem Liuius docet *libro* 21. in hæc verba: *Galli occurſant in ripam cum varijs vlulatibus, cantuq́ moris ſui, quatientes ſcuta ſuper capita, vibranteſq́ dextris tela, quamquam ex aduerſo terrebat tanta vis nauium, cum ingenti ſono fluminis, & clamore vario nautarum & militum, qui nitebantur perrumpere impetum fluminis, & qui ex altera ripa traijcientes ſuos hortabantur.* Sed & ante hos omnes id factum etiam à Græcis, docet Homerus *Iliad.* δ. vbi de Troianis loquens, inquit:

οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος, οὐδ' ἴα γῆρυς.

Quod pariter confirmat Polybius *lib.* 15. vbi etiam refert, Romanos more patrio in prælio ſimul vociferari, & gladiis ad ſcuta illiſis, ſtrepitum edere. Verum ad rem reuerſi, vnde initium deſumpſimus, concludamus, in textu Taciti legi poſſe *Barditum* & *Barritum*; namque vtrauis lectio ratione non caret, vt diximus.

## C. TACITVS IN VITA AGRICOLÆ.

*Media campi Couinarius & Eques ſtrepitu ac diſcurſu complebant.*

POmponius Mela *lib.* 3. *cap.* 4. docet, Couinum vehiculi falcati genus eſſe, quo Britanni in præliis vterentur, quod pariter legimus apud Diodorum Siculum, *lib.* 6. De hoc Martialis lib. 12. Epigram. 24.

*O iucunda Couine ſolitudo,*
*Carrucaq́ magis, eſſedoq́ gratum.*

Et Sillius lib. 17.

*Agmina falcifero circumuenit arcta Couino.*

Et Sydonius Apollinaris in laude vrbis Narbonenſis:

— *Iamq́ & pectora prona Couino*

*Extenſi*

*Extenſi rapiuntur, &c.*——

Lucanus lib. 3. Pharſal.

*Et docilis rector monſtrati Belga Couini.*

Ex his credidere aliqui, Couinarium dictum Couini rectorem, rectorem ſeu aurigam; Nos tamen ex hoc Taciti loco *Couinarium* interpretamur militem ex Couino pugnantem, cuius & paulo poſt meminit idem Tacitus in hæc verba: *Interim equitum turmæ fugere, Couinarij peditum prælio miſcuere, & quamquam recentem terrorem intulerant, denſis tamen hoſtium agminibus, & inæqualibus locis hærebant, minimeq; equeſtris, & pugnæ facies erat, quum in gradu ſtantes, ſimul equorum corporibus impellerentur, ac ſæpe vagi currus, exterriti ſine rectoribus equi, vt quemq; formido tulerat, tranſuerſos aut obuios incurſabant.*

MARCELLI DONATI

# IN C. SVETONIVM TRANQVILLVM DILVCIDATIONES.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### Cap. I.

*Donec per virgines Veſtales per q; Mamercum AEmilium, & Aurelium Cottam, propinquos & affines ſuos, veniam impetrauit.*

MIrum videtur, virgines Veſtales, quæ caſtitatem profeſſæ, ſaltem per annos 30. Veſtæ Deæ ſacratæ, & igni æterno conſeruando aſſidue aſſiſtebant, publica negotia tractaſſe, eaque perdifficilia & profana, quale erat reconciliatio Cæſaris cum Sulla, quod Suetonius tradit. At admiratio omnis ceſſabit, ſi in memoriam reuocemus, tantæ eas dignationis fuiſſe, vt illis in publicum egreſſis, faſces præcederent, teſtimonio Plutarchi, *in Numa*, & Dionyſii, *lib.*47. illiſque etiam Prætores & Conſules de via decederent, vti ſcriptum reliquit Seneca, *lib.*7. *Declamat.* 8. *Declam.* vbi etiam addit, illis magiſtratus eoſdem faſces ſubmiſiſſe. Quod & D. Hieronymus in Iouianum *lib.*1. tradit. Præterea ſi ipſis, foras progredientibus, occurriſſet quiſpiam, qui ad capitale ſupplicium traheretur, eum morte multari non licebat, tradente Plutarcho *in Numa.* Quinimo tanto cultu & honore habitæ ſunt, vt ſeruitia fugitiua, nondū vrbem egreſſa, retinere in loco precatione poſſent, Plinio atteſtante,

ſtante, *lib.28.c.2.* Et Val.Max.*lib.8.de pietate erga parentes*,inquit: *Claudia Veſtalis, quum patrem ſuum triumphantem,è curru violenta manu Trib.pleb. detrahi animaduertiſſet, mira celeritate vtriſq;ſe interponendo ampliſſimam poteſtatem inimicitiis accenſam depulit.*Suetonius tamen in Tiberio,*cap.2.* non patrem, ſed fratrem Claudiæ Veſtalis fuiſſe ſcribit. Ad hæc Suetonius ipſe,*in Vitellio,c.16.*tradit, eum ſuaſiſſe Senatui, vt legatos cum virginibus Veſtalibus ad Flauianos Duces mitterent,pacem petituros. Ex iis omnibus, quanta in publicis rebus Veſtalium eſſet authoritas,facile dignoſcitur. Ideoq; minime mirandum, ſi mediatrices fuerint in venia à Sulla Cæſari impetranda. Quæ eo libentius annotaui,quo videant illi, qui Chriſtum vocetenus, non re ipſa profitentes, virgines Deo ſacras temerare audent, quanta qualiq; pœna ſint afficiendi; quum Gentiles Veſtalium violatores in foro ſub furca flagris cæſos necarent, Dionyſio Halycar.*lib.9.* tradente.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE. CAP. V.

*Tribunatu militum (qui primus Romam reuerſo per ſuffragia populi honor obtigit) authores reſtituendæ Tribunitiæ poteſtatis, cuius vim Sylla diminuerat,enixiſſime iuuit,&c.*

Militum Tribuni primum creabantur à Dictatoribus & Conſulibus,poſtmodum anno ab V.C.443. C.Iunio Bubulco tertio,& Q.Æmilio Barbula,iterum à populo creari cœptum, ex Liuio *lib.9.* vbi inquit: *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum,vtraq; pertinentia ad rem militarem, vnum, vt Tribuni militum ſeni, deni in quatuor legiones à populo crearentur, quæ antea perquam paucis ſuffragio populi relictis locis, Dictatorum & Conſulum ferme fuerant beneficia.* Et apud Plutarchum in vita Catonis Vticenſis legimus: *In petitione Tribunatus militaris legem, quæ candidato nomenclatores adeſſe vetabat,ſolus Cato ſeruauit per ſeipſum,appellans populum.* Ex quibus apparet, populi ſuffragiis etiamnum ea ætate tribunos militum à populo creari ſolitos. Idem etiam ex Saluſtio habemus *in bello Iugurthino,* vbi de Mario loquens,ait: *Ergo vbi pri-*

*mum Tribunatum militarem à populo petit, pleriſq; eius faciem ignorantibus, facile notus per omnes tribus declaratur.* Quod etiam ex Cic. *in 2. in Verr. act.* colligi poreſt, & Aſconio Pediano eodem in loco. Hic mos poſtea ſeruatus eſt, niſi nominatim latum eſſet ad populum, vt ſuo iuri cederet. Quod factum fuiſſe, ſcribit Liuius, *lib.13.* iis verbis: *In Tribunis militum nouatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod Conſules ex S.C. ad populum tulerunt, ne Tribuni militum eo anno ſuffragiis crearentur, ſed Conſulum Prætorumq; in ijs faciendis iudicium arbitriumq; eſſet.* Aliquando etiam per militum ſuffragia tribunos militum creatos, obſeruamus ex Polybio, *lib.6.* & clare ex Liuio, *lib.7.* vbi habet: *Et quum eo anno primum placuiſſet Tribunos militum ad legiones ſuffragio fieri (nam antea, ſicut nunc, quos Rufulos vocant, Imperatores ipſi faciebant) ſecundum in ſex locis tenuit.* Cur autem Rufuli vocarentur, docet Feſtus Pompeius, *lib.16.* ſic ſcribens: *Rufuli appellabantur tribuni militum à Conſule facti, non à populo, de quorum iure quum Rutilius Rufus legem tulerit, Rufuli, ac poſt Rutili ſunt appellati.* Et Aſconius Pædianus loco ſupra citato, inquit: *Tribunorum militarium duo genera, primum eorum, qui Rufuli dicuntur, hi in exercitu creari ſolent, alij ſunt Comitiati, qui Romæ in comitiis deſignantur. Poſtremo Cæſares vti, qui in ſe omnẽ Reipub. vim cõtulerunt, Tribunos militũ ex libito creare voluerũt.* Spartianus in Adriani Cęſaris vita ita ſcribit: *Nec tribunũ niſi plena turba faceret, aut eius ætatis, quæ prudentia, & annis tribunatus robur impleret, nec pateretur quicquã tribunum à milite accipere.* Auguſtus tamẽ, vti colligimus ex Suet. *in illius vita, c.38.* Senatorũ filios, qui nondum annũ ætatis 17. haberent, non ſolũ ad togam virilem ſumẽdam habiles fecit, ſed & tribunatum militum eiſdem dedit. Ita apud Vopiſcũ in vita Probi Imperatoris legimus, ipſum Probum adoleſcentẽ prope impuberem, tribunũ militum factũ fuiſſe, Valeriani Imperatoris iudicio. Sed & lõge ante Reipub. tempora legimus, Scipionẽ Africanum ſuperiorẽ, admodum iuuenem, tribunum militum fuiſſe, apud Valer. Max. *lib.5.c.6.* & apud I.C. extat lex *ſi Rufinus, 4. C. de teſt. milit.* qua cautum eſt, Tribunum militem minorem annis, teſtantem non poſſe dare libertatem ſeruis, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. V.

*Lucio enim Cinna vxoris fratri, & qui cum eo ciuili diſcordia Lepidum ſequuti, poſt necem Coſſ. ad Sertorium confugerant, reditum in ciuitatem rogatione Plotia confecit, habuitq́; & ipſe ſuper ea re concionem.*

FViſſe Romæ Plautios ſeu Plotos, conſtat: de Plautiis Plin. *lib.* 11. *c.* 45. *& lib.* 10. *c.* 2. vbi de Quinto Plautio Cõſule. Sext. Pompeius *lib.* 14. & Quintilianus *lib.* 1. *c.* 8. C. Plautium Conſulem cum C. Fabio, iterumque cum Manlio Torquato memorat Liuius, *lib.* 7. *& lib.* 8. Lucium, Cneum, & Publium, Plautios omnes, & Aulum Plaurium apud Suetonium *in Nerone, c.* 38. legimus. Hos vero & quandoq; *Plotos* dictos coniicio. Quod leges nonnullas modo *Plautias*, modo *Plotias* vocatas à ſcriptoribus obſeruo. Fuerunt autem hæ plures. Fuit enim *Plautia Iudiciaria*, ſeu de iudicibus, de qua Cic. *in orat. pro Cornelio, & ad Att. lib.* 4. Fuit & *Plautia de vi publica*, de qua Cic. *de Reſponſ. auruſpic. & in orat. pro Milone, & lib. Epiſt. ad Q. Frat.* 2. & Saluſtius *in Catilinā.* Fuit & *Plautia Papiria de ciuitate*, de qua Cic. *in orat. pro Arch.* Fuere & binæ leges Plotiæ, altera *Agraria*, de qua Cic. *lib. Epiſtol. ad Att. Epiſt.* 1. Altera vero *de exulibus reducēdis*, vt ſcilicet qui Lepidum ciuili bello ſecuti, poſt necē Conſulis ad Sertorium confugerant, impune in ciuitatē redirent; quam tuliſſe, ſuadente Cæſare, Plotiū Tribunum pleb. coniiciendū, ob idq; *Plotiam* appellatā, de qua hoc loco Suet. Coniecturam noſtrā firmat Gell. *lib.* 13. *c.* 3. vbi meminit orationis Cæſaris, de qua Sueton. in textu, quaq; Plautiam rogationem ſuaſit, vbi *Plautiam*, nō *Plotiam* vocat, ſic & Plautiā de Iudiciis, *Plotiam* vocat Cic. *in orat. pro Mil.* Plautiam itaq; ſeu Plotiam ſi vocauerimus, eadem lex erit. *Plautiam* tamen potius, quam *Plotiam* dicendam. Nam ſicuti frequens apud ſcriptores *Plautium* nomen in Rom. hiſtoria, ita nullibi *Plotium* obſeruo, quod externum, non Romanum diiudico. Nam Plotium Lugdunenſem, Gallum, inſignem Rhetorem fuiſſe obſeruo, à quo Cicero & Q. Frater Latinas literas didicere, teſte eodem Cic. *lib. de Orat.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
### CAP. XI.

*Trophæa C. Marij de Iugurtha, deq; Cimbris atq; Theutonis olim à Sylla diſiecta reſtituit.*

TRopæa legit Torrentius, cæteri omnes *trophæa*, & ego communem lectionem ſequor: nam elegantiſſimum ſcriptorem voce potius vſum Græca, quam Latina, eaque paſſim recepta ab auctoribus, non arbitror. Quod ſi apud Plutarchum & Dionem Latinos factos, hanc vocem nonnunquam legimus, haud mirum, nam illi Græce ſcripſerunt, & interpretes Græcam vocem τρόπαιον recepere, quæ purgare ſcribentibus Latinis haud familiaris, in hac ſcilicet ſignificatione. Nam de *Tropæis* hominibus ſic dictis, legenda quæ apud Suetonium in Claudio adnotauimus, *cap.*8. ſicuti & *tropæas*, pluuias procelloſas dictas, annotauit Cælius Rhodiginus *in lib.*20.*cap.*24. Nihilominus in Arcu Romæ, qui nunc non extat, legebatur: *Arcum ſimulacris eorum, tropæisq; decorat.* Trophæum tamen ſemper, vt dixi, obſeruamus apud primæ claſſis authores ſcribi, non tropæum. Virgil. 11. Æneid.

—— *Tibi magne trophæum.*

Et Georgicor. 3.

—— *Diuerſa ex hoſte trophæa.*

Iuuenalis Satyra 10.

—— *Truncis affixa trophæis.*

Claudianus lib. 1.

—— *Qui me de more trophæis.*

Sidonius Apollinaris in Panegyrico Maiorani:

—— *Propter Bellona trophæum.*

Saluſtius: *Deuictis Hiſpanis trophæa in iugis Perinæi montis poſuit.* Plinius lib. 6. cap. 28. *Trophæa eadem in loco Ioui & Neptuno ſtatuiſſe.* Horat. lib. 2. Carm. Ode 9.

*Cantemus Auguſti trophæa.*

Nonius: *Spolia capta, fixa in ſtipitibus appellãtur trophæa.* Poſtremo Cicero recte ſcribendi magiſter, ſemper *trophæum* dixit, vt in

vt in Piſonem: *In Macedonia trophaa poſuit.* In Oratione de Prouinciis: *Non turribus ſed trophæis*, & in Oratione pro domo ſua: *Non eſt habitandum in ea vrbe, in qua trophæa de me videam conſtituta.* Hæc licet friuola & Grammaticalia, longiori oratione diximus, ne candide ſcribere ſatagentes, ſub doctiſſimi viri authoritate periclitentur.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE. CAP. XX.

*Campum Stellatem maioribus conſecratum, agrumque Campanum ad ſubſidia Reipubl. vectigalem relictum, diuiſit extra ſortem, ac viginti millibus ciuium, quibus terni pluresve liberi eſſent.*

STellatem agrum Campani campi partem fuiſſe colligimus ex Liuio *lib. 9.* ſcribente: *Eodem anno in campum Stellatem agri Campani Samnitum incurſiones facta.* Huius quoque meminit Cic. contra Rullum *pro lege agraria.* Et Sil. Ital. lib. 9.

*Stellatoſque docent campos.*

Itaque coniicio primis Reipub. Roma. temporibus, quum circumuicini populi debellarentur, ſubactum & agrum Stellatem, quumque tunc temporis ſæpe ſæpius inter Tribunos plebis & Senatum contentioſe leges agrariæ pertractarentur, hoc eſt, de diuidendis Pop. Rom. agris, quod paſſim apud Liuium in primis libris legimus, factum forte ad tollendas diſcordias, vt ager Stellates nec iuxta plebis placitum, nec Patrum decretum diuideretur, aut indiuiſus remaneret, ſed medio quodam temperamento Diis immortalibus conſecraretur, vt nullum populo nec Senatui in illius poſſeſſione ius remaneret, ſicque agri huius lites publicæ dirimerentur. Siquidem *conſecrare* ſignificat Deo dicare, quod paſſim apud Canoniſtas obſeruamus, vbi de Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, & Papæ conſecratione verba faciunt, ſed præcipue 24. *quaſt. 1. c. pudenda.* Hoc verbo vſus eſt & Iulianus Patritius in verſione Nouellæ 6. loco verbi χειροτονεῖσθαι, quo vſus fuit Iuſtinianus, manuum impoſitionem ſignificante. Sic enim Epiſcopos conſecrari cœptos docet liber qui πράξεις τῶν ἀποστόλων inſcriptus eſt. Sic μεταφορικῶς conſecrari etiã dicuntur inanimata,

puta ædes Imperatorię, *l. vnica, de Pal. domib. domin. l.* 11. in eundem ſenſum & Suet. accipere hoc in loco puto, dum ait, *agrum Stellatem conſecratum*, id eſt, Deo dicatum. Ita Cic. *de Natura Deorum* dixit: *Aram in via noua conſecratam*; & *conſecrari aram in littore*, in orat. pro Domo. Et iterum: *Quid nunc apud Pontifices agis? te meam domum conſecraſſe?* Et in Verr. *Delubra ſanctiſſimis religionibus conſecrata*, & rurſus: *Tui nominis æterna memoria ſimul cum templo illo conſecratur.* Et quod magis ad rem præſentem facit, Liuius *lib.* 38. Agrum ſacrum appellatum Mileſiis reſtitutum à Rom. ſcribit. Quod vero Turnebus *lib. Aduerſ.* 3. *c.* 22. tradit, illa ſcilicet tempeſtate, qua Cæſar diuiſit, agrum Stellatum minime ſacratũ fuiſſe, haud mihi probatur. Namque quod ſemel Diis erat dicatum, minime amplius adimi, & in alium vſum traduci licebat. Præterea, Cæſaris nimiam potentiam & immodicam ambitionem innuere volens Tranquillus ait, illum popularem auram affectantem diuiſiſſe ciuibus, quibus terni pluresve liberi eſſent, non ſolum agrum Campanum, quamuis ad ſubſidia Reip. vectigalem relictum, ſed & Campum Stellatem, licet à maioribus Diis eſſet dicatus, idq; extra ſortem, hoc eſt, præter conſuetum modum, nec ſolita ſeruata forma diuidendi. Cui interpretationi & præcedentia & ſubſequentia Suetonii verba manifeſte fauent.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. XX.

*Poſtremo in vniuerſos diuerſæ factionis inductum præmiis, vt ſe de inferenda Pompei nece ſolicitatum à quibuſdam profiteretur, productuſque pro roſtris, auctores ex compacto nominaret.*

COmpactum pro coagmento & compoſito obſeruamus apud Latinos ſcriptores. Cic. *lib. de fini.* inquit: *Quid enim enim in operibus manu factis tamque compactum & coagmentatum inueniri poteſt?* At hoc in loco aliud ſignificat vox illa *ex compacto*: in prima enim ſignificatione deriuatur à verbo *compingo*, in præſenti vero ex *cum* & *paciſcor* conficitur, ita vt ſit compactum, pacto firmatum, & pacto conuentum: Ita apud Iuriſconſultos *in conſtitutione Diuorum Seueri & Antonini*

*l. 3. de*

*l.3. de execut. rei iudic.* ſtructam in vnum collato conſilio machinationem vox iſta ſignificat;ita vt *compactum* vere ſit *pacto conuentum & firmatum, vt quis fraudem faciat.* Liuius lib.6. ait: *Vt multo veriſimilius ſit compacto eam rem & communi fraude patritiorum actam.* Sic Plautus in Capti. *Extemplo rem de compacto geris.* Ita & in præſenti textu inquit Suet. P. Clodium ex compacto cum C. Cęſare fraudulenter nonnullos authores necis Pompeii patrandæ pro roſtris nominaſſe, vnum atq; alterum,ſed fruſtra,& non ſint fraudis ſuſpicione.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE. CAP. XXII.

*Et initio quidem Galliam Ciſalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit.*

VAtiniam familiam Romę fuiſſe non contemnendi nominis conſtat præſertim ex Plinio,*libro* 11.*cap.*14. ex qua tamen improbi viri ortum duxere;Namque teſtimonio Valerii Maximi *libro 6. cap.3.* C. Vatinius, quod ſiniſtræ manus digitos ſibi,ne militaret,bello Italico amputaſſet,publicatis omnibus bonis, à Senatu æternis vinculis puniendus adiudicatus. Fuit & alter Vatinius Rom. ciuis vitæ adeo impudentis, vt dixerit Seneca, Vatinium aſſiduo conuicio depudere didiciſſe.In hunc Cic.ita acerbe inuectus eſt,vt patefactis illius flagitiis,in ſummum Rom.populi odium perduxerit.Vnde prouerbio locus:*Vatinianum odium*,id eſt,id eſt,implacabile & capitale.Hic idem P.Vatinius Cæſaris voluntati obtemperans,quum Trib.Plebis eſſet,C.Cæſare & M.Bibulo Coſſ.anno ab V.C.614.legem tulit,vt C.Cæſari Gallia Ciſalpina cum Illyrico in quinquennium ſine Senatus decreto,& extra ſortem mandaretur,vtque ii,quos in rogatione nominabat, Legati ſine Senatus decreto cũ Cæſare proficiſcerentur;vtq; eidem pecunia ex ærario ad exercitum attribueretur; necnon vt idem Cæſar coloniam Nouumcomum deduceret;quod ex Trãquillo hoc in loco Cic. *in orat. pro Balbo, in Vatiniana, Epiſtolis ad Lentulũ,* Saluſtio *in Iugurtha,* &Plutarcho *in Vitis*,colligimus.Hæc autẽ Lex aduerſabatur legi Sempronię de prouinciis,qua inter alia cautum erat,vt quotan-

quotannis prouinciæ decernerentur at bitratu Senatus, ante comitia Conſularia, quas deinde Conſules deſignati inter ſe ſortirentur. De qua lege fuſius Cicero *in Orat. pro domo ſua, pro Balbo, in Vatinium, & de Prouinciis Conſularibus, & Epiſt. 7. ad Lentulum.* Tulit & hic idem aliam legem: Vt qui repetundarum reus eſſet, ei alterna conſilia reiicere liceret, quæ *Vatinia de repetundis* dicta eſt, & de qua Cic. *in Orat. in Vatinium*; ſicuti prior antedicta *Vatinia de prouinciis* appellata.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
## Cap. XXII.

*Magnamque Aſia partem Amazonas tenuiſſe quondam.*

AMmianus Marcellinus, *lib.* 22. Thoatias deſcribens, in eis Amazonas reſediſſe commemorat, at Thracia regio Europæ eſt, intra partes Scythiæ poſita, Macedoniam ſequens, quę à Septentrione Iſtrum habet, ab Oriente Pontum, à Meridie Ægeum mare, vti Ptolemæus *libro* 3. & alii Coſmographi omnes ſcriptum reliquere. Non ergo Aſiaticæ, vt Suet. hoc loco tradit. Ad hæc fuerunt & in Lybia Amazones, teſte Silio Italico *lib.* 2. vbi Haſpiteno Hiarbæ filium Amazonica pelta inſignem facit; quod pariter confirmatur ex Diodoro *lib.* 4. *Biblio.* At Lybia Africa eſt, non ergo Aſiæ incolæ, quod Suet. ſcribit. Tollitur omnis difficultas, ſi dixerimus, multiplices fuiſſe Amazonas, ob id variis in regionibus ſedes habuiſſe, quum è proprio ſolo natiuo egreſſæ, Aſiatico ſcilicet, aliis nationibus debellatis, ac domitis variis regionibus, ibidem ſedem ſuam locauere; quod perbelle docet Ammianus loco citato per hæc verba: *Thermodoon his eſt proximus ab Armonio defluens monte, & Themiſcyreos interlabens lucos. Ad quos Amazonas quondam migrare neceſſitas ſubegerat talis. Attritis damnorum aſſiduitate finitimis, Amazones veteres, quæ eos cruentis populabantur incurſibus, altiora ſpirabant, vireſque ſuas circumſpectantes, hiſce propinqua ſæpius appetebant, validiores rapta præcipiti cupiditatis ardore. Et perruptis nationibus pluribus, manus Athenienſibus intulerunt, acrique concertatione fuſæ ac diſcretæ, omnes nudatis equitatus ſui lateribus corruere. Harum interitu cognito, reſiduæ imbelles domi relictæ, extrema perpeſſæ vicinitatis*

*nitatis repenſantes ſimilia, funeſtos impetus declinantes, ad pacatiorem ſedem tranſiere Thermodoontis, quarum progenies longe deinde propagata per numeroſam ſobolem, manu firmiſſima ad loca reuerterat genitalia; ſequuto tempore populis diuerſarum originum formidabilis.* Ex quibus facile conciliantur loca allegata, quæ diſcrepantia videntur. Nam origine, & priori dominatione apud Thermodoontem Cappadociæ Aſiaticæ regionis fluuium reſedere, ſed bellica fortitudine & alias regiones diuerſas, ac orbis terrarum diuerſarum partium occupauere ſucceſſione temporum. Eadem fere quæ Am. de Amazonibus, etiam Iuſtinus recenſet *lib.* 2. illud inſuper addens, earum ſcilicet progeniem eſſe deſiiſſe, & penitus extinctam tempore Alexandri Magni.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. XXII.

*Et initio quidem Galliam Ciſalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit, mox per Senatum Comatam quoque, &c.*

VAtinia lex lata fuit à Vatinio viro contaminatiſſimæ vitæ, & adeo impudenti, vt de eo dixerit Seneca, Vatinium aſſiduo conuicio depudere didiciſſe. In hunc tam acerbe inuectus eſt Cic. vt patefactis eius flagitiis in iudicio, in ſummum populi Romani odium peruenerit. Hincque factus eſt locus vulgari prouerbio, *Vatinianum odium*, id eſt, capitale, & implacabile; vnde Catullus ad Caluum.

*Ni te plus oculis meis amarem*
*Iucundiſſime Calue, munere iſto*
*Odiſſem te odio Vatiniano.*

Seneca ad Nouatum, Vatinium ſcribit hominem natum ad riſum, & ad odium, & ſcurram appellat venuſtum, & dicacem. Huius malos mores quum graphice depinxiſſet M. Tullius, tandem inquit: *Odio enim tui etſi omnes ſuperare propter tuum in me ſcelus debeo, tamen in omnibus pene vincor.* Fuit tamen ciuis nobilis ex Tatinia familia, cuius meminit Plin. *lib.* 11. *c.* 45. & hunc Iulius Cæſar ad ſummos honores prouexit, vel ipſius Ciceronis teſtimonio, qui *lib.* 2. *epiſt. ad Att.* ita ſcriptum reliquit: *Proinde iſti, licet faciant quos volent Conſules, Tribunos*

*bunos plebis etiam, deinde Vatinii ſtrumam ſacerdotii διβάφῳ, veſtiant*, id eſt, illius flagitia honoribus contegant, ſiquidem *dibaphum* purpuram fuiſſe alibi docuimus bis tinctam, qua vtebantur principes magiſtratus gerentes, ex Plin. *lib. 9. c. 39.* Macrobius *lib. 2. Saturnal. c. 2.* ſcribit Cic. in Vatinium, qui paucis diebus Conſul fuit, ita iocatum: *Vatinii anno magnum oſtentum fuit, quia eo Conſule, nec bruma, nec ver, nec æſtas, aut auctumnus fuit.* Idem Cic. teſte Plutarcho: *Ad hunc Conſulem congratulandi, & aſſociandi gratia pluribus euntibus: Maturemus (inquit) vt hominem ante ſui Conſulatus exitum præueniamus.* Quum itaq; Vatinius Conſul fuerit, leges tuliſſe Cæſaris dignitati conſulens ad eius vota, exiſtimandum; quarum meminit hic Suet. ſcilicet de Vatinia, qua Cæſari Gallia Ciſalpina Illyrico adiecta obuenit. Et infra *cap.* 28. rogatione Vatinia Cæſarem Nouumcomum colonos deduxiſſe. Et Cic. *in Vatinium* inquit, eum legem tuliſſe de alternis conſiliis reiiciendis. De legibus Vatiniis Cic. etiam *pro Balbo. & epiſt. ad Lentulum*, & Saluſtius *in Iugurth.* meminere. Vatiniũ hunc author eſt Macrobius in cœnis à populo in ludis gladiatoriis lapidib. obrutum. Refert tamen Val. Max. *lib. 6. c. 3.* Vatinium, quod ſiniſtræ manus digitos ſibi, ne militaret, bello Italico amputaſſet, publicatis omnibus bonis, à Senatu æternis vinculis adiudicatum.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
## CAP. XXVI.

*Tirones neque in ludo, neque per laniſtas, ſed in domibus per Equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat.*

Laniſtas ſeruos coemptos exercitaſſe in gladiatoria arte alibi docuimus, vt in publicis munerib. eorum operam venundarent iis, qui gladiatorium ſpectaculum populo exhibere volebant. Gladiatorium autem munus primum Romæ datũ fuiſſe in foro Boario, Appio Claudio & Q. Fuluio Coſſ. teſtatur Val. Max. *lib. 2. c. 1. de inſtitut. antiq.* Dederunt autem Martius & Decius filii Bruti, funebri memoria patris cineres honorando. Quamuis Iul. Flor. *in Epit. Liuii, lib. 16.* id à Decio factum eodem modo ſcriptum reliquerit. Succedentibus

dentibus temporibus adeo creuit vſus exhibendi in ſpectaculis gladiatores ad interniciem vſq; pugnãtes, vt laniſtæ eorum magiſtri & ipſi mirum in modum Romæ excreuerint, ad quos tirones ſeſe contuliſſe, vt pugnandi artem perdiſcerent, ex hoc Suetonii loco colligimus, ducesque in bellum profecturi gladiatorium munus exhibere conſueuere, ſcilicet, vt milites tirones vulnera cernere aſſueſcerent. Quod teſtatum reliquit Pomponius Lætus *in compendio Rom. hiſtoriæ*, vbi de Nemeſi Dea verba facit, & Iulius Capitolinus in Maximo & Balbino Imperatoribus ita ſcribit: *Celebratis ſacris, datis ludis ſcenicis, ludiſq; Circenſibus, gladiatorio etiam munere, Maximus ſuſceptis votis in Capitolio ad bellum contra Maximinum miſſus eſt cum exercitu ingenti, Prætorianis Romæ manentibus. Vnde autem mos tractus ſit, vt proficiſcentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium & venatus darent, breuiter dicendum eſt. Multi dicunt, apud veteres hanc deuotionem cõtra hoſtem factam, vt ciuium ſanguine litato, ſpecie pugnarum ſe Nemeſis, id eſt, vis quædam Fortunæ ſatiaret. Alii hoc literis tradunt, quod veriſimilius credo, ituros ad bellum Romanos, debuiſſe pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter ſe cohortes, ne dimicantes in bello armatos hoſtes timerent, aut vulnera & ſanguinem perhorreſcerent.* Hactenus Capitolinus. Eadem cauſa aſſignatur à Spartiano in Pupieno, & Albuino, quod & ex Liuio *lib.* 41. colligi poteſt, vbi ſcribit de Perſeo Rege: *Gladiatorium munus Romanæ conſuetudinis primo maiore cum terrore hominum inſuetorũ ad tale ſpectaculum, quam voluptate dedit, deinde ſæpius dando, & modo vulneribus tenus, modo ſine ſanguinis miſſione etiam, & familiare oculis gratumque id ſpectaculum fecit, & ad armorum ſtudium pleroſq; iuuenum accendit.* Hac item ratione Solon apud Lucia. *in Anach.* narrat, legẽ Athenienſib. fuiſſe, vt iuuenes cothurnicibus, ſiue qualeis, ac gallis pugnantib. ſpectandi ſtudiũ impenderent, quo illi volucres vſq; ad extremã virium defractionẽ roſtris certãtes intuẽtes, ad fortiora ſubeũda pericula, & cõtemnenda vulnera, ne auib. ingeneroſiores apparerẽt, inflammarẽtur. Cuius ſtudii mentionẽ quoq; fecit Æſchines contra Timarchũ, & Ælian. *lib.* 2. *variæ hiſt.* id acceptũ à Themiſtocle dicit. Seueri quoq; filios Herodia. ſcribit diſſidere ſolitos puerili

primum

primum certamine, edendis cothurnicum pugnis, gallinaceorumque conflictibus. Plinius quoque tradit, Pergami omnibus annis ſpectaculum gallorum publice edi ſolitum, ceu gladiatorum. Proditum quoque memoriæ, Socratem Iphicrati Duci animos adieciſſe, quum ei præmonſtraſſet gallinaceos corã gallina, pennis ac roſtro dimicantes. Quam vtilitatem agnouit & Criſippus *in lib. de iuſtitia*, dum gallorum æmulatione iniici nobis ad fortitudinem ſtimulos prodidit. Amplius apud Xenophontem ait Socrates, gallis vt pugnatiores efficerentur, ante certamen allium in cibum dari ſolitum. Vnde in veteri Comœdia legimus ἐσκοροδισμένος, id eſt, *allio paſtus*, de iis, qui in pugnam procliuiores ſunt. Et Col. *lib.* 8. *c.* 2. Laniſtas auium appellat, qui aues certaminibus præparabant. Cæſar itaque qui milites generoſos ac ſtrenuos habere optabat, tirones per laniſtas exerceri ſolitos in propriis gymnaſiis, etiam in domibus per Equites & Senatores Romanos armorũ peritos erudiri curauit, quod & antea factitatum tradit Valerius Maximus, *lib.* 2. *c.* 1. vbi ait, P. Rutilium Conſulem collegam Cn. Manlii è ludo Cornelii Scauri doctoribus accerſitis, plagas vitandi, & inferendi militibus præcepta primũ dediſſe. Hoc autem multiplici modo factum obſeruamus; nam ſub præceptoribus milites, vel gladiatore (vtriuſque enim artem ludricam prodeſſe teſtatur Cic. in Orat.) ſe exercebant, ſcilicet vel inuicem bini cum telis & armis rudibus, vel incidentibus, & pungentibus, quæ pugna μονομαχία Grecis dicta fuit, vel ſine Antimacho, ſeu aduerſario, per ſe ſoli aduerſus vmbram, murum, columnam vel palum cum armis, & etiam ſine armis, quæ exercitatio à Cœlio Aureliano 5. Chron. par. c. vlt. *Hoplomachia*, hoc eſt, armorum ficta conflictio vocata fuit, & hanc Gal. 2. *de tuen. valet.* à Damea inuentam membrorum optimo ſtatui conferre tradidit. Et Martialis *lib.* 8. medicum carpit, inquiens:

*Hoplomachus nunc es, fueras ophtalmicus ante,*
*Feciſti medicus quod facis hoplomachus.*

Sicuti quæ ſine armis fiebat aduerſus vmbram Græci σκιαμαχίαν, id eſt, *vmbratilem pugnam* dixere. Quamuis ego crediderim,

diderim, huiuſmodi vocem omnibus ſpeciebus fictę pugnę accomodari poſſe, ſcribente Cic. in Orat. educendum ex exercitatione vmbratili medium in agmen, in puluerem, in clamorem, in caſtra, in aciem, quicquid in re hac viri clariſſimi digladiati ſint. At *ſchiamachiam* fuiſſe proprie, quando quis aduerſus vmbram brachiis & cruribus pugnabat, præter Platonem, qui in Apologia, & alibi σκιομάχειν de pugnantibus ſine aduerſario dixit; author eſt etiam Oribaſius, qui ex Antylli ſententia tradit, ita certantes conſueſſe nō ſolum cum vmbra manibus atq; cruribus pugnare, verumetiam aduerſus columnam, & aduerſus palum; cuius meminit Iuuenalis *Saty. 6.* Vmbratilis pugnæ huiuſcemodi verba fecit Plato *lib. 7. de legi.* cuius verba Græca Latine ita ſonant: *Si omnibus animatis & inanimatis careamus, nunquid nos ob eorum, qui nobiſcum exerceant inopiam aduerſus noſmetipſos vere vmbratili pugna certare audebimus?* Et Plutarchus *in 7. Problem. problem.* 10. ait: *Sed video vos iam vmbratili pugna aduerſus Idola pugnare paratos.* Hac dicendi phraſi vſus eſt Paulus Apoſtolus, inquiens: *Ita pugnis certo, quaſi aerem non cedens.* Pauſanias 5. *Eliacon* narrat, quod Glaucus Caryſtius Athleta ſtrenuus, non minus ob pugilatoriam, quam in vmbra pugnandi excellentiam celebratus ſit, eiq; ſtatua habitu formaq; in vmbra pugnantis erecta. Diony. *in lib. de diuin. nom. cap.* περὶ δυνάμεως, ſi Græca Latina reddamus, ita ſcribit: *Quod ſapiens minime intelligens inexpertos vincendi athletas imitatur, qui ſæpe Antigoniſtas imbecillos eſſe ſupponentes, vt ipſis videtur, necnon aduerſus eos abſentes fortiter vmbratili pugna certantes, aduerſarios ipſos viciſſe putant.* Aliquando etiam antiquitus cum armis aduerſus vmbram pugnatum poſt cœnam à Celtis, Poſſidonius author eſt, & Gal. *lib. 2. de tuenda valetudine, c.* 11. & 12. ad exercenda brachia & crura ſciomachiam commendauit. De armorum exercitatione aduerſus palum ſcribit Vegetius *lib. 1. de re milit.* Palorum vſum non tantum militibus, ſed etiam gladiatoribus plurimum profuiſſe, nec vnquam aut arenam, aut campum victores vllos declaraſſe, niſi qui diligenter ad palum fuiſſent exercitati, & *eodem lib. cap.* 11. ſcribit idem Vegetius, hanc pali exercitationē ita exercitam, quod ſingulis

P tyroni-

tyronibus ſinguli pali deſignarentur in terram, ita vt micari non poſſent, & ſex pedibus eminerent, & contra illum palum veluti contra aduerſarium ſcuto & claua tanquam gladio ſe quiſq; exercebat, nũc quaſi caput aut faciem peteret, nunc à lateribus minaretur, interdum contenderet poplites, ac crura ferire, recederet, inſultaret, inſiliret, & quaſi præſentem aduerſarium, ſic palum omni impetu omnique bellandi arte tentaret. Non ſolum vero ad palum exercebãtur tyrones milites, vel gladiatores, ſed & inuicem bini certabant rudibus armis; quod & approbaſſe Ariſt. in Politicis, & Platonem 7. *de Legib.* ſatis liquet, & clarius Plato idem *in Pachate* ſcribens, iuuenibus conducere, vt armis pugnare diſcant. Hanc rudibus armis factam Monomachiam Athenæus *lib.* 4. Hermippum Mantinatum inueniſſe, & Cyreneos æmulatos ſcribit, quam vulgò Itali *ſcrimiam* appellamus. Cui haud mirum quod hoc loco tradit Suetonius, nobiliſſimos Equites & Senatores Romanos ſtuduiſſe, quum legamus apud Gal. 3. *de fractu. lib. hiſt.* 1. etiam Græcos Sacerdotes monomachiam exercere ſolitos, & Athenæus ſcribat, illuſtres viros atq; Duces eandem exercuiſſe; quinimo Herodianus & Iulius Capitolinus teſtes ſunt, Commodum Imperatorem gladiatorem eximium fuiſſe, & in publicis theatris, ſpreta Imperatoria dignitate gladiatoris partes adimpleuiſſe. Et de Nerone Imperatore Suet. in illo *c.* 12. ſcribit eum exhibuiſſe ad ferrum etiam quadringentores Senatores, ſexcentoſque Equites Romanos, & quoſdam fortunæ atque exiſtimationis integræ. Et Corn. Tacitus *lib.* 15. inquit: *Spectacula gladiatorum idem annus habuit pari magnificentia ac priora, ſed fœminarum illuſtrium Senatorumque filiorum plures patenam fœdati ſunt*, vnde exiit illud Iuuen. Sat. 8.

*Quem ſedet, & ſpectat triſcurria Patritiorum*
*Planipedes audit Fabios, ridere poteſt qui*
*Mamercorum alapas, quanti ſua funera vendant:*
*Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,*
*Nec dubitant celſi Prætoris vendere ludis.*

Ad hæc cap. ſeq. Suet. teſtatur, Auguſtum ad gladiatoris operas etiam Equitibus Romanis aliquando vſum fuiſſe, verum

rum priuſquam S.C.intercederet; nihilominus Vlp. Iuriſc. *l.quod ait Prætor,2.D.de iis qui not.infam.* §.*vlt.*ſcribit,eos qui in certamen propter præmiũ deſcendunt, famoſos eſſe, quod & D. Aug.2.*ciuita.Dei,c.*27. confirmat.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE. CAP. XXVIII.

*Annuam etiam habitationem Romæ vſque ad bina millia numum, in Italia non vltra quingentos ſeſtertios remiſit.*

INter cæteras artes,quibus Cæſar Reipublicæ occupationi inhians, ad vniuerſi populi Rom. animos conciliandos vſus eſt, & hæc vna fuit, vt ſcilicet illis, qui publicas domus habitabant,annuas penſiones;quas pendere tenebantur habitatores, remitteret. Sicuti autem commorari & commoratio ad tempus dicitur, ita & habitare, & habitatio perpetua eſt.Quæ diſtinctio elicitur ex Cic. *lib.de Senectute*, vbi habet: *Commorandi enim natura diuerſorium nobis, non habitandi dedit.* Attamen hæc differentia ſæpe confunditur. Itaq; *habitatio* dicta domus, ſeu locus, quem habitamus, quod paſſim obſeruamus apud Latinos Scriptores. Habitare autem dicimus quempiam,vel in ſuo,vel in cõducto,vel gratuito. Habitationem tamen Iuriſtæ in genere definiunt *in l.2.§.domus, D. de vſu & habitat.* eſſe ius in ædibus alienis commorandi, cum propriis rebus, quoquo modo ad ſe pertinentibus,ſalua ædium ſubſtantia. Quæ deſcriptio proprie competit habitationi,de qua in præſenti textu meminit Suetonius,nam non de ea, quæ gratuito,nec in ſuo ſiebat, habitatione,verba illius intelligi poſſunt, ſed de habitatione in domo aliena, in qua annuam penſionem ſoluentes habitatores commorabantur. Sic habitatorum nomine apud Iuriſperitos intelliguntur inquilini, *l. habitatores, D. Locati.* Nec ſolum habitatio, de qua Suetonius, erat domus alienæ, ſed duntaxat etiam domus publicæ. Sicuti enim Populi Romani erant agri publici vectigales, ita & domus, quæ annua penſione conſtituta locabantur. Remiſit itaque Cæſar huiuſmodi annuas penſiones, minores ſcilicet, non ſolum Romæ,ſed & per Italiam,quę ad publicum ſpectabant:

Nam ſi alterius priuati fuiſſent, ſi habitatorem ſibi conciliaſſet, remittendo, locatorem vtique ab ſe alienaſſet, cuius damno remiſſio ceſſiſſet. Quod vero minores penſiones remiſerit duntaxat Cæſar, fuit in cauſa, ne publicis redditibus nimium officeret, ſicque ſibi publicam inuidiam concitaret. Bina vero millium numum habitationis penſionem non magnam fuiſſe, colligere poſſumus ex Cicerone ſcribente in orat. pro Cœlio: *Sumptus obiectus eſt habitationis, 30. millibus dixiſti eum habitare.* Et iterum: *Cuius in ædiculis habitat decem millibus.* Hanc noſtram interpretationem confirmant eiuſdem Cæſaris verba *lib. 3. de bello ciuil.* vbi habet, M. Cœlium Rufum Prætorem ad hominum excitanda ſtudia, duas leges promulgaſſe, vnam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donauit, alteram, tabularum nouarum.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
## CAP. XXIX.

*Circenſibus ſpatio Circi ab vtraque parte producto, & in gyrum Euripo addito, quadrigas, bigaſque, & equos deſultorios agitauerunt nobiliſſimi iuuenes.*

DEſultores, & Deſultorii equi, qui in Circenſibus ludis dicerentur, nullus hactenus, quod ſciam, plene aſſequutus eſt. Id nos ex marmoreis tabulis, numiſmatibuſque antiquis cognouiſſe cenſemus; in quibus bigarum, quadrigarum imagines ad metam curſum dirigentes ſpectauimus, præcurrenti equo, cui homo inſidet ad curſum incitans, modo palmam, modo coronam manu elatam demonſtrãs; quę in Circi maximi Iconibus ſtudio Pyrrhi Ligorii, Onuphrii Panuinii, & Michaelis Trapezini opera typis excuſis ſpectare cuilibet licet, necnon in quorundam Neronis & Traiani numiſmatum parte inuerſa, quorum icones in libro Sebaſtiani Erizzi conſpicari vnuſquiſque poteſt. Itaque hos equos præcurrentes *deſultorios* dictos, & inſidentes *deſultores* non dubitamus; pręſertim quum ſcriptorum ſententiæ in re hac ſatis diuerſæ, omnes huiuſmodi equis conuenire videantur. Caſſiodor. *lib. Epiſt. 3.* ita ſcribit: *Biga quaſi Lunæ, quadrigæ*

*quadriga Solis reperta eſt, & equi deſultorii, per quos Circenſium miniſtri, miſſos denuntiant exituros, Luciferi præcurſorias velocitates imitantur.* Quæ deſultoriis equis à nobis dictis congruere palam eſt. Idem confirmare poſſumus ex Liuio de Circenſibus *lib.*44. ſcribente: *Semel quadrigis, ſemel deſultore miſſo.* Et noſtræ ſententię fauent Iuriſconſulti, *l.*20. *de præſcrip. verb.* vbi habemus: *Si tibi equos venales experiendos dedero, vt ſi in triduo diſplicuiſſent, redderes, tuque deſultor in his curreris & viceris, &c.* Expleto curſu in Circenſibus deſultor in alium equum, fatigato derelicto, mira facilitate & velocitate inſiliebat, quod colligimus ex Iſidoro *libro* 18. *cap.* 39. vbi de deſultore loquens ait: *Quum ad finem curſus veniſſet, deſiliebat, & de equo in equum trāſiliebat.* Hoc pariter appoſitiſſime ſcriptum reliquit Manilius *lib. Aſtrono* 5. hiſce verſibus:

*Nec non alterno deſultor ſidere dorſo*
*Quadrupedum, & ſtabiles poterit defigere plantas,*
*Per quos vadit equos, ludet per terga volantem.*

Deſultorem quoque ſcite deſignat Elegiacum illud:

*Eſt etiam aurigæ ſpecies Vertumnus, & eius*
*Traiicit à terno qui leue pondus equo.*

Ita Sextus Pompeius Deſultorios equos à deſiliendo dictos annotauit, eo quod milites quidam in prælio duobus vterentur equis, vt feſſo altero, & ſudante, tranſirent in ſiccum, & validum; quod Scytharum morem fuiſſe docuit Amm. Marcellinus *libro*... Ælianus, vbi de phalange verba facit *Antiſtoma* appellata: *Valet*, inquit, *hoc inſtruendi genus potiſſimum contra barbaros, qui loca amni Iſtro vicina incoluunt, quos Amphippos cognominant, à mutatione equorum, ex aliis enim equis in alios tranſilire conſueuerunt.* Hos & Suidas vbi de vocabulis rei militaris; & Pollux *lib. Onomaſtici* 1. ἀμφίππους & ipſi nominant. Liuius *libro vigeſimotertio*, tales Numidas deſcribit, in hæc verba: *Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, ſed quibus deſultorum in morem binos trahentibus equos, inter acerrimam ſæpe pugnam in recentem equum ex feſſo tranſultare moris erat.* Hoc idem confirmat Strabo *libro decimoſeptimo*, & Herodotus *libro ſeptimo*, tradit Indos equis deſultoriis vſos. Et Varro *lib. de re ruſt.* 2. ait: *Itaque peroſus belli alios eligit,*

*alit, & docet, aliter quadrigarius, ac deſultor, neque idem qui victorios facere volet.* Ex his omnibus colligere poſſumus, veritati maxime conſentaneum eſſe, quod diximus de deſultoriis equis, & deſultoriis equitibus, hi namque in Circo, curſu peracto, ex vno in alium equum tranſilientes, illum exagitabant, modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum inflectendo, ante, & retro, & ſurſum attollendo, atque in varios gyros circumflectendo. Vulgo dicimus *maneggiare.* Deſultorios equos Dionyſius Halycarnaſ. *lib. 1. Antiq. Rom.* παραβάτας, appellauit, Poetæ vero Athenienſes, vt ipſe refert, ἀποβάτας, hoc eſt, *currus ſocios*, vel *dominos*; Vnde Plutarchus in Phocione dixit, ἀποβάτην ἀγωνίσασθαι, tales autem conſpiciuntur in marmoribus & numiſmatibus antiquis, vt diximus. Extat Romæ in æde D. Ant. Coloſſi Epitaphium, in cuius medio ſunt duo equi deſultorii, inter quos vir vnus cum hac inſcriptione in marmore: *Aquiloni Aquilonis vicit* CXXX. *Secund. tulit* LXXXVIII. *Tert. Ful.* XXXVII. *Hirpinus. N. Aquilonis vicit* CXIIII. *Secundas tulit.* LVI. *Ter. Ful.* XXXVI. Et Turnebus *Aduerſ. lib.* 18. *cap.* 26. deſultorem iure Græcis dici μεταβάτην ſcribit, hoc eſt, *tranſitiuum*, ſeu *tranſmutatiuum*, eo quod de vno in alium equum ſe transferat. Nec prætereundum, nobiles iuuenes, qui Circenſibus ſtudebant, primum ſe equis deſultoriis exercuiſſe, poſtea ad aurigandum in bigis vel quadrigis ſe tranſtuliſſe; cuius rei habemus indicem Ciceronem ſcribentem in orat. pro Muræna: *Neſcio quo pacto mihi videtur Prætorius candidatus in Conſulatum, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum incurrere.* Ex quibus etiam patere poteſt, deſultorium per translationem dici inſtabilem, ſeu in alium facile commeans. Sic Apuleius libro primo de Aſino aureo, *deſultoriæ ſcientiæ ſtylum* dixit. Et Martianus *de nuptiis Philologiæ*, in eundem ſenſum ſcriptum reliquit: *Pernix leuitate deſultoria geſtiebat.*

Equos deſultorios quos diximus, quos ſingulares appellauere Panuinius, Ligorius & Erizzus, ea forte de cauſa, quod ſicuti Bigæ, binis equis, Quadrigæ quatuor in Circenſibus decurrerent, ita deſultores vno & ſingulari tantum: Sed quum hac appellatione nullus ex antiquioribus ſcriptoribus

ptoribus vſus fuerit, eam haud recipiendam arbitramur, ſed vocem *deſultorii* recipiendam, qua omnes, vt diximus, vſi fuere. Equites profectò ſingulares apud antiquos extitiſſe obſeruamus, ſed non equos, hoc eſt, militum equeſtrium excellentem titulum: ſiquidem ſingulare pro excellenti dici Latinis patet, ex Cic. lib. *de Orat.* vbi Antonii *vim ingenii ſingularem, & prope diuinam* dixit. Et ad Att. *ſingularem & incredibilem virtutem*. Et in Epiſt. *ſingularem & propemodum incredibilem fidem*. Et *ſingularem & præſtantiſſimam virtutem P. Lentuli*. Et *ſingularem, & eximiam Pompeii virtutem*, in Orat. pro illo. Et Plinius in Epiſt. 45. *Vxorem ſingularis exempli* ſcripſit. Singulares autem milites olim vocatos, vel ſingularios, conſtat ex Caſſiodoro *libro* 2. & ex libro cui titulus, *Notitia Rom. Imperii*. Quod pariter colligimus ex antiquis inſcriptionibus, cuiuſmodi vna quæ Romæ extat in S. Ioanne de Mercato, talis:

P. ÆLIO DECIMINO B. M. MIL. A. XVII.
EQ. SING. AVG.

Alia conſpicitur in domo D. Caroli Aſtalli, huiuſmodi:

M. VLPIO VIATORI EQ. SING. AVG.

Tertia apud ſanctum Marcum in pariete Eccleſiæ.

T. HORTENSIO MVCRONI NATIONE
MARSO Q. V. A. XXXXV. AEL. VERNVS
ARM. CVST. EQ. SING. AVG.

Et in Hoſpitali Anglorum altera.

M. VLPIVS EQVES SINGVLARIS AVGVSTI.

Ex quibus colligimus, equites ſingulares olim non modo fuiſſe, ſed *Auguſti*, ſeu *Auguſtales* vocatos, eo quod Auguſtis familiares eſſent, illiſque aſſiſterent, vel quod in Cæſ. Auguſti honorem eſſent inſtituti, namque Cornelius Tacitus *libro* 14. & Dion *in Neronis vita* teſtatum reliquere, Neronem quinque millia militum inſtituiſſe, quos *Auguſtales* nominauit.

# C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

## CAP. XLI.

*Iudicia ad duo genera iudicum redegit, Equeſtris ordinis, ac Senatoru.*

IVdicia apud Romanos olim in tres ordines diuiſa fuiſſe, ex hoc loco clare colligimus, ſcilicet *ſenatorũ, Equeſtris ordinis, & Tribunorum ærariorum*, quod etiam docet Alex. ab Alex. *libro* 2. *cap.* 24. Primum enim Senatores ſoli iudicabant, quamobrem plebi inuiſi erant. Vnde C. Gracchus rogatione promulgata trecentos ex Equeſtri ordine adiecit iudices, parem Senatoribus numerum, vt metu communicati imperii, iudicia æqua lance librarent. Quæ omnia habemus ex Plutarcho *in vita Gracchi*, ex Velleio Paterculo, & ex Varrone referente Nonio *libro* 4. *de vita populi Romani*. Quamuis Florus *libro* 60. *Ep tom.* ſcripſerit, Gracchum legem tuliſſe, qua Equeſtrem ordinem Senatorio duplicem conſtituebat, ſtatuens vt trecenti Senatores eſſent, Equites ſexcenti, vt Equeſter ordo bis tantum virium haberet. Poſtmodum à L. Aurelio Cotta Prætore, lege lata iudicia communicata non ſolum Senatui & Equitibus, ſed & Tribunis ærariis. Quod Aſconius in Oratione Ciceronis in Piſonem, & in Oratione pro L. Cornelio clariſſime docet. Vnde lex iſta iudiciaria appellata, vti ibidem legimus. Sed ærarios Tribunos iudicatura ablegauit Iulius Cæſar, quod hic docet Suetonius, quos tamen reſtituiſſe Auguſtum non dubitandum, id atteſtante eodem Suetonio in illius vita *cap.* 32. in hæc verba: *Ad tris iudicum decurias quartam addixit ex inferiori cenſu, quæ ducenariorum vocaretur, iudicaretque de leuioribus ſummis.* Quod etiam ex Plinio colligimus *in calce cap.* 1. *libro* 33. Itaque ſicuti Senatorius ordo de maximis cauſis iudicabat, ordo Equeſter de mediis, ita Tribuni ærarii de minoribus, de minimis Ducenarii. In Senatorio autem ordine iudicatura non excedebat Prætorium magiſtratum; nam Conſules non ferebant antiquitus iudicium, teſte Liuio *libro* 3. Nec obſtant Auli Gellii dicta ex Marci Meſſalæ authoritate *libro* 13 *capite* 14. Conſules, Prætores & Cenſores, *maiores*

*magiſtratus* appellantis, reliquos vero *magiſtratus minores.* Nam aliud eſt magiſtratum dicere, aliud iudicem; quamuis Bartolus *in l.1. de offic eius cui mand. eſt iuriſdict.* iudices & magiſtratus maiores indifferenter vocet, qui de maioribus rebus & arduis iudicent. Quod tamen haud veritati conſentaneum eſt; namque Cic. *lib.3. de leg.* ita ſcribit: *Videtis igitur, hanc eſſe magiſtratus vim, vt præſit præſcribatq́ recta & vtilia, & coniuncta cum legibus; vt enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus, iureq́ dici poteſt, magiſtratum eſſe legem loquentem, legem autem mutum magiſtratum.* Et 1. Offic. *Eſt igitur proprium munus magiſtratus, intelligere, ſe gerere perſonam ciuitatis, debereq́ eius dignitatem & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, & fidei ſuæ commiſſa meminiſſe.*

Iudex porro dicitur, quaſi ius dicens populo, & qui cauſas litigiorum cognoſcit. Vnde recte Rhod. *lib.18. lectionum antiquarum, cap.19.* ſcriptum reliquit, quod legum miniſtri ſunt magiſtratus, legum interpretes iudices; & niſi magiſtratuum ordinem ab ordine iudicum ſegregemus, erit profecto contradictio in Suetonii verbis, in eodem hoc capite, dum Cæſarem per initia ſcribit ampliaſſe minorum magiſtratuum ordinem, & poſtmodum Tribunos ærarios ſuſtuliſſe, tertium iudicum ordinem, quos minores cauſas olim cognouiſſe, omnibus receptum eſt, præſertim pecuniarias; vnde forte ærarii dicti, & non quod exigerent pecunias ærarii publici, id enim munus Quæſtorum proprie erat. Sed de hac re ſententiam noſtram comprobantia alia plura legi poſſunt apud Sigonium, *lib.2. de antiq. iur. Rom. per init. cap.18.* Ærarios autem Tribunos non ex Senatorio vel Equeſtri ordine fuiſſe, ſed ex plebe, docet Dion, præſentem Suetonii authoritatem confirmans, per hæc verba, de Cæſare loquens: *Iudicia Senatoribus, Equitibus commiſit, vt puriſſima pars ciuitatis iudicaret: ante enim ex plebe quidam etiam vnà iudicia exercebant.* Illud poſtremo non prætermittendum, quod ex Cicerone elicimus *in prima Philippica,* M. Antonium ſcilicet Conſulem, Cæſare interfecto, legem tuliſſe, vt ad duas decurias Senatorum & Equitum iudicum, tertia adiungeretur, Centurionum & manipularium mili-

tum legionis Alaudæ, quos ego cenſeo poſtea ab Auguſto inter ducenarios iudices collocatos, niſi eos omnino à iudicandi munere amouerit, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE. CAP. XLII.

*De pecuniis mutuis, diſiecta nouarum tabularum expectatione (quæ crebro mouebatur) decreuit tandem, vt petitores creditoribus ſatisfacerent, &c.*

TAbulæ dicebantur *teſtamenta*, in quacunque materia inſcripta, *ex l.1. & 4. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab. in P.* & tabulæ nouæ *teſtamentum nouum*, priori ſcilicet expuncto & irrito, quod *Epiſtolarum* 2. approbat Cæcilius, ſicuti Budæo teſte, primæ & ſecundæ tabulæ intelligi poſſunt prima & ſecunda charta teſtamenti; antiquiſſimus enim mos ſcribendi fuit ceratis tabulis, quæ & *codicilli & pugiles* vocantur, plurali numero, teſte Vigellio. Sed & tabulas nouas dicebant Romani, legem quæ ferebatur de ære alieno plebi, inuitis creditoribus, relaxando, quas & Cicero *in Epiſtolis ad Atticum* χρεῶν ἀποκοπὰς appellauit. Lex lata nouarum tabularum Romæ maximas ſæpe perturbationes peperit; vnde iure Liuius, *lib.* 33. rogationes de tabulis nouis, & de agro viritim diuidendo, *duas faces nouantibus res, & plebem in optimates accendendum* dixit. Et Saluſtius Catilinam publicæ quietis turbatorem arguens, inquit: *Tunc Catilina polliceri cœpit tabulas nouas, & proſcriptionem locupletium.* Cicero in Officiis ait: *Tabulæ nouæ quid habent argumenti? niſi vt emas mea pecunia fundum, & eum tu habeas, ego non habeam pecuniam.* De hiſce tabulis nouis non ſemel Cicero ad Atticum. Seneca appellat tabulas nouas *rem pernicioſiſſimam beneficiorum.* Quum itaque Cæſar adhuc in armis eſſet, & Dolobella Tribunus plebis cogitaret de ratione promulganda de nouis tabulis, quod innuere videtur Cicero *ad Atticum*, dum ſcribit: *Maxime autem expecto, ecquid Dolobella tinniat, an in meo nomine tabulas nouas fecerit.* Cæſar, ne ſibi apud Optimates inuidiam pareret, & vt plebi ſimul ſatisfaceret, tabularum nouarum publi-

publicationem à populo expectatam ſuppreſſit, & quicquid vſurarum nomine numeratum fuerat, in ſortem redegit, decreuitque vt debitores creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſſionum, quanti quiſque ante ciuile bellum comparaſſet, qua conditione quarta pars fere debiti deperibat. Apud Cæſarem *de bello ciuili, lib. 3.* legimus, M. Cælium Rufum Prætorem ad excitanda hominum ſtudia, binas leges promulgaſſe; vnam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donauit; aliam, tabularum nouarum, ex quo impetum multitudinis in alium Prætorem vrbanum, C. Trebonium factum, & nonnullis vulneratis, eum de Tribunali deturbauit. Scribit ita Liuius in Epit. lib. 3. *M. Cælius Rufus quum ſeditiones in vrbe excitaret, nouarum tabularum ſpe plebe ſollicitata, abrogato magiſtratu, pulſus vrbe.* Et in Epit. lib. 112. *Quum ſeditiones Romæ à P. Dolobella Trib. pleb. legem ferente de nouis tabulis, excitatæ eſſent, &c.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. LXIV.

*Inprimis Martis templum, quantum nuſquam eſſet, exſtruere, repleto & complanato lacu, in quo Naumachiæ ſpectaculum ediderat.*

MArtis ædes ſeu templum in vrbe, & extra fuiſſe, ex lectione antiqua obſeruamus, extra portam ſcilicet Capenam, ex Liuio, *lib. 7.* vbi habet: *Quum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem conuenire armatos iuniores iuſſiſſet.* Cuius rei cauſam Vitruuius *lib. 1. cap. 7.* ita ſcribit: *Martis ædem ideo extra vrbem collocatam, vt non ſit inter ciues armigera diſſenſio, ſed ab hoſtibus ea defenſa, à belli periculo conſeruetur.* Fuit etiam Martis templum Romæ dicatum, de quo Liuius ita ſcribit lib. 6. *Eo anno ædes Martis Gallico bello vota, dedicata eſt à Tito Quinctio duumuiro ſacris faciundis.* Seruius *lib. 1. AEneid.* enarrans eum locum:

*Cana fides, & Veſta Remo cum fratre Quirino*
*Iura dabant, &c.*

Mars,

*Mars*,inquit,*quum ſæuit, Gradiuus, quum tranquillus, Quirinus dicitur. Vnde habet duo templa, alterum in vrbe,quod Quirini eſt, alterum extra vrbem,in via Appia,prope portam, quaſi Bellatoris & Gradiui*. Et *lib.6*.eiuſdem in alium locum:

*Tertiaq; arma patri ſuſpendat capta Quirino.*

*Quirinus* (ait) *eſt Mars,qui præeſt paci, & intra ciuitatem colitur; nam belli Mars extra ciuitatem templum habuit.* Cur autem *Gradiuus* dicatur,declarat Feſtus Pompeius *lib.7*. quod ſcilicet ita nuncupatus eſt à gradiendo in bello vltro citroque, ſiue à vibratione haſtæ,quod Græci dicunt κραδάειν. Quod autem ſpectat ad præſentis loci explanationem, dicendum, Iulium Cæſarem maxima & difficilia, quæ viderentur,ſemper animo voluentem,cogitaſſe de extruendo templo Martis,in vrbe præſertim, quia lacus, in quo Naumachiæ ſpectaculum ediderat, replendus eſſet,quem intra vrbem fuiſſe,elicitur ex iis,quæ *cap.39*.leguntur ſuperius. Sed Marti vltori Auguſtum ædem in Palatino extruxiſſe, teſtatur Suetonius *in eius vita,cap 29*. Nam quæ Iulius Cæſar cogitarat, ſed intermiſerat, expleuiſſe fere omnia Auguſtum Imperii ſucceſſorem conſtat, etiamſi non in eodem loco à Cæſare deſtinato, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. XLIV.

*Theatrumq; ſummæ magnitudinis Tarpeio monti accubans.*

SEptem Romæ collles fuiſſe, vulgatiſſimum eſt, inter quos præcipuum *Capitolinum*, qui *Saturnius* primum appellatus eſt, teſte Varrone, *lib.4.de lingua Latina*, & Solino,*cap.2*.in cuius faucibus Fanum Saturni ſitum, quod ærarium populi Romani erat. Idem fuit etiam *Tarpeius* dictus,à Tarpeia virgine Veſtali, Spurii Tarpeii filia, quæ Tatio Sabinorum Regi proditione arcem in Capitolio conſtitutam dedit, ibidemque à Sabinis ſcutis obruta, necata fuit,quod Plutarchus *in vita Romuli*, & Valer.Maxim. *lib 9.cap.6*. Propertius *lib.4*.& Ouid.*Metamorph*.14. & Liuius *per initia* 1.*lib.* ſcriptum

ſcriptum reliquere, & Virg.8.*AEneid.*Tarpeiam ſedem appellauit,inquiens:

*Hinc ad Tarpeiam ſedem, & Capitolia ducit:*
*Aurea nunc,olim ſylueſtribus horrida dumis.*

Collis hic *Capitolinus* vocatus, ex hominis capite inuento,dum templi Iouis fundamenta effodiunt. Titus Liuius *lib.5.*& Cornelius Nepos *lib.de viris illuſtribus, cap.8.* tradidere: *In hoc, præter Saturni templum, erant & Iouis, Iunonis & Mineruæ ædes.* De Iouis æde,quod Capitolium dixere,omnibus receptum eſt. De æde Iunonis teſtatur Cic.*in orat.ad Equites Romanos.* Mineruæ, & omnium teſtis eſt Liuius, *lib.51.*vbi hæc verba proferentem inducit Manlium Capitolinum, à viatore arreptum: *Iupiter optime maxime, Iuno Regina, ac Minerua,cæteriq; Dij Deæq;,qui Capitolinum arcemq; incolitis, ſiccine veſtrum militem ac præſidem ſinitis vexari ab inimicis?* His itaq; ſic ſe habentibus, videtur abſurdum, quod hoc loco tradit Tranquillus, quod Theatrum ſummæ magnitudinis in Tarpeio extruere cogitaret Iulius Cæſar, quum hic collis non ingentis magnitudinis capax eſſet, præſertim tot templis,& Capitolina arce præpeditus,aliiſque pluribus ædificiis refertus, ita vt iure Plinius *lib.36.cap.15.* ſcripſerit, homines inſanas ſubſtructiones Capitolii admiratos;& quem exiguum collem vocat Liuius,*lib.5.* Quod vtique veritati conſentaneum eſſet, ſi Tranquillus de exſtructione Theatri in colle ipſo intellexiſſet, ſed ſecus interpretanda eius dicta; nempe mentem Cæſaris fuiſſe conſtruere theatrum non in colle ipſo, ſed iuxta collem illi innixum & incumbentem; ita enim verbum *accubo*, à quo *accubans*, interpretatur Ambroſius Calepinus, vnicam huius loci authoritatem adducens,id eſt,*iuxta cubantem.* Quod magis etiam innoteſcit Capitolini collis ſitu perſpecto, ſiquidem ab vna illius parte fuiſſe *rupem Tarpeiam,* ſeu,*ſaxum Tarpeium*, à qua præcipitari ſolebant noxii homines, & mortis rei, teſtatur Plutarchus loco citato ſupra, & Liuius *lib.6.* vbi M.Manlium damnatum Tribunos de ſaxo Tarpeio deieciſſe tradit.Quod pariter confirmat Plin.*lib.5.de vir.Illuſt.*ſiue quiuis alius illius libri auctor,*cap.*24. Hinc Horatius Serm.1.

*Tune*

*Tune Syri, Damæ, aut Dionyſi filius audes*
*Deijcere è ſaxo ciues.*

Quem locum exponens Porphirius, per ſaxum, *Tarpeium* intelligendum docet. Scribit Plinius, Metellum à Catinio Labeone Tribuno plebis ad Tarpeium eſſe raptum, vt præcipitaretur. Sic & Lucretius lib. 3.

*Carcer, & horribilis de ſaxo iactus eorum.*

Cornelius Tacitus *lib. 2. Annal.* meminit, L. Pitunnium de ſaxo deiectum. Sp. Caſſium apud Dionyſ. Halycarnaſſ. *lib. 8.* de ſaxo deiectum legimus, vbi dicitur, hoc tunc temporis ſupplicii genus vulgare fuiſſe apud Romanos. Et Phileas Tarentinus, & obſides Tarentini, qui aufugerant, eodem ſupplicio affecti, ex Liuio, *lib. 25.* Apud Senecam *libro primo Declamationum, tertia Declamatione,* inceſtam ſaxo deiiciendam obſeruamus. Sic & qui teſtimonium falſum dixiſſet, lege duodecim tabularum, è ſaxo Tarpeio miræ altitudinis deiiciebatur. Quod genus pœnæ atrox quorundam animos irritaſſe, tradit Liuius loco citato. Vnde haud mirum, ſi hæc pœna è legibus noſtris ſit ſublata, authore Modeſtino, *l. ſi diutino, §. vltimo, ff. de pœnis.* His itaque ſic ſe habentibus, ſtatuendum, mentem Cæſaris fuiſſe, accubare Tarpeiæ rupi theatrum ingentis magnitudinis, vt inde, vbi hæreret, ad planiciem per alias dimenſiones late circumferretur ædificium theatrum conſtituens, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE. CAP. XLIV.

*Siccare Pontinas paludes, emittere Fucinum lacum, viam munire à mari ſupero per Appenini dorſum, ad Tiberim vſque, &c.*

MIror ſane, Iouianum Pontanum virum alioquin doctiſſimum ſcripſiſſe, cap. 2. de Magnificentia, *quod Cæſar non ſatis habuit exſiccare Pontinam paludem, qua re mirum in modum vicinis populis conſuluit, ſed per mediam illam ſtrauit viam, pontibus pluribus erectis, quo iter ad vrbem & breuius eſſet, & commodius, quorum veſtigia, quum hodie quoque ſingulari cum magnificentia plurimis in locis extent, ipſa etiam ruina admirationi videntibus*

*dentibus atq; contemplantibus ſunt.* Sic enim hic Suetonius tradit, eum tantum cogitaſſe de exſiccandis Pontinis paludibus, & præuentum morte id exequi non potuiſſe, vtrique Pontanum deceptum conſtat in nomine Imperatoris, qui licet Cæſares ſint appellati, nihilominus quum abſolute legimus, *Cæſarem*, de Iulio Cæſare intelligendum, qui certe id opus minime aggreſſus eſt, ſed Traianus Imperator fuit, qui ſtrauit paludes Pontinas lapidibus, exſtruxitque iuxta vias ædificia, pontesque magnificentiſſimos fecit, teſte Dione & Xiphilno illius abbreuiatore in illo. Hanc paludem primum à Cornelio Cethego Conſule exſiccatam, & ex ea agrum factum, colligimus ex Liuio *in Epit. lib.* 46. ſic ſcribente: *Pontinæ paludes à Cornelio Cethego Conſule, cui & prouincia euenerat, ſiccatæ, agerq; ex ijs factus.* Quæ dixiſſe volui, ne ſtudioſi ſub viri alioquin præſtantiſſimi fide periclitentur. *Pontina palus* dicta fuit ab vrbe Pontia, ſi Straboni credimus. Namque tradit Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. circa eam authoritate Mutiani, olim ciuitates 23. ſitas fuiſſe. Huius meminit Lucanus lib. 3.

*Et qua Pontinas via diuidit vda paludes.*

Et Iuuenalis:

*Et Pontina palus, & Galtenaria pinus.*

Et Sillius lib. 8.

*Et quos peſtifera Pontina vligine campi.*

Et Martialis:

*Pendula Pontinos quæ ſpectat ſitia campos.*

Has paludes aliquando exſiccaſſe Theodoricum Regem Gothorum, teſtatur marmorea tabella, cum inſcriptione ibidem poſita, atteſtante Raphaele Volaterrano in ſua Geographia. At nihilominus non permanſerunt exſiccatæ, ſed ſemper ad priſtinum ſtatum reductæ, tum ex aquis Aufentis fluminis propinqui, hodie *Aufidio* dicti, & alterius etiam minoris, tum etiam ex quamplurimis aquis è radicibus circumiacentium montium ſponte ſcaturientibus, quæ tandem humanam operam fruſtratæ ſunt, &c.

# C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

## CAP. XLIV.

*Emittere Fucinum lacum, iam munire à mari ſupero per Appenini dorſum ad Tiberim vſque, &c.*

FVcinus lacus in quarta regione Italiæ reponitur, prope Albenſes populos, quo etiam nomine dictus eſt lacus Volſcorum, quod elicere poſſumus ex Liuio, *lib.*4. vbi ait, à P. Cornelio Dictatore Volſcum agrum depopulatum, & caſtellum ad lacum Fucinum vi expugnatum. Huius meminit Martialis lib. 1.

*Fucinus; & pigra taceantur ſtagna Neronis.*

Et Virgil. 7. Æneid.

*——Vitrea te Fucinus vnda,*
*Te liquidi fleuere lacus.*

Plinius *lib.*2. *cap.*103. ſcribit, flumen lacum Fucinum ingrediens, non eo commiſceri, ſed ſupra fluere. Et *lib.*3. *cap.* 12. Archyppe oppidum in lacu Fucino ſubmerſum. Et *libro* 9. *cap.*20. meminit piſcis cuiuſdam, quem dumtaxat in lacu Fucino reperiri, tradit. Hodie vocatur *lacus Celani*, teſte Leandro Alberto. Hic tantæ longitudinis eſt, vt mare videatur, non lacus, & aliquando in immenſam propemodum altitudinem augetur, quandoque ita decreſcit, vt quaſi exſiccari videatur, flumen in eo ingrediens, *Pitorinum* olim vocatum, teſte Vibio Sequeſtro, hodie *Giouenco* appellant. Ab hoc lacu aqua *Martia* nuncupata, à Martio Ædili perducta fuit, cæterarum omnium potior & optima, quæ Romam perductę fuere. Remanent vſque ad hodierna tempora, veſtigia aquæductus inæſtimabilis ſumptus, & miræ ſtructuræ ab ipſo lacu Romam vſque. Cogitauerat itaque Cæſar extra mittere lacum hunc, opus ſiquidem difficilimum, vt lacus maximus exſiccari poſſet, niſi ſi *emittere* interpretemur, id eſt, aquam ab eo extra Romam perducere, quod a Martio factum ſuperius docuimus. Secundum quam ſignificationem verbum *emittere* ſumptum legimus

à Cic.

à Cic.*ad Attic.*4. vbi habet: *Lacus Velinus à M. Curio emiſſus.* Hoc opus emittendi lacum Fucinum perfeciſſe Adrianum, teſtis eſt Ælius Spartianus in Adriano, inquiens: *Fucinum lacum emiſit.* Miror ſane, Pontanum *lib.de magnificentia* ita ſcribentem: *Claudius Cæſar per tria paſſuum millia montem effudit & excidit ad emittendum Fucinum lacum; quod opus ægre abſoluit poſt vndecim annos, quamuis triginta hominum millia ſine intermiſſione operantia adhibuiſſet.* Quod nullibi cum ego ita geſtum legerim, imo id opus ab Adriano patratum legam, quid dicam, non habeo. Dion certe teſtis eſt, Claudium in emittendo Fucino lacu inanes feciſſe ſumptus; tu ſic concilia, Claudium perfeciſſe ægre canalem ſeu emiſſarium, non tamen emiſiſſe ſeu exſiccaſſe lacum, ex Suet.*in Claudio, cap.*20, & clarius ex Tacito, *lib.Annal.*12. ſcribente de ſpectaculo Naumachiæ à Claudio in Fucino lacu inter illum, amnemque Lyrim prærupto monte edito, in hæc verba: *Sed perfecto ſpectaculo apertum aquarum iter, & incuria operis manifeſta fuit haud ſatis depreſſi ad lacus ima vel media, eoq; tempore interiecto altius effoſſi ſpecus, & contrahendæ rurſus multitudini gladiatorum ſpectaculum editur inditis pontibus pedeſtrem ad pugnam. Quin & conuiuium effluuio lacus appoſitum, magna formidine cunctos affecit, quia vis aquarum prorumpens proxima trahebat conuulſis vlterioribus, aut fragore & ſonitu exterritis. Simul Agrippina trepidatione principis vſa, miniſtrum operis Narciſſum incuſat cupidinis & prædarum.* Ex quibus patere poteſt, opus iſtud à Claudio haud ſatis perfectum, quod & Plinius innuere videtur, *lib.*36.*c.*15.&c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
### CAP. XLIV.

*Emittere Fucinum lacum, viam munire à mari ſupero per Appenini dorſum ad Tiberim vſque, &c.*

HAnc viam fuiſſe exiſtimo, quam prius inſtruxiſſe M. Lepidum & C.Flaminium conſtat, à quo Flaminia dicta eſt, incipiens ab Arimino Romam vſque. Quod ex

Straboue colligimus,*lib.5.* per initia, & à Liuio, *lib.39.* vbi ſcribit, C. Flaminium Conſulem, ne in otio militem haberet, viam à Bononia perduxiſſe Aritium vſque. Quo loci ego legendum cum Beroaldo puto, *Ariminum*, non *Aritium*. Sed vtraque lectio expoſitioni noſtræ non repugnat, & paulo poſt, M. Æmilium Lepidum eius collegam, pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxiſſe, viamque à Placentia, vt Flaminiæ committeret, perduxiſſe. Hanc Flaminiam viam ab Arimino in ripa ſuperioris Adriatici maris poſito, Romam vſque ſibi muniendam ſumpſiſſe Auguſtum, teſtatur Sueton. *in vita illius, cap 30.* forte vt opus deſignatum à Cæſare patre ipſe perficeret. Et Cicero *in Philippicis* ſcribit: *Tres viæ ſunt ad Mutinam à ſummo mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Caſſia.* Ex quibus patet, Flaminiam viam ad mare ſuperius pertigiſſe, quod tradit Sueton. hoc in loco. Hanc autem ſententiam noſtram, præter iam dicta, confirmare videtur verbum illud *munire*, quo tum hoc in loco, tum loco citato, in Auguſto vſus eſt Suetonius, quod interpretes in loci explanatione, ieiuni admodum in reliquis, explicant, vtrobique ſignificare *reſtituere & reficere, ac in priſtinum ſtatum reducere.* Quo in ſenſu *munire viam, munire ripam & alueum*, dici, adnotauit Perottus, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
## CAP. XLIV.

*Perfodere Iſthmum, Dacos, qui ſe in Pontum & Thraciam effuderant, coercere, &c.*

ISthmus anguſtia illa dicitur intermedia, inter peninſulam & continentem, quæ veluti quædam ceruix à continente, ſicuti à corpore graciIeſcens, peninſulam cum continente connectit. Iſthmo opponitur Porthmus, id eſt, fretum anguſtum inter duas continentes, quale Gaditanum exiguo interuallo Europam ab Africa diuidens. Plures ſunt Iſthmi, ſed celeberrimus ille, quem Corinthiacum & Achaicum, & Peloponneſiacum obſeruamus apud ſcriptores appellatum, quinque tantum milliarium ſpacio

Ægeum

Ægeum mare ab Ionio ſeparans. In huius faucibus Corinthus olim ſita fuit celeberrima vrbs; ex vna parte Corinthiacus ſinus ob id nücupatur, ex altera Saronicus, Lecheæ hinc, Cenchreæ illinc anguſtiarum termini. Liuius *lib.* 45. de eo ita ſcribit: *Iſthmus duo maria ab occaſu & ortu Solis finitima arctis faucibus dirimit.* Multos illum reſcindere tentaſſe legimus in hiſtoriis, quos recenſet Plinius *libro & capite* 4. vt recto tramite ab vno in aliud mare transfretare poſſent naues; ſplendidum ſiquidem arbitrabantur, abſciſſa terra maria diuerſa coniungere, & ambitum ſex millium viginti ſtadiorum (tot enim fere in ambitu nauigando conficiuntur) in breue coniicere. Quorum primus Demetrius Rex, poſt eum Caius Caligula, & Domitius Nero aggreſſi ſunt. Iulius Cæſar idem feciſſet etiam, ni morte præuentus eſſet, omnes tamen infelici ſucceſſu, infauſtoque & fruſtrato exitu. Quod Pauſanias *in rebus Corinthiacis* ſcribit, inquiens: Gnidos Iſthmum intercidere adortos, detentos ab Apollinis oraculo, ſiquidem diuinitus conſtitutis rebus, manum iniicere non licere, dicente. Demetrium vero ab incepto deſtitiſſe, architectorum monimentis deterritum, qui cum loca metiti eſſent, renuntiarunt, ſinus Corinthiaci maris altius eſſe, quam quod ad Cenchreas, itaq; futurum, ſi medium locum intercideret, vniuerſum ad Æginam tranſitum cum ipſa pariter Ægina, & proximas inſulas demerſum iri. Præterea nec nauigationi alueum futurum habilem ob affluxus rapidam varietatem; qualis in Euripo viſitur, Suetonius in C. Caligula, cap. 20. *Sed ante omnia Iſthmum in Achaia perfodere deſtinarat, miſeratq; ad dimetiendum opus Primipilarem.* De Nerone ſic ſcribit Xiphil. ex Dione: *Iſthmum Peloponneſi cupiuit perfodere, quod non eſt aggreſſus hominibus id grauate facientibus, propterea quod iis, qui primum rem attigerunt, ſanguis è terra erupit, auditaq; ſunt lamenta & mugitus, & ſpectra multa apparuerunt: quocirca Nero accepto ligone, ipſe aliquantulũ effodit, eoq; facto, cæteros adduxit, coegitq; vt idẽ facerent. Ad hoc opus faciendum magna multitudo hominũ ab exteris etiã gentibus accerſita eſt.* Suet. ipſe in *Nerone, c.* 19. ſic ſcribit: *Iſthmũ perfodere aggreſſus, prætorianos pro cõcione ad inchoan-*

*dum opus cohortatus eſt, tubaq́; ſigno dato primus raſtello humum effodit, & corbulo congeſtam, humeris extulit.* Herodem Athenienſem tantis fuiſſe diuitiis inſtructum legimus, tantaque animi magnitudine, vt quum præclara multa in Græcia & Italia opera edidiſſet, nihil tamen ſe dignum perfeciſſe conquereretur, quoniam Iſthmum non perfodiſſet. Dignum quoque relatu, Nicanorem Seleucum perfodere excogitaſſe ſpacium à Boſphoro Cimmerio ad Caſpium mare, quo tempore à Ptolemæo Ceranno interfectus fuit, quod interuallum eſſe centum quinquaginta millia paſſuum, prodidit Claudius Cæſar. Tradit in Meteoris Ariſt. Seſtorem Ægyptiorum Regem adortum proſcindere interſtitium à rubro mari ad Nilum, qua parte vocatur *Delta*, inſequuto mox Perſarum Rege Dario, quod in Hexameron commeminit Magnus Baſilius. In prouerbium vulgatum venit de re difficili & impoſſibili dicere, *Iſthmum fodere*, id eſt, rem aggredi, quæ perfici nequeat. Huius Iſthmi meminit Statius lib 1. Thebaid.

*—— Et geminis vix fluctibus obſtitit Iſthmos.*

Et lib.4.

*—— Quaq́; obiacet alto*
*Iſthmos, & à terris maria inclinata repellit.*

Rurſusque lib.6.

*—— Planctu conclamat vterq́;*
*Iſthmos, Echioniæ reſponſant flebile Thebæ.*

Item lib.7.

*—— Atq́; omne quod Iſthmius vmbo*
*Detinet.*

Eiuſdem meminere Solinus *lib.* 2. Pauſanias *lib.* 10. Zenodorus in Prouerbio, ὀνῦ ὄχη, & Seruius locum Virgilii enarrans in 7. Æneid.

*Et pater ipſe manu magna Portumnus euntem*
*Impulit.*

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
### CAP. XLV.

*Vſum enim latoclauo ad manus fimbriato, nec vt vmquam aliter, quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura, &c.*

LAtumclauum veſtis genus fuiſſe Senatorũ proprium, clare ex hoc loco elicimus, & ex eodem auth ·re *in Auguſt. c 38. in Tiberio, 35. in Claud. 24.* & ex Horatio *Satyr. 6.* vbi per *latumclauum* Senatorem deſignat:

*—— Et latum demiſit pectore clauum.*

Et lib. 1. Satyr. 5.

*Fundos Aufidio Luſco Prætore libenter*
*Linquimus, inſani videntes præmia ſcribæ,*
*Prætextam & latumclauum.*

Et lib. 1. Satyr. 6.

*Sumere depoſitum clauum, fieriq́ Tribunum.*

Et alibi:

*Prætextam, & latumclauum, prunæq́ batillum.*

Et Ouid. lib. 4. Triſt. Eleg. 9.

*Induiturq́ humeros cum lato purpura clauo.*

Suetonius *in Othone, cap. 10.* inquit, Neronem à laticlauo, cuius vxorem attrectauerat, cæſum, hoc eſt, à Senatore; nam Dione teſte *in Othone*, is fuit Iulius Montanus Senator. Et Quintil. lib. 11. *Cui laticlaui ius non erit, ita cingat, vt tunicæ prioribus oris infra genua paulũ, poſterioribus ad m. dios poplites vſq́ perueniat.* Et Lampridius in Alex. ait: *Florente quidem Imperio tantum laticlauo vſi ſunt Senatores & Præfecti pretorio, quibus Senatoriam conceſſit dignitatem Alex. Cæſar, ſicuti & Claudius Cæſar Heduis*, quia fœderati antiquo iure cum Romanis, & Galli fratres dicti ſunt, atteſtante Cornel. Tacito, *libro 11.* Sueton. in Veſpaſiano, cap. 2. *Sumpta virili toga latum. lauum quanquam fratre adempto diu auerſatus eſt, nec vt tandem appeteret, compelli niſi à matre potuit.* Et in Tib. cap. 35. *Senatori latumclauum quamuis ademit.* Idem in Claudio, c. 24. *Latumclauum initio affirmaſſet non lecturum ſe Senatorem, niſi ciuis Rom.* Ad Nepotem etiam Libertini filio tribuit. Martialis *lib. 5. Epigram. 17.* in Gelliam:



Digitized by Google

*Dum te poſſe negas, niſi lato Gellia clauo*
*Nubere, nupſiſti Gellia ciſtifero.*

Liuius *lib.*27, inter munera, quæ Scipio Maſſiniſſæ filio dedit, tunicam laticlauo fuiſſe dicit. Suet. *in Auguſto, c.*94. inter alia præſagia felicitatis illius, quod tunica laticlauo reſuta ex vtraq; parte ad pedes decidit. Val. Max. *lib.*5. *c.*1. ait: *Tunica laticlauia donatum ad Maſiniſſam remiſit.* Ouidius *lib.*4. *Triſt. Eleg.*9. ſignificans ſe laticlauium, id eſt, Senatoriam dignitatem aſſecutum, ſcribit:

*Cœpimus & teneræ primos ætatis honores,*
*Deq; viris quondam pars tribus vna fui.*
*Curia reſtabat, claui menſura coacta eſt,*
*Maius erat noſtris viribus illud opus.*

Plin. *Epiſt.*2. *Epiſt.*9. *ad Apollinarem* ſcribit: *Ego Sexto latumclauum à Cæſare noſtro, ego Quæſturam impetraui.* Verum ſicuti latumclauum Senatoriam veſtem fuiſſe pro comperto habemus, ita qualis fuerit, apud aliquem nec antiquum nec modernum ſcriptorem inuenire potui. Ex hoc loco elicimus, fuiſſe veſtimenti genus ſuccinctorium, & ſupra hoc veſtimentum, *toga* dictum, iniici poterat, vt dicit Wolphgangus Lazius *lib.*2. *Com. de Rep. Rom. c.*3. Lazarus Bayphius *libello de re veſtiaria* fatetur, ingenue non ſatis ſibi liquere, quæ veſtis diceretur latusclauus. Latum ſane clauum veſtem oblongam ad talos vſque declinantem fuiſſe, ex Quintiliano, loco ſuperius citato, exiſtimãdum, cuius formam puto eam eſſe, quam in ſtatuis antiquis Senatorii ordinis homines repræſentantes videmus. Doctiſs. Tiraq. *in Annot. in Alex. ab Alex. lib.*5. *c.*18. interpretatur laticlauum, id eſt, tunicã latisclauis ornatam. Et ſubdit: *Erant autem hi claui ornamenta quædam purpurea clauorum ſpeciem præbentia* (*Bottoni* dicũt Itali) *tunicis attexta, ſeu fortaſſe aſſuta, à quibus latusclauus dictus, id eſt, tunica laticlaui, quod erat inſigne maiorum magiſtratuum.* Pet. Gregor. *in parte* 3. *Syntag. iuris vniuerſi, lib.*47. *c.*23. *n.*17. ita ſcribit: *Latusclauus erat veſtimentum ſuccinctorium, quod clauis* (vocant Galli *Agraphes, ou crochetes*) *iungebatur in pectore, quale veſtimentum, quod apud Hungaros hodie circa pectus & longitudinem brachiorum claucs aureos vel coccineos habet.* Horum ſententiæ adſtipu-

adſtipulari videtur Feſtus Pompeius *lib.14. in verbo picta*, vbi ſcribit, Tunicam palmatam à latitudine clauorum eſſe dictam, quæ nunc à genere picturæ appellatur. Quibus verbis indicat, clauos illos in tunicis acu fuiſſe depictos. Varro lib. 8. de ling. Lat. *Nam ſi quis tunicam ita conſuit, vt altera plagula ſit anguſta clauis, altera lata, vtraq; pars in ſuo genere caret analogia.* Alex. ab Alex. *lib.5. c.18.* inquit, in laticlauo veſte clauos affigi ſolere quandoq; aureos, idq; Titum Cæſarem interdixiſſe, teſte Vopiſco in illius vita. Io. Bap. Egnatius *in ſcholiis in Aurelianum Vopiſci*, interpretatur, *auro clauatas veſtes*, id eſt, *quæ clauos aureos habent*, nos *flores* appellamus. Verum illud pro comperto etiam habemus, non ſolum Senatores, ſed & principes alios viros laticlauo vſos in honoris ſignum, quinimo & mulieres quoq;, teſte Herodiano, *lib.3.* de Plautina ſcribente: *Siquidem latumclauum perpetuo habebat, atq; in ſecundis Conſularibus numerabatur.* Ita quum Lampridius in Commodo ſcribat, per laticlauii honorem paternũ à præfectura remotum; intelligendum, eum honore geſtationis laticlauii inſignitum; nam Præfecti prætorio Equeſtris ordinis erant, teſte Suet. in Tito; niſi interpretemur, *Paternum Senatorem effectum.* Sic quoq; Suet. dicta exponenda in Domitiano, *c.10.* dum inquit, donatum venia à Domitiano, tribunum laticlauium, hoc eſt, tribunũ laticlauii veſtis indumento exornatum, niſi Senatorii ordinis dixerimus. Nam tribunos alios anguſticlauios, alios laticlauios fuiſſe, cõſtat ex Suet. ipſo *in Othone, c.10.* ſcribente, patrẽ ſuum Othoniano bello tribunum anguſticlauium fuiſſe. De clauis, quibus veſtis *laticlauiũ* dicta inſigniebatur, Vlp. *l.19. §.1. D. de aur. & arg.* De anguſticlauis veſte Caius *in l. nuper, 43. D. de don. inter vir. & vx.* & Imp. Alex. *in l. ſi Rufinus, C. de teſtam. milit.* ſed de re hac nos alibi plura. Illud profecto maiorem difficultatẽ habet, quid ſcilicet per fimbriatum ad manus ſit intelligendũ. Nonnulli exponunt, Cæſarem geſtaſſe laticlauum veſtẽ ad manus fimbriatum, hoc eſt, opere Phrygio ornatum, vulgo *Ricamato* dicimus. At nos rectius interpretãdum ducimus, fimbriatũ, id eſt, manicarũ extremitates cæſuratim reciſas, ſeu cæſim diſſectas habentẽ, quemadmodũ & Plin. *li.21. c.15.*

Vrticæ folia fimbriata dixit, hoc eſt, per extremitatum orbem conciſa. Sic & alibi auellanarum barbas fimbriatas vocauit. Et Virg. in Georg. 1.

*—— Et amaris intuba fibris.*

Nam à fibra & *fimbria* deriuata. Vnde fibriatas etiam Plinius *lib.25.c.5.* cæparum radices vocauit. Quod & allii radici adſcribit Colum. & in eundem ſenſum Cic. *in Piſon.* ſcripſit: *Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, &c.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. XLVI.

*Villam in Nemorenſi à fundamentis inchoatam, magnoq; ſumptu abſolutam, quia non tota ad animum ei reſponderat, totam diruiſſe.*

DVplicem ſenſum huic loco aſſignare poſſumus; nempe interpretantes *Nemorenſi*, id eſt, Nemorali ſcilicet loco, nemoribus circumſepto. Quod idem ſignificat cum Nemorenſi, vnde Col. lib. 9. c. 4. *Ex omnibus deterrima nota mel habetur Nemorenſe, quod ex ſpartho atq; arbuto prouenit.* Ita Martialis lib. 13.

*Mittit præcipuos Nemoralis Aricia porros.*

Lucanus:

*Diſtat ab excelſa Nemoralis Aritia Roma.*

Et ita erit ſenſus, *in Nemorenſi*, id eſt, prope Ariciam vrbem, vbi templum & nemus Dianæ erat, de quo Ouid. 1. de arte amandi:

*Ecce ſuburbanæ templum nemorale Dianæ.*

Et lib. Faſt. 6.

*Inſpice quos habeat nemoralis Aricia Faſtos.*

Ibi erat etiam lacus; vnde idem 4. Metamorph.

*Quæq; colunt Scythicæ ſtagnum nemorale Dianæ,*
*Finitimosq; lacus.*

Vocabatur autem lacus, ſpeculum Dianæ, teſte Sipontino, & erat in nemore ſeu luco, qui non longe aberat ab Aricia. Inde Nemorenſis Rex dicebatur, qui Dianæ Ariciniæ ſacrificiis præerat, ex Suet. in Caligula, vbi habetur: *Nemorenſi*

*Regi,*

*Regi, quod multos iam annos potiretur Sacerdotio, validiorem aduerſarium ſubornauit.* Quis fuerit Rex Nemorenſis, Seruius refert in illud Virg. lib. 5.

*———Latet arbore opaca*
*Aureus, & foliis, & lento vimine ramus.*

Idem & Strabo *lib. 5.* Quibus addamus Pauſaniam in Corinthiacis ſcribentem: *Dicato enim ab Hippolyto, poſtquam eum Aeſculapius in vitam reſtituerat, Dianæ Aricinæ templo (cui lucus adiacet, & lacus hodie quoque Nemorenſis dictus, vulgo ſpeculum Dianæ) poſtea barbarico Scytharum more inductum fuit, vt inter ſeruos fugitiuos, qui ſingulari certamine victor primus hoſtiam immolaſſet, Deæ Sacerdos fieret, quem & Regem appellabant, & Sacerdotii Regnum tantiſper obtinebat, dum vertente anno fortior aliquis ſuperueniens eum pugna ſuperaret, qualem Caius ei, qui multos iam annos Sacerdotio præfuerat, ſubmiſit*, ex Suet. *in illo c. 34.* Vnde Ouid. 3 Faſt.

*Regna tenent fortes, manibus, pedibusque fugaces,*
*Et perit exemplo poſt modo quiſque ſuo.*

Et Val. Flaccus 2. Argonaut.

*——Et ſoli non mitis Aritia Regi.*

Et Lucanus in 3. Pharſaliæ:

*Qua ſublime nemus, & Scytica regna Dianæ.*

Sed de hac re plura legat ſtudioſus lector apud Gregorium Giraldum *Syntagm.* 12. Huiuſmodi autem Sacerdotem forte Regem appellatum, eo quod in Aricino nemore, vbi Dianę templum erat, Ægeria Nympha extabat, cum qua loqui ferunt ſolitum Numam Romanorum Regem, ex Liuio *lib. 1.* Aricia hodie paruum caſtrum eſt, *Riccia* vulgo dicta: In hoc itaque loco Cæſarem villam conſtruxiſſe, ait Suet. eamque diruiſſe, quum ad animum illius non reſpondiſſet. De hac re Cic. *ad Atti. Epiſt. 2. lib. 6.* dum ait, Cæſarem in Nemorenſi reædificando diligentiorem fore; ſic enim legendum doctiſſimi viri Turnebus & Torrentius, & iure optimo contendunt. Huius villæ Cęſaris adhuc prope Ariciam conſpiciuntur veſtigia. In huiuſmodi Aricino nemore delitioſo deſidem vitam traduxiſſe Vitellium teſtatus eſt Cornelius Tacitus *libro Hiſt. 3. &c.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
### Cap. LIIII.

*Vnde factum vt auro abundaret, terniſque millibus numum in libras promercale per Italiam, prouinciaſq; diuenderet.*

IO. Baptiſta Egnatius locum iſtum explanare contendens variis ambagibus ſeſe implicat, dum *quaternis millibus* legendum cenſet, vt argenti ad aurum proportio decupla exiſtat. In eundem ſcrupum incidere & Agricola *de re numaria*, Didacus à Couarruia *de veterum numiſmatum collat.* Budæus *lib.3.& 4. de aſſe*, & alii ex recentioribus, dum certam auri ad argentum analogiam Romanorum præſertim temporibus, ſtatuere conātur. Cuius tamē certa ratio nulla adhiberi poteſt, quum non ex natura rei, ſed ex dominantium volūtate, ac legis præſcripto, affluentia, vel paucitate metallorum, etiam pretia augeantur, aut minuantur, quemadmodum & in aliis mercibus ac rebus accidere conſueuit, vt I.C. tradunt. *l. 3. D. de eo quod cer. lo. l. 9. D. de aur. & arg. lega. & l. ſi quis 35. in fin. prin. C. de dona.* vbi auri argentiq; precium ex varietate temporis & locorum, variari dicitur. Hanc autem ſententiam exemplis ex auctorib. deſumptis facile eſt cōfirmare; Siquidem Platonis tempore vti ipſe in Hipparcho tradit, proportionem auri ad argentum duodecuplam fecere. Menander Poeta, (qui à Platone non multum diſtanti ætate ſcripſit) decuplam eandē fecit in quadam fabula, priori loco *auri talentum* dicens, & paulo poſt pro eadem ſumma *decem argenti talenta* aſſignans. Quod etiam ex Liuio *lib.38.* colligi videtur, dum inquit, Ætolis à Rom. debellatis penſione numaria impoſita cōceſſum, vt pro argenteis decē, aureum darent. Herodot. *in Thalia*, talentorū numerum exponens, quæ Darius ſuis ſubiectis imperauerat, auri talentū tredecim argenteis taxauit, ita vt auri ad argētum analogiam tertia decimam fecerit. Arcadii & Honorii imperii tempore auri libra quatuordecim & fere dimidia argēteis taxata eſt, vti colligimus ex l. 1. *C. de argen. prat.* Ex Plinii dictis *lib. 33. c. 3.* colligit Budæus, auri ad argētum quindecuplam fuiſſe analogiam. Vanum itaq; puto, tātum laboraſſe Scriptores in perquirendo

iam

iam memoratam proportionem, quæ nullibi, nec vllo vnquam tẽpore certa reperiri poteſt, vt diximus. Ego ſane nihil aliud innuere voluiſſe Tranquillum cẽſeo, niſi auri affluentiam Cæſarem habuiſſe tantam, vt libra auri veniret triginta aureis coronatis, ſi ſupputationem faciamus ternorum millium numum, ſiquidem numos centum aureum noſtratem coronatum æquiualere oſtendit doctiſſimus Budæus *lib. de aſſe* 2. vbi numum & ſeſtertium tantum valere docet; nec eſt ambigendum, quia auri informis libra numis tam aureis quam argenteis cuſis emi & vẽdi potuerit. Quod & hodiernis temporibus fieri neminem later. Illud tamen certe maxime ſuſpiciendum videtur, aurum Cæſaris tempore adeo redundaſſe, quum exiguum antea Romæ fuiſſe teſtetur Plinius loco toties citato, necnon & aurum à Cæſaris tempore in hanc ætatem vſq; adeo excreuiſſe, vt nunc auri libra, quæ tunc venundabatur aureis 30. nunc centum quindecim & amplius veneat. Quod ex argenti & auri copia ab Indiis & nouo orbe ad nos exportata proueniſſe vſu probatum eſt. Vox autẽ *promercale* nihil aliud ſignificat, teſte Budæo, quam illud, quod præter vſui ſuo neceſſaria paterfamilias aliquis venale habet. Quod & ex hoc Suet. loco colligi videtur, & Cœlius Rhod. *lib.* 28. *c.* 10. affirmat, inquiens, Promercale in venalium ratione dici, quod extra domeſticum vſum redundans venui proponitur. Tamen & promercale communiter accipi poteſt pro quacunq; mercimonia, quæ venũdari proponitur. Ita idem Suet. *de claris Grammaticis* ſcribit: *& officinas promercalium veſtium exercebat.* Et Columella lib. 1. c. 8. *Pecuniamque Domini neque in animalibus, aut aliis rebus promercalibus occupet, &c.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
## CAP. LVI.

*Sed dum voluit alios habere paratum vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, qui illa volunt calamiſtris inurere, ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit.*

CAlamiſtris inurere, eſt fucoſis verbis componere, & exornare hiſtoriam, quod per tranſlationem dixit; nam

notum

notum eſt, calamiſtrum crinalem ſtylum ſeu acum eſſe, quo excalefacto crines cõtorquentur, & in cincinnos rediguntur, & criſpãtur, Cic. poſt reditum: *Non frons calamiſtri notata veſtigiis.* A calamiſtro deriuatur *calamiſtratus.* Cic. pro Seſtio: *Calamiſtrata coma*, & vbi ſupra; *Calamiſtratus ſaltator.* Et Plaut. in Aſinaria, *Cinœde Calamiſtrate.* Refert Varro 4 *de ling. Latina.* Calamiſtrum parari ob ornatum, quod calefactum in ignito cinere capillos ornet. Calamiſtros interpretatur Varro *lib. 4. lingua Latina*, ſtylos, quibus calefactis in cinere capillos exornatur, quod & Nonius Marcellus confirmat. Cic. in Orat. *Remouebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum, nec calamiſtri quidem adhibebuntur, &c.*

## EODEM CAPITE.

*Epiſtolæ quoq; eius ad Senatum extant, quas primum videtur ad paginas & formam memorialis libelli conuertiſſe, quum antea Coſſ. & Duces nonniſi tranſuerſa charta ſcriptas mitterent.*

AD *paginas & formam memorialis libelli*, id eſt, recta pagina per longitudinem illius, quemadmodum hodie ſcribimus nos ſupplices libellos. Duces autem & Conſules olim tranſuerſa charta ſcribere ſolitos ait Suet. id eſt, (vt ego interpretor) eo modo, quo & nos hodie ſcribimus communi vſu; niſi dixerimus, per *tranſuerſam chartam* interpretandum ab vno angulo in oppoſitum angulum oblique progrediendo in ſcribendo. Hebræi in oppoſitam partem, id eſt, à dextera in ſiniſtram ſcribunt, quod & Turcæ faciunt, nos à ſiniſtra in dexteram. Æthiopes, teſte Herodoto *lib. 2.* & Diodoro Siculo *lib. 4. c. 1.* non dextrorſum, vt nunc, ſcribebant, ſed à ſummo deorſum verſus. Quod genus ſcribendi Græci *Tepocon* dixere, teſte Feſto Pompeio lib. 18. *Indicos quoſdam ſcribere tranſuerſa charta ſcimus, inter quos Iapponenſes, vt ipſe vidi, &c.*

## EODEM CAPITE.

*Extant & ad Cic. item ad familiares domeſticis de rebus, in quibus ſi qua occultius perferenda erant, per notas ſcripſit.*

VArii ſunt hodiernis temporibus occulte ſcribendi modi, & præcipuæ per cifra, ſeu *ziffra* vulgari appellatione,

ne, cuius vſum etiam apud antiquos fuiſſe quoquomodo conſtat ex præſenti Suet. loco, & ex Gellio etiam qui furtiuas literas vocat, & furtiua ſcripta, quæ eo artificio fiunt, vt à nullo alio legi poſſint, quam ab eo ad quem ſcribuntur; libro enim 17. *cap.9.* ſcribit: *Res quaſdam occultas nuntiare furtiuo ſcripto valebat.* Ibidem etiam meminit σκυτάλης, quod apud Lacedæmonios Epiſtolę genus erat, quod ſurculum loricatum interpretatur, quo occulte & furtiue ſcribebatur. Eodem loco & tertii modi furtiuæ ſcripturæ meminit, quo vſus eſt Hiſteius ad Ariſtagoram ſcribens, ſubditque extare Probi Grammatici commentarium ſatis curioſum de occulta literarum ſignificatione in Epiſtolis C. Cæſaris. Sed de hac re plura à recentioribus excogitata, de qua iuſta volumina conſcripta. Illud profecto non reticendum, hoc loco per notas minime intelligendum literas, ſeu characteres, quibus olim vtebantur antiqui ad compendioſe & breuiter ſcribendum. De qua re nos fuſius infra in Tito, *cap.3.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
## CAP. LXIV.

*Quum deſiliiſſet in mare, nando per ducentos paſſus euaſit ad proximam nauem, elata laua, ne libelli, quos tenebat, madeſierent, paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis.*

QVod *paludamentum* Imperatorium eſſet indumentum, clare patet ex Varrone *lib.6.ling.Lat.* & Corn. Tacito *lib. Hiſt.2.* Suet. *in Vitellio c.11.* Plutarcho *in Craſſo, & in Caſare,* & Plinio *lib.22.c.20.* & Suet. hoc loco. Nec obſtat, quod apud veteres ſcriptores obſeruemus, Coſſ. & Prætores etiam paludamento vſos, vti de Coſſ. apud Liuium *lib.37.* per initia, vbi de L. Corn. & *lib.36.* de M. Attilio; & *lib. 9.* vbi in pace Caudina T. Viturio Caluino & Spur. Poſthumio Coſſ. paludamenta detracta ſcribit, & ex Cœlio, ſcribente Cic. lib. 8. *Conſules quia verentur ne S.C. illud fiat vt paludati exeant.* Cic. in Piſonem: *Quum proficiſcebamini paludati in prouincias Conſules vos quiſquam putauit?* Plin in Panegyrico: *Geſtus eſt Conſulatus non in hoc Vrbis otio, ſed iuxta barbaras gentes, & illi ſolebāt quibus*

erat

*erat moris paludamento mutare prætextam.* Prætores etiam paludamento vſos obſeruamus, vti apud Val. Max. *lib.5.c.6.* vbi de Genutio Cippo, & ex Cæſ. *lib.1. belli ciuil.* ſcribente: *In reliquas prouincias Prætores mittuntur, neque expectant quod ſuperioribus annis non acciderat, vt de eorum imperio ad populum referatur, paludatique votis nuncupatis exeant.* Cic. de Verre Prætore Siciliæ: *Quum paludatus exiſſet, &c.* Pro concilio ſciendum, paludamentum ſemper bellicum indumentum fuiſſe, ob id ſeu Imperatores, ſeu Coſſ. aut Prætores, ſi quando cũ imperio militari & exercitu in bellũ proficiſcebãtur, paludamẽto induebantur, votis auſpicatis in Capitolio; Quod præſertim ex Liuio *lib.22.* elicimus, vbi inquit, C. Flaminium à Senatu reprehenſum, & commonitum, vt ad vota nuncupanda, & paludamenta ſuſcipienda rediret, quum his omiſſis in prouinciam prouectus eſſet. Quod & pariter *lib.4.* de C. Claudio Pulchro in Hiſtriam prouinciam profecto, eodem modo contigiſſe ſcribit; quodque etiam clarius dignoſcitur ex eodem *lib.42.* vbi de P. Licinio Conſule vota in Capitolio nuncupante, & paludato, verba facit. Non ſolum autẽ Coſſ. & Prætores exercituum duces in bellum paludatos profectos obſeruamus, ſed & eoſdem Lictores etiam paludatos habuiſſe, ex Liuio *lib.1. & lib.5.* in oratione M. Seruilii Conſulis. Idem *lib.31.* inquit: *Tunc L. Sulpitius ſecundum vota in Capitolio nuncupata, paludatur cum Lictoribus.* Et *lib.41.* increpat C. Claudium Pulchrum Conſulem, cui Hiſtria prouincia ſorte obtigerat, quod votis non nuncupatis, non paludatis Lictoribus, in eam prouinciã abiiſſet. Paludatos Duces vocat Iuu.

*Cumque paludatis ducibus præſente marito*
*Ipſa loquitur.* ———————

Sextus Pomp. *Teſt. lib.14.* ex Veranio ait, per *paludatos* intelligendum armatos, armiſque ornatos, & omnia ornamenta militaria *paludamenta* dici. Sic de priuato milite, vel ſaltem non Duce, *paludamentum* obſeruamus apud Liuium *lib.1.* hoc eſt, veſtem militarem. *Cognitoque* (inquit) *ſuper humero fratris paludamento ſponſi, quod ipſa confecerat, ſoluit crines, & flebiliter nomine ſponſum mortuum appellat.* Sponſum autẽ vnum ex Curiatiis fuiſſe certum eſt, quorum nemo Albanorum

Dux

Dux fuit. Hanc ſententiam confirmare poſſumus ex Saluſtii dictis, lib.Hiſt.3. *Et eodem tempore Lentulus duplici acie, loco in edito, multo ſanguine ſuorum defenſus, poſtquam è ſarcinis paludamēta aſtare, & delectæ cohortes intelligi cœpere.* Cic.in Epiſt. *Exierunt duo Vulturii paludati*, & in Antonium: *Ant. ante lucem gemens paludatus.* Non deſunt qui & *paludamentum* muliebrē quoq; veſtem fuiſſe contendant, authoritate Plinii *lib.33.c.3.* vbi habet: *Vidimus Agrippinam Claudii Principis, aſſidentem ei, indutam paludamento aureo textili, ſine alia materie.* Sed pace eorū dixerim, Plin.nō ſenſit, vere muliebrem veſtē fuiſſe paludamentum, ſed nimiū Agrippinę faſtū & luxū nimiamq; Claudii in eā indulgētiam deteſtari voluit, quæ marito permittēte militarē veſtem aureā in ſpectaculo naualis pugnę induere auſa eſt. Ex hoc Plinii loco paludamētum totū aureū obſeruamus, purpureū vero ex eodem, *lib.22.c.2.* ſcribente, Coccum Imperatoriis paludamentis dicatū. Sill. de Scipione bellāte:

*At contra ardenti radiabat Scipio cocco.*

Hoc idem Plutarchus affirmat in Craſſo: *Fertur eo die Craſſum non purpurea veſte, vt Prætorum Romanorum mos eſt, ſed pulla veſte ad milites proceſſiſſe.* Et Val.Max. *lib.1. c.6.* de eodem qui apud Parthos occubuit, inquit: *Pullum ei traditum eſt paludamentum, quum in prælium exeuntibus album aut purpureum dari ſoleret.* Et quib. etiā paludamentum pullum & album adnotamus. Iſidorus auro & purpura diſtinctū fuiſſe paludamentum teſtatum reliquit. At cuius figuræ paludamentum fuerit, ex veteribus nullus, quod ſciam docuit, ex recentioribus Budæus *in Annot.in Pand.ex l.1.§.1. in tit. Depoſiti*, eius generis paludamentum fuiſſe exiſtimauit indumētum, quale hodie *Cottam armorum* vocamus; cui libenter aſſentiri vellem, niſi illud obſtare videretur, quod *armorum Cotta* dicta, corpora militum circumueſtiri ſcirem, paludamentū vero tantū exterius veluti pallium apponi, quod ex ſtatuarū antiquarum Ducum inſpectione dignoſcimus non modo, ſed & ex ipſo Suet. hoc in loco colligimus, ſi enim paludamento Cæſar corpus circum indutum habuiſſet, quæ erat neceſſitas, vt illud mordicus teneret? quod etiā cōprobamus ex Liuio *lib.9.* ſcribente: *Inter hæc dicta paludamento circū laue brachium intorto*

*(nam*

*( nam ne ſcuta quidem ſecum extulerant ) in hoſtes impetum fecit.* Concludamus itaque ex iam dictis, haud mirum eſſe, ſi Cæſar paludamẽtum *veſtem Imperatoriam,* Plutarchus *Prætoriam,* Dion *militarem* appellauere, quum de Pompeio Pharſalico prælio excedente loquuti ſunt. Sed quod ad hiſtoriæ veritatem ſpectat, Suetonius profecto mendacii, vel ſaltem adulationis nota haud carere videtur, ſiquidem Hircius *libro de bello Alexandrino,* deſcribens hanc Cæſaris ex nauigio adnatationem, ne verbum quidem de paludamento facit. Dion *lib.*42. ſcribit, Cæſarem veſtium pondere grauatũ, & quum eſſent purpura inſignes, frequentibus telis petitum pene periiſſe, tandemque iis abiectis ad proximam nauem nando euaſiſſe. Appius *Ciuil.* II. Cæſaris paludamentum hoſtes intercepiſſe ait, & Dion addit, Ægyptios eo potitos, in victoriæ trophæum tãquam Cæſarem interemiſſent, ſuſpendiſſe.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. LXVII.

*Diligebat quoque vſque adeo, vt audita clade Tituriana, barbam capillumque ſummiſerit, nec ante depoſuerit, quam vindicaſſet.*

MIrum ſane eſt, priſcos homines modo in lætitiæ, modo in mœſticiæ indicium capillos & barbam abraſiſſe, nonnunquam etiam ſummiſiſſe, pariter in ignominiæ ſignum vel deditionis idem feciſſe, quod nõ ſolum ex Ethnicorum ſcriptis, ſed & ex ſacris paginis colligimus. Detonſi capilli & barbæ in dolore & mœrore plura exempla habemus apud Hebræos. In Iobi hiſt. *cap.* I. legimus, illum audita filiorum clade totondiſſe capillum. Hieremiæ *cap.* 7. habemus: *Tonde capillum tuum, & proiice in directum planctum.* Et Micheas cap. I. *Decaluare, & detondere ſuper filios deliciarum tuarum, dilata caluitium tuum, ſicut Aquila, quoniam captiui ducti ſunt ex te.* Eſdræ I. cap. 9. *Et euelli capillos capitis mei, & barbæ, & ſedi mœrens.* & Iſaiæ cap. 15. *Moab vlulabit, in omnibus capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.* Et Ieremiæ 41. *Venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri, raſi barba, ſciſſis veſtibus,*

*veſtibus, & ſqualentes.* Et eiuſdem c. 48. *Omne caput caluitium, & omnis barba raſa erit, in cunctis manibus colligatio, & ſuper omne dorſum cilicium.* Ex quibus facile conuincitur, perperam Origenem aduerſari D. Hieronymo affirmanti Iob *cap.* 1. hunc morem fuiſſe lugentium; quem pariter obſeruatum apud Ethnicos legimus. Plutarchus in vita Alexandri, & Arrianus de geſtis eiuſdem, & Ælianus *de varia Hiſtoria. lib.* 7. *cap.* 8. ſcribunt, Alexandrum Magnum mortuo Epheſtione amico, inter cætera mœſtitiæ ſigna iuſſiſſe equos & mulos etiam tonderi; hoc idem à Perſis factum mortuo Maſiſtio Herodotus *lib.* 9. ſcriptum reliquit. Suetonius *in Caligula, cap.* 5. tradit, mortuo Germanico illius patre, Regulos quoſdam barbam depoſuiſſe, & vxorum capita raſiſſe. Dictys Cretenſis refert *libro quarto de bello Troiano*, corpore Aiacis concremato, omnes Reges apud tumulum eius comam depoſuiſſe: Apud Statium *li.* 6. *Thebaidos*, Lycurgus in funere Archemori filii comam & barbam totondit.

*——Tergoque & pectore fuſam*
*Cæſariem ferro minuit, ſectiſque iacentis*
*Obnubit.——————*

Sic apud Virgilium 9. *AEneid.* Euryale mater audita morte filii comam depoſuit.

*Euolat infelix, & fœmineo vlulatu*
*Sciſſa comas.*

Propertius lib. 1 Eleg. 17.

*Illa mea charos donaſſet funere crines.*

Catullus in Argonauticis.

*Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres,*
*Quum in cinerem canos ſoluent à vertice crines.*

Ouidius lib. 3. Metamorph. de ſororibus Narciſſi.

*————————Planxere ſorores*
*Naiades, & ſectos fratri impoſuere capillos.*

Et in epiſt. Canaces ad Macarium:

*Non mihi te licuit lacrymis perfundere iuſtis,*
*In tua non tonſas ferre ſepulchra comas.*

Seneca in Phœdra, actu 5. Sce. prima:

*Placemus vmbras capitis, exuuias cape,*

*Laceraque frontis accipe abſciſſam comam.*

Dionyſius Halycarnaſſ. vbi loquitur de funere Virgineo inquit, Virgines cum cæteris donis etiam retortos crines detonſos lectulo inieciſſe. Eundem morem pluries apud Homerum obſeruamus, *lib. Iliad.* 23. vbi loquitur de Myrmidonibus, & paulo poſt vbi de Achille verba facit. Et 4. *Odyſſ.* in morte Antiochi. Et *lib.* 24. eiuſdem de funere Achillis, vbi & Briſeidem quoq; κειραμένη πλοκάμους, id eſt, tonſis crinibus eundem proſequi ſcribit. Apud eundem legimus, Patrocli cadauer opertum capillis amicorum detonſis ſuperiectis. Et Homerum imitatus Q. Calaber, facit Myrmidones in funere ipſius Achillis comas circumtondere. Eundem morẽ obſeruauit Anto. Baſſianus Caracalla in funere Feſti, tradente Herodiano *lib.* 4. Macedonibus aſſuetum, vt crinem tonſi defunctos lugerent. Ita Archelaus Rex illorum, Euripidem Tragicum intimum familiarem crinem tonſus luxit. In quo facetiſſimum illud Bionis proditum, referente Cicerone *Tuſcul.* 3. lugentes capillum euellere, quaſi caluitio mœror leuaretur. De Archelao idem tradit Solinus *lib.* 14. *vel* 15. ex aliorum computatione: & Seneca *libro de beneficiis*, 5. Apud Theocritum, *in Idyllio*, Cupidines mortem Adonidis lugent κειράμενοι χαίτας *detonſis crinibus*. In luctu comam vellendi moris, meminit & Lucianus *in libello de luctu.* Herodotus *lib.* 2. ſcribit, apud quoſdam ritum eſſe in funere proximi, caput deglubare. Apud Plutarchum in Lyſandro: *Barchiadæ Corintho exules ſqualidi detonſo capillo Lacedæmona profugerunt.* Herodotus *lib.* 1. tradit, Argiuos ob amiſſam victoriam in Thyreaticis, lege cauiſſe, ne quis comam nutriret ante priſtinæ gloriæ decus recuperatum. Lacones vero victores econtra ſanxiſſe, ne quis comam tonderet contra morem eorum. Huius rei nonnihil etiam meminit Plato *in Phædone.* Strabo *lib.* 6. & Herodotus *in Eratho*, prodidere, quod Sybari à Crotoniatis direpta, Mileſii omnes capita deraſere, ingentem luctum edentes. Q. Curtius *lib.* 10. literis mandauit, Perſas detonſis coniugibus & liberis peremptos lugere. Niceph. Caliſtus *lib.* 18. *hiſt. eccleſ. cap.* 30. teſtatum reliquit, in Chubda ciuitate in finibus Indiæ, Præfectum lugere coniuges

iuges

uges caput nouacula radentes. Poſtremo addamus D. Hieronymum *in c.7. Hieremiæ*, & Gregorium Magnum *lib. 2. Moral.* & in Iob, *c.* 17. teſtatos, morem fuiſſe veterum, vt quiſq; in ſpeciem ſui corporis capillos nutriret, quos tempore afflictionis abſcinderent. His omnibus ſic ſe habentibus, non difficultate vacat, quod hoc loco ſcribit Sueton. Cæſarem ſcilicet, audita Tituriana clade, barbam & capillum ſummiſiſſe, quum potius oppoſitum facere debuiſſet, ſtantibus iam dictis. Huic obiectioni ſic ſatisfaciendum putamus; Cęſarem inquam non externorum morem ſequutum, ſed Romanorum, quibus mos fuit in mœrore barbam & capillos ſummittere, quod Plinius iunior Epiſt. Suræ ſuo teſtatum reliquit, inquiens, Romanos criminis alicuius reos, crinem ſummittere ſolitos. Hoc idem colligimus ex Liuio *libro 6.* vbi de Manlii Capitolini vinculis verba facit. Et *libro* 27. de M. Lucio inquit: *Sed erat veſte obſoleta, capilloque, & barba promiſſa, præferens in vultu habituque inſignem memoriam ignominiæ acceptæ.* Varro ille, qui cædis Cannenſis cauſa fuit, poſt eam capillum barbamque ſummiſit, tradente Iulio Frontino *Stratagematon lib. 4. cap. 5.* Nonius Marcellus *libro* 4. author eſt, Siſennam complures menſes barba ſummiſſa, & intonſo capillo flentem lugubri veſtitu populum vicatim circuiſſe. Caligula Imperator in morte Druſillæ ſororis adamatæ, barbam capillumque promiſit, ex Suetonio in illo *cap.* 24. Addamus & ſecundam rationem, cur Cæſar potius ſummiſerit barbam & capillos, quam deciderit, eaque hæc eſt; ne tondendo crinem & barbam, animum deſpondiſſe videretur ob Titurianam cladem, ſiquidem ex hiſtorica lectione obſeruamus, capilli vel barbæ depoſitionem deditionis & ſubiectionis deiectioniſque indicium extitiſſe. Paulus Diaconus *libro 6. Hiſt. Longobard. cap.* 15. ſcribit, Carolum Francorum Regem miſiſſe filium ſuum ad Liuthprandum Longobardorum Regem, vt iuxta morem capillum ſuſciperet, qui eius cæſariem incidens, pater eius effectus eſt. Fuit enim antiquus mos, præſertim nobilibus Francorum, comã nutrire, teſte Greg. Turonenſi *lib. 3. Hiſt. Fran. c.* 17 Et quod affirmat P. Æmilius in Carolo Magno, in Clodoueo

& Clotario ſecundo : *apud Longobardos detondebantur capilli in ſymbolum ſeruitutis. Pilum barbamque deponere deditionis cuiuſdam ſignum erat.* Refert Gregorius Turonenſis *lib. 2. Hiſt. Franc. c.* 41. Clodoueum, Regem Francorum indignatum contra Chararicum quod in pugna contra Siagrium ſui partes non adiuuaſſet, illum cum filio vinctos totondiſſe. Ita Trithemius *lib. 1. Breu. Hiſt. Franc. in Rege* 44. ſcribit, Clodium Regem Francorum anno quo poſt patris mortem Regno potitus eſt, iuſſiſſe, vt Franci omnes barbam & comam nutrirent, vt internoſcerentur à Gallis, quos ſubactos tonderi iubebat. Sic ſeruis olim vetitum erat comam nutrire, atteſtante Ariſtophane *in Auibus*, dum inquit, δοῦλος ὤν, κόμην ἔχεις? id eſt, *Seruus quum ſis, comam nutris?* Honorius & Theodoſius inhibuerunt ſeruis maiores crines deferre, *l.* 4. *Cod. Theod. tit.* 10. Aribertus 26. Rex Longobardorum, Rhotarium Ducem, Bergonum, & Fæodonem Reges quum cœpiſſet, eorum caput, & barbam radens Taurinis in exilium miſit, teſte Paulo Diacono *lib. 6. de geſtis Longob. cap.* 6. 2. Regum c. 19. eandem ob cauſam legimus Dauidis legatis per Ammonitas & Anonem regem barbæ mediam partem raſam. Iuſſit Carolus Magnus *in tit. de pace, capite decimo*, aduerſus conſpirantes mutuo ſe detondere, quaſi damnati in ſeruitutem. Sic in deditionis & ſubiectionis ſignum virgines Deo ſe vouentes crinem detondunt; quod fecerunt Priſcilla & Aquila, *Act. Apoſt. cap.* 18. Idem mos & Sacerdotibus & religioſis noſtris, exemplo D. Pauli & aliorum diſcipulorum *Corinth.* 11. Sed de re hac plura legat curioſus Lector apud Franciſcum Venetum *lib. Probl. Sacræ ſcrip. tomo 6. Sect. 9. Problem.* 397. Dixerunt & Rabbini Iudæorum Sum. Pontif. Legis antiquæ (quod etiam per Ezech. *c.* 44. præcepit Deus Sacerdotibus) eos non debere nutrire comam, ſed ſingulis octonis diebus tondere oportere; Id quod adnotauit Paulus Iſraelita *in præcept. negatiuis Iudæorum, præcepto* 301. Gentilibus Ethnicis quoque mos fuit idem, quod de Veſtalibus *libro* 16. *cap.* 44. tradit Plinius, & de ſacerdotibus Iſidis *in Peſcennio Nigro* Spartianus; & Suetonius *in Nerone, cap.* 12. de prima barba ab eo Ioui Capitolino conſecrata. Sed eo vnde digreſſi ſumus

mus reuertentes, dicamus, Cæſarem forte ob dictam cauſam comam & barbam ſummiſiſſe, nec depoſuiſſe niſi vindicata Tituriana clade. Quem morem etiam Græcorum fuiſſe colligimus ex Dyćte Cretenſe, *libro* 4. tradente, Neoptolemum Achillis filium, poſtquam vindicatam necem ex Alexandro necato à Philoćtete vidit, ad patris ſepulchrum crines depoſuiſſe. Germanorum quoque eundem morem fuiſſe obſeruamus ex Cornelio Tacito *lib. hiſt.* 4. ſic ſcribente: *Ciuilis, barbaro voto poſt capta aduerſus Romanos arma, perplexum rutilatumque crinem patrata demum cæde Legionum depoſuit.* Et rurſus lib. *de Germanorum moribus* inquit: *& aliis Germanorum populis vſurpatum, rara & priuata cuiuſque audacia apud Cattos in conſenſum venit, vt primum adoleuerint, crinem barbamque ſummittere, nec niſi cæſo hoſte exuere votiuum, obligatumque virtuti oris habitum.* Itaque Cæſar audita cæde Q. Titurii & L. Cottæ Legatorum cum militibus ſuis dolo circumuentis ab Ambiorige Eburonum Duce inter Moſam & Rhenum, de qua ipſe *lib. 5. Belli Gallici*, comam & barbam ſummiſit, nec ante depoſuit, quam vindicaſſet, quod eum ſtrenue feciſſe libro eiuſdem 8. legimus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. LXVIII.

*Tamen & cæteras neceſſitates non quum obſiderentur modo, ſed etiam ſi alios ipſi obſiderent, tantopere tolerabant, vt Dyrrhachina munitione Pompeius, viſo genere panis ex herba, quo ſuſtinebantur, cum feris ſibi rem eſſe dixerit.*

VIdimus nos in maxima annonæ caritate ad famem ſubleuandam, præter vſitatos panes ex ſegetibus quibuſcunque fieri ſolitis, non ſolum factos; ſed & alpinos homines, locorumque ſterilium & incultorum incolas, panem confeciſſe ex corticibus nucum, ex iuglande priſtino molitis, & quod magis mirandum eſt, ex palea in clibano excalefacto, nec tamen ignito, exſiccata, & priſtino in tenuem pollinem redacta, panem confectum, commixta tamen dimidia ſaltem portione alicuius farinæ comeſtibilis. Ex

ſurfure quoque molito idem effectum ſcimus. Legimus in libro Italice ſcripto, cui titulus *Theſoro Politico*, in Relatione Regni Perſarum, illius Regni incolas quoſdam pauperes caritatis annonæ tempore veſci ſolitos pane confecto ex farina corticum pini & abietis, & nihilominus robuſtiſſimos eſſe. In eodem libro in relatione Neapolitana legimus, à Prorege tentatam confectionem panis ex radice herbæ vocatæ *pan porcino*, eum tamen reclamante populo minime in vſum tractum. Quare & ex herba exſiccata factos panes in Dyrrhachina obſidione eodem modo facile credimus; quod hoc loco Suetonius docet.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. LXVIII.

*Memorabile illud apud Græcos Cynegiri exemplum imitatus, tranſiliuit in nauem, vmbone obuios agens.*

CYnegirus fuit ciuis Athenienſis, cuius tanta in prælio nauali fuit pertinacia, vt nauem hoſtium dextera iniecta, vi retinuerit, eaque amputata iniecerit ſiniſtram, quam & ipſam quum amiſiſſet, morditus nauem arripuit, Quod refertur à Iuſtino Trogi abbreuiatore. Hunc imitatum Accilium in nauali pugna ad Maſſiliam inquit Suetonius, quum iniecta in puppim hoſtium dextera, & abſciſſa tranſiliſſet in nauem, vmbone obuios agens. Vmbonem autem mediam clypei partem eminentiorem vocauere Latini. Statius:

*Iam clypeus clypeo, iam vmbone repellitur vmbo.*

Quandoque tamen pro toto clypeo accipitur. Liuius libro quinto, *Gallum vmbone ictum deturbat.* Vtraque ſignificatione hoc loco accipi poteſt, attamen videant doctiores, an hic nouo & ſingulari ſignificatu accipiatur pro brachii parte extrema, à qua manus fuerat abſciſſa, vulgo noſtrates incolæ *Moncone* appellant, quod certe magis adnotatione dignum videtur, ſcilicet vt Accilius ita hoſtes obuios repelleret;

leret; ſi enim ſcuto ſiniſtro brachio appenſo id feciſſet, non æque mirum fuiſſet.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
## CAP. LXX.

*Decumanos autem Romæ cum ingentibus minis ſummoque etiam vrbis periculo miſsionem & præmia flagitantes.*

DEcumanos vocat Suetonius milites decimæ legionis; *Decumum* enim antiqui, ſicuti *decimum* dixere. Plautus in Amph. *Alter decumo poſt menſe naſcetur puer.* Sicuti enim plures Romanis fuere legiones, ita & à primo numero incipientes, ordine illas vſq; ad alios ſucceſſiue nominauere. De Primanis verba facit C. Tacitus lib. 1. *Primani ducendum ad agmen deliguntur.* Et lib. 17. 18. 19. & 20. & alibi ſæpe. De Secundanis idem Cornelius, *lib.* 21. & Liuius *lib.* 31. *poſt principium, & lib.* 4. in duobus locis, vbi clare declarat *ſecundanos* dici milites ſecundę legionis. Hos autem fuiſſe ex oppido Arauſione Galliæ Narbonenſis tradunt Pomponius Mela *lib.* 2. *c.* 5. & Plinius *lib.* 3. *c.* 4. Eorundem meminit quoq; Hircius *de bello Alexandrino.* Tertianos notamus ex Cor. Tac. *lib.* 12. *&* 19. non ſemel, & *lib.* 20. *in prin.* De Quartanis idem Tacitus *lib.* 20. & Iul. Capit. *in Claudio.* Quintanos legimus apud eundem Tacitum *lib.* 1. 17. 18. *&* 20. Sextanos apud Pomp. Melam *lib.* 2. *c.* 5. & Plin. *lib.* 3. *c.* 4. vbi dicunt hos fuiſſe ex Arelate. Septemanos ex ipſo Tacito *lib.* 19. non ſemel, ex Pomponio Mela, & Plinio locis ſuptadictis, vbi Septimanos fuiſſe dicũt ex Blittera Narbonenſis Galliæ; Vndecimanos ex eodem Tacito *lib.* 1. Tertiadecimanos ex eodem Tacito dicto *lib.* 1. Quartadecimanos ibidem Tacitus, & *lib.* 4. 15. *&* 18. ſæpe, vbi eos quartadecumanos vocat, & *lib.* 19. 20 *&* 21. Quintadecimanos apud eundem *lib.* 1. *&* 20. Sextadecimanos apud eundem non ſemel *lib.* 19. Vndeuigeſimanos Tacitus *lib.* 1. pluries, & *lib.* 20. Et Hircius *de Bell. Alex.* Duodeuigeſimanos idem Tac. *lib.* 19. *&* 20. Vnauigeſimanos apud eundem *lib.* 18. Duo & vigeſimanos ex eodem libro 21. *in prin.* Decimæ legionis & decimanis militibus inter cęteros plurimum fidebat Cęſar.

Quod ipſe *libro* 1. *Belli Gallici* teſtatum reliquit per hæc verba: *Quod ſi præterea nemo ſequatur, ſe cum ſola* 10. *legione iturum, de qua non dubitaret; ſibique eam Prætoriam cohortem futuram. Huic legioni Cæſar indulſerat præcipue, & propter virtutem confidebat maxime.* Et paulo poſt: *Princeps* 10. *legio per tribunos militum ei gratias egit, quod de ſe optimum iudicium feciſſet, ſicque eſſe ad bellum gerendum paratiſſimam confirmauit.* Et rurſus paulo infra: *Cæſar quod nec colloquium interpoſita cauſa tolli volebat, neque ſalutem ſuam Gallorum equitatui committere audebat, commodiſſimum eſſe ſtatuit, omnibus equis Gallis, equitibus detractis, legionarios eo milites legionis decimæ, cuique maxime confidebat, imponere; vt præſidium quam amiciſſimum, ſi quid facto opus eſſet, haberet. Quod cum fieret, non irridicule quidam ex militibus decimæ legionis, pluſquam pollicitus eſſet Cæſarem facere, pollicitum eſſe in cohortis prætoriæ loco Decimam legionem habiturum, ad equum reſcribere ait.* Et *lib.* 2. eiuſdē Cæſar ſcribit, ſe quum confligendum cum hoſte eſſet, cohortando milites ad legionem decimam deueniſſe. Et paulo infra: *legionum nona & decima milites ſtrenue dimicantes Atrebates confeciſſe, tranſiecto flumine hoſtes, qui redintegrarant prælium, in fugam conieciſſe.* Ex quibus patere poteſt, Decimanos, ſeu Decumanos milites, & Decimam legionem principem locum apud Cæſarem inter cæteros habuiſſe. Trebellius Pollio in vita D. Claudii, ſcilicet ſecundi, qui poſt Gallienum Valeriani filium imperauit, ita ſcribit: *Quæſo igitur mi Venuſte, ſi mihi fidem exhibes, vt eum facias à Grato & Herenniano placari, neſcientibus hoc militibus Daciſanis.* Quo loco legendum puto *Decumanis*, vel *Decimanis*; Quamuis enim Pannonicam legionem, Italicam, Macedonicam, Gallicam, Parthicam, Scythicam in hiſtorica lectione obſeruarim, eo quod in locis, à quibus denominationem ſumpſere, militarint, vnde & à Dacia *Daciſianos milites*, id eſt, Dacicæ legionis appellatos exiſtimare poſſimus; nihilominus quum huius legionis nullibi mentionem factam obſeruarim, cenſeo potius mendum in textu eſſe, & legendum, vt dixi.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. LXXVI.

*Inſuper prænomen Imperatoris, cognomen patris patriæ, ſtatuam inter Reges, ſuggeſtum in Orcheſtra.*

ORcheſtra locus erat in theatro, in quo Senatorum ſedes deſignabantur, teſte Vitruuio, *lib.5.cap.6.* vbi ait, eius pulpiti altitudinem non debere excedere pedes quinque, vt qui in Orcheſtra ſederint, ſpectare poſſint omnium agentium geſtus. Idem Sueton. *in Nerone, cap.12.* Deinde in Orcheſtram Senatumque deſcendit, & orationis quidem carminisque Latini coronam, de qua honeſtiſſimus quiſq; contenderat, conceſſam ſibi recepit. Ex quibus clare colligimus, Orcheſtram non patuiſſe popularibus, ſed Senatoribus, principibusque viris tantum, & ex Iuuenali, Sat.3.

—— *Similemq; videbit*

*Orcheſtram, & populum.*

Vnde alio in loco populum ſediſſe, & non in Orcheſtra, principibus viris tantum deſtinata, clare patet. Vnde & Sueton. *in Auguſt. cap.35.* eum Senatoribus, qui ſe à Senatu ſponte abdicaſſent, locum ſpectandi in Orcheſtra ſeruaſſe tradit. Et Iuuenalis inquit:

*Quæq; reportandis poſita eſt Orcheſtra cathedris:*

Innuens, in ſellis dignioribus deſtinatis ſeſſum eo in loco. Orcheſtram voluit Vitruuius loco ſupra citato, dictam ab ὀρχέομαι, id eſt, *ſalto, tripudio, geſticulor*; in ea enim etiam chorus & geſticulatores & citharædi, cæterique omnes, qui perſonam ex fabula non agebant, ſed tantum actioni inſeruiebant, ſtabant, & eorum erat propria, teſte Iulio Polluce, *lib.4 cap.19.* Vitruuius *lib.5.* ſcribit: *Ampliorem habent Orcheſtram Græci, & ſcenam receſſiorem, minoreq; latitudine pulpitum, quem logæum appellant; Ideoq; apud eos Tragici & Comici actores in ſcena peragunt, reliqui autem artifices ſuas per Orcheſtram præſtant actiones.* Cic. de Pro. *Piſo iam cum Græcis in Orcheſtra helluatur, antea poſt ſiparium ſedebat.* Imperatores & Conſules in loco, quem *Podium* appellabant, ſpectatores erant, teſte

Alexandro ab Alex.*lib.5.c.16.* quod tamen non proprie acceptum, verum eſſe conſtat, ex Iuuenali *Satyr.2.* dicente:

*Omnibus ad Podium ſpectantibus.*

Quod ſi in eo Neronem quandoque ſpectaſſe, ex Suetonio legamus in illo, *cap.12.* vbi habet: *Nam perraro præſidere, cæterum accubans, primum paruis foraminibus, deinde toto podio adaperto ſpectare conſueuerat:* non tamen à ſententia noſtra recedimus; ſiquidem ea verba, *perraro præſidere,* demonſtrant, Neronem non in proprio & Imperatoribus deſtinato loco ſpectaſſe, ſed aliquando in podio, & aliquando è proſcenii faſtigio, teſte eodem Sueton. loco citato. Ita & Auguſtum Cæſarem, vt tradit Suetonius in illius vita, *cap.45.* Circenſes ex amicorum libertorumque cœnaculis ſpectaſſe, interdum è puluinari, & quidem cum coniuge & liberis ſedentem. Quæ loca quis ſanæ mentis affirmabit, ſpectandi Imperatoribus propria fuiſſe? Statuamus itaque ex hoc loco Suetonii, Orcheſtram locum Imperatoribus & aliis Principibus viris dicatum fuiſſe, ſpectandi in theatro. Quod etiam ex alio Suetonii loco *in Aug.cap.*44. colligimus, vbi habet: *Romæ legatos liberarum ſociarumq́; gentium vetuit in Orcheſtra conſidere, quum quoſdam libertini generis mitti deprehendiſſet.* Legatis namque apud Principes ſedendi in publicis ſolennitatibus antiquitus, & hodiernis temporibus ius fuiſſe, & eſſe, omnibus receptum eſt. In Orcheſtra autem altior locus erat ſuggeſtum, honoris maximi gratia inſtitutum, Cæſarique dicatum. Quod Cicero in Anton. *faſtigium* appellauit, inquiens: *D. Iulius habuit puluinar, ſimulachrum, faſtigium, flaminem.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
## CAP. LXXVI.

*Sed & ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt, ſedem auream in Curia, & pro tribunali thenſam, & ferculum Circenſi pompa.*

THenſæ ſunt ſacra vehicula, quibus in ordine pompæ diuinæ & hoſtiarium, ſimulacra Deorum vehebantur. Aſconius

Aſconius Pædianus *in 3. in Verr. act.* Thenſas vocari, inquit, quod ante eas linea (*lora* alii legunt) tendantur, quas gaudet manibus attrectare, qui eas deducunt, vel ἀπὸ τῦ θεῖυ, id eſt, à re diuina. Et ſic per *th* ſcribitur. Seruius lib. 1. Æneid.

*—— Hic illius arma,*

*Hic currus fuit,*

ſcribit: *Aut currus, quo ipſa in cœlo vtitur, vel thenſa, qua Deorum ſimulacra portantur.* Huius meminit Cic. in orat. de Aruſp. Reſpon. *Te appello Lentule, cuius Sacerdotij ſunt Thenſæ.* Et rurſus: *Si puer ille terram non tenuit, ſi thenſam aut lucrum omiſit.* Et in vltima in Verr. act. *Omnes Dij, qui vehiculis thenſarum, ſolemnes cœtus ludorum initis.* Et in 5. act. in Verr. *Qui ex thenſarum orbitis prædatus eſt.* Et rurſus: *Via Thenſarum & pompæ.* Thenſæ etiam meminit in orat. pro Planco. Suet. hoc loco, & in Veſpaſiano, *cap. 5.* Neronem diebus vltimis monitum per quietem, vt thenſam Iouis O. M. è ſacrario in domum Veſpaſiani in Circum deduceret. In Auguſto quoq; idem Suet. Thenſæ verba facit. Liuius *lib. 5.* ſcribit: *Quæ auguſtiſſima veſtis eſt thenſas ducentibus triumphantibusve.* Nec omittendum, à Feſto Pompeio ſcribi lib. 18. *Thenſa vehiculum argenteum, quo exuuia Deorum ludis Circenſibus per Circum ad puluinar ducebantur.* Ex quibus locis omnibus clare colligitur, thenſam vehiculum Diuini ſimulacri fuiſſe, & ita appellatam, quod deſuper tenderetur illud, quod hodie vulgo *Baldacchino* dicitur, & proprie Thenſa vocatur, & eſt illud tegminis genus, quo Imperatores, Reges, & cæteri Principes, tam ſeculares, quam eccleſiaſtici. vti ſolent illis in locis, vbi ſedent, epulantur, & in Eccleſiis, vbi ſacra fiunt, & etiam altaribus & Diuæ Virginis, & Sanctorũ imaginibus ſuperimponi conſueuit. Thenſam autem ferri ſolitam, non vehi, colligimus ex Dionyſ. *Antiq. Rom. lib. 7.* de Circenſi pompa ſcribente: *Poſtremum agmen claudebant ſimulacrorum baiuli.* De hac eadem pompa Ouid.

*Aurea pompa venit, linguis animisq; fauete.*

Vocat autem *auream pompam*, quia qui eam ducebant, aurea veſte, ſicuti & triumphantes, vti ſolebant, vti ex Liuio, loco citato, colligimus. Quod autem ad ferculum pertinet,

epulari

epulari Romanos conſueuiſſe, in ſacris ædibus ſacrificio peracto, hoſtiarum extis & carnibus, docet Alex. ab Alex. *lib.4.cap.17.* & elicitur etiam ex Sueton. *in Claudio,cap.33.* vbi habet: *Cognoſcens quondam in Auguſti foro, victusq; nidore prandij, quod in maxima Martis æde Salijs apparabatur, deſerto Tribunali, aſcendit ad Sacerdotes, vnaq; diſcubuit.* Vnde & Iouis epulum, de quo Liuius in calce libri 29. & lib.30. & 32. *Quamobrem quum cætera Diis adhiberi ſolita recepiſſet Cæſar, & ferculum etiam ſibi viuenti cum illis in Circenſi pompa præferri permiſit*, niſi (& certe rectius) dixerimus, per *ferculum* non hoc loco intelligendum ciborum miſſum, ita vocatum, eo quod menſæ inferatur, ſed eadem appellationis deriuatione pro parte vehiculi inferiori, ſuper qua Dei alicuius ſimulacrum eminens ferebatur, Thenſa alia vehiculi ſuperiori parte ſuperinducta. Ita Sueton. in Cæſare: *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum protulit titulum.* Et Liuius lib.1. *Spolia ducis ſuſpenſa, fabricato ad id apte ferculo.* Et Cic. lib.1. Offic. *Cauendum, ne tarditate vtamur in ingreſſu mollioribus, ac ſimiles pomparum ferculis eſſe videamur.* Hinc, *ducere ſacra, vehere ac ferre ſacra*, iure apud ſcriptores obſeruamus. Virg.8. Æneid.

*—— Caſtæ ducebant ſacra per vrbes*
*Pilentis matres in mollibus.*

Et Cicer. in 6. Verr. Virgines Athenienſes ſacra repoſita caniſtris in capitibus ſuſtinentes, *Canephoras* vocauit. Et Horat. *lib.1.Serm.Satyr.3.* ſæpe veluti qui Iunonis ſacra ferret. Et rurſus Maro lib.2. Georg.

*Me vero primum dulces ante omnia Muſæ,*
*Quarum ſacra fero.*

Ita & ex Liuio *vehere ſacra*, lib.34. vbi de L. Oppia, & *lib.5.* vbi de matronis verba facit, obſeruamus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

## CAP. LXXVI.

*Simulacra iuxta Deos, Puluinar, Flaminem, Lupercos appellationem menſis è ſuo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cæpit & dedit.*

Sacer-

SAcerdotem ſingulo Deo aſſignare Romani ſolebant, quem *Flaminem* nuncupabant. Vnde Cic.2 *de legib.*ſcribit: *Diјsq́; alijs alij Sacerdotes, omnibus Pontifices, ſingulis Flamines ſunto.* Ex Liuio *lib.* 1. tres Flamines à Numa creatos obſeruamus; nempe Flaminem aſſiduum Ioui vnum, alterum Marti, tertium Quirino. Horum primus *Dialis* vocabatur, ἀπὸ τοῦ Διὸς, hoc eſt, *à Ioue*, quaſi *Iouialis*. Varro *lib.*4. inquit: *Cum Dialis à Ioue ſit, qui Dionis eſt.* Feſtus Pompeius *lib.6.* Dialem Flaminem appellari ait à *Dio*, à quo vita hominibus dari putabatur. Flaminem Viminalem eundem cum Diali quoquo modo exiſtimamus, eo quod in colle Viminali ita Romæ appellato, quod inibi Viminũ ſylua eſſet, ara Iouis quoque coleretur, *Viminalis* dicti. Diali (teſte Liuio *lib.*5.) manere extra vrbem noctem vnam nefas erat, nec iurare in leges poterat, ex eodem authore, lib.32. *Martialis* vocabatur Marti dicatus, de quo etiam Liuius *lib.*44. vbi de P. Quintilio Varo defuncto Martiali Flamine: & *libro ſequenti*, vbi de L. Poſthumio Albino Martiali, eo anno inaugurato. Et Valerius Maximus *libro & cap.*1. vbi ſic ſcribit: *Metellus Pontifex Max. Poſthumium Conſulem, eundemq́; Flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petentem, ne à ſacris diſcederet, mulcta indicta, paſſus non eſt.* Macrobius *lib.3. Saturnal. cap.*13. Lentuli Flaminis Martialis meminit inaugurati à L. Iulio Cæſare augure. De eodem Feſtus Pompeius *lib.*13. & Cicero 2. *Philipp.* Flacci Flaminis Martialis meminit. Et *in orat. de Aruſp. Reſponſ.* Lentuli Flaminis Martialis, quo loco etiam Flaminis Quirinalis verba facit. De quo etiam Liuius *lib.*1. *& lib.*32. vbi de Q. Fabio Pictore duobus in locis loquitur, & Valerius Maximus *libro & cap.*1. vbi de Lucio Furio Bibaculo. Feſtus quinetiam *dicto lib.*13. Flaminis Vulcanalis meminit, quem Vulcani Sacerdotem fuiſſe, non ambigimus; nam & Vulcanalia Sacra fiebant, id eſt, Feſta Vulcano conſecrata, Auguſto menſe, teſte Columella, *lib.*11. *cap.*3. vbi habet: *Caterum Auguſto circa Vulcanalia tertia ſatio eſt*, de quo Varro *lib.*1. *de lingua Latina, vel* 4. ſecundum aliorum computationem: & iterum 3. *aut* 6.

Carmentalis Flaminis meminit ex antiquioribus Cic. de claris

claris Orat. *Quum M.Popilius ſacrificium publicum cœna faceret, quod erat Flamen Carmentalis.* Cuius Dii aut Deæ Carmentalis Flamen Sacerdos eſſet, adhuc apud neminem legiſſe recordor; in eam tamen venio ſententiam, vt *Carmentalis* diceretur Flamen à *Carmenta* matre Euandri, quæ diuinitate quadam inter ſui temporis homines claruit, *Fatiloquam*que appellauere, teſte Liuio, *per initia libri primi.* Quod ſi hæc ſententia non arridet, aliam propono ex eodem Liuio ibidem ductam, ſiquidem *Carmentalem Flaminem* fuiſſe Herculis ſacerdotem, qui cum perempto Caco, ad Euandrum perueniſſet, ille, quod veridica Carmenta mater interpres Deum cecinerat, aram dicauit, ſacraque fecit, quæ à Potitiæ familiæ, qui ſacras dapes & exta appoſuere hominibus, Antiſtitibus per multas ætates facta fuere, Romulusq; hæc eadem ſacra faciunda ſuſcepit, quæ à Carmenta fuere inſtituta, & *Carmentalia* dicta, & *Carmentalis Flamen* eorum miniſter, ſicuti eadem de cauſa *Carmentalem* portam Romanam dictam accepimus, de qua Virgil.

*—— Carmentalem Romano nomine portam.*

Et Ouid.

*Carmentis porta dextro eſt via proxima Iano.*

Quam noſtram ſententiam confirmat Alex. ab Alex. *lib.* 2. *c.* 14. tradens, hanc aram in Capitolii faucibus, iuxta Carmentalem portam & forum Boarium poſitam fuiſſe. Et Plinius *lib.* 34. *c.* 7. ſtatuam vetuſtam Herculi ſacratam ab Euandro in foro Boario. Quod & confirmant Dionyſ. Halycarn. *libro citato.* Liuius *lib.* 10. Vnde Ouid. lib. 1. Faſt.

*Conſtituitq́; ſibi, quæ maxima dicitur, aram,*
*Hic vbi pars vrbis de boue nomen habet.*

De hac ſacra Herculis ara etiam Virg. lib. 8. Æneid.

*Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacris,*
*Hanc aram luco ſtatuit, quæ maxima ſemper*
*Dicetur nobis, erit & quæ maxima ſemper.*

Vbi Virgilium lapſum credi poteſt, *Pinariam domum* loco *Potitiæ* accipientem, ſi Liuio credimus loco citato dicenti: *Potitios ſacris præſto fuiſſe, iisq́; exta apponerentur. Pinarij extis adeſis, ad ceteram venirent dapem. Vnde Potitij ab Euandro edocti antiſtites*

*riſtites ſacris per multas ætates fuerunt, donecq; Pinarium genus fuit, ne extis ſolemnibus veſceretur.* Quod etiam confirmari poteſt ex eodem Liuio *libro nono* ita ſcribente: *Eodem Appio authore, Potitia gens, cuius ad aram maximam Herculis familiare Sacerdotium fuerat, ſeruos publicos miniſterij delegendi cauſa ſolemnia eius ſacri docuerat.* Traditur inde dictu mirabile, & quod dimouendis ſtatu ſuo ſacris religionem facere poſſet, quum duodecim familiæ ea tempeſtate Potitiorum eſſent, puberes ad triginta, omnes intra annũ cum ſtirpe extinctos, nec nomen tantum Pontitiorum interiiſſe, ſed Cenſorem etiã Appium memori Deûm ira poſt aliquot annos luminibus captum. Quod & Valerius Maximus *lib.1.cap.2.*& Lactantius *lib.1.cap.11.* Plinius *de viris Illuſtribus*, & Seruius in Virgilii locum 8. Aeneid.

*Tum lecti iuuenes certantem Araq; ſacerdos*
*Viſcera toſta ferunt.*

confirmat.

*Falacer Flamen* à Falacore Pomorum Deo dictum, putát Alex.ab Alex.*lib.6.cap.12.* ex Varrone, *lib.4.* vbi habet: *Flamen Falacer à Diuo Patre Falacere.* Quis autem eſſet Falacer Deus, non ſatis conſtat. Ego cenſeo Priapum fuiſſe, quem falce vſum eſſe hortorum cultorem, ſculpſit antiquitas; vnde Virg.4.Georg.

*Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi.*

*Palatualis Flamen* fuit ita dictus à Palatua, teſte Varrone, *lib.6.* quæ fuit Dea, cuius in tutela Palatium erat; tradente Feſto Pompeio, libro 14. *Furinalis Flamen* fuit Furinæ Deæ ſacerdos, de qua Pompeius Feſtus *lib.6.* & Cic.*lib.3.de natura Deor.* Eumenidas commemorans, inquit: *Quæ ſi Deæ ſunt, & Athenis fanum eſt, & apud nos, vt ego interpretor, Lucus, Furinæ, Furiæ ſunt ſpeculatrices credo, & vindices facinorum & ſceleris.*

Peciri Flaminis meminit Alex.ab Alex.*loco citato*, antiqui textus corruptione deceptus in vita Pertinacis à Iulio Capitolino deſcripta, vbi in fine legebatur: *Filius Pertinacis Peciri Flamen eſt*, qui locus poſtea ita reſtitutus in nouis codicibus legitur: *Filius Pertinacis patris Flamen eſt factus.* Erãt quoq; *Curiales Flamines*, Sacerdotes ſcilicet, qui Curiis præerant,

quorum

quorum ſinguli in ſua curia ſacra faciebant, teſte Feſtô Pompeio, *lib.3.* qui etiam *lib.11.* eos inter maiores & minores diuidit, inquiens: *Seniores Flamines appellabantur patritij, generis minores plebei.* Cicero nihilominus *in orat. pro Domo ſua*, clare docet, Flamines omnes patritios eſſe debuiſſe. Illud etiam adnotamus, Flaminis honorem ſeu Sacerdotium non potuiſſe conferri alicui digamo ſeu bigamo, quinimo demortua Flaminis vxore, quæ Flaminica appellabatur, Flamen Flaminio ſeu Sacerdotio obire ſolitum, vti ſcriptum reliquit Gellius *lib.10. cap.15.* & matrimonium Flaminis ſola morte dirimi, teſtatur Plutarchus *Probl.39.* nec faba veſci poterat Flamen, teſte Plinio, ex ſententia Varronis, *lib.18. cap.12.* Neque creari poterat, niſi qui ex confarreatis parentibus progenitus fuiſſet, quod in Tacitum adnotauimus. Plura alia huiuſmodi, quæ Flamini, præſertim Diali, vetita vel conceſſa erant, legere poterit curioſus lector apud Gellium, *lib.10. cap.15.* Plutarch. *Probl.42. & 48.* Varro. *lib.4. de lingua Latina*, Dionyſ. Halycarnaſſ. *lib.2.* Tandem illud non omittendum, quod licet plures eſſent Flamines, collegæ tamen non erant, ſiquidem (vt diximus) vnicuique Deo ſuus erat Sacerdos, Flamen dictus, & vnuſquiſque ſua habebat ſacra diſtincta, quod Cicero comprobat præcitato loco, *ſecundo de legibus*, dum ait: *Singulis Flamines ſunto.* Quum itaque Imperatorum eo creuiſſet honorum libido, vt ſibi ea omnia fieri vellent, quæ in Deorum honorem dicari conſueuerant, nonnullis nedum Sacerdos datus poſt mortem, tanquam Deificatis, ſed & in vita, inter quos non ſolum Cæſaris (prout colligitur ex præſenti loco) ſed & *Martianum, Helianum* ſeu *Heluianum, & Alexādrinum, atq; Aurelianum Flaminem* legimus. Quorum meminere Iulius Capitolinus *in Pertinace, Antonino Pio, & Antonino Philoſopho.* Ælius Spartianus *in Septimio Seuero, & Caracalla*, & Lampridius *in Alexandro Seuero.*

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### CAP. LXXVI.

*Templa, Aras, Simulacra iuxta Deos, Puluinar, Flaminem, Lupercos, &c.*

PVluinar, ſeu puluinus videtur dici à pluma, qua fulcitur, προσκεφάλαιον Græcis vocatur, eo quod capiti ſupponatur, necnon & ſuper eiſdem ſedere ſoleamus. Cic. de Orat. *Tum Craſſus puluinos popoſcit, & omnes in iis ſedibus, quæ erant ſub Platano, conſediſſe dicebat.* Et in Epiſt. *Sella tibi erit in ludo, eam puluinus ſequetur.* Iuuenalis:

—— *Et de puluino ſurgat equeſtri.*

Hæc, ſicuti & noſtris temporibus, & Romanis in communi vſu fuiſſe conſtat, dicente Iuuenale, Satyr. 6.

*Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.*

Et Ouid. 2. de Ponto, Eleg. 2.

*Incolumis coniunx ſua puluinaria ſeruat.*

Sed & præcipue in Deorum ſacris vſos quoque Romanos, clare innoteſcit; ſiquidem Ouid. lib. 14. Metamor. ſcribit:

—— *Et puluinaribus altis*

*Dignior eſt.*

Cic. pro Domo ſua: *Et aram & ædiculam, & puluinar ſub ſaxo ſacro dedicauit.* Et in Catil. *Quoniam ad omnia puluinaria ſupplicatio decreta eſt.* Et in Tuſcul. *Puluinaria Deorum. Qui puluinaribus Bonæ Deæ ſtuprum intulit.* Et in orat. de Reſp. Aruſp. *Qui Sacerdotem ab ipſis aris puluinaribusq; detraxiſti.* Seruius *libro 3. Georg.* ad finem, inquit: *Puluinaria Deorum ſunt proprie lectuli, qui ſterni in quibuſdam templis conſueuerant.* Acron in Horat. lib. 1. Carm. 17. *Puluinaria,* ſcribit, *dicebantur, aut lecti Deorum, aut tabulata, in quibus ſtabant Numina, vt eminentiora viderentur.* D. Auguſt. *lib. 3. Ciuitat. Dei*, puluinar & lectiſternium idem eſſe docuit. Alex. ab Alex. *lib. 5. cap. 27.* ait: *Puluinaria apparata lectica Diuorum erant*, quod & Acron pariter affirmauit. Quæ tamen omnes ſententiæ (pace tantorum virorum dixerim) non ſunt veritati conſentaneæ; nihil enim aliud Deorum puluinaria erant, quam puluinaria, quæ ſuper lectos ſtratos in templis ad ſimulacra Numinum ſub-

leuanda ponebantur. Quantum enim lecticæ à puluinaribus diſtent, nemo ignorat. Quod autem lectiſternium aliud eſſet à puluinari, dignoſcitur ex Liuio, *lib.5.* vbi de primo lectiſternio Romæ parato verba faciens, ait: *Lectiſternio tum primum in vrbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamq́, & Dianam, Herculem Mercuriumq́, atq́, Neptunum tribus quam ampliſſime tum apparari poterant, ſtratis lectis placauere.* Et ſic deinceps pluries, puta *lib.*7.8.22. de lectiſternio, nec verbum quidem de puluinari. Quinimo *lib.22.* vbi habet: *Decretum vti ſupplicatio ad omnia puluinaria haberetur.* Et paulo poſt ſubdit: *Romæ immolatum, lectiſterniumq́, imperatum.* Quod vero ſuper lectos puluinaria etiam apponerentur, patet ex Liuio, *eodem lib.22.* ſcribente: *Curatum lectiſternium, & per triduum habitum Decemuiris Sacrorum curantibus, & puluinaria in conſpectu fuere, Ioui & Iunoni vnum, alterum Neptuno & Mineruæ, tertium Marti ac Veneri, quartum Apollini & Dianæ, quintum Vulcano & Veſtæ, ſextum Mercurio & Cereri.* Et libro 40. in calce ſcribit: *Terra mouit in foris publicis, vbi lectiſternium erat Deorum, capita quæ in lectis erant, auerterunt ſe.* Ex quibus colligimus, in ſingulo lecto ſtrato & puluinari, bina ſimulacra Deorum accubuiſſe, ſicque conciliari cum ſententia noſtra facile poſſe Auguſtini dicta. Nam *lectiſternium* aliud à puluinaribus extitiſſe conſtat, ſi diuiſim conſiderentur, ſi vero coniunctim, idem fuiſſe manifeſtum eſt. Cælius Rhod. *libro & cap.18. antiquæ lectionis*, ſcribit, apud Perſas lectulum Regium ita ſtratum, vt capiti incumberet pentaclina habitatio, in qua perpetuo aſſeruarentur auri talenta quinque millia; dicebatur autem id ædificium βασιλικὸν προσκεφάλαιον, id eſt, *Regium puluinar.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
## CAP. LXXVI.

*Flaminem, Lupercos, appellationem menſis è ſuo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cepit, & dedit.*

LVperci ſodales erant & ſacerdotes Panos Dei paſtorum, qui ſacra faciebant in Lupercalibus ſacrificiis, de

quibus

quibus alibi, inſtitutis à Romulo & Remo. Lupercos autem nudos inceſſiſſe, patet ex Virg. 8. Aeneid.

*Hinc exultantes Salios, nudosq; Lupercos.*

Et non ſolum nudos, ſed & vnctos curſitaſſe, Plutarchus *in Antonino* teſtatur. Quinimo accincti pelle caprina, paſtorum inſtar, ex Iuſtino *lib.* 43. diſcurrebant per vrbem. Auguſtus tamen pudori conſulens, ſtatuit, ne imberbes curſitarent, ex Suet. *in illius vita*, *c.* 31. Horum inſtar poſtea aliæ ſocietates quædam inſtitutæ, quæ in Lupercalium die per vrbem curſitarent, diuerſimode appellationem ſortitæ ab eorum auctoribus; ita Luperci *Fabiani* dicti à Fabio, eorum inſtitutore, quorum meminit Propertius lib. 4. Eleg. 1.

*Vnde licens Fabius iura Lupercus habet.*

Fuere & *Quintiliani* vocati à Quintilio. Vtroſque nominat Ouid. 2. Faſt. lib.

*Riſit, & indoluit Fabios potuiſſe, Remumq;,*
*Vincere Quintilios non potuiſſe ſuos.*

Horum in modum in Cæſaris honorem & tertia ſodalitas Lupercorum inſtituta. Hos *Iulios* vocatos legimus *in* 2. *Philipp.* in qua Cicero M. Antonium inſectatur, quod in Lupercalibus, in quibus ſedebat Cæſar amictus toga purpurea, in ſella aurea coronatus, ſe Lupercum exhibuerit. De qua re Suet. noſter *in Iulio Cæſare, c.* 79. ait: *Lupercalibus pro roſtris à Conſule Antonio admotum ſæpius capiti ſuo diadema repulerit, atq; in Capitolium Ioui Opt. Max. miſerit.* Liu. in epiſt. li. 96. *Et quod à M. Antonio Conſule collega ſuo, inter Lupercos currente, diadema capiti impoſitum in ſella repoſuit.* Lupercos in honorẽ Cæſaris Iulios inſtitutos, docet quoq; Dion *li.* 44. Cur vero Lupercorum ſodalitatem germanorum Cic. *in orat. pro Cæl.* dixerit, indagandum. Ciceronis verba hæc ſunt: *Fera quædam ſodalitas, & plane paſtoritia, atq; agreſtis germanorũ Lupercorum, quorum coitio, &c.* ego ſane exiſtimo, eos ita nominaſſe, quod ſodales huiuſmodi eſſent inter ſeſe veluti fratres & germani. Hos etiã & *Crepos* vocatos legimus apud Sex. Pomp. Feſt. à crepitu pelliculatũ, quẽ faciebant verberantes, mos enim erat Romanis, nudos in Lupercalibus diſcurrere, & pellibus obuias quaſque fœminas ferire, ſponte etiam palmas

feriendas præbentibus mulieribus, ob id ſibi fœcunditatem & partus facilitatem dari arbitrantibus, teſte Plutarcho in Romulo. *Lupercos & Lupercalia* dictos, Seruius inquit, vbi enarrat illud Virgilianum:

*—— Et gelida monſtrat ſub rupe Lupercal.*

Quod ſub monte Palatino canem ſacrificabant, lupi inimicum. Vnde & *Lupercal* quidam dictum putant, quod illic lupa Remum & Romulum nutrierit. Ouid. 2. Faſt.

*Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercal,*
*Magna dati nutrix præmia lactis habet.*

Alii (quod veriſimilius eſt) aiunt, locum hunc eſſe ſacratum Pani Deo Arcadiæ, cui etiam mons Lyceus eſt conſecratus, quod λύκους, id eſt, lupos non ſinat in oues ſæuire. Et Ouid. 2. Faſt.

*Quid vetat Arcadia dictos de monte Lupercos.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE. CAP. LXXVIII.

*Adeuntes ſe cum pluribus honorificentiſſimiſq; decretis vniuerſos P. C. ſedens pro æde Veneris genitricis excepit, &c.*

SEnatus & Senatorum maximam fuiſſe, ac præ cæteris venerandam dignitatem, conſentiunt omnes, non ſemper tamen & decens erat eo in honore, qui par eſſet, ab Imperatoribus quibuſdam habitus. Quod ex hoc Suetonii loco colligimus, cui & congruunt dicta hæc Liuii in Epit. lib. 116. *Caius Cæſar ex Hiſpania quintum triumphum egit, & quum plurimi maximiq; honores ei à Senatu decreti eſſent, inter quos, vt pater patriæ appellaretur, ac Sacroſanctus & Dictator in perpetuum eſſet, inuidia cauſam aduerſus eum præſtitere, quod Senatui deferenti hos honores, quum ante ædem Veneris genetricis ſederet, non aſſurrexit.* Hanc Cæſaris inciuilitatem deteſtatus illius ſucceſſor Auguſtus, teſte Sueton. *in illius vita, cap. 53.* qui die Senatus, nunquam Patres, niſi in Curia ſalutauit, & quidem ſedentes, ac nominatim ſingulos, nullo ſubmonente, & diſcedens eo modo ſedentibus valedicebat. Et Veſpaſianus *ex eodem Sueton. in illo, cap. 9.* ſanciuit, non oportere maledici

ledici Senatoribus. Tradit Aelius Lampridius *in Alexandro Seuero*, eum nullum in Senatu admiſiſſe, neque laticlauum ademiſſe, aut pœna affici paſſum, niſi conſulto Senatu; eundem argentatis rhedis carrucisque, Senatoribus vti poſſe, permiſiſſe tradit Alex. ab Alex. *lib.4.cap.*11. cuius rei authorem me ignorare fateor. Dion *in Nerua* ait, iuraſſe illum, nullum è Senatoribus ſuo iuſſu interfectum iri, quod iuſiurandum facta etiam contra ſe coniuratione ratum habuit. Aelius Spartianus *in Adriano* tradit, eundem iuraſſe, ſe nunquam Senatorem, niſi ex conſilio Senatus puniturum. Tib. Cæſar, *ex Sueton.cap.*30. ita Senatus authoritatem ſeruauit, vt neque tam paruum quicquam, neque tam magnum publici priuatique negotii fuerit, de quo non ad P. C. referretur. Et *cap.*29. ſe ſeruire Senatui, & Senatores *dominos* vocaſſe Tiberium, idem author ſcribit, ac alia venerationis indicia erga Senatum in genere, & ſingulares Senatores enumerat. Claudius quoque, referente eodem Suet. *in illo, c.*23. tanti Senatores fecit, vt in Curia & Senatu acturus de maiore negotio, medius inter Conſulum ſellas Tribunitio ſubſellio ſederit. Spartianus *in Adriano*: *Ad conuium venientes Senatores, ſtans excepit, ſemperq; aut pallio tectus diſcubuit, aut toga ſubmiſſa.* Econtra Heliogabalus, ſcribente Lampridio *in illius vita*, Senatum adeo floccifecit, vt Senatores omnes vrbe expulerit, eosque ſeruos togatos appellarit. Idem quoque, eodem ſcriptore referente, & P. Victore in ſexta regione vrbis Romæ, Senatulum ex mulieribus in colle Quirinali inſtituit, & vt Meſa Varia, eius auia, in Senatu admitteretur, peruicit.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
## CAP. LXXIX.

*Proximo autem Senatu percrebuit fama, L. Cottam Decemuirum ſententiam dicturum, vt quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos niſi à Rege non poſſe vinci, Cæſar Rex appellaretur.*

ANtiſtites, qui ſacris faciendis carminibusq; Sybillinis interpretandis, ac Deorum iræ placandæ præerant, & quos

quos adibant, ſi quando prodigia eueniſſe nuntiabatur, à principio binos fuiſſe conſtat, demum ad decennalem numerum redactos, docet Liuius *lib.* 10. *in orat. P. Decij Muris*, his verbis: *Decemuiros Sacris faciundis carminum Sybillæ, ac fatorum populi huius interpretes, antiſtites eoſdem Apollinaris ſacri, ceremoniarumq; aliarum plebeios vidimus, nec tum patritiis vlla iniuria facta eſt, quum Duumvirum Sacris faciundis adiectus eſt propter plebeios numeros.* Id vero à Sextio & Licinio Tribunis plebis factum, vt ſcilicet pro Duumuiris ſacrorum Decemviri crearentur, quinque patrum, quinque plebis, ex eodem Liuio habemus, *lib.* 6.22. *&* 5. qui & alibi de Decemuiris verba facit. Manſit hic numerus vſque ad tempus Cornelii Syllæ, quo ad quindecim numerus auctus eſt. Seruius *lib.* 6. *AEneid.* eum locum explicans:

*——Lectoſq; ſacrabo*
*Alma viros,*

numerum creuiſſe vſque ad ſexageſimum, retento nihilominus quindecim virorum vocabulo & appellatione. Cuius ſententiæ quum ex antiquioribus nullum habeamus teſtem nec authorem, parum illi acquieſcimus. De quindecim viris Horatius loquitur, vbi de ludis ſecularibus ita:

*Quæq; Auentinum tenet, Algidumq;*
*Quindecim Dianæ preces virorum*
*Curet.*

Et Papinius:

*Solemni prece quindecim virorum.*

Et Auſonius:

*Quos ter quinorum ſeruat cultura virorum.*

Eorundem meminere Liuius *lib.* 41. vbi de Tiberio Sempronio, Valer. Max. *lib.* 1. *c.* 1. Cornelius Tacitus *lib.* 3. *&* 5. vbi de Caninio Gallo, item *lib.* 11. Plinius *lib.* 28. *c.* 2. Gellius *lib.* 1. *c.* 19. Aelius Lampridius *in vita Seueri.* Lactantius & Feneſtella *lib.* 1. *c.* 6. Horum Sacerdotium *quindecimuirale* appellauit Tacitus *lib.* 11. 15. 16. Hos autem ſacris faciundis præfuiſſe, docet Apuleius *Apol.* 1. & alii, quos citauimus; Supplicationibus vero clare Plinius *lib.* 28. *c.* 2. Lectiſterniis, ex Liuio *lib.* 5. vbi etiam tradit, expiationibus & placationibus operam

ram nauaſſe, officiiſque ceremoniarum, ex Tacito, *lib.* 11. librorum Sybillinorum curam habuiſſe, ex eodem *lib.* 5. Suetonio hoc loco, Lactantio & Varrone, *lib.* 1. *c.* 6. Illud non reticendum ex Plin. *lib.* 7. *c.* 43. vbi loquitur de Lucio Metello: *Quindecimuiro agris dandis, ſeu diuidundis*, an ſcilicet horum quindecim virorum munus fuerit, diuidere agros, an potius alii fuerint quindecim viri huic muneri dicati; dum enim eum quoque Pontificem fuiſſe ait, prima ſententia ſequenda videtur, at quum non alibi id à ſcriptore probato antiquo probatum ſciamus, poſteriorem potius acceptandam cenſemus, præſertim, quum dare agros, nihil ad rem diuinam ſpectet; niſi dixerimus, agrum ſacrum quoq; fuiſſe, quem Romanos Mileſiis reſtituiſſe, tradit Liuius *lib.* 38. cuius agri adminiſtratio ad quindecim viros ſpectabat.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
### CAP. LXXX.

*An in ſacra via. vel in aditu Theatri adorirentur, poſtquam Senatus Idibus Martiis in Pompeij Curia editus eſt, facile tempus & locum prætulerunt.*

QVæ & qualis eſſet ſacra via, quum ſobrie admodum interpretes aliqui declarauerint, alii penitus prætermiſerint, nos de ea paucula adnotare voluimus. Sacram viam Romæ fuiſſe in quarta regione, P. Victor ſcriptum reliquit, & quod Varro *lib.* 4. *de lingua Latina* adnotauit. Caput eius erat à Carinis, & ab Streniæ ſacello, ducebatq; in Capitolii arcē, quo ſacra quotquot mēſibus per eam ferebātur, atque per eam quoque augures ex arce profecti ſolebant inaugurare. Per eandem frequens in Capitolium iter erat, ſolemniſque triumphalis pompa ducebatur. Hanc *Sacram* nuncupatam, tradit Pompeius Feſtus, quod in ea initum fœdus ſit inter Romulum & Tatium; alii eam appellationem ſortitam putant à Sacris, quæ ſingulo menſe in arcem per eam ferebantur. Quod voluiſſe Ouidius videtur, dum ſcribit lib. 3. Triſt. Eleg. 1.

*Hac eſt à Sacris, quæ via nomen habet.*

## EODEM CAPITE.

*Pridie autem eaſdem Idus auem Regaliolum cum laureo Romulo Pompeianæ Curiæ ſe inferentem, volucres varii generis ex proximo genere perſecutæ, ibidem diſcerpſerunt.*

Regaliolum ſeu regulum alii dicunt, vulgo *Reatino*, alii *Sciricciolo*. Hunc Plinius *lib. 8. c. 25.* Trochilum appellauit. Item & *lib. 10. c. 73.* vtrobique Regem auium appellari in Italia, tradens, qua de cauſa ab Aquila proſequi tradit. Nec Plinii dictis contrariatur Baptiſta Mantuanus *Tom. 3. lib. 5. Alph.* ſcribens.

*Non Cynis infeſtæ Aquilæ, diſcordia nulla eſt*
*Cum Trochilo, licet hic faſtus, nomenq́; ſuperbum*
*Regis & immeritos Aquila indignetur honores.*

Nam eo loco deſignare volens aliquid à primo inſtituto naturæ mutatum, ea ſimilitudine vſus eſt. Hæc auicula ab Ariſt. vocatur *lib. de hiſt. animal. 9 c. 11.* πρέσβυς quaſi *præſes auium.* Quod vero Torrentius eruditiſſimus in Com. huius loci tradit, Regaliolum ſcilicet ſeu Regulum auiculam dictam à medicis Græcis paſſerem Trogloditem, eamque eſſe voluerit, penitus eſt à veritate alienum; Nam Ætius *lib. 11. c. 12.* clare Regulum à paſſere Troglodite diuerſum docet, inquit enim, Trogloditem, paſſerculum omnium auicularum minimum, ea excepta, quę Regulus appellatur, ſimilem tamen Regulo in multis, præterquam quod in fronte auricolores pennas non habet. Et rurſus ſubdit: *Eſt etiam Troglodites paſſer, Regulo paulo maior, & nigrior, caudamque ſemper ſubrectam, & albo colore retro interpunctam habet, magis item garrulus, quam regulus eſt, & ſane iuxta ſummum alæ lineamentum cinerei amplius coloris, breues item volatus facit.* Paulus & ipſe Græcus medicinæ ſcriptor *lib. 7.* de Troglodite, ſic habet: *Trogloditus paſſer eſt omnium auium, excepto Regulo minimus.* Gal. ſiue quis alius auctor *lib. de renum affectionum dignotione & medela*, de Troglodite meminit, nec verbum tamen de Regulo habet. Nec minus hoc loco cæcutiit Beroaldus, Regaliolum auem Icterum eſſe credens, à voce forte ſimilitudine deceptus, nam Itali Icterum Regalbulum vocare ſolent, quem *Galgulum*

ſeu *Galbulum* dixere Latini, *Ικτερὶς* Græcis à coloris lutei ſimilitudine, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.

### Cap. LXXXI.

*Et Calphurnia vxor, imaginata eſt collabi faſtigium domus, maritumque in gremio ſuo confodi, ac ſubito cubiculi fores ſponte patuerunt, &c.*

SIcuti in ſenſu tria ſunt, ſenſibile, virtus ſenſibilis, & poteſtatis eiuſdem functio, ita & in intellectu tria ſunt, intelligibile, virtus intelligens, & eiuſdem virtutis circa intelligibile functio; ſic etiam in imaginatione eadem tria obſeruantur, videlicet imaginabile, virtus imaginatiua, & eiuſdem virtutis imaginatiuæ circa imaginabile functio; quod à Peripateticis, præſertim Græcis, habetur pro conſtanti; Quum itaque virtus imaginatiua verſatur circa ſpecies, ſeu figuras, & phantaſmata medio ſenſuum in anima noſtra exiſtentia, fit functio illa, quæ proprie *imaginatio* appellatur. Hæc autem virtus imaginatiua ſemper eſt in motu & actione cõtinua, tam in ſomno, quam in vigilia; propterea, vt docuit Commentator *in lib. de Somno & vigilia*, illi attribuitur actio ſomniandi, quia virtus rememoratiua & cogitatiua non agunt in ſomno, & propterea virtutis imaginatiuæ motus magis intenditur in ſomno, quia tunc ſoluta eſt à ligamento virtutis cogitatiuæ, cui in vigilia minſtrat. Quamobrem haud incongrue Latini, *imaginari*, pro *ſomniare* quandoque accipiunt. Sic Plinius *libro ſecundo, capite decimotertio*, ait: *Venerem crebro per ſomnum imaginantibus*. Et alter Plinius in Epiſt. de ſomnio C. Fanii; *Mox imaginatus veniſſe Neronem*, Sic & hoc loco Suet. noſter ait, *Calphurnia vxor imaginata eſt*, id eſt, ſomniauit, &c.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
### CAP. LXXXIII.

*Poſtulante ergo L. Piſone ſocero, teſtamentum eius aperitur, recitaturque in Antonii domo, quod Idibus Septembribus proximis in Lauicano ſuo fecerat.*

SVburbanum delitioſum apud portã Lauicanam poſitũ, erat Lauicanum, à quo denominationẽ ſumpſit, de quo Plinius *lib. 36. cap. 5.* Hodie vocatur *porta maior*, ab ædificii magnificentia, propter aquæductum Claudiæ aquæ, cuius ibi veſtigia apparent; Niſi dixerimus *Lauicos* oppidum fuiſſe, non multum ab vrbe diſtans, de quo Liuius *lib.* 4. apud Lauicanos bello victos expugnato Lauico oppido eorum, eoque deductam Coloniam, colonis mille quingentis miſſis, quorum ſinguli bina iugera accepere. Quo loco forte Iulius Cæſar ædificauit, villamque habuit voluptuoſam, *Lauicanam* dictam. De Lauicis populis Virg. 7. Æneid.

*Et pictis ſcuta Lauici.*

Et *via Lauicana* meminit Strabo *in* 5. quam inquit incepiſſe ab Exquiliana, & in Appiam diſcurriſſe. Et Martialis;

*Lauicana leui ceſpite velat humus.*

Plinius lib. 3. c. 5. *agri Lauicani* verba facit, licet ſcriptum ſit, *Labicano*, nam loco *u*, vti *b*, vſitatum Latinis, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE.
### CAP. LXXXIII.

*Sed nouiſſimo teſtamento tres inſtituit hæredes Sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante; Reliquos in ima cera, &c.*

DVo potiſſimum ſunt, quæ dilucidatione egent in præſenti textu, vnum quid pro *dodrante*, & *quadrante* intelligẽdum ſit, & quid per *ima cera*. Quod ad primum pertinet, ſciendum ex Varrone *libro* 1. *aut* 4. vt alii computant, *de lingua Latina*, & ex Iuſtiniano *in §. hæreditas, Inſtit. de hæred. inſt.* & nouiſſime ex Budęo *de aſſe & eius partibus*, præter alia ſignificata *aſſis*, hoc præcipuum eſſe in hæreditate, vt *As* pro tota hæredi-

hæreditate accipiatur, *vncia* pro duodecima parte, quibus as conſtat, quarum ſingula particularem appellationem obtinuit. Namque *Vncia* eſt duodecima pars aſſis, *Sextans* duę vnciæ, quæ faciunt ſextam partem aſſis, *Quadrans* quarta pars aſſis, id eſt, tres vnciæ, quia quater tria duodecim faciunt. *Triens* quatuor vnciæ, quæ faciunt tertiam aſſis partem; nam ter quatuor conflant duodecim. *Quincunx* eſt quinta pars aſſis, id eſt, quinque vnciæ. *Semis* ſex vnciæ, id eſt, media aſſis pars. *Septunx* ſeptem vnciæ. *Bes* octo. *Dodrans* nouem. *Dextans* decem. *Deunx* vndecim. *As* duodecim. Sciendum præterea, *As* componi cum *tres*, *quatuor*, & ſic vſque ad centum; vnde *Treſſis*. Perſius:

*Hic damna eſt non treſſis agazo.*

*Octuſſis.* Horatius:

*Quanti emptam parui, quanti ergo? Octuſſibus.*

Et ſic per omnes numeros vſque ad centum, vnde *Centuſſis*. Perſius:

*Et centum Græcos curſu centuſſe licetur.*

His ſtantibus, clare patet ſenſus Tranquilli, nempe C. Octauium in dodrante à Cæſare inſtitutum hæredem nouem partes hæreditatis conſequuturum, reliquos vero duos, ſcilicet L. Pinarium, & Q. Pedium in quadrante, tres vncias ſibi vindicaſſe, ex quibus computatis fit tota As, id eſt, hæreditatis vnciæ duodecim, quæ integram hæreditatem conſtituunt. Quod non ineleganter dictum à Iuuenale Saty. 1.

*Vnciolam Proculeius habet, ſed Gillo Deuncem*;

Totam enim aſſem, ſeu patrimoniũ comprehẽdit, quum ex 12. vnciis alteri vnciam, alteri vndecim tribuit. Quod ſi quis obiiciet, ſi Octauius & Pinarius, & Pedius totã hæreditatem recepere, quomodo aliquid recipere poterunt, quib. in ima cera relictũ fuit, & qui ſecundi hæredes nominati ſunt in teſtamento. Quoad primum, dicendũ in ima cera legata contineri, quorum ſolutioni hæredes dicti pro rata tenebantur ſatisfacere. Quoad aliud, arbitramur, ſecundos hæredes dictos ſubſtitutos in defectu primorum. Reliquum eſt indagare, quid intelligendum ſit pro *ima cera*; Itaque ſciendum, antiquis Romanis morem fuiſſe ſcribendi in tabulis ceratis,

tis, quas *pugillares* vocabant, in quibus ſtylo ſcribebãt; Quod ex Plinio iuniore *libro primo Epiſtolarum* conſtat, dum ait: *Erat in proximo, non venabulum, aut lancea, ſed ſtylus, aut pugillaris, meditabar aliqua, adnotabamque, vt ſi manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem.* Et Iuuenalis:

*Nonne libet medio ceras implere capaces*
*Quadriuio.*

Accepit quandoque Cic. in Verrem tabellam ceratam pro ſcriptura ipſa, dum inquit: *Tabella cerata cera legitima, non illa infami ac nefaria.* Et ceram etiam pro tabellis teſtamentariis, in quibus ſcilicet teſtamentum ſcriptum eſſet, ſumptam ab antiquis, obſeruamus ex hoc Suetonii loco, & ex eodem in Nerone *cap.* 17. vbi habet: *Cautum vt in teſtamentis primæ duæ ceræ, &c.* Tres enim ceras in teſtamentis, id eſt, tres partes fuiſſe conſtat, primam ſcilicet, ſecundam & tertiam. Primæ meminit Horat. *lib.* 2. *Serm. Sat.* 5. inquiens:

*Qui teſtamentum tradet tibi cunque legendum*
*Abnuere, & tabulas à te remouere memento;*
*Sic tamen vt bimis rapias quid priua ſecundis*
*Cera velit verſu, ſolus multine coheres*
*Veloci percurre oculo.*

Quo in loco Acron inquit: *Prima cera ſecundo verſu continet hæredis nomen*, Porphyrion autem ſentit, in 1. teſtatoris in 2. hæredis nomen inſcribi. Poſtrema cera erat, in qua legata continebãtur, vt diximus, quam *imam* vocat hoc loco Suet. Tull. in 3. Verr. *extremam* vocauit, & Martialis *vltimam*, lib. 4. Epigram. 26.

*Nihil Amiano præter aridam veſtem*
*Moriens reliquit vltimis pater ceris.*

Aſconius in interpretatione loci ſuperius citati Ciceronis *vltimam tabulam* dixit. Quod autem diximus veterem teſtatorum morem fuiſſe, vt prima teſtamenti parte ſeu cera hæredis eſſet inſtitutio, id depromptum eſt ex l. 1. *D. de hæredi. inſtit.* Secus tamen apud noſtrates obſeruatur, ſiquidem vltimo loco hæres nominatur, & prius legata extenduntur, & deſcribuntur, vna cum legatariis à tabellione ſeu notario, cuius rei nullam rationem, præter inueteratum vſum addu-

cere

cere poſſumus, ab Accurſianis & formulariis introductum qui tamen improbandus non eſt, nam primo loco præfationem ſcribunt, ſecundo legata, tertio hæredis inſtitutionem, quarto ſubſtitutiones, quinto cęteras teſtatoris diſpoſitiones. Illud ſane manifeſtum eſt, Iuſtinianum ſcripſiſſe *in* §.*an hæredis*, ſe veterem hunc morem emendaſſe; Sed de re hac legè plura apud Alex.ab Alex.*lib.& c.*1.*Dierum genialium,* & Alciatum *lib.Parerg.c.6.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CÆSARE. CAP. LXXXV.

*Poſtea ſolidam columnam prope* 20. *pedum lapidis Numidici in foro ſtatuit, ſcripſitque Parenti patriæ.*

NVmidiam prouinciam Africæ eſſe docent Ptolemæus *lib.*4. & Plinius *lib.*5.*c.*4. vbi tradit nil memorandum in ea reperiri, præter marmora Numidica, & ferarum copiam. Numidicos vrſos centum Domitium Æneobarbum Ædilem curulem in Circo dediſſe Romæ, recenſet Plinius *lib.*8. *c.*36. Numidicarum tamen auium multæ æſtimationis verba facit *lib.* 10. *c.* 48. Et pira Numidiana celebrat *lib.*15. *c.* 15. Numidiæ certe incolæ non boni; nam Numidas Liuius *lib.* 25. gentem fallacem vocat, & *lib.* 28. Scipio in oratione ait: *Carthagine nil ciuilis roboris eſt, mercede paratos milites habent, Afros, Numidaſque leuiſſima mutandæ fidei ingenia.* Hos autem ante omnes in Venerem effuſos eſſe docet *lib.* 29. Et *lib.*30. in Venerem præcipites appellat. Illos quamuis equitatu in bello maxime pollere, doceat idem Liuius *lib.* 21. 22. 23. 25. 26. & 35. nihilominus eoſdem equos habere ait ſine frænis, & graciles. Quod & Virgil. 4. *AEneid.* ſcribit, appellans infrænos.

*Et Numidæ infræni cingunt, & inhoſpita Syrtes.*

Numidicum lapidem, ſeu marmor vocamus hodienis temporibus Africanum, & eſt maculoſus, nigro colore cum albo, & rubeo commixtus. De quo Plinius *lib.*35.*c.*1. & 36. *c.* 6. hunc ſilicem Lybicum vocauit Papirius; & olim pauimenta, quæ ex marmore Numidico ſtrata erant, *pauimenta Punica* dicebantur. De hoc Martialis:

*Afra*

*Afra quod nomas mittis, &c.*
Nec ſuperius dictis per initia obſtat, quod Vitruuius *lib.* 8. *c.* 3. Arabiæ Numidarum meminerit; nam Numidiam in Africa ſitam nemo inficiatur, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
### CAP. IIII.

*Materna tibi farina, ſiquidem ex crudiſſimo Aritiæ piſtrino, hanc pinxit manibus collybo decoloratis Nerulonenſis menſarius.*

CONueniunt expoſitores omnes, M. Antonium & alios Auguſti inimicos ei ſtirpis ignobilitatem obieciſſe, tum reſpectu aui paterni, quem argentarium fuiſſe exprobrabant, tum etiam reſpectu proaui materni, quem piſtrinum Arritiæ exercuiſſe prædicabant. Idem & Caſſium Parmenſem feciſſe ſcommate illo metaphorico, non eſt, qui ambigat. At non ſolum ignobilitatis Caſſium Auguſtum inſimulaſſe, ſed & minus legitimæ deſcendentiæ ego cenſeo, ita vt ſenſus illius verborum ſit, non ſolum exprobrare Auguſto maternam ignobilitatem ſub nomine farinæ ex piſtrino Arritię ignobiliſſimi oppidi ſcilicet, hodie *la Rizza* vocati, quod abeſt ab Vrbe ad decimũ lapidem, ſed & paternam, quod non modo nepos, ſed pronepos eſſet nummularii, ſed & ex illegitima ſtirpe procreatus, compreſſa inquam farina, id eſt, vxore aui paterni argentarii à menſario quodam Nerulonenſi, ſeu ſubacta manibus collybo decoloratis, hoc eſt, ſpurcis & inhoneſtis. Et ratio, qua impellor ad id ſentiendum, ea eſt, quod auum argentarium ex pago Thurino fuiſſe ſcribat Suet. c. antecedenti. Oppidum vero Thurinum à Plinio inter duos amnes Crathin & Sybarim *c.* 11. *lib.* 3. ſituetur. At *Nerulum* duplicem apud ſcriptores obſeruamus, alterum in Lucanis, quod à Romanis vi captum ſcribit Liuius *lib.* 9. alterum vero Nerulum in Latio, non multum diſtans ab Vrbe, quod & hodie *Nerulo* vocatur prope Monaſterium Farfaræ ſitum, à quo populi Nerulenſes dicti, quorum meminit Plinius *lib.* 3. *c.* 6. licet mendoſi textus habeant *Verolenſes*. Ex quibus conuincitur, Caſſium Parmenſem

per

per menſarium Nerulonenſem, minime auum Auguſti argentarium intelligere potuiſſe. Fateor quidem ego, argentarium, nummularium, menſarium, collybiſtam, & trapezitam ſynonyma eſſe aliquando, & generali ſignificatione pro eodem accipi, ſed magis ſpecifica & propria argentarium à menſario diſtingui, ſiquidem argentarius proprie vocatur, qui officinæ argentariæ dominus eſt, atque illi præeſt; Menſarius vero, qui & menſularius & nummularius dictus, qui pecunias cuſtodit, eaſque recipit, & perſoluit, & earum rationes tractat, *Campſor* communi appellatione vocatus, ita vt argentarius maior ſit menſario, quod colligimus ex Iuriſconſul. *D. de edendo, & præcipue l.* 9. §. 2. Liuius lib. 7. *Solutiones æris alieni in publicam curam verterunt quinque viris creatis, quos menſarios à diſpenſatione pecuniæ appellarunt.* Et Cic. pro Flacco: *Cum ciuitate mihi res eſt acerrima, & conficientiſſima literarum, in qua nummus nullus moueri poteſt, ſine quinque Prætoribus, tribus Quæſtoribus, quatuor Menſariis, qui apud illos à populo creantur.* Apud Capitolinum in M. Antonino Philoſopho obſeruamus *leges de Menſariis.* Carolus Sigonius *lib. 2. de antiq. iur. ciu. Roma. cap.* 11. recte quidem decernit, argentarios alios à menſariis fuiſſe, ſed differentia, quam aſſignat, non ita ſubſiſtit, quod ſcilicet hi publicæ, illi priuatæ pecuniæ rationem conficerent. Rectius Alciatus *lib. Diſpunct.* 4. *cap.* 20. quam nos recipimus ſententiam ſequutus eſt. De qua re etiam legi poteſt apud Budæum *in Annotat. ad l. ſi hominem, §. Quoties tit. depoſit.* Quum itaque auus Auguſti argentarius eſſet, & ideo miniſtrum haberet, ſeu ſeruum menſarium, obiecit illi Caſſius metaphorice, quod cum illo aui vxor minus pudice rem habuerit, inquiens: *Materna tibi farina ſi quidem ex crudiſſimo Aritiæ piſtrino, quam pinxit, &c.* Vocat autem crudiſſimum piſtrinum in eum ſenſum (vt ego interpretor) quo medici crudum vulnus, hoc eſt, recens, vocant, & *crudam ſenectam* in Charonte dixit Virgil. *lib.* 6. *AEneid.* hoc eſt, viridis, & viuida, innuens illud quod obiiciebat Auguſto, minime vetuſtate obliteratum, ſed recenti memoria cognitum. *Hanc* (ſcilicet farinam, inquam, ſubdit) *manibus collybo decoloratis Nerulonenſis pinxit menſarius,* ea ſcilicet ratione, quod ſicuti in tra-

ctandis,

ctandis, ac numerandis pecuniis conſpurcantur manus, ita turpe & inhoneſtum commercium menſarii cum auia innuere videtur; Nec verbum *decolorare* ita inſolens in hoc ſenſu, vt adnotauit doctiſſimus Torrentius; namque non ſemel illud apud ſcriptores & ſemper in malam partem obſeruamus. Ouid. in Epiſt. Deianiræ ad Herculem.

*Fama Pelaſgiades ſubito peruenit ad vrbes,*
*Decolor, & factis inficienda tuis.*

Horatius.

*Quod mare Daunia non decolorauere cædes.*

Virgil. 8. Æneid.

*Deterior donec paulatim, ac decolor ætas.*

Vbi Seruius interpretatur *decolor*, id eſt, vitioſa, in omni enim vitioſo corpore color ineſt peſſimus. Cic. in Tuſcul. *Iam decolorē omnem ſanguinem exſorbuit.* Et de Diuin. *Sed & decoloratio quædam ex aliquā contagione terrena.* Et ad Heren. *Si tumore aut liuore decoloratum eſt corpus.* Et rurſus: *Tumore præditum corpore decoloratum fuiſſe conſtat.* Seneca quæſt. nat. 2. *Decoloratur id, cuius color vitiatur, non mutatur.* Col. lib. 12. c. 16. *Exiguum pati dum decolorentur.* Quod autem inquit, *manibus collybo decoloratu*, aliquali expoſitione eget; nam licet numatum vocabulum κόλλυβος Græcis & Latinis ſit, nihilominus diuerſimode aliquando accipi inquit Pollux, ἀργυρίου ἀλλαγή, id eſt, *pecuniæ permutatio.* Budæus *in Annot. ad Pandectas l. vltima, titu. de pignor. actione*, Collybum interpretatur eſſe id detrimentum pecuniæ, quod in ratiociniis permutandarum pecuniarum, vel ad exteras rationes exportandarum fit, vulgo *cambio* dicunt. Quod Ciceronis authoritate confirmatur, ſcribentis in 4. Verr. actione: *Ex omni pecunia, quam aratoribus ſoluere debuiſtis, certis nominibus deductiones fieri ſolebant; primum pro ſpectatione, è collybo, deinde pro neſcio quo cerario. Hæc omnia iudices, non rerum certarum, ſed furtorum improbiſſimorum ſunt vocabula; Nam collybus eſſe quis poteſt, quum vtantur omnes vno genere nummorum?* Idem Cic. ad Atticum: *De Cælio vide quæſo, ne qua lacuna ſit in auro, ego iſta non noui, ſed certe in Collybo eſt detrimentum.* In hoc ſignificatu hoc in loco minime accipi à Suetonio manifeſtum puto; nam quæ profecto ma-

nuum decoloratio ex cambio, quum quod accipitur vna in prouincia, in aliam tranſcribitur numerandum, & collybus huiuſmodi à fœnore excuſet, & à legibus permittatur. Propterea dicendum, collybum accipere Suet. pro numi actuali permutatione, & numi tractatione, κόλλυβος enim Græcis propriè numus eſt, authoritate Cœlii Rhodig. *lib. 26. cap. 6. lect. antiq.* & Beroaldi in explanatione huius loci; nam in pecuniis tractandis manus fœdari ac decolorari nemini dubium. Quibus ſic ſe habentibus, haud difficile conſpicimus, quod Torrentius ſe ignorare fatetur, quem ſcilicet Nerulonenſem Menſarium dixerit Caſſius Parmenſis, qui in partibus Caſſii & Bruti Tribunus militum militauit, & his victis Athenas ſe contulit, ibique interfectus à Q. Vario Auguſti iuſſu, ſcriptor Tragœdiarum, & aliorum operum non inelegans, iuxta illud Horatianum:

*Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat.*

## IN C. SVET. TRANQVIL. AVGVSTO. CAP. VIII.

*Quadriennio poſt virili toga ſumpta, militaribus donis triumpho Cæſaris Africano donatus eſt; quanquam expers belli propter ætatem.*

POſt decimumſeptimum annum togam virilem ſumere cõſueuiſſe Romanos ingenuos omnibus receptum eſt; Etenim erat ætas eadem & militaris, *ex libro* 43. Nonnunquam tamen & ante 17. annum virilem togam Principes viros ſumpſiſſe extra ordinem legimus; ſiquidem Auguſtus, teſte Suet. hoc in loco, in decimoſexto anno virilem togam ſumpſit. Nero vero vix pubeſcens eandem induit, ſcribente Tacito *lib.* 12. T. L. Claudio quintum, Ser. Cor Orfito Coſſ. Virilis toga Neroni maturata, quo capeſſendæ Reipublicæ habilis videretur. Antoninus Philoſophus & ille, tradente Iulio Capitolino in illius vita, virilem togam ſumpſit anno quintodecimo ætatis ſuæ, & ſic per binos annos antequam per legem liceret.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. X.

*In locum Trib. Plebis forte demortui candidatum petitorem ſe oſtendit, quanquam Patritius necdum Senator.*

IN Patrum inuidiam, ac aduerſus Patritiam poteſtatem populum Romanum Tribunos Plebis creaſſe conſtat ex Liuio *lib. 6.* cuius rei cauſam tradit ortum duxiſſe, eo quod M. Fabii Ambuſti potentis viri filiæ duæ nuptæ, maior Ser. Sulp. Trib. militum, minor C. Licinio Stolini, illuſtri quidẽ viro, tamen plebeio; Hæc ad honorem publicum cõiugem promoueri cupiens, ne ſorori inferior videretur, eam pater conſolatus, Tribunos Plebis fieri curauit C. Licinium generum, & L. Sextium. Quamuis & prius diſſidentibus Patribus à plebe, Menenius Agrippa, exemplo corporis & partium eius propoſito, inter ſe diſſidentium, plebem mouit, ita vt concordia inter Patres & plebem acta, inter cæteras conditiones plebi fuerit conceſſum, vt illi eſſent magiſtratus ſacroſancti, quibus auxilii latio aduerſus Conſules eſſet, neve cui patrum capere eum magiſtratum liceret; Ita Tribuni plebis creati duo C. Licinius & L. Albinius, teſte Liuio *lib. 2.* alios tamen nominat Plutarchus in Coriolano, & Aſconius Pædianus *in orat. Ciceronis pro Cornelio.* Quamuis tradat Diodorus Siculus *in 6.* primum plebem tranſacto bello Volſcorum Æquorum, & Sabinorum, petentem à patribus remiſſionem debitorum, & nexuum, contractorum, quod ſæpe polliciti erant patres, non obtinuiſſent, ſeceſſionem feciſſe, neque prius compoſitum negotium, donec promiſſa eſt electio Magiſtratus plebeii, & ita tunc plebs comitiis curiatis Tribunos creauit L. Iunium Brutum, & C. Sicinium Belluſum, quos antea Duces habuerat. Sed ſit quomodocunque, poſtea multiplicatum numerum ad 5. & demum ad 10. omnibus receptum eſt. De qua re plura Feneſtella *in libro de Magiſtratibus, capite decimo*, & Diuus Auguſtinus *lib. 2. de ciuitate Dei, c.* 18. Procedente autem tempore & gliſcente patrum cum plebe diſſidio, multiplicato numero Tribunorum plebis factũ, vt etiã Patritiis generis homines

ad plebis tribunatum promouerentur; Quod teſtatum reliquit Liuius *lib.3.* inquiens, duos patritios, conſulareſque viros inter cęteros Plebis Tribunos cooptatos, Sp. Tarpeium, & Atium Æterninum, quod etiam ex Liuio *lib.* 4. iterum colligimus, ita vt Patritii & Senatores Tribunatum gerere ampliſſimum munus exiſtimarent. Demum Imperatores Tribunitiam poteſtatem tam cupide appetiuerunt, vt eam non ſolum per conſtitutum tempus, ſed etiam perpetuo obtinuerint. Et quidem non immerito; Nam Conſulem in carcerem coniicere poterat Tribunus plebis. Ita Druſus Trib. plebis Philippum Conſulem, qui concionantem interpellaret, in carcerem coniecit, referente Valerio Maximo *libro 9. cap. 5.* Ita & L. Licinium Lucullum, & A. Poſthumium Albinum Conſules, cum delectum nimis ſeuere agerent, nec quenquam gratia dimitterent, à Tribunis Plebis in carcerem fuiſſe coniectos, tradit L. Florus Epit: Liuianæ *libro* 48. qui & ipſe *libro* 45. ſcribit, Tribunos Plebis, quia non impetrarant, vt ſibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, Conſules in carcerem mitti iuſſiſſe. Plutarchus in vita Tiberii Gracchi eum aſſerere ſcribit, per grauem rem Conſulem à Tribuno Plebis in carcerem duci poſſe; ipſum autem Tribunum à plebe deponi & abrogari non poſſe. Scribit Liuius libro 4. *Tribuni Plebis pronunciauerunt placere, Conſules Senatui dicto audientes eſſe, ſi aduerſus conſenſum ampliſſimi ordinis vltra tendant, in vincula ſeduci eos iuſſuros, quod etiam fecere.* Cicero *in Orat. ad Vatinium* inquit: *Vatinius Tribunus Plebis M. Bibulum Conſulem in vincula duxit.* Appianus *libro 4. belli ciu.* ait, nonnullos ex Conſulibus à Tribunis Plebis fuiſſe cuſtodię incluſos. Liuius item *libro ſecundo* ſcribit: *Conſidius, & Genutius Trib. pleb. diem dixere Tito Menenio anni praecedentis Conſuli, eumque condemnarunt.* Et paulo poſt: *Alii Trib. plebis diem quoque dixere Sp. Seruilio, mox quam à Conſulatu abiit.* Et libro tertio, *Alii Trib. Plebis diem quoque dixere Sp. Tarpeio, & Atio Æternino, & aliis quibuſdam Conſulibus poſtquam magiſtratu abiere.* Imperium quoque & iuriſdictionem Tribunorum plebis in Cenſores habuiſſe conſtat exemplis pluribus, & primo ex Liuio *libro nono*, vbi P. Sempronius

pronius

pronius Trib. plebis Appium Claudium Cenſorem, niſi Æmiliæ legi paruerit, in vincula illum duci iuſſurum ſe minatur. Et *lib.* 43. Rutilius Trib. plebis C. Claudium Pulchrum, & Tiberium Sempronium Gracchum Cenſores multauit. Valerius Maximus *lib.6.cap.5.* tradit Tiberio Graccho, & C. Claudio ob nimis ſeuere geſtam cenſuram M. Popilium Trib. plebis diem perduellionis ad populum dixiſſe. Et *lib.2.cap.7.* ſcribit, Cl. Neronem & L. Salinatorem reos actos à Cn. Bobio Trib. pleb. etiam ob nimis aſpere actam cenſuram. In Dictatorem dum in officio eſſet, vllam Tribunos plebis authoritatem habuiſſe nullibi obſeruaui, at bene depoſita Dictatura à Tribuno plebis diem dictum, ex Liuio *lib.* 7. vbi habetur, L. Manilio, poſtquam Dictatura abiit, diem dictum à M. Pomponio Trib. Pleb. In Pontifices quoque habebant Imperium; nam poterant eos cogere, vt Comitiis tributis adeſſent ad conſecrationem faciendam, vt colligimus ex Cic. *in orat. pro domo ſua.* Erat præterea eorundem poteſtas vocandi & dirimendi Comitia, vti habemus ex Halycarnaſſæo *libro* 8. & Floro *in Epit. Liu. lib.* 105. Poterant etiam Tribuni plebis, quoties oportere viſum eſſet, habere & diſſoluere Senatum, quod colligimus ex Appiano *libro 2. belli ciuili*, vbi de Curione Trib. plebis loquens ait; *Quum nihil peregiſſet, imperfectis adhuc rebus Senatum diſſoluit, id enim Tribuno facere licebat.* Quod etiam cõfirmat Liu. *lib.* 4. non multum poſt principium; Adhæc poterant Tribuni approbare & improbare Senatus decreta, quod atteſtatur Liuius *libro* 34. vbi legitur: *Nam quum L. Manlius Acidunus à Senatu impetraſſet, vt ex Hiſpania decedens ouans in vrbem rediret, prohibitus eſt à Portio Lecca Tribuno plebis.* Tribuni quoque plebis patrum decreta attentiſſima cura examinabant, vt ſi qua ex his improbaſſent, rata eſſe non ſinerent, quod ſi comprobaſſent ex litera T. ſubſcribebant. Fuitque tam excelſa Tribunitia poteſtas, vt M. Vectius capitis vltimo affectus fuerit ſupplicio, quod Tribuno tranſeunti non deceſſiſſet de via, referente Plutarcho in vita C. Gracchi. Lex de poteſtate Tribunorum plebis ſacroſancta lata, cuius verba ita refert Dionyſius Halycarnaſſæus: *Tribunum inuitum nemo, vt*

*vnum ex vulgo, quicquam facere cogito, nec verberato, nec alium verberare iubeto, ſi quis contra fecerit, ſacer eſto, & bona eius Cereri dicata ſunto, & qui eum occiderit, purus à cæde eſto.* Lex 12. tabularum, referente Cic. 3. de legibus: *Plebis quos contra ſe auxilii ergo decem creaſſent; Tribuni eius ſunto, quodq; iis prohibuiſſent, quodq; Plebem rogaſſent, ratum eſto.* Rogabat autem Tribunus plebem pro plebiſcito ſanciendo; ita enim legem popularem appellabant. Tribunitia hæc poteſtas ſuccedentibus Impp. vna cum Reipublicæ libertate in eos translata eſt, ob idq; populi, ac Senatus authoritas, ſi non deleta, ſaltem valde imminuta. Tribunum enim plebis maiores noſtri Præſidem libertatis eſſe voluerũt, inquit Cic. *contra Rullum.* Et in *orat. pro Quinctio*, de Tribunis loquens, ait: *Ita tamen more & inſtituto per eum Magiſtratum, qui auxilii gratia conſtitutus eſt.* Quum itaq; Tribunatus plebis Magiſtratus plebeis primum tantum, & per initia originis illius dari ſolent, quamuis poſtea & aliquando patritiis viris aliquibus impartitus pro temporum occaſione & neceſſitate (graue non tamen ferente plebe; nam plebem defendere plebei magiſtratus erat) hinc eſt, quod Auguſto Patritio difficile erat Tribunatum plebis aſſequi, præſertim quum adhuc Senator non eſſet, non quod (vt ego interpretror) neceſſarium eſſet ad hoc, vt quis aſſequeretur Tribunatum plebis, eum prius & Senatorem fuiſſe, ſiquidem ſtatim ac quis plebis Tribunus erat, Senator efficiebatur, vt in huius loci explicatione docent Torrentius eruditiſſimus, F. Hot. Aldus, & Sigonius, omnes præcipue Gellii authoritate innixi, ſed eo quod non ad eam ætatem tunc perueniſſet, vt in Senatorem euaderet, quam fuiſſe annum 27. demonſtrat Carolus Sigonius *lib. 2. de iur. ciu. Rom.* Siquidem App. *lib. 3.* ætatem Auguſto obſtitiſſe tradit, quo minus Tribunus fieret; Erat namque ætas Tribunitia annus trigeſimus, & alibi docuimus, & docet Nicolaus Grucchius *lib. 1. de Comitiis Rom.* Senatores certe effici potuiſſe Tribunos plebis Suetonius hoc in loco, & infra *cap.* 40. manifeſte docet. Sed de hac re plura videat curioſus lector apud Lipſium doctiſſimum *lect. 2. cap. 13. &c.*

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XVI.

*Portum Iulium apud Baias, immiſſo in Lucrinum & Auernum lacum mari, effecit.*

PRope Baias celeberrimam olim vrbem Campaniæ ſecus mare poſitam, & aquarum celebritate & amœnitate famoſam, portus *Miſenus* antiquis dictus fuit, in cuius dextro cornu Baiæ, in ſiniſtro Puteolum ſitæ erant. Hic autem Miſenus dictus fuit à Miſeno monte propinquo, & imminente, ita à Miſeno Æneæ tubicine appellato, de quo Virgil. *6. AEneid.* & Horat. 2. Serm. Saty. 4.

*Oſtrea circeis Miſeno oriuntur Echini.*

Baiæ vero dictę fuere à Baio Vlyſſis ſocio ibi ſepulto, de quibus ita ſcriptum reliquit Silius:

*Primores adſunt Capuæ, & docet ille tepentes*
*Vnde ferant nomen Baiæ, comitemque dediſſe*
*Dulichiæ puppis ſtagno ſua nomina monſtrat.*

Et Horat. rurſum lib. 1. Epiſt.

*Nullus in Vrbe locus Baiis prælucet amœnis.*

Maritima hæc vrbs eſt; vnde apud Statium legimus *Baiana littora*, & *ora Baianæ, Baiis*, & Miſeno portui vicini ſunt & contermini lacus Auernus & Lucrinus, teſte Plinio *lib. 3. cap.* 4. qui lacus inter ſe ita ſunt propinqui, vt in maximis tempeſtatibus coniungi ſoleant; Vnde Martialis ſcripſit:

*Dummodo Lucrino, modo ſe promittit Auerno.*

Idem Poeta Auratas & conchas ſeu oſtrachas excellentes ex Lucrino lacu expiſcari ait, inquiens:

*Non omnis laudem, pretiumque Aurata meretur,*
*Sed cui ſolus erit Concha Lucrina cibus.*

Et alibi:

*Ebria Baiano veni modo Concha Lucrino*
*Nobile nunc ſitio luxurioſa Garum.*

Horum excellentiæ etiam meminit Plinius *libro nono, capite quinquageſimoquarto*, Baiarum vrbis & ſinus Baiani meminere Plinius, Strabo, Suetonius *in Caligula*, Tacitus *libro vndecimo, & decimoquarto, & decimoquinto.* Appianus *lib. 5.* Pomp.

Mela, & Syllius 8. *&* 15. *lib.* Tyrrheni maris vnda & ſinu Baiano in Lucrinum lacum, &ex Lucrino in Auernum tranſit; Proinde olim aggere vnius milliaris longitudinis, & tantæ latitudinis, vt duo currus cõmode per eum tranſire poſſent, à ſinu diſcretus, ſeiunctuſq; fuit à Gerione primum, poſtea ab Agrippa in melius redactus, &aptatus, teſte Strabone; Ad quod ſpectaſſe videtur Virg. dum in Georg. *lib.* 2. ait:

*An memorem Portus Lucrinoq; addita clauſtra?*

Quem locum enarrans Seruius per multas ambages, id opus C. Iulio Cęſari adſcribit, nulla tamen authoritate ſuffultus aut innixus. Plinius *lib. 6. c.15.* inter mirabilia opera & ædificia à Romanis facta enumerat hanc Tyrrheni maris à lacu Lucrino ſeparationem, quam ſecaſſe atq; deleuiſſe abſtuliſſeque Auguſtum, coniunctis lacubus Lucrino & Auerno mari ipſo, ex hoc Suet. loco colligimus, ad hoc vt portus magis capax & tutior eſſet, eumque Iulium appellari in Iulii Cæſaris patrui honorem voluit, vnde error F. Leandri Alberti patet, qui id opus Iulio Cæſari ex Suet. adſcribit, quod falſum præſens Suet. textus declarat. Huius meminiſſe exiſtimo Virg. loco ſupra citato, dum ait:

*Iulia qua Ponto longe ſonat vnda refuſo,*
*Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus Auernis.*

Baiæ vrbs hodie penitus diruta eſt, conſpiciuntur tamen ruinæ quædam, & ſereno tempore in fundo maris veſtigia ampliſſima ædificiorum terræ motu dirutorum & abſorptorum maris excreſcentiis, quod & quampluribus aliis vrbibus, maritimis præſertim, accidiſſe olim docent hiſtorici quamplurimi. Ita & Anno 1538. cuniculus ille, ſeu incile, per quod aqua ex Lucrino in Auernum deferebatur, erumpente magna vi ignis, ac ruente ex ea vndique terra mota penitus obturatus eſt & delituit. De Lucrino lacu Strabo libro 4. *Contiguus Baiis Lucrinus adeſt ſinus, inter quem Auernus eſt.* Huius meminit etiam Liuius *lib.* 24. & Vibius Sequeſter. Auernus ita dictus ab ἀ & ὄρνεον, quaſi auibus carens, quod aueș ſuperuolitantes graui ſulphuris odore necentur. Vnde Lucretius lib. 6.

*Principio quod Auerna vocant, nam nomen id ab re*

*Impoſi-*

*Impoſitum eſt, quia ſunt auibus contraria cuncta.*

Et Virgil. in Æneid.

*Inde vbi venere ad fauces graue olentis Auerni,*
*Tollunt ſe celeres, &c.*

Et paulo infra:

*Quam ſuper haud vllæ poterant impune volantes,*
*Tendere iter pennis, talis ſeſe halitus atris*
*Faucibus effundens ſupera ad conuexa ferebat,*
*Vnde lacum Graij dixerunt nomine Auernum.*

Huius aquæ ſalſæ & nigræ conſpiciuntur, ſalſæ quidem ob maris aquæ permixtionem, nigræ vero ob maximam profunditatem, teſte Vibio Sequeſtro, qui trecenteſimum & ſexageſimum cubitum, ſeu vlnam noſtratem loci incolas excedere, fune demiſſa experimento comprobaſſe tradit. Ioan. Boccatius *in libro Lacuum* ſcribit, ſe ab hoc lacu, quum ibi commoraretur cum Roberto Rege, in littore eiectam piſcium multitudinem conſpexiſſe, qui nigri erant, & ſulphurem quam maxime graue olebant, quod aliqua vi igniti ſulphuris prorumpente, in lacu eueniſſe, adiudicatum fuit, quum illis in locis aquæ calidæ & thermales plurimæ reperiantur, & quod ſupra memorauimus, ignis aliquando prorumpat maximo cum impetu. Hinc non ineleganter Poetæ, initium ibi eſſe deſcenſus ad inferos tradidere, & præſertim Virgil. ipſe:

*Vnum oro, quando hic inferni ianua Regis*
*Dicitur, & tenebroſa palus Acheronte refuſo.*

Et Ouid. 10. lib. Metamorph.

*Ne flectat retro ſua lumina, donec Auernas*
*Exierit valles, &c.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XVIII.

*Quoq; Actiacæ victoriæ memoria celebratior & in poſterum eſſet, vrbem Micopolim apud Actium condidit, ludosq; illic quinquennales conſtituit.*

QVi fuerunt Quinquennales ludi Romanis, varii varia dixere. Ludicrum quinquennale nonnulli dicunt

fuiſſe, in quo, tam verſu, quam proſa oratione, Græce Latineque certabatur, quod ex Cornelio Tacito, *lib.*14. *Annal.* elicitur, ſcribente, Nerone quartum, Corn. & Coſſa Conſulibus, quinquennalem ludum Romæ inſtitutum ad morem Græci certaminis, in quo eloquens primas partes nemo tulit, ſed victorem eſſe Cæſarem pronuntiatum. Hos primus omnium L. Mummius in triumpho, ad morem Græcorum, Romæ perduxit, Cor. Tacito eod. lib. authore. Eoſdem pariter feciſſe Lugduni Cæſarem Caligulam, teſtatur Suet. *in illius vita, c.*2. non quinquennales, ſed *miſcellos* appellans, in quo fuit certamen Græcæ Latinæq; facundiæ. Suet. *in Domit. cap.*4. ſcriptum reliquit, eum quinquennale certamen inſtituiſſe, in quo certatum proſa oratione Græce Latineque, & in eo Publius Mimographus palmam tuliſſe dicitur, ſcribente Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 7. *Productus Publius natione Syrus Romæ per Cæſaris ludos, omnes qui tunc ſcripta & operas ſuas in ſcenas locauerant, prouocauit, vt ſinguli ſecum propoſita materia inuicem, pro tempore contenderent; nec vllo recuſante, ſuperauit omnes.* Cuius rei etiam meminit Gellius *libro* 17. Hos autem ludos à Græcis ad Romanos deriuatos, non ſolum ex dictis, ſed etiam colligimus ex mox dicendis. Athenis ad Theſei ſepulchrum celebratos hos ludos fuiſſe legimus, ad quos eloquentiſſimi ex omni Græcia confluxere, inter quos Æſchylus à Sophocle victus, mœrore occubuit; quamuis eum aliter interiiſſe tradat Valer. Max. *lib.* 9. *c.*2. E diuerſo autem Philippides Poeta in certamine Poetarum victor renuntiatus, præ gaudio extinctus eſt, tradente Gellio, *lib.*3. *c.*18. Ita & Menander, quum centum & octo ſcripſiſſet Fabulas, in certamine Comœdorum, licet eſſet ſuperior, tamen ambitu & factione à Philomene victus fuit, ex Gell. *lib.* 17. *c.*4. & Quintil. *lib.* 10. *c.* 1. Legimus pariter, quod dum in Elide Poetæ accepto themate carminibus certabant, Artemiſia Manibus Mauſoli propoſuit ludos, in quibus doctiſſimi decertarunt, inter quos Theopompus Socratis diſcipulus victoriam tulit, teſte Gellio, *lib.*10. *c.*19. Pauſanias *lib.* 9. *de Bœoticis*, teſtis eſt, Corinnam muſicam lyricam tanta eruditione claruiſſe, vt Thebis cum Pindaro carmi-

carminibus certans, quinquies victrix fuerit. Euthymus quoque Locris oriundus Olympicis ludis, qui & ipſi quinquennales fuere, ſemper victor fuit, ſemel tantum vni poſtpoſitus, teſte Plinio, *lib.7.c.47.* Gellius *lib.3.c.11.* tradit, Heſiodum carminibus cum Homero contendiſſe, victoremq; Heſiodum Epigramma cum tripode in Helicone poſuiſſe, quod Epigramma recenſet Dion. Et Plutarch. *1.Sympoſiac. & in Conuiuio ſeptē ſapientum*, deſcribit verſus, quibus Heſiodus & Homerus decertarunt. Fuere tamen, qui Homerum faciunt Heſiodo longe antiquiorem, inter quos Cic. *lib. de Senect.* Porphyrius & Solinus *c.7.* Cyrillus *lib.1.contra Iulianū*, & Euſebius Chronographus. De qua re etiam Heraclides Ponticus duos dialogos ſcripſit. De eadē etiam Seneca *li.13. Epiſt.89. Epiſt.* & Gell. *lib.3 c.11.* & Pauſan. *in Bœoticis*, & Velleius Paterculus *lib.1.* verba fecere. Ex quibus authoritatibus contendunt aliqui, quinquennales ludos fuiſſe literatorum certamina à Græcis ad Romanos deriuata; Nos vero, ſicuti aſſentimur facile, huiuſmodi ludos à Græcis ad Romanos deductos, ita certe decernimus, non ſolum Poetarū & Oratorum, ſed etiam Gymnaſticorum ludos extitiſſe. Fuere ſiquidem apud Græcos celeberrimi ludi Olympiaci quinquennales, qui ſcilicet ſingulo quoq; quinto anno repetebantur, teſte Pauſan. *lib 5.* quod temporis interſtitiū *Olympiadem* Græci appellauere. Fuere & Athenis *Panathenæa*, in honorem Mineruæ, ſingulo quinto anno celebrari ſolita, de quibus Iſocrates in libro, cui tit. *Panathenaicus*, & Ariſtophanes *in Nebulis*, Euſebius *in Chronicis*, Plutarchus *in Theſeo, & in Pericle*, Pauſanias *lib.8.* Suidas tamen duas Panathenæorum feſtiuitates fuiſſe tradit, alterā anniuerſariam, alteram quinquennalem. Quos quinquēnales ſeu quinquatria potius Domitianum Mineruæ quotannis in Albano celebraſſe, teſtatur Sueton. *in illius vita, c.4.* & Xiphil. & Dion in eodem, in quibus venationes, Scenici ludi ſuper Poetarum & Oratorum certamina reddebantur. Ex quibus patet, non ſolum in quinquennali ludicro literatorum certamina, ſed & aliorum edi conſueuiſſe. Quod pariter conſtat ex Suetonio *in Auguſto, cap. 98.* vbi legitur, Auguſtum Neapoli

quin-

quinquennale certamen Gymnicum honori ſuo inſtitutum perſpectaſſe. Quod & habemus ab eodem Sueton. *in Nerone, cap.* 12. ſcribente: ***Inſtituit quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco triplex, Muſicum, Gymnicum, & Equeſtre, quod appellauit Neronia.*** Qui locus tamen non pugnat cum his, quæ ſuperius ab ipſo Suetonio dicta ſunt, vbi & Auguſtum Quinquennales ludos inſtituiſſe tradit. Nam hic Neronem primum omnium non Quinquennale ludicrum inſtituiſſe tradit, ſed triplex, Muſicum ſcilicet, Gymnicum, & Equeſtre. Concludamus itaque, Quinquennales ludos fuiſſe vere, qui quinto quoque anno celebrabantur, de quibus Plinius *lib.* 4. *cap.* 5. & Cicer. de Orat. ***Quum Olympiam veniſſet, maxima illa quinquennali celebritate ludorum.*** Strabo *lib.* 5. *Geographiæ*, iubente Oraculo Neapoli Quinquennalem Agonem celebratum tradit. Et *lib.* 9. inquit: ***Apud eos Quinquennalis Sacer ille Muſicus & Gymnicus complures dies celebrabatur Agone, illis æmulus, qui per Græciam clariſſima celebritate geruntur.*** Horum certaminum meminit Statius Neapolitanus Poeta lib. 3. Syl. Syl. 2.

*Huc me poſt patria lætum quinquennia luſtri,*
*Cum ſtudio iam pigra quies, canusq; ſederet*
*Pulais.*

Et rurſus lib. 5. Sylua 3. in Epicedio in Patrem:

*Ille ſuis toties perſtrinxit tempora ſertis,*
*Quum ſtrata laudato caneret quinquennia verſu.*

Spartianus *in Hadriano* ſcribit, Antoninum Pium templum ipſi Hadriano pro ſepulchro apud Puteolos conſtituiſſe, & Quinquennale certamen. Ammianus Marcellinus *libro* 21. per initia, tradit, Iulianum Auguſtum Quinquennalia edentem, ambitioſo Diademate vſum, lapidum fulgore diſtincto. In alia ſignificatione Liuius lib. 4. ***Quinquennalem cenſuram*** appellauit, per quinque annos perdurantem, dum alii magiſtratus annui eſſent. Et ***Quinquennalia vota***, idem Liuius lib. 31. appellauit, inquiens: ***Vouit in eadem verba Conſul, præeunte Max. Pontifice, quibus antea Quinquennalia vota ſuſcipi ſolita erant, præterquam quod tanta pecunia, quanta tunc, quum ſolueretur, Senatus cenſuiſſet, ludos donaq; facturum vouit.***

Sicuti itaque Quinquennales ludos appellabant antiqui, qui ſingulo quoque quinquennio repetebantur, ita Quinquennalia dicta ſunt Feſta, quæ quinque diebus continuis Palladi fiebant, quorum meminit Ouidius *libro 3. Faſtor.* inquiens:

*Vna dies media eſt: poſt fiunt ſacra Mineruæ,*
*Nomina, quæ in iunctis quinq; diebus habent.*

Et Cicero Epiſt. 198. *Quinquatribus egi cauſam tuam, non inuitâ Minerua.* Lex Quinquennalis certaminis legitur apud Platonem, 12. *de Legibus*, in hæc verba: *Si quis aliquem ſecum Muſica, vel Gymnica, vel alia quauis facultate certaturum in certamen deſcendere vi prohibuerit, quiſquis velit, munerum declaratoribus id ſignificet, qui procurent, vt quilibet liber certare poſſit, id ſi facere non potuerint, munera prohibito dentur, ſi prohibitor vincet, & ipſius tamquam victoris nomen, in quibuſcunq; volet templis, ſcribatur. Prohibenti vero, nec nomen inſcribere, nec victoria offerre inſignia liceat, ac ſeu vincat certando, ſeu vincatur, illati damni crimine reus ſit.* Vrbis Nicopolis appellationem deduxit Auguſtus à voce Græca *νίκος* ſeu *νίκη*, id eſt, *victoria*, & *πόλις*, id eſt, *ciuitas*, Nicopolim appellans, id eſt, *ciuitatem victoriæ*, ob victoriam partam ibidem ex Antonio & Cleopatra. Plures vrbes huius nominis apud ſcriptores obſeruamus, quarum vna in Cilicia, hodie *Caramania*, ex Ptolemæo *lib. 5. cap.* 8. alteram in minori Armenia, eodem authore, *libro eodem*, *c.* 7. alias binas in Thracia, hodie à Turcis vocata *Romania*, ex eodem Ptolem. *lib. 3. cap.* 2. quarum priorem apud montem Æmum, poſteriorem vero apud Niſum ſituari tradit. Sed illa, de qua hoc loco Suetonius, in Epyro ſita eſt, in ſinu Ambratio, hodieque vulgo vocatur *la Preueſa*, apud Actium poſita. Meminit quoque Plinius vrbis Nicopolis, *lib. 5. cap. vltimo.* Actium Promontorium Epyri docet eſſe Ptol. *lib. 3. c.* 14. hodie vocatur vulgo *Capo Figo.* Actiaci Portus Arcaniæ meminit Liuius *lib.* 35. Acarnaniam autem partem Epyri eſſe, nemo ambigit, hodie *Albania & Schiauonia.* Virgilius lib. Æneid.

*Actiaq; Iliacis celebremus littora ludis.*

Et Ouid. in Epiſt. Sapphus ad Phaonem;

Cur

*Cur non Actiacas miſeram me mittis ad oras.*

Plutarchus in Antonii vita ſcribit, circa Actiacum Promontorium, vbi poſtea Nicopolis vrbs exſtructa fuit, illum naues omnes congregaſſe.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XXIII.

*Vouit & magnos ludos Ioui Opt. Max. ſi Rempublicam in meliorem ſtatum vertiſſet, quod factum Cymbrico Marſicoq; bello erat.*

Minus propria, vt mihi videtur, appellatione, ludorum votiuum iſtud munus nuncupatum, quum potius ſacrificium & libationem fuiſſe res ipſa doceat, ad Deorum iram arcendam, ac ſecunda melioraque deprecanda, & aliquando etiam ad gratias Diis agendas, ob rem proſpere factam, in quibus munera Diis dabantur, nec vllum gymnicum, ſcenicum, aut ſimile ſpectaculum edebatur. Quod ex Liuio potiſſimum probare poſſumus; ſiquidem Liuius *libro* 22 ſcribit: *Ludi magni voti æris 334. millibus, & triente, præterea bobus Ioui 300. multis alijs Dijs bobus albis, atq; cæteris hoſtijs.* Rurſus *lib.36.* habet: *Certa deinde ſorte S.C. factum eſt, quod P. Rom. eo tempore duellum iuſſiſſet cum Rege Antiocho eſſe, quiq; ſub Imperio eius eſſent, vt eius in cauſa ſupplicationem impetrarent Coſſ. vtq; M. Accilius Coſ. ludos magno Ioui voueret, & dona ad omnia puluinaria.* Et paulo poſt Liuius Accilii votum ita deſcribit: *Id votum in hæc verba præeunte P. Licinio Pont. Max. Coſ. nuncupauit; Si duellum, quod cum Antiocho Rege ſumi populus iuſſit, ex ſententia S. P. Q. R. confectum erit, tum tibi Iupiter populus Romanus ludos magnos dies decem continuos faciet; donaq; ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantum Senatus decreuerit. Quiſquis magiſtratus eos ludos quando vbiq; faxit, hi ludi recte facti, donaq; data recte ſunto.* Libro 31. ita ſcriptum legimus: *Ciuitas religioſa in principijs maxime nouorum bellorum ſupplicationibus habitis iam, & obſecratione circa omnia puluinaria facta, ne quid prætermitteretur, quod aliquando factum eſſet, ludos Ioui domumq; vouere, Conſulem, cui prouincia Macedonia obueniſſet, iuſſit.*

*Moram*

*Moram voto publico Licinius Pontifex Maximus attulit, qui negauit, ex incerta pecunia vouere debere, ſi ea pecunia non poſſet in bellum vſui eſſe, reponi ſtatim debere, nec cum alia pecunia miſceri, quod niſi factum eſſet, votum rite ſolui non poſſe; Quamquam res & author mouebat, tamen ad collegium Pontificum referre Conſul iuſſus, ſi poſſet recte votum incertæ pecuniæ ſuſcipi, poſſe, rectiusq; etiam eſſe, Pontifices decreuerunt. Vouit in eadem verba Conſul, praeunte Maximo Pontifice, quibus antea Quinquennalia vota ſuſcipi ſolita erant, præterquam quod tanta pecunia, quanta tum, quum ſolueretur, Senatus cenſuiſſet, ludos donaq; facturum Senatus vouit, toties ante ludi magni de certa pecunia voti erant,. ij primum de incerta.* Et libro 39. *Triumphus M. Fuluio eſt decretus. Is quum gratias Patribus Conſcriptis egiſſet, adiecit, ludos magnos ſe Ioui Optimo Maximo eo die, quo Ambraciam cepiſſet, vouiſſe; in eam rem ſibi centum pondo auri, à ciuitatibus collatum, petere, vt ex ea pecunia, quam in triumpho latam, in ærario poſiturus eſſet, id aurum ſecerni iuberent. Senatus Pontificum collegium conſuli iuſſit, num omne id aurum in ludos conſumi neceſſum eſſet? Quum Pontifices negaſſent, ad religionem pertinere, quanta impenſa in ludos fieret, Senatus Fuluio, quantum vellet impendere, permiſit, dum ne ſummam octoginta millium excederet.* Et libro 5. *Creati Coſ. L. Valerius Potitius, M. Manlius, cui Capitolino poſtea fuit cognomen. Hi Conſules magnos ludos fecere, quos M. Furius Dictator vouerat Veienſi bello.* Ex quibus Liuii locis, quod ſuperius diximus, ſatis conſtare exiſtimamus, quinimo & illud elici poteſt, ludos hoſce *magnos* appellatos, quod Ioui potiſſimum & inprimis vouerentur, quem Maximum & Deorum Principem antiqui fecere. Nam quamuis in eorum ſolutione & aliis Diis dona mitterentur, Ioui tamen præcipue, & in illius honorem vouebantur. Vnde Sextus Pompeius *libro vndecimo* ſcribit: *Magnos ludos Romanos ludos appellabant, quos in honorem Iouis, quem Principem Deorum putabant, faciebant.* Vel dicamus, magnos Deos duodecim Romanis fuiſſe, quod Lactantius *libro de falſa religione primo, cap.* 15. docet, ſex mares & fœminas totidem, quorum imagines auratæ ad forum ſtabant, vt refert Varro *rerum Ruſticarum lib.* 1. *cap.* 1. Quos Ennius diſticho eſt complexus:

*Iuno,*

*Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
*Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Herodotus tamen *lib.*2. inter duodecim Deos Herculem nominat. Meminit & horum duodecim Deorum D. Auguſtinus *lib.*4.*cap.*23. *Ciuitatis Dei*, & Virgil. 3. Æneid. *Cum ſociis, natoq́, penatibus, & magnis Diis.* Cur autem vocati θεοὶ μεγάλοι, docet Macrobius *lib.*3.*cap.*4. Quos & *penates* vocatos, tradit Seruius *in lib.*3. *AEneid.* quia vrbi & Latio præſidebant. Magnos itaque dictos ludos hoſce, exiſtimare poſſumus, quod præter Iouem Maximum, & iis duodecim etiam perſoluerentur, donis & ſacrificiis ad eorum puluinaria factis. Quod vero Conradus Lycoſthenes *in Theatro vitæ humanæ, lib.*18. tradit, authoritate Liuii, populum Romanum ſcilicet coronatum ſpectaſſe ludos magnos, victoribusque palmas tum primum è Græcia translato more Æ-diles dediſſe, falſum eſſe, facile conuincitur, & errandi cauſam præbuiſſe, quod ad ludos magnos tranſtulit, quod de Apollinaribus ludis ſcribit Liuius, *lib.*25. Quod ſi quis contenderit, etiam ludos, præter oblationes in magnis vocatis ludis celebratos, non obſtinate reluctabimur.

Marſia Regiuncula Italiæ, quamuis exigua, vltra Picenum, Samnites verſus, de qua Plinius *lib.*3.*cap.*11. magnis tamen & difficilibus bellis Romanos non ſemel fatigauit. Ita Marſos à Romanis defeciſſe, ac ſuperatos, tradit Liuius, *lib.*9. & eiſdem fœdus petentibus, datum. Et lib. 10. *Parte agri multatis Marſis à M. Valerio Maximo Dictatore, fœdus reſtitutum.* Et *lib.*72. Marſos, Picentes, Veſtinos, Pelignos, Lucanos, Samnites, defeciſſe, & populo Romano Sociale bellum intuliſſe ſcribit. Et *lib.*73. Publicum Rutilium Conſulem parum proſpere contra Marſos pugnaſſe, & in prælio cecidiſſe, & C. Marium meliore euentu cum hoſtibus conflixiſſe, & Marſos prælio fudiſſe. Et *lib.*47. rurſum C. Marium cum Marſis dubio euentu pugnaſſe, & Cn. Pompeium Conſulem Marſos acie viciſſe. Et *lib.*75. L. Portium Conſulem rebus proſpere geſtis, fuſiſque aliquoties Marſis, dum caſtra eorum expugnat, cecidiſſe. Et *lib.*76. Marſos à L. Murena & Cæcilio Pio Legatis, aliquot præliis fractos, pacem

pacem petiiſſe, quum Silo Popedius Dux Marſorum prælio cecidiſſet. Marſos fuiſſe belligeros, teſtatur Syllius lib. 8.

*—— At Marſica pubes*
*Et bellare manu & chelydris cantare ſoporem,*
*Vipereumq; herbis hebetare, & carmine dentem.*

Marſos Italiæ populos herbarum vires & veneficia optimè calluiſſe, teſtatur etiam Gellius *lib. 16. cap. 11.* & Aelius Lampridius *in Heliogabalo* ſcribit: *Serpentes Marſicæ gentis Sacerdotes collegiſſe fertur, eosq; ſubito ante lucem, vt ſolet populus ad ludos celebres conuenire, effudiſſe, multosq; afflictos morſu & fuga.* De huiuſcemodi bello haud locutum Suetonium hoc in loco, nec de Marſico bello (ſociali, inquam,) intellexiſſe, non dubitandum, de quo Eutropius *lib. 5. Hiſt.* ita ſcribit: *Sexto Iulio Cæſare, & Lucio Marcio Philippo Coſſ. ſexcenteſimo quinquageſimo anno ab vrbe condita, quum prope omnia alia bella ceſſarent, in Italia grauiſſimum bellum Picenſes, Marſi, Pelignią;. Qui quum annis numeroſis iam populo Romano obedirent, tum libertatem ſibi æquam aſſerere cœperunt. Pernicioſum admodum hoc bellum fuit. Publius Rutilius Conſul in eo bello occiſus eſt. Cæpio nobilis iuuenis, & Portius Cato alius Coſ. Duces autem aduerſus Romanos Picentibus & Marſis fuerunt Titus Vierius, Nierus Aſinus, Titus Legennius, Aulus Cluentius. A Romanis bene contra eos pugnatum eſt à C. Mario, qui ſexies Conſul fuerat, & à Cn. Pompeio, maxime tamen à L. Cornelio Sylla, qui inter alia facta egregie ita Cluentium hoſtium ducem cum magnis copiis fudit, vt ex ſuis nec vnum amitteret. Quadriennio, cum graui tamen calamitate hoc bellum tractum eſt, quinto demum anno finem accepit per L. Cornelium Syllam.* Marſici huius belli meminit Cicero *in orat. contra Rullum, de re agraria,* in quo bello & ipſe interfuit, verum bellicas crudelitates abominatus totum poſtea ſe literarum ſtudiis dedidit. Hac in re fratris Leandri *in ſuo libro, de deſcriptione Italiæ,* fœdum lapſum non omittendum, vbi de Marſis agit, Cornelium Tacitum in primo libro Ann. ſcilicet de Marſis Italiæ populis meminiſſe tradens, quod falſiſſimum, ex ipſius Taciti dictis conuincitur; ibi enim de Germanico bello verba faciens, ait: *Ventumq; ad vicos Marſorum, & circumdatæ ſtationes.* Ex quibus clare patet, quum bellum in Germania

V fieret;

fieret, non de Marſis Italiæ verba facere potuiſſe. In quod etiam erratum impegit Beroaldus in explanatione præſentis loci. De Marſico bello itaque intellexiſſe Suetonium in Germania aduerſus populos Germaniæ Marſos infeliciter geſto, manifeſtum eſt; ſiquidem Varianam cladem & Lollianam in Germania acceptas, idem Suetonius per initia capitis teſtatur. Hæc autem interpretatio facile firmatur ex Cornelio Tacito, ſcribente *lib. Annal.* 2. in hæc verba de Germanico: *C. Lollio cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Chattos imperat, ipſe maioribus copiis in Marſos irrumpit. Quorum Dux Malouendus nuper in deditionem acceptus, propinquo loco defoſſam Varianæ legionis Aquilam modico præſidio ſeruari indicat. Miſſa extemplo manus, quæ hoſtem à fronte eliceret, alij qui terga circumgreſſi, recluderent humum, & vtriſque adfuit fortuna.* De Lolliana clade, lege Dionyſium, *libro* 54. & Euſebium *in Chronicis Olymp.* 190. & Velleium Paterculum; hanc autem recepit M. Lollius pariter in Germania à Cimbris. Fuerunt & alii Marſi Scytharum populi, teſte Herodoto, de quibus intellexiſſe cenſeo Alexandrum ab Alexandro, *lib.* 2. *cap* 1. dum ait: *Produntur Marſi populi ſingulari ſydere ſeu fato geniti, vt præcipua pedum leuitate cæteris præſtent, ingentiaq́ue ſpacia vix credibili celeritate peragerent.* Marſorum militum meminit Cæſar *lib.* 1. *de bello ciuili.* Et de bello Marſico conſulas Paterculum. Cimbros autem Germaniæ populos fuiſſe, omnes conſentiunt, ſed quales fuerint, & quomodo noſtris temporibus appellentur, varia varii dixere. Communis opinio eſt, Cimbrorum nomine complecti Danos, Holſatios, Dacos, & Seelandos, generali nomine *Cimbros* appellatos. Dixi, *communi nomine*, quia propria appellatione & ſtrictiori vnam ſolummodo ciuitatem Cimbros comprehendiſſe, elicimus ex Cornelio Tacito, *libro de moribus Germanorum*, vbi ſic ſcriptum reliquit: *Eundem Germaniæ ſinum proximi Oceano Cimbri tenent, parua nunc ciuitas, ſed gloria ingens, veteriſq́ue famæ magna veſtigia manent, vtraq́ue ripa caſtra ac ſpacia, quorum ambitu nunc quoq́ue metiaris molem, manuſq́ue gentis, & tam magni exercitus fidem.* Cimbrorum meminit Ptolem. *lib.* 2. *cap.* 11. inter

Germaniæ gentes eos connumerans. Tacitus *libro de moribus Germanorum* ita ſcribit: *Sexcenteſimum & quadrageſimum annum vrbs noſtra agebat, quum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cecilio Metello ac Papirio Carbone Coſs. Ex quo, ſi ad alterum Imperatoris Traiani Conſulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur, tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi æui ſpacio multa inuicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hiſpania, Galliave, ne Parthi quidem ſæpius admonuere, quippe Regno Arſacis acrior eſt Germaniæ libertas. Quid enim aliud nobis, quam cædem Craſſi, omiſſo & ipſo Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani, Carbone, & Caſſio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cepione, M. quoque Manlio fuſis, vel captis, quinque ſcilicet Conſulares exercitus P. Romano, Varum, tresq; cum eo legiones Cæſari abſtulerunt.* Et rurſus idem Tacitus *lib.* 4. *Hiſt.* Cerialem in orat. ad exercitum dicentem, ita introducit: *Quot præliis aduerſus Cimbros Theutonesq;, quantis exercituum noſtrorum laboribus, quove euentu Germanica bella tractauerimus, ſatis clarum.* Ex quibus clare patere poteſt, bellicoſam gentem fuiſſe Cimbros, vnde haud mirum ſit, ſi in Cimbrico bello Romani ludos magnos Ioui Maximo vouerint, mandante Auguſto. Eutropius *lib. Hiſt.* 4. ſcribit: *C. Cæcilio Metello & Cn. Carbone Coſs. nuntiatum Romæ eſt, Cimbros è Gallia in Italiam tranſiiſſe.* Et per initia *lib.* 5. tradit, M. Manlium & Q. Cæpionem à Cimbris & Theutonibus, & Tigurinis, & Arabronibus, quæ erant Germanorum & Gallorum gentes, victos iuxta flumen Rhodanum, & ingenti internecione attritos, etiam caſtra ſua & magnam partem exercitus perdidiſſe. Timor Romæ grandis fuit, quantus vix Annibalis tempore Punicis bellis, ne iterum Galli Romam venirent. Ergo Marius poſt victoriam Iugurthinam ſecundo Conſul eſt factus, bellumque ei contra Cimbros & Theutones decretum eſt, tertio quoque ei & quarto delatus eſt Conſulatus, quia bellum Cimbricum protrahebatur, ſed in quarto Conſulatu collegam habuit Q. Luctatium Catulum. Cum Cimbris itaque conflixit, & duobus præliis ducenta millia hoſtium cecidit, octoginta millia cepit, & Ducem eorum Theutobodum; propter quod meritum

abſens, quinto Conſul eſt factus. Interea Cimbri & Theutones, quorum copia adhuc infinita erat, ad Italiam tranſierunt. Iterum à C. Mario & Q. Catulo contra eos dimicatum eſt, ſed in Catuli parte felicius. Nam eo prælio, quod ſcilicet ambo geſſerunt, centum quadraginta millia aut in pugna, aut in fuga cæſa ſunt, ſexaginta millia capta. Romani milites ex vtroque exercitu ter mille perierunt, tria & triginta ſigna Cimbrica ſublata ſunt, ex iis exercitus Marii duo reportauit, Catuli exercitus triginta & vnum. Is belli finis fuit, triumphus vtrique decretus eſt, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### Cap. XXIV.

*Centuriones ſtatione deſerta, itidem vt manipulares, capitali animaduerſione puniti.*

MAnipularis vocis non ſimplicem ſignificationem apud ſcriptores obſeruamus; Aliquando enim accipi pro *ſignifero* aut *vexillifero*, eo quod ſigna militaria in primis temporibus fœni manipula eſſent haſtis alligata, quæ ſigniferi præeuntes deferre ſolebant, quod Plutarchus *in Romulo* ſcriptum reliquit, & Seruius *libro 2. AEneid.* in eum locum:

*Disiectiq́; Duces, deſolatiq́; manipli.*

*Signiferi* ( inquit ) *deſerti: Manipuli enim dicti ſunt ſigniferi, eo quod ſub Romulo pauper adhuc Romanus exercitus haſtis fœni manipulos alligabat, & hos pro ſignis gerebat, vnde hoc nomen remanſit.* Et *lib.* 11. enarrans illud:

*Tu Voluſi armari Volſcorum edice maniplis.*

*Maniplis* ( inquit ) *ſigniferis*. Et Ouid. lib. 3. Faſt.

*Pertica ſuſpenſos portabant longa maniplos,*
*Vnde maniplaris nomina miles habet.*

Volaterranus *lib.* 13. ſcribit, manipularem eſſe, cui viginti milites obtemperabant, & duabus decuriis imperabat, cui fauere videtur Liuius, *lib.* 8. dum ait, Manipulum leuem vicenos milites habere; at quum & aliam ſcutatorum turbã habuiſſe dicat, aliud ſentire à Volaterrano non eſt ambigendum.

gendum. Xenophon *Pædiæ Cyri lib.6.* Manipulum conſtare ſcripſit ex 24. militibus. Vegetius *lib.2.* ſcribit, Manipulum fuiſſe contubernium decem tantummodo militum, ſub vno pupilione degentium, ab eo, quod coniunctis manibus dimicabant, ex quo alii colligunt, manipularem decem militum Præfectum fuiſſe. Alex ab Alex. *lib. 6. c. 14.* ſcribit: *Singuli manipuli homines recipiunt ducentos quinquaginta ſex, Decurias vero ſexdecim. cui ductor manipularis præerat.* Verum quum ibi Alexand. loquatur de Græcorum phalange & militia, ad rem noſtram nihil eius dicta faciunt. Seruius locum citatum euarrans:

*Tu Volſi armari, &c.*

*Aiunt* ( inquit ) *manipulum dici ducentorum militum numerum, ſub vno Rectore conſtitutum.* Obſeruamus quoque, per *manipularem* ſignificari priuatum militem. Ita Plautus in Moſtellaria, Act. 1. Scen. 3.

*Conueniunt manipulares, eccos, prædam participes petunt.*

Et rurſus eiuſdem fabulæ Act. 5. Scen. 1.

*Poſtquam ex obſidione in tutum eduxi maniplares meos.*

Et in milite glorioſo, Act. 3.

*Si centuriati bene ſunt manipulares mei.*

In eundem ſenſum recepit hanc vocem Cæſar *lib. 7. belli Gall. & 2. belli Ciuil.* & Cic. lib. Epiſt. 9. ad Atticum, Epiſt. 12. *Amens mihi fuiſſe videor à principio, & me vna res hæc torquet, quod non omnibus in rebus labentem, vel potius ruentem Pompeium, tanquam vnus manipularis ſequutus ſum.* Et in Anton. *Addo etiam iudices manipulares ex legione Alaudarum.* Cæſar enim ex Gallis legionem conſcriptam *Alaudam* vocauit. Ego quidem cenſeo, hoc loco Suetonium per manipulares non priuatos milites intellexiſſe, ſed vexillarios & ſigniferos; nam quum de Centurionibus verba feciſſet, ſubiungit ſtatim *Manipulares*, id eſt, *ſigniferos*, quos potius credendum Auguſtum, ſicuti & Centuriones, pœna & ignominia ob patrata crimina affeciſſe, quam priuatos milites, quos ex cohortibus decimatos hordeo pauiſſe ſcribit. Ex quibus erroris arguendus doctiſſimus vndequaque Alexander ab Alexandro, quum per initia *cap 5. lib. 1.* ait, quod qui præerat

manipulo Centurio, manipularis dictus; nam hic Sueton. Centuriones à manipularibus diſtinguit.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. Cap. XXIV.

*Interdum tunicatos diſcinctosq́ue, nonnunquam cum decempedis, vel etiam ceſpitem portantes.*

ANtiquos Romanos milites manipulares fortes & ſtrenuos ſemper præcinctos militaſſe (diſcincti enim ignaui & militiæ minime apti habebantur) conſtat. Horatius in Epodo, Ode I.

*Diſcinctus aut perdam, vt nepos.*

Quo loco Acron & Porphyrion interpretantur, *Diſcinctus*, id eſt, *negligens, & luxu diffluens.* Et Perſius Satyr. 3.

*Non pudet ad morem diſcincti viuere Nattæ.*

Et Satyr. 4.

*Cum bene diſcincto cantauerit Ocyma Vernæ.*

Et Seruius enarrans eum Virgilii locum I. Æneid.

*Illi ſe prædæ accingunt.*

Et alium, lib. 8.

*Diſcinctos Mulciber Afros.*

Diſcinctos interpretatur inhabiles militiæ, ſicuti *præcinctos*, ſtrenuos. Vnde Horatius: *Altius nos, Præcinctis vnum.* De hoc etiam vide Feſtum Pompeium, *lib. 5.* Milites autem diſcinctos ignauia notatos, ait Trebellius Pollio *in Salonino Galieno*, & Spartianus *in Seuero*, & Vulcatius Gallicanus de Auidio Caſſio corrigente legiones Syriacas luxuria diffluentes, inquit: *Programma in parietibus fixit, vt ſi quis vinctus inueniretur apud Daphnem, diſcinctus rediret*, vbi militum cinctum appellat, illiq; ignominiæ ſeu pœnæ dat, vt diſcinctus rediret. Mœcenas & Iulius Cæſar delicati habiti, & amatores, quod diſcincti, vel parum præcincti incederent. Vnde Tibullus Eleg. 6.

*Effluit effuſo cui toga lapſa ſinu.*

Et econtra *cinctos* vocarunt antiqui ſtrenuos, fortes & viriles. Vnde Mœcenas in eius Epicænio ita excuſatur:

*Quod*

*Quod diſcinctus eras, animo quoque carpitur vnum,*
*Diluitur nimia ſimplicitate tua.*
*Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo,*
*Quæ bene præcinctos poſtmodo pulſa fugit.*
*Inuide, quid tandem tunica nouercæ ſoluta?*
*Aut tibi ventoſi quid nocuere ſinus?*

Iterum:

*Et tibi ſecuro tunicæ fluxere ſolutæ.*

Rurſum:

*Lydia te tunicas iuſsit laſciua fluentes,*
*Inter lanificas ducere ſæpe ſuas.*

Quod etiam in pueris obſeruatum antiquitus; nam Plaut. *in Bacchid.* puero, quod ignotus eſſet, honori dat:

*Cinticulo præcinctus in ſella apud magiſtrum aſsideres.*

Secus vero in Pœnulo, vbi inquit: *Quis hic homo cum tunicis longis, quaſi puer cauponius?* Iuuenal. Satyr. 8.

*Cum tenues nuper Marius diſcinxerat Afros,*

id eſt, *ſubegerit.* Vnde & Græcis εὔζωνος appellatur, non qui bonam zonam habet, ſed qui ſtrenuus & fortis eſt. Quod milites eligerentur, conſtat etiam ex Gellio, qui ait: *Scuto pedeſtri & gladio Hiſpanico cinctus contra Gallum conſtitit.* Plutarchus in Lucullo contumeliam grauem militi fuiſſe tradit, vt loco pagani haberetur, & diſcinctus incederet. Ad hoc pulchre facit, quod Cicero ad Q. Fratrem ſcribit: *Cæſar, mihi crede, in ſinu eſt, neque ego diſcingor.* Et de Cæſare Suetonius in illo, capite 45. *Vſus enim latoclauo ad manus fimbriato, nec vt vnquam aliter, quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura.* Vnde emanaſſe illud Syllæ dictum conſtat, optimates ſæpius admonentis, vt male præcinctum puerum cauerent. In pœnam itaque ea ignominia afficiebat Auguſtus milites delinquentes, iubens ante prætorium ſtare, aliquando diſcinctos, aliquando tunicatos, nonnunquam cum decempedis. Tunicatos autem dixit, quia tunica veſtis erat apud Romanos, quæ primo induebatur, & cui aliæ ſuperponebantur. Vnde nobili vel inſigni viro turpe erat, tunica duntaxat indutum prodire. Quod autem carni proxima eſſet tunica, conſtat ex Cicerone, ſcribente

bente in libro de Oratore: *Vt diſcinderem tunicam,& cicatricem oſtenderem.* Et in Tuſcul. *Quum pila ludere vellet, tunicamq́ poneret.* Parui faciendos autem tunicatos, id eſt, qui ſupra tunicam nullam aliam veſtem habent, idem Cicero oſtendit, dum ait in orat. contra Rullum: *Iam vero qui metus erat tunicatorum illorum.* Et Plaut. in Pœnul.

*Nouiſtin' tu illum tunicatum hominem qui ſiet?*

Et Ouid. in 3 Amor.

*Illic nec tunicam ſibi ſit poſuiſſe pudori.*

Carthaginenſium iuuentutem tunicatam non ſine probro, vocauit Ennius, referente Cælio Rhodigino, *libro* 18. *lect. antiq. cap.* 38. Sed decempeda erat pertica, qua menſuratur terra à numero pedum dicta. Cicero 14. Philipp. *Saxa peritus metator vrbem iam decempeda ſua diuiſerat.* Et in oratione pro Milone: *Qui cum architectis & decempedis villas multorum, hortosq́ peragrauit.* Et in Academ. *Solis magnitudinem quaſi decempeda metiri.* Et Acron in Horat. Carm. libro 2. Ode 15. *Decempeda*, inquit, *regula eſt decem pedum, ad quos ab artificibus fabricæ menſura colligitur.* Vnde *Decempedator*, qui illa vtitur. Ita Cicero Philipp. 13. *L. Antonius æquiſſimus agri publici & priuati decempedator.* Hoc loco autem Suetonium accepiſſe reor abſolute pro pertica ſeu conto, quem ad ignominiam militi geſtandum vice bellicæ haſtæ Octauius dabat. De huiuſmodi ignominiis & aliis, quibus affici milites errantes ſolebant, lege Frontinum *lib.* 4. *cap.* 1. & Valerium Maximum, *libro* 2. *cap.* 7. & Gellium *lib.* 10. *cap.* 8. & Feſtum in dictionibus, *Cenſio & Dirutum.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

## CAP. XXV.

*Has quam parciſſime, & ſine ambitione, ac ſæpe etiam caligatis tribuit, &c.*

CAligatos milites in bello inceſſiſſe, ex hiſtoriæ lectione patet. Hoc autem loco per caligatos intellexiſſe Suetonium priuatos milites, omni mihi videtur carere diffi-

difficultate; Huius enim indumenti, ſeu calciamenti genus, humile, vulgatum & obſcurum antiquis fuiſſe conſtat; ſiquidem Plinius *lib.7.cap.42.* ſcribit P. Ventidium, qui de Parthis triumphauit bis in triumpho ductum, & iuuentam inopem in caliga militari toleraſſe. Et Iuuenalis Saty....

*Veniam caligatus in agros,*

Et Saty. vltima.

*Quum duo crura habeas offendere tot caligatos.*

Et Cicero *in Philippicis*, nobile indumentum ab ignobili diſcernens, ait: *Rediui cum calceis, & toga, nullis nec caligis, nec lacerna.* Et iterum: *Cum caligis & lacerna cucurriſti.* Et ad Att. *Mihi eius caligæ vt faſciæ cretatæ non placebant.* Hoc autem etiam ex Iuriſtis clare patet, vti *in l.2. in princ. D. de iis, qui not. infam.* vbi Vlpianus ita ſcribit: *Quod ait Prætor, qui ab exercitu dimiſſus erit, dimiſſum accipere debemus militem caligatum*, id eſt, vt inquit Accurſius, *infimum, & obſcurum.* Sic Venuleius *in l. de militibus. D. de cuſtodia & exhibit. reorum, & in l. à Caligato 21. C de nuptiis*, & ibi gloſſa: *Caligatus*, ait, *dicitur ille, qui habet ocreas ferreas, & §. quiſquis, Auth. quib. mod. nat. effic. legitimi.* Suetonius itaque hoc loco per *Caligatos* intelligit gregarios milites, quos antea manipulares vocarat; ſicuti & in Caligula *cap. 9.* ſcribit: *Caligulæ cognomen caſtrenſi ioco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur.* Tacitus *libro Annal. primo* ſcribit, Druſum Germanici & Agrippinæ filium puerum adhuc, Caligulam à militibus appellatum, quia plerunque ad concilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur. Ita Marium à Caligula ad Conſulatum perductum ſcribit Seneca, *libro de beneficiis 5.* Milites enim caligati omnes incedebant; Caliga enim vocatur à Dione lib. 48. ὑπόδημα στρατιωτικόν. Vnde *caligatus* proprium militis epithetum eſt, præſertim gregarii & manipularis; nam qui gradum aliquem militiæ tenebant, in caligis vtebantur clauis argenteis & aureis, quibus non ſolum caligæ ſuffigebantur, ſed & effulgebant etiam. Huiuſmodi clauorum meminit Plinius lib. 9. cap. 18. *Duo* (inquit) *lacus Italiæ in Alpium radicibus, Larius, & Verbanus appellantur, in quibus piſces omnibus annis Vergiliarum ortu exiſtunt, ſquamis conſpicui crebris, atque peracutis, clauorum caligarium*

*effigie.* Et *libro 22.* ait: *Si enim caligaris clauus, ſi ferri vel chalybis aliqua rubigo, aut panni marcor aſſuerit, omnem illico ſuccum, alienumque ſaporem in venenum decoquit.* De clauo caligari quoque Iuuenalis illud ſcite prolatum:

*In digito clauus mihi militis hæret.*

Et alibi:

*Offendere tot caligatos*
*Millia clauorum.*

Ioſephus quoque & Egeſippus Hebraicæ Hiſtoriæ ſcriptores tradunt, Iulianum Hecatontarchum, id eſt, Centurionem, propter clauos, quibus creberrimis & acutis calceos, vt cæteri ſolent milites, fixos habebat, in lubrico ſolo lapſum, fuiſſe ab hoſtibus Iudæis interfectum. Sed de his alibi fuſius, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
### CAP. XXV.

*M. Agrippam in Cilicia poſt naualem victoriam cæruleo vexillo donauit.*

INdagatione dignum videtur, cur Octauius Agrippam potius vexillo cæruleo, quã alterius coloris donarit. Duę mihi huius rei cauſæ potiſſimum occurrunt, quarum prior eſt, Cœruleum colorem marinum proprie appellari, qui etiam & *Venetus* appellatur à Latinis, eo quod Venetiæ Italiæ, & Venetia Galliarum vrbes maritimæ ſint. Sic Lampridius ſcribit Heliogabalum comediſſe piſces coctos conditura Veneta, quaſi in marina aqua cum colore ſuo. Ita Vegetius *libro 4. cap. 37. de re milit.* ſcribit, Nautas veſte Veneta eſſe induendos, & vela nauium exploratorum colore Veneto eſſe tingenda, vt ſimilitudine coloris marini facilius lateant, hoſtileſque oculos fallant. Hic quoque color vocatus fuit *Thalaſſicus*, id eſt, marinus; Græci enim θάλασσαν mare dicunt. Ita Plautus:

*Neſcio quis tecum incedit, ornatu quidem Thalaſſico.*

Et Cœruleum colorem vocauit marinum Catullus......

*Cærula vertentes abiegnis æquora palmis.*

Et

Et Virgilius *decimo AEneid.* appellauit mare, *Cærula freta.* Iure itaque Octauius Agrippæ dedit vexillum cœruleum, eo quod potius eſſet victoria nauali in Cilicia. Secundam & poſteriorem cauſam adducere poſſumus, quod apud Romanos factiones fuere, præſertim in publicis Ludis, quæ pugnantium, aurigantium, & aliorum certantium colore hoc vel illo inductorum diſtinguebantur; Quod & noſtris temporibus in bellicis ſimulacris equitum & peditum inter ſe certantium obſeruari norunt omnes. Hæ autem factiones plures fuere, vt alibi adnotauimus, inter quas Veneta vna fuit, ita appellata à colore cœruleo. Iis autem factionibus non ſolum popularis fauor, ſed & Principum, plerumque victoriam procurabat, clamore, & plauſu ſpectantium, ſuam hincinde fouendo. Inter has ſcribit Suetonius *in Vitellio, capite decimoquarto*, eum factioni Venetæ ita addictum fuiſſe, vt illius homines per æqua & iniqua amplo fauore proſequeretur, ita vt quoſdam de plebe, ob id ipſum, quod Venetæ factioni clare maledixerant, interimi iuſſerit. Econtra vero author eſt Iulius Capitolinus *in vita Veri Antonini*, eum à Venetæ factionis hominibus, quam odio execrabili proſequebatur, intoleranda probra & contumelias tuliſſe, quod contra eos Praſſinæ ſtuderet; quod ante eum fecerant Caligula & Nero, teſte Suetonio in illius vita, *capite quinquageſimoquinto*, huius vero, *cap.* 22. forte itaque dici poſſet, Octauianum Auguſtum Venetæ factioni ſtuduiſſe, quod & noſtrorum temporum Reges, Imperatores, aliique Principes faciunt, dum milites ſuos & alios inſeruientes hoc vel illo vel pluribus coloribus veſtiri mandant; ob idque Agrippam victorem vexillo cœruleo donaſſe. Verum quum nullibi ſcriptum legerim, Auguſtum Venetæ factioni fauiſſe, priorem interpretationem magis probare cogor, &c.

C. SVET.

# C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

## CAP. XXVII.

*Nam & Pinarium Equitem Romanum cum concionante ſe admiſſa turba paganorum apud milites, ſubſcribere quædem animaduertiſſet, curioſum ac ſpeculatorem ratus, coram ſe confodi imperauit, &c.*

PAganorum dictionem hanc varia ſignificata apud Latinos obtinere quum conſtet, qua ſit hoc loco intelligenda conſiderandum. Pagani proprie dicuntur, qui habitant in pagis vel oppidis ruſticis, à fontibus ita dicti, quia circa fontes conſueuerunt antiqui domos & villas ędificare aquationis facilioris gratia, vt ait Feſtus, & Seruius ἀπὸ τῶν πηγῶν, η in α, Dorice mutato, pagi & pagani dicti, πηγὴ enim *fons* dicitur. Ita & πηγαὶ, id eſt, *pagæ* dicuntur partes illæ, quæ prope naſum & oculos iacent, quaſi dicas lachrymarum fontes. In hunc ſenſum Perſius per initia ſua Poematis arrogantiam declinans *ſemipaganum* ſe vocat, quaſi dicat ſemipoetam, vt qui fonte muſarum Minime plene ablutus, aut exſaturatus eſſet; ſic enim intelligendam vocem illam exiſtimo, & non vt alii exponunt, *ſemiruſticum*; quod ex ſerie contextus facile dignoſcitur, ſcribit enim:

*Nec fonte labra prolui caballino,*
*Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo*
*Memini, vt ſic repente Poeta prodirem.*
*Heliconidas pallidamque Pyrenem*
*Illis relinquo, quorum imagines lambunt*
*Hederæ ſequaces, ipſe ſemipaganus*
*Ad ſacra vatum carmen adfero noſtrum.*

Prima itaque ſignificatione pagani dicuntur, qui ruri nati educatique ſunt, & villam habitant. Ita Cic. pro domo ſua: *Nullum eſt in hac vrbe collegium, nulli pagani, aut Montani, qui non ampliſſime non modo de ſalute mea, ſed etiam de dignitate decreuerint.* In eundem ſenſum Ouid. lib. 1. Faſtorum.

*Pagus agat feſtum, pagum luſtrate coloni,*
*Et date paganis annua liba focis.*

A paganis *paganalia feſta*, ſcilicet ruſticorum, quorum meminit

minit Varro *lib. 5. lingua Latina*, & Dionyſius Halycarnaſſæus *lib.* 4. Ita & *nundina paganorum*, de quibus Plinius lib. 18. cap. 3. Hinc etiam *pagana lex*, cuius meminit Plinius idem *lib.* 28. *cap.* 2. qua cauetur ne mulieres in via torquerent fuſos, quoniam frugum prouentibus aduerſari putabantur, & *pagana fercula* apud Propertium lib. 4.

*Annua paſtorum conuiuia, luſus in vrbe,*
*Cum pagana mandent fercula diuitiis.*

A pagano *paganicus*, id eſt, quod ad ruſticos pertinet, vnde apud Martialem, lib. 4.

*Et quæ difficilis turget paganica pluma*
*Folle minus laxa eſt, & minus arcta pila.*

Ruſtici enim vtebantur pila plena pluma craſſiore quidem, nec ad vſum agili, vtpote quæ iactata non ita facile, vt follis, reſiliret. Et apud Iuriſtas *Paganicum peculium*, quod ex prædiis, paſtione, aliiſve ruſticis redditibus prouenit, cui opponitur *Caſtrenſe.* Antoninus in l. 1. C. de teſtamen. milita. *Frater tuus miles ſi te ſpecialiter de bonis, quæ in paganico habeat, hæredem fecit, bona quæ in caſtris reliquit, petere non potes.* Pagorum præpoſiti fit mentio *in l. quadrageſima nona, Cod. Theod. de Decur. & in l. prima, C. Theod. de pignoribus*, & de pagorum præpoſitura *in l. tertia, C. de ſuſcipien. præpoſitura pagorum*; hi vero præpoſiti pagorum παγάρχοι vocantur apud Iuſtinianum edicto decimoquinto, & in Nouellis aliquoties, ſicuti pagenſes vocati pagi eiuſdem incolæ *libro feud. 2. titulo 68. §. 2.* In hoc priori ſignificatu paganum receptum pro ruſtico à Iuriſconſultis obſeruamus, vt Vigl. *in titulo, Inſtit.* In ſecunda ſignificatione accipitur paganus, præſertim apud Iuriſperitos, pro homine non militante, & pro oppoſito militi, quique omnino militiæ ſacramento non tenetur. Ita Vlpianus tit. de milit. teſtam. *Eſt reſcriptum à D. Pio in eo, qui quum eſſet paganus, fecit teſtamentum, mox militare cœpit.* Idem: *Quemadmodum plerique pagani ſolent, quum teſtamentum faciunt per ſcripturam adiicere velle.* Idem in titulo de irrito facto teſtamento: *Si paganus, qui iam factum habebat teſtamentum, aliud feciſſet, & in eo comprehendiſſet fidei hæredi committere, prius teſtamentum ruptum eſt.* Man. quoque ait: *Timebatur an tale aliquid & in paganorum*

*ganorum teſtamentis indulgendum eſſet.* Et Tertulus: *Omnimodò poſthumus rumpet illius teſtamentum, ſed ſiquidem pagano iam facto illo natus ſit.* Et Paulus: *Fecit teſtamentum exemplo eius, qui paganus fecit, deinde militare cœpit.* Idem de lib. & poſtum. *Filiusfamilias miles ſimiliter vt paganus nominatim à patre hæres ſcribi debet.* Mod. titulo locati, l. ſi ignorans, inquit: *Militi quaſi pagano locauerit.* Marcellus in l. quædam. D. de pœnis: *Quadam delicta pagano aut nullam aut leuiorem pœnam irrogant, militi vero grauiorem.* Ex quibus conſtat, paganum accipi pro oppoſito militi, & non militante. Quod etiam confirmare poſſumus ex Suida ſcribente, *συνέθεον γυναῖκά τέ καὶ παγανοί.* In hac ſignificatione obſeruatur dictio hæc apud Iuuenalem, Saty. 16.

——*Citius falſum producere teſtem*
*Contra paganum poſſis, quam vera loquentem*
*Contra fortunam armati.*

In tertia ſignificatione Paganus accipitur Eccleſiaſticis ſcriptoribus pro illo, qui Chriſti pietatem non colit, teſte Alciato, quia Chriſti non ſint milites, & ita ſæpius Diuus Auguſtinus infideles & idolatras vocat *paganos.* Et ita ſumitur à Iuriſtis *in Rub. C. de paganis.* & Cæſares Chriſtiani in eadem ſignificatione vſi ſunt titulis: *Ne Chriſtianum mancipium hæreticus, vel Paganus, vel Iudæus habeat,* libro primo, C. tit. decimotertio, & de paganis, & ſacrificiis eorum, *ibidem titulo decimoquarto,* & in iure Pontificio legimus ſacrificia pagana prohibita, apud Gregor. *cap. licet nobis, de præben.* in quinta Synodo maxima ſub Innocentio III. celebrata plura decreta in Iudæos & Turcas facta, & Paganorum officia interdicta. Ita pagani etiam conſanguinei Epiſcopi ab Epiſcopo hæredes inſtitui nequeunt, pœna anathematis, *capitulo ſi quis Epiſcopus, capitulo quinto, de hæreticis.* De paganis ſtatutum idem *l. ſecunda, & quarta, & ſexta, & ſequen. de paganis libro decimoſexto, Cod. Theod. tit.* 8. vt eorum ſuperſtitio & ſacrificiorum inſania aboleatur.

Quarta & vltima ſignificatione accipitur paganus, præſertim apud Romanos, teſte Zaſio, pro eo qui militiæ cupiens erat, & ei adſcribi volebat, & dare nomẽ ſatagebat, & eo interuallo quo id quærebat, & ad militiam peruenire

tenta-

tentabat, *paganus* dicebatur, ſicuti demum eam adeptus *miles* dicebatur. Et ſecundam hanc poſtremam ſignificationem locum hunc Suetonii interpretandum non dubitamus, quod à nemine antea obſeruatum ſcimus; veriſimile enim eſt Auguſtum concionaſſe apud huiuſmodi paganos, qui ſcilicet adſcribi militiæ poſtulabant, quam apud ruſticos, vel alios, qui ſimpliciter milites non eſſent. Tacitus libro Hiſtor. 4. *Tria millia legionariorum, & tumultuariæ Belgarum cohortes ſimul paganorum, lixarumque ignara, ſed procax ante periculum manus omnibus portis erumpunt.* Et libro 3. Hiſtor. *Cæteri ad naues ruebant, vbi cuncta pari formidine implicabantur permixtis paganis, quo nullo diſcrimine Vitelliani trucidabant.* Et antea eodem libro: *Ipſique pagani fauore municipali, & futuræ potentiæ ſpe iuuare partes annitebantur.* Et paulo ante: *Mox infenſus prætorianis, Vos, inquit, niſi vincitis pagani, quis alius Imperator, quæ caſtra excipient?* Quod etiam ex eodemmet Suetonio comprobare poſſumus ſcribente in Galba c.... *Ibi equites quibus mandata cædes erat, quum per publicum dimota paganorum turba equos adegiſſent, viſo Proculeo reſtiterunt, deinde rurſum incitati deſertum à ſuis contrucidarunt.* Ex quibus colligi poteſt, apud Galbam non ſolum milites, ſed & paganorum turbam, id eſt, militiam auſpicari petentium adſtitiſſe. Non negauerim tamen, vtrobique Suetonii verba interpretari poſſe, pro paganorum turba, multitudinem popularium non militantium, & vt ita dicam, plebeiorum hominum, vrbanorum tamen, quum legamus apud Dionyſ. Halycarnaſſæum, *libro 4. antiquita.* Romam olim diuiſam fuiſſe in quatuor tribus, quas pagos vocitabant, in quibus habitantes pagani dicebantur, qui in nullam aliam habitationem transferri poterant. In Gallia homines plebei, qui Gallis dicuntur *Roturiers Villani, & pagani,* poſſunt ſine Regia diſpenſatione obtinere feuda nobilia, vt adnotauit Ægidius Magiſter in Deciſ. tit. *Des amortiſſemens.* Et hæc forte verior & accommodatior interpretatio exiſtimanda.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### Cap. XXIX.

*Multaque ab aliis extructa ſunt, ſicuti à Martio Philippo ædes Herculis, & Muſarum à L. Cornificio ædes Dianæ, ab Aſinio Pollione Atrium Libertatis, &c.*

Aſinium Pollionem non fabricauiſſe atrium in æde Libertatis, ſed amplificauiſſe, & reſtauraſſe crediderim, quum libertatis ædes habuiſſe (vt aliæ quoque) Romæ atrium multo antea, non ſit dubitandum. Has autem feciſſe ex multatitia pecunia Gracchorum Patres, teſtatum reliquit Liuius lib. 24. Ex quo Alexandrum ab Alexandro, *lib. 3. cap. 6.* lapſum facile conuincitur, quum *Atrium Libertatis* poſt Aſinium Pollionem à Gracchorum patre fabrefactum ſcribat; quum tamen tempore ſecundi belli Punici eas ædes fecerint illi, quod fuit ante Auguſti Imperium plus minuſve annis 170. Quinimo & ante Aſinii Pollionis tempora Atrium Libertatis refectum & ampliatum legimus à Sex. Ælio Pæto, & C. Cornelio Cethego Cenſoribus, apud Liuium *lib.* 34. Qui etiam libro 24. per initia ſcribit, quod obſides Tarentini in atrio libertatis cuſtodiebantur. Ex quibus clare patere poteſt, ante Aſinii Pollionis tempora id atrium Romæ fuiſſe, & per conſequens non primo extructum, ſed potius refectum, & ampliatum ab Aſinio Pollione. Huius Atrii meminit quoque Cornelius Tacitus *lib.* 17. Fuerunt Romæ atria plura inſignia, quorum ſit mētio à ſcriptoribus Latinis; fuit enim atrium publicum in Capitolio, de quo Liuius libro 24. ita ſcribit: *Tactum de Cœlo Atrium publicum in Capitolio, &c.* De Atrio Scauri bis meminit Plinius *libro 36.* nempe *cap. 2. & cap. 15.* De Atrio Pompeii Publius Victor in quarta Regione vrbis verba facit; qui etiam meminit Atrii Mineruæ. Atrium Regium obſeruamus apud Liuium *libro 26. & 27.* & apud Spartianum *in vita Septimii Seueri.* Et idem Liuius *lib. 29.* ſcribit duo atria, Mæuium & Titium ſcilicet, in publicum emptos in Latomiis à Catone. Fuit atrium Veſtæ, de quo Ouid. lib. 6. Faſt.

*Hic locus exiguus, qui ſuſtinet atria Veſtæ.*

Varro

Varro *libro* 2. de atrio Suturio vel Sutorio ita ſcribit: *Tubuluſtrium appellatur, quod eo die in atrio Sutorio* (ſeu vt alii legunt Suturio) *ſacrorum tubæ luſtrantur.* Ex quo Varronis loco arguendus Alexander ab Alexandro, qui *lib.3.c.6. & lib.2. cap. 22. & lib.5.cap.6.* hoc atrium *Saturium* vocauit. Cicero *in oratione pro Quint Fratre* meminit Atriorum Liciniorum, in quibus auctiones fiebant, vnde & *auctionaria Atria* vocauit *in oratione contra Rullum*, niſi auctionaria alia Atria fuiſſe dixerimus ab atriis Liciniis, ſcribit enim priori loco ita: *Neuius ſuos neceſſarios ab atriis Liciniis & faucibus Macelli corrogat.* Et in ſecundo loco citato: *Vt in atriis auctionariis potius, quam in triuiis, aut in compitis auctionentur.* Atrium autem fuiſſe ædificii genus continens mediam aream, in qua ex omni tecto pluuia recipiebatur, columnis quadrifariam per angulos diſpoſitis, conſtat ex Gellio *libro 16.cap.5.* & Feſto Pompeio *lib.1.* & Seruio, *in 1.lib. AEneid.* in eum locum,

*Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant*
*Atria*————

Atrium autem fuiſſe primam ædium partem, conſtat ex Vitruuio *libro 6.cap.7.* Plinio *lib.35. cap.2.* & ex illo in Lucæ Euangelio cap. 11. *Quum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.* Et ex ſacris Bibliorum paginis paſſim, præſertim Heſter, *cap.5. & 6.* Quamobrem valde lapſum Seruium puto, quum docet, in Atrio fuiſſe culinam, ex cuius fumo ater redditus, *Atrium* ob id diceretur; nam id minus rationi conſonum videtur, præcipue ex eo, quod in atrio adſeruarentur (vt alias ample docuimus) imagines præclariſſimorum familiæ hominum, quas certe fumus cõſpurcaſſet; & fœdas aſpectu reddidiſſet, quamuis armariis ſeruarentur, vt quidem mundas has quantum fieri poſſet, & nitidas habitas demonſtrauimus. Prętereа ſeruos Atrienſes, ſeu Atriarios, id eſt, Atrii ſeruitio deſtinatos inter nobiliores ſeruos habitos conſtat ex Iuriſconſultis, *vti in l.1.§.ceterum ſi quis. D.Nautæ Caupo.ſtabu.& in l.inſtrumenta, verſ.vlt. D. de fund.inſtruct.vel inſtrumentis legatis, & in l.Cenſoria, §.itemque, D.de verb.ſignif.* & alibi quoque. Vnde Alciatus & Oldendorp. hos fuiſſe putant, qui aliis præpoſiti eſſent. Quod pa-

riter colligere poſſumus ex Cic. *in Piſoniana*, *in Paradoxis*, & Columella *lib.12. cap.3.* & Plinio, *lib.3. Epiſt.19. Epiſtola ad Caluiſium Rufum*, &ex Apuleio *in lib. de Mundo*. At tales profecto, culinæ inſeruientes minime dicendi. Illud poſtremo non reticendum, quod ſicuti in domibus & templis ampliſſimis atrium extruebatur, ita forte & in locis publicis ad huius ſimilitudinem loca columnis exornata extructa fuiſſe, Atria & ipſa vocata nullis ædibus coniuncta. Extitiſſe autem in ædibus antiquis atrium maius & minus, quod *Atriolum* vocabant, conſtat ex eodem Cic. *in eadem orat. pro Quint. Fratre*, vbi legitur: *Atriolum non ſolet fere fieri, niſi in iis ædificiis, in quibus eſt Atrium maius.* Obſeruamus in Ezech. 46. cap. *Atrium & atriola in illo, &c.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XXXI.

*Nonnulla etiam ex antiquis ceremoniis paulatim abolita reſtituit: vt ſalutis augurium, &c.*

ANtiquis Romanis ſalutandi & imprecandi ſalutem morem fuiſſe conſtat ex librorum lectione paſſim, quod matutino tempore Græci verbo χαῖρε, hoc eſt, *aue*, veſpertino ὑγίαινε, quod eſt *ſalue*, faciebāt. Vnde illud Dionis *in Claudio* prolatum à reis damnatis decertaturis in prælio nauali: *Salue Imperator, pereuntes ſalutamus te.* Salutem autem precandi in epiſtolis antiquis morē fuiſſe, clare colligimus ex Dione in Tiberio, vbi habet: *Quum Rhodii magiſtratus ad Tiberium ſcripſiſſent, nec eſſent ei, vt erat conſuetudo, in extrema epiſtola ſalutem precati, eos ob eam rem accerſiri iuſſiſſe, tanquam in eos animaduerſurus eſſent, qui quum veniſſent, nihil acerbius fecit, ſed eos, poſtquam vota, quæ deerant epiſtolæ ſubſcripſiſſent, dimiſit*, &c. Sic Cicero in epiſtolis plures modos *ſalutem nunciare*, modo *dicere*, modo *referre*, modo *mittere*, modo *accipere*, & abſolute *ſalutare*, *conſalutare*, & *perſalutare* ſolet. Obſeruamus etiam apud veteres in ſternutamentis morem fuiſſe (quemadmodum & hodie) ſalutem precari. Quod Plinius *libro 28. cap. 2.* tradit, & Apuleius *in Metam. libro*, necnon & legimus apud Theocritum

critum *in Thalyſiis*, & in *Epithal. Helenis.* Idem quoque Propertius *lib.2.Eleg.3.* affirmat, dum ſcribit:

*Hunc tibi naſcenti primis (mea vita) diebus*
*Aridus argutum ſternuit omen amor.*

Et Tiberium Cæſarem in ſternutatione exegiſſe ſalutationem, & ſalutis precationẽ dirum & infandum auerti tradit Plin. *lib.28.c.2.* Vnde Ariſtoteles ſignum augurale ſternutamentum tradit 33. *ſect. Problem. 7. & 9.* huius rei cauſam docens. Ex iis quidam opinantur ita locum hunc interpretandum, quod Auguſtus ſcilicet omiſſum ſalutandi morem & ſalutis augurandę reſtituit. Quem morem ſalutis augurandę potiſſimum ſeruatum per anni initium docuit Plinius loco ſupra citato, quod etiam & noſtris temporibus obſeruari palam eſt. Nos tamen, quum nullibi legamus omiſſum vllo vnquam tempore, nedum abolitum fuiſſe ſalutãdi & ſalutis imprecandæ morem, aliter locum hunc interpretandum cogitabamus; Nempe, quod ſicuti Romani nullum negotium ſerium aggredi conſueuerant, niſi prius augurium captaſſent, ita etiam conſueuiſſe futuræ ſalutis augurium capere, ex quo ſalutem portenderent, vel mortem imminentem, aut futuram ægritudinem, vt facilius eas præcauere poſſent. Vnde etiam ſalutis Deæ Romæ templum fuiſſe teſtantur Feſtus Pompeius *lib.* 17. & Varro *lib.* 4. Haſce ſalutis ædes C. Iunium Bubulcum Cenſorem locaſſe, quas Conſul bello Samnitum vouerat, tradit Liuius *lib.9.* Et rurſus *lib.10.* ſcribit, eundem, quum Æquis ſubactis triumphaſſet, in vrbem rediiſſe, Ædem ſalutis, quam Conſul vouerat, Cenſor locauerat, Dictatorem dedicaſſe. Ab hoc ſalutis ſacello vrbis Romæ *ſalutaris* dicta, eo quod illi propinqua. Et ob eandem cauſam in Quirinali *ager ſalutaris* appellatus, ex Feſto *lib.* 11. Hanc autem noſtram ſentẽtiam confirmat locus Ciceronis *de Diuinatione*, vbi ita ſcribit: *Addubitato ſalutis augurio.* & in Epiſt. 83. *Conſtitui apud te authoritatẽ augurii & diuinationis meæ.* Tacitus lib. Annal. 12. de Claudio Imperatore: *Salutis augurium quinque & viginti annis omiſſum repeti, ac deinde continuari placitum.* Hæc dum ego mente conciperem, incidi in Dionis lectionem, ex quo clare percepi, quid eſſet Romanis

X 2 ſalutis

ſalutis augurium, de quo Cic. Suetonius & Tacitus. Sic enim habet Dion libro 37. *Tum vero etiam ſalutis augurium (quod appellant) longo interuallo fecerunt. Eſt autem modus augurii quiſpiam; vt ſi Deus permittat, ſalutem populo poſcant, quaſi, ne ſalutem quidem petere à Diis fas, ni prius hoc Dei conceſſerint. Obſeruabatur autem dies vna quotannis, in qua nullus ad bellum proficiſceretur exercitus, nemo ſe contra pararet, nemo pugnaret; Quocirca in aſſiduis periculis, maximeque ciuilibus neutiquam fiebat; Nam & arduum inprimis, puram rebus his omnibus diem ſeruare, & perquam abſurdum videri poterat, vltro ſeditionibus detrimenta ſibi ipſos incredibilia conciliare, quum & victis ea res futura eſſet, & item victoribus pernitioſa, Mox autem ſalutem à diis immortalibus petere. Ceterum, tum quidem fieri augurium eiuſmodi potuit. Sed ne id quidem purum proceſſit, quoniam aduerſæ quæpiam aues deuolarunt, vnde augurium captum, aliaq; item ſigna inauſpicata apparuerunt.* Rurſus idem Dion *lib.55.* ſcribit: *Ab Auguſto pace terra marique parta, Ianum clauſum, neque non ſalutis augurium factum, quod ante multis de cauſis fuerat omiſſum.* Ex quibus facile huius loci explicationem colligere poſſumus, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. XXXI.

*Vt ſalutis augurium, Diale Flaminium, Sacrum Lupercale, Ludos Seculares & Compitalitios, &c.*

A Seculo ſeculares ludos dictos non eſt qui ambigat; ſiquidem ſeculum largiori ſignificatu accipitur pro longo tempore, & præſertim pro hominis ætate. Sic Cic. de fat. *Sexcentis ſeculis ante dictum.* Et de Orat. *Seculis multis ante Gymnaſia inuenta.* Et in Verr. *Aliquot ſeculis poſt Scipio Carthaginem cœpit* Et rurſus: *Quorum ornatus tot ſecula manſerunt*, & alibi pluries. Feſtus tamen *lib.17.* ad centum annorum ſpatium ſeculum redegit. Vnde Horatii carmē *ſeculare* dictum, quo ſacrificia, quæ centeſimo quoque anno fiebant, deſcribuntur. Quod etiam colligi poteſt ex Cic. 2. *de Orat.* vbi ait, Numam Pompilium duobus ſeculis Pythagoram præceſſiſſe. Conſtare autem ex Liuio ſubdit, ducentis annis fuiſſe Numam ante Pythagoram; Quæ ſententia erronea eſt, ſiquidem

quidem Liuius *lib.*1. ſcribit, Pythagoram Seruio Tullio regnante Romæ centum amplius poſt annis viguiſſe, ſed *centum amplius* non ſunt ducenti. Præterea facta ſupputatione à Rege Numa ad Ser. Tullium Regem, centum vix annos interceſſiſſe, ex Sigonii computatione colligimus. Quinimo idem Liuius *lib.*40. falſam opinionem eandem eorum, qui Numam auditorem Pythagoræ dixere, aperte docet. Quamobrem mihi videtur videndum, ſeculum propria ſignificatione ætatem hominis ſignificare; Verum, quia hominis ætas cẽtum annis circiter ad plus comprehendi ſolet, ideo ſeculares Ludi centeſimo quoque anno fieri ſolebant. Nec obſtat, quod Alex. ab Alex. *lib.6.c.19.* ſcriptum reliquerit, ſingulo centeſimo decimo fieri ſolitos, quod authoritate probat Horatii ſcribentis in carmine ſeculari:

*Certus vndenos decies per annos*
*Orbis & cantus, referatque ludos*
*Ter die claro, totieſque grata*
*Nocte frequentes.*

Nam mendum eſt in textu, ſiquidem legendum non *vndenos*, ſed *vt denos*, ita vt ſeculares ludi poſt centum annos fierent. Quod & Cenſorinus *de die natali, lib.6.*& D. Auguſt. *lib. de ciuitate Dei 3 c.*18. & Pomponius Lætus *in Epito. Romanæ Hiſtoriæ*, & Lilius Gregorius Gyraldus *de annis & menſibus*, teſtantur, Nec obſtat authoritas Herodiani *lib.*3. in vita Seueri, vbi ſcribit: *Seculares tum appellabantur celebrati, vt aiunt, decurſo trium ſpatio ætatum*; Nam ea quæ ſequuntur, rem clare diſcutiunt; ſubdit enim: *Siquidem Vrbe tota, atque Italia præcones itabant conuocatum omnes ad ludos, quos nec vidiſſent hactenus, nec viſuri poſtmodum forent, ita ſcilicet interuallum præteritæ, futuræque celebritatis, ſupra omnem eſſe hominum ætatem ſignificantes.* Ex quibus colligimus, Herodianum ſpectaſſe præteritam, futuram, & præſentem ætatem, ob idque trium ætatum ſpatio ſeculares fieri ſcripſiſſe, quum tamen vere vnius ætatis tantum ſpatio fieri conſueuiſſent; Nam noſtram ſententiam clare comprobat Pomponius Lætus *in Compendio Romanæ Hiſt. in Philippo*, vbi habet de ſecularibus verba faciens: *Eos inſtituiſſe fertur exactis Regibus M. Valerius Publicola, & ita appellatos,*

 *quod*

*quod plerunq; hominis ætate ſemel inueniri poſſunt, idque aliquandiu ſeruatum eſt, & poſtea ambitione Cæſarum cupientium id ſolemne ſuis temporibus exhiberi, ordo corruptus eſt, & pro libidine ſeculares ludi habiti.* Quod vero eos magnificentiſſimos ediderit Philippus, ibi deſcribi Lætus, & Auguſtum quoq; hos celebraſſe patet ex præſenti Suet. loco, & pluribus eiuſdem numis æreis & argenteis; Qui etiam *in Claudio c.* 21. habet: *Fecit & ſeculares quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſeruatos; quamuis ipſe in Hiſtoriis ſuis prodat, intermiſſos eos Auguſtum multo poſt diligentiſſime annorum ratione ſubducta in ordinem redegiſſe. Quare vox præconis irriſa eſt inuitantis more ſolemni ad ludos, quos non ſpectaſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet, quum ſupereſſent adhuc, qui ſpectauerant, & quidam hiſtrionum producti olim, tunc quoque producerentur.* Et *in Domitiano cap.* 4. idem Suet. ait: *Fecit & ludos ſeculares ita computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, ſed quo olim Auguſtus ediderat.* Seculares ludos factos tempore Domitiani ſcribit etiam Sextus Aurelianus Victor in illius vita, & Martialis libro 4. Epigram. 1.

*Bis mea Romano ſpectata eſt vita Tarento,*
*Et nihil extremos prodidit ante rogos.*

Et Papirius:

*Nec tantum induerint fatos noua ſecula crimen,*
*Aut inſtaurati peccauerit ara Tarenti.*

Seculares ludos huiuſmodi à Domitiano factos anno Conſulatus ſui 14. conſtat ex numiſmate ipſius magno æris Corinthii, in cuius auerſa parte id deſcriptum legimus. Quinimo & illud amplius ex eodem numo colligimus, non ſolum ludos populo dediſſe, ſed & fruges impertiſſe. Id etiam ex alio numiſmate ipſius magno, æreo conſpicari licet, in cuius parte auerſa extat templum cum ipſius imagine ſacrificante, & literis ſignificantibus ab eo ſeculares factos. De ludis ſecularibus à Claudio & Domitiano factis ſeu celebratis, verba facit Tacitus *libro Annal.* 11. & Dion facta ſupputatione annorum à Publicola primo inſtitutore ad C. Fumii & C. Silani Conſulatum, in quo ſeculares Auguſtus perfecit, quum interceſſerint anni quingenti, hanc

Auguſti

Auguſti celebrationem quintam facit;ſed Claudium & Domitianum centeſimum anni curſum non ſpectaſſe, ex locis adductis clare innoteſcit, quod nec à Philippo qui hos magnificentiſſimos fecit, obſeruatum legimus, ſed tantum ad id ſpectaſſe, vt ætate hominis communi & ſuis temporibus fierent. De ſecularium à Philippo factorum magnificentia præter Pomponium verba fecere Capitolinus *in Gordianis*, Eutropius *lib.4.cap.9*. Oroſius *lib.7.cap.13*. Ita Plinius *lib.7.cap.48*. ſcribit Stephanionem vtriſque ludis ſecularibus ſaltaſſe, nempe Auguſti & Claudii, inter quas ſpacium fuit 63. annorum. Hos autem ludos tribus diebus & trinoctio celebrari ſolitos conſtat ex Val. Max. loco citato. Vnde etiam illud Auſonii:

*Trina Tarentino celebrata trinoctio ludo.*

Et ex Horatio in carmine ſeculari ex verſibus ſuperius citatis, vbi Acron interpres inquit: *Ludi ſeculares tribus diebus & noctibus agebantur pro cultu Solis die, & nocte Lunæ.* Alii quemadmodum Alex. ab Alex. refert *libro 6.cap.19*. Plutoni, Proſerpinæ, Apollini, & Dianæ ſacros fuiſſe tradunt. Iuuenes vtriuſque ſexus in huiuſmodi ludis intereſſe noctu, niſi cum aliquo maiore natu propinquorum, prohibuiſſe Auguſtum hoc loco ſcribit Suet. Ad quod optarim reſpicerent Chriſtiani quidam noſtri, ne Ethnicis peiores ſint, dum in ſacris à ſancta Romana Eccleſia in honorem Dei & ſanctorum inſtitutis, diu noctuque aliquando profana quoque, & proh nefas, etiam inhoneſta tentare audent. Ludos ſeculares factos primum à quodam Valeſto, viro locupleti Romano, & ante Publicolam, quum Vrbs peſtilentia graui laboraret in *Tarento*, loco in campo Martio ita vocato, docet Nicolaus Perottus *de Amphitheatro, in Epigram. 1.* Cuius rei hiſtoriam ibi legere poterit curioſus lector, atque etiam ex eadem percipere, eos ſacros fuiſſe Diti patri & Proſerpinæ, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XXXI.

*Nonnulla etiam ex antiquis ceremoniis paulatim abolita reſtituit, vt ſalutis augurium Dialem Flaminium, ſacrum Lupercale, ludos ſeculares, & Compitalitios.*

COmpitalitia ſacra erant, quæ fiebant Diis Laribus, ſeu Geniis, ex Macrobio *libro* 1. *Saturnal. cap.* 7. & Ouidio lib. 1. Faſt.

*Fitque grauis geminoſque parit, qui compita ſeruant,*
*Et vigilant noſtra ſemper in vrbe lares.*

De his pertractat Varro *lib.* 2. *aut* 5. ſecundum alios, & Dionyſius Halycarnaſſ. *lib.* 4. de Compitalitiis ſacris, inquit: *Sacrificiis Compitalia ſacra facientibus, non ingenuos, ſed ſeruos miniſtrare voluit, quaſi hoc gratius eſſet Laribus. Quod feſtum noſtra quoq; ætate Romani agitant, paucis diebus poſt Saturnalia, cum primis celebre & ſumptuoſum, Compitalium appellatione; duratq; mos ille priſcus in ſacris placandi genios per ſeruorum miniſteria, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, vt hac honorifica humanitate manſuetiores redditi, Dominos chariores haberent, & leuius ferrēt ſuæ fortunæ inclemētiam.* Ad quod ſpectat & illud Cic. ad Att. *Quoniam* 4. *Nonas Ian. Compitalitius dies eſt, nolo eo die in Albanū venire moleſtus familiæ.* Compitales vocati ſunt Ludi iſti à compitis, id eſt, triuiis ſeu quadriuiis, hoc eſt, locis, in quibus homines perueniunt per plures vias, & diuerſas. Ita Cato *de re ruſt. c.* 5. ſcribit: *Rem diuinam niſi Compitalibus in compito, aut in foco ne facias.* Hoc autem bis in anno fieri conſueuiſſe, ex hoc Suet. capite elicimus, dum ſcribit: *Compitales lares bis ornari in anno inſtituit, vernis floribus & æſtiuis.* Hos per vicorū magiſtros fieri, & in compitis celebrari, ac per multū temporis deſitos à L. Piſone reuocatos, Aſconius Pædianus *in orat. Cic. contra Piſonem*, & eum ſequutus Alex. ab Alex. *lib.* 6. *c.* 19. ſcriptum reliquere. Compitalia ſacra initium ſumpſiſſe regnāte Tarquinio Priſco, in hunc modum ſcribit Plinius lib. 36. c. 27. *Quum in foco repente membrum genitale apparuiſſet, Ocriſia Regina Tranquillis ſerua, & ancilla, ibi ſedens ex eo grauida facta eſt, ſicq; Seruiū Tullum natum aiunt, qui Tarquinio ſucceſſit, cui poſtea infanti*

in Regia

*in Regis ædibus dormienti, quum caput ardere videretur, ex hoc creditur Dei Laris filium fuiſſe. Quamobrem primus Diis Laribus Compitales inſtituit, &c.* Quamuis Liuius *lib.*1. ſcripſerit, Seruium Tullum ex vxore Seruii Tulli Corniculi Principis in expugnatione loci illius occiſi captiua facta natum. Et *lib.*2. eundem captiua Corniculana natum, patre nullo, matre ſerua, ingenio & virtute Regnum tenuiſſe tradiderit, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XXXI.

*Itaq; & opera cuiuſque, manentibus titulis, reſtituit, & ſtatuas omnium triumphali effigie in vtraq; fori ſui porticu dicauit, &c.*

Tribus de cauſis potiſſimum antiqui Romani ſtatuis abundarunt; altera fuit, vt præclariſſimorum virorum, qui literis vel armis, vel aliquo præclaro facinore Rempublicam iuuaſſent, memoriam honeſtarent; ſecunda fuit, vt familiarum nobilium antiquitatem poſteri obſeruarent, colerent & oſtenderent. Principes enim familiæ in atriis maiorum imagines adſeruabant, quod Plinius *lib.*35.*cap.*2. declarat, & Seneca *lib.*3.*de beneficiis, cap.*28. inquit: *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte ædium prima collocata, noti magis, quam nobiles ſunt.* Et ad Lucillum Epiſt. 44. *Non facit nobilem atrium plenum formoſis imaginibus.* Verum non ſolum eorum, qui familiæ decus fuerunt & ornamentum, in atriis ſimulacra habuere, ſed & etiam Principum & patronorum. Ita L. Vitellium Vitellii Imperatoris patrem, Narciſſi & Pallantis imagines, qui plurimum ſub Claudio fauore valuerunt, inter alias coluiſſe, ſcribit Suetonius *in Vitellio, cap.*2. Hæ etiam imagines in funeribus & exequiali pompa extra ædes producebantur. Nec ſolum propinquorum, & agnatione vel affinitate coniunctorum, in funere ſtatuæ deferebantur, ſed etiam Principum, illuſtriumque virorum imagines, ita vt etiam quandoque inimicorum & hoſtium ſuorum, illuſtrium tamen virorum, ſtatuas in funebri apparatu delatas obſeruemus. Ita C. Cæſar in amitæ

ſuæ funeri Marii ſtatuas deferri voluit, pro decore familiæ, ne quid deeſſet, quod exequiarum apparatum diminueret, teſte Plutarcho in illo. Ita in Auguſti funere, teſte Dione *in Auguſto*, delatæ non ſolum propinquorum ipſius ſtatuæ, excepta Iulii Cæſaris, eo quod eſſet in Deorum vel heroum numerum relatus, ſed & ſtatuæ ciuium Romanorum, quicunque Principatum vnquam tenuerant, capto ab ipſo Romulo exordio, & quædam etiam Pompeii magni ſtatua ferri viſa eſt; & Tacitus *in ima parte libri tertij Annalium*, eam auream protulit ſententiam; In funere Iuniæ C. Caſſii vxoris, & M. Bruti ſororis, ſub Tiberio, viginti clariſſimarum familiarum imagines ante latas, in quibus præfulgebant Caſſius atque Brutus, eo ipſo, quod effigies eorum non viſebantur. Et iterum *lib.* 4. ſcribit, Tiberium in Druſi filii ſui funere originem Iuliæ gentis æneam, omneſque Albanorum Reges, Romulum & Appium Claudium, cæteraſque Claudiorum imagines longo ordine produxiſſe. Plinius *lib.* 35. *cap.* 2. inquit: *Expreſſi cera vultus ſingulis, diſponebantur armariis, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Et Ouidius libro Amorum primo, Eleg. 8.

*Nec te decipiant veteris plena atria ceræ,*
*Tolle tuos tecum pauper amator aues.*

Iuuenal. Satyr. 8.

*Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ*
*Atria, nobilitas ſola eſt, atq; vnica virtus.*

Et Apuleius lib. 6. Metamorph. *Et depictam in tabula fugæ præſentis imaginem meæ domus atrio dicabo.* Horatius in Epod. Ode 8.

*Eſto beata, funus atq; imagines,*
*Ducant triumphales tuum.*

Et Statius Papinius lib. Thebaid. 6.

*Exin magnatum ſeries antiqua parentum*
*Inuehitur.*

Ita etiam, qui ob aliquod crimen damnati fuiſſent, ſtatuæ honore priuabantur, vnde in funere Iuniæ Caſſiæ, nec Bruti nec Caſſii prolatæ, quod ex Tacito ſupra adnotauimus.

mus. Et ex eodem lib. 2. habemus, cenſitum fuiſſe, ne imago Libonis exequias poſteriorum comitaretur. Sic in porticu fori ſui Auguſtus Ducum ſtatuas, qui Imperium populi Romani ex minimo maximum reddidiſſent, edicto profeſſus, commentum ſe id, vt illorum veluti exemplar, & ipſe dum viueret, & inſequentium ætatum Principes exigerent à ciuibus, ex Suetonio hoc loco. Quam Auguſti ſententiam vtinam noſtrorum temporum Principes & nobiles diuitesque viri ſequerentur, dum aliqui ſtulta quadam ambitione maximas pecunias in coemendis ſtatuis antiquis profuſiſſime expendunt, non vt ſculptorum in illis excellentiſſimorum artem admirentur, ac honore proſequantur eorum memoriam, atque vt præclara facinora eorum, quorum effigies referunt, æmulari conentur. Faxit Deus, vt aliquando reſipiſcant, & veram virtutem & gloriam non apparentem ſectentur, & boni quicunque Catonem imitentur, qui interrogatus, quid ita inter multos nobiles ſtatuam non haberet: *Malo* (inquit) *bonos ambigere, quamobrem id non meruerim, quam, quod eſt grauius, cur impetrarim, muſſitaſſe.* Memoriæ proditum eſt à Plinio, *lib. 34. cap. 7.* Rhodi fuiſſe ſignorum ad ſeptuaginta tria millia, nec pauciora Athenis, ac Olympiæ Delphis vltra etiam ſuperfuiſſe creditum eſt, ex Pauſania lib. 1. de Atticis: *L. Mummius deuicta Achaia ſignis vrbem Romam repleuit, multaq́; & Luculli inuexere, cæteriq́; deinceps Duces & Imperatores Romani vniuerſa Græcia debellata.* Tertia & poſtrema cauſa multitudinis ſtatuarum apud antiquos, fuit Deorum copia, quos colebant ad millia plura, vt alias docuimus, quibusque ſtatuas dedicabant, multa quidem pietate, ſi verum Deum agnouiſſent. In ſignorum ſectatores ſtulta prodigalitate inuehitur Cicero *in Verrinis.*

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### Cap. XXXII.

*Triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodauit.*

VOcem iſtam, *honorarium*, pluribus ſignificationibus recipi apud Latinos obſeruamus, & præſertim apud Ciceronem, qui *in orat. in Piſonem*, honorarium vocat frumentum, quod olim Conſulibus in prouincias aduenientibus, honoris loco dabatur, ſicuti & hodie Principibus, primum vrbes ingreſſis, dari ſolent donaria honoris gratia. Idem Cicero *de optimo genere oratorum*, honorarium accipit pro honorabili, dum inquit: *Docere debitum eſſe, delectare honorarium, permouere neceſſarium.* Honorarium vocauit Vlpian. *in l. 1. de var. & extraord. cogn. lib. 50. Pand. tit. 13.* ſtipendia & recognitiones, quæ Iuris Profeſſoribus dabantur. Eſt enim res quidem ſanctiſſima ciuilis ſapientia, ſed quæ pretio numario non ſit æſtimanda, nec dehoneſtanda. De qua re fuſius Budæus *de aſſe, lib. 3. & 5.* Honorarium quod patrocinii nomine dabatur, *υπηρετικὸν* vocauit Ariſtophanes *in Veſpis.* In quem ſenſum Cicer. *in orat. pro Cecinna*, honorarium vocauit operam amici. Et in Tuſculanis inquit: *Controuerſias ſolebat tanquam honorarius arbiter iudicare Carneades.* Dicuntur etiam *honoraria militia*, & *honorarij milites*, Equites & milites à Principibus facti honoris gratia, quos Lampridius in Alexand. *oſtenſionales* vocauit, nempe oſtentationis gratia factos. Honoraria militum etiam dicuntur donaria, quæ à Ducibus militibus ob ſtrenue nauatam operam in bello dabantur, qualia in calce *lib. 10.* apud Liuium legi poſſunt, & alibi plures. Sed quod ad præſens negotium ſpectat, *honorarios ludos* antiquitus apud Romanos vocatos cenſeo, qui celebrabantur ab iis, qui Ædilitatem, Præturam, Conſulatum, & ſimiles honores & magiſtratus adepti erant, ad conciliandum ſibi populi fauorem, ſicuti à Prætoris magiſtratu *Honorarium ius* dictum, quod ex dictis Prætorum proueniebat, vt Papinianus ſcribit, & Pomponius *l. 7. in fin. D. de inſtit. & iur. & l. 2. §. eodem tempore. D. de orig. iur.* Sic & *honoraria iudicia,*

*tia*,honorariæque actiones, Prætoris edicto conſtitutæ,*l. 28.D.de legat.1.l.25.ad S.C.Velleian.& l.39.D.de noxal.act.* Eodem pacto & *honoraria obligationes, l.obligamur,52.D. de oblig.* Et *honorarij ſucceſſores* ſeu poſſeſſores, *Vlpian.l.9.§.5. de inter. act.*Sic & *honorarius curator*,tit.21.*Inſtit.* Et *honorarius arbiter*, cuius meminiſſe videtur Proculus, *l.76. D.pro ſocio.* Ita & *honoraria pœna*, §.6.*Inſtit.de iniur.*Quæ omnia à Prætore proueniunt & conſtituuntur. Hermolaus Barbarus *in Plinianis caſtigationibus*, hos ita vocatos, ait, ab honore illorum, qui eos ludos populo edebant. Et Feſtus Pompeius *lib.8.* hos etiam *liberalia* vocatos, inquit, eo quod in honorem Liberi patris fiebant. Ego potius crediderim,honorarios ludos liberalia vocatos, à liberalitate eorum, qui illos edebant; legimus namque apud Plin. *lib.8.c.6.* & apud Senecam,*in lib. de breuitate vitæ*, plures elephantos, leones, & alias belluas Pompeium maxima impenſa in ludis exhibuiſſe, ad ſibi conciliandos populares animos. Quod & Plutarchus in eiuſdem vita confirmat,inquiens, quingentos leones in ludis exhibuiſſe. Et primus omnium Scæuola in curuli Ædilitate leonum pugnas dedit,teſte Plinio, *lib.8.cap.16.*& Solino,*cap.40.* Iulius Cæſar in eiſdem ludis quadringentos leones exhibuit, tradente Plinio in eodem loco. Pomponius Lætus *in Val.Iuſt.*ſcribit, illum Iuſtinianum ſororis ſuæ filium Conſulem feciſſe, qui Conſulatus contra Marciani legem adeo inſignis fuit ludis, vt facile priores ſuperarit. Qua de re potius liberalia dicta cenſeo ludos honorarios. Quæ omnia ſcribere libuit, quum nullus ex interpretibus locum hunc recte explicarit, nec genuinum ſenſum perceperit.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. XXXII.

*Ne quod autem maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodauit,&c.*

EXtat titulus legalis *de Actione rerum*, & apud Iuriſperitos multiplex eſt actio, & nomine *actus*,omnes hominum actiones

actiones generali appellatione actiones vocantur; Actiones autem ſtrictiori nominatione dicuntur quædam perſecutiones forenſes, quæ in iudicio fiunt, & vt cum Iuſtiniano loquamur, hæc actio eſt ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur, ex §.1. *de action. l. nihil aliud, l. 50. eod. in P.* & ius perſequendi eſt facultas agendi vel conueniendi. Et Theophilus inquit §.1. de act. lib. 4. Inſtitut. titul. 6. *Sciendum eſt, quas Athenienſes δίκας vocabant, eas à Romanis actiones dici.* Porro dicuntur actiones, eo quod improbos & perfidos ad iudicia agamus. Ita Cicero lib. 1. ad Herenn. *Et à cauſa cadit is, qui agit, niſi habeat actionem.* Et in Verrem: *Dare actionem & dare iudicium alicuius rei cuipiam.* Et ruſus: *Prætor aſſeuerat, ſe eius rei inprimis actionem eſſe daturum.* Et in Philipp. *Nec conſtituere iuris actiones malebat, quam controuerſias tollere.* Vlpianus *in titulis Iuris 25. & 19.* actiones formulas vocat, eo quod cuique actioni antiquitus formulæ erant præſcriptæ pro natura cuiuſque negotii. Vnde Suetonius in Vitellio, cap. 7. *Quum libertino cuidam acerbius debitum repoſcenti iniuriarum formulam quaſi calce ab eo perculſus intendiſſet.* Et Cicero pro Roſcio: *Sunt iura, ſunt formulæ de omnibus rebus conſtitutæ, ne quis aut in genere iniuriæ, aut ratione actionis errare poſſit.* Conſtituebantur autem actiones agere volentibus, vel à legum præſcriptis, vel à magiſtratibus, apud quos erat legis actio, id eſt, iudicandi authoritas, vel à collegio Pontificum, *ex l. 2. D. de orig. iur.* Et refert Pomponius ibidem, Appium Claudium & Sextum Ælium olim de actionibus ſcripſiſſe. Hæ autem actiones non quibuslibet diebus concipiebantur, ſed tantum diebus faſtis, in quibus licebat iudicia exercere, & iudici illa tria verba effari, *do, dico, addico.* Vnde Ouidius Faſt. 1.

*Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur:*
*Faſtus erit, per quem lege licebit agi.*

Nefaſti dicebantur dies illi, in quibus non reddebatur ius, nec fari licebat, ex Macrobio, *libro primo Saturnalium, capite decimoſexto*, Varrone *in Augurum libris, & libro quinto linguæ Latinæ*, Plutarcho *in Camillo*, Priſciano *libro octauo, capite ſeptimo.* Et Feſtus Pompeius *libro ſexto* inquit: *Nefaſti dies*

*litera*

*litera* N. *notabantur, per quos dies ea verba fari ius non erat, & ſi Prætores fati ſunt, piaculum faciunt. Tria autem verba erant*; *Do ſcilicet, quum dabant poteſtatem citandi aliquem*; *Dico, quum pronuntiabant ſententiam in cauſa, quam cognouerant, Addico vero, quum quis in iure cedebat.* De quibus Aſconius Pædianus *in Verr. act.* 3. Hinc Cicero actionem huiuſmodi *Dicam* vocauit in Verr. *Arcagatho imperat, vt aliquid illis, quorum argentum fuerat numorum, dicis cauſa daret.* Et rurſus: *Scribente Heraclio dica, id eſt, actio & iudicium.* Terentius in Phormione:

*Ea vnquam iniuriarum audiſti mihi ſcriptam dicam?*

Et alibi:

*Si tu illam attingeres, ſecus quam dignum eſt, dicam tibi impingam grandem.*

Liuius *lib.* 9. ſcribit, Cn. Flauium faſtos dies circa forum in albo propoſuiſſe, vt quando lege agi poſſet, ſciretur. Et *lib.* 1. Numam Pompilium nefaſtos dies faſtosque feciſſe, quia aliquando nihil cum populo agi vtile futurum erat. Nec etiam diebus feſtis actiones exercere licitum erat, in quibus vel ſacrificia Diis offerebantur, vel ludi exercebantur, vel epulationes celebrabantur. Itaque Auguſtus, ne negotia vel maleficia impunitate vel mora elaberentur, dies ludis honorariis dicatos, actionibus rerum accommodauit. Quo in loco notanda ſunt illa duo verba, *maleficium & negotium*; nam quum actiones iuris multiplices apud Iuriſperitos ſint, & multas diuiſiones & ſubdiuiſiones ſortiantur, nihilominus ea præcipua eſt diuiſio, quæ partitur actionem *in rem*, & in actionem *in perſonam*, quam ſummam & primam diuiſionem dixit Iuſtin. in §. 2. de act. l. actionum: *Nam agit* (inquit) *vnuſquiſque aut cum eo, qui ei obligatus eſt, vel ex contractu, vel ex maleficio, quo caſu prodita ſunt actiones in perſonam, per quas intendit aduerſarium ei dare, id eſt, dominium transferre oportere; aut cum eo agit, qui nullo iure illi obligatus eſt, mouet tamen illi de aliqua re controuerſiam, quo caſu prodita ſunt actiones in rem.* Ex quibus patet, Suetonium perbelle duabus illis dictionibus, *maleficium & negotium*, totam hanc diuiſionem actionum potiſſimam compre-

comprehendiſſe. At quæ in calce capitis ſcribit Suetonius, non leuem prima facie difficultatem legenti faciunt, ſiquidem ſi Auguſtus plures ſuetos dies ludis dicatos actui rerum accommodauit, vt frequentior eſſet iudicandi exercitatio, quomodo res ſolitas agi Nouembri & Decembri menſe, vt omitterentur, conceſſit? Cui obiectioni dupliciter ſatisfaciendum puto: Primo, quod mendum ſit in textu, & inter duas poſtremas dictiones, *Res*, & *Omitterentur*, interponenda ſit dictio negatiua ( *Non.* ) Secundo, quod magis ſatisfacere videtur, dicendum, Auguſtum non abſolute permiſiſſe, vt res ſuetæ agi Nouembri, & Decembri menſe omitterentur, ſed tantummodo, quum iudicandi munus à pluribus detrectaretur, annuam vacationem ſingulis Decuriis per vices conceſſiſſe, quumque eæ eſſent quatuor, vt ſinguli Iudices quarto quoque anno ſemel menſibus Decembri & Nouembri à iudicandi munere vacarent, & eſſent immunes. Itaque Auguſtus rerum actui dies, qui in honorariis ludis occupabantur, accommodauit, id eſt, vt in illis iudicia proſequerentur, effecit. Eodem modo *in Claudio, cap.* 15. ſcribit Suetonius: *Claudium quum Decurias rerum actu expungeret*, id eſt, cum Iudices, coram quibus actio rerum proſequebatur, amoueret vel confirmaret; ita enim intelligendum in ablatiuo caſu, *actu*, quemadmodum *à ſecretis, à libellis, à memoria, à manu*, & ſimilia: Item etiam in Nerone, cap. 17. ſcribit: *Atq; rerum actu ab ærario cauſæ ad forum ac recuperatores transferrentur*, id eſt, iudicia cauſarum ab ærario ad recuperatores transferrentur. Quibus in locis iudicia, iudices, & tempus iudiciis deſtinatum intelligendum non dubito, quo in ſenſu & Plinius *libro* 9. *Epiſt.* 25. inquit: *Nunc me rerum actus modice, ſed tamen diſtringit.* Quod inſuper ex Capitolino in M. Antonino clare docetur: *Feſtos* (inquit) *dies iudiciarios addidit, ita vt ducenti triginta dies annui rebus agendis litibuſq; diſceptandis inſtituerentur*, vbi notandum, Capitolinum vocaſſe dies iudiciarios, quos Tacitus libro ... *negotioſos* appellauit, &c.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XXXII.

*Ad tres Iudicum decurias, quartam addixit ex inferiore cenſu, quæ ducenariorum vocaretur, iudicaretq́; de leuioribus ſummis, &c.*

TRia Romæ iudicum genera fuiſſe, ex Suetonio, ſuprà in Iulio Cæſare, *cap.*41. vidimus, eumque illa tantum ad bina redegiſſe; Verum ſuccedente in Imperio Octauiano Auguſto, rurſus ad tria genera Iudices redactos, ex hoc loco colligimus, inſuperque poſtea & quartum genus, ſeu quartam Decuriam adiunctam ex inferiori cenſu, id eſt ex plebeio genere. Quo loco ſciendum, nonnullos ſcripſiſſe, Decuriam fuiſſe Romæ claſſem & ordinem à decies centenis iudicibus appellatam, qui in ſingulis curiis ſedebant; hincque erat *Decuriatio* in curias deſcriptio, & *decuriatus* vocabatur, qui in curiam adſcriptus erat. Dionyſius Halycarnaſſeus *lib.*2. ſcribit, populum Romanum à Romulo in tribus primum partitum, quarum Præfecti *Tribuni* dicti; Deinde Tribus ſingula in decem diuiſa partes, quas *Curias* dixere, & eorum Præfecti *Curiones*. Curiæ rurſus in decem decurias diuiſæ, quarum Præfecti *Decuriones* appellati, vt ſcribit Varro *lib.*4. *de lingua Latina*, cui adſtipulatur Nonius Marcellus. Et ex Liuio per initia libri primi habemus, mortuo Romulo, decem Decurias factas à centum Patribus, ſingulis in ſingulas Decurias creatis, qui ſummæ rerum præeſſent. Accipitur etiam nonnunquam Decuria pro claſſe & ordine quolibet, neglecto numero denario & determinato, vt apud Vegetium *lib.*2. *cap.*14. *de re milit.* in quem ſignificatum accipi vtplurimum à ſcriptoribus Latinis obſeruamus. Ita Cicero pro Planco: *Decuriatio Tribulium, deſcriptio populi.* Et pro Domo: *Quum deſperatis Ducibus decuriatos ac deſcriptos haberes exercitus.* Et rurſus pro Planc. *Decuriaſſe Plancium, conſcripſiſſe populum.* Et iterum: *Tu doce Plancium Sequeſtrem fuiſſe, largitum eſſe, conſcripſiſſe tribulis, decuriauiſſe, quum vicatim ſerui conſcriberentur, decuriarentur.* In hac quoque ſignificatione Suetonium hic Decuriam acce-

piſſe, non dubitandum, id eſt, pro claſſe & ordine iudicum, nullo determinato numero decennario; Quod ſi quis etiam decurias iudicum determinato numero deſignatas voluerit, non refragabimur. Illa certe non reticenda, quæ à Plinio iuniore *Epiſt.1.lib.33.* traduntur talia: *D. Auguſto* (inquit) *decurias ordinante, pars maior iudicum in aureo annulo fuit, hiq́; non Equites, ſed Iudices vocabantur, Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis Equitum publicorum.* Iudicum quoque non niſi quatuor fuere decuriæ, primo, vixque ſingula millia in decuriis inuenta ſunt, nondum prouinciis ad hoc munus admiſſis. His vero quatuor iudicum decuriis Caium & quintam adieciſſe, Plinius *lib.eod.33 cap.2.* per hæc verba teſtatur: *Decuriæ quoq; ipſæ pluribus diſcretæ nominibus fuere, Tribunorum æris, & Selectorum, & Iudicum.* Præter hos etiam numero nongenti vocabantur, ex omnibus ſelecti ad cuſtodiendas ciſtas ſuffragiorum in comitiis. Tandem & quinta decuria à Caio adiecta, & in ferreo annulo Iudices Equitesq; vocabantur. Nec etiam omittendum ex eodem Suetonio *in Auguſto, cap.46.* in coloniis duodetriginta ab eo deductis, decurias & decuriones fuiſſe, nedum in vrbe Romana. Idem Suetonius *in Caligula, cap.16.* ait: *Vt leuior labor iudicantibus foret, ad quatuor priores quintam Decuriam addidit.* At vero ſextam petentibus, Galba denegauit, ex Suetonio in illo, *cap.14.* ſcribit Amm.lib.38. *Hiſtrionum generi omni, & iudicibus celſis, itidemq́; minoribus, necnon etiam matronis clametur aſsidue, &c.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XXXIII.

*Et quum falſo de teſtamento ageretur, omnesq́; ſignatores lege Cornelia tenerentur, &c.*

TRia genera teſtamentorum fuerunt priſcis temporibus, vnum, quod fiebat ſolemne in otio & tempore pacis; Aliud quod fiebat in procinctu, id eſt, in expeditione bellica. Tertium, quod per æs & libram, *ex Iuſtin.in §.1. & 2.de*

*& 2.de teſtam. Inſtit. & Aulo Gellio, libro 15.cap.27.* Primum fiebat à Romanis coram populo, conuocato calatis comitiis; quem morem etiam apud Græcos ſeruatum, docet Iulius Pollux *lib.8. Onomaſt.* vbi agit, *περὶ ἱππάρχων*, id eſt, *de magiſtris equitum.* Secundum, quod *procinctum* vocabatur, fiebat, quum milites ituri in prælium, nulla legum ſolemnitate tribus aut quatuor adhibitis teſtibus, raptim apud commilitones teſtabantur, vt ſcribit Plutarchus *in Coriolano*, Gellius loco citato, & Feſtus Pompeius *in verbo, in procinctu.* Tertium fiebat per æs & libram, libripende adhibito, & emptore familiæ; cum ſcilicet teſtator abdicabat bona ſua, & manu ſua tenens quaſi vendebat ei, quem hæredem faciebat, imaginaria venditione, adhibita libra & ære, ab emente dato libripende, vti Gellius loco citato, & Vlpianus *capite Inſtitutionum vigeſimo.* Has teſtandi formas aliquando ius ciuile probauit, ſed poſtea ius Prætorium alias adinuenit teſtandi formas, quum prædictæ certis rationibus diſplicuiſſent, quia non tutum viſum eſt, tantam turbam hominum vltimis voluntatibus interuenire, quanta in comitiis aderat; nam publicata teſtantium voluntate, proximi, quibus teſtamento nihil relictum erat, oderant teſtantem, & qui ſe nouerant inſtitutos hæredes, mortem teſtantium accelerabant, conſequendæ hæreditatis gratia. Tandem autem iure ciuili cum Prætorio coniuncto, & in vnum corpus redacto, teſtamentorum aliæ tres formæ ſeu ſpecies cœperunt eſſe vſitatæ; Aliud namque teſtamentum *Paganicum*, aliud *militare*, ex §.1. *de milit. teſtament.* apud Iuſtinianum; & Paganicum duplex, aliud quod ſcripturam ſolemnem exigit, vnde *ſolemne* dicitur, §. *ſed cum paulatim, de teſtamen.* aliud, quod ſine ſcriptura fieri poteſt, *nuncupatiuum dictum*, §. *penultimo, de hered. & Falc. in auth. &* §. *final. de teſtamen.* Ita vt antiquorum formulæ teſtandi, partim in deſuetudinem abierint, partim immutatæ veſtigia priſtina hodie retineant, aliæ omnino ſubſiſtant. Militare teſtamentum, definiunt Iuriſtæ, eſſe vltimã voluntatem, quam declarat miles in expeditione, quoquo modo potuerit, ſecundũ priuilegia

iure ſibi conceſſa, *ex l.2.de milit.teſtam.in P. & l.milites, 15. C. eodem.* Nuncupatiuum teſtamentum dicitur, quod ſine neceſſitate ſcripturæ teſtantis vel teſtium fieri poteſt à teſtatore, præſentibus ſeptem teſtibus, ſimul vnoque tempore collectis, coram quibus nominat ſeu nuncupat hæredem, quem ſibi delegit & inſtituit, & reliqua ſuæ voluntatis exponit, *ex l.hac conſultiſſima.§.per nuncupationem, C.de teſtamen.* Et Plinius *lib.14.cap.22.* ſcribit: *Teſtamenta ſua alij nuncupant,* id eſt, viua voce, quid ſuis rebus fieri velint, declarant. Teſtamentum ſolemne & in ſcriptis factum, Antonomaſticos dicitur, quod ſolemnitate maiori perficiatur, de quo agitur *in l.ad teſtium, ff. de teſtamentis, & in l.hac conſultiſſima, 21.C.eodem,* vbi Paul.Caſtr.ponit 13.requiſita ad huiuſmodi teſtamentum. Et in ſumma, quod ad præſens noſtrum negotium ſpectat, qui ita teſtari vult, debet per ſe ſcribere teſtamentum, vel per alium ſibi confidentem; Deinde vocare debet teſtes ſeptem, & iubere, vt in continenti ſe ſubſcribant omnes, quæ ſubſcriptiones ponuntur in vltima & ima parte teſtamenti, in quo etiam apponuntur ſigilla ſingulorum teſtium, qui ſe ſubſcripſerunt; Proinde huiuſmodi teſtes *ſignatores* vocantur, & teſtamentum *ſignatum*, *l.22. D.de teſtamen.l 3. §.hoc interdictum, D.de tabul.exhiben.l.32.D.de fur.* Ita Saluſt. in Catilin. *Multis modis facinora docebat; Ex illis teſtes ſignatoresq́; falſos commodare.* Et apud Ciceronem legimus: *Tum oſtendi tabulas Lentulo, & quæſiui, cognoſceretne ſignum.* Et in Verr. *Tabulæ teſtamenti obſignata, non minus multis ſignis, quam è lege oporteat.* Et Valerius Maximus lib.7. cap.7. *In eo Tullianus Pompeij Magni familiaris ipſo Pompeio ſignatore hæres ſcriptus.* Extat quoque alia teſtamenti ſpecies, *Holographum* dictum ab Iſidoro, & à Valentiniano, *Nouell.2.de teſtamen.* & eſt, quod manu teſtatoris conſcribitur & ſubſcribitur, vnde nomen recepit. Verum frequentior vſus Romanis teſtandi fuit, quod per teſtes obſignabatur, de quo hoc loco Suetonius, & alibi, inquiens: *Deceſſit hærede Auguſto palam nuncupato, quum vrgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas teſtamenti tabulas.*

Quod verò ad legem Corneliam ſpectat, ſciendum, plures

res

res fuiſſe leges Cornelias,ita dictas, eo quod à Cornelio Sylla fuerint inſtitutæ; Vna eſt lex Cornelia *de Sicarijs*, qua puniuntur doloſa homicidia,& dicitur de ſicariis, à *ſica*, id eſt, gladio recuruo, quo clam necabantur homines, teſte Suida,in illo verbo,& Ioſepho,*lib.*20.*antiq.Iudaic.cap.*1. De hac lege plura apud Iuriſtas, *lib.*48.*D.tit.*8.*& lib.*9.*C.tit.*16. Vetat quoque hæc lex Cornelia, ne quis ſeruum liberumve caſtret, ex Paulo,*lib.*4.§ *fin.ad leg.Cornel.de ſicar.* & Venuleius *l.is qui ſeruum,l.6.eod.* quia qui hoc procurant, homicidæ cenſentur; Prohibent enim, ne homines poſſint generare,& ſic generandi naturam iugulant. Lex quoque Cornelia *de ſicarijs* veneficos punit; nam plus eſt veneno,quam gladio occidere, *ex l.*1.*de maleſ.& mathe.C.* & Bald.*in l.nemo. in 2.colum.in verſ.ſimile,de veneſic.* veneficium crimen occultum eſſe ait,quod habet proditionem. Hac eadem lege puniuntur incendiarii, ſi dolo malo incendium fecerint, teſte Martiano *in l.*1.*ad l.Cornel.de ſicar.in Pand.* Alia fuit lex Cornelia *de falſa moneta*, de qua *lib.*48.*D.tit.*10.*& lib.*9.*C.tit.*22. Fuit quoque alia lex Cornelia, quæ prohibebat, ſicuti Publicia & Titia faciebant, ſponſionem fieri ex aliis rebus, quam pro certamine, quod virtutis cauſa fieret, auctore Martiano I. C. *in l.*3.*de alea luſu & aleatoribus,lib.*11.*D.titul.*5. Fuit & lex Cornelia *maieſtatis*, qua iudicabantur læſæ Maieſtatis & perduellionis rei, cuius meminit Cicero in Piſonem. Obſeruamus apud Cicer. *pro Cluentio*,legem Corneliam,qua reo licebat optare, an clam palamve de ſe ſententiam ferri vellet. Fuit & lex Cornelia *teſtamentaria*, qua puniebantur, qui dolo malo teſtamentum falſum ſcripſiſſent, ſignaſſent,vel ſignari curaſſent, recitaſſent, mutaſſent,ſubieciſſent, amouiſſent, celaſſent, deleuiſſent, interleuiſſent, vel reſignaſſent; Quod ait Vlpian.*in l.*2.*& lege Cornelia, l.*9. § *pœna,l.Paulus reſpondit,l.*16.*eodem tit.in Pand.* qui codicillos ante teſtamentum factos, in quibus legatum ei adſcriptum erat,confirmat, *l.impuberem, l.*22. §.*qui codicillos.eodem titulo.* Inſuper captiuo mortuo apud hoſtes, fingitur ex lege Cornelia mortuus apud ſuos,ita vt ei ſuccedant ab inteſtato, ſiue ex teſtamento, qui ſucceſſuri erant, ſi apud ſuos deceſ-

rum ducentorum; quod falſum eſſe, ex ipſo Liuio ibidem facile conuincitur, qui nihil de hac re; imo peremptis Tacio & Romulo, centum Patres Numam, quem populus iuſſiſſet, Regem decreuiſſe. Vnde & miror Tiraquelli conniuentiam, qui *in Annotat. ad Alexand.* à Liuio lib. 1. id ſumpſiſſe tradit, quod pace tantorum virorum dixerim, à quibus quam maxime in his laboribus & elucubrationibus noſtris iuuatos, libentiſſime confitemur: Tarquinius Priſcus, teſte Liuio, *lib.* 1. fuit, qui alios centum legit, qui deinde *minorum gentium* ſunt appellati. Quod & Dionyſius Halycarnaſſeus *lib.* 3. confirmat: *L. Iunius Brutus, perempto Tarquinio Superbo, & libertatis Romanæ auctor, quo plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus Tarquinij Regis diminutum Patrum numerum, primoribus Equeſtris gradus lectis, ad trecentorum ſummam expleuit, traditumq́, inde fertur, vt in Senatum vocarentur, qui Patres, quiq́, Conſcripti eſſent, Conſcriptos videlicet in nouum Senatum, appellabant lectos.* Quæ omnia ex Liuio habemus ad literam, *libro* 2. Hos tamen fuiſſe appellatos à Bruto *minorum gentium*, teſtatur Tacitus *lib. Ann.* 11. *in orat. Claudij Cæſaris*, cui nec penitus Liuium refragari credimus; quamuis ſuperius dixiſſet, Patres à Tarquinio Priſco lectos tales appellatos, quum verbis ſupra adductis ſtatim ſubdat: *Id mirum, quantum profuit ad concordiam ciuitatis, iungendosq́, Patribus plebis animos.* Siquidem equeſtris ordo, teſte Appiano *libro ſecundo bellorum ciuilium*, medium tenuit locum inter plebeium & Senatorium. Nec illud ſilentio inuoluendum, Plutarchum ſcilicet in Valerio Publicola ſcriptum reliquiſſe, eum poſt exactos Reges Patrum numerum à Superbo cædibus imminutum expleuiſſe, electis centum ſexaginta quatuor, ita vt Plutarchus adſcribat Publicolæ id, quod Liuius Bruto adſcripſit. Et Plutarcho adſtipulatur Feſtus Pompeius, *lib.* 15. Ex quo forte Tiraquellus deceptus, qui & Liuium de Publicola idem ſenſiſſe, *in Annotat.* teſtatum reliquit. Qui quidem Liuius à Plutarcho diſcrepat, quod hic *Patres conſcriptos* appellatos Senatores à Romulo electos, ille à Bruto dixerint; maior tamen fides

Liuio, vti antiquiori habenda. Sed eo, vnde digreſſi ſumus, reuertentes, dicimus, ſuccedentibus deinde temporibus, plures etiam Senatores, quam trecentum fuiſſe. Cicero *in orat. quam pro reditu ſuo habuit*, quadringentos decem enumerat. Refert & Appianus Alexandrinus *libro* 4. *Bell. ciuil.* tempore triumuiratus fuiſſe proſcriptos Senatorii ordinis trecentos, quorum numerum valde auctum ex eo conſtat, quod ex Dione Caſſio *libro* 54. *Hiſt.* habeamus, quod ad hoc, vt S. C. rata eſſent, ea oportuit fieri 400. Senatoribus præſentibus, Octauianusque quum videret, non tot frequentes conuenire, minori numero rata fieri voluit. Ex præſenti vero Suetonii loco ſupra mille Senatorum numerum Auguſti tempore fuiſſe colligimus. Idem ſuperius *in Nerone, capite duodecimo*, inquit: *Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos Senatores.* Ex quo Neronis tempore multiplicem fuiſſe Senatorum numerum coniicere licet. Auctor eſt Plutarchus *in C. Graccho*, eum primum, mox Liuium Druſum Tribunum plebis, lege ſacrata primo, deinde plebiſcito ſanxiſſe, vt Equites, præſertim qui aliquo magiſtratu functi eſſent, in Senatum venirent, & ſententiam dicerent, quod & L. Florus *Epito. Liuia. lib.* 60. confirmat, ex quo etiam antea multiplicatum Senatorum numerum, haud mirandum. Dion *libro* 43. ſcribit, Cæſaris ætate nongentos fuiſſe Senatores. Creſcente enim populi Romani cenſu & numero, etiam neceſſum fuit ordines omnes multiplicari, inter quos & Senatorium præſertim, quum non ſolum vrbanos ciues, ſed & exteros in Senatum cooptatos, ex lectione hiſtorica obſeruemus. Liuius namque *libro* 1. teſtatur, Vrbe & re Romana cum Albanis communicata, Principes Albanorum, Iulios, Seruilios, Quinctios, Geganios, Curatios, Cælios in Patres lectos. Et Claudius Cæſar apud Tacitum, *libro Annalium vndecimo*, maiores ſuos origine Sabinos fuiſſe, inquit, & Alba, Coruncanios Camerio, Portios Tuſculo, & ex Ætruria Lucaniaque, & omni Italia in Senatum adſcitos, & Balbos ex Hiſpania, aliosque inſignes viros ex Gallia Narbonenſi. Huius Imperatoris tempore

ibidem

ibidem teſtatur Tacitus, Heduos Senatorium in Vrbe ius adeptos. Quidam indigniſſimi. Poſt Cæſaris necem bello ciuili Vrbe Romana quaſſata, multos per gratiam & præmium Senatores factos ex hoc loco Suetonii palam fit, quos vti indignos amouit Auguſtus duabus lectionibus. Sciendum vero, & ob aliquid facinus aliquando Senatores apud Romanos Senatu amotos. Vnde Paulus Iuriſconſultus, *l. cum prætor*, 12. §. *penultimo, de iudic. P.* Senatu motum, à iudicandi munere prohibitum tradit, videlicet, ſi propter turpitudinem à Ssnatu motus fuerit, vt notat Marcellus, *l. 2. de Senato. in P.* Cic. *pro Cluent.* ait, extare legem huiuſmodi: *Hominibus turpi iudicio damnatis, in perpetuum, neque vllum ad honorem, neque in Curiam aditus eſto.* Ita Marcellus, & cum eo Venuleius explicant, lege ſcilicet Iulia *repetundarum*, Senatores amoueri à Senatu, vel ob pecuniam acceptam ad dicendum teſtimonium, vel ad denunciandum, vel ob iudicandum, vel non iudicandum, vel ne aliquem vinciat, aut vt quendam in publicos carceres coniiciat. Erat autem munus amouendi à Senatu Cenſorium, donec Reſpublica viguit, ex Dione *lib.* 53. *Hiſt.* & Cic. *in orat. pro A. Cluentio*, & Aſconio Pædiano *in primam in Verrem.* Ita M. Valerius Maximus & C. Iunius Brutus Cenſores, L. Antonium Senatu amouerunt, quod quam virginem in matrimonium duxerat, repudiaſſet, nullo amicorum in conſilium adhibito, teſte Valerio Maximo, *lib. 2. cap.* 4. C. Fabricius Licinius, & Q. Æmilius Papus Cenſores, P. Cornelium Rufinum, qui bis Conſul & Dictator fuerat, Senatu mouere, quod eum comperiſſent argenti facti cœnæ gratia, decem pondo habere, ex Gellio *lib.* 17. *cap.* 21. & Valerio Maximo *lib. 2. cap.* 4. quamuis Feneſtella *de magiſtrat. Roma. cap.* 17. id L. Fabritio Cenſori adſcribat. M. Antonius, & L. Flaccus Cenſores, Duronium Senatu mouerunt, quod legem de coercendis ſumptibus conuiuiorum latam Tribunus plebis abrogauerat, *ex eodem Valerio Maximo ibidem.* P. Sempronius Tuditanus altero Cenſore M. Cornelio Cethego concedente, in legendo Senatu octo prætcriiſſe, inter quos L. Cecilius Metellus fuit, infamis auctor deſerendæ Italiæ poſt Cannenſem cladem, teſtatur Liuius *lib.* 27. M.
 Sempro-

Sempronius Sophus,& Valerius Maximus Cenſores, quum Senatum legerent, tredecim Senatu mouerunt, vt ſcribit Florus *Epit.Liuii lib.*18. Plutarchus in Catone Cenſorio eum dici Senatu amouiſſe L. Quinctium Flaminium, quod & Valerius Maximus loco citato tradit, & Liuius *lib.*39. vbi dicit, M. Porcium Catonem cum collega L. Valerio, ſeptem Senatu mouiſſe, & ex iis Flaminium ipſum virum Conſularem ob libidinis & crudelitatis notam; nam Cenſores, motis à Senatu adſcribere debere notas, vetus inſtitutum fuiſſe ibi teſtatur Liuius. Fuluius Flaccum fratrem, cohortis Præfectum, & Tribunum militum Senatu mouit, quod Legiones iniuſſus domum miſiſſet, *ex Valerio Maximo loco citato.* Tiberius ex Tacito, *lib.* 2. *Annal.* Prodigos, & ob flagitia egentes Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium mouit Senatu, aut ſponte cedere paſſus eſt Dictatori, qui prius tamen Cenſor fuiſſet; permiſſum & quandoque vt in Senatum legeret,& à Senatu amoueret, vt legimus apud eundem Liuium *lib.*23. exemplo N. Fabii Buteonis. Poſtremo quum Imperatores Cenſuram & Dictaturam in ſe ipſos tranſtuliſſent, etiam mouendi à Senatu authoritatem ſibiipſis attribuere, vt ex hoc Suetonii loco patet,& ex Dione, referente Xiphilino in Auguſto, per hæc verba: *Quum ante vellet Senatores pauciores eſſe, certoque definito numero contineri, pleriſque moleſtiam exhibuit.* Quærunt quidam, an moti à Senatu notæ alicuius cauſa, Magiſtratus habere poſſent, qua in re diſtinguendum; nam nota ſeu ignominia Suetonii moto à Senatu, vel erat iudiciaria, id eſt, à Iudice aliquo inuſta,& tali ignominia notatus non poterat recipi ad Magiſtratum; vel erat nota Cenſoria, & hac notatus poterat adipiſci magiſtratus, quod docet Cic. *in orat. pro Cluentio.* Præterea, multos in hiſtoria legimus, quibus Cenſoria nota minime fuit impedimento ad magiſtratus aſſequendos. Ita ætate Ciceronis C. Antonius, qui poſtquam à Cenſoribus Senatu motus fuerat notæ cauſa, poſtea Prætor & Conſul cum Cicerone fuit. Sed quod ſubdit Suetonius, admodum priſtinum Senatum redegiſſe Auguſtum; explicatione eget, ſi ſcire volumus, ad

quem

quem modum, id eſt, numerum Auguſtus Senatores redegerit, quod docet Dion *lib.* 54. de hac re ſcribens, eum (inquit) in animo habuiſſe trecentos duntaxat ex antiquo more conſtituere, ſed offenſionis vitandæ cauſa numerum ſexcentorum expleuiſſe.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XXXV.

*Seruauitque etiam excuſantibus inſigne veſtis, & ſpectandi in Orcheſtra, epulandique publice ius, &c.*

PRandium & cœnam apud antiquiſſimos Romanos in propatulo fieri ſolita, teſtatur Valerius Maximus, lib. 2. cap. 1. Fuit (inquit) *etiam illa ſimplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis ſimul & continentiæ certiſſimus index: Nam maxime viris prandere & cœnare in propatulo verecundia non erat, nec ſane vllas epulas habebant, quas populi oculis ſubiicere erubeſcerent.* Et Iſidorus *libro Etymolog.* 28. *cap.* 2. & Macrobius *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 17. ſcribunt, legibus Romanorum præceptum fuiſſe, vt patentibus ianuis pranſitarent, & cœnitarent, ſic vt oculis ciuium teſtibus factis, luxuriæ modus fieret. At ab hac priſca norma poſtea Romani declinauerunt, maiorum ſuorum inſtituta peruertentes. Vnde Iuuenalis *Satyra* 1. conqueritur, quod inter priuatas ædes lautiſſime ſuis temporibus cœnaretur, inquiens;

——*Quis fercula ſeptem*
*Secreto cœnauit aues.*

Id quoque apud Lacedæmones Lycurgi lege cautum, teſte Plutarcho *in Problematibus*, *cap.* 32. Quinimo & Lacedæmonii Reges in communi conuiuabantur, teſte eodem *in Ageſilao*, & Strabo, *lib.* 15. morem eundem fuiſſe Indis tradit. Ægyptii etiam in propatulo veſcebantur, teſtimonio Herodoti ſcribentis: *Domi ventrem exonerant, exterius in viis comedunt; reddentes rationem, ea quæ ſunt turpia, ſed neceſſaria, ea in occulto fieri debere, palam vero, quæ non ſunt turpia.* Et Pomponius Mela *libro* 1. *capite* 21. ſcribit, quod Moſſynœci in propatulo veſcebantur. In priuatis autem comeſſationibus Romanos

Romanos tempore Auguſti & aliorum Imperatorum domi comediſſe adeo clarum eſt, vt nulla indigeat probatione. Publice autem veſci ſolitos, tribus de cauſis potiſſimum in hiſtorica lectione obſeruamus. Prima fuit, quum dabatur epulum, ſeu potius viſceratio in funere alicuius Principis viri & inſignis. Altera fuit, quum publice ſacrificabant, ſeu ſacra faciebant. Tertia vero, quum ob publicam lætitiam publicum aliquod epulum à quopiam Principe viro dabatur. Et quo ad primam, publica conuiuia, ſeu epulum olim parari ſolita, nempe in funere alicuius, ſeu parẽtali obſeruamus ex Iuriſconſulto, *in l. ad munus, C. de leg. tertio*, vbi habetur: *vel ſi epulum relictum fuerit*. Liuius *lib.* 8. tradit viſcerationem populo datam à M. Flauio in funere matris. Et *lib.* 39. inquit: *P. Lucinii funeris cauſa viſceratio data eſt*. Et lib. 11. *Munus inſigne fuit T. Flaminii, quod mortis cauſa Patris ſui cum viſceratione, & Ludis Scenicis dedit quatriduum*. Plinius *de vir. Illuſtr. cap.* 32. ita ſcribit: *Mortuo huic tantum æris populi liberalitate congeſtum, vt inde felicius viſcerationem & epulas publice daret*. Viſcerationis ſeu funebris epuli meminere Dionyſius Halyçarnaſſ. *libro* 5. Tertullianus *in lib. aduerſus Iudæos & Gentiles*, & Cic. lib. 2. *de Off.* & clarius *in orat. pro Flacco*, vbi inquit: *Sepulchrum L. Catilinæ multorum conuentu epuliſque celebratum*. Vt interim omittamus cœnas, quæ dabantur propinquis & amicis ab exteris, quibuſdam, puta Maſſilienſibus, ex Valerio Maximo *lib.* 2. *cap.* 1. Et Athenis per funeris præfectos conuiuium apud defuncti magis neceſſarium dari cõſueuerat propinquis, & illis (inquam) qui funus aſſociauerant, quem morem & in compluribus Italiæ locis obſeruari teſtatur Pontanus *de magnificentia, cap.* 15. Quo & Romanos quoque vſos exiſtimandum, quum apud Iuuenalem legamus Saty. 5.

*Ponitur exigua feralis cœna patella.*

Vbi interpretes per feralem cœnam *funeralem* interpretantur, ab aliis exequialem dictam. De qua etiam Apuleius *lib.* 4. Floridorum verba facit, & clarius Perſius Saty. 3.

*———Sed cœnam funeris hæres*
*Negliget iratus, quod rem curtaueris.*

Hanc quoque vocatam *Silicerniam* obſeruamus ex Verr. *in Melegne*,

*Melegne*, apud Nonium Mercellum; Quamuis Donatus enarrans illud Terentii in Adelph. de Sene.

*I ſane, ego te exercebo hodie, vt dignus es, Silicernium.*

Interpretatur Silicernium eſſe cœnam, quæ infertur Diis Manibus, quod ea ſilentes cernant vmbræ, & Feſtus Pompeius *lib.* 17. inquit, id fuiſſe genus farciminis, quo familia in luctu à fletu purgatur, citatque illud Cæcilii:

*Credit me Silicernium eius eſſe.*

Fulgentius vero in vocum antiquarum interpretatione ad Calcidium ſcribit, Silicernios vocari ſenes iam incuruos, quaſi ſepulchrorum ſuorum ſilices aſpiciẽtes. Vnde & Cincius Alimetus in Hiſtoria *de Gorgia Leontino* ait: *Quidam iam Silicernius ſui finem temporis expectat, ſi mori non potuit, tamen infirmitatibus exultat.* Nec obſtat quod publice comedere inhoneſtum fuiſſe videri poſſit ex Ammon. *lib.* 28. ſcribente de Ampelio Romæ Præfecto, qui inter plura bona inſtituta & hoc inſtituit, *Ne honeſtus quidam mandens videretur in publico*; Nam reſpondemus, id intelligendum, non de conuiuantibus publice, ſed de homine mandente extra publicum cœnæ apparatum. Secundæ meminit Dionyſius Halycarnaſſæus *lib.* 2. inquiens: *Vidi ego quidem in ſacris Laribus Diis cœnas appoſitas, &c.* Seneca lib. 16. epiſt. 3. *Tubero paupertatem ſe dignam & Capitolio indicauit, fictilibus in publica cœna vſus.* Suet. *in Vitellio cap.* 13. hæc habet: *Vt autem homo non profundæ modo, ſed intempeſtiuæ quoq; ac ſordidæ gulæ, ne in ſacrificio quidem vnquam, aut itinere vllo temperauit, quin inter altaria ibidem ſtatim viſcus & farra pene rapta è foco manderet, circaque popinas fumantia obſonia, vel pridiana, atque ſemeſa.* Idem Suet. *in Claudio cap.* 33. ita ſcribit: *Cognoſcens quondam in Auguſti foro, victuſque nidore prandii, quod in maxima Martis æde Saliis apparabatur, deſerto Tribunali, aſcendit ad Sacerdotes, vnaque diſcubuit.* Ad hæc faciunt vltima verba Liuii lib. 29 *Et Ludi Romani biduo inſtaurati; item per biduum Plebei ab AEdilibus P. AElio, P. Villio. Et Iouis Epulum; fuit ludorum cauſa.* Et lib. 30. ait: *P. AElius Tubero, & L. Latorius AEdiles plebis vitio creati, magiſtratu ſe abdicarunt, quum ludos, ludorumque cauſa epulum Ioui feciſſent.* Et libro 32. *Ludi Plebeii inſtaurati, & epulum Iouis fuit ludorum cauſa.* Et lib. 33. *Ludi Plebeii per biduum*

*biduum inſtaurati, & epulum fuit ludorum cauſa.* Cic. *de Aruſp. reſp.* meminit libationum,epularumque,& ludorum huiuſmodi. Apud eundem Cic. de Senect. *Ludorum ſacrificium epulare* legimus. Et rurſus ibidem: *Patres conſcripti, vo'que epulones, ad quos epulones Iouis Opt. Max. ſi quid eſt praterm iſſum, aut commiſſum, afferunt.* Poſtremo loco adducamus Liuii authoritatem *lib. 3. belli Macedonici,* vbi ita ſcribit: *Roma X. anno primum epulones facti. Hi epulas Ioui, cæteriſque Diis inſtituendi poteſtatem habebant.* Fuerunt autem, vt ibidem Liuius atteſtatur, primum tres viri Epulones. Poſtea eorum numerus excreuit: nam in inſcriptione marmorea antiqua in ſancto Nicolao in carcere Tulliano Romæ legimus:

L. CORNELIO P. F. SVLLÆ COS. P. VI. VIR. EPVL. CLIENTES COS.

Et in S. Stephano in Silice, in alia ſimili fit mentio.

APOLAVSTI MODIANI. VII. VIR. EPVLON. & APOLAVSTI CLAVDIANI. VII. VIRVM EPVLON.

In alia quoque in ſancto Nicolao legitur:

NONIVS ASPERNAS. VII. VIR EPVLONVM.

Extat denique iuxta portam S. Pauli in celebri illa Pyramide memoria:

C. CESTII. VII. VIR. EPVLONVM.

Vnde Lucanus libro primo:

*Septemuiros epulis teſtes.*

Munus autem iſtud primariis viris dari ſolitũ conſtat, nempe Coſſ. ex ſuperiori inſcriptione, & Cæſ. Dictator Epulo fuit, tradente Plinio *lib. 14. c. 15.* Nec ſeptenarium numerum exceſſiſſe epulones obſeruamus. Publici epuli ob lætitiam plura obſeruantur exempla, & præſertim apud Liuium, qui *lib. 24.* ſcribit, Tiberium Gracchum ſuperatis Pœnis in Beneuentanorum gratiam, permiſiſſe milites omnes epulari in propatulo, ab iiſdem palam & extra ædes parato cõuiuio. Et lib. 25. habet: *Hæc eſt origo ludorum Apollinarium, victoria, non valetudinis ergo (vt plerique rentur) votorum, factoſq; populus coronatus ſpectauit, matronæ ſupplicauere, vulgo apertis ianuis in propatulo epulati ſunt.* Author eſt Cic. *pro Mur.* Quintum Maximum

Africani

Africani patrui ſui nomine epulum Pop. Romano dediſſe. Celebre fuit epulum, quod dedit Cæſar de Africa triumphans, vt meminere Suet. *in Cæſare, c.38.* & Plutarchus in illius vita, & Plin. *lib.9.c.15.* Nec minus opiparum, quod poſt Hiſpanienſem victoriam populo præbuit, eodem Suet. eodem loco referente. Tyberium quoq; poſt Illyricam victoriam, epulum mille menſis paraſſe teſtatur Suet. *in Tiberio cap.20.* & apud Liuium *lib.45.* perfecto Macedonico bello à L. Paulo Æmylio M. Seruilius pro illi dando triumpho, diſſerens aduerſus Ser. Galbam inter cætera inquit: *Omnes illas victimas, quas traducendas in triumpho iudicauit, alia alio cadente mactata. Illas quidem epulas Senatus, quæ nec priuato loco, nec publico profano, ſed in Capitolio eduntur, vt non hominum voluptatis cauſa, an Deorum, hominumq́; authore Ser. Galba, turbaturi eſtis?* Ex quibus facile dignoſcitur, in publicis epulis Senatores præcipue diſcumbere ſolitos, & veſci, more cœpto à Romulo, qui, vt diſſerit Cœlius Rhod. lib.27.c.24. *Brumalia* inſtituit, quibus conuiuio publico excipiebatur Senatus, quum neceſſarium diceret, ab Rege ſuo ali Senatum hyeme, nullis obſtrepentibus bellis. Quamobrem Auguſtum Senatoribus, qui ſe ſponte à Senatu abdicaſſent, locum edendi & diſcumbendi ius in publicis epulis inter cætera ſeruaſſe, tradit Suet. Poſſumus etiam interpretari verbum illud *publice*, non ſolum quod in publico & propatulo veſceretur, ſed etiam quod epula huiuſmodi publica impenſa pararentur.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XXXV.

*Vt priuſquam conſideret quiſquam, thure ac mero ſupplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur.*

EX hoc Suetonii loco colligitur, Senatum conuenire ſolitum in loco ſacro, & non profano, quod & Seruius docuit 7. *AEneid.* enarrans illud:

*Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis.*

*Et niſi* (inquit) *in loco auguſto Senatus Conſilium habere non poterat; vnde templum Veſtæ non fuit augurio conſecratum, ne illuc conueniret Senatus, vbi erant virgines.* Herodianus libro 7. ait:

*Conue-*

*Conuenerunt igitur in templum Capitolini Iouis, quod in arce ſumma præcipua venerationis Rom.habebant, ibi clauſis foribus ſoli Senatores, quaſi teſte & confeſſore, atque adeo rerum omnium inſpectore Deo, ſelectis qui ætate ac dignitate cæteros anteirent, duos ex omni numero, Maximum, & Albinum, plurimis ſuffragantibus, Imperatores creauere.* Item in templo Iouis Statoris, quod erectum fuit contra ædes Veſtæ in Palatini radicibus, clare monſtrante Ouidio 6.Faſtorum.

*Templum idem Statoris erit, quod Romulus olim*
*Ante Palatini condidit ora iugi.*

Et in æde Concordiæ, quæ fuit in cliuo Capitolino, ex Iulio Capitolino *in Maximo & Balbino, in principio.* Quod & Cice. 2.*Philip*.confirmat, inquiens: *Quum in hac cella Concordiæ, o Dii immortales, in qua me Conſule ſalutares ſententiæ dictæ ſunt*. In æde etiam Telluris, referente Cicerone *in prima Philipp. per initia*, & iterum poſtea. Quod & comprobatur ex Appiano *lib. 2. Belli ciuil.* vbi inquit: *Ex eo die, quo in æde Telluris conuocati ſumus.* Et in æde Apollinis, ex Cicerone *lib.6. epiſt. Famil. epiſt. 4. &* 138. Et in æde Caſtorum, ex Trebellio Pollione *in Valerianis, poſt principium.* Ex quibus locis clare patere poteſt, Senatum non conſueuiſſe colligi, niſi in loco ſacrato. Contra tamen & alii ſentiunt, pluribus & ipſi authoritatibus innixi. Et primo adducunt locum Liuii *lib. 3.* vbi aiunt, Senatum collectum in Campo Martio, & in Pratis Flaminiis; qui locus nihil priori ſententiæ refragatur; nam non tantum Senatus, ſed & Plebis Concilium ibi congregatum fuit, vt clare legenti palam fit. Præterea & Campum Martium, quum in eo comitia habebantur, ſacratum fuiſſe patet ex Cicerone *pro Rab.* vbi legitur: *Qui in Campo Martio Comitiis centuriatis auſpicato in loco crucem defigi iubes.* Addunt alium Liuii locum *libro 23.* vbi ita legitur: *Conſules edixerunt, quoties Senatum vocaſſent, vti Senatores, quibuſque in Senatu dicere ſententiam liceret, ad portam Capenam conuenirent.* Quæ nec etiam aduerſantur; Nam Senatum ordinarie colligi in loco ſacro diximus, extra ordinem tamen, & aliqua vrgente neceſſitate, etiam alibi, puta ad portam Capenam poſt Cannenſe excidium, rebus Romanis in anguſto poſitis, per quam portam ad Anni-

balis

balis caſtra proficiſcebatur, vti commodius & celerius, quod ex re fuiſſet, & decerni & exequi ſine vlla mora poſſet, prærerquam quod ibidem ſacellum aliquod fuiſſe exiſtimandum, vbi ſacra fierent, & Diis ſupplicaretur, priuſquam conſideret Senatus, & de agendis decerneret. Illud ſane indubitatum eſt ex Feſto *libro* 17. authoritate Nicoſtrati in libro qui inſcribitur *de Senatu habendo*, tria fuiſſe Senacula, id eſt, loca Senatui habendo deſtinata, vnum inter Capitolium & forum, alterum ad portam Capenam, tertium in æde Bellonæ. Quare dicere etiam poſſumus, Senaculum dubio procul ad portam Capenam inauguratum ſeu cõſecratum fuiſſe. Addunt ex eodem Liuio *libro* 23. *Hæc Senatus quo die primum eſt habitus in Capitolio, decreuit, vt eo anno duplex tributum imperaretur.* Ex quibus Senatum conuenire quoque in Capitolio conſueuiſſe patet. Quod & rurſus idem Liuius *libro* 28. confirmat. Cui obiectioni & facillime ſatisfit, ſiquidem in Capitolio ipſo erant Iouis Optimi Maximi, Iunonis Reginæ, & Mineruæ ædes, paruo diſtinctæ ſpacio. Vnde Liuius libro 6. facit Manlium Capitolinum à viatore arreptum hæc pronuntiantem: *Iupiter Optime Maxime, Iunoque Regina, ac Minerua, cæterique Dii, Deæque, qui Capitolium, arcemque incolitis, ſiccine veſtrum militem ac Præſidem ſinitis vexari ab inimicis?* Ita Cicero *in oratione ad Equites Romanos*, antequam iret in exilium. *Nunc ego* (inquit) *Iupiter Optime Maxime, cuius nutu ac ditione ſola terrarum gubernantur, tuque particeps connubii, ſocia ac Regina Iuno teque Tritonia armipotens, Gorgonia, Pallas, Minerua cæterique Dii Deæque immortales, quæ excellenti tumulo ciuitatis ſedem Capitolii incolitis, oro, obſecroque, &c.* Addunt præterea ex Liuio *libro* 22. Senatum collectum in curia Hoſtilia, & ex Cic. *libro* 2. *de Diuinat.* in Curia Pompeia, & ex Gellio, *libro* 14. *cap.* 7. in Curia Iulia. Quæ etiam ſententiæ noſtræ officiunt; ſiquidem ſingulis curiis præpoſitos binos Flamines ſeu Sacerdotes fuiſſe, qui ſacra facerent, conſtat ex Feſto Pompeio *libro* 3. vbi Curiales Flamines ait fuiſſe Curiarum Sacerdotes. Hinc iure Cicero *in orat. pro Milone*, Curiam dicit templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, &c. Præterea dicunt iſti obſeruatũ apud Tac. *lib.* 1.

Senatum in Palatio conueniſſe. At & in Palatio erant loca ſacra, ſaltem cum in eo eſſet curia. Ita Cic. *de Diuin.* inquit: *Curia Saliorum, quæ eſt in palatio.* Poſtremo dicunt ex Liuio *lib.* 23. & in foro conuenire conſueuiſſe Senatum. Verum & hæc obiectio facile diluitur, ſiquidē Foros multiplices Romæ fuiſſe alibi oſtendimus; Præcipuum tamen erat forum vetus, Romanum & Latinum nuncupatum, in quo erat & comitium,& in quo Senatores conueniebant,quod conſtat ex Plinio, *lib.* 15.*c.* 18. vbi ſcribit: *Colitur ficus arbor in foro ipſo ac Comitio Romæ nata.* In Comitio autem fuiſſe baſilicā Pauli conſtat ex Cic.*lib.*4.*epiſt.ad Atticum*,vbi habet: *Paulus in medio fori Baſilicam texuit,iiſdem antiquis columnis.* Et Philipp.6. *Qui forum & Baſilicas ornaret.* Et rurſus: *Forum plenum & baſilicas videmus.* Et ex Plinio *lib.*36.*c.*15. Cornelio Tacito *lib.*3.& Plutarcho *in Cæſare.* Ex quibus non Pauli ſolum Baſilicam, ſed & alias, puta Opimiam, Iuliam, Portiam Baſilicas in foro fuiſſe colligimus, vti demonſtrat Alex.ab Alex. *lib.*2.*c.*12. In his inauguratos ſacra facere conſueuiſſe Senatores, facile coniiciendū.Sed quid dicemus ad Plinii locū lib.8.c.45. *Quum eſſet nuntiatum bouem loquutum* ( quod frequēter in priſcorum prodigiis fuiſſe ait ) *Senatum ſub dio haberi ſolitum fuiſſe*; certe dicēdum eſt locum illū etiam prius conſecratū fuiſſe, quod & diximus factum,quum in Campo Martio & pratis Flaminiis Senatus ſeu comitia habita ſunt. Statuamus itaque cum Varrone & Gellio locis citatis, nō licuiſſe colligere Senatū, niſi in loco inaugurato,& cōſecrato. Quod ex hoc loco Suetonii etiam clare colligitur,quicquid alii in oppoſitum ſenſerint,& ſentiant.Sed nec illud omittendum ex Feſto, *loco ſupra citato*, in æde Bellonę,quæ extra mœnia erat,legatis exterarū nationum, quos in vrbē admittere nolebant, Senatum dari ſolitū à Rom. Obſeruamus etiā magiſtratibus,qui ad vrbē redibāt,in eodē templo datū Senatum fuiſſe. Liu. *in lib.*38. de P.Scipione loquens ait: *Ipſe decem nauibus Romam rediit, & Senatu extra vrbem dato in æde Bellonæ quas res in Hiſpania geſſiſſet, diſſeruit.* Et *lib.*49. idem Liuius inquit: *Manlius Proconſul ex Hiſpania redierat, cui poſtulanti ab Senatu in æde Bellonæ triumphum, rerum geſtarum magnitudo impetrabilem faciebat.*

C. SVET.

## C. Svet. Tranqvil. in Avgvsto.

### Cap. XXXV.

*Et ne plus, quam bis in menſe legitimus Senatus ageretur, Kalendis ſcilicet, & Idibus.*

Conuocandi Senatum ius ordinarium penes eos ſemper fuit, qui Reipublicæ præeſſent. Ita Gellius *lib.14.c.7.* ſcribit ex Varrone, Senatum haberi ſolere more maiorum per Dictatorem, Coſſ. Prætores, Tribunos Plebis, Interregem, & Præfectum Vrbis. Extraordinario iure Tribunos quoq; militares, qui pro Conſulibus fuiſſent, item Decemuiros quibus imperium Conſiliare tum eſſet, item Triumuiros Reipublicæ conſtituendæ gratia creatos, ius vocandi Senatum habuiſſe, ex eodem Gellio ibidem colligitur. Singulis autem diebus Senatum colligi potuiſſe obſeruamus, præterquam Comitialibus, id eſt, in quibus Comitia à Populo habebantur, ne Senatores à ſuffragio ferendo auocarentur, ſcribente Cic. lib.1. Epiſt. Famil. Epiſt.2. *Conſecuti ſunt dies Comitiales, per quos Senatus haberi non poterat.* Quod lege Pupia cautum idem Cic. *Epiſt.4. eiuſdem*, ita confirmat: *Senatus haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam (id quod ſcis) non poteſt, neque menſe Februario toto, niſi profectis aut reiectis legationibus.* Et lib.1. Epiſt. ad Q. Fratrem Epiſt.2. *Comitialibus diebus, qui Quintinalia ſequuntur, Appius interpretatur, non impediri ſe lege Pupia, quo minus habeat Senatum, & quod Gabinia Sanctum ſit etiam cogi ex Kalendis Februariis vſque ad Kalendas Martias Senatum legatis quotidie dari.* Nec diebus tetris & nefaſtis cogi poterat Senatus, quum ex Gellio *lib.5.c.17.* Pontifices decreuiſſent, nullum ex iis diebus ſacrificium recte futurum; ſed Senatus, vt paulo ante docet idem Suet. haberi non poterat, niſi prius auſpicato, ſacrificioque facto. Quum tonuiſſet, nec tunc Senatus haberi poterat, quod colligitur ex Plutarcho *in Catone minore* dicente: *Tum Pompeius ſubito mentitus ſe tonitru audiſſe, turpiſſime Comitia ſoluit, erat etenim in conſuetudine poſitum, vt ſi de cælo eſſet ſeruatum, nihil perageretur.* Ad hæc ſi ventorum procellæ aut tempeſtates fuiſſent, non habebatur Senatus. Hinc Appius Claudius ſubito cohorti

imbris beneficio damnationem effugit, ſcribente Valerio Maximo lib. 8. c. 1. *Itaque cui marina tempeſtas cauſa dictionem contraxerat, cœleſtis ſalutem attulit.* Si etiam Conſules ambo abſuiſſent ab vrbe, cogi non poterat Senatus, vel ſaltem niſi ad nonam diem ab ea qua aberant, quod clare tradit Cic. *lib.* 12. *Epiſt.* his verbis, Cornificio ſcribens, Epiſtola omnium 262. *Senatus ſæpius pro dignitate tua appellaretur, ſi abſentibus Conſulibus vnquam niſi ad diem nonam ageretur.* Quum alter tantum Conſulum aberat, cogi poterat Senatus; quod ex Dionyſio Halycarnaſ. *lib.* 10. habemus: *Neceſſe* (inquit) *habuit Sextius ſolus Senatum cogere, quoniam Memenius collega propter morbum aberat.* Dubitari etiam poteſt, quod ſicuti comitia ſoluebantur ſi quiſpiam epileptico morbo corruiſſet, quem ob id Comitialem appellatum tradunt, ita & Senatum haberi non potuiſſe, ſi in eo coeundo quis eodem morbo correptus fuiſſet, vnde Serenus:

*Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo,*
*Quod fieri nobis ſuffragia iuſta recuſat.*

Et Cato: *Quod Comitia prohibere ſolet, nec id quidem mihi vitium fuit.* Quum itaque cæteris omnibus diebus, præter memoratos colligi Senatum potuiſſe cenſendum ſit, mirabar ſane Auguſtum, quem rerum actioni maxime ſtuduiſſe ex eodē Suetonio *cap.* 32. vidimus, Senatus legitimam coitionem ad binas vices ſingulo menſe, nempe per initium ad Kalendas, & ad dimidium per Idus coarctaſſe; Sed mirari deſtiti meditans & animo concipiens, virum, qui in ſe totam Reipublicæ vim contraxerat, id conſulto feciſſe, vt negocia vrgentia & maiora prius ab ipſo vna cum Semeſtri Senatorio Conſilio ſorte ei aſſignato pertractaret, & ſtatueret, quæ poſtea à Senatu collecto decernenda eſſent, vel cenſenda, quum ad frequentem Senatum referrentur, & ob eandem cauſam de maiori negocio, non vt antea moris erat, & eo ordine, quo prius tractari ſolebant, ſed prout libuiſſet, verſute tamen & cauillosē ſe id facere prædicabat, vt vnuſquiſque animum intendere poſſet, an aſſentiendum vel repugnandum eſſe cenſeret. Verum & pro textus clariori intelligentia ſciendum, quod Senatus alius habebatur legitimus,

alius

alius indictus. *Legitimus* dicebatur, qui lege vel more ſemper certis diebus habebatur, puta Kalendis, & Idibus, niſi aliqua ex memoratis cauſis obſtaret. *Indictus* autem dicebatur, qui reliquis diebus menſium magiſtratus, cui id faciendi ius eſſet, vocatu cogebatur. Quod potiſſimum colligitur ex Capitolino *in Gordiano* ita ſcribente: *Non legitimo, ſed indicto Senatus die Conſul iam domi conuentus cum Prætoribus, AEdilibus, & Tribunis in Curiam venit.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XXXVI.

*Author & aliarum rerum fuit, in queis ne acta Senatus publicarentur.*

Liuius author eſt *lib.* 23. anno ab V. C. 404. inſtitutum à Val. & Horatio Conſulibus fuiſſe, vt Senatuſconſulta in ædem Cereris ad Ædiles plebis deferrentur, quæ antea arbitrio Conſulum ſupprimebantur, vitiabanturque. Poſtea tamen ad ærarium ea delata fuiſſe, & Cicero *Philipp. quinta*, & Tacitus *lib.* 3. teſtantur. Et locus hic Suetonii de S. C. ſeu ſententiis à Senatu latis, ſeu rogatis, quæ publicari conſueuerant, intelligendus eſt; Fuerunt enim & alia S.C. *Tacita* appellata, quæ palam enunciari nunquam licebat; quod ex Capitolino in vita Gordianorum elicitur, vbi legitur: *Dicit Iunius Cordus, iſtud S.C. fuiſſe tacitum, quod quale ſit, & quare ſic appellatum, breuiter exponendum. Omnino exemplum S. C. Taciti non aliud eſt hodie, quam quod veſtra clementia conuocatis ad interiora maioribus, ea diſponit, quæ non ſunt omnibus communicanda, de quibus etiam ſiletis, ne quis ante rem completam quicquam vel audiat, vel intelligat.* Hũc autem morẽ apud veteres neceſſitates publicæ inuenerunt, vt ſi forte aliqua vis ab hoſtibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare conſilia, vel aliqua conſtituere, quæ prius non oporteret dici, quam effici, vel ſi nollent ad amicos aliqua permanare, S. C. Tacitum fieret, ita vt non ſcribæ, non ſerui publici, non Cenſuales illis actibus intereſſent, Senatores exciperent, Senatores omnium officia Cenſualium, ſcribarumq; complerent, ne quid forte proderetur.

# C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

## CAP. XXXVI.

### *Ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in Prouincias mitterentur.*

PRouinciarum duplex diuiſio fuit; nam ſtante Republica,& præſertim Ciceronis temporibus, Prouinciæ aliæ Conſulares, aliæ Prætoriæ fuere;at Imperio conſtituto, aliç Populi Romani, aliæ Imperatorum erant Prouinciæ, de qua differentia inferius *cap.* 47. pertractabimus. Prouinciæ Conſulares erant, quæ ab iis, qui in Vrbe Conſulatum geſſerant, Conſulari Imperio obtinebantur, ad quas peracto Conſulatu proficiſcentes Proconſules dicebantur. Prouinciæ Prætoriæ erant,quas qui Prætores proximo anno in Vrbe fuerant,Prætorio Imperio obtinebant, ad quas Profecti Proprætores appellabantur.Illud autem ſciendum,Prouincias non ex ſui natura & eſſentia Conſulares vel Prætorias fuiſſe,ſed tales effectas, prout iuſſu Senatus Conſulibus vel Prætoribus decernebantur, ita vt aliquando Conſulares Prætoriæ efficerentur, & Prætoriæ Conſulares, ſic vt nonnunquam ignobiles admodum Prouinciæ Conſulares fierent,quod ſuperius in Cæſare, *cap.* 19.obſeruauimus.Et Cicero *de Prouinciis Conſul.*ait: *Ex Conſulare prouincia facere Pratoriam.*Quod & ex Liuio & Tacito fuſe docet Sazius *Com.Reipublica Romana, lib.2. c.5.* Porro autem ſolebant poſtremis illis Reipublicæ temporibus, quod ex orat. Cic. *de Prouinciis Conſul.* animaduertimus,Prouincias tam Conſulares, quam Prætorias in Senatus poteſtate eſſe, at non ſimili modo decerni conſueuiſſe, ſi quidem Conſulares Conſulibus anno proximo futuris ante Comitia mandabantur, & Comitiis centuriatis creatis Conſulibus, poſt menſes plures eas inter ſe ſortiebantur,vel partiebantur,idq; ita erat in Senatus poteſtate,vt Tribuni intercedere non poſſent decretis quæ de iis Senatus feciſſet.Prętoriæ vero Prouincię Prætoribus anni præſentis mādabantur,decernebanturq; ipſis, dum Præturā gererent, in hoc à Conſularibus differentes, quod illæ in incertū tempus Conſulibus nondū deſignatis decernebantur.

bantur. Et quamquam Conſulare & Prætorium Imperium vtrumq; ſummum eſſet in Prouincia, maior tamē erat Proconſulare, vnde & Proconſules maiorem exercitum & plures faſces habebant, & reliqua omnia Proconſularia ornamenta. Proprætores vero minorē exercitum, faſces pauciores, & Prætoria inſignia tantū præ ſe ferebant; quamuis ſciā, non defuiſſe Iuriſtas quoſdam, qui ſecus ſenſerint, dicentes Proprętores fere ſemper in Prouincias Regias, id eſt, in quibus Reges, priuſquam Romanæ iuriſdictionis eſſent, imperauerant; quod ex Prætoriis Prouinciis in Nouellis Iuſtinianeis relatis probare contendunt, puta Pſidiæ *Nouella* 24. Lycaoniæ, & Arcadiæ *Nouel.* 25 *&* 145. Phrygiæ, *Nouel.* 45. Thraciæ, *Nouel.* 26. Paphlagoniæ, *Nouel.* 29. Siciliæ, *Nouel.* 104. Sed id erroneum eſſe ex dictis iam conuincitur. Nec haſce Prætorias fuiſſe, ſed etiam Conſulares aliquando, compertum eſt. Solebant autem Conſules & Prætores totum annum ſui magiſtratus in Vrbe conſumere, nec fere prius in ſuas Prouincias proficiſcebantur, niſi aliquod in Prouincia eſſet bellum, quod maturandum diſceſſum ab Vrbe cogeret. Quinimo & aliquando in Prouincias proficiſci noluiſſe obſeruatum eſt. Ita Hortenſius in prouinciam profectus non eſt, teſte Cicerone *in Bruto*, & Bibulus poſt Conſulatum in Vrbe manſit, & ipſe Cic. Galliam ſibi Prouinciam decretā in concione depoſcit, ex orat. *in Piſonem.* Et Pompeius & Craſſus poſt Cōſulatum in Vrbe manſerunt, quo caſu alii viri Conſulares ad Prouincias adminiſtrandas mittebantur, qui extra ordinem mitti dicebantur. Ita Cic. poſt Conſulatum multo tempore in Ciliciam miſſus eſt, Bibulus in Syriam, L. Domitius in Galliam. Sicuti vero Conſules, & Prætores in Vrbe annuum magiſtratum gerebant, ita Proconſules & Proprætores in Prouincia per annum manebant, niſi à Senatu eis prouinciæ regimen prorogatum eſſet; quod multoties factum in hiſtorica lectione obſeruamus. Nam hos magiſtratus vltra annū geri, lege Cornelia *de prouincia* prohibebatur, cuius meminit Cic. *ad App. lib. Famil.* 5. quod & lege Annaria cautum, ſcriptum reliquit Alex. ab Alexandro, *lib.* 4. *cap.* 6. perperam tamen; nam lex Annaria, ſeu potius Annalis,

quæ & *Villia* dicta fuit, erat, qua finiebantur anni magiſtratus capiendi, & Feſtus *libro primo*, & Cicero in Philipp. 5. *Maiores noſtri leges Annales non habebant*. Et de Leg. *Conſules Annali lege ciuitatem ſeruanto*. Et de Orat. *Lex Annalis, quæ annorum numerum præfiniebat ad capiendos magiſtratus*. De eadem Liuius *lib.* 10. vbi differit de Conſulatu ſuperioris Africani, & etiam ex libro decimo belli Macedonici. Hæc autem lata fuit à L. Villio Annali, Trib. Pleb. L. Manlio, Quinto Fuluio Coſſ. anno ab Vrbe condita D LXXIIII. Quot annos nati quemque magiſtratum peterent, caperentque, Liuius *libro* 40. vbi tamen corrupte legitur *ab L. Iulio*. Et apud Val. Maximum *L. Tullius Annalis*, cum vtrobique legendum ſit, *L. Villio*, ex Cœlio, 8. *lib. Epiſtol.* & Carolo Sigonio. Quum itaque vrbano magiſtratu perfuncti erant Conſules, & Prætores, lege ſtatim eis in Prouinciam proficiſcendum erat, quod ne fieret, Auguſtus cauit lege alia, *ex Suetonio hoc in loco*.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

## CAP. XXXVI.

*Vt Proconſulibus ad mulos, & tabernacula, quæ publice locari ſolebant, certa pecunia conſtitueretur.*

FLorente Romana Republica, nulla impenſa Prouincialibus dabatur magiſtratuum gratia ad Prouinciam proficiſcentibus, ſed ex ærario publico, quæ illis neceſſaria erant, Romæ parabantur. Quod ex Liuio per initia libri 42. clare patet, vbi ait de Poſthumio Conſule in Campaniam miſſo ad agrum publicum à priuato terminandum, ita verba faciens: *Hic iratus Prœneſtinis, quod quum eo priuatus ſacrificii Templo Fortunæ faciendi cauſa profectus eſſet, nihil in ſe honorifice, neque publice, neque priuatim factum à Prœneſtinis eſſet, priuſquam Roma proficiſceretur, literas Præneſte miſit, vt ſibi magiſtratus obuiam exirent, locum publice pararent vbi diuerteretur, iumenta cum exiret inde, præſto eſſent. Ante hunc Conſulem nemo vnquam, ſociis in vlla re oneri aut ſumptui fuit, ideo magiſtratus mulis taberna-*

*tabernaculiſq́; & omni alio inſtrumento militari ornabant, ne quid tale imperarent ſociis; priuata hoſpitia habebant, ea benigne comiterq́; colebant, domusq́; eorum Romæ hoſpitibus patebant, apud quos ipſis diuerti mos eſſet. Legati qui repente aliquo mitterentur, ſingula iumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant, aliam impenſam ſocij in magiſtratus Romanos non faciebant. Poſtea lege Iulia quid in prouinciam proficiſcenti magiſtratui à ſociis tribui deberet, præfinitum: nam præter fœnum, tectum, & ligna, aliud gratis nihil dari debere decreuit.* Quod Cicero ad Atticum *lib.5. Epiſt.16.* ſcribit: *Scito* (inquit) *non modo nos fœnum, & quod lege Iulia dari ſolet, non accipere, ſed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos & tectum, quemquam accipere quicquam, multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerunque.* Verum & hic optimus mos aliquando immutatus, ita vt magiſtratus extra vrbem iturus, maximis ſumptibus ærarium non ſolum, ſed & prouincias grauaret, quod Cicero Piſoni obiicit, inquiens: *Nonne ſeſtertium centies octogies, (quod quaſi vaſarij nomine in venditione mei capitis adſcripſeras) ex ærario tibi attributum Romæ in quæſtu reliquiſti?* Vaſarium enim Cicero appellat totum id, quod publice dabatur magiſtratibus, vt muli, vaſa, & reliqua, vt docet Budæus *lib. de aſſe* 3. quamuis Alciatus, ſed minus congrue, elucidans *l. inter domum, D. de verb. ſignific.* exponat, eſſe præmium, quod reducibus magiſtratibus, præter geſtum apud exteros honorem impenditur. Et Budæo adſtipulatur Cælius Rhodig. *lib.27. cap.27.* ita ſcribens: *Vaſaria intelligunt eruditiores apud M. Tullium, quæ magiſtratibus publice contribuebantur, quo in genere muli ſunt, equi, vaſa, & id genus alia, vel hoc nomine pecunia erogata.* Cicero item de lege Agraria contra Rullum ſcribit, de Decemuiris loquens, quos Rullus creandos cenſuerat ad agros diuidendos per prouincias: *Dat* (inquit) *poteſtatem verbo Prætoriam, re vero Regiam, definit in quinquennium, facit ſempiternam; tantis enim confirmat opibus & copiis, vt inuitis eripi nullo modo poſſint, deinde ornat apparitoribus, ſcribis, librariis, præconibus, architectis, præterea mulis, tabernaculis, tentoriis,* (vel vt alii, *centuriis,*) *ſupellectili, ſumptum haurit ex ærario, ſuppeditat à ſociis.* Proficiſcentibus enim in prouinciam, dabantur ex publico, quæ neceſſaria vi-

debantur; ſicque ornari Conſules, Prætores, Prouincialesque dicebantur antiquis Romanis. Cic. lib. 2. ad Q. Fratr. *Referebatur de prouinciis Quæſtorum, & de ornandis Pratoribus.* Et ad Att. lib. 3. Epiſt. 24. *Quum ſcripſiſſetis, Conſulares prouincias ornatas eſſe.* Et paulo poſt addit: *De ornandis Conſulibus.* Et in orat. pro lege Manilia: *Ornata prouincia lege curiata.* Quod vitium & antea inualuiſſe, teſtis eſt Liu. *lib.* 43. ita ſcribens: *Eodem anno C. Popilius, & Cn. Octauius legati, qui in Græciam miſſi erant, S.C. Thebis primū recitatum per vrbes omnes Peloponeſi vrbes circumtulerunt, ne quis vllam rem magiſtratibus Romanis conferret, præterquam quod Senatus cenſuiſſet. Hoc fiduciam in poſterum quoq; præbuerat, leuatos ſe oneribus impenſiſq́;, quibus alias aliis imperantibus exhauriebantur.* Hunc abuſum corrigere tentauit Auguſtus, Senatuſconſulto ad mulos & tabernacula paranda certam & determinatam pecuniam conſtituens; & poſt eum Alexander Imp. quod ex Lamprid. in illius vita colligitur, dum ait: *Iudices quum promoueret exemplo veterum, vt & Cicero docet, argento & neceſſariis inſtruebat, ita vt Præſides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, mulos & equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, coquos ſingulos, & ſi vxores non haberent, ſingulas concubinas, quod ſine his eſſe non poſſent, reddituri depoſita administratione, mulas, mulos, equos, muliones & coquos, cætera ſibi habituri, ſi bene geſſiſſent.* Quæ fere eadem ſcribuntur à Iulio Capitolino *in Alexandro*, dum inquit, Alexandrum Imperatorem ex more veterum inſtruxiſſe magiſtratûs, quos in prouincias mittebat, ita vt Præſides acciperent argenti pondo vicena, phyalas ſenas, mulos binos, equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, coquos ſingulos, & ſi vxores non haberent, concubinas ſingulas, quod ſine iis eſſe non poſſent, reddituri depoſita adminiſtratione mulas, mulos, equos, muliones & coquos, cætera habituri ſi bene geſſiſſent, in quadruplum reddituri, ſi male.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XXXVI.

*Vt cura ærarij à Quæſtoribus vrbanis ad Prætorios Prætoresve tranſiret.*

QVæſtorum originem vſque ad Reges Romanos transferunt Iuriſtæ nonnulli, ex Vlpiano *in l.1.ff.de off. quæſt.* vti Gracchanus & Iunius *lib.7.de poteſtat.*qui Tullum Hoſtilium primum in Rempublicam induxiſſe Quæſtores tradidere.Et idem Trebatius & Feneſtella ſcribunt. Quod tamen nullibi apud Hiſtoricos ſcriptum obſeruamus, prætterquam apud Tacitum,*lib.2.Annal.* cuius hæc verba ſunt: *Sed Quæſtores Regibus etiam tum imperantibus inſtituti ſunt, quod lex Curiata oſtendit à L.Bruto repetita.* Sed Valerium Publicolam, qui cum Bruto Conſul fuit, in Saturni æde ærarium primum condidiſſe, illiusque cuſtodiæ binos Quæſtores aſſignaſſe, quod Plutarchus in illius vita tradit. Inter hos, qui poſtea ad multum numerum excreuere, ſicuti & multæ prouinciæ poſtea,excreſcente Republica,illius dominationi ſubiectæ ſunt, ad quas vna cum Proconſulibus ſeu Prætoribus,Conſulibus & Prætoribus, qui ad ius dicendũ, & exercitus regendos in eas mittebantur,& Quęſtores vna proficiſcebantur,vt publicæ pecuniæ in illis curandæ Præfecti rationem haberent. Erant tamen digniores,ex Quæſtoribus Vrbani, qui vocabantur, qui in vrbe ærarii & publicorum reddituum & expenſarum curam habebant. Hic primus erat magiſtratus, qui à Patriciis adoleſcentibus gerebatur, & ad Ædilitatem, Præturam & Conſulatum aditum faciebat. Quamuis & à populo tentatum aliquando, vt & Quæſtores plebeii fierent,tradiderit Liuius *libro quarto.* Quod deinceps obtinuit, tribus ex quatuor Quæſtoribus plebeis creatis, Q.Silio, P.Ælio, & P.Pupio,& vnico tantùm patritio N.Fabio Ambuſto. Itaque Auguſtus concipiens quanti momenti eſſet Quæſtura,eo quod præcipue publicam pecuniam Reipublicæ neruum, & pace & bello tractaret, curam ærarii à Quæſtoribus ad Prætorios viros tranſtulit. Quod hic Suet.& Tacit.*lib.13.*docét. Quod

& ſub Tiberio poſtea obſeruatum, ex eodem Tacito, *lib.* 1. ſcribente: *Reſiſtentibus ærarij Prætoribus, ſubuenit Cæſar.* At ſub Claudio rurſus ærarii cura Quæſtoribus demandata. Teſtes adduco Tacitum, *eodem lib.* 13. & Suetonium, *in Claudio, cap.* 24. & rurſus: *Nero curam publicarum tabularum à Quæſtoribus ad Prætores tranſtulit*, ex Tacito, *lib. Hiſtor.* 4. vbi etiam habemus, Veſpaſiani temporibus Prætores ærarii curam habuiſſe. Quod ſi quando *Præfectos ærarij* apud ſcriptores legimus, puta apud Plinium iuniorem, *libro Epiſt.* 1. *Epiſt.* 9. *& in Panegyrico*, intelligendum per Præfectos, Prætores, ſcribente Gellio, lib. 13. cap. 23. *Quod per Quæſtores autem dixi, intelligi nunc oportet Præfectum ærario ſignificari: Nam cura ærarij à Quæſtore ad Præfectum translata.* Quod & Dion *lib.* 55. confirmat, qui etiam *lib.* 43. ſcribit, publicæ pecuniæ adminiſtrationem, quæ Fabio Caninio Conſule ad Ædiles translata fuerat, poſtea Quæſtoribus redditam non eſſe, ſed Prætoriis viris commiſſam. Ex quibus non ſolum à Quæſtoribus ad Prætores, ſed & ad Ædiles aliquando ærarii curam translatam obſeruamus. Sic Frontinus lib. 2. de Aquæd. *ærarios Prætores* dixit. Sic Tacitus *lib. Annal.* 1. inquit: *Reſiſtentibus ærarij Prætoribus.* Non ſolum autem Prætores ærarii curam geſſere, ſed & viri Conſulares, & ſummis honoribus functi, quæſturam gerere, non indecorum putarunt, ſcribente Liuio, lib. 3. *Cum M. Valerio Valerij filio Voleſi Nepote Quæſtor erat T. Quintius Capitolinus, qui ter Conſul fuerat.* Quod & Catoni viro Conſulari accidiſſe, tradit Alexander ab Alexandro, *libro & cap.* 2. ſed perperam profecto, vt in Annot. in eundem recte teſtatur doctiſſimus Tiraquellus, ſiquidem M. Porcius Cato, qui & Cato Cenſorius & Senior vocatus fuit, Quæſtor extitit ſub Scipione Africano, anno ab vrbe cond. 546. nec prius creatus Conſul cum L. Valerio Flacco, quam anno 554. Nec minus errati coarguendus Volaterranus, qui *lib.* 14. ſcribit, Catonem Quæſtorem è Cypro ſeptem millia talenta aſportaſſe; in quo Strabonem habet repugnantem, qui Catoni Prætori illud tribuit, qui Prætorius ſe bello ciuili Vticæ interemit, vnde Vticenſis appellatus. Hunc vocauerunt Quintilianus & Seneca virum ſapientiſſimum.

Et de

Et de priori ſcripſit idem Seneca ad Lucillum, eum tam neceſſarium Reipublicæ fuiſſe naſci, quam Scipionem, quorum alter cum hoſtibus, alter cum moribus bellum geſſit, &c.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XXXVI.

*Vt Centumuiralem haſtam, quam Quæſtura functi conſueuerant cogere, Decemuiri cogerent.*

DEcemuiri Reipublicæ adminiſtrandæ primum creati ſunt, mortuo Romulo, vt ait Liuius *lib.*1. in hæc verba: *Itaq; trecentum Patres decem decuriis factis, ſinguliſq; in ſingulas decurias creatis, qui ſummæ rerum præeſſent, conſociant. Decem imperitabant, vnus cum inſignibus Imperij & lictoribus erat, quinque dierum ſpacio finiebatur Imperium, ac per omnes in orbem ibat, annuumq; interuallum regni fuit.* Dionyſius tamen Halycarnaſſ. *lib.*2. à Liuio in eo diſcrepat duntaxat, quod id 200. Patres feciſſe tradit, in reliquis Liuio conſentit. Horum Decemuirorum dominatio populo Romano inuiſa, breui deſiit, creato Rege Numa Pompilio. Regibus deinde Roma exactis, Conſules, qui vrbi præeſſent, creati, quorum opera plebs minime ſatisfacta, teſte Dionyſio, *lib.*10. & Liuio, *lib.*3. Anno trecenteſimo altero, iterum mutata forma ciuitatis, ab Conſulibus ad Decemuiros, Decemque viri creati Reipublicæ adminiſtrandæ, cum ſummo Imperio, qui decimo die ius populo ſinguli redderent, & eo die penes præfectum iuris faſces eſſent. Ab his leges 12. tabularum latas, authores ſunt Liuius, *lib.*3. & Dionyſius, *lib.*2. Fuerunt & alii Decemuiri, *Sybillini* dicti, qui ſacris præerant, & ſacra plura faciebant, quæ prius à Duumuiris tractabantur; lege enim lata à C. Licinio Stolone, & L. Sextio Trib. pleb. facti ſunt Decemuiri, ſimulq; lege cautum, vt pars ex plebe, pars ex patribus fieret, anno vrbis 338. quorum Decemuirorum meminit Cicero *6 in Verr. act.* & de quibus toties apud Liuium fit mentio, *lib.*16. & 22. & 25. & 26. & 27. & alibi ſæpe, qui vſque ad Syllæ Dictaturam perdurarunt, poſt enim Syllæ Dictaturam Quindecemuiri Sybillini ſiue ſacrorũ creati ſunt.

ſunt. Fuerunt & aliquando alii Decemuiri creati à M. Iulio Prætore vrbis, pro metiendo diuidendoque agro Apulo Samnitino, ex Liuio, *lib.* 31. *&* 42. vbi habet: *Eodemq́ anno cum agri Liguſtici & Gallici, quod bello captum erat, aliquantulum vacaret, Senatuſconſultum factum, vt is ager viritim diuideretur, Decemuiros in eam rem ex S.C. creauit Prætor.* Horum Decemuirorum apud Cic. ſæpe fit mentio, *in orat.* 1. *pro lege Agraria, lib.* 11. *Epiſt. Famil. Epiſt.* 13. 19. *&* 20. Poſtremo fuere Decemuiri litibus iudicandis, quorum meminit Pomponius *in l.* 2. *D. de orig. iur.* vbi legitur: *Deinde quum eſſet neceſſarius magiſtratus, qui haſtæ præeſſet, Decemuiri ſtlitibus iudicandis ſunt conſtituti.* Legendum autem *ſtlitibus*, & non *in litibus*, vt quidam docent antiqui lapides & monumenta. Et Quinctilianus tradit, *ſtlitibus* ſignificare idem, quod *ſuper lites*; Quod etiam ex Sexto Pompeio, & V. Probo liquet, antiqua Latina loquendi formula, qua ſane forma Decemuirorum conſcriptæ ſunt tabulæ, & cuius pars vlla vix ſubſiſtit innoxia, ſi Sexto Pompeio credimus. Decemuirorum horum fit mentio à Spartiano *in Adriano*, vbi: *Quando à Traiano abductus à patria, & pro filio habitus, nec multo poſt Decemuir litibus iudicandis datus.* Et Cicero in Oratore: *Plane Duumuirorum aut Triumuirorum capitalium, aut Decemuirorum litibus iudicandis, dico numquam.* Idem pro Cæcinna: *Probaui, cum Acelina mulieris libertatem defenderem, & Cotta Decemuiris religionem inieciſſet, non poſſe ſacramentum noſtrum iuſtum iudicari.* Et paulo poſt: *Decemuiri prima actione non iudicauerunt, ſed poſtea re quæſita & deliberata, ſacramentum noſtrum iuſtum iudicauerunt.* Ex quibus patere puto, Decemuiros magiſtratum ſeu iudices fuiſſe (vtrum enim dixeris parum laboro, quicquid dicant alii) ſeiunctum à Centumuiris, nec partem eorum; id quod tamen recentiores fere omnes de re hac ſcribentes exiſtimarunt, inter quos Budæus *in d. l.* 2. *ad §. deinde quum eſſet neceſſaria, D. de orig. iur.* Sabellicus & Beroaldus *in explanatione huius loci*, & Grucchius *lib.* 2. *de comit Rom.* & Zaſius aliique plerique: qua in re eos aberraſſe, non dubitandum, quum certis de cauſis iudicaſſe Cicero *in orat. pro Cæcinna, & pro Domo ſua*, clare doceat, diuerſis ab iis, de quibus cognoſcebant

Centum-

Centumuiri. Quod etiam comprobare poſſumus ex Dione, *lib.54.* vbi ſcribit, Decemuiros iis iudiciis, quæ ad Centumuiros deferebantur, præfuiſſe, quin eos ex 26. viris fuiſſe tradit, in quorum numero erant Triumuiri capitales, Triumuiri monetales, & Quatuoruiri viarum vrbis, & Duumuiri, qui viarum extra vrbem curam habebant, & Quatuoruiri, qui in Campaniam mittebantur, quos omnes ſi cum Decemuiris computabis, numerum 26. exæquabis. Hos itaque viros præfuiſſe haſtæ Centumuirali, & eis curam demandatam ab Auguſto, inquit Suetonius, vt ſcilicet eam cogerent, quam Quæſtura functi antea conſueuerant cogere. An vero ante Auguſtum Decemuiris ius non fuerit Centumuiralem haſtam cogendi, an minus iſtud ad Quæſtorios viros ſpectaret, an potius eam poteſtatem, quam ſibi Quæſtura functi arrogauerant, Auguſtus Decemuiris reſtituerit, quod L. Charonda, *lib.1.antiquit.Rom. cap.16.* diſputat, determinare non auſim. Nihil enim certi ex ſcriptoribus in re hac habeo, quod in medium afferam.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. XXXVII.

### *Curam operum publicorum, viarum & aquarum aluei Tiberis.*

OPeræ ſeu operis apud Latinos multæ obſeruantur ſignificationes. Verum quod ad præſens attinet negotium, in triplici tantum ſignificatione Suetonii dictum accipi poteſt, nempe vt Auguſtus nouum officium excogitarit, Curatorum operum publicorum, id eſt, qui curarent, vt operæ mercenariæ, quæ operam ſuam publice locabant, laborem iuſtum quotidie præberent, vel quod Curatores operam darent, vt publica opera, vtpote ædificia, recte & iuxta conuenta fierent; & tertio, quod fierent eleganti forma, & decenti artificio. In priori ſignificatu operas accepit Cicero *orat. in Philipp.* quum ait: *Opera mercenaria multitudo conducta.* Et in orat. pro Seſtio: *Erat mihi contentio cum operis conductis.* Iuriſtæ has in duplicem differentiam ſecant,

ſecant,nam alias officiales,alias artificiales dicunt,*D.de oper. libert.* Zaſius in intellect.ſuis tertiam addit ſpeciem, quam communem ſeu mediam inter officiales & artificiales facit.Secunda ſignificatione operam pro re ipſa facta ſumpſit Cicero *de nat.Deor.* inquiens : *Opus tam elegans, tam perfectum,tam elaboratum.* Et rurſus: *Opera tam magnifica,tam præclara.*Et in Verr.*Publicorum operum depopulatio.* Et in orat.pro domo: *Operum publicorum exactio.* Quæ opera, tam priuata quam publica ſcilicet ædificia,Græcis ἔργα dicuntur. In tertia ſignificatione Cicero *opus* accepit *in Verr.*dum ait: *Galeæ calata opere Corinthio.* Et rurſus: *Candelabrum & gemmis clariſſimis,& opera mirabili perfectum.* Et de Legibus: *Exornare ſepulchrum opere tectorio.* Quo itaque ad primam ſignificationem,dubio procul hic Suetonii dictum non eſt intelligendum,ſiquidem antiquis Romanis publica ædificia facienda locari ſolita à Cenſoribus,alibi docet, nec quotidianis operibus hominum conſtruxiſſe,ſatis conſtat,præſertim ex Liuio,*lib.*40.& alibi pluries. Quamobrem ſecundum poſteriorem ſignificationem, Curatores operum publicorum feciſſe Auguſtum,dicendum eſt, id eſt, qui publica opera, id eſt,baſilicas,theatra,fora, templa, ædes, curias,thermas, piſcinas, aquæductus, fontes, fana, porticus, & ſimilia,de quibus Iuriſtæ,*C.de oper.public.* curarent, vt ſolida fierent ab ædificatoribus,qui de vitio ædificii tenebantur intra 15.annos,*ex l.omnes,l.7. C.de oper.public.* Cura etiam erat horum ædificiorum Curatorum, vt fierent apte & eleganti forma iuxta modulum ſeu archetypum ab architectis præbitum. Curatoresque operum non tantum ſe, ſed & ſuos hæredes obligabãt ob ceſſationem, *ex l.1.de oper.publ.in Pand.* De huiuſmodi Curatoribus operum publicorum ſtruendorum, *in eod.tit.de operib.publ.* paſſim ſe offerunt exempla. Hos etiam aliquando Curatores Reipublicæ vocatos à Iuriſtis obſeruamus, fuiſſeque magiſtratum municipalem ex Decurionibus creatum,qui pecuniæ publicæ adminiſtrandæ,vectigalibus locandis,operibus locisque publicis præerat, vt conſtat *ex l.2.3.& vltima, D. de admin.rerum publ.* Varro,Feſtus,Pomponius Iuriſconſultus, Dionyſius,& Theophilus curam

curam Ædilium fuiſſe tradunt, ædificia publica & priuata curare; quod etiam ex Platone *lib.6.de leg.* colligitur, & Ariſtoteles *lib.6.Politicor.cap.3.* de ædificatione decenti curam ad Ædiles ſpectaſſe tradit, qui ἀγρονόμοι ab ipſis Græcis vocantur. Hos enim curaſſe, vt ædificia priuata publicaque fierent, Feſtus Pompeius *lib.1.* docet. Templorum ædificandorum curam geſſiſſe, auctores ſunt Dionyſius Halycarnaſſeus *lib.6.* & Cicero *in 1. in Verr. actione.* Theatra vt conſtruerentur, Feneſtella *de magiſt. Rom. cap.14.* Fora, Suetonius *in Cæſare, cap.10.* vbi etiam porticus ædificare, & Baſilicas, & Capitolium exornare. Ab Ædilibus itaque Auguſtus hoc munus auocauit, & ad particularem magiſtratum tranſtulit, vti plures eſſent, qui Reipublicæ adminiſtrandæ partem caperent, ſicque ipſe noua officia excogitata pluribus impartiendo ſibi eos deuinciret.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XXXVII.

*Triumuiratum legendi Senatus, & alterum recognoſcendi turmas equitum, quotieſcumque opus eſſet.*

SEnatum primo legiſſe Reges, Liuius *lib.1.* mox Conſules primos, *lib.2.* deinde Cenſores, poſtremo Dictatorem, *lib.23.& 37.* & pluries etiam alibi clare docuit; Verum quum Imperatores ad ſeipſos Regiam, Conſularem, Cenſoriam & Dictatoriam poteſtatem auocaſſent, etiam ipſi Senatores ex libito faciebant, quod ſuperius *cap.25.* Auguſtum feciſſe, tradit Suetonius. Cum autem idem vellet, vt plures adminiſtrandæ Reipublicæ partem acciperent, nouos magiſtratus excogitauit, vel veteres intermiſſos renouauit. Inter nouos fuit electio Triumuirorum, quibus eſſet poteſtas legendi Senatum, & alterum Triumuiratum, qui recognoſcerent turmas equitum, quandocunque opus eſſet. Curioſus aliquis quærit, cur potius Triumuiratum vtriuſque rei fecerit, quam Duum, quatuor, quinque, &c. Cui ſatisfieri poſſet, ſi ternarii numeri excellentiam omnibus

magni factam huius cauſam aſſignamus. Præterea, ternarius numerus in magiſtratu, nec deficiens, nec ſuperabundans videtur ad prædicta munia obeunda. Ob id & multos alios magiſtratus ternario numero comprehenſos legimus. Ita Triumuiri capitales, Triumuiri monetales, Triumuiri legendæ multitudinis in bellum, ſeu delectui faciendo, Triumuiri ſacris conquirendis, & donis proſignandis, Triumuiri ædibus reficiendis, Triumuiri Reipublicæ conſtituendæ, Triumuiri agris diuidendis, Triumuiri coloniis deducendis & ſupplendis, Triumuiri nocturni, & Triumuiri epulares. De quibus omnibus alias fuſius.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XXXVII.

*Cenſores creari deſcitos longo interuallo, creauit, numerum Prætorum auxit.*

SI quæ materia in hiſtoria ſcriptores fatigauit, ea eſt, quæ de re Prætorum numero pertractatur: ſiquidem de ea re varii varia ſcripſere, ita tamen citra diſtinctionem, vt nouæ ſemper difficultates emergerent, quarum emendationem facile habebimus, præmiſſa diſtinctione, quod Prætorum alii Romanis fuere *Vrbani*, id eſt, in vrbe degentes, ibique magiſtratum exercentes, alii vero *Prouinciales*, & in prouincias profecti, & ius dicentes, & cætera munia Prętorum obeuntes. Hoc ſtante, ſciendum, non omnes conuenire, quo tempore primum Prætoris officium inſtitutum ſit apud Romanos; nam aliqui ex Liuii authoritate *lib*.7. contendunt, anno ab V.C.387. primum Prætorem Sp.Furium, M.F.Camillum ex Patribus creatum, quum & ipſi plebeium fieri Conſulem alterum permiſiſſent, qui Pretor in vrbe ius diceret; nam ante illud tempus aliquando Senatus, Conſules interdum, nonnunquam populus ipſe ius dicebat. Alii vero antiquiorem Prætoris magiſtratum faciunt, ex eiuſdem Liuii authoritate *lib*.3. quo loco meminit vetuſtæ legis de clauo figendo: *Lex vetuſta* (inquit) *eſt priſcis literis verbiſq; ſcripta, vt qui Prætor maximus ſit, is Idibus Septembri-*

*ptembribus clauum figat.* Quod & Feſtus ſeu Paulus apud eum in dictione *Pretoria* videtur confirmare, quum ait: *Pretoria porta in caſtris appellatur, qua exercitus in prælium educitur, quia initio Pretores erant, qui nunc Conſules, & ij bella adminiſtrabant, quorum tabernaculum quoq; dicebatur Pretorium.* Hæ tamen ſententiæ conciliari poſſunt, ſi dixerimus, imperantibus Regibus, nec etiam Conſulibus, ante dictum tempus nullos fuiſſe Prætores, de quibus verba facimus, ſed primum Prætorem creatum Sp. Furium. Et ad authoritates Liuii & Feſti ita ſatisfaciendum: Prætorem maximum Liuio intelligi Conſulem primum ſeu maiorem appellatum, quod eius verba ſubſequentia oſtendunt; ait enim ſtatim, indicans, quis eſſet ille Prætor. A Conſulibus poſtea ad Dictatores, quod maius imperium erat, ſolemne claui figendi translatum eſt. Ex quibus clare percipitur, per Prætorem maximum Conſulem intellexiſſe; Quod & Feſti verba allegata teſtantur, dum ait: *Quia initio Pretores erant, qui nunc Conſules, id eſt, quia Conſulibus & Pretoribus idem munus & eadem poteſtas erat, præterquam quod Conſules maius imperium habebant.* Prætor enim dictus, qui præerat iuri & exercitui, teſte Varrone 4. *de lingua Latina*, & Cic. 3. *de Legib.* quod munus ad Prætores, necnon ad Conſules ſpectaſſe, omnibus receptum eſt. Hinc factum, quod exactis Regibus, qui hæc munia pacis tempore obibant, & progredientes in bellum, Præfectum vrbis ad ea ſubſtituebant, Conſules aliquando ob id Prætores vocati, non quod, vt inepte quidam tradũt, initio Prætores fuerint, qui poſtea Conſules appellati ſint, (hoc enim ab hiſtoria Romana alieniſſimum eſt, ex Gellio *lib.* 12. *cap.* 14. vt docet L. Charunda *lib.* 1. *antiquit. Rom. cap.* 13. qui tamen in eo, vt ego ſentio, hallucinatur, quum Reges per Prætores bella geſſiſſe tradit; (id enim nullibi, nec ab aliquo ſcriptis mandatum legimus) ſed Reges ipſos bella geſſiſſe, Præfectis vrbis Romæ relictis, qui rebus omnibus adminiſtrandis præeſſent, & quaſi Proreges eſſent, vt alibi fuſe demonſtrauimus; Vnde Iuſtinianum *Nouella* 25. hallucinatum non ambigimus, vbi de Prætore Lycaoniæ ſcribit, nomen Prætoris proprium Imperii Romani fuiſſe, &

Aa 2 ante

ante ipſos etiam Conſules in Republica vſurpatum, quum veteres Romani ſuos Imperatores *Prætores* appellarent; nullam enim Rempub. Romanam conſtitiſſe ſub Regibus, qui omnia pro libidine & voluntate faciebant, dicendum, & illis exactis, ſtatim Conſules creati L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, *ex Liu. in calce lib.* 1.

Sed vnde digreſſi ſumus, reuertentes, poſt Furium Spurium primum Prætorem, poſtea duo primum creati Prætores, anno ab V.C. DVIII. ex Liuii teſtimonio, *lib.* 19. à Poſthumio & C. Lutario Coſſ. vt ex Chronologia Sigonii, & ex eodem Liuio ibidem colligitur, non vt perperam tradidit Charunda loco citato, M. Fabio Buteone, & C. Atilio Balbo Coſſ. Horum autem Vrbicorum Prætorum alter *Vrbanus*, alter *Peregrinus* vocabatur, ille ciuibus inter ſe ius dicebat, hic inter ciues & peregrinos, vel inter peregrinos & peregrinos. Aliquando vni tantum Prætori iuriſdictio obueniebat, vt cui vrbana obtigerat, peregrina adderetur, quod Liuius *lib.* 25. ſcriptum reliquit de Publio Cornelio Sulla, qui Vrbanam & Peregrinam habuit, quæ antea duorum ſors erat. Et *lib.* 27. de C. Hoſtilio, cui vrbana iuriſdictio obuenerat, addita & peregrina à collega, vt ipſe cum aliis in prouincias exire poſſet. Hi Prætores priuatis iudiciis præerant, poſt conſtitutas quæſtiones perpetuas, quod Cicero *in Bruto* ait factum eſſe Cenſorino & Manlio Coſſ. qui eſt annus vrbis 605. in Chronologia Glareani ad Syllæ vſque tempora. His binis Prætoribus, Vrbano & Peregrino quatuor additi, qui publica iudicia exercerent, ſinguli de ſingula quæſtione; Erant enim quatuor publicæ quæſtiones tunc temporis, ſcilicet *repetundarum, ambitus, maieſtatis, & peculatus*. Dicebantur autem perpetuæ quæſtiones, tum quod lege erat præſcripta quædam forma perpetui iudicii de his rebus, vt lege noua opus non eſſet, tum quod in huiuſmodi prouinciis exercendis annuam prouinciam Prætores peragerent, & non quod antea fieri ſolebat, vt quum caſus tuliſſet, crearetur, qui iudicium exerceret, cui abſoluto iudicio nulla poteſtas de eadem re quærendi remanebat. Ad Syllæ itaque & Marii vſque tempora ſex fuere Præ-

re Prætores, quod docet Velleius Paterculus *lib. 1. Hiſt. Roman.* qui Sylla cauit, ne Prætor fieret, priuſquam fuiſſet Quæſtor, & ne eſſet Conſul, niſi per decennium poſt Præturam exercitam, teſte Appiano, *lib. 1. Bell. ciuil.* Quum itaque L. Cornelius Sylla Dictator perpetuus Quæſtionum numerum auxiſſet, addendo ſcilicet binas *de falſo, de veneno, & iudicio corrupto, de vi* ſcilicet, & *de ſicariis*; ita & decem extitere in totum Prætores, & tot fuiſſe Ciceronis tempore, colligimus ex ipſius orat. *pro Cluentio*, vbi habetur: *Quid ergo eſt? Hæc quæſtio ita ſola gubernatur? Quid M. Letorij & C. Flaminij inter ſicarios? Quid Corinthij peculatus? Quid mea de pecuniis repet. Quid C. Aquilij, apud quem de ambitu cauſa dicitur? Quid reliquæ quæſtiones?* Ex quo loco colligimus ſex diuerſos Prætores, qui quæſtiones publicas exercerent, duos qui inter ſicarios quærerent, vnum peculatus, alium repetundarum, alium ambitus, & alium qui ex lege Cornelia de veneno & iudicio corrupto quæreret, quod erat iudicium, de quo in Orat. Quanquam enim quæſtio de veneficiis, *lib.* 48. D. coniungatur cum quæſtione de ſicariis & veneficis; attamen ex præſenti Ciceronis loco clarum eſt, Ciceronis tempore alium Prætorem, præter duos, qui de ſicariis quęrerent, quæſtioni præfuiſſe, qui de veneficio & corruptis iudicibus cognoſceret. Præter has duas alias quæſtiones fuiſſe, quas Cicero complexus eſt ſub illis verbis: *Reliquæ quæſtiones quæ fuerunt de maieſtate & de vi.* Quod ex aliis Ciceronis locis colligi poteſt; Erat enim primum quæſtio *Maieſtatis*, ex lege Apuleia, vt intelligitur ex *lib. 2 de Orat.* vbi Cicero de cauſa Horbatia loquitur, quem Maieſtatis lege Apuleia poſtulatum, defendit Antonius. Poſt vero fuit lex Cornelia *maieſtatis*, cuius meminit Cicero *in Piſonem*. Quod autem eſſet iudicium proprium de maieſtate, clare demonſtrat Aſconius Pædianus in argumento orat. pro Cornelio, vbi legimus: *Sequenti anno, M. Lepido & L. Volcatio Coſſ. quo anno Prætor fuit Cicero, & dixit pro Cluentio, Caſſium Prætorem de Cornelia, quem Cominij fratres lege Cornelia reum maieſtatis fecerant, quæſiuiſſe.* Alium item Prætorem l. Plotia *de vi* quæſiuiſſe, colligimus ex Cicerone *pro Milone*, vbi habet, de Clo-

dio loquens: *Illi erat vt odiſſet primum defenſorem ſalutis meæ, deinde vexatorem facinoris, domitorem armorum ſuorum, poſtremo etiam accuſatorem ſuum*; Reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit. Præterea *lib.8.Epiſt.* Cælius ad Ciceronem ita ſcribit: *M.Tuccium accuſatorem ſuum poſt ludos Romanos reum l.Plotia de vi fecit.* Et Cicero ipſe lib.2.ad Atticum, in Epiſt. cuius initium eſt, *Quas Numeſtio literas*, ita ſcribit: *Nunc reus erat apud Craſſum diuitem Vectius de vi.* Deinde ex orationibus *pro Seſtio & pro Cælio*, clarum fit, inter quæſtiones ordinarias fuiſſe quæſtionem de vi, nam vterque accuſatus fuit de vi; quod etiam ex Saluſtio confirmatur *in coniuratione Catilinæ*, quem lege Plautia de vi à L.Paulo interrogatum ſcribit. Ex dictis itaque octo Prætores fuiſſe, qui de quæſtionibus ordinariis publicis cognoſcerent, conſtat, binos veró qui de priuatis, & ſic numerum decennalem eos non exceſſiſſe.

Nec obſtat, quod Cicero *in orat.pro Milone*, ſcriptum reliquerit, ſeptem Prætores de eius reditu conceſſiſſe. Et in Piſonem, & pro Seſtio: *Omnes Prætores præter vnum de ſui reditu promulgaſſe.* Vnde ſequitur, omnes Prætores octo tantum fuiſſe, & non decem, vt ſtatuimus, nam hæc, quæ alioquin ex modernis ſcriptoribus nonnullos maxime fatigarunt, nihil obſtant. Nam quum reditus Ciceronis cauſa publica eſſet, cui dubium, de ea tantum Prætores quæſtionibus publicis præfectos, conſuluiſſe & pertractaſſe? & ita tantum octo, quibus ſi addamus priuatarum cauſarum cognitores Prætores binos, numerus decennalis clare ſubſiſtit. Illud autem hoc loco non omittendum, ſemper apud Liuium Prætoriam vrbanam iuriſdictionem peregrinæ opponi, vt lib.22. *Romæ iuris dicendi vrbana ſors Pomponio, peregrina P.Furio Philo. euenit.* Et lib.33. *L.Apuſtius Fullo vrbanam, M.Acilius Glabrio peregrinam ſortiti.* Et lib.40. *Illa M.Ogulnio Gallo, hac M.Valerio obuenit.* Et lib.41. *L.Papyrius Maſo vrbanam, M. Aburius peregrinam ſortiti ſunt.* Et lib.42. *M.Attilius Serranus vrbanam, C.Clunius Sexula peregrinam.* Honoratiorem autem vrbanam peregrina fuiſſe, Appianus & Dion clare demonſtrant, ille *lib. de bello ciuili* 2. vbi ſcribit, Brutum & Caſſium

Præto-

Prætores deſignatos inter ſe contendiſſe, vter vrbanam obtineret. Hic autem *lib.*42. vbi narrat, Prætorem Cæcilium indigne tuliſſe, quod Cæſar vrbanam collegæ Trebonio dediſſet. Quod etiam manifeſte Cicero *in orat. pro Murana*, demonſtrat, cuius ætate Prætores decem extitiſſe, ſuperius diximus. Vnde erraſſe conſtat Pomponium Iuriſperitum, *l.2.§ deinde Caius*, & cum eo Alexandrum ab Alexandro, *libro 2. cap.15.* qui videtur aſſeuerare, Iulium Cæſarem binos Prætores addidiſſe, Cereales dictos, quibus commeatus frumentique, vbi deeſſet, inuehendi cura demandata fuit; Namque id nullibi apud Hiſtoricos legimus; quamuis enim Suetonius *in Cæſare, cap.*41. ſcribit, eum Prætorum numerum ampliaſſe, non ob id tamen decennalem numerum exceſſiſſe, dicendum, quum Ciceronis tempore, qui ſub Cæſare viguit, plures non fuiſſe, ſatis aperte declarauerimus, ſed ſolum ex decem enumeratis aliquos elegiſſe. Et Dion *libro* 48. docet, Cæſarem decem Prætores ad inſequentem annum deſignaſſe; Nam Auguſtum, eius ſucceſſorem in Imperio, Prętorũ numerum auxiſſe, ſcribit idem Sueton. hoc in loco; hos autem additos curam ærarii, quod prius Quæſtorium munus erat, tranſportaſſe, antecedenti c.36. docuit, hosq; binos fuiſſe, credendum, ſcribente Cor. Tacito, *lib.1. de Tiberio*, ita: *Candidatos Pratura* 12. *nominauit numerum ab Auguſto traditum, & hortante Senatu, vt augeretur, iureiurando obſtrinxit, ſe non exceſſurum.* Nec minus veritati conſentaneũ, quod in dicta lege ſcriptũ legimus, ſcilic. T. Claudium duos Prætores adieciſſe, qui de fideicommiſſis ius dicerent. Nam Suet. in illo, *c.23.* ait, iuriſdictionem de fideicommiſſis quotannis, & tantum in vrbe delegari magiſtratibus ſolitam in perpetuum, atque etiam per prouincias poteſtatibus demandauit. Sed dato, Poteſtatem & Prætorem idem fuiſſe, aliud eſt certe augere illorum numerum, aliud Prætoribus fideicommiſſorum iuriſdictionem demandare. Nec minus, quod ibidẽ Pomponius tradit, vllibi legimus, D. Titum & D. Neruam hunc Prætorũ numerum immutaſſe, illum vnum demendo, hunc vnum addendo, qui inter fiſcum & priuatos ius diceret. Nec enim eodem

modo, quum Iulius Capitolinus M. Antoninum Philoſophum tutores à Coſſ. antea peti ſolitos à pupillis, proprio magiſtratui demandaſſe ſcribit, qui tutelaris dictus eſt, ob id dicendum, Prætorum numerum eum auxiſſe. Quod ſi apud Dionem, præſertim *lib.* 42. legimus, Cæſarem tantum decem Prætores deſignaſſe, alio vero libro, quatuordecim feciſſe, & Auguſtum vno anno ſexdecim, tot enim eo anno magiſtratum petebant, nec ex iis aliquem offendere Auguſtus volebat, Tiberium vero nunc 15. nunc 16. Prætores, nonnunquam vno aut duobus plures paucioresve factos fuiſſe. Sic & lis & varietas concilianda, nempe non ſolum tunc de vrbis Prætoribus Dionem aliosve ita ſcribentes, verba facere, ſed prouinciales Prætores cum vrbicis promiſcue mixtos; numerus autem Prætorum prouincialium variatus, prout Romano Imperio hæc vel alia prouincia pluresve additæ, & Prætoriæ modo, modo Conſulares pro libito imperantium factæ, ex quo Prætorum numerus variatus, modoq; auctus, modo diminutus. Ita Liuius *lib.* 33. 34. 35. *& lib.* 41. *&* 49. vbi Prætores annuos creatos enumerat, vrbicos à Prouincialibus in ſortiendis prouinciis ſecernit. Quod ſi Vrbicos in prouincias profectos, easque ſortitos legamus, id non eodem anno factum clare legenti innoteſcet, ſed priore anno in vrbe, & ſequenti in prouincia Præturam geſſiſſe. Hinc intelligimus, quod dictum eſt per Pomponium I. C. *in d. l.* 2. *§. capta deinde Sardinia*, *de origin. iur. in Pandect.* ſcilicet capta Sardinia, Sicilia, Hiſpania, & Narbonenſi prouincia, tot Prætores creatos. Poſtremis autem Imperatoribus regnantibus, Prætorum numerum in vrbe auctum, tres namque in vrbe creati iuſſere Martianus & Valentianus, per ſingulos annos iudicio Senatus ex iis, qui in vrbe haberent larem, non in prouinciis, quod colligitur ex *l. fin. C. de offic. Prat. lib.* 1. *C. tit.* 42. Verum Leo Imperator poſtea *Nouella conſtitutione*, inter excuſas 47. ademit poteſtatem præficiendi hos Prætores in vrbe, & ad poteſtatem Imperatoriam tranſtulit tit. *περὶ τῆς ἐκβολῆς τοῦ διδόντος νόμον τοῖς βουλευταῖς στρατηγῶν, καὶ ἄλλων τινῶν ἀρχῶν προβολὴν*; Ciceronis autem tempore Prætores creabantur

à Senatu

à Senatu & populo; ſcribit enim lib. de Legibus: *Prætor eſto quoſcunque Senatus creauerit, populuſque iuſſerit, tot eſto.* Quamuis hanc legem non vere viguiſſe, ſed à Cicerone ad inſtar Platonis confictam nonnulli exiſtiment. Quod tamen & apud Iuriſtas habemus ex l. *Barbarius Philippus, de off. Præto. lib.* 1. *Pandect. tit.* 14. Comitiis enim Centuriatis Prætores authoritate Senatus creabantur, quod docuit A. Gellius *lib.* 13. *c.* 14. ex Meſſala *lib.* 1. *de auſpiciis*, & Cicero per initia orat. *pro lege Manilia*, clare docet.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XXXVIII.

*Nec parcior in bellica virtute honoranda, ſuper triginta Ducibus iuſtos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curauit, &c.*

APud Romanos triumphum ſummum honoris fuiſſe cumulum ex hiſtorica lectione ita colligimus, vt nemini id dubium eſſe debeat, ita vt iure apud Liuium *lib.* 20. Scipio Africanus dixerit, nihil magnificentius quicquam apud Romanos eſſe triumpho. Hic vero Reipub. temporibus non niſi Principibus viris ob victoriam de hoſtibus partam concedebatur, multis etiam legibus præſcriptis, quæ ne irritæ eſſent, multoties præclariſſimis viris re optime & ſtrenue in bello geſta triumphum expoſtulantibus, negatum non ſemel legimus. Inter has autem leges prima fuit, quod quamuis aliqui Imperatores exercituum res triumpho dignas geſſiſſent, ſi tamen neque Dictator, neque Conſul, aut Prætor exercitui præfuiſſent, cum abſoluta & legitima poteſtate, triumphare nequirent. Quod Plutarchus *in vita Scipionis*, teſtatum reliquit, & clarius Liuius *lib.* 28. vbi ſcribit, P. Scipionem, quamuis in Hiſpania multa oppida ex hoſtibus vi cœpiſſet, & multas gentes in deditionem Populi Romani redegiſſet, & aduerſus quatuor Imperatores, quatuor victores exercitus duxiſſet, ob has res tamẽ geſtas magis tentaſſe triumphandi ſpem, quam pertinaciter petiiſſe, quia neminem ad eam diem triumphaſſe, qui ſine magiſtratu res

geſſiſſet,cõſtabat. Et *lib.* 31. ſcriptum legimus, L. Cornelium Lentulum Proconſulem ex Hiſpania reuerſum, rebus feliciter geſtis, petiiſſe ſibi decerni triumphum, Senatum vero res geſtas triumpho dignas cenſuiſſe, ſed exemplum à Maioribus non accepiſſe, vt qui neque Dictator, neque Conſul, neque Prætor res geſſiſſet, triumpharet, Proconſulem illum Hiſpaniam Prouinciam, niſi Cõſulem, aut Prætorem obtinuiſſe. Cui legi & poſtea derogatum, apud eundem Liuium obſeruamus, vti *lib.* 40. vbi L. Æmilium Paulum Proconſulem de Liguribus Ingaunis triumphaſſe ſcribit. Et *lib.* 39. Cn. Manlium Proconſulem de Gallis, qui Aſiam incolunt, triumphaſſe. Et *lib.* 36. M. Acilium Proconſulem de Rege Antiocho & Ætolis triumphaſſe, quum eodem tempore Q. Minucio Proconſuli de Liguribus triumphus denegatus eſſet, & Seruilium Proconſulem de Cilicibus & Iſauris triumphaſſe tradidit Sextus Rufus *de Hiſt. Romanorum*, vbi de Sicilia & Iſauria. Sed quod maius eſt, progrediente tempore & Pompeium magnum, Equitem, non Senatorem, & adhuc adoleſcentulum Africa deuicta, & ſuperato Sertorio triumphaſſe teſtis eſt locupletiſſimus, Plinius *libro ſeptimo, cap.* 26. Et in Liuiana Epit. *lib.* 89. legimus, eundem 24. annos natum, adhuc Equitem Romanum, quod nulli antea contigerat, ex Africa triumphaſſe. Et Hircius *in bello Africano*, inquit: *Adoleſcentulus atque Eques Romanus triumphauit.* Quod & Valerius Maximus *libro* 8. *cap.* 16. & Plutarchus *in Mario*, non ſemel teſtati ſunt. Poſtremo Republica ab Imperatoribus occupata, eo res deuenit, vt Ducibus iuſta triumpha ad Imperatorum nutum concederentur, quod ex præſenti loco clariſſimum fit. Præterea, quum olim penes Senatum duntaxat facultas eſſet decernendi triumphum, quemadmodum teſtatum reliquit Liuius *lib.* 2. per hæc verba: *Nunquam antea de Triumpho per populum actum, ſemper æſtimationem arbitriumque eius honoris penes Senatum fuiſſe, ne Reges quidem maieſtatem ſummi ordinis imminuiſſe.* Conſules L. Valerius & M. Horatius, victis Sabinis & Volſcis primi fuere, qui negante Senatu, populi iuſſu, & authoritate Romæ triumphum egere, *ex eodem Liuio eodem in loco.* Et C. Marcius Rutilius

lius Dictator primus de plebe dictus hoſtibus captis, cæſis, & ex agro Romano fugatis, ſine authoritate Patrum, populi iuſſu Romæ triumphauit, *ex eodem Liuio lib. 7. & Dionyſio Halycarnaſſ. lib. 2.* & M. Attilius Conſul Samnio atque Hetruria ſubactis, negante Senatu triumphum, nec populo iubente, auxilio tantum Tribunorum Plebis trium, aduerſus interceſſionem ſeptem Tribunorum, & conſenſum Senatus, celebrante populo diem, triumphauit. Nonnullos etiam ſine authoritate publica triumphaſſe legimus, non Romæ quidem, ſed in monte Albano. Quod C. Cicereium Prætorem ſubacta Corſica feciſſe ſcribit Liuius *lib. 6* 1. per hęc verba de eo loquens: *Is expoſitis, quas in Corſica geſſiſſet, poſtulatoq; fruſtra triumpho, in monte Albano, quod iam in morem venerat, vt ſine authoritate publica fieret, triumphauit.* Quod & M. Papirium Maſſonem feciſſe, authores ſunt Val. Max. *lib. 3. c. 6.* & Plinius *lib. 15. cap. 20.* & M. Marcellum, ex Plutarcho *in illius vita*, & Liuio *lib. 36.* & authore *de viris illuſtribus cap. 41.* ſi is eſt Plinius ſecundus, aut alius. Et Q. Minutium, ex Liuio *libro 33.* & Pub. Seruilium Priſcum, apud Dion. Halycar. *lib. 6.* Reipub. poſtea ab Imperatoribus occupata libertate, ex eorum arbitrio & libito decreti triumphi, qui vt diximus, non niſi authoritate Senatus, vel iuſſu Populi decerni cõſueuerant, vel amborum, ſcilicet Senatus decreto, & Populi iuſſu ſimul. Ita Aulo Cornelio Coſſo Dictatori ex S.C. & populi iuſſu in vrbe triumphus datus, *ex Liuio lib. 4.* Eoque res deducta, vt non modo Imperatores ipſi, ſed & eorum Duces magnos triumphos haberent, quos hic Suet. *iuſtos* appellat, id eſt, magnos. Ita Aſconius *iuſtas inimicitias*, pro *magnas*; apud Cic. expoſuit, omnibus ſcilicet numeris abſolutos, plenos inquam, & ſuetis ceremoniis omnibus celebratos, quorum meminit Cic. *in Piſonem*, inquiens: *Quid tandem habet iſte currus? Quid vincti ante currum Duces? Quid ſimulacra oppidorum? Quid aurum? Quid argentum? Quid legati in equis & Tribuni? Quid clamor militum? Quid tota illa pompa? Quid vehi per Vrbem?* Quæ autem à Romanis in triumphali pompa fierent, legi poſſunt fuſe deſcripta ab Alex. ab Alex. *lib. & c. 6.*] Poſſumus etiã exponere *iuſtos triumphos*, id eſt, legitimos, & veros, & meritos,

ex ipſo Cic. qui *Epiſt.66.* habet: *Quaſi vero non iuſtiſſimi triumphi in Dalmatia res geſſerim.* Et in Philipp. ſcribit: *Is demum eſt mea ſententia verus triumphus ac iuſtus, quum bene de Republica meritis teſtimonium à conſenſu Ciuitatis datur.* Triumphalia ornamenta interpretantur nonnulli, honores aſſuetos dari triumphalibus viris, id eſt, qui triumphum geſſiſſent, ſicuti locum in Circo ad ſpectandum, cum Laurea & Sella curuli, inter viros triumphales & Conſulares, qui honor ad poſteros etiam tranſiret, cum veſte etiam triumphali, & ſtatua in foro. Ita Liuius *lib.* 2. de M. Valerio Dictatore verba faciens ſcribit: *Super ſolitos honores locus in Circo ipſi poſteriſque ad ſpectandum datus, ſella in eo loco curulis poſita.* Plinius, vel quiſquis eſt, qui illum elegantiſſimum librum edidit, *cap.*54. L. Paulo Æmilio conceſſum fuiſſe, vt in veſte triumphali ludos ſpectaret. Et Liuius circa finem *lib.*9 tradit, Q. Martio Tremulo triumphanti de Hernicis, ſtatuam equeſtrem in foro decretam. Verum ſi hæc intimius ſpectemus, & verbis Suet. conferamus, illorum ſenſui genuino haud congruere dignoſcemus, ſiquidem hi honores poſt triumphum viris illuſtribus decreti fuere. At hic Suet. ait, compluribus triumphi loco triumphalia ornamenta data, alias ſequeretur, plures vltra triumphum percepiſſe ornamenta triumphalia, quam qui triumphum iuſtum obtinuiſſent, quod haud veriſimile eſt, nec narrationi Suet. conſonum. Quamobrem rectius dicendum, per triumphalia ornamenta intelligenda, quæ triumphantibus dari ſolebant, quibus ornamentis Scipio Maſſiniſſam Regem honeſtauit, apud Liuium *lib.* 30. vbi ita legimus: *Ibi Maſiniſſam primum Regem appellatum, eximiiſque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, ſella curuli eburnea, & ſcipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat, addit verbis honorem, neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu eſſe, quo vnum omnium exterorum dignum Maſſaniſſam populus Romanus ducat.*

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. XXXVIII.

*Liberis Senatorum, quo celerius Reipub. aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clauum induere, & Curiæ intereſſe permiſit.*

PAtritii pueri pertexta vtebantur vſque ad 17. annum, quo anno togam virilem accipiebant, tuncque in viros militaris ætatis recipi incipiebant, quod ex Gellio *lib.* 10. *cap.* 28. clare percipitur, & quoque docet Plinius *lib.* 35. vbi ſcribit, inopia iuniorum creatos Triumuiros, qui vndique ingenuorum copiam perquirerent, eoſque etſi nondum militari ætate eſſent, milites facerent, ſi modo ſatis roboris ad ferenda arma habere viderentur. Et paulo poſt, quos vocarat militari ætate, appellat minores ſeptem & decem annis; vnde neceſſario efficitur militarem ætatem fuiſſe anno 17. Quod vero Senatorum liberi prætextam deponerent, & togam aſſumerent, habemus ex Cic. *de Amicitia*, vbi inquit: *Pueri togam ſumentes, Prætextam deponebant.* Et Horatius lib. 1. Carm. Ode 36.

*Memor actæ non alio rege pueritiæ,*
*Mutatæque ſimul togæ.*

Et Seneca lib. Epiſt. 1. *Tenes vtique memoria, quantum gaudium ſenſeris, quum prætexta poſita ſumpſiſti virilem togam, & in forum deductus es.* Quamuis autem legitima ætas ſumendi virilem togam, & initiandi ad militiam, Senatoriis pueris eſſet annus 17. nihilominus Auguſtum, teſte Sueto. *in illius vita, c.* 8. anno ætatis ſuæ 16. eam aſſumpſiſſe cognoſcimus, dum ſcribit: *Quadrimus Patrem amiſit, duodecimum agens annum auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit, quadriennio poſt virili toga ſumpta, militaribuſque donis triumpho Cæſaris Africano donatus eſt, quamquam expers belli propter ætatem.* Quamobrem haud mirãdum ſi & ipſe facile liberis Senatorum ante legitimum tempus ſumendi virilem togam, atque militiam auſpicandi, veniam fecit. Hinc poſtea factum, quod Cornelius Tacitus *lib.* 12 *Annal.* ſcribit, nempe: *T. L. Claudio quintum, & Ser. Cor. Orfito Coſſ. virilis toga maturata, quo capeſſendæ Reipublicæ habilis videre-*

*videretur.* Iulius Capitolinus *in vita Antonini Philoſophi* ſcribit, eum virilem togam ſumpſiſſe quintodecimo ætatis anno. Sunt qui legant præſentem locum Virgilii, *togæ latumclauum inducere*, vel *induere*, quam lectionem probant Obert. Giſanius, & Leuinius Torrentius, quod tamen nobis non placet, ſiquidem, etſi poſt tempus, quo toga virilis aſſumebatur, & latumclauum indui ſolitum in lectione hiſtorica obſeruemus, vti in Suetonio infra in Veſp. cap. 11. *Sumpta virili toga, latumclauum, quamquam fratre adempto, diu auerſatus eſt.* Huic tamen ſententiæ aduerſari videtur alius Suetonii locus *in Aug. cap.* 71. vbi legimus: *Sumenti virilem togam tunicam laticlaua reſuta ex vtraque parte ad pedes decidit*; ex quibus inferri poſſe videtur, prius & ſubtus latumclauum indutum, quam togam virilem, quæ exterior veſtis erat, vti manifeſte colligi poteſt ex his, quæ alibi fuſe de toga ſcripſimus, & paſſim obſeruatur in lectione hiſtorica. Non itaque aſſentiri poſſumus lectioni à doctiſſimis viris propoſitæ, niſi dixerimus, eos intellexiſſe non de ordine veſtium in veſtiendo corpore, ſed de tempore, quod ſcilicet poſt togam virilem aſſumerent laticlauum, quo efficiebatur vt ad munia Reipublicæ capeſſenda habiles redderentur; Quod tamen laticlauum ſub toga veſtiebatur. Vnde Dion de re hac eadem verba faciens, quemadmodum & Suetonius tunicam laticlaui ὀχιτῶν vocauit; quamuis interpres illius perperam *togam* verterit. Nec repugnat, vna & eadem hora Auguſtum indutum & laticlauum & togam virilem, ſed primum clauum tanquam veſtem ſub toga veſtiri ſolitam; Quamuis prius admitterentur Senatorii iuuenes ad togam virilem, mox ad laticlauum. Ex quibus conciliari facile poſſunt loca & ſententiæ diuerſæ & prima facie inter ſe pugnantes. Laticlauum autem ſuperius *in Cæſare, capite quadrageſimoquinto*, oſtendimus Senatoriam veſtem fuiſſe, quod & clare ex hoc loco Suetonii innoteſcit, quum filios Senatorum latumclauum induere protinus permiſiſſe Auguſtum tradit. A qua veſte, & *laticlauos* Senatores viros dictos pariter hoc loco obſeruamus. Plinius *libro* 33. *cap.* 2. ſcribit, Tunicam laticlaui Senatorem ab Equite, vt annulum Equeſtrem

ſtrem ordinem à Plebe,diſtiuguere. Alexan. ab Alexandro *libro ſecundo, capite vigeſimonono* tradit, Equitibus Cæſares laticlauum diſtinctum tantum à Senatorio honoris ornamentum conceſſiſſe; cuius rei tamen nullam authoritatem nec rationem adducit, nec minus *in Annot.* Tiraquellus id facit, ſicco pede rem pertranſiens. Quamobrem, quod nos in librorum lectione obſeruauimus, adducimus pro intelligentia & diſcuſſione propoſitionis Alexandri. Apud Suetonium *in Othone, capite decimo,* legimus,bello Othoniano interfuiſſe Suetonium Lenem ipſius Suetonii patrem, tertiædecimæ legionis Tribunum anguſticlauium, (ita enim legendum,non *auguſticlauium*, eo in loco clare demonſtrabimus) ex quo loco colligimus, veſtem laticlauiam alia ab Anguſticlauia fuiſſe, illa vtebantur Senatorii viri, iſta Equeſtris ordinis; quumque Tribuni militum alii Senatorii eſſent ordinis, alii Equeſtris ordinis ad Tribunatum euecti, illi latumclauum, hi anguſticlauium induebant; vnde Tribuni ſi qui erant maioris dignitatis, *laticlauii* dicti,qui minoris, *anguſticlauii.* Quod vero Tribuni militum ex Senatoriis viris eligerentur, ex hoc Suetonii loco colligitur, & paſſi in hiſtorica lectione obſeruatur; ex Equeſtri vero ordine, & eoſdem etiam creatos colligimus clare ex Polybio *libro ſexto, de Repub.* & in Cicerone *in ſecunda in Verr.* vbi tradit, M. Capereium ex acerrima Equeſtri familia Tribunum militum deſignatum. Et ideo Suetonius quum hic de liberis Senatorum verba faciat, *laticlauos* eos appellat. In Othone vero de patre ſuo Tribuno ex Equeſtri ordine, *anguſticlauium* dicit. Et in Auguſto *cap.* 73. Suet. idem, Auguſtum tradit vſum clauo, nec lato, nec anguſto, quod eum feciſſe coniiciendum, vt tam Senatorio quam Equeſtri placeret. Vnde forte illud Ouidii:

*Curia reſtabat, claui menſura coacta eſt.*

Varro *libro* 8. *de lingua Lat.* vtriuſque claui, anguſti & lati, verba facit. Laticlaui apud ſcriptores paſſim leguntur exempla; anguſti non ita frequens mentio. Huius tamen meminit Papinianus *Syluarum libro* 4. ex caſtigatione Turnebi ſcribens:

*Hic*

*Hic paruus inter pignora Curiæ,*
*Contentus arcto lumine purpura*
*Creſcens,&c.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XXXVIII.

*Militiamq; auſpicantibus non Tribunatum modo Legionum, ſed & Præfecturas alarum dedit.*

VNamquamque legionem ex peditibus & equitibus apud Romanos cōſtitiſſe adeo clarum eſt, vt nulla prorſus indigeat probatione. Equites vero vniuſcuiuſque ita diuiſos conſtat, vt pars turmis continerentur, & in ipſius legionis (vt ita dicā) corpore; pars vero quæ latera circū ſepiret, & hi alis conſtabant, quod potiſſimum elicimus ex Liuio *lib.* 40. ſcribente: Pugnantibus Romanis cum Celtiberis, Flaccum iuſſiſſe duplicari turmas, equites ſcilicet duarum legionum,& immitti in hoſtium cuneos; quo facto, & diſſipato cuneo, Alarii equites quum vidiſſent tam memorabile Romanorum equitum facinus, & ipſi eorum virtute accenſi, ſine vllius imperio in perturbatos iam hoſtes equos immiſere, Celtiberoſque omnes in fugam effudere. De turmis equitum Varro *lib.* 1. *aut* 4. ſecundum aliorum computationem, *de ling. Lat.* Sex. Pompeius *in ver. turmam*, & Veget.*lib.*2.*rei milit.c.*14.& Virg.*lib.*5.*AEneid.* vbi ait.

*Tres equitum turmæ.*

Et Cic.ad Att. *Appius noſter turmas aliquot equitum dederat.* Et in Epiſt. Fam. *Equitum turma,&c.* Hinc *Turmales*, turmarum equites dicti. Ita Liuius lib. 5. *Manlius Conſulis filius ſupra caſtra hoſtium cum ſuis turmalibus euaſit.* Alæ vero quæ cōſtabant ex equitibus,ita dictæ,quia,ſicuti alæ à lateribus auium ſunt conſtitutæ, ita in legione & acie, huiuſmodi equites, veluti alæ muniebant latera, vti docet Vegetius *lib.*2. *rei milit. cap.*1. Ita Aulus Gellius *lib.* 10. *cap.* 9. inſtructæ aciei vocabula recenſens meminit & alę,ſed clarius *lib.*16. *c.*4. inquit: *Alæ dictæ exercitus equitum ordines,quod circum legiones dextra ſiniſtraq; alæ, tanquam alæ in auium corporibus locabantur.* De his Virg.4.Æne.

*Dum*

*Dum trepidant alæ ſaltuſq; indagine cingunt.*
Et Cicero 2. Offic. *Quo in bello te Pompeius alæ alteri præfecit.* Senſus itaque literæ Suet.eſt, Auguſtum laticlauiis militiam auſpicantibus, dediſſe nõ modo tribunatum legionum, ſed & præfecturas alarum. Cic. *in orat pro Cluentio* ſcribit: *Qui M. AEmilio clariſſimo viro legati & Præfecti & Tribuni militares fuerunt.* Ex quibus colligimus, ſecundum ordinem enumerationis, Præfecturam alæ, ſicuti minor erat legatione, ita minorem Tribunatu militari fuiſſe. Quibus tamen & aliud Suet.dictum *in Claudio,c.25.* aperte contrariari videtur, quum hic maiorem gradum pręfecturam alarum Tribunatu legionum fuiſſe, manifeſte innuere videatur, altero vero loco econtra; ſcribit enim ita: *Equeſtres militias ita ordinauit, vt poſt cohortem alam, poſt alam Tribunatum legionũ daret*; ita vt minus dignam alæ Pręfecturam Tribunatu legionis faciat. Mihi certe nullo alio pacto contrarietatem hanc è medio tollendam ſubuenit, quam ſi dicamus, quod Auguſti tempore erat, id Claudium permutaſſe. Poſſumus etiam dicere, quod quum Romanis plus roboris in pedeſtrib. copiis eſſet, quod Plutarchus *in Fabio Max.* atteſtatur, dum inquit, ob id Dictatori non licuiſſe vti equo, vti in legione permaneret, nec locum deſereret; Tribunatũ militum alæ Præfecturæ honorabiliorem gradum Claudium cẽſuiſſe, quum alioquin equeſtris militia pedeſtri inſignior & præſtantior dubio procul ſit. Quamobrem Auguſtus alæ Præfecturam Tribunatum digniorem exiſtimauit. Quod tamen Suetonii dictorum cõcilium aliqui improbare poſſent, eo quod & Tribunos militum equis vſos obſeruemus, apud Cæſarem *lib 7 belli Gallici*, vbi ita legitur: *Eorum aduentu, quod minus idoneis equis vtebantur, à Tribunis militum, reliquiſq; equitibus Romanis, atq; euocatis, equos ſumit, Germaniſq; diſtribuit.* Et Cic. *in Piſonem* ait: *Legati in equis, & Tribuni.* Et Tac. lib. 1. vbi de Cæcinna: *Equos deinde, orſus à ſuis, legatorum, Tribunorumq; nulla ambitione, fortiſſimo cuiq; bellatori tradit.* cui obiectioni ſatisfaciẽdum putamus, dicentes, quod etſi Tribuni militum equos habebant, quibus vtebantur extra aciem & legionem, quod & hodie pedeſtrium copiarum duces & ductores facere ſcimus, nihilominus in

prælio eo non vtebantur, ſed pedites pugnabant. Quod ex lectione hiſtorica ſatis palam omnibus fiet.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. Cap. XXXVIII.

*Equitum turmas frequenter recognouit, poſt longam intercapedinem reducto more tranſuectionis, &c.*

TRanſuectionem noſtris temporibus vulgo *Monſtram* appellamus, quæ fit, quum Equites ſolemniter recenſentur. Hanc primum inſtitutam à Fabio Max. legimus, apud Liuium *in calce lib. 9.* fierique ſolitam Idibus Quintil. Quod & Val. Max. *lib. 2. c. 2. de inſtitutis antiquis*, refert, *equitum, que probationem* vocat; à Plutarcho in Pompeio, πάροδος dicitur, qua ad ſedentes in foro Cenſores vnumquemq; equitũ equum ſuum adduxiſſe ſcribit, & de ſtipendiis legitimis cõfectis interrogatum, rationem iis reddidiſſe. Ex Dionyſ. *lib. 6.* habemus, in honorem apparitionis caſtrorum eiuſq; victoriæ, quæ ad lacũ Regillum parta eſt, equites in equis ſedentes trãſuehi ſolitos à templo Martis extramurano pergentes per forum iuxta ædem Caſtrorum. Fiebat autẽ hæc trãſuectio Idib. Quintilibus, qua die apud lacũ Regillũ proſpere pugnatum eſt Caſtore & Polluce auxiliantibus. In tranſuectione Equites vehuntur coronati oliuarum ramis, indutique trabeis punicei coloris, ſecum geſtantes ornamenta, præmiaq; omnia fortitudinis, quæcunque in præliis ob rem bene geſtam à ductoribus ſuis receperant. Dion ſcribit inſtitutam tranſuectionẽ, ex quo A. Poſthumius ad Regillum lacum Latinos ingenti prælio vicit. Plinius *lib. 15. c. 4.* tradit, quod tranſuectionis die turmæ equitum coronabantur corona oleagina. Quare etſi omnes de hac re ſcribentes recentiores, de vna & eadem tranſuectione citatos ſcriptores antiquos vnanimiter loquutos exiſtiment, ego tamen cenſeo, quod duplex fuerit apud eos tranſuectionis genus, alterum ad pompam duntaxat inſtitutum, in memoriam ſcilicet partæ victoriæ ex Latinis; alterum vero ad militarem diſciplinam ſpectans, in quo Equites recenſebantur. Quod etiam ex Val.

Val. Max. loco citato colligere poſſumus, vbi habemus, Equeſtris ordinis iuuentutem omnibus annis *bis* Vrbem ſpectaculo ſui ſub magnis auctoribus celebraſſe die Lupercalium & Equitum probatione. Præterea video Dionyſium vocaſſe tranſuectionem, de qua agit loco citato πομπὴν τῶν ἐχόντων δημόσιον ἵππον, id eſt, pompam habentium equum publicum; at certe tranſuectio, in qua recenſentur equites, non eſt pompa, ſeu triumphus. Hanc veritatem olfeciſſe mihi videtur Vlp. *in l. 2. D. de in ius vocando*, quum ait: *Sed nec is, qui equo publico in cauſa publica tranſuehatur, ad tranſuectionem equitum referri debet à Fabio Max. inſtitutam*; quæ veritas etiam magis innoteſcet, ſi notæ illæ in textu C. A. P. interpretentur, non *cauſa publica*, ſed legamus in *Capitolio*, vel in *Caſtoris, & Pollucis*; quod adnotarunt doctiſſimi Iuriſperiti Iacobus Reuardus & Cuiacius. Hoc etiam probatur ex Iſocrate; nam à Græcis iſtud *tranſuehi* explicatur ὀχεῖσθαι διὰ τῆς ἀγορᾶς, id eſt, ſenſim equo mouere in foro; nam ſimilem legem fuiſſe apud Athenienſes teſtis eſt Demoſthenes in orat. κατὰ Μειδίου. De hac re plura author libri *de viris Illuſt. c. 32.* Illud ſane manifeſtum eſt, Suet. hoc loco de tranſuectione proprie acceptа, *monſtra* ſcilicet, loquutum. Quod ex ipſa textus lectione facile innoteſcit, quam inſtitutam legimus à Fabio Max. anno 449. ab V. C. Victoria vero illa ex Latinis parta auxilio Caſtoris & Pollucis fuit anno 255. ſi Liuio credimus, ex quo clare differentiam harum tranſuectionum colligere poſſumus, hallucinatumq; Dionyſium, dum pompam illam Idibus Quintilibus celebrari ſolitam, tradit eandem fuiſſe, de qua Liuius in vltimis verbis *lib. 9.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### Cap. XXXVIII.

*Mox reddendi equi gratiam fecit eis, qui maiores annorum quinq; & triginta eum retinere nollent, &c.*

Equitibus Romanis ex publica pecunia emptos equos aſſignatos, quibus militando vterentur, clare conſtat ex

Liuio *lib.*1.vbi inquit:*Romulo ordinante militia Romana ad equos emendos dena millia æris ex publico data, & quibus equos alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent*;ita vt Equitibus equos ex publico non ſolum aſſignatos, ſed & eoſdem alitos conſtet. Progrediente Repub. dabantur publici equi à Cenſoribus,Equitibus,ex Liuio *lib.*39. vbi ait,ex S.C. ſancitum, P. Ebutio merita ſtipendia eſſent, ne inuitus militaret, neve Cenſor ei equum publicum aſſignaret,ſicuti & ab iiſdem Cenſoribus adimebantur equi Equitibus notæ cauſa.Ita Liuius *lib.*24.tradit Cēſores Equitibus, qui poſt Cannenſem pugnam Remp. deſeruiſſe Italiaque exceſſiſſe velle dicebantur, equos ademiſſe, quos publicos habebant. Et lib. 34. à Cenſoribus in pœnam Equitibus perpaucis ademptos equos. Non ſolum autem Romanis Equites fuere milites, qui publicum equum haberent, ſed & qui equis priuatis militarent.Quod ſatis conſtat ex eodem Liuio *lib.*5. vbi ita ſcribit:*Quum repente quibus cenſus equeſter erat,equi publici non erant aſsignati, conſilio prius inter ſeſe habito Senatum adeunt, factaque dicendi poteſtate, equis ſe ſuis ſtipendia facturos promittunt*.Et *lib.*27.tradit,quod à Cenſoribus illis omnibus(& multi erant) adempti equi, qui Cannenſium legionum Equites in Sicilia erant, & addiderunt acerbitati etiam tempus,ne præterita ſtipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, ſed dena ſtipendia equis priuatis facerent. Qui itaque publicum equum habebant, ob ignominiam aliquam eo priuabantur,ita vt illis adimeretur à Cenſoribus; verum quia & Cenſores & ipſi aliquando equos publicos habebant,nonnunquam factum,vt alter Cenſor alterum equum publicum vendere cogeret, quod tradit Liuius *lib.*3. *circa finem*, inquiens, C. Claudium Neronem & M. Liuium Cenſores, ſimultates inuicem agentes vtrumque collegam equum vendere coegiſſe. Adimebatur itaque non ſolum equus Equiti in pœnam ob aliquod erratum graue, ſed & Equiti nimis pingui & corpulento, Cenſores equum adimere ſolitos, ex Catone adnotauit Gellius *lib.* 8. *cap.* 22. & hæc pœna grauis erat, qua Auguſtum ex improbatis Equitibus nōnullos multaſſe credēdum,alios vero minori pœna,

igno-

ignominia ſcilicet duntexat. Aulus Gellius *lib.4. c. 12.* ſcribit ex Catone. Equites Romanos equum habentes gracilentum aut parum nitidum, impolitiæ notari ſolitos. Et *lib.4. c.* 20. inquit: *Cenſores (referente Sabino Maſſurio) P. Scipio Naſica, & M. Pompilius, quum equitum cenſum agerent, equum nimis ſtrigoſum, & male habitum, ſed equitem eius vberrimum, & habitiſſimum viderunt, & cur (inquiunt) ita eſt, vt tu ſis quam equus curatior? Quoniam (inquit) ego me curo, equum Statius meus ſeruus, viſum eſt parum reuerens eſſe reſponſum, relatuſque in ærarios vt mos eſt; Alii vero Equites, qui minus deliquerant, admonitione tantum caſtigabantur oretenus, leuius vero tradito pugillario, quem tacitus Eques legebat*, vt in ſequenti capite docet Suetonius. Illud vero ſciendum, nonnunquam equitibus permiſſum in præmium, vt ſponte equum publicum redderent, quod Publio Ebutio factum ex Senatuſconſulto, ſuperius ex Liuio diximus. Nonnunquam & ob grauem ætatem, vel corporis labem aliquam, & Equiti ſine nota remittendi equum publicum venia dabatur; Quod hic docet Suet. feciſſe Auguſtum, ſciendum enim quod ex iis, qui inter Equites cenſi erant, quum primum ad 7. & 10. annos perueniſſent, militare cogebantur, & ſi id non feciſſent, ærarios faciebant, vt docet Liuius *libro* 27. & Gell. *libro* 10. *cap.* 28. Et *lib.* 32. idem Liuius inquit: *Dictator ex authoritate Patrum dictus M. Iunius, & T. Sempronius magiſter Equitum, & delecto edicto iuniores ab annis 17. & quoſdam prætextatos ſcribunt. Tribuni Plebis, ſi iis videretur, ad Populum ferrent, vti qui minores ſeptē & decem annis ſacramento dixiſſent, iis proinde ſtipendia procederent, vt ſi ſeptē & viginti annorū, aut maiores milites facti eſſent.* Vnde quum apud eundē Liu. *libro* 27. in aliquibus textibus legatur: *Poſt Cannenſem cladem, quod ii, qui ſexdecim annos nati fuerant, nec militauerant, omnes ærarii facti fuerant*; mendum in numerati nota eſſe ſuſpicandum, & loco *XVII. XVI.* ſcriptum, aliter ſibiipſi dictis in locis repugnaret, vnde in textu Pauli Manutii Venetiis edito, *XVII.* iure in hoc loco legitur. Ita quum primum aliquis ad ætatis ſuæ annum quadrageſimumſextum perueniſſet, *Seniores* appellabantur, ex Gellio *ibidem*, ex Tuberonis hiſtoria, & à militia immunes eſſe poterant. Sic habemus

 apud

apud Liuium libro 43. *Edictum à C.Claudio Pulchro,& T. Sempronio Graccho Cenſoribus factum huiuſmodi : Tu minor annis ſex & quadraginta.Tuq; ex edicto C.Claudii & Tiberii Sempronii Cenſorum ad delectum prodito, & quotieſcunq; delectus erit, quicunque Cenſores magiſtratum habebunt, ſi miles factus non eris, in delectum prodibis.* Ex quibus ſuſpicari licet, in Suetonii textu præſenti mendum eſſe,& loco *triginta*,legendum *quadraginta*,niſi dixerimus Auguſtum ampliorem & laxiorem libertatem remittendi militiam Equitibus conceſſiſſe,quam antea habere conſueuerant,quod tamē haud veriſimile videtur,quum ætas illa triginta quinque annorum vſq; ad quadraginta ſex videatur aptior cæteris ad militiam, quumque præter vires corporis, & animi prudentiam & ex militari experimento peritiam augeant. Polybius lib.6. tradit,pedites,qui ſextum & quadrageſimum annum attigerant, niſi in neceſſitate Reipubiicæ,ſtipendia facere non cogi,nec equites, qui decem ſtipendia feciſſent. Hinc mirandum,quod Seruius *in* 2. *Æneid.* ad illud,

*Fas mihi Graiorum ſacrata ſoluere iura,*

ſcripſerit,quod qui habent plenam militiam,quinque & viginti annis tenentur. Et iterum lib.7.ibi,

*Ipſe vocat pugnas, &c.*

tradit completa ſtipendia & militiæ tempora viginti quinque annis.Legimus quoq; apud Plutarchum *in C.Gracchi vita*,eum lege Sacrata ſanxiſſe, ne minores 17. annis, maiores 46.militiæ adſcriberentur; quod ita intelligēdum eſt, quod ſcilicet 46.annus fuerit tempus ordinarium vacationis militię,niſi qua vrgens neceſſitas cogeret maiores deligi.Ita Camillus contra Latinos & Volſcos vrgenter dimicaturus, ſeniores quibus adhuc vires ſuppeterent, in ſua verba iuratos centuriauit, teſte Plutarcho in illius vita. Scribit quoq; Liu. lib.10.*His nuntiis Senatus conterritus;Iuſtitium indicit,delectum omnis generis hominum haberi iuſsit, nec ingenui modo, & iuniores Sacramento addicti ſunt,ſed ſeniorum etiam cohortes factæ,libertinique ſuccenturiati.* Val.Max. *lib.* 2. & Plutarchus *in Mario*, teſtes ſunt, eum magnæ partis milites ſeniores, qui multa ſtipendia meruiſſent,& capite cenſos,ſacramēto aſciuiſſe; Et Liu.

*lib.*40.

*lib.*40, ſcriptum reliquit: *Imperatum à Senatu Q. Petilio Prætori, vt omnes minores 50. annis ſacramento legerentur.* Et rurſus lib. 42. *Illud præcipue datum ſorti Macedonicæ, vt Centuriones militeſq; veteres ſcriberet, quos vellet Conſul, vſq; ad 50. annos.* Et paulo poſt: *P. Licinius Conſul S. C. recitari iuſsit, primum, quod bellum Senatus Perſeo iuſsiſſet, deinde quod veteres Centuriones quamplurimum ad id bellum ſcribi cenſuiſſet, nec vlli, qui non maior annis 50. eſſet, vacationem militiæ eſſe.* Cornelius Nepos in vita Pomponii Attici tradit: *Incidit in Cæſarianum bellum ciuile, quum haberet annos circiter ſexaginta, vſus eſt ætatis vacatione, neque ſe quoque mouit ex Vrbe.* Quod intelligendum, non quod ætas 60. annorum vacationis eſſet terminus, ſed quod poſt 50. annum terminus vacationis eſſet. Siquidem Seneca lib. 2. de breuitate vitæ: *Lex,* inquit, *à quinquageſimo anno militem non cogit.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

## CAP. XL.

*Comitiis Tribunitiis ſi deeſſent candidati, Senatores ex Equitibus Romanis creauit, &c.*

HOc loco expoſitores inter ſe digladiantur: alii enim intelligendũ dicũt de electione per Comitia Tribunorũ plebis, alii Tribunorũ militum. Poſteriores mouẽtur, quod Tribunatus plebis plebeius erat magiſtratus, & plebeis dari cõſueuerat, & non Patritiis, & Senatoribus; quod primũ ex origine ipſius magiſtratus probatur, ſiquidẽ quũ anno 260. ab V. C. teſte Liuio, plebs à Patrib. ſeceſſiſſet in Auentinũ facta cõcordia Menenio Agrippa oratore intermedio, hac cõditione, vt plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti, quib. auxilii latio aduerſus Cõſules eſſet; ne cui Patrũ capere eũ magiſtratum liceret. Ita Trib. plebis creati. Qui etiã *lib. 6.* tradit, C. Liciniũ & L. Sextiũ Plebis Tribunos factos à Plebe in Patrũ inuidiam. Et *lib. 2.* rurſus inquit, anno 280. Plebẽ amplexam Voleronem Publilium, eum Trib. plebis feciſſe, qui rogationem tulit ad populũ, vt plebi magiſtratus tributis comitiis fierent, quæ lex *Voleronia* dicta ob id; quamuis ex Dionyſio *lib. 9.* alii *Publiliam* vocandam cenſeant; ſicuti enim Liuio *Volero* nomen, *Publilius* prænomen, econtra in Dionyſio

 legitur

legitur πένλιος Βωλεϱὸν. Quod autem Tribunatus plebis daretur Comitiis tributis, & plebeius eſſet, conſtat ex Liuio *libro* 2. vbi anno 281. Tribunos plebis, aduerſante Appio plebi, tributis Comitiis creatos numero etiam aucto ſcribit. Et *lib.* 3. vbi de M. Duillio, & rurſus de Appio, qui Comitia tributa habuerunt, vt ſeipſos iterum Tribunos plebis facerent. Hac ratione Suetonii dicta hoc loco interpretanda de Tribunitiis comitiis, de militum ſcilicet Tribunis creandis, cenſuere Beroal. & Sabellicus. Verum (eorum pace dixerim) errant; Namque etſi primis Reip. temporibus Tribuni plebis plebeii eſſent, & ex plebe, & à plebe creati, nihilominus procedentibus temporibus, & Patritios viros Tribunos factos obſeruamus, vti apud Liuium *libro* 3. quo loco tradit anno 305. inter Tribunos Plebis cooptatos Spu. Tarpeium & A. Alerium, viros non modo Patritios, ſed & Conſulares quoque. Quod & iterum *libro quarto*, confirmat. Præterea Cæſarum temporibus Patritios & Senatorios viros non modo Tribunatum apperiuiſſe, ſed illos, Imperatores inquam, Tribunos Plebis factos, Tribunitiam poteſtatem occupaſſe manifeſtum eſt; ſiquidem Iulius Cæſar, teſte Tacito, per initia *lib.* 1. *Annal.* Conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem, Tribunitia poteſtate contentus fuit. Et Auguſtus ex Appiano *lib.* 5. *belli ciuil.* perpetuus Plebis Tribunus à Romanis delectus fuit. Et Suet. illum *cap.* 27. Triburinitiā poteſtatem perpetuā recepiſſe ſcribit. Quod & Dion in illius vita confirmat, & Tacitus *lib. Annal.* 1. deſcribens pompam funeris Auguſti, ait de illo: *continuata per* 37. *annos Tribunitia poteſtate.* Et *lib.* 3. de Tribunitia poteſtate loquens, inquit: *Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen aſſumeret.* Hanc Tribunitiam poteſtatem Auguſtum Tiberio dediſſe in quinquennium, author eſt Dion *in Auguſto.* Item & Druſo, ex Tacito *libro* 3. *Annal.* ſcribente: *Tiberius mittit literas ad Senatum, queis poteſtatem Tribunitiam Druſo petebat.* Et idem Tacitus *lib. Hiſt. primo*, ſcribit: *Ita Othoni Imperatori decretam Tribunitiam poteſtatem.* Veſpaſianus & ipſe, teſte Suetonio, in illius vita, *cap. duodecimo*, licet ſero, poteſtatem Tribunitiam recepit.

Capito-

Capitolinus *in Antonino Pio* tradit, ipſum in Senatu gratias egiſſe, quod patri Hadriano in Imperio Proconſulari & Tribunitia poteſtate factus eſſet collega. Idem author *in Macrino* ſcribit, illi ſtatim delatam Tribunitiam poteſtatem & Proconſulare imperium. Et *in Maximino & Balbino*, Tribunitiam poteſtatem vna cum aliis honoribus eis decretam fuiſſe docet. Ælius Spartianus *in vita Adriani*, ait, illum Tribunum plebis factum perpetuum, Candido & Quadrato iterum Coſſ. Nec immerito Imperatores hunc magiſtratum maxime expetiuere, ſiquidem Flauius Vopiſcus *in Aureliano* ſcribit, Tribunitiam poteſtatem eſſe partem maximam Regalis Imperii. Solus Nero Tribunorum plebis poteſtatem maximis edictis coercuit, teſte Tacito, *libro* 13. *Annal*. quod ante illum feciſſe quoque Syllam Dictatorem, Cæſar *lib*. 1. *Comment. bell ciuil*. Cic. 3. *de Legib*. Appian. *bell. ciuil. lib*. 1. Florus *in Epit*. Liuius *lib*. 89. Suetonius *in Cæſare, c*. 5. & alii, ſcriptum reliquere. Quare haud mirum eſſe debet, ſi Suetonius ſcribit hoc in loco, Senatores creatos, ſi deeſſent petitores Tribunatus plebis, ſiquidem refert Aulus Gellius *lib*. 14. *cap vltimo*, quod Attinio Plebiſcito cautum eſt, vt Tribuni plebis Senatores eſſent, quamquam antea non eſſent, illiſque nihilominus Senatus habendi ius eſſet. Præterea ſcire debuerant Beroaldus & Sabellicus, eundem eſſe potuiſſe plebeium & Senatorem, & plebeium quidem ex origine familiæ, Senatorem vero ex ordine, quia inter Senatores cooptatus, vt recte adnotauit Leuinus Torrentius in ſuis Commentariis, in hunc locum. Concludamus itaque, rationem & cauſam adductam à Beroaldo & Sabellico, minime obſtare, quin hoc loco Suetonius non ſit loquutus de Tribunitiis comitiis plebis. Quinimmo ſi Dionem ſequamur, clarum ſit, Suetonii dicta intelligenda eſſe de comitiis Tribunorum plebis; ſcribit namque Dion, *libro* 45. de Auguſto loquens: ἀλλὰ ϗ τοῖς ὑπατεῦσι δημαρχίαν αἰτῆσαι ἐπέτρεψε. Quinimo ſi Suetonio credimus ſupra *capit*. 10. ſcribenti de Auguſto: *In locum Tribuni plebis forte demortui, ſe candidatum petitorem oſtendit, quamquam Patritius, necdum Senator*, ſtatuendum videtur, quod qui Senator non

eſſet, Tribunus plebis tunc temporis fieri non poſſet. Quamuis Carolus Langius id negans, dictiones illas (*nondum Senator*) diſpungendas eſſe contendat, ſed perperam ſane, ſi & præſentem locum cum illo conferamus. Addamus & Appiani authoritatem, qui *lib. 3.* ſcribit, ætatem Augusti obſtitiſſe, quo minus Tribunus plebis fieret. Quod intelligendum puto, quia nondum Senatoriam ætatem attigiſſet, vt in Senatum ſcilicet cooptari poſſet, ad quod munus tamen admiſſus poſtea gratioſe lege ſoluta, Cicerone ſuffragante, conſtat. Quod vero ſic intelligenda ſint Suetonii verba de tribunis plebis, & non de tribunis militum, ex eo vel ſuaderi poteſt, quod tribuni militum etiam alii quã Senatores creabantur; nam ille erat primus honorum gradus, & teſte Polybio *in 6. de Repub.* ſatis erat petenti tribunatum militum, vt militiam feciſſet equeſtrem per decenniũ, vel pedeſtrem per ſex annos. Quod ſi quis alius Beroaldo & Sabellico hærens, locum hunc interpretandum cenſuerit de tribunatu militum, non negauerim, quinimmo & lubens manus dabo, ſiquidem ex ſuperiori cap. 38. ſatis conſtat, Senatoriis viris militum tribunatum datum. Quod & confirmare poſſumus exemplo Iulii Cæſaris *ex Suetonio*, Catonis Vticenſis *ex Plutarcho*, & C. Marii *ex Saluſtio* in bello Iugurthino, & aliis pluribus. Verum cogitanti mihi illud in mentem veniebat, facile omnem diſſenſionem tolli poſſe, ſi loco dictionis illius (*Tribunitiis*) in textu repoſuerimus, *Tributis*, ita vt ſenſus eſſet, ſi in comitiis Tributis candidati deeſſent; ſi quidem iis tributis comitiis creabantur, tum tribuni militum, tum tribuni plebis tanquam minores magiſtratus, vt omnibus receptum eſt. Nec obſtat, quod apud Liuium in concione Camilli in calce libri ſexti ſcriptum ſit, comitiis centuriatis tribunos militares creatos; nam eo in loco loquitur Liuius de Tribunis militaribus Conſulari poteſtate, & non de tribunis militum ad legiones, qui nondum tempore Camilli populi ſuffragiis creabantur, &c.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XL.

*Quum autem pleriq; Equitum, attritis bellis ciuilibus patrimonio, ſpectare ludos è quatuordecim non auderent, metu pœnæ theatralis, pronuntiauit non teneri ea.*

QVum populus Romanus promiſcue & nullo diſcrimine facto in ſpectandis publicis ſpectaculis vſque ad quinquageſimum octauum annum ſedere conſueuiſſe, P. Africano iterum, & T. Sempronio Coſſ. Sextus Ælius Pætus, & C. Cornelius Cethegus Cenſores gratiam ingentem ſibi apud Senatum pepererunt, quod ludis Romanis, Ædilibus Curulibus imperarunt, vt loca Senatoria ſecernerent à populo; nam antea in promiſcuo ſpectabant. Quæ Liuii verba ſunt *libro* 34. Libro vero 35. qui fuerint Ædiles, ſubdit, inquiens: *Magalenſia ludos ſcenicos C. Attilius Serranus, L. Scribonius Libo, Aediles Curules primi fecerunt. Horum Aedilium ludos Romanus primum Senatus à populo ſecretus ſpectauit; præbuitq; ſermones (ſicut omnis nouitas ſolet) aliis tandem, quod multo ante debuerit, tributum cenſentibus ampliſſimo ordini, aliis ademptum ex dignitate populi, quicquid maieſtati Patrum adiectum eſſet, interpretantibus, & omnia diſcrimina talia, quibus ordines diſcernerentur, & concordiæ & libertati æque minuenda eſſe; ad quinquageſimum octauum annum in promiſcuo ſpectatum eſſe, quid repente factum? cur immiſceri ſibi in cauea Patres plebem nollent? cur diues pauperem cõſeſſorem faſtidiret? nouam & ſuperbam libidinem, ab nullius ante gentis Senatu neq; deſideratam, neq; inſtitutam. Poſtremo ipſum quoq; Africanum, quod Conſul author eius rei fuiſſet, pœnituiſſe ferunt.* Cic. *in orat. de Aruſp. reſponſ.* reſcriptum reliquit: *P. Africanus iterum Conſul maior ille ludis Magalenſibus primum ante populi conſeſſum Senatui locum dedit, ne ludos hac lues impura pollueret.* Quamuis idem Cic. *in orat. pro Cornelio maieſtatis reo*, dixerit: *P. Africanus ille ſuperior, vt dicitur, non ſolum à ſapientiſſimis hominibus, qui tum erant, verum etiam à ſeipſo ſæpius accuſatus eſt, quod quum Conſul eſſet cum T. Longo, paſſus eſſet tum primum à populari conſeſſu Senatoria ſubſellia ſeparari.* Ex quibus, Africanum non authorem, ſed conſentientem

tantum

tantum facere videtur,& per conſequens non ſibiipſi conſentire,imò diuerſa & pugnantia de re hac protuliſſe. Verum Pædianus interpres hoc loco concilium tradit, inquiens, eſſe Oratoriæ calliditatis, vt quum opus ſit,eiſdem rebus ab vtraque parte vel à contrariis vtatur. Quum itaque in oratione pro Cornelio habita,cauſa popularis eſſet,premereturque Senatus authoritate, atque ob id dignitatem eius ordinis eleuare quam maxime expediebat, pœnituiſſe ait Scipionem,quod paſſus eſſet id fieri. In oratione autem *de Aruſp.reſponſ.*quia in Senatu habebatur, cuius auribus erat blandiendum, & magnopere illum laudat, & authorem dandi facit. Valerius Maximus *lib.4.cap.5.* vbi de populi Romani verecundia ſcribit: *Sed vt* (inquit) *à laudibus eius ad facta veniamus, à condita vrbe vſq, ad Africanum & Tib. Longum Coſſ.promiſcuus Senatui & populo ſpectandorum ludorum locus erat; nunquam tamen quiſquam ex plebe in theatro ante Patres conſcriptos ſpectare ſuſtinuit,adeo circumſpecta noſtra ciuitatis verecundia fuit.* Quum poſtea conſtitutione abrogata, Senatus & populus ſolutiſſimo more ſpectaret, Lucius Roſcius Otho Tribunus plebis legem tulit, vt Equitibus Romanis in theatro 14 gradus proximi aſſignarentur, vt refert Florus in Epit. Liu.*lib.99.* Et Cicero in orat.pro Muræna ita ſcribit: *L.Otho vir fortis,meus neceſſarius,Equeſtri ordini reſtituit,non ſolum dignitatem,ſed etiam voluptatem.* Itaque lex hæc,quæ ad ludos pertinet,eſt omnium gratiſſima, quod honeſtiſſimo ordini cum ſplendore fructus quoque iucunditatis eſt reſtitutus. Et Plutarchus in Cicerone: *Quum in theatris hactenus Equites commixti plebi ſpectarent ludos,primus Otho eos à plebe diſiunxit,eumq, ſeſſum illis in ſpectacula deſignauit, quem nunc vſq, præcipuum retinent: Quam rem quum plebs ſibi ad ignominiam exiſtimaret,prodeunte in ſpectaculum Othone, contumelioſe aduerſum illum ſibila eſſerre, tum Equites contra lato plauſu illum ſuſcipere. Verum mox, quum iteratis altius ſibilis, & iterum à maiori plauſu Equitum in iurgia alter in alterum prodiret, omne id theatrum inhoneſta ſpecie completum eſt. Quare quum ea nouiſſet Cicero,plebem in Fano Bellonæ ad ſe vocatam, adeo modeſte increpauit, & obtinuit, vt quum in ſpectaculum rediſſet, Othoni alacri plauſu* alludè-

*alluderet,& cum Equitibus de laude & gloria viri certarent.* Quod & Plinius *lib.7.cap.3.*recenſet. De hac lege Roſcia Horatius lib.Epiſt.1. Epiſt.item 1.

*Roſcia dic ſodes,melior lex, an puerorum eſt?*
*Nauia,quæ regnum recte facientibus offert,*
*Et maribus Curiis,& decantata Camillis.*

Idem Horatius *Epod. Ode* 4. ad Mænam libertum Pompeii Magni:

*Sedilibusq́, magnus inprimis Eques*
*Othone contempto ſedet.*

Et Iuuenalis Satyr.3.

*Si pudor eſt,& de puluino ſurgat Equeſtri,*
*Cuius res legi non ſufficit, exeat.*

Et iterum:

*Sic libitum cerno,qui nos diſtinxit,Othoni.*

Et Martial.lib.5.Epiſt.26.

*Quadringenta tibi non ſunt Chereſtrate,ſurge.*

Hæc lex Roſcia Equitibus data eſt, vt in primis 14.ordinibus,id eſt, proximioribus Orcheſtræ, in qua ſedebant Senatores,ſederent ii,qui quadringenta ſeſtertia poſſiderent. Ita Horat.lib.Epiſt.1. Epiſt.1.

*Et quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,*
*Eſt animus tibi,ſunt mores & lingua,fidesq́,*
*Plebs eris.*

Et Iuuenal.Satyr.3.

*—— Effice ſummam;*
*Bis ſeptem ordinibus,quam lex dignatur Othonis.*

Quod vero cenſus equeſter eſſet ſeſtertiorum quadringentorum, clare docet Plinius Iunior *Epiſt.*19. vbi inquit: *Eſſe autem tibi centum millium cenſum ſatis indicat, quod apud nos decurio es. Itaq́, vt te non decurione ſolum, verum etiam Equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas Equitis facultates* 300. *millia nummum.* Et Plinius *Hiſt.nat. lib.33.cap.2.* de Equeſtri ordine verba faciens,inquit: *Hac de cauſa conſtitutum, ne cui ius id eſſet, niſi cui ingenuo ipſi, patri, auoq́, paterno ſeſtertia* 400. *cenſus fuiſſet,& lege Iulia Theatralis in* 14.*ordinibus ſedendi.* Nec dictis obſtat, quod Tacitus *lib.Annal.*15. ſcripſerit, quod lex Roſc

Roſcia nil niſi de quatordecim ordinibus ſanxit. Nam ſenſus illius loci eſt, quod Nero in Circo ſedilibus plebis Equitum Romanorum locos antepoſuit, quum lege Roſcia tantum in theatro eſſent aſſignata, vt docte Lipſius adnotauit,& ex textus lectione innoteſcit clare, & ex Suetonio *in Nerone, cap.*11.habetur: *Circenſibus loca equiti ſecreta à cæteris tribuit.* Qua in re miror,fœde lapſos Prateum *in Iuris Lexico, in verbo, Roſcia Theatralis,* & Ludou.Charund. *in Annotat.leg. antiq.* exponentes locum hunc Taciti,quod illius mens fuerit, legem Roſciam eam vim habuiſſe, vt Equites non ante plebem ac ſeparatim, ſed confuſe tantum quatuordecim ordines haberent; quo nihil inſulſius, veritatique magis repugnans dici poteſt. Nec minus iam dictis obſtat, quod Suetonius *in Cæſare, cap.*39.ſcripſerit, Decimum Laberium, quum Mimum ſuum egiſſet, donatum à Cæſare quingentis ſeſtertiis,annulo aureo,& ſeſſum in decimaquarta,ita vt illum equeſtri dignitate donarit, ita vt hunc cenſum equeſtrem fuiſſe quingentorum, non quadringentorum ſeſtertiorum colligatur. Nam reſpondemus, Laberium prius equitem fuiſſe,quod ex textu patet,in quo Laberium equitem Romanum patet fuiſſe.Præterea potuiſſe eum munifice donare Cæſarem, non ſolum quingentis ſeſtertiis, ſed etiam maiori ſumma, nec ob id coniectandum, cenſum equeſtrem fuiſſe quingentorum, & non quadringentorum ſeſtertiorum. Nam omnis difficultas tollitur ex eodem Suetonio *in Cæſare, cap.*37. quo loco milites concionante Cæſare,ſuſpicatos tradit,quum annulum oſtentaſſet, promiſſum illis ius annulorum cum millibus 400. Vidit hunc ſcrupum Budæus *lib. de aſſe* 2. & ait, cenſum equeſtrem à quingentis ſeſtertiis ad quadringenta contractum, id eſt,ad priſtinam formam redactum; Sed pace eius dixerim, nullibi cenſum equeſtrem quingentorum ſeſtertiorum fuiſſe obſeruamus.Illud ſane haud ſilentio prætereundum, quod à Macrobio *lib.*2.*Saturnal.*3. traditur per hæc verba: *Deinde quum Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus à Cæſare è veſtigio in decimoquarto gradu ad ſpectandum tranſiiſſet, violato ordine, id eſt, quum detractus eſſet eques Romanus, & quum nimis remiſſus,*

*remiſſus, ait Cicero, prætereunti Laberio, & ſedile quærenti, recepiſſem te, niſi anguſte ſederem, ſimul & illum reſpuens, & in nouum Senatum iocatus, cuius numerum Cæſar ſupra fas auxerat*; *Nec impune, reſpondit enim Laberius, Mirum ſi anguſte ſedes, qui ſoles duabus ſellis ſedere, exprobrata leuitate Ciceronis, qua immerito optimus ciuis male audiebat.* Ex quibus Macrobii dictis colligitur, Laberium equeſtri dignitate donatum à Cæſare non fuiſſe prius equitem, vt eum vocat Suetonius, niſi dixerimus, fuiſſe equitem, id eſt, militem equeſtrem militiam facientẽ, non tamen equeſtri dignitate nobilem, vel melius forte, equitem fuiſſe Laberium, id eſt, ex familia equeſtri ortum, ſed cui non permiſſum ſedere in 14. ordinibus, quia ei cenſus equeſter non eſſet, vel potius ipſum vel eius patrem nõ fuiſſe ingenuum, aut ſaltem de eius ingenuitate dubitatum fuiſſe; vocat enim ibidem Macrobius Laberium aſperæ libertatis equitem Romanum, interpretor ego *aſpera*, id eſt, non planæ & omnibus receptæ libertatis; aſperũ enim opponitur leni ſeu leui. Ita *hominem aſperum* appellamus, moribus difficilem, ſcilicet & durum. Ita tradit Liu. *lib.* 3. L. Trebonio Trib. pleb. *aſpero* inditum cognomen, cum eſſet moribus difficilimis, & ingenio impotens. Apud Cic. de finib. legimus: *Homo aſper & durus oratione & moribus.* Apud Teren.

*Aſperum hoc pater eſt, aliud ſodes para,*

id eſt, durum & difficile. Hoc loco pariter adnotare libet, ne ſtudioſi veritate ipſa fraudẽtur, Petrum Gregorium virum alioquin multæ doctrinæ, falſo *lib.* 22. *Syntagmat. iuris, c.* 11. aſſeruiſſe, lege Roſcia decoctoribus bonorum obæratis datum publice in theatro locum 14. graduum ab omnibus ſeparatum, ita vt ſederent in 14. gradibus proxime equitibus in ludibrium. Errandi autem occaſionem illi dedit locus Ciceronis *in Philippica* 2. vbi ſic ſcribit: *Illud tamen audaciæ, quod ſediſti in* 14. *ordinibus, quum eſſet lege Roſcia decoctoribus certus locus conſtitutus, quamuis quis fortunæ vitio, non ſuo decoxiſſet.* Ex quibus colligimus, Ciceronem exprobraſſe Antonio, quod quum dilapidaſſet bona, nec ei eſſet cenſus equeſter amplius, ſediſſet audacter in 14 gradibus, cum tamen debuiſſet ſedere iure in loco decoctoribus in theatro aſſignato. Ad quod ſpectat illud Iuuenal. Sat. 3.

Si

*Si pudor eſt,& de puluino ſurgat Equeſtri,*
*Cuius res legi non ſufficit,exeat.*

Et Seneca lib.5.ad Lucillum,Epiſt.44. *At mehercle multis quatuordecim gradus ſunt clauſi.* Hanc legem latam L.Metello,& Q.Martio Coſſ.colligimus ex Flori Epitome, & Chronologia Caroli Sigonii, anno ab vrbe condita 682. Quamuis perperam Petrus Gregorius loco ſupra citato, neſcio qua authoritate ductus, id factum, Lucio Piſone & M.Accilio Coſſ.tradat; in quem pariter ſcrupum impegiſſe legimus Zaſium *in catalogo legum antiquarum.* Hanc Roſciam Auguſtus ampliauit,addito quod ex Plinio ſuperius oſtendimus, ni cui ius annulorum eſſet,& ius ſedendi in quatuordecim ordinibus, ne ipſe pater & auus ingenui fuiſſent, & cenſus 400.ſeſtertiorum. Correxit vero, & reſtrinxit in ea parte, qua illis,qui fortunæ vel ſuo vitio decoxiſſent,locus in quatuordecim gradibus non dabatur, ſtatuens, vt hoc loco ex Suetonio habemus,non teneri pœna theatrali, nec prohiberi poſſe loco ſedendi in quatuordecim ordinibus illos, quibus ipſis parentibusve Equeſter cenſus vnquam fuiſſet; Hæc autem ſanctio Auguſti *lex Iulia Theatralis* appellata fuit,*ex Plinio,loco iam dicto.* Quum enim leges Iuliæ,de quibus nos alibi fuſius pertractauimus, aliæ à Cæſare Dictatore,aliæ ab Auguſto latæ fuerint, huius Iuliæ Theatralis author fuit Auguſtus,non Cæſar,quicquid in oppoſitum ſenſerit Prateus *in Lexico Iuris,in dictione, Iulia Theatralis*; nullibi enim obſeruamus,Iulium Cæſarem legem Theatralem tuliſſe. Quod vero nonnulli ſuſpicantur, lege Iulia ſancitum ab Auguſto illa,quæ de ordine ſubſelliorum refert Suetonius in illo, *cap.*44. non ſubſiſtere, dignoſcitur tum ex dictis,tum etiam id ex verbis ipſius capitis aperte elicimus: inquit enim: *Facto igitur decreto Patrum, &c.* Ex quibus patet,& à Patribus,quamuis authore Auguſto, & admonente ipſo Senatuſconſulto decreta. Poſtea quum ſub Domitiano leges Theatrales dictæ non obſeruarentur,ille ſuſcepta morum correctione, licentiam theatralem promiſcue ſpectandi inhibuit, non quidem quod nouam legem ſanxerit, ſed reuocatis Roſcia & Iulia. Diutiſſime autem duraſſe morem

rem in ſpectaculis diſcretim ſedendi, elici poteſt ex Ælio Spartiano *in Peſcennio Nigro*, vbi tanquam inſolitum refert, quod Circenſibus ſubſellia indifferenter & indiſcrete repleta eſſent, maxima iniuria ob id affecto populo. Ad hoc quoque ſpectant, quæ legimus apud Tacitum, Annal. lib. 6. *At Iunium Gallionem qui cenſuerat, vt Prætoriani actis ſtipendiis ius adipiſcerentur in quatuordecim ordinibus ſedendi, violenter increpuit.* Subſellia autem Equitibus dicata, *Equeſtria* Romanis vocata fuiſſe, colligimus ex Seneca *lib. 7. de beneficiis, cap. 12.* vbi ait: *Equeſtria omnium Equitum Romanorum ſunt.* Et *lib. 4. controuerſ.* hos quatuordecim gradus *Equeſtria* ab ipſis Equitibus appellat. Ita & Suetonius in Caligula, cap. 26. *Scenicis ludis inter plebem & Equitem cauſam diſcordiarum ferens, decimas maturius dabat, vt Equeſtria ab infimo quoq; occuparentur.* Ita econtra *Popularia* vocabantur Sedilia in ſpectaculis plebi dicata, dicente Suetonio in Domitiano: *Omne genus rerum miſſilia ſparſit, & quia pars maior intra popularia deciderat, quinquagenas teſſeras in ſingulos cuneos Equeſtris ac Senatorij ordinis pronuntiauit.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
### CAP. XL.

*Magni præterea exiſtimans ſyncerum, atq; omni colluuione peregrini ac ſeruilis ſanguinis incorruptum ſeruare populum, & ciuitatem Romanam parciſſime dedit, & manumittendi modum terminauit, &c.*

A Principio ciues Romani non alii erant, quam qui vel in vrbe Romana, vel in agro Romano habitabãt, quiq; inibi oriundi erant; at conditor ciuitatis Romulus ab initio, vt vrbem amplificaret, deuictos populos in ciuitatem recepit, populi multitudinis augendæ cauſa. Itaque eo tempore ciues Romani facti Cortinenſes, Caſtuminii, Antemnates, & ex fœdere Albani, teſte Liu. *lib.* 1. Romuli poſtea atq; Regum exemplo nunquam eſt intermiſſa à Romanis ciuitatis largitio & communicatio, quod non vno, ſed pluribus modis fiebat. Quod vt apertius intelligatur, nonnulla



Digitized by Google

ſubiicienda de iure ciuitatis Romanæ. Sciendum itaque, quod ſicuti externæ gentes in Romani populi amicitiam atque deditionem admiſſæ, varii generis ac cōditionis fuere, ita & varii generis Romanis ciues fuiſſe obſeruamus. Harum autem aliæ liberæ, aliæ fœderatæ, aliæ ſtipendiariæ, aliæ Latinæ fuere, quemadmodum recte adnotarunt Budæus *in Adnotat. in Pandectas*, & Alciatus 1. *Parerg. cap.* 14. & Carolus Sigonius *lib. de iur. Rom.* Erant itaque alii coloni, alii municipes, alii ex præfectura aliqua, alii ciues modo Romani. Hi vero erant, qui ex nullo municipio, ex nulla colonia præfecturave Romanorum erant, ſed vel in vrbe, vel in agro, vrbisve ſuburbano, & ex ſeruis & illis gentibus externis libertate vel ſpeciali priuilegio ciuitate donatis. Erant autem municipes, ex Gell. *lib. 6. c. 13.* ciues Romani ex municipiis iure ſuo viuentes, muneris tantum cum populo Romano participes, nullis aliis neceſſitatibus, neq; vlla populi Romani lege adſtricti, quum nunquam populus eorum fundus factus eſſet. Ciues autem coloni non veniebant extrinſecus in ciuitatem, ſed ex coloniis, quæ ex ciuitate propagata erant, & iura inſtitutaq; populi Romani omnia, non ſui arbitrii habebāt. Ciues autem ex præfecturis qui eſſent, intelligemus, ſi, quid eſſent *præfectura*, explicauerimus. Erant itaque præfecturæ oppida Italiæ, in quibus qui habitabant, nec ſuis legibus, vt municipes, viuebant, nec vllos de ſuo corpore magiſtratus creare poterant, ſicuti coloni, ſed à magiſtratibus Roma miſſis regebantur, iis legibus, quas Romanus magiſtratus dixiſſet, qui quoniam Præfectus vocabatur, iccirco præfecturæ appellabantur. Exemplum habemus vrbis Capuæ, quæ quum antea colonia eſſet, in præfecturam redacta eſt, tanquam vrbs inimica Romanis, quemadmodum docet Liuius *libro vigeſimo ſexto.* Horum autem omnium ciuium, quos quatuor generibus comprehendimus, non eædem erant conditiones. Quum enim ius ciuitatis diuerſis prærogatiuis conſtaret, non omnibus omnia iura permittebantur; vnde efficiebantur variæ conditionis ciues. Ciuium, qui vere Romani erant, & ingenui, primum ius erat, ne virgis cædi, nec vinculis coërceri, nec omnino

omnino capite plecti, niſi populi ipſius iudicio poſſent. Quod & pluribus legibus cautū obſeruamus. Primum lege Valeria, ter lata & repetita poſt exactos Reges, ab eadem familia Valeria, qua ſancitum fuit, ne quis ciuis Romanus, qui prouocaſſet, virgis cæderetur, ſecurive necaretur, teſte Liuio *lib.*10. Dionyſio *lib.*5. Plutarcho *in Valerio*, Valerio Maximo, *lib.*4.*cap.*1. Poſt hanc lata eſt lex Portia à M. Portio Catone Tribuno plebis, Valerio & Apuleio Conſulibus, efficacior multo, quam ſuperior. Quum enim illa contrafacienti nil præter improbitatem facti adiecisſet, quod validum ſatis legi vinculum viſum fuit, hæc graui pœna affecit verberantem, necantemve ciuem Romanum, vt inquit Liuius *eodem libro* 10. & Cicero pro Rabirio perduellionis reo: *Porcia* (inquit) *lex virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit. Porcia lex libertatem ciuium lictori eripuit.* Et Saluſtius Ciceroni grauiter obiecit, quod ciues Romanos Catilinæ ſocios contra legem Porciam necaſſet. Huius quoque meminit Suetonius *in Nerone.* Poſtea lege Sempronia cautum fuit, ne de capite ciuium Romanorum iniuſſu populi Romani iudicaretur; quod ſi quis aduerſus feciſſet, in eum populi animaduerſio eſſet. Hæc lata fuit à C. Sempronio Graccho Tribuno plebis, Quinto Cecilio, T. Quinctio Conſulibus, de qua Cicero *in oratione pro Rabirio, pro Domo ſua, pro Cluentio, & ſeptima in Verrem, & in Catilinam, & 3. de Legib.* & Saluſtius *in oratione Cæſaris.* Has leges Octauius Auguſtus, aut Iulius Cæſar (vt alii) in legem Iuliam *de vi publica* tranſtulit, decernens, vt qui aliqua poteſtate præditus ciuem Romanum, antea ad populum ſeu Imperatorem prouocantem, necarit, necarive iuſſerit, torſerit, verberauerit, in pubica vincula duxerit, humilior ſi ſit, pœna capitis, honeſtior vero, inſulæ deportatione multetur; quod refert Paulus *lib.*5.*Sentent.tit.*26.*l.*7. *D.ad l.Iul.de vi publ.* & de hac quoq; Vlp. *in l.lex Iulia, ff.ad l.Iul de vi publ.* Præter Iuriſtas autem de re hac neminem ex antiquioribus hiſtoricis verba feciſſe reperi, dicentemve, hanc legem ab Auguſto vel Cæſare latam. Apud Dionem Caſſium duntaxat adnotaui *lib.*54. Octauianum Auguſtū Cyzicenos, quod

nonnullos ciues Romanos in ſeditione flagris cæſos necaſſent, in ſeruitutem redegiſſe, quibus tamen poſtea libertatem reſtituit. Sicuti itaque peregrini poterant à magiſtratibus verberibus & morte plecti, ita ciues Romani ortu, quique proprie ingenui dicebantur, nullo pacto (vt diximus) ita inconſulto populo affici poterant aut permittebantur. Quod etiam ex ſacris paginis comprobamus, ſiquidem habemus *cap. 22. Actuum Apoſtol.* de D. Paulo hæc: *Accedens Tribunus dixit ei, Dic mihi, Num tu Romanus es? Cui reſpondit Paulus, eſſe ſe vtique ciuem Romanum. Dixitque Tribunus: Ego multa ſumma ciuitatem Romanam conſequutus ſum. Paulus vero reſpondit, ſe etiam natum eſſe ciuem Romanum. Protinus ergo receſſerunt ab eo, qui, vt eum torquerent, aſtiterant. Et ipſe Tribunus vehementer timuit, audito Paulum eſſe ciuem Romanum.*

Alterum ius erat ciuium Romanorum, vt ſibi teſtamento ciuis Romani hæreditatem capere poſſent; nullus enim peregrinus poterat adire hæreditatem ciuis Romani; quod Cicero oſtendit *in oratione pro Archia Poeta*, vbi probans, Archiam ciuem Romanum fuiſſe, & pro ciue Romano ſe geſſiſſe, hoc argumento probat, quod hæreditates ciuium Romanorum ſæpe adiiſſet. Et *in oratione pro Cæcinna* inquit: *Ebutius Cæcinnæ aduerſarius negat, poſſe hæredem Ceſenniæ eſſe Cæcinnam, quod ciuitas Volaterranis adempta eſſet à L. Sylla, ideoque ciuis Romanus non eſſet Cæcinna.* Præterea ſolis ciuibus Romanis iam dictis ius fuit teſtamentum iure Quiritum facere, quod Cicero demonſtrat, quum pro argumento accepit, Archiam ſe pro ciue Romano geſſiſſe, quia ſæpe legibus Romanis teſtamentum feciſſet. Erat & ius connubiorum ciuibus Romanis proprium, quia tantum ciues cum ciuibus matrimonium contrahere poterant, ita vt ſi pater aut mater peregrini erant, non legitimæ eſſent nuptiæ. Militare etiam in Legione Romana non aliis, quam ciuibus licebat, ideoque ſoli ciues ad ærarium in beneficiis deferri ab Imperatoribus, & beneficiarii milites fieri poterant. Quod Cicero *eadem oratione pro Archia* oſtendit, & *Epiſt. 20. lib. 6. Epiſtol. Familiar.* Ad hæc liberos habere in poteſtate, proprium erat ius Quiritum, vt ait Iuſtinianus *primo Inſti-*

*tutionum libro, titul. de patria poteſtate.* Ius etiam alienandi per nexum, proprie fuiſſe Romanorum, ex eo intelligi poteſt, quod omnes, inter quos huius iuris ſolemnitas tranſigebatur, ciues Romanos eſſe oportebat, vt ait Boetius *in Commentario Topicorum*, & docet Cicero ipſe *in oratione pro Cæcinna*, enumerans inter iura ciuium Romanorum nexa atque hæreditates. Erat etiam eorundem ius, proprium ſuffragium in Comitiis dare, iudicia facere, magiſtratus creare, leges ferre, iiſdemque ſuffragiis ad magiſtratus publicasque cæteras adminiſtrationes ac dignitates peruenire, & in cenſum deferre. Vtebantur etiam iure gentilitatis, adoptionis, agnationis, togæ ferendæ, libertos Patronorum filios in poteſtate habere, & vt vno verbo omnia complectar, omnium legum Romanarum beneficio vti poterant. Hæc vero tam multa & tam varia ciuitatis Romanæ iura non omnibus, qui ciuitate donabantur, omnia concedebantur; Multis enim reperimus datam fuiſſe ciuitatem abque ſuffragio, vt apud Liuium *libro octauo*, Campanis Equitibus honoris cauſa, quia cum Latinis bellare noluiſſent, quod & *libro 23. & 26.* etiam legitur. Fundanis & Formianis, quod per fines eorum tuta parataque fuiſſet via, ciuitas ſine ſuffragio data. Et *libro decimo*, Anagninis, quia arma Romanis intulerant, ciuitas ſine ſuffragii latione data, & Acerrani, lege à L. Papyrio Prætore lata, qua ciuitas ſine ſuffragio data, ciues Romani facti, ex eodem Liuio, *libro octauo*. Idem ſcribit de Meſſolanis ibidem, & de Cumanis eodem loco, & libro 23. Quod & Lauiniis & Tuſculanis, vt Cicero *in oratione pro Cornelio Balbo*, & idem Liuius, *libro octauo*, vbi & dicit, idem factum Arecinis, Nomentanis, Pedanis, Lanuuinis, & Anſiatibus. Addamus & Sabinos, qui & poſt Sabinarum raptum, & fœdus factum inter Romulum & T. Tatium recepti in vrbem ſunt, ea lege, vt inquit Seruius in eum locum Æneid. ſeptimi libri:

—— *Poſtquam in partem data Romana Sabinis,*

vt in omnibus eſſent ciues Romani, excepta ſuffragii latione, nam magiſtratus non creabant; Quod tamen (pace

Seruii dixerim) nullibi legimus, quo ſcilicet ad prohibita ſuffragia; imo ſi, quæ primo libro & quarto ab eodem ſcribuntur, perpendamus, oppoſitum coniiciendum. Liuius *libro trigeſimo octauo* de Formianis Fundaniſque municipibus & Arpinatibus ſcribit, quod C. Valerius Tappo Tribunus pleb. legẽ promulgauit, vt iis ſuffragii latio (nã antea ciuitatem ſine ſuffragio habuerant,) eſſet. An vero, qui ex municipio vel præfectura ciues Romani erant, & ius ſuffragii haberent, dubium certe eſt; Nam quod non haberent, ex ſuperius adductis exemplis conſtat, & ex Cicerone *in oratione pro Cæcinna* colligimus, vbi ait, Syllam Dictatorem ita tuliſſe de ciuitate, vt non ſuſtulerit horum nexa atque hæreditates, iuſſit enim eodem iure eſſe, quo fuerint Ariminenſes, quos, quis ignorat, duodecim coloniarum fuiſſe, & à populo Romano hæreditates capere potuiſſe. Ex quibus colligimus, quum Sylla legem tulit de adimenda ciuitate Volaterranis, fuiſſe duodecim Colonias, quæ non pleno iure ciuitatem Romanam haberent; ex quo dicendum, iis defuiſſe ius ſuffragii. In oppoſitum tamen, quod Municipia, Coloniæ, & Præfecturæ Italiæ ius ſuffragii haberent, videtur affirmatum à Cicerone, qui *in oratione poſt reditum ad Quirites*, loquens de Comitiis Centuriatis, quibus ab exilio reuocatus eſt, ita ſcribit: *Nullus in eorum reditu motus municipiorum & coloniarum factus, at me in patriam ter ſuis decretis Italia cuncta reuocauit.* Et in oratione pro Seſtio: *Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ ſocietas, nullum collegium, aut conſilium, aut omnino aliquod commune conſilium, quod tum non honorificentiſſime de mea ſalute decreuiſſet.* Idem etiam ex multis eius aliis locis *in oratione pro Murena, pro Sylla, & pro Plancio*, intelligi poteſt.

Quibus tamen non obſtantibus in contrarium ſtare veritatem non dubitamus, & Ciceronem loquutum locis antedictis oratorie, & per amplificationem dicimus, non quod vere in illius reditu opus fuerit decreto vniuerſæ Italiæ; namque in comitiis ipſis, præter ciues conſuetos, colonos, municipes & præfecturæ ciues adfuiſſe, quum reditus

tus Ciceronis decretus eſt, abſurdum eſſet affirmare, niſi dixerimus, & aliquando huiuſmodi ciuibus ſuffragii ius datum gratioſe, & non ex conſuetudine vel iure. Ita Liuii dicta interpretanda, quum *libro* 25. ſcribit: *Teſtulis datis Tribuni populum ſummouerunt, ſitulaq́ adlata eſt, vt ſortirentur, vbi Latini ſuffragium ferrent*; non enim Latini ſuo iure ſuffragium ferre poterant, ſed ad ſuffragandum admiſſi beneficio & benignitate magiſtratuum Romanorum, id tribuentium ſocietati & conſanguinitati Latinorum, qui tum forte Romæ erant, quum haberentur comitia, ſicuti & ex eodem libro 8. habemus, Lanuuios, Aricinos, Nomentanos & Pedanos, qui omnes Latini erant, ciuitate donatos, poſt quinquennium demum cenſos fuiſſe, & in duas Tribus, Metiam & Scepſiam, deſcriptos, quæ Tribus tum primũ propter eos additæ ſunt. Ex quibus conſtare clare exiſtimo, etſi aliquibus Latinis, ſiue colonis, ſiue municipibus, ſiue ex præfectura ciuitas dabatur, non tamen ius ſuffragii habebant lege vel iuris neceſſitate, niſi gratioſe demum adderetur. Ita & intelligendum Ciceronis dictum *in Epiſtol. ad Atticum*, dum inquit: *Quoniam videtur in ſuffragiis valere Gallia Ciſalpina*, ſcilicet quæ in Italia eſt. Quæ vt apertius intelligantur, ſciendum eſt, quod aliud erat, ciuitatem dari à Romanis, à conceſſione iuris Latii ſeu Latinitatis; ſiquidem ius Latii ſeu Latinitas originem habuit ex fœdere ſeu ſocietate, quod cum priſcis Latinis Romani pepigere; His enim ſuperatis ad lacum Regillum, & deinde ad Veſſerim, in eas conditiones pacem firmauerunt, vt Latini ſuo iure viuerent, atque in bellicis expeditionibus milites darent, hoſteſque omnes cum Romanis haberent, ſociique & amici populi Romani dicerentur, & in victoriis de hoſtibus tertiam prædæ partem haberent. Verum quum Latini hiſce conditionibus minime contenti eſſent, non ſemel conati ſunt, modo precibus, modo minis, ius ſuum melius facere, aliquando ipſum ius ciuitatis, aliquando vt alter Conſul ex Latinis crearetur, *ex Liuio lib.* 8. poſtulantes; quorum poſtremũ in perpetuũ denegatum, alterum tandem fuit ea conditione conceſſum, vt qui

ex Latinis ſtirpem ex ſe domi relinquerent, ciues Romani fierent, qua in re quum multę fraudes ineſſent, C. Claudius Conſul ex Senatuſconſulto legem tulit *Claudiam* dictam, qua illis obuiam itum. Poſtea vero & alia lex Papia de eadem relata eſt. His legibus remotos à ſpe conſequendæ ciuitatis, denuo inflammauit M. Fuluius Flaccus, qui cum in Conſulatu, tum in Triumuiratu agri lege Sempronia diuidendi, ciuitatem omnibus Italicis pollicitus eſt primus, vt ſcribit Appianus, vel, vt Plutarchus tradit, Tiberius Gracchus, P. Mutio & L. Calphurnio Conſulibus, ciuitatem Italicis promiſit, qui ambo decreto Senatus ob id interfecti ſunt. Poſt aliquot deinde annos M. Liuius Druſus Tribunus plebis, Senatui iratus rurſus ad dandam ciuitatem Italiæ animum adiecit, qui & ipſe in turba percuſſus, vitam vna cum actione depoſuit, lataque lex, L. Licinio Craſſo & Quinto Mutio Scæuola Conſulibus, quæ *lex Licinia & Mutia* appellata, aduerſus eos, qui ſe pro ciuibus, quum ciues non eſſent, gererent, de qua Cicero *in Offic.* Hac lege Italicorum animi ita exaſperati ſunt, vt vniuerſi propemodum aliquibus fortiſſimis viris Ducibus moti, ingenti bello à Romanis deſciuerint, quo quum vehementer premerentur Romani, ciuitatem lege Iulia primum Hetruſcis, deinde Vmbris, qui non aperte defecerant, deinde etiam reliquis Latini nominis ſociis dederunt. Hanc autem legem tulit Sex. Iulius Cæſ. Conſul cum L. Martio, anno quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo, cuius meminere Cicero *in oratione pro Balbo*, & Appianus *bell. ciuil. libro primo*, & Gellius *lib. 4. cap. 4.* Iuliam autem dictam, adnotauit Manutius, quod ſolus Iulius Cæſar eam tulerit, cum eius collega in acie occubuiſſet. Nil autem aliud hæc lex Latinis dedit, niſi vt omnes ciues Romani appellarentur, attamen ſuffragium ob id non habebant, nec ad magiſtratus promouebantur, niſi Romæ habitantes cum eo migraſſent, ibi cenſerentur, & in tribu deſcriberentur; Quod patere poteſt ex iam dictis ex Liuio, *lib. 8.* & ex eo, quod quum Latinis Romana vrbs conceſſa eſſet, & Latini primum in ciuitatem accepti, vt in Q. Cæcilii Metelli Orat. Liuius *libro 4.*

tradit, omnia & iura Romana plene ſunt conceſſa. Præterea & id ex Liuii dictis lib. 39. per initia comprobari poteſt, vbi ita ſcribit: *Legatis deinde ſociorum Latini nominis, qui toto vndiq, ex Latio frequentes conuenerant, Senatus datus eſt. His querentibus magnam multitudinem ciuium ſuorum Romam commigraſſe, & ibi cenſos eſſe, Quinto Terentio Culleoni Pr. negotium datum eſt, vt eos conquireret, & quem C. Claudio & M. Liuio Cenſoribus, poſtve eos Cenſores ipſum parentſve eius apud ſe cenſum eſſe probaſſent ſocii, vt redire eo cogeret, vbi cenſi eſſent. Hac conquiſitione duodecim millia Latinorum domos redierunt, iam tum multitudine alienigenorum Vrbem onerante.* Præterea apud eundem Liuium legimus *lib.* 33. Spur. Caruilium poſt Cannenſem cladem ſuadere tentaſſe explendi Senatus cauſa, & iungendi arctius Latini nominis populos, vt ex ſingulis populis Latinorum binis Senatoribus, quos Patres Romani cenſuiſſent ciuitas daretur, atque in demortuorum locum in Senatum legerentur, ex quo tota curia indignationem cœpit. Si igitur pleno iure Latini poſt Iuliam rogationem ciues Romani fuiſſent, atq; quod Romam ſe conferrent, cenſerentur, & in tribu deſcriberentur, fruſtra Caruilius eos Ciuitate donandos dixiſſet. Sed ideo dixit Ciuitate donandos, id eſt, gratuito & per beneficium plenum ius Ciuitatis illis dandum, vt ſuffragia dare & magiſtratus aſſequi poſſent. Preterea extat Suetonii dictum *in Claudio, c. 9.* Imperatorem eum ſcilicet Latinis ius Quiritum conſtituiſſe. Si itaque ex lege dicta Latini ius plenum ciuitatis habuiſſent, fruſtra Claudius homini Latino ius Quiritum propoſuiſſet. Ad hæc quum nemo ciuis Romanus duarum ciuitatum ciuis eſſe poſſet, teſte Cic. *pro Cornelio*, non itaque Municipes, ſeu Coloni, vel Latini iura ſuæ ciuitatis, & Romanas leges ſeruare poterant, ſed ad hoc vt ciuitatem Romanam plene aſſequerentur, neceſſe erat, vt in Vrbe degerent, ibi in cenſum referrentur, & in Tribu deſcriberentur, & Romanis legibus ſeruirent, patriis inſtitutis vna cum patrio ſolo derelicto. Ita Cato Tuſculanus ortu, vt Cicero teſtatur *de Legibus*, & ipſe Cicero Arpinas oriundus, ciuitatem Romanam adepti ſunt. Proinde Latini pluries poſt Iuliam legem dictam tentarunt, vt ciues Romani

quum eſſent honorarii, vt ita dicam, etiam ius plenum Romanæ Ciuitatis obtinerent, quamuis in Colonia nomen dediſſent. Ita Liuius *lib.* 34. ſcribit: *Nouum ius eo anno à Ferentinatibus tentatum, vt Latini, qui in Colonia Romana nomina dediſſent, ciues Romani eſſent. Puteolos, Salernumque & Buxentum adſcripti Coloni, qui nomina dederant, quum ob id ſe pro ciuibus Romanis ferrent, Senatus iudicauit non eſſe eos ciues Romanos.* Addamus, & in Cæſare Suetonium, vbi inquit: *Decedens ergo ante tempus Colonias Latinas de petenda Ciuitate agitantes adiit.* Si itaq; ciues Romani erant Latini ex lege Iulia pleno iure, ad quid de ea conſequenda agitabant? Verum, vt vnico verbo rem hanc comprehendamus, dicimus, quod ſicuti in genere Latini omnes ciuitate Romana donati erant ex lege Iulia, honorarie ſcilicet, & ita vt ſuo iure viritim apti nati eſſent ad plenam Ciuitatem conſequendam, ita & multis modis id eis viritim euenire poterat. Prima ratio erat per legem, cuius meminit Liuius lib. 41. *Lex ſociis, ac nominis Latini, qui ex ſeſe domi ſtirpem relinqueret, & in Vrbem cenſum profiteretur, & in Tribu deſcriberetur, ciuis Romanus pleno iure euadebat.* Secunda ratio erat, cuius meminit Appianus *lib.* 2. *belli ciuil.* vbi ait, Latinitatis hoc ius fuiſſe, vt fierét ciues Romani, qui in Latinis Coloniis magiſtratum geſſiſſent. Alia item ratio fuit per legem Seruiliam, qua Latinis ius erat Ciuitatem aſſequi in locum eius, quem accuſando damnaſſent repetúdarum. Hanc legé tulit C. Seruilius Glaucia, vt docet Cic. *in orat. pro Balbo,* & Aſconius *in oratione pro Scauro.* Alias vero etiam fuiſſe, quibus Latinis pręmii loco ciuitas propoſita eſſet, Cicero in eadem oratione *pro Balbo*, indicat his verbis: *Num fundos igitur arbitramur factos populos Latinos, aut Seruilia lege, aut cæteris, quibus Latinis hominibus erat propoſitum aliqua ex re præmium Ciuitatis.* Incaſſum itaque his legibus, & modis propoſita Ciuitas Romana fuiſſet Latinis, ſi pleno iure Ciues Romani fuiſſent, & cum ſuffragio, eo quod Latini iuris eſſent, vel Latinitate donati. Quamobrem ſi quando legimus apud Scriptores Hiſtoriæ antiquæ, Latinos ſuffragia in Comitia dediſſe, id potius factum dicendum beneficio & benignitate magiſtratuum Romanorum id tribuentium ſocietati,

tati, & conſanguinitati Latinorum, qui tum forte Romæ eſſent, quum haberentur Comitia, quam iuris ac legum neceſſitati attribuamus. Quod etiam comprobare poſſumus ex Dionyſio libro octauo, vbi ita loquentem introducit Sp. Caſſium: *Latinos Romanorum conſanguineos, Vrbis tamen Romæ dominationem, & gloriam iniquo ſemper animo ferentes in amicitiam adduxi, conceſſa eis ἰσοπολιτεία, vt iam non ſibi aduerſariam vocent Romam, ſed Patriam.* Et paulo poſt: *Sp. Caſſius quam plurimos potuit Latinorum & Hernicorum ad ſuffragium euocauit ferendum; Qui frequentes conuenerunt, vt propemodum plena eſſet peregrinis ciuitas; Quo à Virginio animaduerſo, iuſſit per compita proclamari, vt omnes peregrini Roma exirent; dato ad id perexiguo tempore. Tum contra Caſſius edicto iuſſit omnes in Vrbe manere, quibus conceſſa erat ἰσοπολιτεία, donec lex prolata eſt.* Ex quibus intelligere certe poſſumus, fœdere conceſſam Latinis ἰσοπολιτείαν, hoc eſt, communem & parem cum Romanis Reipublicæ gerendæ curam, ob idque vocatos ἐπὶ τὴν ψηφοφορίαν, hoc eſt, *ſuffragii lationem.* Quod non pleno iure illis proprium fuiſſe dicendum; alioquin Virginius non tentaſſet eos à ſuffragio ſubmouere, ſed permiſſu potius, vt diximus magiſtratuum, ſeu populi vrbanitate. Quod etiam eo argumento confirmare poſſumus, quod in Hiſtoria C. Gracchi legimus, Socios Latinos Vrbe exire iuſſos à C. Fannio Conſule, ne tum Romæ eſſent, quando legibus Gracchi ferendis tribus in ſuffragium vocabantur. Ad quod pertinet illud Ciceronis pro Seſtio: *Nihil acerbius ſocii Latini ferre ſoliti ſunt, quam id, quod perraro accidit, exire de Vrbe à Conſulibus iuberi.* Si itaque Latini per leges ius habuiſſent ſuffragii, Conſules edicto non potuiſſent illos priuare ſuffragio; nam Conſules tollere non poterant, quod legibus cautum erat. Nec C. Gracchus paſſus eſſet contra quam legibus licitum eſſet, vt ſocii Latini ſuffragio priuarentur, quos ipſe euocaſſet. Quamobrem ſtatuendum, Latinis non pleno iure ſuffragii ferendi ius fuiſſe, ſed permiſſione potius, & conceſſione, vt diximus; ſicuti

ſicuti Octauianus Auguſtus, teſte Suetonio infra *cap.* 46. Coloniis duodetriginta numero per Italiam deductis iure, ac dignatione Vrbi quodammodo adæquauit, excogitato genere ſuffragiorum, quæ de magiſtratibus vrbicis Decuriones colonici in ſua quiſque colonia ferrent, & ſub diem comitiorum obſignata Romam mitterent.

Hoc autem loco non prætermittendum, donari iure Latii, ſeu Latinitatis, aliud fuiſſe à iuris Italiæ ſeu Italici donatione. Dabat enim Populus Romanus ius Italicum aliquibus, id eſt, eos immunes faciebat à præſtatione tributorum, tum agris, tum capitibus impoſitorum. Coloniæ enim, quæ donatæ fuerũt iure Italico, immunes fuere à tributis, vt habemus apud Iuriſconſultos, *C. de his l.* 3. *C. de epiſcop. & cler.* quod etiam confirmari poteſt ex Appiano *lib. belli ciu. primo,* & ex Cicero *in Bruto.* Harum Coloniatum iure Italico donatarum nonnullos recenſet Vlpianus *l.* 1. *Celſus, l. Colonia ſex.* & Paulus *l. iuris Italici* 7. *& l. finali de cenſib. in P. lib.* 50. *titu.* 14. Cuiacius tamen *obſeruat. lib.* 11. *tit.* 35. id falſiſſimum arbitratur, inquiens nonnullas Colonias immunes fuiſſe, quæ tamen ius Italicum nõ habebant, vti Colonia Cęſarienſis prima Flauia, quam Veſpaſianus deduxit, authore Plinio *lib.* 5. *c.* 13. remiſit enim ei Veſpaſianus tributum capitis primum, & poſtea Titus etiam ſolum immune factum decreuit. Quę ratio iudicio meo haud concludit; ſiquidem manifeſtum eſſet Coloniam potuiſſe eſſe immunem, & tamen non ius Italicum habere, & econtra; nam & aliæ conditiones peculiares erant tum Coloniarum, tum etiam locorum iure Italico donatorum, quibus præter immunitatem diſtinguerentur, & immunitates conceſſæ Coloniis poterant differre ab immunitate iuris Italici ſecundum magis & minus, vt hæ ſcilicet ampliores eſſent illis. Præterea, obſeruamus etiam, Colonias nonnullas appellatas etiam iuris Italici. Ita Celſus tractans de fideicommiſſo relicto Coloniæ Philippenſium, *l. baliſta, D. ad Trebel.* adiecit, Coloniam Philippenſem eſſe iuris Italici, *l. ſexta, D de cenſib.* Præterea conſtitutum erat, vt ſingulæ Coloniæ annuam penſionem Populo Romano penderent; quamuis Liuius Druſus Trib. Pleb. duodecim

Colonias

Colonias ſine onere penſionis deduxerit, ex Plutarcho *in vita Gracchorum*. Et Ilienſibus Claudius Imperator, quaſi Romanæ gentis authoribus tributa in perpetuum remiſit, & Seleuco Regi ſocietatem & amicitiam pollicitus eſt, ſi Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet, ex Suetonio in illo, *cap.* 25. & ob id Calliſtratus *in l. non tantum, §. primo, D. de excuſ. tut.* Ilienſibus Senatuſconſultis & conſtitutionibus Principum pleniſſimam immunitatem tributam tradit. Illud tamen ſciendum, iure Italico donatos, minime ciues Romanos fuiſſe.

Sed vt eo reuertamur, cuius gratia præſens tractatio eſt inſtituta, dicimus per initia Romanæ Reipublicæ, & ante Cannenſem cladem, Ciuitatem Romanam dare pleno iure maximum duxiſſe Romanos, teſte Liuio *libro* 23. Vnde L. Manlio Tuſculano ciuitatem datam fuiſſe ob ingens beneficium in Rempublicam collatum, legimus apud Liuium *libro* 3. & Soſidi Syracuſano, & Merico Hiſpano, ex eodem Liuio *libro* 26. & Cornelius Tacitus *libro* 3. ſcribit ciuitatem datam Iulio Floro Treuero, & Iulio Sacrouiro, ob maiorum benefacta, quum in rarum, nec niſi virtutis precium progredientibus temporibus data his ciuitas, non ita parce. Cæſar medicinam profeſſos, & liberalium artium Doctores præcipui muneris loco, ciuitate pleno iure donauit, teſte Suetonio in illo, *cap.* 42. ſed non ita pleno iure credendum, quod cap. 24. ſcribit Suetonius, eundem vniuerſam legionem ex tranſalpinis conſcriptam, quam ipſe Gallico vocabulo *Alaudam* vocabat, diſciplina cultuque inſtitutam, ciuitate donaſſe; quamuis idem poſtea propter quoſdam ſordidos homines, qui ipſius beneficia vendebant, tabulam in qua nomina Ciuitate donatorum inciſa erant, reuelli iuſſit, vt tradit Cic. *epiſt. Famil. libro* 13. *epiſt.* 37. Quemadmodum nec etiam Sylla, qui quum illorum ſeruos, qui ciuili bello ceciderant, partium ſuarum ciuitatis iure donaſſet, & in nouas tribus locaſſet, in quibus vltimi ſuffragarentur, qui poſtea quum rerum potiretur, & ſummam imperii teneret, illis ademit, teſte Plutarcho *in illius vita*, & Appiano *lib. 1. belli ciuilis.* Deinceps eo procedentibus temporibus ventum eſt, vt

ex

ex omni genere omnique natione terrarum ciues adſciſcerentur. Ita Iulius Cæſar Hiſpanos & Græcos in Ciuitatem Romanam adſciuit, teſte Liuio *lib.* 34. Et Claudius Imperator ex Tacito *lib.*2. omnes Gręcos, Gallos, Hiſpanos, Britannos, Sauromatas Ciuitate donauit. Quod & Otho Lingonibus vniuerſis fecit, & Antoninus Pius omnes, qui in Vrbe Romana eſſent, ciues Romanos eſſe iuſſit, ſi Vlpiano Iuriſconſulto credimus *in l. in orbe, D. de ſtatu hom.* & D. Auguſtino *lib.*5.*de ciuit.Dei,cap.*17. Vnde forte Modeſtinus *in l.Roma, D.ad municipal.*Romam communem patriam eſſe ait, de qua re lege Alciatum *lib.*2. *Diſpunctionum, cap.*21. Quod factum exiſtimandum, quia quum per initia Reipublicæ Romanæ, Ciuitatis ius à Populo, Comitiis vel Senatu daretur, vel ab vtroque, vt colligimus ex Liuio, libro 27. vbi refert, Mutinum Syracuſanum ob plurima in Rempublicam merita, ex authoritate Senatus & rogatione Populi Ciuitate donatum, pleno ſcilicet iure. Et *lib.*23. Præneſtinis militibus ob rem ſtrenue geſtam Romanum Senatum duplex ſtipendium, quinquenii militiæ vacationem decreuiſſe, & quum Ciuitate donarentur, non mutauiſſe.

At poſtea præualentibus ciuibus potentioribus, liberalius & facilius munus iſtud, quod antea fiebat parciſſime, dari cœptum, præſertim pleno iure. Quod Syllæ exemplo docuimus, & lege Gellia, & Cornelia à L. Gellio Publicola, & Cn. Cornelio Lentulo lata, anno Vrbis 681. ſancitum, vt ciues Romani eſſent ii, quos Cn. Pompeius Ciuitate donaſſet, quod Cic. *in orat.pro L.Cornelio Balbo*, tradidit, & Lex Appuleia, quam tulit L. Appuleius Saturninus, Trib. Plebis, C. Mario Sexto & L. Valerio Coſſ. decretum, vt in ſingulas Colonias ternos Ciues facere liceret ipſi C. Mario. Id muneris poſtea Imperatores in ſeipſos, quemadmodum & plura alia tranſtulere, poteſtate Populi & Senatus Romani ſibiipſis arrogata. Quod vero ad pręſentem Suetonii locum attinet, illud certe intelligendum, Auguſtum parciſſime ciuitatem dediſſe, id eſt, ciuitatem pleno iure, ſeu ius Quiritum proprium, quod tanquam quid magnum Archagaio Medico cum taberna in compito Acilio datum, primum tradit Plinius

nilus *libro 39. cap.* 1. Sic intelligenda verba Suetonii *in Galba, cap* 14. quum inquit: *Ciuitatem Romanam raro dedit.* Sic quoque & Cornelii Taciti *lib. Annal.* 3. ſcribentis: *Eoque Romana Ciuitas olim data, quum id rarum, nec niſi virtutis præmium eſſet.* Iure itaque Auguſtus Græco ciuitatem petenti reſcripſit, Non aliter ſe daturum, quam ſi præſens ſibi perſuaſiſſet, quam iuſtas petendi cauſas haberet. Et Liuiæ pro quodam tributario Gallo roganti, Ciuitatem negauit, immunitatem obtulit, affirmans, ſe facilius paſſurum fiſco detrahi aliquid, quam Ciuitatis Romanæ vulgari honorem, vt hoc eodem capite docet Suetonius.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XL.

*Et Ciuitatem Romanam parciſſime dedit, & manumittendi modum terminauit.*

LIbertas eſt naturalis facultas eius, quod vnicuique facere libet, niſi vi aut iure prohibeatur, vt definiunt Iuriſtæ, ſeu vt Cicero *in Paradox.* eſt poteſtas viuendi vt velis. Huic opponitur *ſeruitus*, quæ ademptio eſt libertatis, & qua cogitur ſeruus alieno arbitrio viuere. Liberis itaque, ſeu ingenuis opponuntur ſerui, qui & ipſi manumiſſionem adipiſci poſſunt, manumiſſionem, ſcilicet, de qua alibi abunde loquuti ſumus. Hi autem *libertini* vocabantur, & libertatem aſſequebantur triplici modo; & ideo libertas triplex enumeratur: *Maior*, quam & iuſtam hic vocat Suet. *minor* ſeu media, & *infima*. Maiorem ſeu plenã aſſequebantur libertatẽ, qui teſtamento, vindicta, aut cenſu manumittebantur, de quib. loco iam dicto, vt apud Caiũ *lib.* 1. *tit.* 1. & Vlp. *Inſt. tit.* 1. & hoc modo manumiſſi optimo iure erant ciues Romani, & ius Quiritũ obtinebant, ita vt ius teſtamentorũ, connubiorum, nexorũ, tutelarum, & reliqua priuilegia ciuium Rom. obtinerent. Mediam ſeu minorẽ libertatem aſſequi dicebãtur, qui aut per Epiſtolam, aut inter amicos, aut conuiuii adhibitione manumittebantur, & ii *Latini Iuniani* dicti fuere; Iuniani quidem, eo quod id fiebat lege Iunia Norbana, quam tulere M. Iunius Silanus, & L. Norbanus Balbus

Coſſ.

Coſſ. Anno V.C.771.quatuor poſt Auguſti mortem annos, imperante Tiberio, & poſt Chriſti Saluatoris noſtri Natalem anno 21. Hos Plinius *lib.1.cap.82.* æuo ſuo fuiſſe Coſſ. teſtatur. Hac lege manumiſſi modo dicto libertatem conſequebantur, ſed Ciuitatis ius illis minime obueniebat. Huic legi primum Senatuſcõſulto Largiano obuiam itum, de quo *l.vlt.de ſucceſſ.libert.& l.1. C.de Lati. libert.tollen.* Deinde D.Traiani edicto abrogatum. Poſtremo autẽ Iuſtiani Principis nouell.68. tota ſublata, & conſtitutum vt omnes libertini, ſublatis antiquis differentiis, ciues Romani ſint, §.*ſed hac, Inſtitut. de ſucceſſ. libert.* Latini vero dicti fuerunt etiam, quia ea duntaxat Priuilegia conſequebantur, quæ habebant coloniæ Latinæ, antequam lege Iulia Ciuitate donarentur. Minorem libertatem conſequebantur demum, qui dedititii vocati fuere, in quorum numero, qui pœnæ cauſa vincti à Domino, ob crimina cæſi publice, ob noxam torti nocentes inuenti, traditi ad ferrum, aut ad beſtias, & quibus notæ aut ſtigmata ignito ferro erant impreſſa, ex Vlpiano *tit.de libert.* Hi nullis priuilegiis fulti, viuentes liberi erant, ſed morientes teſtari nequibant, l.Ælia Sentia, lata à Sexto Ælio & C.Sentio Coſſ. anno 756. Auguſti temporibus, quam legem habemus *in Authen. Conſtitut. ibi, à Republica ex corpore legum ſuarum ablegatam.* Hanc legem Auguſto inſtante latam credimus, vt Ciuitatem contaminatam ſeruili colluuione corrigeret, ſeruos à iuſta & plena libertate multis difficultatibus remouens, quod hic Suetonius & Dionyſ.Halycarnaſſ.*lib.*4.tradidere. Illud hoc loco adnotare libet, quod de ſeipſo ſcribit Ioſephus *libro 5. belli Iudaici*, ipſum ſcilicet à Veſpaſiano emiſſum è vinculis, catena ſecuri deciſa, vt vna cum vinculis ignominia ſolueretur. Ex dictis facile explicatur locus Plauti in Caſſina, vbi ait ſeruus:

*Tribus conduci non poſſum libertatibus,*
*Quin ego hodie illis comparem magnum malum.*

C. SVET.

# C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

## CAP. XL.

***Ac viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus, & clamitans, En, ait, Romanos rerum dominos, gentemque togatam.***

PVllatos hic vocat Suet. veſte pulla indutos, qua veſte indui ſolebant non ſolum qui lugubrem habitum ferebãt ob alicuius mortem, vel ob reatum aliquem, ſed & hac etiam induebantur viliores perſonæ, quod ex hoc loco Suet. colligimus, necnon ex alio infra *cap.* 44. vbi habet: *Sanxitque ne quis pullatorum media cauea ſederet.* Ex Quintiliano item *lib.* 2. *c.* 13. vbi inquit: *Collidere manus, terra pedem incutere, ferire pectus, frontem cedere, mire ad pullatum circulum pertinet,* hoc eſt, ad cumulum rudium, & imperitorum hominum. Et Plinius *lib.* 7. *Epiſt.* Pullatos *ſordidos* appellat. Sic Cic. *in orat. contra Vatinium* illi obiicit, quod in epulo Q. Arrii cum toga pulla diſcubuerit, atratus ſcilicet, quum Arrius & alii conuiuantes in alba ſederent. Et *in orat. in Verrem,* illi opponit, quod cum tunica pulla & pallio inceſſerit. Illud autem nec omittendum, huiuſmodi veſtem non ſolum ex colore, ſed & forma, vile indumentum fuiſſe; ſiquidem qui Principes viri funus faciebant, nigra Prætexta vtebantur, teſte Feſto Pompeio *lib.* 14. Thraces, teſte Plutarcho *in vita Pauli AEmilii*, in aciem prodibant induti tunica pulla. Et Pompeius qua die ad Pharſaliam profligatus fuit, pullo amiculo fuit indutus, quod refert Alex. ab Alex. *lib.* 5. *c.* 13. Sed cuius authoritate, neſcio. In ſtatutis militum Hieroſolymitanorum *tit.* 4. ſancitum, ne in funere cuiuſuis Equitis, nec etiam magni magiſtri, quis, ſiue fuerit frater, ſiue ſecularis, pullatus fuſus ſequatur, ob hanc forte cauſam, quod vile indumentum pullum cenſuerint. Spartianus *in Adriano*, Senatores & Equites Romanos ſemper in publico togatos eſſe iuſſit, niſi ſi à cœna reuerterentur. Ipſe quum in Italia eſſet, ſemper togatus proceſſit. Capit. *in M. Antonino* ait: *Veniens in Italiam, togam ipſe ſumpſit, & milites togatos eſſe iuſſit, nec vnquam ſagati ſub eo fuerunt milites*

Eſt & aliud apud apophoretum *lib.eod.c.*133.Lacernæ.

*Non eſt lana mihi mendax, nec vtor aheno,*
*Si placeant Tyriæ,me mea tinxit ouis.*

Quo ſignificatur, eas eſſe albas; nam his lacernis albis vtebantur in ſpectaculis,teſte eod. Martial.lib.4.Epigr.2.

*Spectabat modo ſolus inter omnes*
*Nigris munus Horatius lacernis,*
*Cum plebs & minor ordo, maximuſque*
*Sancto cum duce candidus ſederet,*
*Toto nix cecidit repente cœlo,*
*Albis ſpectat Horatius Lacernis.*

Et Iuuenalis Sat. 2.

*Criſpinus Tyrias humero reuocante Lacernas.*

Quo oſtenditur, facile deponi lacernas, & quæ tantum togis ſuperponerentur. Cic. ſecunda Philipp. *Primum luce non tenebris, deinde Rhodius cum calceis, non toga, nullis nec caligis, nec Lacerna.* Gellius *lib.*13. *c.* 20. citat Ciceronem *in* 2. *Antoniana* dicentem, *Cum Gallicis,& lacerna cucurriſti.* Et *lib.eod.cap.*5. refert Caſtritium ſummumRhetorem ſpectatum à D.Hadriano ob mores, atq; literas, quum diſcipulos ſuos quoſdã Senatores vidiſſet die feriato tunicis & Lacernis indutos, eis dixiſſe: *Equidem maluiſſem vos togatos eſſe.* Permittebatur autẽ pluuię & frigoris cauſa,pręſertim in Theatro,ac ludorũ ſpectaculis, ad arcendã cœli iniuriã togæ lacernã ſuperinducere. Quod ex iã dictis colligitur,& ex Plin.*lib.*19.*c.*25.vbi de Vergil.ſydere inquit:*Nubilo occaſu pluuioſam hyemẽ denuntiant,ſtatimq; augent lacernarum pretia.*Suet.*in Claudio*,*c.*6.ſcribit,ei aduenĩeti ſpectaculis, Equeſtrem ordinẽ depoſitis lacernis aſſurgere conſueuiſſe. Am.Marcel. *lib.*14.ſic habet: *Sudant ſub ponderibus lacernarum, quas in colli exerta ſingulis ipſis adnectant.* Ex quibus lacernarũ geſtatio qualis eſſet,colligitur. Quo loco non *ſingulis*, ſed *fibulis* legendum puto; nam fibulis circa colli exerta adnectebantur lacernæ, ne aliqua ex parte prolaberentur; Nam vtrinq; humeris ſuperindui poterat, & ex vtraq; quoq; parte reiici,iuxta illud Iuuenalis Saty.2.

*Criſpinus Tyrias humero reuocante lacernas,*

Quod vero inquit Suet. Auguſtũ cauiſſe, ne Ædiles poſthac

Paterentur Romanos in foro & circo niſi poſitis lacernis togatos cõſiſtere, decreti cauſam deſumptam, quod in concione pullatorum turbam vidiſſet, ita intelligendum, quod quo ad formam, pulla veſtis à lacerna non multum differret, ſed tantum in colore; nam lacernæ modo albæ, modo purpureę erant, vt ex dictis facile elicitur, pulla vero ſemper nigra, &c. Quamuis & nigris lacernis, præſertim ob luctum, aliquos quandoque vſos, ex Martialis loco ſuperius adducto cenſendum eſt.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XLI.

*Senatorum cenſum ampliauit, ac pro octingentorum millium ſumma, duodecies H.S. taxauit.*

PRæter ea quę alibi adnotauimus, ſciendum, ex hoc Suet. loco clare colligi, vt perbelle ſupputat Budęus *lib. 2. de aſſe*, Auguſtum ampliaſſe cenſum Senatorum, qui ante erat viginti millium ad triginta millia, id eſt, tertia parte pluris, quod etiam ex Iuuenalis dictis colligi facile poteſt, qui ita habet Satyra 3.

*Menſura tamen quæ*
*Sufficiat, ſi quis me conſulat edam.*

Et paulo poſt:

*Bis ſeptem ordinibus quam lex dignatur Othonis*
*Hoc quoque ſi rugam trahit extenditque labellum,*
*Sume duos equites, fac tertia quadringenta.*

Quum enim Equeſter cenſus eſſet, vt alias docuimus, quadringenta ſeſtertia, hoc eſt, decem millia coronatorum, hæc ſumma triplicata triginta millia aureorum cenſum Senatorium fuiſſe conſtat. Quæ etſi Lipſio *elect. 2. c. 17.* minime probari videantur, ex Dione *lib. 54.* vbi duobus in locis Senatorium cenſum fuiſſe tradit 25. myriadum, hoc eſt, vt Plutarchus *in vita Antonii* teſtatur, decies, H-S. & nõ 12. H-S. vt hic Suet. Ego tamen magis Suet. & Iuuenali aſſentior, quũ Dion minus clare rem explicet, & Plutarchi locus nihil de cenſu Senatorio habeat. Nec ſane mirandum, Alex. ab Alex. *lib. Genial. 4.*

*nial.*4.*c.*11. ſcripſiſſe, Cenſum Senatoriũ olim fuiſſe ad nummos octingentos millium; ibi enim de primæuo Senatorio cenſu verba facit, nondum aucto ab Auguſto ad duodecies centena millia ſeſtertium nummum. Qui primus cenſus Senatorius factus poſtremis temporibus, vt inquit Plinius *in proœmio, lib.* 14. Hoc à Cæſare Dictatore primum factum ex hiſtoria confirmamus, Senatores enim antea erant multi, qui non valde magnum cenſum habebant, quod præter ea, quæ alias diximus, etiam innoteſcit, quod Tribuni plebis ex quinque claſſibus fiebant, teſte Liuio, qui poſtea in Senatum legebantur poſt Aſinium plebiſcitum, *ex Gellio libro* 14. *cap. vltimo*, & tamen quintæ claſſis cenſus exiguus erat, ex eodem Liuio. Tiberius, *ex Cornelio Tacito lib.*2. cenſum Senatorium iuuit, egentiſſimos loco cedere coegit, & Claudius eos laudauit, qui ob rei familiaris anguſtiam Senatorio ordini ſponte ceſſere, *ex eodem Tac. lib.* 11. & lib. 1. de Tiberio inquit: *Propertio Celeri Prætorio veniam ordinis ob paupertatem petenti decies ſeſtertium largitus eſt*, id eſt, decies centena millia nummum, ſi Budæo credimus *lib.*2.*de aſſe*, id eſt, 25. millia aureorum coronatorum. Suetonius *in Veſpaſiano, cap.*17. ſcribit eum in omne genus hominũ liberaliſſimum expleuiſſe cenſum Senatorium, id eſt, vt ego interpretor, Senatores plenũ cenſum non habentes iuuiſſe. Et Nero Senatoribus pauperib. annua ſalaria, & quibuſdam quinaria ſtatuit, *ex Suetonio, in illius vita, cap.*10. Non immerito ſane Plinius *lib.*14. poſteriorum temporum mores inſectans ait: *Reges innumeri honore artium colebantur, & in oſtentatione has proferebant, opem & immortalitatem per illas ſibi prorogari arbitrantes. Quare abundabant & præmia & opera vitæ. Poſteris laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit, poſtquam Senator cenſu legi cœptus, iudex fieri cenſu, magiſtratum ducemque nil magis exornare, quam cenſus, poſtquam cœpere opes in authoritate ſumma & potentia eſſe, captatio in quæſtu fertiliſſimo, ac ſola gaudia in poſſidendo, peſſum iere vitæ pretia, omneſque à maximo bono liberales dictæ artes in contrarium cecidere.* Et Ouid. lib. 3. amorum.

*Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores,*
*Inde grauis iudex, inde ſeuerus eques.*

 Et

Et Propertius lib. 3.

*Aurea nunc vere ſunt ſecula, plurimus auro*
*Venit honos, auro conciliatur amor,*
*Auro pulſa fides, auro venalia iura.*

Et Horatius lib. 1. Epiſt.

*Scilicet vxorem cum dote, fidemq; & amicos,*
*Et genus & formam regina pecunia donat.*

Et lib. 2. Serm.

———— *Omnis enim res,*
*Virtus, fama, decus, diuina, humanaq; pulchra*
*Diuitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille*
*Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, ſimul & Rex,*
*Et quicquid volet.*

Et Iuuenalis Saty. 3.

*Protinus ad cenſum, de moribus vltima fiet*
*Quæſtio.*

Et Lucretius lib. 5.

*Poſterius res inuenta eſt, aurumq; repertum*
*Quod facile & validis & pulchris dempſit honorem,*
*Diuitioris enim ſectam plerumq; ſequuntur.*

Petronius.

*Quiſquis habet nummos, ſecura nauiget aura,*
*Fortunamq; ſuo temperet arbitrio,*
*Vxorem ducat Danaen ipſumque licebit*
*Acriſium ... credere quod Danaen,*
*Carmina componat, declamet, concrepet omnes,*
*Et peragat cauſas, ſitque Catone prior:*
*Iuriſconſultus paret, non paret, habeto,*
*Atque eſto quicquid Seruius & Labeo.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
### CAP. XLII.

*Magna vero quondam ſterilitate ac difficili remedio quam venalitias, & Laniſtarum familias, peregrinoſque omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partemque ſeruitiorum Vrbe expuliſſet.*

QVi eſſent Laniſtæ, ſuperius in *Cæſ. c.* 26. docuimus, hoc loco ſat eſt dicere, Laniſtas fuiſſe magiſtros & inſtitutores

tores gladiatorum; Hi enim pueros venalitios ementes, eos ad gladiatoriam artem inſtruebant, atque vt peritia magis præſtabant, ita & cariores vendebantur, quorum maximam copiam Romæ fuiſſe, ex hoc patere poteſt, quod ad ſterilitatem minuendam eos Auguſtus ab Vrbe abegerit, ſicuti & illos, qui ſeruos venales habebant, Vrbe expulit. Non ſolum enim publice alebatur à Laniſtis maximus numerus gladiatorum, quos venundabant illis, qui in ſpectaculis publicis pugnas gladiatorum exhibebant, ſed & apud proceres Romanos & diuites integræ familiæ eorundem numeroſiſſimæ in eundem vſum alebantur. Ita legimus apud Cæſarem *lib. 3. belli ciu.* M. Cœlium Rufum Senatus decreto Repub. amotum, Milonem ob Clodii necem damnatum, ſibi adiunxiſſe, eo quod magnis muneribus datis gladiatoriæ familiæ reliquias habebat. Et *libro 1. belli ciu.* Lentulum gladiatores, quos ibi Cæſar in ludo habebat, in forum productos, eiſdem libertatem confirmaſſe, iis equos attribuiſſe, & ſe ſequi iuſſiſſe. Gladiatorum familias recenſet Cice. *pro Syll.* & C. Terentius, auctore Plinio *libro 34. cap.* 7. Gladiatorum quadraginta paria in foro per triduum auo ſuo à quo adoptatus fuerat, dedit. Et C. Seruilius in funere P. Licinii Craſſi, Pont. Maximi fratris ſui, exhibuit Gladiatores 120. qui pugnarunt, teſte Liuio *libro 39.* & T. Flaminius mortis cauſa patris ſui, munus gladiatorium exhibuit, in quo per triduum quatuor & ſeptuaginta homines pugnarunt, *ex eodem Liuio in calce libro* 41. Cæſar Ædilis 320. gladiatorum paria in ſpectaculum exhibuit, teſte Plutarcho *in vita illius*, & Suetonius de eo ſcribit, c. 10. *Nam quum multiplici vndique familia comparata inimicos exterruiſſet, cautum eſt de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam habere Romæ liceret.* Illud ſane minime reticendum duximus, nō ſolum gladiatorium munus per Laniſtarum familias exerceri ſolitum, ſed & etiam per alios, puta per captiuos, quo pacto Annibal ſpectaculum gladiatorium exercitui ſuo præbuiſſe, ac pugnantia aliquot paria captiuorum montanorum, idem author refert *lib. 21.* Aliquando etiam per voluntarios pugnatores munus gladiatorium perfectum tradit idem Liuius *lib. 28.* vbi habet:

*Scipio Carthaginem ad vota tribuenda Diis, munuſq; gladiatorium, quod mortis cauſa patris patruiq; parauerat edēdum, rediit.* Gladiatorum ſpectaculum fuit nonnunquam nō ex eo genere hominum, ex quo Laniſtis comparare mos eſt, ſeruorum delectu, ac libertorum, qui venalē ſanguinem habēt, ſed voluntaria omnium, & gratuita opera pugnantium fuit; nam alii miſſi ab Regulis ſunt ad ſpecimen inſitę gentis virtutis oſtēdendum, alii ipſi profeſſi ſe pugnaturos, in gratiam Ducis, alios æmulatio & certamen vt prouocarent, prouocatique haud abnuerent, traxit; quidam quas diſceptando controuerſias finire nequiuerant, aut noluerant, pacti inter ſe, vt victorem res ſequeretur, ferro decreuerunt; Neque obſcuri generis homines, ſed clari illuſtreſq; Corbis & Orſua patrueles fratres apud Liuium de principatu Ciuitatis, quamobrem vocabant ambigentes, ferro ſe certaturos profeſſi ſunt. Non ſolum vero in funere in honorem demortuorum gladiatorium munus exhibitum, ſed & Romanos in Feſtis, in Amphitheatris, foro, & circo, quinimo, & in conuiuiis à Tyrrhenis conſuetudinē mutuatos adhibuiſſe, locupletiſſimus teſtis eſt Athenæus *lib.* 4. *Dipnoſophiſtarum*, authoritate Nicolai Damaſceni Philoſophi Peripatetici.

Non modo vero ad minuendam ſterilitatem Auguſtus Gladiatorum familias Vrbe expulit., ſed poſt illum ſuccedentibus temporibus penitus munus Gladiatorium Chriſtianæ fidei lumine tenebras diſſipante ſublatum ſcimus. Ita Iuſtinianus Imperator *l.* 2. *Cod. lib.* 43. non immerito prohibet gladiatoria ſpectacula tanquam cruenta præberi, & D. Cyprianus *lib.* 2. *Epiſt. in Epiſt. ad Donatum*, gladiatoriam voluptatem execratur his verbis: *Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet, homo occiditur in hominis voluptatē, & vt quis poſſit occidere, peritia eſt, vſus eſt, ars eſt, ſcelus non geritur, ſed docetur.* Præterea Lactantius Firmianus *lib.* 6. *de vero cultu, cap.* 20. ample deteſtatur gladiatoria munera. Otho. *libro* 4. *Chroni. capite* 16. refert, Arcadio & Honorio imperantibus, ſedente Romæ Damaſo Summo Pontifice, ab Oriente veniſſe Dirimachium quendam monachum, & quum ſpectaculo gladiatorio vidiſſet Populum

Romanum

Romanum operam dare, & huiuſmodi lætitiæ genus tamquam dirum & inhumanum abominaretur, Tribunitia quadam facundia longa oratione cum populo egiſſe, vt Laniſtas vrbe pelleret, atque ab eorum ſpectatione abſtineret, verum nihil obtinuiſſe, quinimo intempeſtiuum illius conſilium atque ſuaſionem ægre ferentem, illum declamantem lapidibus obruiſſe. Qua de cauſa Imperatores illo in numerum Diuorum relato, lege ſanxerunt, ne poſthac gladiatores vſquam eſſent, & eorum cruenta ſpectacula penitus è Republica tollerentur. Nicephorus Caliſtus *libro 13.cap.1.* atque Theodoretus *lib.2.Hiſt.Tripart.cap.2.* huic hiſtoricæ narrationi conſentiunt, quamuis *Thelemacum*, non *Dtrimachium* appellent. Scribunt quoque idem Nicephorus *lib.7.cap.46.* & Sozomenus *lib.1.Hiſt.Tripart.cap.9.* Conſtantinum Magnum, deuicto Licinio, ſpectaculum gladiatorum decertantium Romæ frequentari ſolitum, prohibuiſſe. Tatianus Iuſtini martyris diſcipulus *in oratione contra Græcos*, illis exprobrat, quod oblectarentur aſpectu gladiatorum pugnantium in ſpectaculis, quodque ita mente eſſent Anthropophagi, vt emerent nutrirentve ſeruos, vt occiderentur in ſpectaculo, & coronarentur Athletæ homicidæ ab Agonotheta & munerario. Franciſcus Petrarcha *lib.5.Epiſt.Epiſt.73.* huiuſmodi ſpectaculum deteſtatur, quod Neapoli ſe vidiſſe teſtatur, neque fidendum ei ciuitati admonet, in qua hominem innoxium in ludo occidi accidat, Virgilianum illud vſurpans:

*Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.*

Et Plinius Iunior *lib.4.Epiſt.* Gymnicum agonem deteſtatur, Clemensque Alexandrinus *lib.3.Pædagog.cap.11.* ſcribit, non ſapere ciuitates, quibus ludus pro re ſeria habetur, neque enim ludi ſunt inanis gloriæ cupiditates, quæ ad efficiendum mortes adeo ſunt immiſericordes. Quis enim non deteſtetur certamen, in quo pugnantes quam grauius poterant, ſeſe ferire ſtudebant? & non modo, (quod ſcripſit Scribonius Largus, qui tempore C. Tiberii Cæſaris & Meſſalinæ medicinam Romæ exercuit,) contuſiones in luctationibus paterentur, ſed etiam non raro vſque ad alterius,

vel etiam amborum pugnantium interitum certamen protenderetur, quemadmodum præter Athenæum & Plutarchum Gal. quoque teſtatur *3.lib.de compoſit. medicament. per genera.* i quiens, ſe g'a liatores grauiter vulneratos curaſſe, & ob id à ſuæ ciuitatis Pontifice in eorum medicum cooptatum fuiſſe. Quin auctor eſt Gellius *lib.7.c.3.* gladiatori ad pugnandum compoſito pugnæ hanc propoſitam ſortem fuiſſe, aut occidere, ſi occupauiſſet, aut occumbere ſi ceſſaſſet. Et Cic. *2.Tuſcul.* memoriæ mandauit, eoſdem vulneribus confectos ad Dominos mittere ſolitos, qui quærerent, quid vellent, ſi ſatisfactum iis non eſſet, ſe velle decumbere, nam vſque adeo mortem & vulnera intrepide obibant, vt nec ingemiſcerent, nec vultum mutarent. Ita & Plutarchus *lib.5.Sympoſ.* ſcriptum rel'quit, in Piſa ciuitate & Elide Peloponneſi regione Monomachiam, ſeu ſingulare certamen, in Iouis ſacris vſque ad mortem deuictorum, cadentiumq; iugulationem procedere conſueuiſſe.

Præter gladiatores, qui iure ablati ſunt, & exhiberi prohibiti in ſpectaculis, necnon in monomachia, ſeu duello dicto, iudicialis pugnæ genere per Tridentinã Synodũ *ſeſſ.9.* recte prohibitæ, & à Principibus Chriſtianis tollendæ. Torneamenta quoq; ſeu decurſoriæ pugnæ *Gioſtre* dictæ, in quibus mortis periculum imminet, per conſtitutionem ſanctam Clem.5. deteſtata & ablata fuere, quum in iis decedentibus denegetur ſepultura, *extra, cap.1. & 2. de torneamen. lib.5. Decretal. tit.13.* & horum loco à nobilibus & Principibus cæteræ ſpecies torneamentorum in vſum trahendæ, eo quod periculo mortis vacent, puta quæ Bateræ, curſus ad annulum, & ad hominem ligneum, *Quintanam* dicunt, quibus militiæ ſtudentes ſe exercere poſſunt, & populum ſpectantem voluptate afficere.

Illud profecto haud ſatis mirari poſſum, quod & Reip. Romanæ libertatis tempore, & ſub Imperatoribus nobiles, ignobiles, Conſulares & Imperatores ipſi ſpectacula adeo inhumana, ac omni ſæuitia plena libentiſſime, maximaque cum voluptate intuerentur, ita vt Nero pugnantes gladiatores adeo attente ſpectaret, vt ad refocillandum viſum,

ſum,acutioremque reddendum ac robuſtiorem, per Smaragdi lucidum virorem intuitus ſit,teſte Plinio, *lib.37.cap.5.* Adeoque valuit huiuſmodi ſpectaculi genus ad populi fauorem conciliandum, vt ex capite legis Iuliæ *de ambitu*, à Cicerone Conſule latæ,quod citatur *in oratione pro Seſtio,& in Vatinium*, & de qua Dion *libro* 37. vetitum ſit, ne gladiatores eo biennio, quo quis petierit, aut petiturus ſit, dare liceret. Et Dolobella cenſuit ſpectaculum gladiatorium, per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui Quæſturam adipiſcerentur, teſte Tacito, *Annal.lib.*11.& Tiberius Imperator coactus fuit impenſas gladiatorum nimias coercere,paribus gladiatorum ad certum numerum redactis,ex Suetonio *in illo,cap.*34. Eo enim proceſſerant,vt aliqui,quamuis diuitiis haud affluentes, ad captandam popularem auram gladiatores multa pacta mercede ad ſpectacula exhiberent.

Quid autem per venalitias familias intellexerit Sueton. videndum modo. Venale dicitur, quicquid venditioni expoſitum eſt; ita Cicero *lib.3. Offic.* hortos venales appellat. Et *in oratione contra Rullum*, poſſeſſiones venales vocat. Ita apud Iuriſconſultos *l.*1. *C. de rerum permutat.* venalis poſſeſſio,quæ vendenda proponitur. Quamuis aliquando ignominiam ſignificet. Ita Saluſtius *in Iugurt.* vrbem venalem appellat,in qua homines pretio, non iure agant. Et Cic.in Anton. *Quum domi ſua turpiſſimo mercatu omnia eſſent venalia.* Et rurſus:*Vt haberet omnia iura regna venalia.*Et iterum:*Venalem in Sicilia iuriſdictionem habuit.* Necnon & habere fidem venalem,& proponere fidem venalem. Et in Saluſt *Saluſtius nihil in eo honore non venale habuit.* Et *in orat.*Syros venales appellat. Et apud Iuriſtas venalis ſententia,quæ pretio fertur, *l.venales, C.quando prouoc. non eſt neceſ.* Venales, ſi nihil aliud addamus, proprie ſerui vocantur,qui ad vendendum ſunt expoſiti,*ex Quintil.lib.8.c.*1.& præſertim ſerui nouitii ita appellãtur I.C. *ex l.*11. *D.de neg geſt.* Ita & Seneca *lib.4.de benef.c.*32.ſcribit:*Mercator vrbib. prodeſt,medicus ægrotis,mãgo venalibus.* Idẽ li.2.*Detrahis veſtimẽta venalib.ne q̃ vitia corporis lateãt.* Eadẽ in ſignificatione vſus eſt Plin.*li.*35.*c.*17. Ita & Cic.*in orat.poſt reditum,*

*reditum*,Cappadocem modo abreptum de grege venalium dixit. Et in orat.pro Q.Fratre: *Publ.qui ex Gallia pueros venales adducebat*.Et de Orat.*Manlianæ leges venalium vendendorum.* Et Quintil.Declamat.338. *Quum forte videret puerum venalibus interpoſitum*. Et Suet.in lib. de clar.Rhetor. *Venalitij quum Brundufii gregem venalium naui educerent.* Venales autem (vt diximus) proprie nouitii ſerui dicuntur, ex Quintil.*loco citato*, & Iuriſtis, & ex Cic.in orat.pro domo: *Iſte nouitius Ligur venalis aſcriptor & ſubſcriptor tuus.* Et Plin.Epiſt. 21. lib.1. *Credo decentes eſſe ſeruos, qui mihi ſunt empti conſilio tuo, ſupereſt vt frugi ſint, quod de venalibus melius auribus, quam oculis iudicetur.* Horat.Satyr.1.

*——————— Etſi*
*Reticulum panis venalis inter onuſto*
*Forte vehas humero.*

Venalitios eſſe magones,ex hoc Suetonii loco patet,& magis ex Cicer.*in Orat*.vbi habet: *Neq; me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalitij mercatoresq; ſuperarunt.* Ita & appellatos venalitios mangones, apud Iuriſtas legimus,*l.vlt.D.de ædil.edict.* Quamuis venalitiarii eiſdem etiam vocentur mancipiorum negotiatores, *l.*207.*D.de verborum ſignificat.l.*1.§.1.Et nos venalitiariam vitam exercere, Vlpianns dixit *l.*73.§.*fin.D.de leg.*3.& venalitia pro venalibus,ſicuti ſeruitia pro ſeruis dixit, *l.*5.*de iur.deliber.* & è venalitio nouitiorum emere,dixit Venuleius *l.vlt.de ædil.edict.* pro, ex corpore ſeu grege venalium,velut alii interpretantur, ex venalitio,id eſt,loco, vbi nouitii ſerui venduntur. Cæl.Rhodig. *lib.*28.*cap.*10.adnotauit locum, quem inſcenderent venalitii, ab Ariſtophane vocatum τρἀπεζα. Venalitium tamen aliquando etiam à Iuriſtis appellatur vectigal rerum publicæ venalium,*l.*4.*C.de proximis ſacro.ſcrin.*Ex dictis patet,*venalitium* adiectiuum quid ſignificet,id eſt, venale, vnde *venalitia familia*,id eſt,venalium, vt Pomponius I.C.*l.ſed etſi*,31.§.*fin.D.de donat.inter vir.& vxor.*In qua ſignificatione & hic familias venalitias accepit, id eſt, ſeruorum vendendorum, præſertim nouitiorum, quos veteratoribus opponunt Iuriſtæ,*l.vlt.D.de ædil.edict.* Nam quicunque ex venalitio nouitiorum

dorum emptus, alicui miniſterio propoſitus ſit, ſtatim eum veteratorum numero eſſe. Et Martianus veterana etiam mancipia vocat, ad differentiam nouitiorum, qui anno continuo in vrbe, non in agro ſeruierunt, *in l. interdum, §. quoties, D. de publ. & vectigal.* Venuleius tamen *in l. vlt.* aliter hanc rem explicat, inquiens, Veteratores non ſpatio ſeruiendi, ſed genere & cauſa æſtimandos eſſe, ita vt veterator ſit ſeruus alicui turpi aut ſordido miniſterio addictus, nouitius vero, qui vel nulli adhuc, vel nobili alicui miniſterio ſit præpoſitus. Sed quomodocunque res ſe habeat, Suet. hoc loco per venalitias, familias vendendorum ſeruorum indiſtincte accepiſſe, iure exiſtimandum puto.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XLV.

*Itaque corollaria & pramia alienis quoque muneribus ac ludis, & crebra & grandia de ſuo offerebat.*

COrollarium, auctore M. Varrone *lib. I. de ling. Lat.* ſignificat communi ſignificatione id, quod additum eſt præter illud quod debitum, tanquam auctarium quoddam. Omnis itaq; acceſſio & additio lucroſa *corollarium* dici poterit. Ita Cic. *in Verrem*, illius auiditatem exprobrans, inquit: *Cœnabat apud Eupolemum, argentum is cæterum purum appoſuerat, ne purus ipſe relinqueretur, duo pocula non magna, veruntamen cum emblematis. Hic quaſi feſtiuum acroma, ne ſine corollario de conuiuio decederet, ibidem conuiuis inſpectantibus emblemata auellenda curauit.* Ex quibus liquet, Ciceronem Verri exprobraſſe auiditatem, quum illi nec conuiuium nec argentum purum ſat fuiſſet, verum etiam & emblemata corradi mandaſſe, tanquam corollarium, id eſt, additamentum lucri. Pecuniarum corollarium apud eundem *in Verr.* obſeruamus, dum ait: *Vt eſſet, vnde Apronio ad illos fructus orationum hoc corollarium nummorum adderetur.* Apud Plinium 21. *lib.* corollarium accipitur pro corollis ipſis, quæ in ludis ſeu muneribus publicis, quando actores placuiſſent, illis dabantur;

ait

ait enim: *Paulatim Romæ ſubrepſit appellatio, corollis inter initia, propter gracilitatem nominatis mox & corollariis, poſtquam è lamina area, tenui & aurata, aut inargentata dabatur.* Apud eundem Plinium, *lib* 19. corollarium pro ſupranumerario poſitum obſeruamus, vbi loquens de Cleopatræ conuiuio inquit: *At illa corollarium id eſſe, ſumptuumq́, in cœna taxationem confirmans*, quaſi dicat, ſupra cœnæ taxationem, quam ſe ſponſione interpoſita ſumptuoſiſſimam Antonio paraturam promiſerat. Ita & ſcriptores quum aliquid extra ordinem rei tractandæ addunt, *corollarium* appellare paſſim conſueuere. Apuleius poſticam Venerem ſeu præpoſteram ſymbolicos corollarium appellauit, inquiens: *Mihi iam fatigato de propria liberalitate Photis puerile obtulit corollarium.* Quod vero ad præſentis textus dilucidationem pertinet, dubio procul vox iſta *corollaria* accipienda pro coronis, vel pro donatiuo aliquo, quo Auguſtus etiam in aliorum ludis actores proſequebatur; nec in alia ex Plinio ſignificatione accipiendam puto, quia munificentiam Auguſti Cæſaris, quam efferre Suetonius ſtudet, minueret. Erant enim coronæ illæ leuiſſimi valoris, *ex Plinio, loco ſuperius allegato.* Quinimo & Cicero *in Frumentaria* ſcribit: *Noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum bonis ac de ſcenicorum corollariis decumam emerunt.* Magis itaque congruet Auguſti liberalitati, ſi interpretemur *corollaria*, id eſt, munera, & etiam adiectiuis illis, *crebra & magna*, ita vt ſenſus ſit, quod in alienis muneribus & ludis, nedum in ſuis, Auguſtus actoribus propoſuerit non ſolum magna præmia, ſed & crebra etiam corollaria. Sicut enim pretium dicitur, quod pro re empta datur, ita præmium, quod in ludis pro victoria dandum proponitur, ita dictum, quaſi præuium, quia primum proponitur, quod dandum eſt victori, deinde certatur.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XLV.

*Nulloq; Græco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemq; honorauerit.*

MIrum ſane, quantum in huius loci explanatione hallucinentur interpretes omnes, quos hactenus viderim, dum alii Græca certamina interpretantur, id eſt, facta in Græcia, alii Romæ, ſed more Græco; quamplurimi ſacra & ludos apud Græcos celebrari ſolitos, vt conſtat ex lectione hiſtorica, quorum maximam partem recenſet Alex. ab Alex. *lib. Genial. 5. c. 8. & lib. 6. c. 19.* Nos tamen, quia Suetonium minime verba facere exiſtimamus, nec de certaminibus in Græcia vel Romæ, Græco more factis, hæc miſſa facimus, exiſtimantes, Suetonii dicta intelligenda de certaminibus à Græcis hominibus athletis ſeu pugilibus Romæ factis, ob idq; vocari Græca certamina, ad differentiam eorum, quæ fiebant à Latinis, quod veritati conſentaneum eſſe, ſubſequentia verba oſtendunt, quum ait: *Spectauit autem ſtudioſiſſime, & pugiles Latinos, quos etiam committere cum Græcis ſolebat.* Ad id ſpectare videtur illud Horatii in Epiſt. ad Auguſtum:

*Venimus ad ſummum fortunæ, pingimus, atq;*
*Pſallimus, & luctamur, Achiuis doctius vnctis.*

Si enim de certaminibus Græcis proprie ἀγῶνες dictis, quæ quatuor præcipue fuere, vt ſcribunt Budæus *in prior. adnot. in Pand.* & Pollux *lib. 3. c. 30.* & Cæl. Rhod. *lib. 13. c. 30.* nempe, Olympia, Pythia, Nemea, & Iſthmæa, meminiſſet vtique Suet. illorum, nec ita ieiune de illis ſcripſiſſet, nulla eorum facta mentione, quæ tamen ſumma ſpectacula olim fuiſſe, nemo eſt qui ambigat. Præterquam quod nunquam huiuſmodi Romæ celebrata, ſed duntaxat in Græcia, præſentibus Imperatoribus & militibus Romanis, non ſemel apud Liuium obſeruamus; ſique Auguſtus in Græcia prouincia huiuſmodi certamina ſpectaſſet, id profecto Suet. nec alii hiſtorici reticuiſſent. Quibus accedat, quod iam diximus, ſequenti nimirum lectioni textus, minime aptari poſſe expoſitorum interpretationes.

C. SVET.

# C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

## CAP. XLV.

*Coercitionem in hiſtriones, magiſtratibus in omni tempore & loco lege vetere permiſſam, ademit.*

NOmen *coercitio* eſt deriuatum à verbo *coerceo*, id eſt, *reprimo, reſtringo*. Ita *coercere aquam, ne dilabatur*, dixit Cicero *in Top.* Et de clar. orat. *Fluuium extra ripas diffluentem coercere.* Et Iuriſtæ *in l. 1. §. penult. D. de font.* Coercere arbores etiam eſt ramos conſtringere & circumcidere, ne eorum vmbra vicino prædio noceat; qua in ſignificatione ſoli Iuriſtæ *in l. 1. §. deinde, D. de arbor.* Alias coercere, tum de pecuniaria, tum de corporali pœna vſurpatur. In priori ſignificatione Cic. de Orat. *Coercere aliquem ablatis pignoribus.* Item apud Iuriſtas *coercere pignoribus* dicitur *in l. 4. §. 1. D. de damn. infect.* Cic. in Offic. *Eos morte, exilio, vinculis, damno coercent.* Et lib. de Legib. 3. *Magiſtratus ciuem nec obedientem, multa, vinculis, verberibus coercento.* Sic Iuriſperiti *in l. 6. D. de pœn. l. nemo 7. D. de regul. iur.* Hinc *coercitio*, animaduerſio pecuniaria, ſeu in corpus dicta, cuius variæ ſpecies ſunt. Quædam enim capitalis, *l. hac ſtipulatio, 200. D. de verb. ſignific.* quæ ad corporis punitionem pertinet, & dicitur publica caſtigatio ſeu coercitio. Quædam vero eſt modica, *apud Paulum l. ſinal. D. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdict.* ad miſtum imperium pertinens, quæ pecuniaria eſt. Eſt & leuis coercitio, *apud Vlpianum in l. prætor 7. §. præterea, D. de iniur. & l. non ſolum, §. quamquam, D. eod.* qua ſignificatur leuis pulſatio & emendatio, vt ipſe Vlpianus interpretatur *in d. §. præterea.* Verum Suetonii dictum in hoc loco ſumendum pro generica coercitione, omnes ſpecies ſuperius dictas comprehendens, &c. Nam quum lege vetere magiſtratibus Romanis permiſſum eſſet animaduertere in hiſtrionum nimiam licentiam, eos minime coerceri poſſe, voluit Auguſtus, ea forte ratione motus, vt in publicis ſpectaculis, præſertim ſcenicis, libere publica & priuata malefacta redarguere poſſent, ex quo homines erubeſcere pudereque diſcerent.

C. SVET.

# C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

## CAP. XLV.

*Nec tamen eo minus aut Xyſticorum certationes, aut gladiatorum pugnas ſeueriſſime ſemper exegit.*

XYſtus & Xyſtum, quum apud Græcos idem ſignificet; quod apud Latinos, tamen differre contendit Gulielmus Philander *in Annotat. in Vitruuium*, inquiens: *Xyſtos Latini vocāt porticus tectas, vbi athleta per hyemem exercebantur. Xyſta autem ſubdiales ambulationes, vbi ſudo cœlo exercebant palæſtras*, cuius aſſertionis quum nullam probabilem cauſam aſſignet, nec ſcriptoris alicuius authoritate firmet, quid credam, neſcio. Hoc ſane pro conſtanti affirmare poſſum, Xyſos ſeu Xyſtum fuiſſe porticum in athletarum exercitationes & aliorum etiam deambulationes exſtructum. Ita Suet. *in Aug. c. 72.* illum ſua prætoria xyſtis & nemoribus excoluiſſe tradit, quæ loca deambulationibus aſſignata ſubdialibus, Græci παραδρομίδα vocant. In his autem morem fuiſſe Romanis arbores nutrire, & in varias figuras conformare, cōſtat ex Plinio, *Epiſt. 5.* ſcribente: *Ante porticum Xyſtus conciſus in plurimas ſpecies, diſtinctúq; buxo.* Quod ex antiqua Græcorum lectione obſeruatum reperio vt in Ariſteæ Orpheo: ἦν μοὶ παλαίςρα καὶ δρόμος ξυςὸς πέλας, id eſt, *erant mihi palæſtra & dromos xyſtices prope* Et Xenophon *in Oeconomico:* εἰ ἐν τῷ ξυςῷ περιπατοῖεν, id eſt, *ſi in xyſto obambularent.* In poſteriori ſignificatione fere ſemper accipitur apud Cicer. & vniuerſaliter pro qualibet porticu. Nam & *de clar. orat.* inquit: *Quum inambularem in xyſto.* Et de opt. orat *Spatiari in xyſto.* In Academ. quæſt. *Et quum pauca in xyſto loquuti eſſemus, tum in eodem ſpacio conſedimus.* Ad Atticum tamen, quum gymnaſium xyſto coniungat, & quandoque etiam priori ſignificatu vſum dicere poſſumus. Sed de Xyſto plura apud Vitruuium *lib. 5. cap. 11. & lib. 6. cap. 10.* Ita autem appellatum, dicunt omnes, à telo ſeu haſtili, quo vterentur in ſe exercendo athletæ. ξυςὸν illud Græci appellauere. *Xyſtis*, inquit Arrianus, *prælongæ haſtæ ſunt.* Herodotus *Hiſt. prima*, enumerat Xyſtin inter

Crœſi donaria. Vnde *Xyſtarches* gymnaſii athletici princeps, qui ſcilicet Xyſto præerat, vti apud Tertullian. *in lib. ad martyres*, & ξυστάρχειν, inquit Suidas, γυμνασίων ἄρχειν. Et apud Am. Marcellinum legimus lib. 21. *Xyſtarchæ ſimili purpurato.* A Xyſto etiam *Xyſtici* dicti ii, qui per hyemem ſe in Xyſtis exercebant, vt Græci *ad l. 4. D. de iis qui not. inf.* interpretantur. Xyſtici enim inquiunt, οἱ ἐν τῷ ξυστῷ ἀγωνιζόμενοι. *Xyſtici* enim legendum, non *exuſtici*, vti perperam in Pand. Florentinis. Xyſticorum ſubſtantiue Suet. hoc in loco non ſolum meminit, ſed & *in Galba, cap.* 15. adiectiue inquiens: *Si quid ſcenici aut Xyſtici donatum olim vendidiſſet.* Xyſticorum meminit quoque Tertullianus *in lib. de ſpectacul.* inquiens: *Etenim ipſi actores & adminiſtratores ſpectaculorum, quadrigarios ſcenicos, xyſticos, arenarios illos amœniſſimos.* Gladiatores autem minime Xyſticos vocatos, quod perperam Cæl. Rhodig. *lib. 21. c. 18.* affirmauit, clariſſime dignoſcitur ex hoc loco Suetonii, vbi Xyſticorum certamina contraponit gladiatorum pugnis. Erant itaque, vt vno verbo dicamus, Xyſtici ex athletarum numero, & qui athleticas exercitationes agebant. De quibus nos plura inferius ſcribemus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. Cap. XLV.

*Vt Stephanionem togatarium, quum in puerilem habitum circumtonſam matronam miniſtraſſe compererat, per trina theatra virgis caſum relegauerit.*

HVnc hiſtrionem fuiſſe, ex textu clare patet, quem primum togatæ ſaltationis inuentorem vtriuſque ſecularibus ludis & D. Auguſti, & Claudii Cæſaris ſaltaſſe, memoriæ proditum eſt à Plinio, *lib. 7. cap.* 48. Hiſtriones autem fabulas in ſcena ſaltare ſolitos, author eſt idem Suet. *in Caligula, c.* 57. vbi inquit: *Pantomimus Mneſter tragœdiam ſaltauit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus Rex Macedonum Philippus occiſus eſt, egerat.* Saltare autem fabulas, nihil aliud erat, quam motu ac geſticulatione illas explicare, atq; imitatione proponere, cuius rei nos alibi abunde meminimus.

mus, vbi ex Rhodig. *lib. 5. cap 3.* de ſaltatore illo, qui Neronis tempeſtate, Demetrio Cynico inſpectante, ſaltauit Veneris & Martis adulterium. Et alterius pantomimi, qui Neronis temporibus, ſpectante Barbaro Rege, ex Ponto Romam profecto, ita ſcite fabulam ſaltauit, tanta peritia & artificioſa imitatione, peragili motu, & continua geſticulatione, vt Rex eum à Nerone petierit ſibi tradi, vt interpretis loco apud accolas barbaros lingua & moribus diuerſos, illo vteretur. *Togatæ* autem fabulæ vocabantur, quæ Romanorum more ſcribebantur, ſicuti *Palliatæ*, quæ iuxta Græcorum morem, quibus geſtandi pallium ita peculiare fuit, ſicuti Romanis induendi togam; eam enim Romani geſtare iubebantur, neque peregrinis ea vti licebat, *ex l. ſed ſi accepto. 32. D. de iur. fiſci.* Vnde illud Plinii iunioris Epiſt. lib. 3. *Idem cum Græco pallio amictus intraſſet (carent enim togæ iure, quibus igni & aqua interdictum eſt) poſtquam ſe compoſuit: Latine, inquit, declamaturus ſum.* Et Sueton. in Claudio, cap. 15. *Peregrinitatis reum orta inter aduocatos leui contentione, togatumne an palliatum dicere cauſam oporteret, quaſi æquitatem integram oſtentans, mutare habitum, prout accuſaretur defendereturve iuſſit.* Et Cicero *in orat. pro Poſthumo, & in Verrinis*, aperte oſtendit, ciui Romano crimini datum fuiſſe, ſi qui in prouinciis quum eſſent, toga non vterentur, qua de re Scipio à Q. Maximo accuſatus. Quibus autem ciuitatis Romanæ ius dabatur, eiſdem & togæ ius concedebatur, vnde nomen, *Gallia togata*, vt apud Martialem:

*Gallia togata nomine dicta toga.*

Ita & *fabulæ togatæ*, Romano more ſcriptæ. Et *togatarij*, vel *togatarum actores & ſcriptores*, qualem Stephanionem appellat Suetonius hoc in loco.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XLV.

*Hylam Pantomimum quærente Prætore in atrio domus ſuæ, nemine excluſo, flagellis verberauit.*

PAntomimi antiquis dicebantur omnium perſonarum in Scena imitatores hiſtriones, quiq; perſonas per ſingulorum

g⸗⸗rum actuum ſimilationes oſtendebant & effingebant, à voce Græca *παντομιμέομαι*. Plinius in Panegyrico: *Idem ergo populus ille Scenici Imperatoris ſpectator & applauſor, nunc in Pantomimis quoq; aduerſatur, & damnat effœminatas artes*. Iulianus in l.27.D.de oper.libert. *Si libertus artem pantomimi exerceat, verum eſt debere eum non ſolum ipſo patrono ſed etiam amicorum ludis gratuitam operam præbere.* Vlpianus l.43.in fine, de act.empt. *Planè ſi in tantum pretium exceßiſſe proponas, veluti ſi ponas agitatorem poſtea factum pantomimum.* Caſſiodorus *lib.*4. Varro *Epiſtola vltima* ita ait: *Pantomimo igitur, cui à multifaria imitatione nomen eſt, quum primùm in Scena plauſibus inuitatus aduenerit, aßiſtunt conſoni chori diuerſis organis eruditi, tunc ille ſenſuum manus oculis canorum carmen exponit, & per ſigna compoſita quaſi quibuſdam literis edocet intuentes aſpectum, in illaq; leguntur apices rerum, & non ſcribendo facit, quod ſcriptum declarauit. Idem corpus Herculis deſignat, & Venerem fœminam præſentat, Regē facit & militem, ſenem reddit & iuuenem, vt in vno credas eſſe multos tam varia imitatione diſcretes.* Ex dictis patet manifeſte, quis Pantomimus fuerit. Seneca in ἀποκολοκύντωσις Claudii, Mneſterem in hac arte ludicra excellentem, *pantomimum & hiſtrionem* promiſcue appellat. Eiuſdem fit mentio à Suet. *in Caligula, c.*36. ſcribente de eo: *Marcum Lepidum M. Neſtorem quoſdam obſides dilexiſſe fertur commercio mutui ſtupri.* Et cap. 55. *M. Neſtorem Pantomimum etiam inter ſpectacula oſculabatur.* Et cap. 57. *Pantomimus M. Neſter Tragœdiam ſaltauit.* M. Neſtor hic ſub Claudio Nerone, interfecta Agrippina matre, cuius libertus erat, accenſo rogo, ipſe ferro ſe tranſegit, incertum charitate in Patronam, an metu exitii, ita referente Tacito, *lib. Annal.* 14.

Hylæ huius Pantomimi, de quo in textu Suetonii meminit Macrob *lib.*2 *c.*7. vbi & Pyladis, qui Comicus Pantomimus excellens fuit, ſicuti nobilis in Tragœdia Bathillus, teſte Seneca *lib.*3. *controuerſ.* Vide & Dionem *lib.*54. Ex hoc Suetonii loco compertum eſt, Suidam hallucinatum, qui hanc mollem & effœminatam Pantomimorum geſticulationem Tiberii temporibus prodiiſſe teſtatur. Quinimmo ſcribit Dion *lib.*57. Tiberio hanc artem ita diſplicuiſſe, vt

Roma

Roma Pantomimos eiecerit. Tacitus *lib.* 1. *Hiſt.* ſcribit, Tiberium ſanxiſſe, ne domos Pantomimorum Senator introiret. Hos etiam à Domitiano ſublatos, Suet. *in eius vita, c.* 7. ita refert: ***Interdixit hiſtrionibus Scenam, intra domum quidem exercendi artem iure conceſſo.*** Idem Suet. *in Nerone, c.* 16. Pantomimorum factiones cum ipſis ſimul relegatas ſcribit; At ſeditionibus Pantomimorum 26. c. tradit, eundem ſigniferum ſimul & ſpectatorem adfuiſſe, ex parte proſcenii ſuperiore. In oppoſitum tamen Tacitus *lib.* 13. ſcribit: ***Quum Nero ludicrum fautorum licentiam impunitate & præmiis veluti in prælia conuertiſſet, tandem non aliud remedium repertum eſt, quam vt hiſtriones Italia pellerentur.*** Tacitus vero idem alibi ſcenæ reſtitutos fuiſſe, ſed à ſacris certaminibus prohibitos tradit. Plinius *in Panegyr.* Pantomimos à Nerua reductos, rurſus à Traiano abactos, auctor eſt. Vnum ſane eſt, quod mihi magnum faceſſit in re hac negotium; video enim Suet. hoc loco ſcribentem, Auguſtum Hylam Pantomimum querente Prætore in atrio domus ſuæ, nemine excluſo, flagellis verberaſſe, & Stephanionem togatarium per trina theatra virgis cæſum; nihilominus obſeruo apud Tacit. lib. 1. Annal. ***Theatri licentia ventum ad ſeditionem, vnde apud Patres dicebantur ſententiæ, vt Prætoribus ius virgarum in hiſtriones eſſet, intercesſit Haterius Agrippa Trib. pleb. increpitusq; eſt Aſinij Galli oratione, ſilente Tiberio, valuit tamen interceſſio, quia Diuus Auguſtus immunes verberum hiſtriones quondam reſponderat, neq; fas Tiberio infringere dicta eius.*** Et quum vtriq; in hiſtrionum albo dubio procul ſint reponendi, non video, quomodo loca hæc conciliari poſſint. Quamuis enim hoc capite Suet. ſcribat, Auguſtum coërtionem in hiſtriones magiſtratibus omnibus ademiſſe, & coërtio, animaduerſio pecuniaria ſit non ſolum, ſed & in corpus caſtigatio, vt ſuperiori capite adnotauimus, tamen inquit, Auguſtum permiſiſſe magiſtratibus in ludis ſcenicis coërtionem; Poſſumus tamen dicere, Tacitum loquutum de theatrali licentia, quæ non modo hiſtriones, ſed & ſpectatores reſpicit, quod clare verba Taciti ſonant quoque; etſi Pantomimi inter hiſtriones connumerari poſſint, non tamen inter ſcenicos hiſtriones repo-

nendi, quum hi motibus & geſticulatione quadam fabulam repræſentarent, hiſtriones vero ſcenici voce & cantibus modulationibusque fabulas agerent, veluti Comœdias Tragœdiasque.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. Cap. XLV.

### *Pugiles, Athletæ, & Gladiatores, de quibus in textu huius cap.*

EX huius cap. 45. Auguſti lectione clare patet, quanto in errore verſentur, qui nullum diſcrimen inter athletas, pugiles, & gladiatores faciendum putant, ſed eorum ſignificationem promiſcue confundi à ſcriptoribus obſeruari. Quomodo autem inter ſeſe differant, breuiter perquirendum. Hoc tamen prius præſuppoſito, omnibus his tribus commune fuiſſe, quod ſe exercerent, vt in publicis ludis ſeu certaminibus poſſent populum delectare, & cum victoria præmiis potiri. *Athletas* Galenus *in libro ad Traſybulum* eos fuiſſe tradit, qui corpori incraſſando roborique comparando ſolummodo incumbebant, ex quo, dum gulæ nimium indulgent, factum, vt ſicuti corpori pingui & craſſo, ita mente hebetes & torpidi redderentur. Hinc iure Plato 3. *de Repub.* illos ſomnolentos, ſegnes, ignauos, deſides appellauit. Et Plutarch. *in libro de tuenda valetudine*, eos ſaxis atque gymnaſiorum columnis ſimiles tradit. Et Hippocrates *libro primo Aphoriſmorum*, ob id habitum athletarum tamquam periculoſum, maximisque ægritudinibus obnoxium deteſtatus eſt. Et Hieronymus *in exhortatione medicinæ*, Athletas, inquit, quorum vita & ars ſagina eſt, nec diu poſſe viuere, nec ſanos eſſe, animasque eorum ita nimio ſanguine & adipibus, quaſi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cœleſte, ſed ſemper de carnibus & victu, & ventris ingluuie cogitare. Conſtat itaque, athletarum omnium inſtitutum eo ſpectaſſe, vt corporis magnitudinem & robur compararent. Quinque erant præcipua certaminum genera, quibus in publicis ludis & ſpectaculis certabant, nempe lucta, pugillatus, curſus, ſaltus & diſcus. Vnde luctatores,

pugiles,

pugiles,curſores,ſaltatores,diſcoboli nuncupabantur.Frequentius tamen, vt Iulius Pollux *lib.5.*teſtatur, in tribus ſe exercebant,nempe in curſu,pugillatu,& lucta, quinimmo ipſorum proprium magis cæteris omnibus, erat lucta ſeu palæſtra, vnde *palæſtritas* potiſſimum appellatos athletas obſeruamus, Latini enim luctam *palæſtram* appellauere vtplurimum, quam Græci πάλην dixere. Ita Cic.16.*Verr.* de Heraclii hæreditate, quam palæſtritis conceſſiſſet, maximam partem Verrem abſtuliſſe inquit. Et Perſius Satyra 4.

*Quinq; palæſtritæ licet hæc plantaria vellant.*

Et Cic.*de Seneſt.*ſcribit: *Quum Milo iam ſenex eſſet, athletasq; ſe in curriculo exercentes videret, aſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, illachrymansq; dixiſſe: At hi quidem iam mortui ſunt.* Ibidem: *Nec enim ex te vnquam es nobilitatus, ſed ex lateribus & lacertis tuis.* Et Galen.1.*de aliment facult. cap.2.* ſcriptum reliquit, luctatores potiſſimum athletas veros eſſe vocatos. Sed tria præcipua athletica munia perbelle Ariſtoteles *primo Rhetoricorum libro* comprehenſus eſt, inquiens: *Agoniſtica ſeu certatoria corporis virtus magnitudine conſtat, vi, & celeritate, celer namque robuſtus eſt, qui vero pedibus diu ac citiſſime mouetur, Dromicus eſt, ſiue curſor. Qui aduerſarium premere ac retinere valet, Palæſtricus, id eſt, luctator. Qui vero plagas impingere poteſt, Pliticos, id eſt, pugil ac percuſſor; qui duobus his præcellit, Pancraciaſticus, qui his omnibus, Pentath!us.* Ab Ariſtotele mutuatus Quintilianus *lib.2. Orat.Inſtit.* ita ſcribit: *Peritus non ſe docendum Pancratiſte ſuſceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his ictus aliquot docebit, ſed omnia quæ ſunt eius certaminis.* Ad hoc ſpectant, quæ à Plutarcho *in Paralellis in Lucullo* ſcribuntur: *Athletas*, inquit, *die vna, qui lucta & pancratio coronantur, more quodam admirabili, νίκας vocant, id eſt, victorias.* Pugiles vero ſub athletis vniuerſaliori ſignificatione comprehendi, ex dictis ſatis patet, pugileſque quemadmodum & athletas roburi & pinguedini comparandæ operam dediſſe, legimus apud Teren.*in Eunucho. act.2. Scen.3.* Ita & Teſpiro ille Plautinus *in Epid.* herilem filium valere dixit *pugilice* atque *athletice*, hoc eſt, robuſtum & pinguem eſſe; id enim agebant, vt validius percutere valerent, & plagas ſibi

illatas minus ſentire. Hi autem inter ſe nudi pugnabant pugnis ſtrictis & nudis, vel ſphæra ænea aut lapidea, plenis vel loris laminiſve circumſeptis mutuo ſeſe percutientes. Et pugiles etiam cæſtibus pugnaſſe certum eſt, nec cæſtuum pugnam à pugillatu ſeparandam, ( quod voluit doctiſſimus Hieronymus Mercurialis *libro Gymnaſtices* 2. *cap.* 9.) facile conuincitur ex Cicerone ipſo *de clar. orat.* ita ſcribente: *Pugiles inexercitati, etiamſi pugnos & plagas Olympiorum cupidi ferre poſſunt.* Et in Tuſcul. *Pugiles cæſtibus contuſi non ingemiſcunt.* Et rurſus ibidem: *Pugiles etiam quum feriunt aduerſarium, in iactandis cæſtibus ingemiſcunt.* Qui autem eſſent gladiatores ſupra ample docuimus, cumque armis incidentibus & pungentibus vſque ad mortem, præmio conducti, dimicarent, quantum ab athletis & pugilibus diſtent, ſatis apertum putamus. Quum & Cicero *in Orat.* athletas à gladiatoribus aperte ſecreuerit, & clarius etiam *Epiſt. Famil. libro* 7. *Epiſt.* 1. per hæc verba: *Nam quid ego te athletas putem deſiderare, qui gladiatores contempſeris?* Addamus, Suetonium athletarum omnium exercitationes certamina ſeu certationes hoc capite appellare, gladiatorum vero pugnas. Xyſticorum enim à nomine athleticas exercitationes omnes comprehendi poſſe, paulo ante diximus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XLVII.

*Prouincias validiores, & quas annuis magiſtratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, ipſe ſuſcepit, &c.*

DVplicem diuiſionem prouinciarum ſuperius *cap.* 36. retulimus, & priorem explicauimus, ſecundæ interpretationem in hunc locum remittentes. Erat autem hæc, quod occupata Republica à Cæſaribus, & ad vnum Republica translata, prouinciæ populo Romano ſubditæ, aliæ Cæſaris factæ ſunt, aliæ pop. Romano aſſignatæ, vt à Proconſulibus gubernarentur, ſicuti Cæſares per Præſides ſibi adſcriptas regebant, quod ex hoc Suetonii loco elicitur; quinimo & Strabo *lib.* 6. *in calce operis ſui*, de hac re ita ſcriptū reliquit:

reliquit: *Prouinciæ ſæpenumero aliter atque aliter diuiſæ ſunt, nunc autem ex Auguſti Cæſaris inſtituto ita ſunt partitæ; nam quum ei patria totius imperii ſummam permiſerit, pacis que ac belli poteſtatem habeat, vniuerſum imperium bipartito ſic diuiſit, vt partem ſibi ſumeret, eam ſcilicet, quæ militum præſidio indigeret, partem vero Pop. attribueret eam, quæ pacata eſt, & ſine armis facile retinetur*: *Complures igitur Prouincias fecit, quarum aliæ Cæſaris, aliæ populi appellantur, ipſe in ſuas Præſides cum imperio mittit, populus in ſuas Proconſules & Pretores.* Quibus conſentanea ſunt quæ à Dione *libro* 53. de re hac ſcribuntur, in nomenclatura tantum miſſorum ad Prouinciarum gubernacula à Strabone diſſidente. In Pandectarum lib. 1. de Prouinciarum Rectoribus legimus, quod qui Cæſaris erant, *Præſides*, qui populi, *Proconſules* appellabantur, *l.* 1. *& paſſim D. de off. præſ. & ſub rub. de off. proconſ.* Hos autem prouinciarum magiſtratus annuos fuiſſe Reipublicæ temporibus, ſuperius diximus; à Iulio Cæſare tamen ſancitum, ne Prætoriæ Prouinciæ vltra annum, neve Conſulares plus biennio obtinerentur. Quamobrem, quum hic Suetonius de Prouinciis, quæ annuis magiſtratuum imperiis regebantur, tantum verba faciat, de Prætoriis tantum ſanxiſſe Auguſtum dicendum eſt; Nam quum ipſe Iulio Cæſari ſucceſſiſſet, vtique & Prouincias Conſulares biennales fuiſſe exiſtimandum, quum nullibi legatur, Cæſaris legem abrogatam. Præterea & id etiam comprobari poteſt, quod Præſides Prouinciarum ſub Cæſaribus ius tantum Prætorium habebant, quod inferius erat imperio Proconſulari, quod ex Vopiſco *in Probo* colligimus, vbi legitur: *Accepto igitur hoc Senatuſconſulto ſecundum orationem permiſit Patribus, vt ex maiorum iudicum appellationibus ipſi cognoſcerent, Proconſules crearent, Legatos Conſulibus, ius Pretorium Præſidibus darent, quas leges Probus ederet, Senatuſconſultis propriis conſecraret.*

Prouinciæ appellatione intelligebantur regiones omnes ab Italia ſeiunctæ, quæ populi dominio ſubiiciebantur, vt Feſtus docet, & Ægeſippus ſcribit, Romanos, quum in ius ſuum vincendo redigerent procul poſitas regiones, appellaſſe *Prouinciales.* Prima vero omnium Sicilia Prouincia

fuit appellata, ſicut docet Cicero *in Verrem Act.* 3 ſic dicens: *Primo, quod omnium nationum externarum princeps Sicilia ſe ad amicitiam fidemque Pop. Romani applicuit, id quod ornamentum Imperii eſt, Prouincia eſt appellata.* Et Ouid. 1. Faſtor.

*Redditaque eſt omnis populo Prouincia noſtra.*

Proconſulatum magiſtratum Prouincialem fuiſſe diximus. Nec obſtat, quod Cæſar de bello Gall. *libro 6.* per initia ſcripſerit, Cn. Pompeium Proconſulem in Vrbe fuiſſe, quod extra ordinem factum ex eodem loco clare patet, quum dicat ibidem Cæſar, Reipublicæ cauſa Pompeium Proconſulem ad Vrbem cum imperio manſiſſe. Scio & alia Prouinciarum diuiſionis membra enumerari à modernis, vt à Wolphgango Lazio *libro ſecundo, capite tertio*, qui eo loco de Quæſtoriis Prouinciis pertractat, quæ tamen impropriè ita appellatæ ſunt; nam Quæſtoribus nullæ Prouinciæ ordinariæ aſſignabantur, ſed Quæſtores cum Proconſulibus & Prætoribus in Prouincias proficiſcebantur, quibus exactio tributorum & publicæ pecuniæ cura demandabatur. Quod ſi aliquando aliqua de cauſa Prouinciæ ſine Proconſule, vel Prætore relinquebantur, & aliis abeſſe contingebat, totum Prouinciæ regimen Quæſtoribus demandabatur aliquando. Vnde Cicero *ad Atticum libro 6. epiſt.* quæ incipit, *Tarſum venimus*, ſcribit: *Mihi difficilis ratio adminiſtrandi, qui paucos dies habebam reliquos annui muneris, illud autem difficilimum, relinquendus erat ex Senatuſconſulto, qui præeſſet.* Solebat autem fere ſemper cum imperio relinqui, aut vnus ex Legatis, aut Quæſtor præficiebatur; quod & Cicero ibidem oſtendit, dum ait, ſibi liberum fuiſſe, vt Quæſtorem ſuum Meſcennium præficeret, vel Q. Fratrem, qui vnus ex ſuis quatuor Legatis erat. Tandem tamen neutrum præfecit, ſed C. Cœlium Quæſtorem ſucceſſorem Meſcennii. Ita & *in Verr. Act.* 4. ſcribit: *Quæſtores vtriuſque Prouinciæ, qui iſto Prætore fuerant, cum faſcibus mihi præſto fuere.* At certe faſces Quæſtores non habebant, vti Quæſtores, ſed vti cum imperio Prætoris loco Prouinciam regentes, ſiquidem iam dudum Verres deceſſerat de Prouincia, quum Cicero ad inquirendum eum eo profectus eſt, etiam L. Metellus ſucceſſor

ceſſor declaratus. Quæſtores autem non habuiſſe lictores, nec viatores, nec vocationem, nec prehenſionem quatenus Quæſtores, clare docet Gellius *libro* 13. *cap.* 12. & 13. vnde nec faſces. Eodem pacto & Ciceronis dicta interpretanda *in orat. pro Plantio Quæſtore*, exiſtimo, quæ hæc ſunt: *Nam ſimul ac me Dyrrachium attigiſſe audiuit Plantius, ſtatim ad me lictoribus dimiſſis, inſignibus abiectis, veſte mutata profectus eſt.* Ita & Ciceronis *in 3. in Verrem actione*, dicta exponenda, dum loquitur de Cornelio lictore ipſius Verris legati; nam nec legati lictores habebant, niſi cum præficiebantur Prouinciis, quemadmodum nec Quæſtores. Quamobrem non mihi probatur Alexandri ab Alexandro ſententia *libro primo, capite vigeſimoſeptimo*, dum inquit, Quæſtores, quatenus Quæſtores, extra Vrbem lictores & faſces habuiſſe; quod ex Gellio falſum ſuperius oſtendimus, & ex Varronis etiam ſententia. Quinimo quod ipſe negat, Quæſtores in Vrbe faſcibus vſos, ex Liuio clare colligimus, qui *libro ſecundo* ſcribit, Sp. Caſſio Conſulatu peracto, à Ceſonio Fabio & L. Valerio Quæſtoribus diem perduellionis dictum. Item *libro* 3. A. Cornelium & Q. Seruilium Quæſtores M. Velocio, quod falſus haud dubie teſtis in Cæſonem extitiſſet, diem dixiſſe. Ex quibus Quæſtores vocationem habuiſſe, & per conſequens lictorem, non ambigendum. Quod clariſſime idem Liuius *libro quarto* docet, vbi P. Seſtium Quæſtorem ad militem quendam ſeditioſe vociferantem miſiſſe lictorem tradit.

Ex quibus patere exiſtimo Vrbanos Quæſtores in Vrbe vocationem & lictores habuiſſe. Scio quoſdam hunc ſcrupum effugere tentaſſe, dicentes hoc ius non omnibus Quæſtoribus in Vrbe fuiſſe, ſed duntaxat illis, qui *Patrici* ab Alexandro vocati fuere, rectius *Parricidii*, quorum meminere Pomponius *in l. 2. §. Deinde quum ærarium, de orig. iur.* & Feſtus Pompeius *libro* 14. inquiens: *Parricidii Quæſtores appellabantur, qui ſolebant creari cauſa rerum capitalium quærendarum.* Sed quum horũ à nullo hiſtoriarũ probato ſcriptore mentionẽ factam obſeruarim, crediderim, nõ alios Quæſtores præter dictos creari conſueuiſſe; quamuis non negẽ illis de capitali

cauſa

cauſa quandoque cognitionem adſcriptam. Quamobrem Alexandrum hallucinatum, atque cum eo ex poſterioribus quamplures, inter quos Non crediderim, dum aſſerunt, Prouinciales habuiſſe lictores, Vrbanos minime, quum oppoſitum oſtenderimus ex dictis, & præſertim ex Liuio, cuius authoritatibus quidam ſatisfacere cenſent, legendo non *Quæſtores*, aut *Quæſtor*, ſed *Quæſitores*, & *Quæſitor*; aiunt namque Romanis. Quæſitores dictos fuiſſe, qui quæſtionum iudicia exercerent Quæſitores ante Leges 12. tabularum creari cœptos tradi Pomponius *d.l.2 de orig.iur.* Dictatorem quęſtionibus exercendis creatum legimus apud Liuium *libro* 9. Conſules qui de Bacchanalibus quærerent, memorantur ab eodem *libro* 39. ſic Conſuli Iugurthinæ coniurationis quæſtioni cognitionem demandatam ſcribit Cic. *in Bruto.* De Prætoribus, qui de veneficiis & peculatu quærerent, ſcribit Liuius *lib*, 38 *&* 39. Talis fuit quæſtio de vi à Cn. Domitio Prætore cognita, de qua Cic. & Aſcon. *in Miloniana.* Ita Cic. *pro Rabirio Poſthumo*, quum ait: *de pecuniis repetundis vidi, ſed Prætor, quæſiui*; & Aſconius: *Iudicium C. Cornelii de maieſtate exercuit Q. Gallus Prætor.* Item Cic. de finibus: *L. Tubulus Prætor quæſtionem inter ſicarios exercuit.* Verum quum memoratos apud Liuium vere Quæſtores fuiſſe omnibus receptum ſit, legendum dubio procul *Quæſtores*, & *Quæſtor*, non *Quæſitores*, *&* *Quæſitor*; quamuis non negauerim, & his quandoque aſſignari potuiſſe quæſtionũ Capitalium ius & exercitium; tamen non ob hanc cauſam, ſed quod ex ſe vocationem haberent, Lictores Vrbanos Quæſtores habuere, quod poſterior Liuii authoritas clare demonſtrat.

Equeſtres etiam Prouincias, aliud membrum diuiſionis, enumerat Alex. ab Alexandro *lib. 2. c. 29.* quibus ſcilicet Equites præficiebantur, puta Cappadociæ & Ægypti, *ex Tacito lib.12. &* 7. & Suet. *in Veſpaſiano, c.8.* ſcribit: *eum Cappadociæ propter aßiduos barbarorum incurſus Legiones addidit, Conſularemque rectorem impoſuit pro Equite Romano*; Verum ne hæ propriæ Prouinciæ Equeſtres appellandæ, quamuis ab Equitibus ſub Imperatoribus, (quod florente Republica nunquam euenit) gubernatæ aliquãdo fuerint, ſed potius Con-

ſulare

ſulares & Prætoriæ, quia non priuatam & Equiti decentem authoritatem habebant, ſed imperium Conſulare & Prætorium, ita vt ex Tacito locis citatis eorum decreta perinde haberentur, ac ſi Conſules Prætoreſve ea cenſuiſſent.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. XLIX.

*Definitis pro gradu cuiuſque, & temporibus militiæ, & commodis miſſionum.*

TRia miſſionum genera apud Iuriſconſultos, ex hiſtoriarum tamen fontibus deſumpta, obſeruamus: Vlpianus *in l.2.§.ignominiæ. D.de iis qui not.inf.* inquit: *Multa ſunt genera miſſionum. Eſt honeſta. quæ emeritis ſtipendiis, vel ante ab Imperatore indulgetur. Eſt cauſaria quæ propter valetudinem laboribus militiæ ſoluit. Eſt ignominioſa, quæ toties eſt, quoties is, qui mittit, addit nominatim, ignominiæ cauſa ſe mittere; ſemper enim debet addere, cur miles mittatur.* Martianus Iuriſconſultus in l. milites agrum, §. miſſionum, D.de re milit. *Miſſionum,* inquit, *generales cauſæ ſunt tres, Honeſta, Cauſaria, Ignominioſa. Honeſta eſt, quæ tempore militiæ impleto datur. Cauſaria quum quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiæ renuntiatur. Ignominioſa cauſa eſt. quum quis propter delictum Sacramento ſoluitur, & is qui ignominia miſſus eſt, neque Romæ, neque in ſacro Comitatu agere poteſt. Et ſi ſine ignominiæ mentione miſſi ſunt, nihilominus ignominia miſſi intelliguntur.* Hactenus Iureperiti. Sciendum autem, quod milites miſſi honeſta miſſione, dicebantur *ſolui Sacramento militari.* Amm. Marcellinus lib.30.de Gratiano maiori: *Tandemque honeſte Sacramento ſolutus reuertitur ad Larem.* In cauſaria autem miſſione dicebantur *remoueri Sacramento.* In ignominioſa, Sacramento abiiciebantur. Et quod ad primum miſſionis genus pertinet, fiebat miſſio honeſta, quum annos ſtipendiorum miles expleuerat, ac emeritis ſtipendiis dimittebatur, teſte Liuio *lib.39.* & Matt. Iuriſc. *d.l.milites, §. miſſionum.* Quot autem anni requirerentur militiæ ad hoc, vt miles honeſtam miſſionem mereretur, non omnibus eadem ſententia. Quidam, niſi miles decennio ſtipendia meruiſſet,

ruiſſet, miſſionem haud petere potuiſſe tradidere, vt Plutarchus *in vita C. Gracchi*, & Polyb. *in libello de Roma. caſtramet.* qui eſt portio lib. 6. illius in principio. Ex Tacito *lib. 1. Annal.* colligimus, Prætorianis militibus, expletis ſexdecim annorum ſtipendiis, miſſionem permitti ſolitam, dum ſcribit: *Ad Pratorias cohortes, qua binos denarios acceperint, qua poſt ſexdecim annos penatibus ſuis reddantur, plus periculorum ſuſciperem.* Quam miſſionem & ſeditioſos milites in exercitu petiiſſe tradit, Blæſi filio Legato ad Tiberium miſſo, qui peteret militibus miſſionem ab ſexdecim annis. Et paulo infra: *Clemens centurio Druſo totius exercitus nomine miſſionem à ſexdecim annis petiit.* Quibus poſtea ſubdit: *Satisfactum à Germanico, ſcriptis epiſtolis nomine Principis, quibus promiſſa miſſio vicena ſtipendia meritis, exautorati qui ſena decem feciſſent, retentis tamen ſub vexillis caterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis.* Eodem tamen in libro, quum Pannonicas legiones ſeditio inceſſiſſet, earum nonnullos ſenes memorat Perennius ſeditionis fautor, quos tricena aut ſupra ſtipẽdia numeraſſe ait. Statuamus itaq; quod anni viginti erãt, per quos antequam veterani honeſta miſſione ſoluerentur, militaſſent neceſſe erat. Quod ex dictis patet, & confirmatur ex eodem Tacito *in fi. lib. 1.* vbi Tiberius inquit: *Imparem oneri Rempublicam niſi viceſimo militia anno veterani dimitterentur, ita proxima ſeditionis mala conſulta, quibus ſexdecim ſtipendiorum finem expreſſerant abolita in poſterum*; dabatur tamen & militibus honeſtiſſimis vacatio militiæ abſoluta ante illud tempus viginti annorum à Principe ex priuilegio, quod tradidere Iuriſtæ *in §. ignominia*, toties ſupra citato, & plerumq; temporalis per quinquennium, ex Liuio *lib. 35.* Data etiam per annum Q. Fabio & Q. Fuluio Coſſ. eodem Liuio authore, *lib. 39.* Quamuis ſub Theodoſio Imperatore ſtatutum ſit, ne quis vacationem militiæ obtineret à Principe temporalem, niſi ex iuſtis cauſis, illiſq; probatis ex l. vni. *de iis qui à prin. vacat. accep. lib. 10. Cod. tit. 44.* Differebat autem vacatio hæc ab ea, quæ veteranis expletis ſtipendiis dabatur, quia illa temporalis, & ſine priuilegiis, hæc perpetua & cum priuilegiis, vt traditur à Iuriſtis *l. 2. de iis qui non implet. ſtipen. lib. 10. Cod. tit. de priuileg. veter. in P.* Iccirco ve-

teranî

terani in Colonias mittebantur, vt pro nauata opera tot annis Reipublicę, agros acciperent, vt meminere Liuius *lib.* 51. *in orat. M. Pompilii Centurionis*, & Tacitus *lib.* 1. Qui vero miſſionem expletis ſtipendiis obtinebant, ii etiam vacationis tempore ſcuta, gladium, & cætera arma dicabant Laribus; vnde Ouid. lib. 4. Triſt.

*Miles vt emeritis non eſt ſatis vtilis armis,*
*Ponit ad antiquos quæ tulit arma Lares.*

Cauſaria miſſio erat, quando propter valetudinem corporis, vitiumve, ſenium, aut ægritudinem animi, quis ante tempus honeſtæ miſſionis non idoneus militiæ renunciabatur. Hique milites cauſarii dicebantur, teſte Liuio *lib.* 7. in hæc verba: *Tertius exercitus ex cauſariis Senatoribuſque à T. Quintio conſcribatur, qui Vrbi mœnibuſque præſidio ſit.* Militum cauſariorum meminit pariter Tacitus *in oratione Druſi ad tumultuarias Illyrici legiones.* Ignominioſa miſſione exauthorabantur milites ob delictum in pœnam. *Exauthorare* erat inſignia militaria detrahere, & militandi facultate abdicare, *ex d. l.* 2. §. *ignominia*, vnique omnia militaria priuilegia adimebantur, & ignominia notabantur ita exauthorati, ſicuti veterani & cauſarii, ſacramento ſolui, & proprie dicebantur abiici. Am. Marcellinus, lib. 24. de Iuliano Imperatore; *Duos Tribunos ſacramento ſoluit, vt deſides & ignauos.* Et per initia lib. 25. *Abiecti ſunt autem ſacramēto etiam alii quatuor, ob flagitium ſimile vexillationum Tribuni.* Quamuis Tacitus *lib.* 1. *Annal.* de centurionibus auaris & crudelibus loquens, eos ſolutos militia ſcribat, & exauthoratos dicat milites, qui ſexdena feciſſent ſtipendia, his verbis indifferenter vſus. Illud præterea obſeruandum etiam ex Tacito eodem loco, quod quibus miſſio honeſta concedebatur, dabantur & præmia, ſed qui exauthorabantur, ſoluebantur tantum militia ſine præmio; ſcribit enim ita: *Igitur voluntatis inter ſe rationibus, placitum vt epiſtola nomine Principis ſcriberentur, miſſionem dari vicena ſtipendia meritis, exauthorari qui ſexdena feciſſent, ac retineri ſub vexillo cæteros immunes, niſi propulſandi hoſtis.* Qui enim honeſtam miſſionem obtinebant, ſtatim in Colonias mittebantur, vbi agri aſſignabantur, ſed qui exauthorabantur, adhuc

ſub

ſub vexillis retinebantur, donec coloniæ & præmia aſſignarentur. Quod etiam confirmari videtur per ea quæ Suet. de Tiberio ſcripſit *cap.* 47. in hunc modum: *Atque etiam miſſiones veteranorum rariſſimas fecit, ex ſenio mortem, ex morte compendium captans.*

Nec illud prætereundum, quod qui ignominiæ cauſa mittebantur milites, *AEre diruti* dicebantur; inquit enim Feſtus: *AEre dirutum dicebant militem, cui ſtipendium ignominiæ cauſa non eſſet datum, eo quod æs diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculum.* Hoc verbo vſus eſt Cic. in Verr. Act. 6. *Aleatoris* (inquit) *Placentini caſtra commemorabantur, in quibus frequens fuiſſet, tamen ære dirutus eſt.* Quale autem eſſet militare Sacramentum, oſtendemus *in Galba, cap.* 16.

Sciendum autem, quod qui miſſionem obtinuerant veterani, inuiti, præterquam in ſummo Reipub. diſcrimine rurſus ad militiam adigi non poterant, teſte Liuio *lib.* 31. vbi P. Sulpitio Conſules Patres prohibuiſſe tradit, ne quem militem veterem inuitum ducendi fas eſſet; voluntarie tamen aliquando & ipſos nomina dediſſe, rurſuſque bellica munia ſponte tractaſſe, colligimus ex Liuio *per initia libri* 37. ita ſcribente: *Ad quinque millia voluntariorum ex Romanis ſociiſq., qui emerita ſtipendia ſub Imperatore P. Africano habebant, præſto fuere exeunti Conſuli, & nomina dederunt.*

Nec etiam prætermittendum, non ſolum ſingulares milites miſſos, ſed & aliquando exercitus integros, vel legiones & cohortes, quod munus ſenatui vel Conſulibus Reipub. temporibus reſeruabatur, & ſub Imperatoribus ipſis, penes quos ſumma poteſtas erat, ſed hi non dicebãtur mitti, ſed *dimitti*, & *dimiſſionem*, non miſſionem obtinere, ita Liuius lib. 31. *Tum de exercitibus Conſulum Prætorumque actum, Conſules binas Legiones ſcribere iuſſi, veteres dimittere exercitus.* Et lib. 40. *Vt Q. Fuluio decedenti de Prouincia deportare inde exercitum, cuius forte opera & ipſe & multi ante eum Prætores vſi eſſent, liceret. Quod fieri præterquam quod ita deberet, etiam prope neceſſarium eſſet; ita enim obſtinatos eſſe milites, vt non vltra retineri poſſe in Prouincia viderentur, iniuſſique inde abituri eſſent, ſi non dimitterentur.* Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 2. *de diſciplina militari* ſcribit,

ſcribit, quod Q. Fuluius Flaccus Cenſor Fuluium Patrem cohortem legionis, in qua Tribunus militum erat, iniuſſu Conſulis domum dimittere auſum, Senatu amouit. Quod etiam confirmat Iulius Frontinus *lib. Stratagemat.* 4. *cap.* 1. Honorificum fuiſſe, militia ſolui miſſione honeſta non dubitandum; quum in Epitaphiis antiquis id non ſemel in defuncti honorem adſcriptum obſeruemus; veluti in æde Pomponii Læti Romæ in quodam marmore antiquo legimus: L. Domitii Valeriani miſſi honeſta miſſione. In alio, in domo Marcelli de Monte. C. Marii C. L. Arg. Saluiani miſſi honeſta miſſione. In alio, in palatio dominorũ de Vrſinis in Mõte Iordano, P. Ælii P. F. Scr. miſſi honeſta miſſione.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. XLIX.

*Vtque perpetuo, ac ſine difficultate ſumptus ad tuendos eos, proſequendoſque ſuppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis conſtituit.*

ÆRarii militaris meminit Dion Caſſius *libro* 55. *Hiſtoriæ Romanæ*, & præter Suetonium Zonara. Ærarii vero milites appellati, ſi Varroni credimus *lib.* 4. *linguæ Latinæ*, ab ære, quod ipſis ſtipendia facientibus ex ærario perſoluebantur. Vnd & Ærarii Tribuni ab ære, quod ex ærario militibus reddebant, teſte Feſto *libro* 1. vti Budæus *in prioribus Annot.* Verum ſicuti in hoc nulla ſubeſt difficultas, ita nemo ex expoſitoribus, quos hactenus viderim, aperuit, quæ fuerint noua vectigalia, quibus Auguſtus militare huiuſcemodi ærarium conſtituerit. Nos bina vectigalia, quæ in hunc vſum cõſtituta ſunt, apud Hiſtoriç ſcriptores obſeruauimus; quorum primum eſt apud Dionem loco citato, vbi tradit Octauium Auguſtum viceſimam hæreditatis & legatorum, exceptis quæ proxime genere iunctis ac pauperibus relinquebantur morte aliorum, ſtatuiſſe inferri in ærarium militare; qui tamen Dion *lib. ſequenti*, 56. *ſcilicet*, ſcribit, eundem Auguſtum viceſimam hanc ſuſtuliſſe, cum eam ægre admodum pateretur populus, quumq; idem populus cum Senatu

Ff dixiſſet,

dixiſſet, ſe quamuis aliam exactionem ſubiturum, quam illam. Poſtea Adrianus edicto ſanxit, vt hæres non adiret hæreditatem, niſi viceſima prius ſoluta fiſco; quod edictum antiquatum, vt notat Iuſtinianus *l 3. cum tit. de edict. D. Had. tol. lib. 6. Cod. tit.* 33. Legem tamen de viceſima parte hæreditatis iterum addidiſſe M. Antoninm Philoſophum ſcribit Iulius Capitolinus, in illius vita. De hac etiam Plinius *in Panegyr. & 7. epiſt. ad Cornelium, & alia ad Fabatum*, meminit.

Aliud vectigal ſpectans ad ærarium militare ab Auguſto conſtitutum elicimus ex Tacito *lib.* 1. vbi ſcribit in hunc modum: *Centeſimam rerum venalium poſt bella ciuilia inſtitutam deprecanti populo edixit Tib. Militare ærarium eo ſubſidio niti, ſimul imparem oneri Rempublicam.* Hanc tamen, referente eodem Tacito *lib.* 2. *Annal.* vbi de Cappadociæ Regno loquitur, leuauit, ducenteſimam pro centeſima inſtituens Tiberius, nam ita inquit: *Regnum in Prouinciam redactum eſt, fructibuſq; eius leuari poſſe vectigal profeſſus Cæſar, ducenteſimam in poſterum ſtatuit.* Vnde mendum in Dione *lib.* 58. eſſe ſuſpicor, dum primum pendi ducenteſima ſcribit ſolere, cuius loco centeſima fuit inſtituta. His vectigalibus innixum ærarium militare, ex hiſtorica lectione obſeruamus, & non quod Leuinius Torrentius in huius loci explanatione ſcribit, ad militare ærarium ſpectaſſe pœnas quaſdam, vti eam quam ex Tacito *lib.* 1. *Annal.* colligimus; Auguſtum ſcilicet legem Pappiam ſeu Poppeam in citandis cœlibum pœnis, & in augendo ærario ſanxiſſe. Nam conſtat pœnas haudquaquam ad ærarium militare deferri ſolitas, ſed ad ærarium commune, eo quod & ante ærarii militaris conſtitutionem ab Auguſto factam, qui pœna aliqua afficiebantur, dicebantur fieri ærarii, ſeu referri in ærarios, hoc eſt, inter eos, qui ærario pendere debebant pœnæ nomine. Dion & Zonara tamen narrant, Agrippæ abdicati & relegati in Inſulam pecuniam, ad ærarium militare relatam Auguſti præcepto, ex quo colligere poſſumus, pecunias ex aliquibus pœnis collectas extra ordinem iuſſu Auguſti, in ærarium militare illatas.

C. SVET.

# C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

## CAP. L.

*In diplomatibus libelliſque & Epiſtolis ſignandis initio Sphynge vſus eſt.*

ANtiquos eodem modo, quo & noſtrates in ſignandis claudendiſque literis & inſtrumentis & aliis, vſos fuiſſe ſigillis, alibi docuimus; ſic veteres per ſimilitudinem ſignatam, virginem dixere, id eſt, *hymen*, (membranula dicta) *obſignatam*, quæ in virili cõgreſſu diſrumpitur. Quod vero in eis quoq; inſculpta haberent ſimulacra, & imagines varias, ex hoc Suet. loco manifeſte innoteſcit; ſiquidem ait Auguſtum in ſuo ſigillo ſeu ſigno Sphynge primum vſum fuiſſe, mox imagine magni Alexandri, nouiſſime ſua, qua ſignare quoq; inſequentes Principes perſeuerarũt. Cic. *in Catil.* Lentulum ſigillum habuiſſe refert, in qua erat inſculpta imago aui ſui. Plin. *lib.* 37. *c.* 1. author eſt, Syllam Dictatorem annulo ſignaſſe, in quo inſculpta erat imago Iugurthæ vincti. Quod & Plutarchus *in vita Sylla & Marii*, & Val. Max. *lib.* 8. *c.* 15. confirmant. Et Mecænatem rana in ſigno vſum fuiſſe, ibidẽ Plin. tradidit. Qui etiam affirmat, Scatiẽſem, vel (vt alii) Intercatienſem, cuius patrem Scipio Æmilianus, ſingulari certamine prouocatus, interfecit, eo certamine in ſigillo inſculpto vſum fuiſſe. Vnde eum Pręcontinus ſalſo ioco redarguebat, inquiens: *Quid feciſſet amplius, ſi eius pater Scipionem occidiſſet?* Pompeius Magnus Leonem enſiferum, quem Plutarchus in illius vita, voce Græca *Macharophorum* appellauit, ad ſignandum, inſculptum in gemma habuit, *ex eodem Plutarcho ibidem.*

Sed vt ad rem noſtram reuertamur, Plinius *lib. & cap. citato*, ſcribit Auguſtum in matris annulis bina ſigilla repeiſſe, in quibus Sphyngis imago inſculpta erat, ita conſimiles, vt alterum ab altero diſcerni non poſſet, quorum altero vſus fuit in obſignandis Epiſtolis, & edictis. Poſteà ad fugiendam detractionem eorum, qui eius literas & edicta Sphynge ſignata accipientes, illa ænigmata afferre dicebãt, ea omiſſa Alexandri imagine vſum; Nihil tamẽ refert, quod

poſtea ſua imagine, vt Suet. hic inquit, vſus fuerit, inſculpta à Dioſcoride Excellentiſſ. artifice in ſculpendis gemmis, quam in ſignando in vſum ſequentes Principes traxere, excepto Galba, qui, *ex Dione*, ſignatorium habuit annulum, maioribus ſuis familiare, cuius erat ſculptura, canis è prora ſe proclinans. Sylla annulum, in quo gloriæ imago inſculpta erat, habuit, teſte Plutarcho *in illius vita*. Et Vopiſcus in Aureliano ſcribit, *Vxori & filiæ annulum ſigillaritium, quaſi priuatus inſtituit.*

Sigillum autem dictum ita à ſigillo, hoc eſt, parua ſtatua, qualemque in ſigillis obſignandis literis dicatis, obſeruamus. Sic Vlpianus de fund. inſtr. l. quæſitum; *Sigilla* (inquit) *& ſtatuæ affixæ non continentur.* Ita & ſigilla legimus in ædificiis, *l. 13. §. ſed ſi ædium, D. de vſufruct. l. 41. pen. de leg. 1. l. 12. §. Papinianus, D. de fund. inſt. & inſtrum. leg. l. 17. § caſtella, D de act. emp. l. 19. §. idem Celſus, de auro & argen. leg.* & apud Plinium *lib. 36. cap. 24.* Pediculis argenteis adiuncta ſigilla. Et *in l. 32. De auro, & argen. leg.* ſigillum candelabro adiectum *in l. 23. §. ſi quis rei ſuæ, D. de rei vind.* & patellæ adiecta ſigilla, apud Ciceronem *6. in Verr. actione.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. L.

*Ad epiſtolas omnes horarum quoque momenta, nec diei modo, ſed & noctis, quibus datæ ſignificarentur, addebat.*

SIcuti *dies* quandoque accipitur pro tempore interminato. Iuuenal.

*Longa dies igitur, quid contulit?*

Et Virgilius.

*Multa dies, variuſque labor;*

Et apud Vlpianum *in l. 3. de ann. lega.* Annua, bima, trima dies pro tempore vnius, duorum, & trium annorum; Ita *hora* quandoque pro die ſumitur. Cicero Verr. 3. *Vt quum horis noſtris nos eſſemus vſi.* (Aſconius inquit) *Horas ſuas vocat viginti dies, qui dabantur accuſatori ad accuſandum legitimi, totidemque defenſori.* Quamobrem, quum nimia diligentia Auguſti accuſari

cuſari poſſet, ſi in propria ſignificatione horarum momenta eum epiſtolis appoſuiſſe dixerimus, ego per horarũ momenta diei horas vel noctis interpretor; ita vt Auguſtus in epiſtolis ſcribendis ſolitus ſit datam ſignificare, non modo appoſita die, ſed & hora diei, vel noctis, qua ſcriptæ eſſent; non etenim (vt dixi) veriſimile videtur, Auguſtum appoſuiſſe datæ primum, vel ſecundum, tertium, quartum, quintum, ſextum, & vltra etiam, horæ momentum. Sic diem in epiſtolis præſcribere, vulgatum etiam noſtris temporibus eſt, & *datam* vulgo dicunt. At horas adſcribere à nullo obſeruatum ſcimus, quum tamen id facere multis de cauſis perutile eſſet, cum exinde varii rerum ſucceſſus & accidentia oſtendi poſſint. Quod apud Iuriſconſultos legimus, qui voluerunt inſeri libello accuſationis diem, & horam, ſi inde delicti poſſit eſſe periſtaſis neceſſaria iudicio, vt adnotauit Bartolus *in l. libellorum, de accuſat. in P. num. 12. & in l. non ſolum, §. ſed vt prohiberi, num. 3.* Idem & in aliis negotiis ciuilibus, ſi expediat, faciendum conſultum, ex Vlpiano *in l eum actũ, de neg. geſt. in P.* & in clericalibus, quum concurſus eſt reſcriptorum ad beneficia, horæ prioritas multum prodeſt, quæ in libellis ſupplicationum in reſcriptis hora ſignaturæ apponenda, *ex cap. ſi à ſede, c. 31. de præben. in 6.* Ita & accuſatori & reo, orandi in iudiciis, non ſolum dies conſtitutus, ſed & horæ aſſignatæ, teſte Plinio *epiſt. 4. lib. epiſt. 9. ad Vrſum.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. LIII.

*Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium, ſemper exhorruit.*

ANtiquitus Domini dicti ſunt Patresfamilias, vt contumelia ſeruorum tolleretur, teſte Macrobio *lib. Saturnal. 1. c. 2.* nam Dominus dicitur quaſi qui domui præeſt, & eidẽ dominatur, & cui omnis familia paret. Hinc *domini* nomine ſolebant veteres aliquem honoris gratia ſalutare, vti habemus *in l. Neſennius, in princ. ad legem Falc.* ſic & domini dicti, quibus populi ſubſunt. Virgilius:

*Romanos rerum dominos, gentemque togatam.*

Dominos quoque & dominas, Deos & Deas antiquitas vocauit. Virg.

*Et vincti currum Dominæ ſubiere Leones.*

Et Ouidius:

*——Et Domino ſoluere vota Ioui,*

Ob id ex hoc loco habemus, Auguſtum domini appellationem exhorruiſſe,& edicto cauiſſe, ne dominus appellaretur. Et Suetonius *in Tiberio, cap.* 28. ſcribit, Tiberium Cæſarem dominum à quodam appellatum denunciaſſe, ne ſe amplius contumeliç cauſa ita appellaret. De eodem Cornelius Tacitus *libro Annal. ſecundo* ſcribit: *Acerbeque increpuit eos, qui diuinas occupationes, ipſumque dominum dixerant.* Et Lampridius *in Alexandro Seuero* ait de illo: *Dominum ſe appellari vetuit.* Populus Romanus magno odio proſequutus eſt Domitianum Imperatorem, quod nimis elatus, voluit ſe Dominum & Deum vocari. Quod idem Tranquillus *in Domitiano, capite vigeſimotertio,* ſcribit. Alii tamen Imperatores paſſi ſunt ſe Dominos orbis appellari, *ex l. bene à Zenone, de quadr. præſcr. in Cod. cap. conuenior, 23. quæſt. octaua.* & Iuſtinianus *in proœm. Inſtit. in ſubſcript.* dicitur Dominus. Quod nomen (eo prouecta eſt ambitio, proh dolor) quum Deo Optimo ſolo conueniat, ſcribente Daniele Pſal. 82. *Cognoſcant gentes, quoniam nomen tibi eſt Dominus, & tu ſolus altiſſimus in omni terra,* & Pſal. 99. *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus;* nihilominus huiuſce ætatis homines priuatiſſimi quicunque, Dominos ſeſe appellari non ſolum permittunt, ſed ſi ſecus fiat, indignantur. Quum tamen Dominus noſter Ieſus Chriſtus dicatur formam ſerui accepiſſe à Paulo *ad Philip. cap.* 2. Et Gregorius Nonus Pontifex Maximus *in proœmio Decretal.* Seruum ſeruorum Dei ſe nominauit, quem poſtea Pontifices ſucceſſores imitati ſunt, ſicuti etiam Iuſtinianus *Seruum* ſe nominat, *in l. 1. de offic. Præf. Prætorio Africæ.*

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LVI.

*Aſſuit & clientibus, ſicut ſcutario cuidam euocato quondam ſuo, qui poſtulabatur iniuriarum.*

SCutarii appellationem multiplicem inuenio apud Scriptores Latinos. Apud Gallicos ſiquidem *ſcutarii* nomine intelliguntur qui ſtabuli Regii & equorum miniſteria tractant, & *magnus Scutarius*, quem vulgo Galli dicunt *le grand eſcuyer*, Comes ſeu præſes ſtabuli appellatur, translata in eum magni magiſtri authoritate, tempore Caroli Septimi, ſub quo creatus fuit Potonus Xantralius primus magnus Scutarius, quod Gallici hiſtorici memoriæ mandarunt. Scutarius etiam Vegetio *lib. 2. de re milit.* dicitur ſcutorum artifex; in militia enim Romana habebant fabricas ſcutarias & loricarias, eodem teſte. Scutarium etiam alii appellari contendunt armigerum, qui gerit ſcutum domini, quem Plautus *Scutigerulum* appellauit. Scutarii denique, teſte Amm. Marcellino, pluribus in locis militum genus erant, ita appellatum à ſcuto, quo armabantur. Quod & Paulo Diacono, *decimo libro Hiſtoriæ Romanæ, & per initia Supplementi in Eutropium*, comprobatur, dum ait, Valentinianum ex Tribuno ſcutariorum apud Niceam Auguſtum factum. Scutatos milites hos vocauit Cicero *in Philippica ſecunda*, quod etiam Virgil. *lib. 9. Æneid.* fecit:

*Ter centum ſcutati omnes Volſcente magiſtro.*

Scutatos item appellauit Liu. *lib. 8.* inquiens de Latinis: *Clypeis ante Romani vſi ſunt, deinde poſtquam ſtipēdiarii facti ſunt, ſcuta pro clypeis fecere. & quod antea Phalanges ſimiles Macedonicis, hoc poſtea manipulatim ſtructa acies cœpit eſſe, poſtremo in plures ordines inſtruebatur. ordo ſexagenos milites. duos centuriones, vexillarium vnum habebat. Prima acies haſtati erant, manipuli quindecim diſtantes inter ſe modicum ſpatium, manipulus leuis vicenos milites, aliam turbam ſcutatorum habebat. Leues autē, qui haſtam tantum, geſſaq; figerent, vocabātur. Hac prima frons in acie florē iuuenum pubeſcentium ad militiam habebat. Robuſtior inde ætas totidem manipulorum, quibus Principibus eſt nomen. Hos ſequebantur ſcutati,*

*omnes inſignibus maxime armis, hos triginta manipulorum antepilanos appellabant,&c.* Ex his Liuii verbis, ſcutati qui eſſent milites, facile deprehendemus, necnon & clypeum à ſcuto apud antiquos differentem fuiſſe, non quidem quod Seruius docuit, enarrans illud Virgilianum paulo antea citatum, quod Clypeus peditum eſſet, ſcutum equitum; nam & pedites ſcuta geſſiſſe ex hoc loco Liuii patet, & ex ſecunda Philippica, vbi inquit: *Agmine quadrato cum gladiis ſequuntur ſcutati milites*; Non negauerim tamen & equites ſcutis vſos, cum id præter Virgilium, clare Liuius *libro* 48. tradiderit, Sed differentia in hoc præcipue erat, quod clypeus formæ rotundæ erat, quod in comparatione oculi Cyclopis demonſtrat, inquiens 3. Æneid.

*Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.*

Argolico enim clypeo olim Romanos vſos teſtatur Plutarchus *in Romulo*, & Dionyſius Halycarn. lib. 4. ſcutum vero erat formæ oblongæ, maiuſque clypeo, quod Nonius Marcellus docet in generibus armorum, & alibi etiam, & Seruius 8. *AEneid.* in eum locum.

*——Scutis protecti corpora longis.*

Quod etiam ex Liuio dignoſcere licet, quum *primo lib.* ait, primæ claſſi imperatum eſſe clypeum, cum galea, ocreis, & lorica; Secundæ pro clypeo ſcutum, & præter loricam eadem omnia. Datum itaq; ſcutum pro clypeo ſecundæ claſſi, vt milites corpus tegerent, quod ſine lorica eſſent, vnde ſcutum θυρεὸν Græcis dictum à forium ſimilitudine, quæ longiores, & latiores eſſe ſolent; & ita vocauit Dionyſ. Halyc. ſicut ἀσπίδα ſcutum.

Ex dictis iam patere puto ſat ſuperque, quinam eſſent ſcutati milites Romanis ipſis. Reliquum modo eſt, vt videamus qui eſſent *Euocati.* Dum ego prima facie hunc locum Suetonii conſiderabam, in eam veniebam ſententiam, *euocatum* interpretandum eſſe ſcutarium militem è legione ſeu cohorte vocatum in iudicium ad cauſam in iure dicendam; ita enim Cicero ad Atticum: *Euocari ex Inſula Cyprios non licet.* Et in Verr. *Verres ſtatim Meſſana literas dedit, Dionem euocauit.* Et rurſus ad Atticum: *Non expulſi, ſed euocati ex patria.*

Et

Et pro Deiotaro: *Venit vel accerſitus vt ſocius vel euocatus vt is, qui Senatui parere didicerat.* Ita Plautus in Amph.

*Euocate huc Soſiam.*

Terentius in Eunuch.

*Quem euocari hic vis foras?*

Quod vero qui alibi eſſent, Romam ad dicendum cauſam euocarentur, & quod ad præſentem locum facit, clare docet Cicero *in Verr.3.* ita ſcribens: *Pericles Epheſius homo nobiliſſimus Romam euocatus eſt, quod author iniuriæ illius fuiſſe argueretur.* Vt interim omittam, veteres *euocare Deos* dixiſſe, cum precibus obſeſſæ vrbis numina deprecabantur, vt ea relicta in obſidentium vrbem tranſire vellent, ne aduerſus Deos pugnare, aut capta vrbe etiam captiuos Deos habere viderentur. Quibus autem conceptis verbis id fieret, deſcribit Macrobius *lib.3.Saturnal. cap.9.* & clarius etiam Liuius *lib.5.* vbi de M.Furio Camillo Dictatore Veientum vrbem obſeſſam aggrediente. Verum mutare ſententiam coactus ſum, quum pluries euocati militis mentionem fieri apud authores Latinos obſeruarim. Cæſar *lib.3.comm.bell.ciuil.* ſcribit: *Erat Craſtinus euocatus in exercitu Cæſaris.* Et lib.5. *Quumq; idem animaduerti cœptum eſſet, ſubito Legati, euocatiq; ſupplicare Cæſarem, ne dubitaret ſignum dare.* Et rurſus *lib.3.* loquens de exercitu Pompeii: *Hæc erant millia 55.euocatorum circiter duo millia, quæ ex beneficiariis ſuperiorum exercituum ad eum conuenerant, quæ tota acie diſperſerat.* Cicero Epiſt.Famil. libro quinto, Epiſtola omnium 35. *Itaq; virum fortem, mihiq; inprimis probatum Antonium Præfectum euocatorum miſi ad te, cui (ſi tibi videretur) cohortes traderes.* Suetonius in Galba, cap.10. *Delegit equeſtris ordinis iuuenes, qui manente aureorum annulorum vſu, euocati appellarentur, excubiasq; circa cubiculum ſuum vice militum agerent.* Et in Veſpaſiano, cap.1. *T.Flauius Petronius municeps Reatinus bello ciuili Pompeiarum partium centurio, incertum ſponte, an euocatus, profugit ex Pharſalica acie, domumq; ſe contulit.* Et Velleius Paterculus lib.2. *Deciderat Caſſij caput, quum euocatus aduenit, nuntians Brutum eſſe victorem.* Et Tacitus *lib.17.* ſcribit, quoſdam dixiſſe, Terentium euocatum occidiſſe Galbam. Saluſtius: *Heu quis miles, ſed pro milite item*

*ipſe ab iis omnes vocatos & centuriones.* Ex his omnibus clare patet, euocatos milites fuiſſe, ſed quales fuerint, neminem adhuc recte declaraſſe ſcio. Nam Seruius enarrans illud Virgilii 2. Æneid.

*Fas mihi Graiorum ſacrata euoluere iura.*

Et etiam declarans aliud eiuſdem lib. 7.

*Ipſe vocat pugnas, ſequitur tum cætera pubes.*

Dum vtrobique tria militiæ genera aſſignat, *Euocati*, inquit, *non ſunt milites ſed pro milite.* Et iterum: *Fiebat enim euocatio; nam ad diuerſa loca diuerſi, propter cogendos exercitus, mittebantur.* Ex quibus verbis colligitur, euocatos milites fuiſſe ignobiles. Vnde forte Seruii authoritate ductus Ambroſius Calepinus in dictione *Euocati*, inquit: *Ita dicuntur, non quia iuſti milites ſunt, ſed quia repentina aliqua neceſſitate ex agris in bellum tumultuarie vocabantur*, ita vt Calepino *euocati* ſint, quos vulgo *Biſogni* appellamus, quam etiam ſententiam ſequutus eſt Alex. ab Alex. *lib. 6. cap. 22.*

Sed his non obſtantibus, cenſeo ego, euocatos fuiſſe milites ſtrenuos & veteranos; ſi enim imperiti fuiſſent, quomodo auſi eſſent vna cum legatis Cæſarem obſeruare, vt ſignum pugnæ daret. Quomodo Galba equitibus, quibus ſuiipſius cuſtodiam commiſerat, euocatos, nomine ignobiliſſimo inter milites, appellari mandaſſet? Quomodo T. Flauius Petronius euocatus centurio fuiſſet? Ad hæc, nonne Cæſar euocatos Pompeianarum partium ad eum ex beneficiariis ſuperiorum exercituum conueniſſe tradit? At certe beneficiarios non ignobiles milites fuiſſe, omnibus receptum eſt; quidam enim ex vocis ſignificatione interpretantur, beneficiarios fuiſſe, quos Imperator ſuo beneficio promouiſſet in militiam. Alii beneficiarios fuiſſe dicunt milites veteranos, qui expletis militaribus ſtipendiis, miſſione obtenta, agris vel annuis ſtipendiis beneficio affecti ſunt, vnde beneficiarii dicti. Sicuti in Iure Canonico beneficiarii & beneficiati dicuntur, qui beneficia eccleſiaſtica poſſident. Sic vrgente neceſſitate ab Imperatoribus, ſub quibus militiam exercuerant, & a quibus, vt diximus, beneficia acceperant, rurſus in militiam euocabantur,

tur,vnde *euocati* dicti. Huic noſtræ ſententiæ adſtipulari videtur Cæſar, qui *libro* 1.*bell.ciuil.* inquit: *Petreius vero non deterritus, armat familiam cum hac, & Pictoria cohorte cetratorum, barbariſq; equitibus paucis beneficiariis ſuis, quos ſuæ cuſtodiæ cauſa habere conſueuerat, improuiſo ad vallum aduolat.* Sed quis quæſo dicere audebit, virum principem Petreium ad ſui cuſtodiam milites imperitos & vilifaciendos delegiſſe? Audiamus & Plinium Iuniorem *Epiſtol.lib.*10.*Epiſtol.*281. incipiente, *Gabius Baſſus*, cuius hæc ſunt verba: *Quantum proſpicere potui, vir egregius & indulgentia ſua dignus, cui ego notum feci, præcepiſſe te, vt ex cohortibus, quibus me præeſſe voluiſti, contentus eſſet beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione vno.* Vegetius *libro* 3. meminit beneficiariorum, quos ex ipſo ignobiles aut imperitos milites fuiſſe, minime dignoſcimus. Item ex Feſto, *libro* 2. colligimus, beneficiarios milites opponi ſolitos municipibus, nam hi non vacabant, ſed munus Reipublicæ faciebant; econtra beneficiarii appellabantur, qui vacabant muneris officio, quos quis audebit viles & infimos in militia appellare? Non me latet, *in Nouella* 13. beneficiarios intelligi, authoritate Cuiacii, exploratores & iudices, quos pro huius miniſterii præmio, habebat prætor plebis immunes. Et Tertullianus *de fuga in perſecutione*, ſcribit: *In matricibus beneficiariorum & curioſorum inter tabernarios & lanios, & fures balnearum, & aleones continentur.* Sed hęc militiæ limites excedunt, nec ad rem propoſitam faciunt.

Poſtremo, quum frequenter in marmoribus antiquis nomen Euocati obſeruemus, euocatorum militum præſtantiam arguere poſſumus. Romæ extat prope S.Laurentiolum in via publica inſcriptio, in qua *Iulij Iuliani euocati* fit mentio. Et in alia, in atrio S.Potentianæ: *Aurelij Daſſiani euocati Auguſti.* In æde Pomponii Læti; in alia, *L. Millelij Valentis euocati Aug.* In alia S.Andreæ in Portugallo: *T.Albanij Principiani euocati Aug.* In alia, in pauimento S.Marcelli: *Aurelij Præſentini euocati.* In alia, in S.Nicolao de Forbitoribus: *Flauij euocati Auguſt.* In alia, prope arcũ Trofoli in pariete: *Aureliani euocati.* In alia, apud S.Mariam in Puſterula, in pariete cuiuſ-

cuiuſdam domus: *Minucij Aſellani euocati.* In alia, in palatio Vrſinorum in S.Iordano: *Vipij Vrſini euocati.* In alia, in S.Nicolao poſt campum Florum: *Petronij Mamertini ſtatorum euocati.* In alia, in domo D.Iulii Tamarotii: *M.Vipij Antonini euocati.* In alia, in domo D.Iacobi de Albertinis: *Auenij Europi euocati.* In alia, in pariete domus prope pontem Sixtum: *For. euocati Auguſt.* In alia, apud Sacellum D.Mariæ de Febribus: *Sept.euocati.* Ex quibus omnibus clare patere poteſt, milites euocatos præſtantiſſimos fuiſſe, non viles, aduerſus Calepini & Alexandri ab Alexandro ſententiam, necnon & Nicolai Perotti *in ſua Cornucopia,* ſentientis, euocatum fuiſſe non militem, ſed pro milite, authoritate Martialis ſcribentis:

*Lani Bardinus quod euocati.*

Cuius loci interpretationem alias docuimus, ex qua percipiet lector, nihil ad rem præſentem facere Martialis authoritatem, nec minus quam ex Saluſtio profert Perottus, ſcribente: *Neu qui miles, neu pro milite*, nam euocatum pro milite dici non poſſe, ex dictis ſatis patet, nec id ex Saluſtii verbis poſſe colligi, palam eſt, præſertim quum idem Saluſtius euocatos cum centurionibus coniungat; ait enim: *Ab his omnes euocatos & centuriones.*

## C. SVET TRANQVIL. IN AVGVSTO. Cap. LVII.

*Ex qua ſumma pretioſiſſima Deorum ſimulacra mercatus, vicatim dicabat, vt Apollinem Sandaliarium & Iouem Tragœdum, &c.*

Alexander ab Alexandro, *lib.6.cap.4.* permulta cognomina deſcribit, quibus Apollo appellari ab antiquis conſueuit, inter quæ quum hoc reticeat, quid per *Apollinem Sandalarium* ſit intelligendum, breuiter docendum. Conueniunt omnes, Apollinem ita vocatum à vico Sandaliario, quem Sextus Ruffus tradit Romę fuiſſe è regione templi Pacis. Huius etiam meminit Gellius *lib.17.* his verbis: *In Sandalario forte apud librarios primus.* Videtur autem, quod vicus iſte ita vocatus fuerit à ſandaliis calceamentis, quæ in

eo fie-

eo fiebant,ſeu vendebantur. Sandaliorum meminit in Eunucho Terentius;

*Vtinam tibi commitigari videam ſandalio caput.*

Iulius Pollux docet, ſandalia eſſe calciamenta peculiaria Hetruſcis. Ita Sardinia *Sandaliotes* dicta ab effigie ſandalii, hoc eſt,ſoleæ,& *Sandalides* palmæ genus à ſandalii ſimilitudine. In ſacris paginis *in lib. Iudith* legimus, quod illa induit ſandalia in pedibus ſuis. Et ſandalia inter Epiſcopalia indumenta enumerantur ab Eccleſiaſticis, quibus pedes calceant.

*Iouem Tragœdum* dictum putamus à vico Tragœdo, quem Sex Rufus è regione Exquilina fuiſſe commemorat, ita forte appellatum, quod eum Tragœdi, id eſt, Tragœdiæ hiſtriones τραγῳδοὶ Græcis dicti, præſertim incolerent.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LIX.

*Prouinciarum pleræq; ſuper templa & aras, ludos quoq; quinquennales pene oppidatim conſtituerunt, &c.*

TAcitus lib. I. Annal. *Templum vt in colonia Tarraconenſi ſtrueretur Auguſto, petentibus Hiſpanis permiſſum, datumq; in omnes prouincias exemplum refert*, quæ confirmant ſcripta à Suetonio hoc in loco. Quod vero ſpectat ad ludos quinquennales, hos Græcis percelebres fuiſſe, ſatis conſtat, qui ita dicebantur, quod ſingulo quinquennio celebrarentur, quales Olympici & Iſthmii, quod Pauſanias *lib. 5.* refert, vbi etiam temporis rationem reddit, in quibus gymnica tractabant; nam Palæſtra pugnis, curſu, & diſco certabatur, *ex Homero lib. 2. Iliad. & lib. 8. Odyſſ.* Olympica certamina Syllam Olympiade 175. Romam traduxiſſe, ſolum ſtadii curſu Græcis relicto, author eſt Pauſanias, *Bellorum ciuilium lib. 1.* ſic ſcribens: *In hunc modum Romani Regibus ſupra centeſimam Olympiadem inprimis vſi, quum ab illis Democratia & annuis Conſulibus functi eſſent. Aliis interiectis centum Olympiadibus iterum Reges experti ſunt, Olympiade apud Græcos quinta & ſeptuageſima ſupra*

*ſupra centeſimam, nullo in Olympiis certamine, præterquam ſtadij curſu edito.* Athletas nempe, & cætera ſpectacula Sylla Romam euocauit, veluti ſolamina quædam belli Mithridatici, aut Itali, excuſatione adhibita, quaſi populum à calore reſpirare & refrigerari cuperet. Hoc quinquennale ludictum Nero primus triplex inſtituit, addidit enim certamini Gymnico Muſicum & Equeſtre, teſte Tacito, *libro* 16. & Sueton. *in illo*, *cap.* 12. Neronia appellans. Ante ipſum tamen Romæ quinquennalia vota, Sulpitio Galba, & C. Aurelio Coſſ. obſeruamus apud Liuium, *lib.* 31. Poſtremo Domitianus inſtituit & ipſe quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex, Muſicum, Equeſtre, & Gymnicum, quod certamen Domitiani, eo quod ab eo annus magnus, ſeu luſtrum (vt Cenſorinus tradit) obſeruari cœperit, vſque ad Conſtantini tempora durauit. Quinquennalium meminit Plinius iunior *lib.* 4. *Epiſt.* 22. *Epiſt.* Verum quinquennales in honorem Auguſto decretos, Gymnicos tantum fuiſſe, clare patet ex ipſomet Sueton. *in Aug. cap.* 98. vbi habet: *Mox Neapolim traiecit, quamquam & tunc infirmis inteſtinis, morbo variante, tamen & quinquennale certamen Gymnicum honori ſuo inſtitutum, perſpectauit.* Apud Iuriſtas *in l.* 1. *de med. & profeſſ. in C. Theod.* fit mentio quinquennalis, quod erat in municipiis quibuſdam magiſtratus nomen. Vnde mihi veniebat in mentem, quum legerem hoc capite, Auguſto pene oppidatim ludos conſtitutos quinquennales, in oppidis ſeu municipiis magiſtratum quinquennalem fuiſſe, cui horum quinquennalium cura mandabatur, & ita Spartianum in Hadriano intelligendum, quum ſcribit: *Per Latina oppida Dictator & Aedilis, & Duumuir fuit, apud Neapolim, de moribus in patria ſua quinquennalis.* Ita & Apuleium de Aſino aureo ſcribentem: *Gradatim permenſis honoribus quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus.* Hanc interpretationem à nemine antea animaduerſam ſcimus. An vero approbanda ſit, viderit prudens lector.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. LXIV.

*Caium & Lucium adoptauit domi per aſſem & libram, emptos à patre Agrippa.*

PEr *æs & libram*, Leuinius Torrentius legendum contendit; at nullius momenti difficultas; ſiquidem appellatione æris aſſem intelligi, & econtra, docet Budæus *lib.2.de aſſe.* Fateor tamen, *per æs & libram*, ſi legerimus, magis conuenire vetuſtiori appellationi. Boetius docet, quod antiquitus ille, qui aliquem mancipio accipiebat, æs manu tenens, hæc verba proferebat: *Hunc ego hominem ex iure Quiritum, meum eſſe aio, iiq; mihi emptus eſt hoc ære æneaq; libra*: deinde ære percutiens libram, æs alteri dabat. Ita & in 12.tab.lege 12.ſcribitur: *Quum nexum faciet, mancipiumq; præſentibus quoq; ciuibus Rom. & libripende, qui rem mancipio ceperit, roduſculo libet ferito, atq; ei, cum quo nexum mancipiumve faxit, æs dato.* Cic. *lib.de Orat.* meminit nexus, quod per libram agitur. Hæc verba etiam leguntur *in 2.lib.Inſtit.Iuſtiniani, ſub titulo, de teſtamentis.* Teſtamentum enim fieri dicebatur per æs & libram, Græci ζυγὰ καὶ ἀσσάρια vocant, pro familiæ emancipatione, cui æs & libra adhibebatur, teſte Gellio, *libro 15.c.27.* quum quis ſcilicet alterius familiam, id eſt, ius patrisfamiliæ vniuerſum, mancipio emebat, & teſtator tabulas tenens, ita loquebatur: *Hæc vt in his tabulis cerisve ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor; itaque vos teſtes teſtimonium perhibere.* Vlpianus *capite Inſtit.20.* quo genere teſtamenti diu vſi ſunt Romani, idque ſuſtuliſſe Conſtantinum, credit Cuiacius *in l.quoniam, C.de teſtam.* ex illis verbis: *Ademptis his, quorum imaginarius vſus eſt.* Cicero de Orat. *Facere* (inquit) *teſtamentum in procinctu ſine libra atq; tabulis.* Teſtamentum enim in procinctu, teſte Gell. *loco ſupra citato, cap.27.lib.15.* fieri dicebatur, quum viri in acie, vocatis tribus aut quatuor teſtibus, hæredem nuncupabant, nullo ære librave adhibitis. De re hac lege Budæum *in Annotat.ad Pandect.* Sed quod ad præſentem locum explanandum attinet, dicamus, antiquis placuiſſe, titulis transferendi dominii, habere, vt plerunque, additam emptionem, quod fiebat adhibito ære & libra,

libra ſeu libripende. Vnde ius mancipii & dominii, ſic enim Plinius *lib.33.cap.3.* ſcribit, conſuetudinem ſeruatam fuiſſe in emptionibus, quæ manicipii ſunt, libram interponere. Vnde Horat. 2. Epiſt. ad Florum:

*Si proprium eſt quidquid libra mercatur & ære.*

Hoc pacto Suetonius ait, Auguſtum adoptaſſe Caium & Lucium emptos à patre per æs & libram. Apud Liuium *libro 6.* obſeruamus quoque loquutionem: *Liberare aliquem per æs & libram*, vbi de Manlio verba faciens, inquit: *Centurionem nobilem militaribus factis, iudicatum pecuniæ, quum duci vidiſſet, medio foro cum caterua ſua accurrit, & manum iniecit, vociferatusq; de ſuperbia Patrum, & crudelitate fœneratorum & miſeriis plebis, virtutibus eius viri fortunaq; tum vero: Ego (inquit) necquicquam hac dextera Capitolium arcemq; ſeruaui, ſi ciuem commilitonemq; meum, tamquam Gallis victoribus captum in ſeruitutem ac vincula duci videam. Inde rem creditori palam populo ſoluit, libraq; & ære liberatum emittit.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. Cap. LXVII.

*Diomedem diſpenſatorem, à quo ſimul ambulante, incurrente repente fero apro per metum obiectus eſt, maluit timiditatis arguere, quam noxæ.*

Diſpenſatores vocauere antiqui, qui pecunias Domini diſpenſabant, quique impendia & expenſa rationibus notabant, & neceſſaria inter familiam diſtribuebant. Ita Martialis lib. 6.

*Diſpenſatoris nobile cernis opus.*

Et Iuuenalis: *Prælia quanta illic videbis diſpenſatore armigero.* Cic. apud Nonium in Aera. *Quid? tu (inquam) ſoles, quum rationem à diſpenſatore accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam, quæ ex his confecta eſt, non probare.* Macrobius *lib. 2. cap. 3.* de Auguſto loquens, ait: *Diſpenſatorem vocauit, & centum ſeſtertia Graculo numerari iuſſit.* Nomen deriuatum à verbo *Diſpenſo.* Cic. ad Attic. *Qui noſtras res domeſticas diſpenſauit, neq; adeſt iſthic, neque vbi terrarum ſit, ſcio.* Vnde & *diſpenſatio* pro munere diſpenſa-

penſatoris. Cic.in Verr. *Rabirius curationem & quaſi diſpenſationem regiam ſuſcepit.* Et ad Att. *Profectionem meam vt video, Erotis diſpenſatio impedit.* Varro *lib.4.ling.Lat.* Pomponius Feſtus *lib.4.*& Iſidorus, inquiunt, diſpenſatores dictos, quibus pecuniarum adminiſtratio credita erat, à pendendi æris antiquo modo, nam teſte Plinio, libralis & dipondius aſſis appendebantur; vnde & ſtipis penſatores *libripendes* dicti. Ideoque qui Principum pecunias curant, theſaurique adminiſtrationem gerunt, in Conſtitutionibus *diſpenſatores* appellantur, *l.1.C.ſi aduerſus fiſcum, & C.Theod.de iis, qui cum diſpen.contra.in nu.* Erant autem diſpenſatores, qui familiæ rationes diſpenſabant, peculiique adminiſtrationem habebant, in numero ſeruorum, *l.51.& 62.D de ſolu. & ex Nonio in ver.ara, & Quintil.lib.6.* Ita Plinius *lib.33.c.11.* ſcribit: *Seruus Claudij Druſillanus nomine, rotundus diſpenſator, &c.* Idem ex Suet.in Nerone, c.44. *Certum nominis ſeruorum numerum indixit, nec niſi ex tota cuiuſq; familia probatiſſimos, ne diſpenſatoribus quidem aut amanuenſibus exceptis recepit.* Tacitus *lib.1.Hiſt.* inquit: *Galbæ corpus diu neglectum, & licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, diſpenſator Argiuus è prioribus ſeruis humili ſepultura in priuatis eius hortis contexit.* Et ſcribit Suet.in Galba, cap.20. *Sero tandem diſpenſator Argiuus & hoc, & cæterum truncum in priuatis eius hortis Aureliæ viæ ſepulturæ dedit.* Idem Sueton.in Othone, cap.5. *Ante paucos dies ſeruo Cæſaris pro impetrata diſpenſatione decies ſeſtertium expreſſerat.* Et in *Veſpaſiano, cap.22.* inquit de eo: *Expugnatus autem à quadam, quaſi amore ſui deperiret, quum producta pro concubitu ſeſtertia quadraginta donaſſet, admonente diſpenſatore, quemadmodum ſummam rationibus vellet referri, Veſpaſiano, inquit, adamato.*

Notandum autem, ex hiſtorica lectione obſeruari, diſpenſatores aliquos ordinarios fuiſſe, alios extraordinarios. Ordinarii diſpenſatoris meminit Suet. *in Galba, c.13.* in hæc verba: *Ordinario quidem diſpenſatori breuiarium rationum offerenti, paropſidem leguminis pro ſedulitate ac diligentia porrexiſſe.* Extraordinarii meminit Plinius *lib.7.cap.39.* qualis diſpenſator Armeniaci belli Neronis ſeruus, qui libertatem centies vicies ſeſtertium redemit. Talis & Druſillanus Claudii

diſpenſator Hiſpaniæ, qui lancem illam quinquagenariam poſſedit, de quo Plinius *lib. 33. c. 11.* Talem & fuiſſe diſpenſatorem cenſendum, pro quo Otho ſeruo Galbæ pro impetrata diſpenſatione decies ſeſtertium expreſſit, teſte Sueton. *in Othone, c. 5.* Et in Veſpaſiano, cap. 23. *Quidam è claris miniſtris diſpenſationem cuidam, quaſi fratri petentem, quum diſtuliſſet, ipſum candidatum ad ſe vocauit, exactaq́; pecunia, quantum cum altero pepegerat, ſine mora ordinauit.* Ex quibus etiam colligere poſſumus, diſpenſatoribus, præſertim extraordinariis, licet ſerui eſſent, ingens peculium fuiſſe, & munus iſtud non contemnendæ vtilitatis & prouentus fuiſſe. Domi meæ extat lapis ex marmore Græco, in quo legitur inſcriptum ſeu inciſum: FRONTO TI. CLAVDI. CÆSARIS AVG. GERMANICI DISPENSATOR LENTLANVS.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LXVII.

*Thallo à manu, quod pro epiſtola prodita denarios quingentos accepiſſet, crura effregit.*

A *Ad* vel *ab*, præpoſitiones in officiis ſeu dignitatibus ſignificandis vſurpatas à Latinis ſæpe obſeruamus, ita Sueton. in Claudio ſcribit, cap. 28. *Super hos Polybium è ſtudiis, Narciſſum ab epiſtolis, Pallantem à rationibus, quod decreto quoque Senatus, non præmiis modo ingentibus, ſed & Quæſtoriis Prætoriisq́; ornamentis ornare libenter paſſus eſt*, id eſt, qui præerant ſtudiis, epiſtolis & rationibus. Ita & *à commentariis*, qui præeſt commentariis, quem Aſconius Pædianus *Commentarienſem* vocat. Et D. Hieronymus *lib. 2. Regum* ſcribit: *Ioſaphat erat à commentariis.* Ita *à pedibus*, quorum opera ad eundum pedibus vtimur. Ita Cicero ad Atticum: *Nec vllam ob aliam cauſam Pollucem ſeruum à pedibus Romam miſſum.* Et Martialis:

*Cur non menſa tibi ponitur à pedibus?*

Et alibi:

*Lagenam ad pedes replet.*

*A fugione*

*A pugione* dicitur, qui Principis pugionem geſtans, ei ſemper præſto eſt. Lampridius in Commodo: *Inter quos Libertinus, qui à pugione appellatus eſt.* Apud Frontinum lib. 2. de aquæductu: *A cunctis qui præeſt redditui aquariorum.* Sic *à voluptatibus*, qui præeſt oblectamentis Principis. Suet. in Tiberio: *Deniq; inſtituit officium à voluptatibus, propoſito equite Romano T. Cæſonio Priſco.* Sic *à ſecretis*, vulgata conſuetudine, qui præeſt ſecretis Principis, quique, teſte Budæo, ab ore Principis imperia recipit diplomatum ſubſcribendorum dictorumque, quæ in conſilio ſelecto decerni ſolent. Ita & *à manu*, vt hoc loco Sueton. quorum manu Princeps ad ſcribendas literas vtitur. Idem in Veſpaſiano, cap. 3. *Poſt vxoris exceſſum Cenidem Antoniæ libertam adamauit, & à manu dilectam quondam, ſibi reuocauit in contubernium.* Hi etiam dicti ſunt *ad manum.* Cic. lib. 2. de Orat. *Licinium ſeruum ſibi Gracchus habuit ad manum*, quamuis Prateus *ad manum*, hoc in loco interpretatus ſit, *in promptu*, quaſi dicas, præ manu, qui præſto ſit & paratus, ſicuti etiam interpretatus eſt locum Liuii, per initia libri ſeptimi, vbi habet: *Inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum*; ſed perperam certe vtroque in loco, quum ex Ciceroniano textu clare pateat, Licinium fuiſſe à manu, ſeu ab epiſtolis, & Liuii verba ſint intelligenda, hiſtriones tunc cœpiſſe accommodare cantui manuum geſticulationes, ita vt manibus loqui viderentur, quod nos alias fuſe docuimus, vbi de Pantomimis tractauimus. Hi itaque *à manu*, ſeu *ad manum*, & *amanuenſes* dicti à Suetonio in Nerone, cap. 44. & in Tito, cap. 3. *Cum amanuenſibus ſuis per ludum iocumq; certantem imitari chirographa, quæcunque vidiſſet.* Spartianus in Peſcennio Nigro: *Vnus ad memoriam, alter ad libellos.* Trebellius Pollio *in D. Claudio*, de illius epiſtola ad Senatum populumque Romanum: *Hanc autem ipſe dictaſſe perhibetur: Ego verba magiſtri memoriæ non requiro. Forte à memoria dicti, qui literas à Principe dictatas regiſtrabant.* Quæ omnia etiam facile confirmari poſſunt ex variis antiquis marmoribus. Romę extat inſcriptio in S. Hadriano: *T. Claudius Lemnius D. Claudij Aug. lib. à ſtudiis.* In S. Martino de Montibus: *Monſdrus Aug. libertus à commentariis aquarum.* In pariete

domus Ioannis Ciampolini: *M.Vlpio Aug.lib.Phædimo à Commen.Beneficiorum.* In ſancto Sylueſtro: *T.Claudij Aug.L.Abaſcanti à rationibus.* In domo D.Caroli Aſtalli: *Aſcanius & Pallans Cæſ.N.Ser.Adiutor à rationibus.* In domo D.Rigeti Secret. Apoſt. *T.Claudio Auguſti liberto Corintho à veſte regia.* In Eccleſia SS.40.Martyrum: *Venuleia Cleopatra fecit ſibi & Rhodano Cæſaris Verna à veſte Regia.* In pariete domus Ioan.Ciampolini: *M.Vulpius Aug.lib.valens à veſte.* Et in eodem Epitaphio: *Phædimianus à veſte.* In Eccleſia ſanctæ Mariæ prope fontem Triuii: *M.Vlp.Augu.lib.Dionyſio,qui fuit ab auraturis.* In domo D.Marii de Mellinis: *Cognationi ſuæ Fortunatus Aug. L.Verna Paternus ab Epiſt.* In Palatio D.Gieron.Pici: *Libano Cæſaris Verna ab Epiſt.* In pariete domus Ioan.de Ciampolinis: *Securitati cognationis ſuæ Fortunatus Aug. L. Verna Paternus ab Epiſt.* In eadem inſcriptione: *Epaphrodino Aug.liber ab Epiſt.* In domo D.Iulii: *Matth.Baſſo Aug.lib.ab.Epiſt.Græcis.* In Palatio D. Hieron.Pici: *Doryphoro Cæſaris à cyatho.* Ad cyathum & vinum ſtetiſſe Cæſarem Nicomedi, dixit Sueton. *in illo, c.*49. Horat.1.Ode 29.

*Puer qui ex Aula capillis*
*Ad cyathum ſtatuetur vnctis.*

Iuuenalis Satyra 13.

*Nec puer Iliacus, formoſa nec Herculis vxor*
*Ad cyathos.*

Quem & *prægustatorem* dictum obſeruamus, ex inſcriptione marmoris antiqui Romæ in monte Pincio, huiuſmodi: *Diadumenus prægustator Auguſti.* In domo D.A.Colotii: *Alexio Cæſaris Augu.ab Bibliotheca.* In domo Petri Aſtalli: *L.Hymenæus Medicus à Bibliotheca.* In platea Maranorum in pariete cuiuſdam domus: *Hermæ Auguſt.L. à cubiculo.* In Eccleſia ſanctorum 40.Martyrum: *Neſtor C.Cæſaris Ser. Germanicianus à ſupellectili.* In domo D.Iulii Matthæi: *Eumoipus Cæſaris à ſupellectile domus Aurif.* In domo Antonii de Canobio: *T.Claudio Splecatori Auguſt.liber. Procurator formis fundis Caitæ, Procurator Laurento ad Helephantos.* In domo D.Ludouici Matthæi: *Aſſatilius Ti. N. à manu.* In pariete domus cuiuſdam prope pontem Sixtum: *Leonas lib.ad cenſus.* In ſancta Maria de palma:

ma: *Aſclepiadi Athictus L.N. à frumento.* In vinea M.Ioannis de Macerata prope portam Appiam: *Polycryſo Auguſti lib. à copiis militarib.* In domo Pauli de Alexiis: *Auguſt.lib.Parthenopæi Eunuchi ab ornamentis.* In ſancto Blaſio de Foſſa: *Q.Fabius Africani L.Cytiſus ab ærario.* In domo Mariani Caſtellani: *Q. Valerio ad alimenta Conſiliario.* Pyrrhus Ligorius *lib.Antiquitat.*1.vbi de Auguſti Mauſoleo verba facit, Epitaphii in marmore antiquo meminit huiuſcemodi: *Diis Manibus Martialis Auguſti libertus à marmoribus.* A libellis, ſeu ab Epiſtolis, & alios huiuſcemodi ſeruos vel libertos fuiſſe conſtat, vel ſaltem non nobiles, ex Spart. in Hadr. ſcribente: *Ab epiſtolis & à libellis primus Equites Rom.habuit.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

## CAP. LXVIII.

*Et aſſenſu maximo comprobauit verſum in Scena pronuntiatum de Gallo matris Deûm tympanizante.*

LOcus hic ieiune admodum ab expoſitoribus explicatur, quamobrem nos eum fuſius interpretandum aſſumpſimus. Gallos fuiſſe matris Deûm Sacerdotes, nemo ambigit, ita dictos à Gallo, Galatiæ ſeu Phrygiæ fluuio, vbi potiſſimum hæc Dea colitur, teſte Plinio, *lib.5.cap.vlt.* & Ouidio ſcribente lib.4.Faſt.

*Amnis it inſana nomine Gallus aqua.*

In hoc ſignificatu hoc loco accipienda *Galli* vox, quam & auem Gallinaceum, & gentem Gallicam alio ſignificatu indicare, manifeſtum eſt. Hi autem caſtrati erant, vt refert D. Auguſtinus *lib.7.de Ciuit. Dei* ſcribens: *Ideo abſciſſos ſeruire matri Deûm, vt ſignificaretur, eos, qui ſemine indigeant, terram ſequi oportere, quæ mater Deûm antiquitus appellata fuit, quippe in qua omnia reperiantur.* Plinius *lib.11.cap.*48. inquit, Gallos Sacerdotes matris Deum ſibi genitalia amputare. Et *lib.35.* Gallos Sacerdotes matris Deum caſtrari ſolitos teſta Samii vaſis. Martialis:

*Aerea Celenos lugentia matris amores,*
*Eſuriens Gallus vendere ſæpe ſolet.*

Et Iuuenalis:

*Aut reſupinati ceſſantia tympana Galli.*

Lampridius in Heliogabalo: *Iactauit autem caput inter præciſos Phanaticos, & genitalia ſibi deuinxit, & omnia fecit, quæ Galli facere ſolent.* Non ſolum autem Galli ſacerdotes erant Cybeles, ſed & fœminæ Gallæ dictæ, de quibus Catullus de Berecynthia & Atti, ita:

*Agite ite ad alta Gallæ Cybeles nemora ſimul,*
*Simul ite Dyndimenæ dominæ vaga pecora.*

Et rurſus infra:

*Rapidæ ducem ſequuntur Gallæ pede propero.*

A Gallis Cybeles ſacerdotibus *Galiambus* verſus dictus, quia in huius Deæ ſacris eo plurimum vtuntur, qua de cauſa & μητρωακὸς ἀνακλώμενος vocatus, vt tradit Hepheſtion. De quo Martialis his verſibus:

*Hæc dicat mihi luculentus Attis,*
*Molle debilitate Galliambon.*

De eo Maurus Terentianus Grammaticus in hæc verba:

*Sonat hoc ſubinde metro Cybeleium nemus,*
*Nomenq́ Galiambis memoratur hinc datum,*
*Tremulos quod eſſe Gallis habiles putant modos.*

Seruius *ad tertium & ad decimum Aeneidos*, Gallos hoſce ſacerdotes, quos & *Corybantes* appellari tradit, per furorem motu capitis comam rotantes vlulatu olim futura prædicere ſuetos. Ita & Lucanus lib. 1. ait:

—— *Crinemq́ rotantes*
*Sanguineum populis vlularunt triſtia Galli.*

Liuius *lib.* 37. eiuſdem rei fidem facit, inquiens: *Præter ripam euntibus Galli matris magnæ à Peſſinunte occurrere cum inſignibus ſuis, vaticinantes fanatico carminę, Deam Romanis viam & victoriam dare, imperiumq́ eius regionis.* A Tertull. *c.* 24. *Apologetici*, ſummus ſacerdos matris Deûm *Archigallus* appellatur. Hos etiam à cibis fuiſſe abſtinentes, obſeruamus ex D. Hieronymo *in Iouinianum.* Hos etiam intellexiſſe Ciceronem exiſtimo, quum ait in libris ad Herennium: *Gallus è Phrygia,* ſiquidem

ſiquidem ea in regione potiſſimum Deam & ſacerdotes huiuſmodi viguiſſe, ex Plinio diximus. Et Liuius *lib.29.* de Attalo Rege: *Is Legatos comiter acceptos, Peſſinuntem in Phrygia deduxit, ſacrumq; iis lapidem, quam matrem Deûm incolæ eſſe dicebant, tradidit, ac deportari Romam iuſſit.* Ex quibus, cur Dea hæc quandoque *Phrygia & Peſſinuntia* dicta ſit, clare patet, quod & Strabo *lib.10.* & Apuleius *lib* 11. tradidere, & Plutarchus *in Mario*, & Herodotus *lib.1.* Cybelem quoque frequentiori appellatione vocatam, ex eodem Strabone ibidem ſcimus, à Cybelo Phrygiæ monte, quamuis Feſtus ideo appellatam ſcripſerit, quia ageret homines in furorem, quippe *χυβιςᾶν in caput ſaltare* Græcis ſignificat. Et Homerus *16. Iliad.* tradit, quod ſacerdotum Cybeles proprium erat caput rotare. De hac Martialis:

*Et Cybele picto ſtat Coribante tholus.*

Quandoque *Cybellem* metri cauſa per duplex l, ſcriptum obſeruamus, vti apud Propertium:

*Vertice turrigero iuxta Dea magna Cybelle.*

Et Luc.lib.1.

*Et lotam paruo reuocant clamore Cybellen.*

Strabo loco citato *Rheam* vocauit, quod & fecit Suidas, montanam Deam eſſe inquiens. Alii *Berecynthiam*, vt Strabo ibidem. Et Seruius à monte Phrygio *Berecyntho* ita vocatam tradit, ad illud Virg.lib.9.Æneid.

*Ipſa Deûm fertur genitrix Berecynthia magnum*
*Vocibus hæc affata Iouem.*

Et iterum Virg.6.Æneid.

*—— Qualis Berecynthia mater*
*Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes.*

Et Horat.lib.1.Carm. Ode 18.

*Sæua tene cum Berecynthio cornu tympana.*

Et iterum lib.3.Ode 19.

*Cur Berecynthiæ*
*Ceſſant flamina tybiæ.*

Ouid.lib.4.Faſt.

*Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu*
*Flabit & Idea feſta parentis erunt.*

Acron & Porphyrion Horatii interpretes, non, vt Seruius, à monte, ſed à Berecynthia vrbe Phrygiæ ita dictam docent. Non defuere qui *Bonam Deam* appellarint, vti Varro *lib.*1.aut ſecundum aliorum computationem, *lib.4. lingua Latina.* Hanc etiam *Opem* vocauit Macrobius *lib.1. Saturnal. c.*12. aliorum tamen authoritate *Idam* appellauere Strabo, *lib.*10.& Liuius *lib.*39.vnde & illud Tibulli lib.1.Eleg.4.

*Idea currus ille ſequatur Opis.*

Et Virgil.lib.10.Æneid.

*Alma parens Idea Deûm,cui Dindyma cordi,*
*Turrigeræq; vrbes biiugiq; ad frena leones.*

*Iſidem* etiam vocatam legimus apud Strabonem, *lib.* 10. & Apuleium lib.11 *Dindymena* quoque & *Philena* eodem loco à Strabone dicta. Hanc & *Paſitheam* recte vocatam, docet Cæl.Rhodig.*lib.& cap.*18. & *magnam matrem*, cap. antecedenti,vnde illius ſacra μυτειάζειν, eſt ea obire. Ita Plutarchus in Cleomonis vita,Ptolemæum Regem ſubſannans, τυμπανίζω vocat, taxans ſcilicet illius molliciem, quum paulo antea ſcripſiſſet, eum inter mulierculas & comeſſationes tranſegiſſe,ac myſteria obiiſſe, & tympana tenuiſſe, quæ ſunt matris Deum propria. Quod ex hoc loco Suetonii etiam elicimus, & Seruius *in 3.Aeneid.*inquit, Tinnitum æris in ſacrificiis Cybeles additum, cuius cauſam quoque aſſignat, licet diuerſam ab ea, quam tradidit Diodorus Siculus *lib.4.c.vlt.& lib.6.c.*11. Ita Lucretius in 2.de Sacerdotibus Cybeles verba faciens,ait:

*Tympana tenta ſonant palmis,& cymbala circum,*
*Concaua raucisono mirantur cornua cantu.*

Catullus quoque tympanum *tubam Cybeles* non ineleganter appellauit. Et Apuleius *lib.de Dæmonio Socratis*, huiuſmodi Sacerdotes *Tympaniſtas* appellat. Et Sydonius lib.1.Epiſt. *Tympaniſtrias* mulieres tympanum pulſantes vocauit, ſicuti & *Tympanotriba* qui tympanum pulſat, dicitur Plauto *in Trucul.* Auguſtinus tradit, matrem Deorum habere tympanum,vt ſignificetur,eam eſſe orbem terræ, ob idque illius ſacerdotes in eiuſdem ſacris tympana terere ſolitos. Quod etiam elicimus ex Virg.lib.9.Æneid,

*Tympana*

*Tympana vos, Buxuſq; vocant Berecynthia matris*
*Idea, finite arma viris, & cedite ferro.*

Et Ouid. 4. lib. Faſt.

*Ibant ſemimares crepantia tympana tondent.*

Et 4. Metamor.

*Quacunque ingrederis clamor iuuenilis, & inde*
*Fœmineæ voces impulſaque tympana palmis.*

Ex quibus locis, & ex Plut. loco ſupra allegato coniicere licet, iuuenes molles & pueros, & fœminas luxuriantes, puellaſque in ſacris matris Deum interuenire ſolitos; Quinimo (quod Ambroſius Calep. ſcriptum reliquit in dictione *Cybeles*) Cynedi eidem Deæ ſacri erant, quod etiam ex hoc loco innuere videtur Suet. dum Gallum, Sacerdotem ſcilicet matris Deum, tympanizantem in ſcena pronunciaſſe ſcribit: *Videſne vt Cynedus orbem digito temperat?* Illud obiter adnotare libet, Iudæos in ſacris, tympanis concinere ſolitos, prout ex *Num.* 10. *Leuit.* 16. & *Exod.* 28. & 39. collegi. Verum quia, vt diximus ſuperius, ſacra facientes Matri Deum veluti furentes debacchabantur, ideo de eo qui impetu aliquid facit, dici ſolitum à verbo τυμπανίζω, quod eſt tumultu expello, τυμπανίζειν. Ita proditum memoriæ Scopelianum in Declamationibus, in quibus Darius effingeretur, aut Xerxes, tanto impetu ac vehementia dicere ſolitum, vt ex Polemonis ſectatoribus quidam eum vt furentem ſcommate laceſſiuerit, τυμπανίζειν illum dicendo, cui Scopelianus reſpondit: *Tympanizo, ſed Aiacis ſcuto.* Quæ adnotare volui ex Cœlio Rhod. *lib.* 20. *c.* 11. pro declaratione dictionis *tympanizante* in textu præſenti prolatæ, quam non ſolum tympanum pulſantem Sacerdotem, ſed & veluti furentem ſignificaſſe demonſtrauimus.

Verum quia in Tympani mentionem incidimus, nec illud prætereundum, hanc vocem non modo muſicum inſtrumentum, ſed & partem rotæ currus ſignificare. Ita Virgil. 2. Georg.

*Hinc radios triuere rotis, hinc tympana plauſtris.*

Eſſe & tympanum machinæ genus, elicimus ex Lucretio, libro 4.

*Multaque per trochleas, & tympana pondere magno*
*Commouet, atque leui ſuſtollit machina niſu.*

Et *tympanum* vaſis genus obſeruamus apud Plinium, *lib.* 37. *cap.* 11. Tympana quoque idem Plinius *lib.* 9. *cap.* 35. vocauit margaritas, quibus vna tantum eſt facies rotunda, auerſa vero planities. Quarum meminit & Paulus *l.* 32. §. *vlt. de auro & arg. lega.* inquiens: *Quum quidam ornamentum mamillarum ex tympanis margaritas triginta quatuor legaſſet.* Tympana *in Ariſtophanis Pluto*, ligna ſunt, quibus cæderentur nocentes. Ita Pollux Tympanum inter carnificis recenſet inſtrumenta. Tympana Ptolemæo ſunt partes Aſtrolabii; & *Tympanias* Hydropis ſpecies medicis, quam & *tympanitem* dicunt, inter capitulorum columnarum partes, & tympanum à Vitruuio numeratur. Senſus verborum Suet. eſt per translationem, ſeu amphibologicam ſimilitudinem ad Aug. *Vides ne vt Cynædus*, id eſt, Sacerdos Cybeles, *digito orbem temperat*, id eſt, percutiendo tympanum, qui orbiculatus eſt, digito tempe-rat, id eſt, harmonice pulſat, quod translatum ad impudiciciam Auguſti, qui orbem, id eſt, mundum digito temperat, quia digito oſtendentes imperamus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## Cap. LXIX.

*Qui matresfamilias, & adultas virgines denudarent, tanquam Thoranio mangone vendente.*

DVplicem ſenſum hunc locum habere poſſe exiſtimamus, alterum nempe, quod ſicuti alii amici Auguſti, ita & Thoranius ex iis vnus, tanquam Mango quidam matresfamilias & virgines denudatas perſpiceret, vt Auguſti libidini ſubiiceret eas; Namq; ſuperius *c.* 27. legimus Auguſtum habuiſſe tutorem C. Thoranium, qui quondam collega fuerat in Ædilitate Octauii patris ſui; vel vt Appianus vocat, procuratorem. Alterum vero, quod amici Auguſti mulieres dictas denudatas proſpicerēt ita diligēter, ac ſi à Thoranio mangone illas empturi eſſent, ſiquidem Thoranius Mango fuit Aug. temporibus inſignis, cuius meminere Solin. *in Polyhiſtore*, & Plinius *lib.* 7. *cap.* 12. ſcribentes, eum vendidiſſe

didiſſe Marco Antonio duos pueros eximia forma, inter ſe ita conſimiles, vt inuicem difficile admodum diſcernerétur; quamuis Aſiaticus vnus, alter Gallicus eſſet. De eodem Macrobius 2. *Saturnal.* ſic ſcribit: *Delectatus erat Auguſtus inter cœnam Symphoniacis Thoranii Mangonis, atque eos frumento donauerat.* Legimus enim apud Iuriſtas *lib. 3. de legatis*, choros Muſicæ apud antiquos ex venalitiis ſeruis conſtare ſolitos. Poſterior interpretatio mihi magis probatur, quia Thoraniū illum Auguſti tutorem, ſeu procuratorem, virum probum & prudentem fuiſſe conſtat ex Cic. Epiſtola. *libro 6. Familia.* ad eum ſcripta. Et Dion *libro* 54. atteſtari videtur, ſcribens C. Thoranium, quum Tribunus Plebis eſſet, patrem ſuum mira pietate ductum in Theatrum in ſubſellio tribunitio iuxta ſe collocaſſe. Ex quibus ſatis apertum fieri exiſtimo, haud veriſimile eum Auguſti voluptatum & illecebrarum miniſtrum fuiſſe, prę̨ſertim cum *eodem cap.* 27. legamus, eundem ab Auguſto proſcriptum, non quidem ob illius demerita, ſed ad collegarum in Triumuiratu gratiam. Præterea *Toranium* illum tutorem ſine aſpiratione ſcriptum obſeruamus, alium vero cum aſpiratione.

Mangones autem fuiſſe antiquis, qui ſeruos coemebant, vendebant, præſertimq; pueros, omnibus receptum eſt, qui tamen mercatores dici nullo modo poterāt, ſiquidem mercis nomen in ſeruis locum non habet, *ex l. ſeruos, in fi. de leg.* 3. Venditores autem erant mangones præcipue puerorum & puellarum formoſarum, & elegantium, quod ex Plinio loco citato demonſtrauimus. Vnde & Martialis ſcribit:

*Millia pro puero centum me mango popoſcit.*

Et Suetonius in Domitiano: *Caſtrati mares vetuit, ſpadonum, qui reſidui apud Mangones erant, precia moderatus eſt.* Porphirion enarrans illud Horatii: *Nemo hoc Mangonum faceret tibi*, tradit, quod Mango dictum eſt, quaſi *manu ago*. Horum officiū erat, ſi Quintiliano credimus *lib.* 2. colorem fuco, & verū robur inani ſagina mentiri, vt mācipia vendibiliora redderēt. Docet Plin. *lib.* 21. *c.* 26. ſolitos fuiſſe Māgones medicamētis pubertatē puerorum venaliū coercere, inquiēs: *Hiacynthi radix eſt bulbacea mangonicis venalitiis pulchre nota, quæ è vino dulci illita*

*illita pubertatem coercet, & non patitur erumpere.* Et lib. 30. c. 5. *Ne ſint mala hirſuta, formicarum oua pueris infricata præſtant, item Mangonibus, vt lanugo tardior ſit pubeſcentium, ſanguis è teſticulis agnorum, qui caſtrantur, qui euulſis pilis illitus, & cōtra virus proficit.*

Aliarum quoque rerum quam ſeruorū venditores, Mangones appellatos obſeruamus apud eundem Plinium *lib. 37. c. 13.* Mangones gemmarum politores appellantem. Et Seneca *in Epiſt.* ſcribit: *Mangones, ſi quid eſt quod diſpliceat, aliquo lenocinio abſcondunt.* A mangone, *mangonium* deriuatum, pro artificio quod ad res facilius vendendas adhibetur. Ita Plinius lib. 10. c. 50. *Nec tamen in hoc Mangonio quidquam totum placet, hic clune, alibi pectore tantum gallinarum laudatis.* Et Suet. ... *Neceſſarioque ad Mangonicos quæſtus ſuſtinendæ dignitatis cauſa deſcendit*, id eſt, lucra percipi ſolita per Mangones in vendendis mancipiis. Hinc etiam verbum *Mangonizare*, quod ſignificat componere & exornare rem aliquam ad alliciendos emptores, vt facilius emant. Ita equos mangonizatos venire dicimus. Plin. lib. 23. c. 1. *Succus vitis nigræ cum eruo, latiore quodam colore, & cutis teneritate magonizat corpora.* Et *lib. 9.* villas mangonizatas appellat, quaſi mangonio opere vendibiliores factas, inquiens: *L. Craſſus penſiles inuenit balneas, ita mangonizatas villas ſubinde vendendo.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LXX.

*Quum primum iſtorum conduxit menſa choragum.*

VOx iſta *Choragum*, ſicuti & plerique aliæ, à Græcis deſumpta, & ad Latinos translata, ſiquidem χορηγὸς Græcis dicitur chori ductor, ſeu princeps, ex nomine χορὸς, & verbo ἄγω formatum. Ita Plautus in Perſa:

*Sed πόθεν ornamenta? T. abs chorago ſumito.*

Et in Trinummo:

*Ipſa ornamenta à Chorago hæc ſumpſit ſuo periculo.*

Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis: ὦ χορηγὲ, id eſt, *o ductor chori, excogitaſti quo pacto locus hic inhonoratus fieret honorabilior?* Chorus enim ſignificat conuentum hominum in

vnum,

vnum, veluti coronam, coeuntium, canentium vel ſaltantium, vel choreas ducentium, aut conuiuantium, præcipue autem accipitur pro conuentu canentium & pſallentium in ſacris. Ita interpretatur Seruius in illud Virg. 6. Æneid.

*Illa chorum ſimulans ouantes Oryga circum*
*Ducebat Phrygios.*

Et 1. Georg.

*Omnis quam chorus, & ſocii comitantur ouantes.*

Hinc forte deductum quod D. Hieronymus ad Dardanium ſcribit, *Chorum* appellatum muſici inſtrumenti genus, ex ſimplici pelle conſtans, cum duabus cicutis æreis, per quarum primam inſpiratur, & per ſecundam vox emittitur. Potiſſimum autem (vt diximus) accipi *chorum* pro conuentu canentium & pſallentium, conſtat etiam apud Iuriſtas, vti apud Africanum, *l. cum eiuſdem*, 34. *D. de adil. edict.* Et Celſ. *l. ſi chorus* 79. *de leg.* 3. Quod & Seneca & Macrobius tradidere; & Ariſtophanes *in Pluto.* Sic & nos Chriſtiani Chorum clericorum pſallentium, conuentum dicimus, qui conſtat ex plurium vocibus concentus; Quinimo & chorum appellamus locum in Eccleſiis, vbi id munus perficiunt. Ita in Decretalibus Pontificum Epiſtolis, *cap. dilectus, extra de prabend. & dignitat. in antiq.* Vnde qui canentium chorum ducunt, *Choragi* dicti, cuius meminit Athenæus *lib.* 14. *Dipnoſ. c.* 33. inquiens: *Non hos qui volunt nunc choros conducunt, ſed eos qui chori ſunt ductores, qui, ſicut ait Demetrius Bizantius lib.* 4. *Poematis, iubet recte muſica incumbere, neq; leges vetuſtas muſica praterire.* Huic conſimilis qui χοροδέκτης à Suida dicitur, qui ſcilicet canentes & ſaltantes admittebat in chorum, quique ſciebat, qui admittendi, & in quo loco chori eſſent diſponendi, ab Ariſt. *lib.* 3. *Polit. c.* 9. χοροδιδάσκαλος vocatum obſeruamus, quaſi chori magiſtrum dicamus. Qui item Ariſt. *in lib. Poetica* docuit, neceſſarium eſſe, curam chori apud vnum eſſe. Apud Ethnicos autem chorum ex mulieribus & viris conſtaſſe canentibus & muſica inſtrumenta perſonantibus, conſtat ex Macrobio per initia Saturnalium, vbi inquit: *Vides quam multorum vocibus chorus conſtet, vna tamen ex omnibus redditur vox, vna eſt illi acuta, aliqua grauis, alia media, accedunt viris femina, interponi-*

*interponitur fiſtula.* Apud nos Chorum in Eccleſiis, aut ex ſolis mulieribus, monialibus inquam, aut ex ſolis hominibus conſtare palam fit. Ita enim Suidas chorum Eccleſiaſticum eſſe cœtum canẽtium in templis definit, & huiuſmodi choros diuiſos fuiſſe in binas partes ſub Conſtantio Magni Cõſtantini filio, & Flauiano Epiſcopo Antiochiæ, tradit. Quæ tamen ſententia Suidæ non omnibus probatur. Siquidem Socrates *lib. 3. Hiſt. Tripartitæ cap. 9.* & Nicephorus, Calixt. *lib. 13. cap.* 8. *Hiſt.* morem pſallendi Pſalmos Dauidicos per choros bipartitos, cœpiſſe vſque ab Apoſtolorum tempore, tradidere, & tempore D. Ignatii, qui tertius in Eccleſia Antiochena à D. Petro Hierarcha fuit, hunc formulam pſallendi traditam docet. Theodoricus vero *libro 5. Hiſt. Tripart. cap. 32.* illum morem primum inſtitutum Antiochiæ à Flauiano & Diodoro ſcribit, quod obiter ſit dictum. Sed quod ad præſens negotium magis facit, ſcripſere Demoſthenes *in oratione in Midam*, & in eam Libanius *in argumento*, quod apud Athenienſes in feſtis & ſacris ſuorum Deorum conſtituebantur chori à Tribubus; qui decem erant, & ex vnaquaq; tribu eligebatur Choragus, cui cura chori mandabatur.

Verum chorum non modo canentium, ſed & etiam aliorum in vnum cõuentum apud Latinos accipi obſeruamus, quum Cicero *pro Muren.* dixerit, Catilinam ſtipatum choro iuuentutis, & ad Attic. *Baiana negotia, chorumque illum, de quo ſcire vis, quum perſpexero, tum ſcribam.* Et in Offic. *Poteſt eſſe vtile, quod ſit huic tali choro virtutum contrarium.* Factum eſt, vt & plurium in vnum conuenientium, aliam etiam ob cauſam, quam cantus, principem & ductorem Choragum appellarint. Quo pacto hoc in loco vſus eſt Sueton. pro principe & ductore cœnæ choragum appellans.

A chorago *choragium* dictum, quod ſignificat cuiuslibet rei apparatum. Ammia. lib. 29. *Et imprecationibus carminum ſecretorum, choragiiſque multis ac diuturnis ritualiter conſecratum mouimus tandem.* Ita Cic. lib. 4. ad Heren. ſcripſit: *Aut aliquid fragile falſæ choragium gloriæ comparetur.* Apuleius lib. 5. de aſino aureo. *Iam ferialium nuptiarum miſerrimæ virgini choragium ſtruitur*, quem locum perperam Fulgentius *de vocibus antiquis*

*antiquis* interpretatus eſt, inquiens choragium ſignificare virginale funus, quum funeris apparatum ſignificet, quod Beroaldus doctiſſime adnotauit. Ita & Scenicum apparatum choragium dictum apud Vitruuium *libro quinto*, obſeruamus, vbi inquit: *Poſt ſcenam porticus ſunt conſtituendæ, vti quum imbres repentini ludos interpellauerint, habeat populus, quo ſe recipiat ex theatro, choragiaque laxamentum habeant ad comparandum, vt ſunt Porticus Pompeianæ.* Choragi, & Choragii meminere etiam Val. Max. *libro 2. cap. 1.* vbi de inſtit. antiquis, & Plinius *libro 30. cap. 15.* vbi de Theatro M. Scauri, quos tu omnino vide, & vna Budæum *in l. ſi vt certo, §. interdum, D. commodati.* Choragia tradit idem *libro de aſſe 5.* præſtatio ſuppeditando choro. Choragicos dici item tripodas obſeruamus apud Plutarchum *in Nicio*, quod is χορηγήσας omnes facile ſuperaſſet. Caue autem ne te decipiat vox *Choragos* ex ſimilitudine, qua vſi ſunt Theodoſius & Neuterius *in libro de limitibus*, villam ſignificante, ἀπὸ τοῦ χώρας ἀγροῦ. Chorum Muſicorum conſtare ſolitum ex ſeruis patet *tertio de legatis*, & ex Vlpiano *in l. ſed & ſi quis, in princ. D. de vſufructu*, vbi de Symphoniacis, & Aſconius refert, celeuma cani ſolitum per Symphoniacos ſeruos remigibus. Et Cicero in libro de Diuinatione: *Ab hac* (inquit) *muliere Præfectus Antonii quidam Symphoniacos ſeruos abducebat per iniuriam, quibus ſe in claſſe vti velle dicebat.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LXXI.

*Quum exiſtimantur quoſdam propter vaſa Corinthia inter proſcriptos curaſſe referendos.*

EXpoſitores omnes, quos hactenus mihi videre licuit, hunc locum enarrantes, intelligendum inquiunt de vaſis ex ære Corinthio fabrefactis, quę apud antiquos maximo fuiſſe in precio cõſtat, referentes in materiam appellationẽ eorum; ita vt vaſa Corinthia dicantur, quemadmodũ argentea, aurea, ærea, lignea, eburnea, vitrea, marmorea, teſtacea, & ſimilia,

& ſimilia, quorum olim vſum frequentem apud Romanos fuiſſe compertum eſt. Erat autem æs Corinthium, quod auro argentoq; cum ipſo ære confuſo fiebat. Hæc autem commixtio metallorum non arte vlla, ſed caſu primum eſt adinuenta, confuſis & infimul commiſtis metallis dictis ex incendio Corinthi. Plinius *lib. 9. & 34.* tria genera æris Corinthii deſcribit: Primum candidũ, quod nitore accedit quam maxime argento. Alterum in quo fuluus auri color inſpicitur. Tertium in quo æqualis omniũ portio fuit; nam quum à L. Mummio capta fuit Corinthus, ac incendio abſumpta, quamplurimis ſtatuis atque ſimulacris igne liquatis, æris, auri, argentiq; venæ in vnum fluxere. Nos vero validiſſimis rationibus ſecus interpretari hunc locum cogimur. Scilicet, vaſa Corinthia non ex materia, nempe in ære Corinthio fabrefacta precioſiora & optabiliora, ſed ex artificio ſculpturæ Corinthiæ talia fuiſſe antiquis. Et ratio eſt, quod & ante Corinthi demolitionem Corinthia ſigna maximo in pretio fuiſſe ex hiſtorica lectione clariſſime conſtat. Fuit enim Corinthus Achaiæ vrbs prædiues inter Græcas vrbes omnes, quod Strabo *lib. 8.* docuit, & L. Florus *in Epitome Liuiana lib. 52.* & ante hos Homerus *Iliad. 2.* Corinthum diuitem vocauit ἀφνειόντε κόρινθον. Et Thucydides Græciæ emporium, *Corinthum* vocauit, & apud Athenæum legimus, Corinthios eo felicitatis prouectos, vt ſeruorum myriadas ſex & quadraginta poſſiderent. Eam autem præclariſſimis ſignis & ſtatuis picturiſque excellentiſſimis affluentem fuiſſe, ſcribunt plures; nam vt interim prætereeam ſtatuam illam illuſtriſſimi nominis Iouis Corinthii dictam, de qua Suidas, Ariſtophanis interpres & Philoſtratus meminere; audiamus L. Florum ita ſcribentem: *Corinthus Achaia caput, Gracia decus, inter duo maria Ionium & AEgaum quaſi ſpectaculo expoſita.* Et paulo infra, vbi ruinas eiuſdem felici breuitate tranſcurrit, inquit: *Quid ſignorum? Quid veſtium? quidve tabularum raptum, incenſum, proiectum eſt? quantas opes victor abſtulerit, & cremarit.* Hinc ſcias, quod quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio ſuperfuiſſe comperimus. Nam & æris notam pretioſiorem fecit iniuria, quia peruſtis incendio plurimis ſtatuis,

ſtatuis,atque ſimulachris,æris,auri, argentiq; venæ in commune fluxere. Liuius *lib.* 45. Corinthum appellat vrbem præclaram ante excidium. Et *lib.* 34. *in orat. Catonis*, inquit: *Infeſta (mihi credite) ſigna ab Syracuſis illata ſunt huic vrbi, iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum laudantes ornamenta, mirantesq;, & antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes.* Verum ſententiam hanc noſtram omnium clarius tuaturPlinii authoritas *lib.* 34. *c.* 2. vbi ſcribit, Corinthum captam anno tertio centeſimæ quinquageſimæ ſextæ Olympiadis, & anno vrbis Romæ ſexcenteſimo octauo, iamque per ſeculum antea deſiiſſe nobilium operum artifices, quę ab omnibus Corinthia appellantur. Et paulo poſt ſubdit: *Sunt ergo vaſa tantum Corinthia, quæ iſti elegantiores, nunc aſ ſculpendo transferunt, modo in lucernas, modo in trullas.* Ex quibus facile dignoſcitur, vaſa Corinthia potius ex ſculpturæ excellentia, & ex cœlatura magnifactas, quam ex æris materia. Addamus, quod quum æs Corinthium arte imitari ita potuerit, fuſis inuicem metallis tribus, nempe auro, argento, & ære, ex materia vaſa Corinthia minime magnifacta, ſed potius ex cœlaturæ excellentia, opere ſcilicet Corinthio fabrefacta. Niſi forte dixerimus (quod in aliquibus numiſmatibus antiquis obſeruamus, ære Corinthio extantibus) in ære inquam Corinthio non omni modo commixta metalla, ſed, quum incendio fuſa eſſent, ita inuicem adhæſiſſe, vt inſimul coaluerint, nec totali permixtione, in vnum redacta fuerint; videmus enim in dictis numiſmatibus partes rubentes aliquas, alias vero fuluo colore auri præditas. Cui ſententiæ noſtræ etiam fauet Cicero ſcribens in Verr. *Galea ænea cœlata opere Corinthio*, Strabo *lib.* 8. ſcribit: *Ciuitas ipſa Corinthiorum ampliſſima diu fuit, & opulentiſſima, ſiue viros innumerabiles ad ciuile regimen peritiſſimos, ſiue eximias opificum artes animaduertas.* Legimus in Epitome Liuiana, Mummium, expugnata Corintho ſe abſtinentiſſimum virum egiſſe, nec quicquam ex iis opibus, ornamentiſq;, quæ prædiues Corinthus habuit, in domum eius perueniſſe, quamuis à cæteris ſigna multa ea parta victoria in Vrbem illata cōſtet. Corinthia æra vocauit *Ephyrea* Virg. 2. *Georg.* nam Corinthus antea *Ephyra*, ſeu *Ephyri*

Hh dicta,

dicta, omnibus receptum, de qua Lucanus *libro 6.* & Propertius. Meminit & vaſorum Corinthiorum Iabolenus Iuriſconſultus *lib. 3. de leg.* inquiens: *Cui Corinthia vaſa legata ſunt, baſes quoque eorum vaſorum collocandorum cauſa paratas deberi.* Suet.in Tiberio c. 34. *Corinthiorum vaſorum precia in immenſum exarſiſſe, conqueſtus adhibendum ſupellectili modum cenſuit.* Quod vero huiuſmodi vaſa magno fuerint Romanis in precio, conſtat ex eodem Cicerone, ibidem ſcribente; Vas nullum Corinthium in Sicilia fuiſſe, quod non abſtulerit Verres. Et in Tuſculanis: *Scis igitur ſi quid de Corinthiis tuis amiſeris, poſſe te habere reliquam ſupellectilem.* Et in Paradox. *Quos Corinthia opera delectant.* Corinthia in tantum expetebantur, vt nonnulli ea etiam ſecum circumferrent, ſicut Hortenſius Orator Sphingem Verri reo ablatam, propter quam Cic. illo in iudicio in altercatione, negante Hortenſio ſe ænigmata minime intelligere, feſtiue reſpondit & ſalſe ſimul, intelligere debere, quum domi Sphingem haberet. Verrem ideo ab Antonio in Triumuiratu proſcriptum tradunt, quia Corinthiis ſe ei ceſſurum negauiſſet. Cicero in Paradoxis execratus Corinthiorum apperentiam nimiam, inquit: *Si L. Mummius aliquem iſtorum videret Matellionem Corinthium cupidiſſime tractantem, quum ipſe totam Corinthum cõtempſiſſet, vtrum illum ciuem excellentem, an Atrienſem ciuem diligentem putaret.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LXXI.

*Item Lautitiarum inuidiam, quum & Alexandria capta nihil ſibi præter vnum myrrhinum calicem ex inſtrumento regio retinuerit.*

CRedunt nonnulli myrrhina vaſa ex myrrhæ arboris ligno vel ex myrrha gumma ex eodem ſtillante olim vaſa efformata, Plinii authoritate ducti, qui *lib. 37. c. 2.* de Myrrhiois vaſis verba faciens, ait: *Illis & aliqua in odore commendatio, vt myrrhæ arborem & gummi odoratum eſſe, nemo eſt qui ignoret.* Vnde vinum myrrhinum, & myrrhatum, id eſt, bene olens, & odorem myrrhæ redolens, obſeruamus apud Plautum, apud quem etiam legimus:

*Quod*

*Quod ſi opus eſt vt dulce premant*
*Iidem ecquid habeant roga myrrhinum?*

Et apud Fabium: *Mittebant vinum pulchrum myrrhinum.* Quæ tamen ſententia haud rationi conſentanea eſt, ſiquidem ex Plinio *lib.* 12. *c.* 15. colligimus, Myrrhæ arborem potius arbuſculum eſſe, & fruticem, nec ad eam craſſitudinem deuenire, vt ex illius trunco vaſa conſtrui poſſint. Myrrhæ vero vinum amari ſaporis eſſe omnes norunt, & per conſequens calices ad vini potationem ex eo minime formari potuiſſe, quum tamen antiquos myrrhinos calices in hunc vſum ſeruaſſe clare conſtet, præſertim ex Martiale ſcribente lib. 13.

*Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno*
*Conuenit, & melior fit ſapor inde mero.*

Et rurſus:

*Surrentina bibis, nec myrrhina picta, nec aurum*
*Sume, dabunt calices hæc tibi vina ſuos.*

Quæ vero fuerint antiquis myrrhina vaſa tanto in pretio, colligere licet ex Plinio, apud quem legimus *murrhina* pro *myrrhina*, ea ratione, vt adnotauit Laurentius Valla, quod literam Græcam υ, Latini plerique verrant in *V*, literam, & ex Sylla, *Sulla*, & aliis pluribus, quæ res (vt ait Cic.) perquam familiaris eſt, qui *Phruges* pro Phrygibus dictos à veteribus teſtatur. Et Quintilianus *Bruga* dixit, pro eo quod Græcis *Brygas* dicitur. Quod etiam teſtatum reliquit Hermolaus. Plinius itaq; *lib.* 37. *c.* 2. ita ſcribit: *Oriens myrrhina mittit, inueniuntur enim ibi pluribus in locis nec inſignibus, maxime regni Parthici. Præcipue tamen in Caramania, humorem putant ſub terra calore denſari amplitudine nuſquam parua, excedunt abaces craſſitudine rara, quanta dictum eſt vaſi potorio. Splendor his ſine viribus nitorq; verius quam ſplendor, ſed in precio varietas colorum, ſubinde circumagentibus ſe maculis in purpuram candoremq;, & tertio ex vtroque ſe igneſcentem, veluti per tranſitũ purpura rubeſcente, aut lacte candeſcente. Sunt qui in iis maxime laudant extremitates, & quoſdã coloris repercuſſus, quales in cœleſti arcu ſpectantur; His maculæ pingues placent; tranſlucere quicquã, aut palleſcere vitium eſt.* Eodẽ capite myrrhinorum incredibile precium tradit, Pompeiumq; ex victoria Mythridatica primũ in vrbem Myrrhina inuexiſſe,

ſexque vaſa huiuſmodi Ioui Capitolino dicaſſe refert ; Et amplius, Romæ myrrhinum vas LXXX. ſeſtertiis emptū, caliceque myrrhino virum Conſularem ita auide in bibendo vſum, vt illi extremitatem arroſiſſet. Ad hæc T. Petronium virum Conſularem moriturum,in inuidiam Neronis Imperatoris,vt illius menſam exhæredaret,trullam myrrhinam trecentum ſeſtertiis emptam fregiſſe:ſed Neronem,vt par erat Principem, quadraginta ſeſtertiis fragmenta emiſſe. Capito. in Nerone: *Donatos etiam calices ſingulis per ſingulas potiones Murrhinos & Cryſtallinos Alexandrinos.* Prateus in ſuo Iuris Lexico, in dictione *Murrhina*, vaſa Murrhina fuiſſe fictilia, ex Propertio falſo opinatus eſt. Propertius enim *lib. 4. Eleg. Elegia* 4. ita ſcribit:

*Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ*
*Murrhea, in Parthis pocula cocta focis.*

At ex eo deceptus eſt Prateus,quod exiſtimauit,Poetam loquutum de foco materiali, quum tamen eius dicta intelligenda ſint de foco ſeu calore ſydereo, & cœleſti, quod docuit Plinius loco citato per illa verba: *Putant calore denſari.* Regionem enim eam Orientalem calidam maxime eſſe, nemo eſt qui ignoret, ſicuti cryſtallum frigoris vi denſari, ibidem demonſtrat. Et quamuis *lib. 33.* ſcribat: *Murrhina & cryſtallina ex eadē tellure effodimus, quibus precium faceret ipſa fragilitas,* intelligendum enim de tellure in genere, & non ſpecifice. Quæ ſi animaduertiſſet Turnebus *lib. Aduerſ. 8. cap. 1.* non affirmaſſet celebres hoſce ſcriptores contraria ſenſiſſe & ſcripſiſſe de Murrhenis vaſis. De Murrhenis Lucanus:

*Non auro, Murrhaque bibunt.*

Et Iuuenal.

——*Maxima rurſus*
*Murrhina.*

Lampridius *in vita Heliogabali* ſcribit, eum in myrrhinis, & onychinis minxiſſe. Et Iulius Capit. *in M. Ant. philoſopho*, eum vendidiſſe aurea pocula, cryſtallina, & myrrhina, ærario exhauſto in bello, quo Marcomanni, Sarmatæ, Wandali & Quadi extincti ſunt, Pannoniæque liberatæ. Apud Iuriſperitos Iabulenus *in l. vaſa anea, ff. de ſupellectili legata*, ſcribit,
Murrhina

Murrhina vaſa, quæ ad vſum edendi & bibendi parata ſunt, eſſe in ſupellectili. Et de Murrhinis meminit etiam Pomponius *l.21.§ perueniamus, in fine, ex Caſſio D. de aur. & arg. leg.* eaque in gemmis eſſe negat, licet perlucida ſint, quemadmodum neq; cryſtallina, quia vtraque fragilia ſint. Sed an recte, conſiderandum; quum Plinius eadem in Gemmarum albo reponat, & multæ reperiantur gemmæ & ipſæ fragiles. De vaſis huiuſmodi Seneca *lib. de benef. 7. c. 9.* Murrhea vaſa appellantur *in l. 11. D. de ſupell. leg.* mura enim pro myrrha vſurpauit Pompon. *in l. 21. §. 1. D. de auro & arg. leg.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LXXI.

*Miſi tibi denarios CCL. quos ſingulis conuiuis dederam, ſi vellent inter ſe inter cœnam vel talis vel par impar ludere.*

HOc luſus genus, quo & pueri & mulieres præcipue hodiernis etiam temporibus ludunt, & antiquis peculiare fuiſſe ex hoc loco colligimus, vel etiam ex Horatio, 2. *Serm. Saty. 3.* vbi ſcribit:

*Ludere par impar, equitare in arundine longa.*

Et Ouidius de nuce.

*Eſt etiam par ſit numerus qui dicat, an impar*
*Vt diuinatas auferat augur opes.*

Et ex Græcis Ariſtophanes in Pluto: στάτηρσι δ' οἱ θεράποντες ἠρτιάζομεν, id eſt, *ſerui nummis quatuor drachmarum ludentes par impar*; ἀρτιάζειν enim Græci dicunt huiuſmodi luſu ludere. Et de luſu facto lapillis, & teſtaceis par impar, meminit D. Gregorius Nazianzenus *in carmine de Virginitate.* De hoc luſus genere pertractat Pollux *lib. 9. cap. 7.* Qui vero huic ludo incumbunt, ſuperſtitione quadam conſueuere modo numero pari, modo impari animum adiicere. Quidam enim ex Pythagoræ ſententia parem imperfectum, & mali cauſam exiſtimant, ob id numero impari tanquam perfecto & bonorum exordio totos ſe dant, quod & Homeri ſententia confirmant, qui vnitatis naturam in boni quidem portione conſtituit, in dualitate vero mali. Nam bonum ἐνία ſæpius

dicit, contrario autem modo δεῖν, & ſuperis imparia ſemper tradit, inferis vero paria. Ita facit Neſtorem immolantem Neptuno ἐννεάκις ἐννέα ταύρους, Achillem vero Patroclo paria offerentem omnia ἵππους μὲν πίσυρας δώδεκα δὲ τρώων. Et Virg. Eclog. 8.

*Numero Deus impare gaudet.*

Econtra alii parem pro æquo accipi dicunt, vt apud Legiſperitos, *l. Seruo. C. de rei vend.* Ita Cic. pro Muræna. *Hu rebus fretum ad Conſulatus petitionem aggredi par eſt.* Et de Amicit. *Par eſt autem ipſum primum eſſe virum bonum.* Item & clare in lib. 2. de Inuen. *At hæc omnia fortunæ ludibrio in luſu ſuppoſita ſunt, quæ mox pro libito pari, modo impari fauet, & ſors omnes verſat. Et qui fortunam amicam habet, ludat, qui aduerſam, caueat, & abſtineat.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### Cap. LXXII.

*Habitauit primo iuxta Romanum forum ſupra ſcalas annularias in domo, quæ Calui oratoris fuerat.*

QVæ eſſent Romæ Scalæ Annulariæ, varii varia ſenſere. Nonnulli cum Beroaldo ita appellatas dicũt ab annulis à lateribus eorum propendentibus. Alii cum Sabellico exiſtimauerunt ita nuncupatas, quod forma rotunda eſſent conformatæ, vti annuli ſunt orbiculares, quod genus ſcalarum *cochlium* dicitur, eo quod cochleæ inſtar ſint fabrefactæ. Cuius generis ſcalarum meminit Strabo *lib. vlt.* inquiens: *Altitudo quædam manu facta turbinea, petroſa ripa perſimilis, in quam per cochlium aſcenditur.* Tertii quibus & nos libenter aſſentimur, ita vocatas ſcalas Annularias dicunt, quod inibi eſſent ſitæ officinæ annulariorum, id eſt, artificium annulorum. Quum enim Equites Romani omnes annulos aureos geſtarent, ferreos minus nobiles, multos fuiſſe eorum artifices nõ ambigendum. Quod & ex eo dignoſci poteſt, quod tradit Liuius *lib. 23.* Magonem ſcilicet Carthaginem quum veniſſet poſt victoriam Cannenſem, miſſum ab Annibale, ad fidem rerum narratarum, effundi in veſtibulo Curiæ iuſſiſſe annulos aureos, qui tantus aceruus fuit, vt metientibus dimidium

dimidium ſuper tres modios expleuiſſe, ſint quidam authores. Fama tenuit, quod proprijs vero eſt, haud plus fuiſſe modio. Quamobrem rationi conſentaneum eſt, ſcalas Annularias ita dictas fuiſſe ab annulorum artificibus eorundem, qui eo loci officinas habebant. Ita Cicero 4. *Academ.* Annularios, annulorum artifices appellat, inquiens: *An tibi erit quærendus annularius aliquis? quoniam gallinarium cognouiſti Deliacum illum, qui oua cognoſceret.* Onuphrius Panuinius has ſcalas in Regione fori Romani collocat, quod ex hoc Suetonii loco forte collegit.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. LXXII.

*Poſtea in Palatio, ſed nihilo minus ædibus modicis Hortenſianis, neque laxitate, neque cultu conſpicuis, vt in quibus porticus breues eſſent Albanarum columnarum, & ſine marmore vllo, aut inſigni pauimento conclauia.*

ALbam Inſulam in Ponto fuiſſe, vbi Achillis corpus trãſlatum, elicimus ex Pindari carminibus. Albana vrbs fuit felicis Arabiæ, vt docet Ptolemæus. Et Albania regio in Oriente eſt, ſub mare Caſpium ſurgens, per oraq; Oceani ſeptentrionalia vſque ad Mœotidas paludes per deſerta extenditur, in qua Albana Ciuitas, & Albanus fluuius, tradente Strabone *lib.* 11. In Bœtica fuit & Alba, quæ & *Virgeo* dicta, teſte Plin. *lib.* 3. *c.* 1. Fuit & Alba Heluetiorum in Gallia Narbonenſi, quæ & Alba Auguſta, ex eodem Plinio *libro eodem cap.* 4. & Ptolemæo *lib.* 2. de Albanis populis, & mari Albano, & Albano flumine, idem *lib.* 6. *c.* 13. Fuit quoque Albania regio, quorum populorum pars in Peloponeſo, pars in Macedonia ſedet. Addamus & in Pannonia, aliam Albam, olim Taurunum dictam, & Belgradum, nunc Albam Græcam, & Albam Regalem, quod in ea Reges Vngarici coronari & inaugurari ſolerent. Verum à nullo ex memoratis Albanas columnas denominationem ſumpſiſſe, ex ratione colligimus, quod ex vili lapide conſtarent, ſi textus verba optime ponderentur; at ſi ex longinquis partibus Romam

conuectæ fuiſſent, vtiq; precioſiores extitiſſent. Quamobrem cōcludendum, ex viciniori loco exciſum lapidem tunc in vſum tractum, à quo Albanæ appellatæ columnæ ex illo confectæ. Tres Albas, ciuitates, ſeu oppida in Italia obſeruamus. Prima Alba Pompeia in Liguribus Ciſalpinis, nunc Ducatus Montisferrati, ſub ditione & imperio Sereniſſimi Ducis Mantuæ, Domini mei ſemper colendiſſimi. Romæ propinquiores fuere aliæ duæ, vna quidem *Alba Colonia* olim appellata, cuius nunc duntaxat ruinæ conſpiciuntur in Latio, inter Marſos prope lacum Fucinum ſuper collem, Apenninum verſus poſitæ. Hæc Colonia Albenſis deducta fuit à Romanis L. Genutio & Seruilio Cornelio, Coſſ. teſte Liuio *lib*.10 Cuius Sylius meminit lib.8.

*Alba ſedet campis, primaſque rependit ariſtas.*

Alia Alba fuit tertia, *Alba longa* vocata, de qua Plin. *lib*.3.*c*.5. in Latio & ipſa ſita, ita vocata ab Aſcanio Æneæ filio omine albæ porcæ, & à ſitu porrectę in dorſo vrbis, teſte Liuio *lib*.1. Hac funditus à Romanis euerſa, ciues Albani Romam traducti. Quorum meminit Virg. lib. 1. Æneid.

*Albanique patres.*

Hodiernis temporib. vbi hæc erat ſita, nihil cōſpicitur præter paruū oppidū, quod *Sauellū* appellant. Huic adiacet Albanus mōs vini excellētiſſimi ferax, cuius meminit Martial. ita:

*Nec de Cæſarei mitteis vindemia collis,*
*Miſit Tubæo, quæ tibi monte placet.*

Plinius *lib*. 14. *cap*. 6. ſcribit: *Albana vua vrbi vicinæ prædulces ac raræ in auſtero.* In hoc monte fuere olim lapidicinæ, ex quibus lapis Albanus effodiebatur, ex quo conſternebantur columnæ, hicque cæteris vilior habebatur, quum vel nullo negotio in vrbem conueheretur, molliſque eſſet. Quod ex Vitruuii libro ſecundo elicimus, vbi habet: *Lapidicinæ quadam molles, & circa vrbem Fidenates, & Albanæ. Saxa Albana in locis tectis ſuſtinent laborem, ſi autem in apertis fuerint, & patentibus collocata, quia mollia ſunt, pruinis & gelicidiis diſſoluuntur.* Ex quibus clare patere poteſt, quales antiquitus fuerint Albanæ columnæ, quarum meminit in textu Suetonius.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LXXII.

*Vbi etiam in porticibus Herculis templi ius perſæpe dixit.*

HErculem inter cæteros Deos maxime à Romanis excultum, ex eo conſtat, quod plura templa illi Romæ, & in conuiciniis magnifice ædificarint. Vnum enim ad portam Collinam extitiſſe, obſeruamus ex Liuio, *lib.26.* ſcribente, Annibalem cum duobus millibus equitum ad portam Collinam vſque ad Herculis templum progreſſum. Alterum vero templum iuxta Tiberim conditum à Romanis, author eſt Diodorus Siculus *lib.5.cap.2.* Aliud Romæ in foro Boario extitiſſe, tradit Plinius, *lib.34.cap.7.* inquiens, Statuam vetuſtam Herculi ſacratam ab Euandro in foro Boario, vbi templum Herculis. Et Liuius *libro* 10. ædem Herculis in foro Boario ſitam, rotundam fuiſſe teſtatur. Quod & Dionyſius Halycarnaſſeus *lib.1.* confirmat, & cum eo Plinius, *lib.*10.*c.*19. Alias item Romæ fuiſſe exſtructas ædes Herculi, Auguſti temporibus, elicimus ex Suetonio ſupra, *cap.*29. Fundani Herculis templi meminit Fl. Vopiſcus *in Aureliano*, Tiburi, quod amplius ſextodecimo lapide ab vrbe non diſtat, pereximium Herculi conſtructum fuiſſe templum, ex hoc loco colligimus; Tibur enim ſub Herculis tutela, illique ſacrum erat, ex eodem Suet. *in Caligula, c.*8. Vnde Herculeum vocat illud Strabo, *lib.5.* & Martial. lib.1. Epigram.

*Itur ad Herculei gelidas, qua Tiburis arces,*
*Canaq; ſulphureis Albula fumat aquis.*

Huius templi pulchritudinem oſtendit Iuuenalis, quum ait:

*Vincens Fortunæ atq; Herculis ædes.*

Hinc forte Virgilius lib.7. Æneid. Tibur vocat ſuperbum, quamuis aliam reddat cauſam Seruius. Ita & Sillius lib.8.

*Tibur Catille tuum, ſacrisq; dicatum.*

Aulus Gellius *lib.*15. ſcribit, Tiburi in templo Herculis fuiſſe Bibliothecam, libris optime inſtructam. De ſacris, quæ

*illita pubertatem coercet, & non patitur erumpere.* Et lib. 30. c. 5. *Ne ſint mala hirſuta, formicarum oua pueris infricata præſtant, item Mangonibus, vt lanugo tardior ſit pubeſcentium, ſanguis è teſticulis agnorum, qui caſtrantur, qui euulſis pilis illitus, & cōtra virus proficit.*

Aliarum quoque rerum quam ſeruorū venditores, Mangones appellatos obſeruamus apud eundem Plinium *lib. 37. c. 13.* Mangones gemmarum politores appellantem. Et Seneca *in Epiſt.* ſcribit: *Mangones, ſi quid eſt quod diſplíceat, aliquo lenocinio abſcondunt.* A mangone, *mangonium* deriuatum, pro artificio quod ad res facilius vendendas adhibetur. Ita Plinius lib. 10. c. 50. *Nec tamen in hoc Mangonio quidquam totum placet, hic clune, alibi pectore tantum gallinarum laudatis.* Et Suet. ... *Neceſſarioque ad Mangonicos quæſtus ſuſtinendæ dignitatis cauſa deſcendit*, id eſt, lucra percipi ſolita per Mangones in vendendis mancipiis. Hinc etiam verbum *Mangonizare*, quod ſignificat componere & exornare rem aliquam ad alliciendos emptores, vt facilius emant. Ita equos mangonizatos venire dicimus. Plin. lib. 23. c. 1. *Succus vitis nigra cum eruo, latiore quodam colore, & cutis teneritate magonizat corpora.* Et *lib. 9.* villas mangonizatas appellat, quaſi mangonio opere vendibiliores factas, inquiens: *L. Craſſus penſiles inuenit balneas, ita mangonizatas villas ſubinde vendendo.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. LXX.

*Quum primum iſtorum conduxit menſa choragum.*

VOx iſta *Choragum*, ſicuti & plerique aliæ, à Græcis deſumpta, & ad Latinos translata, ſiquidem χορηγὸς Græcis dicitur chori ductor, ſeu princeps, ex nomine χορὸς, & verbo ἄγω formatum. Ita Plautus in Perſa:

*Sed πόθεν ornamenta? T. abs chorago ſumito.*

Et in Trinummo:

*Ipſa ornamenta à Chorago hæc ſumpſit ſuo periculo.*

Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis: ὦ χορηγὲ, id eſt, *o ductor chori, excogitaſti quo pacto locus hic inhonoratus fieret honorabilior?* Chorus enim ſignificat conuentum hominum in vnum,

vnum, veluti coronam, coeuntium, canentium vel ſaltantium, vel choreas ducentium, aut conuiuantium, præcipue autem accipitur pro conuentu canentium & pſallentium in ſacris. Ita interpretatur Seruius in illud Virg. 6. Æneid.

*Illa chorum ſimulans ouantes Oryga circum*
*Ducebat Phrygios.*

Et 1. Georg.

*Omnis quam chorus, & ſocii comitantur ouantes.*

Hinc forte deductum quod D. Hieronymus ad Dardanium ſcribit, *Chorum* appellatum muſici inſtrumenti genus, ex ſimplici pelle conſtans, cum duabus cicutis æreis, per quarum primam inſpiratur, & per ſecundam vox emittitur. Potiſſimum autem (vt diximus) accipi *chorum* pro conuentu canentium & pſallentium, conſtat etiam apud Iuriſtas, vti apud Africanum, *l. cum eiuſdem*, 34. *D. de ædil. edict.* Et Celſ. *l. ſi chorus* 79. *de leg.* 3. Quod & Seneca & Macrobius tradidere; & Ariſtophanes *in Pluto.* Sic & nos Chriſtiani Chorum clericorum pſallentium, conuentum dicimus, qui conſtat ex plurium vocibus concentus; Quinimo & chorum appellamus locum in Eccleſiis, vbi id munus perficiunt. Ita in Decretalibus Pontificum Epiſtolis, *cap. dilectus, extra de præbend. & dignitat. in antiq.* Vnde qui canentium chorum ducunt, *Choragi* dicti, cuius meminit Athenæus *lib.* 14. *Dipnoſ. c.* 33. inquiens: *Non hos qui volunt nunc choros conducunt, ſed eos qui chori ſunt ductores, qui, ſicut ait Demetrius Bizantius lib.* 4. *Poematis, iubet recte muſicæ incumbere, neq; leges vetuſtas muſicæ præterire.* Huic conſimilis qui χοροδέκτης à Suida dicitur, qui ſcilicet canentes & ſaltantes admittebat in chorum, quique ſciebat, qui admittendi, & in quo loco chori eſſent diſponendi, ab Ariſt. *lib.* 3. *Polit. c.* 9. χοροδιδάσκαλος vocatum obſeruamus, quaſi chori magiſtrum dicamus. Qui item Ariſt. *in lib. Poeticæ* docuit, neceſſarium eſſe, curam chori apud vnum eſſe. Apud Ethnicos autem chorum ex mulieribus & viris conſtaſſe canentibus & muſica inſtrumenta perſonantibus, conſtat ex Macrobio per initia Saturnalium, vbi inquit: *Vides quam multorum vocibus chorus conſtet, vna tamen ex omnibus redditur vox, vna eſt illi acuta, aliqua grauis, alia media, accedunt viris feminæ, interponi-*

*interponitur fiſtula.* Apud nos Chorum in Eccleſiis, aut ex ſolis mulieribus, monialibus inquam, aut ex ſolis hominibus conſtare palam fit. Ita enim Suidas chorum Eccleſiaſticum eſſe cœtum canẽtium in templis definit, & huiuſmodi choros diuiſos fuiſſe in binas partes ſub Conſtantio Magni Cõſtantini filio, & Flauiano Epiſcopo Antiochiæ, tradit. Quæ tamen ſententia Suidæ non omnibus probatur. Siquidem Socrates *lib.3.Hiſt.Tripartita cap.9.* & Nicephorus, Calixt. *lib.* 13. *cap.* 8. *Hiſt.* morem pſallendi Pſalmos Dauidicos per choros bipartitos, cœpiſſe vſque ab Apoſtolorum tempore, tradidere, & tempore D. Ignatii, qui tertius in Eccleſia Antiochena à D. Petro Hierarcha fuit, hunc formulam pſallendi traditam docet. Theodoricus vero *libro 5.Hiſt.Tripart. cap.* 32. illum morem primum inſtitutum Antiochiæ à Flauiano & Diodoro ſcribit, quod obiter ſit dictum. Sed quod ad præſens negotium magis facit, ſcripſere Demoſthenes *in oratione in Midam*, & in eam Libanius *in argumento*, quod apud Athenienſes in feſtis & ſacris ſuorum Deorum conſtituebantur chori à Tribubus; qui decem erant, & ex vnaquaq; tribu eligebatur Choragus, cui cura chori mandabatur.

Verum chorum non modo canentium, ſed & etiam aliorum in vnum cõuentum apud Latinos accipi obſeruamus, quum Cicero *pro Muræn.* dixerit, Catilinam ſtipatum choro iuuentutis, & ad Attic. *Baiana negotia, chorumque illum, de quo ſcire vis, quum perſpexero, tum ſcribam.* Et in Offic. *Poteſt eſſe vtile, quod ſit huic tali choro virtutum contrarium.* Factum eſt, vt & plurium in vnum conuenientium, aliam etiam ob cauſam, quam cantus, principem & ductorem Choragum appellarint. Quo pacto hoc in loco vſus eſt Sueton. pro principe & ductore cœnæ choragum appellans.

A chorago *choragium* dictum, quod ſignificat cuiuslibet rei apparatum. Ammia. lib. 29. *Et imprecationibus carminum ſecretorum, choragiiſque multis ac diuturnis ritualiter conſecratum mouimus tandem.* Ita Cic. lib. 4. ad Heren. ſcripſit: *Aut aliquid fragile falſa choragium gloriæ comparetur.* Apuleius lib. 5. de aſino aureo. *Iam ferialium nuptiarum miſerrimæ virgini choragium ſtruitur*, quem locum perperam Fulgentius *de vocibus antiquis*

*antiquis* interpretatus eſt, inquiens choragium ſignificare virginale funus, quum funeris apparatum ſignificet, quod Beroaldus doctiſſime adnotauit. Ita & Scenicum apparatum choragium dictum apud Vitruuium *libro quinto*, obſeruamus, vbi inquit: *Poſt ſcenam porticus ſunt conſtituendæ, vti quum imbres repentini ludos interpellauerint, habeat populus, quo ſe recipiat ex theatro, choragiaque laxamentum habeant ad comparandum, vt ſunt Porticus Pompeianæ.* Choragi, & Choragii meminere etiam Val. Max. *libro 2. cap.* 1. vbi de inſtit. antiquis, & Plinius *libro 30. cap.* 15. vbi de Theatro M. Scauri, quos tu omnino vide, & vna Budæum *in l. ſi vt certo*, *§. interdum*, *D. commodati.* Choragia tradit idem *libro de aſſe* 5. præſtatio ſuppeditando choro. Choragicos dici item tripodas obſeruamus apud Plutarchum *in Nicio*, quod is χορηγήσας omnes facile ſuperaſſet. Caue autem ne te decipiat vox *Choragos* ex ſimilitudine, qua vſi ſunt Theodoſius & Neuterius *in libro de limitibus*, villam ſignificante, ἀπὸ τοῦ χώρας ἀγροῦ. Chorum Muſicorum conſtare ſolitum ex ſeruis patet *tertio de legatis*, & ex Vlpiano *in l. ſed & ſi quis, in princ. D. de vſufructu*, vbi de Symphoniacis, & Aſconius refert, celeuma cani ſolitum per Symphoniacos ſeruos remigibus. Et Cicero in libro de Diuinatione: *Ab hac* (inquit) *muliere Præfectus Antonii quidam Symphoniacos ſeruos abducebat per iniuriam, quibus ſe in claſſe vti velle dicebat.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LXXI.

*Quum exiſtimantur quoſdam propter vaſa Corinthia inter proſcriptos curaſſe referendos.*

EXpoſitores omnes, quos hactenus mihi videre licuit, hunc locum enarrantes, intelligendum inquiunt de vaſis ex ære Corinthio fabrefactis, quę apud antiquos maximo fuiſſe in precio cõſtat, referentes in materiam appellationẽ eorum; ita vt vaſa Corinthia dicantur, quemadmodũ argentea, aurea, ærea, lignea, eburnea, vitrea, marmorea, teſtacea, & ſimilia,

& ſimilia, quorum olim vſum frequentem apud Romanos fuiſſe compertum eſt. Erat autem æs Corinthium, quod auro argentoq; cum ipſo ære confuſo fiebat. Hæc autem commixtio metallorum non arte vlla, ſed caſu primum eſt adinuenta, confuſis & inſimul commiſtis metallis dictis ex incendio Corinthi. Plinius *lib.9.& 34.* tria genera æris Corinthii deſcribit: Primum candidũ, quod nitore accedit quam maxime argento. Alterum in quo fuluus auri color inſpicitur. Tertium in quo æqualis omniũ portio fuit; nam quum à L. Mummio capta fuit Corinthus, ac incendio abſumpta, quamplurimis ſtatuis atque ſimulacris igne liquatis, æris, auri, argentiq; venæ in vnum fluxere. Nos vero validiſſimis rationibus ſecus interpretari hunc locum cogimur. Scilicet, vaſa Corinthia non ex materia, nempe in ære Corinthio fabrefacta precioſiora & optabiliora, ſed ex artificio ſculpturæ Corinthiæ talia fuiſſe antiquis. Et ratio eſt, quod & ante Corinthi demolitionem Corinthia ſigna maximo in pretio fuiſſe ex hiſtorica lectione clariſſime conſtat. Fuit enim Corinthus Achaiæ vrbs prædiues inter Græcas vrbes omnes, quod Strabo *lib.8.* docuit, & L. Florus *in Epitome Liuiana lib.* 52. & ante hos Homerus *Iliad.* 2. Corinthum diuitem vocauit ἀφνειόντα κόρινθον. Et Thucydides Græciæ emporium, *Corinthum* vocauit, & apud Athenæum legimus, Corinthios eo felicitatis prouectos, vt ſeruorum myriadas ſex & quadraginta poſſiderent. Eam autem pręclariſſimis ſignis & ſtatuis picturiſque excellentiſſimis affluentem fuiſſe, ſcribunt plures; nam vt interim prætercam ſtatuam illam illuſtriſſimi nominis Iouis Corinthii dictam, de qua Suidas, Ariſtophanis interpres & Philoſtratus meminere; audiamus L. Florum ita ſcribentem: *Corinthus Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Ionium & Aegæum quaſi ſpectaculo expoſita.* Et paulo infra, vbi ruinas eiuſdem felici breuitate tranſcurrit, inquit: *Quid ſignorum? Quid veſtium? quidve tabularum raptum, incenſum, proiectum eſt? quantas opes victor abſtulerit, & cremarit.* Hinc ſcias, quod quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio ſuperfuiſſe comperimus. Nam & æris notam pretioſiorem fecit iniuria, quia peruſtis incendio plurimis

ſtatuis,

ſtatuis,atque ſimulachris,æris,auri, argentiq; venæ in commune fluxere. Liuius *lib.* 45. Corinthum appellat vrbem præclaram ante excidium. Et *lib.* 34. *in orat. Catonis*, inquit: *Infeſta (mihi credite) ſigna ab Syracuſis illata ſunt huic vrbi, iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum laudantes ornamenta, mirantesq;, & antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes.* Verum ſententiam hanc noſtram omnium clarius tutatur Plinii authoritas *lib.* 34. *c.* 2. vbi ſcribit, Corinthum captam anno tertio centeſimæ quinquageſimæ ſextæ Olympiadis, & anno vrbis Romæ ſexcenteſimo octauo, iamque per ſeculum antea deſiiſſe nobilium operum artifices, quę ab omnibus Corinthia appellantur. Et paulo poſt ſubdit: *Sunt ergo vaſa tantum Corinthia, quæ iſti elegantiores, nunc as ſculpendo transferunt, modo in lucernas, modo in trullas.* Ex quibus facile dignoſcitur, vaſa Corinthia potius ex ſculpturæ excellentia, & ex cœlatura magnifactas, quam ex æris materia. Addamus, quod quum æs Corinthium arte imitari ita potuerit, fuſis inuicem metallis tribus, nempe auro, argento, & ære, ex materia vaſa Corinthia minime magnifacta, ſed potius ex cœlaturæ excellentia, opere ſcilicet Corinthio fabrefacta. Niſi forte dixerimus (quod in aliquibus numiſmatibus antiquis obſeruamus, ære Corinthio extantibus) in ære inquam Corinthio non omni modo commixta metalla, ſed, quum incendio fuſa eſſent, ita inuicem adhæſiſſe, vt inſimul coaluerint, nec totali permixtione, in vnum redacta fuerint; videmus enim in dictis numiſmatibus partes rubentes aliquas, alias vero fuluo colore auri præditas. Cui ſententiæ noſtræ etiam fauet Cicero ſcribens in Verr. *Galea anea cœlata opere Corinthio*, Strabo *lib.* 8. ſcribit: *Ciuitas ipſa Corinthiorum ampliſſima diu fuit, & opulentiſſima, ſiue viros innumerabiles ad ciuile regimen peritiſſimos, ſiue eximias opificum artes animaduertas.* Legimus in Epitome Liuiana, Mummium, expugnata Corintho ſe abſtinentiſſimum virum egiſſe, nec quicquam ex iis opibus, ornamentiſq;, quæ prædiues Corinthus habuit, in domum eius perueniſſe, quamuis à cæteris ſigna multa ea parta victoria in Vrbem illata cõſtet. Corinthia æra vocauit *Ephyrea* Virg. 2. *Georg.* nam Corinthus antea *Ephyra*, ſeu *Ephyri*

*Quod ſi opus eſt vt dulce premant*

*Iidem ecquid habeant roga myrrhinum?*

Et apud Fabium: *Mittebant vinum pulchrum myrrhinum.* Quæ tamen ſententia haud rationi conſentanea eſt, ſiquidem ex Plinio *lib.* 12. *c.* 15. colligimus, Myrrhæ arborem potius arbuſculum eſſe, & fruticem, nec ad eam craſſitudinem deuenire, vt ex illius trunco vaſa conſtrui poſſint. Myrrhæ vero vinum amari ſaporis eſſe omnes norunt, & per conſequens calices ad vini potationem ex eo minime formari potuiſſe, quum tamen antiquos myrrhinos calices in hunc vſum ſeruaſſe clare conſtet, præſertim ex Martiale ſcribente lib. 13.

*Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno*

*Conuenit, & melior fit ſapor inde mero.*

Et rurſus:

*Surrentina bibis, nec myrrhina picta, nec aurum*

*Sume, dabunt calices hæc tibi vina ſuos.*

Quæ vero fuerint antiquis myrrhina vaſa tanto in pretio, colligere licet ex Plinio, apud quem legimus *murrhina* pro *myrrhina*, ea ratione, vt adnotauit Laurentius Valla, quod literam Græcam *υ*, Latini plerique vertant in *V*, literam, & ex Sylla, *Sulla*, & aliis pluribus, quæ res (vt ait Cic.) perquam familiaris eſt, qui *Phruges* pro Phrygibus dictos à veteribus teſtatur. Et Quintilianus *Bruga* dixit, pro eo quod Græcis *Brygas* dicitur. Quod etiam teſtatum reliquit Hermolaus. Plinius itaq; *lib.* 37. *c.* 2. ita ſcribit: *Oriens myrrhina mittit, inueniuntur enim ibi pluribus in locis nec inſignibus, maxime regni Parthici. Præcipue tamen in Caramania, humorem putant ſub terra calore denſari amplitudine nuſquam parua, excedunt abacos craſſitudine rara, quanta dictum eſt vaſi potorio. Splendor his ſine viribus nitorq; verius quam ſplendor, ſed in precio varietas colorum, ſubinde circumagentibus ſe maculis in purpuram candoremq;, & tertio ex vtroque ſe igneſcentem, veluti per tranſitũ purpura rubeſcente, aut lacte candeſcente. Sunt qui in iis maxime laudant extremitates, & quoſdã coloris repercuſſus, quales in cæleſti arcu ſpectantur; His maculæ pingues placent; tranſlucere quicquã, aut palleſcere vitium eſt.* Eodẽ capite myrrhinorum incredibile precium tradit, Pompeiumq; ex victoria Mythridatica primũ in vrbem Myrrhina inuexiſſe,

ſexque vaſa huiuſmodi Ioui Capitolino dicaſſe refert; Et amplius, Romæ myrrhinum vas LXXX. ſeſtertiis emptũ, caliceque myrrhino virum Conſularem ita auide in bibendo vſum, vt illi extremitatem arroſiſſet. Ad hæc T. Petronium virum Conſularem moriturum, in inuidiam Neronis Imperatoris, vt illius menſam exhæredaret, trullam myrrhinam trecentum ſeſtertiis emptam fregiſſe: ſed Neronem, vt par erat Principem, quadraginta ſeſtertiis fragmenta emiſſe. Capito. in Nerone: *Donatos etiam calices ſingulis per ſingulas potiones Murrhinos & Cryſtallinos Alexandrinos.* Prateius in ſuo Iuris Lexico, in dictione *Murrhina*, vaſa Murrhina fuiſſe fictilia, ex Propertio falſo opinatus eſt. Propertius enim *lib. 4. Eleg. Elegia* 4. ita ſcribit:

*Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ*
*Murrhea, in Parthis pocula cocta focis.*

At ex eo deceptus eſt Prateus, quod exiſtimauit, Poetam loquutum de foco materiali, quum tamen eius dicta intelligenda ſint de foco ſeu calore ſydereo, & cœleſti, quod docuit Plinius loco citato per illa verba: *Putant calore denſari.* Regionem enim eam Orientalem calidam maxime eſſe, nemo eſt qui ignoret, ſicuti cryſtallum frigoris vi denſari, ibidem demonſtrat. Et quamuis *lib. 33.* ſcribat: *Murrhina & cryſtallina ex eadẽ tellure effodimus; quibus precium faceret ipſa fragilitas,* intelligendum enim de tellure in genere, & non ſpecifice. Quæ ſi animaduertiſſet Turnebus *lib. Aduerſ.* 8. *cap.* 1. non affirmaſſet celebres hoſce ſcriptores contraria ſenſiſſe & ſcripſiſſe de Murrhenis vaſis. De Murrhenis Lucanus:

*Non auro, Murrhaque bibunt.*

Et Iuuenal.

——— *Maxima rurſus*
*Murrhina.*

Lampridius *in vita Heliogabali* ſcribit, eum in myrrhinis, & onychinis minxiſſe. Et Iulius Capit. *in M. Ant. philoſopho*, eum vendidiſſe aurea pocula, cryſtallina, & myrrhina, ærario exhauſto in bello, quo Marcomanni, Sarmatæ, Wandali & Quadi extincti ſunt, Pannoniæque liberatæ. Apud Iuriſperitos Iabulenus *in l. vaſa anea, ff. de ſupellectili legata*, ſcribit,

Murrhina

Murrhina vaſa, quæ ad vſum edendi & bibendi parara ſunt, eſſe in ſupellectili. Et de Murrhinis meminit etiam Pomponius *l.21.§ perueniamus, in fine, ex Caſſio D. de aur. & arg. leg.* eaque in gemmis eſſe negat, licet perlucida ſint, quemadmodum neq; cryſtallina, quia vtraque fragilia ſint. Sed an recte, conſiderandum; quum Plinius eadem in Gemmarum albo reponat, & multæ reperiantur gemmæ & ipſæ fragiles. De vaſis huiuſmodi Seneca *lib. de benef. 7. c. 9.* Murrhea vaſa appellantur *in l. 11. D. de ſupell. leg.* muta enim pro myrrha vſurpauit Pompon. *in l. 21. §. 1. D. de auro & arg. leg.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. LXXI.

*Miſi tibi denarios C C L. quos ſingulis conuiuis dederam, ſi vellent inter ſe inter cœnam vel talis vel par impar ludere.*

HOc luſus genus, quo & pueri & mulieres pręcipue hodiernis etiam temporibus ludunt, & antiquis peculiare fuiſſe ex hoc loco colligimus, vel etiam ex Horatio, 2. *Serm. Saty. 3.* vbi ſcribit:

*Ludere par impar, equitare in arundine longa.*

Et Ouidius de nuce.

*Eſt etiam par ſit numerus qui dicat, an impar*
*Vt diuinatas auferat augur opes.*

Et ex Græcis Ariſtophanes in Pluto: στάτηρσι δ' οἱ θεράποντες ἠρτιάζομεν, id eſt, *ſerui nummis quatuor drachmarum ludentes par impar*; ἀρτιάζειν enim Græci dicunt huiuſmodi luſu ludere. Et de luſu facto lapillis, & teſtaceis par impar, meminit D. Gregorius Nazianzenus *in carmine de Virginitate.* De hoc luſus genere pertractat Pollux *lib. 9. cap. 7.* Qui vero huic ludo incumbunt, ſuperſtitione quadam conſueuere modo numero pari, modo impari animum adiicere. Quidam enim ex Pythagoræ ſententia parem imperfectum, & mali cauſam exiſtimant, ob id numero impari tanquam perfecto & bonorum exordio totos ſe dant, quod & Homeri ſententia confirmant, qui vnitatis naturam in boni quidem portione conſtituit, in dualitate vero mali. Nam bonum ἑνιὰ ſæpius

dicit,contrario autem modo δύην,& ſuperis imparia ſemper tradit, inferis vero paria. Ita facit Neſtorem immolantem Neptuno ἐννεάκις ἐννέα ταύρους, Achillem vero Patroclo paria offerentem omnia ἵππους μὲν τέσσαρας δώδεκα δὲ τρῶον. Et Virg. Eclog.8.

*Numero Deus impare gaudet.*

Econtra alii parem pro æquo accipi dicunt, vt apud Legiſperitos, *l.Seruo.C.de rei vend.* Ita Cic. pro Muræna. *Hu rebus fretum ad Conſulatus petitionem aggredi par eſt.* Et de Amicit. *Par eſt autem ipſum primum eſſe virum bonum.* Item & clare in lib. 2. de Inuen. *At hæc omnia fortunæ ludibrio in luſu ſuppoſita ſunt, quæ mox pro libito pari, modo impari fauet, & ſors omnes verſat. Et qui fortunam amicam habet, ludat, qui aduerſam, caueat, & abſtineat.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. LXXII.

*Habitauit primo iuxta Romanum forum ſupra ſcalas annularias in domo, quæ Calui oratoris fuerat.*

QVæ eſſent Romæ Scalæ Annulariæ, varii varia ſenſere. Nonnulli cum Beroaldo ita appellatas dicũt ab annulis à lateribus eorum propendentibus. Alii cum Sabellico exiſtimauerunt ita nuncupatas, quod forma rotunda eſſent conformatæ, vti annuli ſunt orbiculares, quod genus ſcalarum *cochlium* dicitur, eo quod cochleæ inſtar ſint fabrefactę. Cuius generis ſcalarum meminit Strabo *lib. vlt.* inquiens; *Altitudo quædam manu facta turbinea, petroſæ ripæ perſimilis, in quam per cochlium aſcenditur.* Tertii quibus & nos libenter aſſentimur, ita vocatas ſcalas Annularias dicunt, quod inibi eſſent ſitæ officinæ annulariorum, id eſt, artificium annulorum. Quum enim Equites Romani omnes annulos aureos geſtarent, ferreos minus nobiles, multos fuiſſe eorum artifices nõ ambigendum. Quod & ex eo dignoſci poteſt, quod tradit Liuius *lib. 23.* Magonem ſcilicet Carthaginem quum veniſſet poſt victoriam Cannenſem, miſſum ab Annibale, ad fidem rerum narratarum, effundi in veſtibulo Curiæ iuſſiſſe annulos aureos, qui tantus aceruus fuit, vt metientibus dimidium

dimidium ſuper tres modios expleuiſſe, ſint quidam authores. Fama tenuit, quod proprius vero eſt, haud plus fuiſſe modio. Quamobrem rationi conſentaneum eſt, ſcalas Annularias ita dictas fuiſſe ab annulorum artificibus eorundem, qui eo loci officinas habebant. Ita Cicero 4. *Academ.* Annularios, annulorum artifices appellat, inquiens: *An tibi erit quærendus annularius aliquis? quoniam gallinarium cognouiſti Deliacum illum, qui oua cognoſceret.* Onuphrius Panuinius has ſcalas in Regione fori Romani collocat, quod ex hoc Suetonii loco forte collegit.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
### CAP. LXXII.

*Poſtea in Palatio, ſed nihilo minus ædibus modicis Hortenſianis, neque laxitate, neque cultu conſpicuis, vt in quibus porticus breues eſſent Albanarum columnarum, & ſine marmore vllo, aut inſigni pauimento conclauia.*

ALbam Inſulam in Ponto fuiſſe, vbi Achillis corpus trãſlatum, elicimus ex Pindari carminibus. Albana vrbs fuit felicis Arabiæ, vt docet Ptolemæus. Et Albania regio in Oriente eſt, ſub mare Caſpium ſurgens, per oraq; Oceani ſeptentrionalia vſque ad Mæotidas paludes per deſerta extenditur, in qua Albana Ciuitas, & Albanus fluuius, tradente Strabone *lib.* 11. In Bœtica fuit & Alba, quæ & *Virgeo* dicta, teſte Plin. *lib.* 3.*c.*1. Fuit & Alba Heluetiorum in Gallia Narbonenſi, quæ & Alba Auguſta, ex eodem Plinio *libro eodem cap.*4. & Ptolemæo *lib.*2. de Albanis populis, & mari Albano, & Albano flumine, idem *lib.*6.*c.*13. Fuit quoque Albania regio, quorum populorum pars in Peloponeſo, pars in Macedonia ſedet. Addamus & in Pannonia, aliam Albam, olim Taurunum dictam, & Belgradum, nunc Albam Græcam, & Albam Regalem, quod in ea Reges Vngarici coronari & inaugurari ſolerent. Verum à nullo ex memoratis Albanas columnas denominationem ſumpſiſſe, ex ratione colligimus, quod ex vili lapide conſtarent, ſi textus verba optime ponderentur; at ſi ex longinquis partibus Romam

conuectæ fuiſſent, vtiq; precioſiores extitiſſent. Quamobrem cõcludendum, ex viciniori loco exciſum lapidem tunc in vſum tractum, à quo Albanæ appellatæ columnæ ex illo confectæ. Tres Albas, ciuitates, ſeu oppida in Italia obſeruamus. Prima Alba Pompeia in Liguribus Ciſalpinis, nunc Ducatus Montisferrati, ſub ditione & imperio Sereniſſimi Ducis Mantuæ, Domini mei ſemper colendiſſimi. Romæ propinquiores fuere aliæ duæ, vna quidem *Alba Colonia* olim appellata, cuius nunc duntaxat ruinæ conſpiciuntur in Latio, inter Marſos prope lacum Fucinum ſuper collem, Apenninum verſus poſitæ. Hæc Colonia Albenſis deducta fuit à Romanis L. Genutio & Seruilio Cornelio, Coſſ. teſte Liuio *lib.* 10 Cuius Sylius meminit lib. 8.

*Alba ſedet campis, primaſque rependit ariſtas.*

Alia Alba fuit tertia, *Alba longa* vocata, de qua Plin. *lib.* 3. *c.* 5. in Latio & ipſa ſita, ita vocata ab Aſcanio Æneæ filio omine albæ porcæ, & à ſitu porrectę in dorſo vrbis, teſte Liuio *lib.* 1. Hac funditus à Romanis euerſa, ciues Albani Romam traducti. Quorum meminit Virg. lib. 1. Æneid.

*Albanique patres.*

Hodiernis temporib. vbi hæc erat ſita, nihil cõſpicitur præter paruũ oppidũ, quod *Sauellũ* appellant. Huic adiacet Albanus mõs vini excellẽtiſſimi ferax, cuius meminit Martial. ita:

*Nec de Cæſarei mitis vindemia collis,*
*Miſit Tubao, quæ tibi monte placet.*

Plinius *lib.* 14. *cap.* 6. ſcribit: *Albanæ vuæ vrbi vicinæ pradulces ac raræ in auſtero.* In hoc monte fuere olim lapidicinæ, ex quibus lapis Albanus effodiebatur, ex quo conſternebantur columnæ, hicque cæteris vilior habebatur, quum vel nullo negotio in vrbem conueheretur, molliſque eſſet. Quod ex Vitruuii libro ſecundo elicimus, vbi habet: *Lapidicinæ quædam molles, & circa vrbem Fidenates, & Albanæ. Saxa Albana in locis tectis ſuſtinent laborem, ſi autem in apertis fuerint, & patentibus collocata, quia mollia ſunt, pruinis & gelicidiis diſſoluuntur.* Ex quibus clare patere poteſt, quales antiquitus fuerint Albanæ columnæ, quarum meminit in textu Suetonius.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LXXII.

*Vbi etiam in porticibus Herculis templi ius perſæpe dixit.*

HErculem inter cæteros Deos maxime à Romanis excultum, ex eo conſtat, quod plura templa illi Romæ, & in conuiciniis magnifice ædificarint. Vnum enim ad portam Collinam extitiſſe, obſeruamus ex Liuio, *lib.26.* ſcribente, Annibalem cum duobus millibus equitum ad portam Collinam vſque ad Herculis templum progreſſum. Alterum vero templum iuxta Tiberim conditum à Romanis, author eſt Diodorus Siculus *lib.5.cap.2.* Aliud Romæ in foro Boario extitiſſe, tradit Plinius, *lib.34.cap.7.* inquiens, Statuam vetuſtam Herculi ſacratam ab Euandro in foro Boario, vbi templum Herculis. Et Liuius *libro* 10. ædem Herculis in foro Boario ſitam, rotundam fuiſſe teſtatur. Quod & Dionyſius Halycarnaſſeus *lib.1.* confirmat, & cum eo Plinius, *lib.*10.*c.*19. Alias item Romæ fuiſſe exſtructas ædes Herculi, Auguſti temporibus, elicimus ex Suetonio ſupra, *cap.*29. Fundani Herculis templi meminit Fl. Vopiſcus *in Aureliano*, Tiburi, quod amplius ſextodecimo lapide ab vrbe non diſtat, pereximium Herculi conſtructum fuiſſe templum, ex hoc loco colligimus; Tibur enim ſub Herculis tutela, illique ſacrum erat, ex eodem Suet. *in Caligula, c.*8. Vnde Herculeum vocat illud Strabo, *lib.5.* & Martial. lib.1. Epigram.

*Itur ad Herculei gelidas, qua Tiburis arces,*
*Canaq; ſulphureis Albula fumat aquis.*

Huius templi pulchritudinem oſtendit Iuuenalis, quum ait:

*Vincens Fortunæ atq; Herculis ædes.*

Hinc forte Virgilius lib.7. Æneid. Tibur vocat ſuperbum, quamuis aliam reddat cauſam Seruius. Ita & Sillius lib.8.

*Tibur Catille tuum ſacriſq; dicatum.*

Aulus Gellius *lib.*15. ſcribit, Tiburi in templo Herculis fuiſſe Bibliothecam, libris optime inſtructam. De ſacris, quæ

... maxima cum religione à Romanis Herculi, Liuius lib. 1. & Valerius Maximus *lib.1.c.2.* Et Virg.

*Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### Cap. LXXII.

*Ampla & operoſa Prætoria grauabatur, & neptis quidem ſuæ Iuliæ profuſe ab ea exſtructa, etiam diruit ad ſolum.*

Prætorium vocatam domum obſeruamus, in qua Prætor habitabat, vel ius dicebat, qua ſignificatione Prætorium in Euangeliis acceptum, clare patet. Feſtus Pompeius ſcribit, Prætoriam portam in caſtris dictam à Prætoribus, qui initio bella adminiſtrabant, ſicuti poſtea Conſules & eorum tabernaculum Prætorium dicebatur. Nam ante Conſules penes Prætores ſumma erat authoritas, quæ poſtremo in Imperatores tranſlata. Ob id huiuſmodi Prætorium Quintilianus vocauit *Auguſtale tabernaculum*, quo in loco ſcilicet Duces ſeu Imperatores exercituum conſilium de agendis habebant, quod conſilium pariter & *Prætorium* appellatum Liuio, in hæc verba: *Fuluius ne id ipſum impedimento incepto, dimittens Prætorium, Tribunis militum, ac Præfectis ſociorum imperauit.* Ita apud Ciceronem obſeruamus *dimittere Senatum & Conſilium.* In procinctu itaque tabernaculum Imperatorum exercituum, Prætorium dictum, ſcribente Liuio, lib. 3. *Quercus ingens arbor Prætorio imminebat, cuius vmbra opaca erat.* Et lib. 21. *Et examen apum in arbore Prætorio imminente conſiderat.* Et *lib. 26.* vbi de Coſſ. Appio Claudio, & Q. Fuluio, & C. Nerone Prætore Capuam obſidentibus ſcribit: *Tria prætoria circa Capuam erecta, exercitus diuerſis partibus opus aggreſſi, foſſa valloq́; circumdare vrbem parant.* Prætoria quoque appellatæ domus magnificæ exſtructæ in vrbibus, in Iudicum & Præſidum habitationem, *ex l 3 C. de epiſcop. & cleric. l penultima, C. de offic. rect. prouin.* Ita Cic. in Verr. *Onera & merces in domum prætoriam deferebantur.* Prætorium etiam appellant

pellant Legiſtæ domum ruri ad Domini vrbani habitationem exſtructam & ſeiunctam à villici habitatione. Vlpian. l.198. D. de verb.ſignific. *Vel ſi pratoria tantum voluptati deſeruientia.* Et Neratius l.2.D.de ſeru.ruſt.præd.*Ruſticorũ prædiorum ſeruitutes ſunt, non licere altius tollere & officere pratorio vicini.*Palladius *lib.1.cap.8.* ſcribit : *Ipſius pratorij ſitus ſit loco aliquatenus erectiore & ſicciore propter iniuriam fundamentorum. & vt lato fruatur aſpectu.* Et alibi: *Columbarium poteſt accipere ſublimis vna porticula in pratorio conſtituta.* Statius libro primo Syluarum:

*Alternas ſeruant pratoria ripas.*

Et Auſonius:

*Alternas cernunt pratoria ripas.*

Tertullianus *lib.de Idololatria* ait, *voluptati ſeruientia pratoria.* Martialis inquit:

*Ad lapidem Torquatus habet pratoria quartum.*

Iuuenalis Satyr.1.

*Criminibus debent hortos pratoria.*

Prætoria autem dicta ſunt hæc ruralia magnifice exſtructa ædificia,quaſi talia ſint, qualia à principibus viris incolantur. Sic prætorium vocata Principis domus, quam & Palatium alii dixere, vnde & prætoriæ cohortes appellatæ, quæ Principibus viris pro cuſtodia aſſiſtebant, & Præfectus prætorio,qui illis præerat. Ita & prætoriam nauim,in qua claſſis Imperator nauigabat,Liuio *lib.29.* vbi de Scipione in Africam tranſmiſſuro verba facit. Talia itaque fuiſſe Prætoria à Iulia Nepte extra vrbem exſtructa, & quæ dirui mandauit Aug.non ambigendum,quod non modo ex textus præſentis lectione patet, ſed & ex eodem Sueton. aliis in locis, vti in Caligula, cap.37.*In exſtructionibus pratoriorum atq; villarum,omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat,quam quod poſſe effici negaretur.*Et in Tito,cap.8.*Vrbis incendio nihil niſi ſibi periiſſe teſtatus, cuncta pratoriorum ſuorum ornamenta,operibus ac templis deſtinauit.* Has Iuliæ domus, quas Suetonius prætoria vocat, C.Tacitus *lib.Annal.* 4. villæ nomine donauit.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### Cap. LXXIV.

*Conuiuabatur aſſidue, nec vnquam niſi recta, non ſine magno ordinum hominumq́, delectu.*

Qvæ fuerit Romanis cœna recta, non omnes eadem ſentiunt. Nonnulli dixere, cœnam rectam vocatam, in qua conuiuæ recto ordine ſedentes, eiſdem epulis excipiebantur. Alii quia recta menſa conuiuæ admittebantur, diſcumbentes eo ordine, quo in eius cœnaculis ſeu tricliniis Monachi cœnare ſeu prandere conſueuerunt noſtris temporibus, ad rectas menſas ab vno latere tantum ſedentes omni ex regione triclinii, ad differentiam eorum, qui quadratis ſeu rotundis menſis cœnitare conſueuere, in quibus nullus ordo. Nonnulli dixere, cœnas rectas vocatas, eo quod rectæ nobilioribus exhiberentur conuiuantibus, quum ignobilioribus ſportulas loco cœnæ rectæ dari mos eſſet. Et ſi cœna eis dabatur, vocabatur popularis, de qua Plautus in Trinummo. Rectam cœnam interpretatus eſt Turnebus *Aduerſ. lib. 18. cap. 1.* Cœnam lautam, authoritate Senecæ, *lib. 19. Epiſt. 3.* vbi habet: *Non magnam rem facis, quod viuere ſine recto apparatu poſſis.* Idem lib. 22. Epiſt. 123. *Hanc petunt omnes, qui, vt ita dicam, recte viuunt.* Hæc tamen interpretatio, quamuis ingenioſa, minus genuina videtur; ſiquidem locus Senecæ, priori loco adductus, minime ad rem facit; nam textus emendatiores *Regio apparatu*, non *recto* habent. Secundus autem, ſi antecedentia & ſubſequentia verba ponderentur, ſenſui Turnebi non conuenit: Ad hæc Suetonius ipſe *in Veſpaſiano, cap. 19.* ſcribit de illo: *Sed & conuiuabatur aſſidue, nec vnquam niſi recte & dapſile.* Quamobrem ſi *rectum* interpretemur *laute*, erit nugatio & ſuperflua repetitio in textu; nam & *dapſile* laute ſignificare eo in loco demonſtrauimus. Nos vero, vti ex antiquorum dictis colligere potuimus, arbitramur, cœnam rectam dictam, in qua inuitati Patricii viri, vnuſquiſque recto ordine, ſecundum dignitatem & ætatem ſuam, loco aſſignato diſcumbebant, ab Imperatore vel publico magiſtratu lætitiæ cauſa omnes conui-

conuiuio excepti. Ita ſuperius adnotauit Suetonius, cap.... Senatoribus quibuſdam exauthoratis, Auguſtum reliquiſſe ius publice epulandi, id eſt, vt in huiuſmodi publicis conuiuiis, licet Senatorio munere amplius non fungerentur, tamen ad cœnas rectas vocati ſedere poſſent ſuo in loco & ordine. Quem epulandi publice morem, & exhibendi Senatoribus conuiuium, à Romulo primum inſtitutum legimus; in brumalibus enim conuiuio excipiebat Senatum, quum neceſſarium diceret, ab Rege ſuo ali Senatum hyeme, nullis obſtrepentibus bellis. Sic enim obſeruamus Ciceronem *in orat pro Quint.* dixiſſe, *recte & ordine factum.* Et in Philipp. *Aliquem recte atq; ordine ex Repub. feciſſe, & facere.* Et rurſus: *Literas Bruti recte & ordine ſcriptas videri.* Ita & Iuriſtæ, *recte atq; ordine factum* aliquid, dixere, vti in l. 2. D. ad Senatuſconſultum Velleianum: *Arbitrari Senatum recte atq; ordine facturos, ad quos de ea re in iura aditum erit.* Et Vlpian. in l. Diui, 27. §. 1. D. de libe. cau. *Recte atq; ordine iudices puto facturos, ſi hanc formam fuerint conſequuti.* Quum itaque diſcumbentes ordine cœnarent (vt diximus) ideo cœna recta dicta eſt; Rectum enim, vt docuit Cicero *ad Herenn.* dicitur, quod cum virtute & officio fit, ſiquidem recte facit, & operatur qui ſapienter & habita conſideratione vnicuique locum ſuum tribuit. Et ita cœna recta dicebatur, quæ dabatur diſcumbentibus recto ordine, vt diximus. Quo cœnæ genere principes viri excipiebant Senatores & Patricios Romanos ſplendide. Quam ſententiam confirmant ſubſequentia Suetonii dicta, quum ſubdit: *Non ſine magno ordine, hominumq; delectu.* Huiuſcemodi cœna ſæpius excipiebat conuiuantes Auguſtus. At poſt eum Nero (ex Tranquillo *in illo, cap.* 16.) parcior & tenacior loco cœnæ rectæ diſtribuere faciebat ſportulas; Ait enim: *Adhibitus ſumptibus modus, publicæ cœnæ ad ſportulas redactæ.* Poſt eum Veſpaſianus rurſus reſtituit cœnas rectas, vt tradit Tranquillus in illius vita, *cap.* 19. inquiens: *Sed & conuiuabatur aſſidue, ac ſæpius recte & dapſile.* Quod etiam poſt eum feciſſe Domitianum, tradit idem author in illo, *cap.* 7. quum ait: *Sportulas publicas ſuſtulit, reuocata etiam cœnarum rectarum conſuetudine*; erant enim,

quo ad præſens negotium facit, ſportulæ, ſeu ſportæ, aut ſportellæ Calathi vimmei, quibus rem penuariam, ſeu obſonia determinata iis ſingulis partiebantur, qui ad conuiuium inuitari ſolebant, vt colligimus ex Vlp. *l 3. D. de penu lega.* Vnde Martialis lib.8.Epigram.50.

*Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.*

Et lib.5.Epigram.77.

*Sportula nulla datur, gratis conuiua recumbis.*

Et Iuuenalis *Satyr.*1.conqueritur, imminutam eſſe prioris ſportulæ liberalitatem, quæ in primo limine domus exhibentis partiebatur nobilibus, inquiens:

*—— Sportula primo*
*Limine parua ſedet turba rapienda togata.*

Et ideo Claudius munus gladiatorum breue vocauit *ſportulam*, teſte Tranquillo in illo, *cap.*21. quod populo dedit, eo tanquam ad cœnulam inuitato. Sed de ſportulis alibi vberiorem ſermonem habebimus. De cœna recta plures neoterici verba fecere, inter quos Budæus *in annot. in Pandectas, ex l. ſi mulier, D. de donat. inter vir. & vxor.* qui tamen (ni fallimur) non exacte rem ipſam diſcuſſit. Poſſumus etiam aliam interpretationem afferre, quam & nos excogitauimus, nempe, quod cœna recta diceretur, qua conuiuantes recte ſedentes menſæ accumberent, quod vſu eueniebat in conuiuiis, quibus Senatores & Principes viri multi excipiebantur, ſicuti ex aduerſo in cœnis domeſticis in lectis proſtrati diſcumbebant, præſertim à balneo loti; quod probare conatur Hieronymus Mercurialis, *lib. Gymnaſt.* 1. *cap.*11. Horum autem vtrumque & nos veterum ſcriptorum monumentis comprobare conabimur. Virg.8.Æneid.

*Hæc vbi dicta, dapes iubet, & ſublata reponi*
*Pocula, gramineoq; viros locat ipſe ſedili,*
*Præcipuumq; thoro, & villoſi pelle leonis,*
*Accipit Aeneam.*

Horatius epiſt.lib.1.epiſt.5.

*Si potes Archiacis conuiua recumbere lectis.*

Cœnandi autem moris in lectis, meminit Valer. Max. *in lib.* 2. *cap.* 1 *poſt principium.* Virg. lib. 1. Æneid.

*Tu das*

*Tu das epulis accumbere Diuûm.*

Et in eodem libro:

*Id pater Aeneas, & iam Troiana iuuentus*
*Conueniunt. ſtratoq́; ſuper diſcumbitur oſtro.*

Et paulo poſt:

*Thoris iuſſi diſcumbere pictis.*

Plaut. in Amphit. Act. 2. Scen. 2.

Alc. *Cœna appoſita eſt, cœnauiſti mecum,*
*Ego accubui ſimul.* Amph.
*In eodem lecto?* Alc.
*In eodem.* Soſ. *Hei non placet conuiuium.*

Liuius *lib.* 28. vbi de Rege Syſace ſcribit: *Cœnatumq́; ſimul a-pud Regem eſt, eodemq́; etiam lecto Scipio & Aſdrubal ( quia ita [illegible] di Regi ) accubuerũt.* Philoſtratus in vita Apollonii, lib. 2. c. [illegible] *Rex in lecto ſtramentis facto accubat.* Martialis *lib. 4. Epigram. 8.* ad Euphemum de hora cœnæ vel prandii:

*Sufficit in nomen nitidis octaua palaſtris,*
*Imperat exſtructos frangere nona thoros.*

Virgilius lib. 1. Æneid.

*—— Aulæis iam ſe Regina ſuperbis*
*Aurea compoſuit ſponda, mediamq́; locauit.*

Suetonius in Aug. cap. 75. *Solebat & inæqualiſſimarum rerum ſortes, & auerſas tabularum picturas in conuiuio venditare, incertoq́; caſu ſpem mercantium vel fruſtrari, vel explere, ita vt per ſingulos lectos licitatio fieret.* De lectis Tricliniorum meminit & Cicero *in Verrem.* Philo Iudæus in libris de vita contemplatiua: *Triclinia lectos habent, &c.* Cic. in orat. pro Muræna: *Atq́; ille rogatus, vt triclinium ſterneret, ſtrauit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos.* Horat. Serm. lib. 1. Satyr. 4.

*Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.*

Iuuenal. Satyra 5.

*—— Ergo duos poſt*
*Si libuit menſes neglectum adhibere clientem,*
*Tertia ne vacuo ceſſaret culcitra lecto,*
*Vna ſimus, ait.*

Perſas in lectis cubantes, cibos aſſumpſiſſe, tradidere Herodotus *lib. 9.* Plutarchus *in Apophtegmat. Pauſaniæ & Cleombroti.*

*broti.* Ex iam dictis authoritatibus patet, antiquos in cibo ſumendo ſolitos accumbere lectis, hocque præcipue, vbi non multi ſimul conuiuabantur, vel etiam loti eſſent. Ita Gellius authoritate M. Varronis ex Satyris Mœnippæis, *libro* 13. *cap.* 11. ſcribit: *Conuiuarum numerum incipere oportet à Gratiarum numero, & progredi vſque ad Muſarum.* Quod & Macrobius confirmat *lib.* 1. *cap.* 7. Huc que illud alludit Horatii carmen lib. 3. Ode 19.

*Da puer auguris Murenæ, tribus aut nouem*
*Miſcentur cyathis pocula commodis,*

& quæ ſequuntur. Vnde & vetus adagium apud Iuliũ Capitolinum, in vita L. Veri Imperatoris, *ſeptem conuiuium, nouem conuitium facere.* Et Athenæus *lib.* 1. *Dipnoſophiſt. cap.* 1. in hanc rem deſcribit verſus Archiſtrati Syracuſii:

*—— Cœnare vna homines hinc diuite menſa;*
*Atque adſint illis vel tres, vel quattuor omnes,*
*Non plures vel quinque forent in cœna parata*
*Militibus, rapide promptas rapientibus eſcas.*

Plato in Timæo, tres aut quinque conuiuas eſſe oportere, dixit, εἷς δύο τρεῖς, τοῦ δὲ τέταρτος. At quum conuiuæ numeroſiores erant, non recumbere in lectis, ſed ſedere ad menſam ſolebant antiqui. Virg. lib. 7. Æneid.

*Hæ ſacris ſedes epulis, hic ariete caſo*
*Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.*

Id moris quoque Laconibus & Cretenſibus fuiſſe, docet Varro *in lib. de gente populi Romani*, & Homerus 1. Odyſſ.

Ες δὲ ἦλθον μνηστῆρες ἀγήνορες, οἱ μὲν ἔπειτα
Εξείης ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε.

Id eſt:

*At Proci ingreſſi ſunt, qui mox inde ſuperbi*
*Ordine ſederunt ſcamnis & ordine thoris.*

Et vbi Telemachus & ſocii à Menelao hoſpitio accepti cœnant ſedentes, ἐς ῥα θρόνους ἕζοντο παρ' Ατρείδην Μενέλαον, id eſt, *thronis ſedebant prope Atridem Menelaum.* Et lib. 3. Odyſſ. Αμφοτέρων ἕχε χεῖρα καὶ ἵδρυσε παρὰ δαιτὶ, id eſt, *Amborum prehendit manum, & ſedere fecit ad conuiuium.* Et iterum ad finem eiuſdem libri: δαίνυνθ' ἑζόμενοι, id eſt, *epulabantur ſedentes.*

*tes.* Quod etiam ex ſacris literiſ probare poſſumus, ex Geneſis cap.42. circa finem, vbi ad menſam Ioſeph, fratres cum Ægyptiis in conuiuio ſedere facit. Ex his itaque concludere poſſumus, cœnam rectam dictam ob id, quod Senatores & alii plures ad conuiuium vocati ab Auguſto, non accumberent in lectis (quod fieri ſolebat, quum pauci & domeſtici erant cœnantes) ſed ſederent, non proſtrati aut iacentes, ſed erecti & recti cibum aſſumentes.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. LXXIV.

*Et aut acroamata & hiſtriones, aut etiam triuiales ex Circo ludos interponebat.*

ACroamata vox Græca eſt, cuius ſignificatio non omnibus eadem; etſi enim *Acroama* auditionem ſignificet ſimpliciter, vt & *Acroamatici* Ariſtotelis, auditorii libri, ſeu auſcultatorii dicti, quales ipſe appellat in quadam ſua epiſtola ad Alexandrum, & eos continere ait, recondita præcepta doctrinę Peripateticæ. Et Cicero *lib.5. de Finib.* Acroamaticos vocat genus librorum limatius, quod in Commentariis reliquerat Ariſtoteles, quum alterum genus *Exoterica* dicat, populariter ſcriptum; Nihilominus apud ſcriptores aliquando accipitur Acroama pro feſtiua ludicraq; narratione, ſæpius vero & fere ſemper, pro ipſis hominibus acroamata recitantibus. Quo in ſignificatu hoc loco accepiſſe Suetonium non dubito, & Ciceronem *in Verrem*, dum ait, illum quaſi feſtiuum acroama, ne ſine corollario de conuiuio diſcederet, ibidem conuiuis ſpectantibus, emblemata euellenda curaſſe. Idem *in orat. pro Archia*, inquit: *Themiſtoclem illum ſummum Athenis virum reſpondiſſe aiunt, quum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius vocem libentiſſime audiret? eius, à quo ſua virtus optime prædicaretur.* Et in orat. pro Seſtio: *Ille ipſe maxime ludus non ſolum ſpectator, ſed auctor & acroama.* Lampridius in Alex. ſcribit, illum nanos & nanas, moriones & vocales exoletos, & omnia acroamata & pantomimos populo donaſſe. Apud Xenophontem Socrates

in Sympoſio Calliæ laudans *δεῖπνον ἄμεμπτον*, id eſt, cœnam omnibus numeris abſolutam, inquit: *Theamata atq; acroamata*, id eſt, quæ oculos & aures paſcant & oblectent, *adiecisti, quid ſi vnguentum etiam quis effundat?* Plinius in Epiſt. inquit: *Acroamata audiebamus.* Significare etiam acroamata pueros ſymphoniacos, colligere poſſumus ex lepidiſſimo Thoranii Mangonis in Auguſtum dicto, apud Macrobium *lib. 2. Saturnal. cap.* 4. Nec mirum, ſiquidem antiquorum acroamatibus modernos illos ſcurras, qui Hiſpanis vulgo *Lochi* vocantur, ſeu *Hombres de plazer*, quiq; & in Italorum Principum, & Germanorum aulæ frequentes quoque ſunt, optime reſpondere non dubitamus. His vero in conuiuiis & cœnis prandiiſque hilaritatis gratia canentibus, & cytharam pulſantibus, ac lepidis & argutis ſcommatibus obloquentibus, noſtra tempeſtate aſſidue Principes ſummopere oblectari nemo ignorat, qui & è menſa ſapidiores dapes & epulas arripere, niſi eis porrigantur, conſueuere, quod & Acroamata apud antiquos facere conſueuiſſe, ex Cic. dictis *in Verrem*, facile elicere poſſumus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. LXXIV.

*Aut etiam triuiales ex Circo ludos interponebat, ac frequentiſſime Aretalogos.*

IN huius vocis *Aretalogos* interpretatione maxime lapſi expoſitores; namque Porphyrionis authoritatem inſecuti, interpretantur *aretalogos* garrulos & loquaces in oſtentationem virtutis, deducentes nomen ab *ἀρετῆ*, quod Græcis eſt *virtus*, & *λόγος*, id eſt, *ſermo*. Quam enim voluptatem afferre poſſent loquaces homines virtutem oſtentantes in conuiuio, non video, præſertim quum obſeruem Iuuenalem ſcribentem Satyr. 6.

*Vt riſum fortaſſe quibuſdam*
*Moueat vt mendax Aretalogus.*

Nec loquax virtutem oſtentans riſum mouere quomodo poſſit, video. Hinc alii deriuatam vocem dixere à verbo Græco

Græco ἀρέσκω, quod eſt Latinis, *placeo*. Turneb. *Aduer.* 20 c. 12. à voce Græca ἀρεστὸν, quod eſt, *gratum & placens* radiant S. d neutra deriuatio hæc nobis arridet, ſiquidem ſcribendum eſſet potius *Areſtologos*, quam *Aretalogos*. Dixerim itaque deriuatam hanc vocem ἀπὸ τ̃ ἀρετὸς, quod eſt, *placitum*, ita vt homines *Aretalogi* vocati, placita & delectabilia loquerentur, & ita conuiuantes oblectarent, & ad riſum q[illegible], quod Iuuenalis innuit, mouerent, ſuis verbis facetis & argutiis affabiles. Poſſumus etiam interpretari *Aretalogos*, id eſt, de virtute verba facientes, ideoque à Iuuenale mendacem dictum Aretalogum, quod verbotenus virtutem profiteretur, re ipſa vitiis redundaret, quales hiſtriones infames, vt alias docuimus.

Triuiales ludos ſeu ludios, quos dixerit Suetonius, non difficultate caret. Beroaldus interpretatus eſt *vulgares* & qui in triuio paſſim fierent, cui ſententiæ repugnat dictio illa *ex Circo*, in quo nihil vulgare, quale in triuiis fieri ſolebat, & quos antea *cap* 45. Cateruarios vocauit, inquiens, Auguſtum ſpectaſſe, & cateruarios oppidanos inter anguſtias vicorum pugnantes temere ac ſine arte. Eadem de cauſa nec expoſitio Sabellici arridet, triuiales *rudes ac minus accuratos* exponens: Nec minus Forentii explanatio recipienda, ſtantibus oppoſitis, nam interpretatus eſt triuiales, *non legitimos, atque ordinarios*; ego ſane *ruſticos ludos vel ludios* exponerem, cuiuſmodi in triuiis fieri, & ſe exercere ſolebant, namque & triuialis ſcientiæ magiſtri ſic dicti à Quintiliano, qui in triuiis docebant; & eadem de cauſa Grammatica, triuialis ſcientia appellata; Apud Varronem extat Satyra inſcripta *Triodote Trifolium*, hoc eſt, Triuiale Trifolium, ſylueſtre ſcilicet, quale illud, quod in triuiis naſci, rati inquam, ſolet, vt ego interpretor, quicquid de illius myſtico ſenſu ſcripſerit Turnebus *lib.* 17. *cap.* 21. *Aduerſ.* Et Suetonius ipſe *libro de claris Rhet.* verba triuialia dixit inelegantia, & ruſticitatem quæ ſapiant, in triuiis enim oppidani ſeu ruris incolæ conuenire ſolebant, ibi confabulari inuicem, concilium habere, ac ſacra facere. Cicero de lege Agrar. *in triuiis auctionari*, dixit. Et Catullus;

*Omnibus in triuiis vulgetur fabula paſſim.*

Et Tibullus lib. I.

*Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,*
*Seu vetus in triuio florida ſerta lapis.*

Nec obſtat, quod Suetonius ſcribat, Triuiales ludios à Circo conuiuiis interpoſitos; nam coniicere poſſumus, quo tempore in Circo ſpectatores conueniebant, huiuſmodi ludios introductos, qui interim populum, donec ſpectacula parabantur, ridiculis, facetiis, ac ruſticis dicteriis detinerent ac oblectarent. Quod & hodiernis temporibus in Scenis & per perſonatos homines carniſpriuii diebus, & in conuiuiis ſæpenumero fieri, ſciunt omnes. Hos vero diſerte aretalogis contrapoſuiſſe Suetonium, iure crediderim, ſuadente verborum ſerie.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. LXXV.

*Modo munera diuidebat, veſtem, & aurum, & argentum, modo nummos omnis notæ, etiam veteres, regios, ac peregrinos.*

QVod Suidas in verbo ἀσσάρια ſcribit, nempe nummum appellationem ſumpſiſſe, eo quod Numa Pompilius apud Romanos primus nummos ex ære & ferro percuſſerit, quum antea coriaceis & oſtreaceis, & ſcorteis vterentur, quod Plutarchus *in Numa*, & Donatus in illud Virgilianum, lib. I. Æneid.

*Taurino quantum poſſet circundare tergo,*

& D. Hieronymus *in Rufinum* tradidere, prorſus inepte dictum iudicandum, cum ante Numam pecuniam ſeu nummos in vſu fuiſſe conſtet. Nam Herodotus *in I lib.* Lydos primum percuſſiſſe nummos tradit, & Ælianus *lib. 12. var. hiſt. cap. 10.* Æginenſes primos nummos percuſſiſſe, teſtatum reliquit, & Plutarchus *in Theſeo*, illi primam nummi inſtitutionem tribuit. Et pecuniam ſeu nummos fuiſſe Platonis tempore, conſtat ex ipſius ſcriptis, *in lib. de Repub.* quod ex Ariſtotelis quoque placitis *I. Politic. cap. 6. & 5. Ethic. cap. 5.* colligi-

colligitur. Et quod antiquius eſt, Ioſephus *lib.1.antiquitat. cap.4.* Caino inuentionem pecuniæ adſcribit. Et *in Geneſis 1. cap.23.* legimus, Abrahamum mercatum fuiſſe ſepulchrum, & appendiſſe pecuniam probatæ monetæ. Et cap.42. *Ligatas pecunias in ſaccis fratrum Ioſeph.* Et cap.43. *Pecuniam duplicem ferte vobiſcum.* Et cap.44. *Pone pecuniam ſingulorum in ſummitate ſacci.* Ex quibus ſatis conſtat, Suidæ ſententiam minime recipiendam, quinimo nec etiam, quam Varro *libro 4. de lingua Latina*, & Pollux *lib.9.* recenſet, nummum ſcilicet vocabulum Siculum fuiſſe, à Romanis receptum; quod falſum eſſe conſtat, cum Siculi à Romanis, ex communi ſententia probatorum authorum, ortum duxerint. Rectius dicamus nos, Romanos vocem hanc mutuatos fuiſſe à Græcis, quibus nummus dicitur νόμισμα & δηνάριον etiam appellatum; cuius vtrumque exemplum habemus apud Matthæum Euangeliſtam, *cap.22.* νόμισμα autem apud Græcos deriuatum à νόμῳ, id eſt, lege, docet Ariſtoteles *lib.Ethicor. cap.25.* Quinimo & Latini numiſma dicunt, Græca retenta voce, nummum ipſum. Nummum autem ſeu numiſma aliquando generale nomen eſt, & recipitur pro quocunque nummo ex quacunq; materia formato, vel quauis forma & figura impreſſo, quo in ſignificatu quamuis ſit vſus Cicero pluries, vnicum tamen vel alterum exemplum adducamus, vt *in orat.pro Flacco*, quum inquit: *Ciuitas, in qua nummus moueri nullus poteſt ſine quinque Pratoribus.* Et pro Font. *Nummus in Gallia nullus ſine Romanorum ciuium tabulis commouetur.* Altera ſignificatione accipitur etiam nummus à Latinis pro ſpeciali & particulari nummo. Ita Cicero, quum in Epiſtol. ſcribit: *Emi eam ipſam domum millibus nummum 35.* Et apud Varronem *lib.3.de re ruſt.* legimus ita: *Ex Pauonibus M. Aufidius Lurcho ſupra ſexaginta millia nummum in anno dicitur capere.* Verum addamus, nummos, ſiue in generali, ſiue in ſpeciali ſignificatione acceptos, ex diuerſa materia cudi ſolitos; Primum enim ex ære, mox ex argēto, demum ex auro. Seruii Tulli Regis tēpore primum Romæ æs ſignatum, docet Plinius *lib.33.cap.3.* Argentum etiam Romæ primum ſignatum, eodem teſte in eodem loco, anno ab V.C. 585.

Q. Fabio Conſule, per annos quinque ante bellum Punicum; quamuis mendum in textu Pliniano eſſe, clare conſtet, centum ad minus annorum, ſiquidem anno 485. Q. Fabii Conſulatui reſpondent, iuxta Chronologiam Glareani & Heleandri ad T. Liuium; & primum bellum Punicum initium habuiſſe, anno ab vrbe condita 489. teſtatur Polybius *lib.* 1. Solin *lib.* 1. *c.* 2. & Aulus Gellius *lib* 17. *cap.* 21. Quamuis Alex. ab Alex. *lib.* 4 *c.* 15. ſcriptum reliquerit, Seruio Cæpione, & Cn. Sempronio Conſulibus, argentum primum figuratum Romæ, altera parte Iano bifronte, alteram uis prora, qui anno 497. ab V.C. Conſules fuere. Aurum demum in nummos ſignatum poſt argentum anno 62. vt Plinius idem ibidem docet. Itaque quum Suet. tradit, Auguſtum Saturnalibus diebus donaſſe nummos Romanos & peregrinos, intelligere debemus nummos in generali ſignificatione non modo, ſed etiam ex quacunq; triplici materia ſuperius adnotata, nempe æreos, argenteos, & aureos. Quod præſertim ſubſequentia verba declarãt; nam ſi omnis notæ nummos donabat, ergo omnis generis nummos dabat. Multis autem notis antiquitus ſignatam pecuniam, & cuiuſuis generis nummos apud ſcriptores obſeruamus. Ariſtoteles *in Tarentinorum R pub.* meminit, eos numiſmati impreſſiſſe imaginem Neptuni filii equo inuecti: Mytilenæi Sappho monetæ ſuæ inſculpſerunt. Homerum Chii, *ex Strabone.* Dardani Gallorum pugnam. Aſpendii luctatores. Corinthiaci Pegaſum. Rhegini leporem. Cephalenii equum. Phaſii Perſam. Argiui murem, teſte Iulio Polluce, *lib.* 9. *c.* 6. in Laurio Atticæ fuiſſe aurifodinas, & inibi nummis aureis Noctuas inſculptas, vnde & prouerbium γλαῦκες λαυρειωτικαὶ, id eſt. Noctuæ Laurioticæ. Et pro pecunioſis accipi teſtatũr Suidas in verbo γλαῦξ. Quod pariter tradidit interpres Ariſtophanis, & Pollux *lib.* 9. & Plutarchus *in vita Lyſandri*, qui & in Theſeo meminit, illum Athenis breuis figuram nummis inſculpi inſtituiſſe. Argiuorum item nummos fuiſſe lupi imagine inſignitos, teſtatur Sophoclis Scholiaſtes in illius Electra. Trœzenii tridentem nummo effictum habuere, teſtimonio Plutarchi *in Theſeo*, & Pau-

& Pauſania *in Corinthiacis*. Perſæ in ſuis Daricis ſagittarium incuſſum habuere, teſte Plutarcho *in Apophthegmat.* ex quo celebre emanauit dictum Ageſilai, ſe ex Aſia pulſum triginta millibus ſagittariorum, corruptis nempe Athenienſibus ea pecuniæ quantitate à Rege Perſarum, qui eum è prouincia diſcedere iuſſere; Qui & ſtatores Darici vocati, eodem Plutarcho teſte *in Artaxerxe*, à Dario vetuſtiori, teſte Xenophonte, *lib.5. Pædia Cyri*. Darius enim ex auro puriſſimo monetam percuſſit, authore Herodoto, *lib.4*. Ozolæ ex Locris Heſperum ſtellam effinxere in nummis, ſcribente Strabone, *lib.9*. Tenedii ſecurim, *ex Heraclide in Politicis, & Stephano in vrbium catalogo, & Plutarcho in comment. de Pythiis oraculis*. In Ciſtiphoris ferentem ciſtam inſculptum, ob idq; ita vocatos obſeruamus; quorum meminit Liu. *lib.4. c.37.* vbi de triumpho M. Acilii. Et ad finem *lib.31.* in triumpho L. Æmilii Regilli, & Scipionis Aſiatici, & *lib.39.* in triumpho Cn. Manlii. Et Cic. *in orat. pro domo ſua, & in epiſt. ad Att.* non ſemel. Ciſtiphoros autem in eis inſculptos aliqui dixere fuiſſe, qui ſacrorum myſticorum ciſtis incluſorum arcana ferebant, vt in Cybeles myſteriis, Bacchi Orgiis, Cereris initis. Alii aiunt, iſtos fuiſſe Canephoras Palladis Atticæ miniſtras virgines, & nummum fuiſſe quatuor millium & quingentorum denariorum. Alii longe viliorem dicunt, vt Ciſtophoros homines contemptos eſſe, teſtatur Martialis, inquiens:

*—— Dum non vis lato Gellia clauo*
*Nubere, nupſiſti Gellia ciſtifero.*

Fuerunt & apud Germanos antiqui nummi, teſte Tacito *de moribus Germanorum*, nempe bigati & ſerrati. In illis bigam, his ſerram inſculptam, tradit Cælius Rhodig *libro* 10. *cap.2*. Sed quum ego nunquam ab aliquo numiſma tale obſeruatum legerim audierimve, econtra vero multos nummos in circum inſtar ferri conciſos viderim, & huiuſmodi pleriq; inueniantur, ideo hos ſerratos dixerim, quorum meminit etiam Liuius *lib.39.* vel (vt alii) 40. Ita & à forma vocatos quadratos, quorum meminit Iuſtinian. §. *fin. de exacto. tributorum, in auth.* niſi *quadrantes* potius legendum

cenſeamus eo in loco. Fuerunt & nummi Oſcenſes dicti, de quibus latius, vbi de argento Oſcenſi egimus. Fuerunt & Philippæi & Alexandræi aurei nummi, ab inſculpta in eis patris Philippi & Alexandri filii imagine. Meminit Philippæorum Liuius *lib.* 34. vbi de triumpho Quinctii, & *libro* 37. vbi de triumpho Scipionis Aſiatici. Plautus in Bacchidibus:

*Ducentos aureos Philippæos probos dabin'?*

Et in Trinummo:

*Nummorum Philippæum ad tria millia.*

Et Horatius Epiſt. 1. ſecundi libri:

*Rettulit acceptos, regale numiſma Philippos.*

Alexandræorum meminit Pollux *lib.* 9. Horum imitatione & Romæ fuiſſe aureos Valerianos & Salonianos nummos, Philippæos dictos, ex Trebellii Pollionis authoritate *in D. Claudio* 2. In quadam epiſtola Galieni filii Valeriani, & in altera Valeriani ibidem legimus ab illo ſcriptum: *Philippæos noſtri vultus annuos* 150. Addemus Antonianos & Aurelianos apud Vopiſcum *in Probo*.

Quumque hactenus de numiſmatibus externis antiquis dixerimus, reliquum eſt, vt de Romanis quoque verba faciamus, quorum omnium ſi imagines aut impreſſiones referre vellemus, opus propemodum infinitum aggrederemur. Sat itaque erit, generice vel ſaltem ſpecifice de eiſdem verba facere. In Latio antiquiores æreos nummos ſignatos ex vna parte bicipitis capitis Iani effigie, ex altera nauis puppi, refert Macrobius *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 7. Vnde Ouidius 1. *Faſt.* ſcribit:

*Multa quidem didici, ſed cur naualis in are,*
*Altera ſignata eſt, altera forma biceps?*

Et deinde ſubdit;

*At bona poſteritas puppim formauit in are,*
*Hoſpitis aduentum teſtificata Dei;*

Nam fabulata eſt antiquitas, à Iano Saturnum claſſe prouectum, in Latio hoſpitio receptum. Et Gellius *lib.* 20. ſcribit ita: *Vrgente bello Vnciales cum nota Iani bifrontis, & roſtro nauis, & alij effigie pecudum (vnde pecunia dicta) ſignati fuerunt;* cuius

notæ

notæ,& ponderis antiquiſſimos vidi,& appendi. Poſt hęc ſignatum æs à Seruio Tullo Rege, pecudum nota, *ex Plinio lib. 35. c. 3.* Deinde Romani vſi ſunt argenteis nummis bigatis, quadrigatis & victoriatis dictis, in quibus bigæ, quadrigæ & victoriæ inſculptæ erant, altera in parte & è regione caput Romæ armatum. Quorum numerus ingens ad noſtra vſque tempora peruenit, quos denarium fuiſſe, fere omnes de re hac ſcribentes aſſerunt, & Conſulares appellantur, eo quod in parte, in qua bigæ, quadrigæ, vel victoriæ ſignatæ, nomina quoque Conſulum, ſub quorum imperio cuſi fuerunt, ſignabantur, ſicuti altera in parte Roma literis inſculpta erat, quæ literæ capita illa non fuiſſe Conſulum, quod falſo opinatus eſt Blondus in ſua Roma triumphante, clare demonſtrant. Bigatorum meminit præter Tacitum Liu. *lib. 33.* vbi C. Corneliũ in triumpho de Inſubribus & Cœnomanis tranſuexiſſe ait argenti bigati ſeptuaginta nouem millia, & *lib. 23.* vbi Marcellũ L. Bancio Holano, qui in Cãnenſi pugna ſtrenue ſe geſſerat, per Quæſtorẽ numerari bigatos quingentos ſcribit. De quadrigatis *lib 32.* vbi de deditis Anniball poſt pugnam Cannenſem redimendis ciuibus Romanis, trecentis quadrigatis, ſociis ducentis, ſeruis centenis; & paulo infra, vbi Venuſinos eiſdem Equitibus vigintiquinque quadrigatos, peditibus decem perſoluiſſe tradit. De Victoriatis idẽ Liuius *lib.* 41. vbi de triumpho C. Claudii Pulchri, in quo tuliſſe inter cætera Victoriatum 85. millia tradit. Et Cic. *in orat pro Fonteio* meminit, non modo victoriarum, ſed & cum illis Vmbinos nominat, quorum interpretationem nullibi hactenus legi. Ego crediderim fuiſſe, in quibus vmbo impreſſus erat; Nam apud me eſt nummus argenteus, in cuius altera parte vmbo, quem ſcuti ſpeciem eſſe norunt omnes, ponderis denarii, cuiuſmodi vmbinos fuiſſe coniicio. Et in Auguſti numiſmate ſcutum obſeruamus in aduerſa parte. Quum vero Reipublicę Imperatores pręeſſent, nummi cum eorum effigie, tum aurei, tum argentei cuſi fuere. Vnde legimus apud Pli. *lib. 6. c. 22.* loquentẽ de Rege Taprobanæ: *Poſtea enarrauit, Romanos & Caſarẽ mirũ in modũ inauditis iuſtitia ille ſuſpexit, quod pares pondere denarii eſſent in captiua pecu-*

*nia quum diuerſæ imagines indicarent à pluribus factos.* Hinc pulchre Iuuenal. Sat. 14.

*Quum ſit cauſa mali tanti, & diſcriminis huius*
*Concitum argentum in titulos, facieſque minutas.*

Trebellius Pollio in Galienis: *Manum ſibi oſculantibus quaternos aureos ſui nominis dedit.* Idem Treb. Poll. in victoria 30. Tyrann. *Cuſi ſunt eius nummi aurei & argentei quorum hodieq; forma extat apud Treuiros.* C. Vopiſcus in D. Aureliano: *Ipſe autem ad ſumptus aureos Antonianos diurnos binos, argenteos Philipæos minutos quinquagenos. æris denarios centũ, reliqua per Præfectos ærarii præbebuntur. Et iterũ dabis ad editionẽ Circenſiũ aureos Antonianos trecentos, argẽteos Philipæos minutulos tria millia in ære H S. quinquagies.* Idem *in Probo* inter munera data illi à Valeriano recenſet aureos Antonianos centũ, argẽteos Valerianos mille, æreos Philipços decẽ millia. Idem in Saturnino: *Ipſi dabis aureos Philipæos centũ, argenteos Antonianos mille, æris H S decies.* Am. Marcel. de Procopio lib. 26. *Aureos ſc. nummos effigiatos in vultũ noui Principis, &c.* In his, præſertim parte diuerſa, cuſus imagines innumerarũ rerum obſeruamus; Deitates, quas gẽtilitas illa in infinitũ fere colebat, vti Pietatẽ, Iuſtitiam, Concordiã, Salutẽ, Æquitatem, Conſtantiã, Felicitatem publicã, Auguſtã, ſecularẽ temporis, Fidei ſimulachrũ, Fortunę, Honoris, Virtutis, Libertatis, Deæ monetæ, Pacis, Prudẽtiæ, Securitatis, Spei, Annonæ, Cereris, Mercurii, Iunonis ſoſpitæ, Dii Termini, Veiouis, Floræ, Saturni, Herculis, Veſtæ, Caſtoris & Pollucis, Quirinũ, Cybeles, Dei boni euentus. Ad hæc varia inſtrumẽta antiqua, Paterã, Lituum, Ancylia, Sacrificia, Tẽpla ædificata, Inſignia militaria, Ludos ſeculares, Circenſes, Ducũ & exercituũ iuramenta, Alloquutiones, militũ decurſiones, Cõgiaria; Iidem Prætorianorũ, Caſtrum Prætorium, Coronas ciuicas, obſidionales, triumphales, murales, roſtratas, currus triumphales, cũ equis, elephantis, centauris, mulabus. Prouincias varias ſubactas, ſpolia, trophæa, equeſtres ſtatuas, victorias, Romanorũ colonias, Flumina, Pyramides, Animalia diuerſa, Amphitheatra, portus, aquæductus, ſepulchra, pontes, vias, pugnas nauales, lectiſternia, tripodes, venationes, conſecrationes, mulieres cõiunctas, & alia permulta,

multa,quæ enarrare nõ modo ſuperuacaneum, ſed & nimis longum eſſet,quum iam dicta exempla,quod ad pręſens negotium pertinet,ſatis ſuperq; ſufficere arbitremur. Ex prænarratis modo facile interpretari poſſumus Suetonii dicta, namq; per omnis notæ nummos dubio procul ſuperius adnotatos omnes cõprehendi poſſe ſtatuendum, niſi forte & addiderimus, ſpectaſſe quoq; non ſolum ſigna ipſorum, ſed & pondus & valorem. quales exempli gratia fuere Aſſis,Libra,ſeu Libella,Dipondium,Semis. Triens Quadrans,Sextula,ſeu Sextans,Seſtertium, & Seſtertius, Denarius, Obolus,Siliqua,Drachma Didrachma,Tetradrachma (ita enim legendum,non *Tetracina*,apud Liuium) Stater,Siclus,Mna; Quorum frequens fit mentio apud ſcriptores, & Decargyros,de quo *in l.fi. C.Theod. Si quis pecu. conſla.* In quorũ nõnullis,vt in denario,ſtellula * vel X.& Didrachma ſeu δίδραχμον, vti in Neronis argenteo numiſmate.&in aliis ponderib.notæ huiuſmodi.... vel ▬ ▬ aut : : : : : : : Ita vt ad has notas pondus valorem reſpiciens, dixerit *nummos omnis notæ*.

Quod vero pertinet ad aliam particulam: *Etiam veteres regios*, duplicem ſenſum habere poſſe exiſtimamus, vt ſcilicet intelligẽdũm ſit de nummis tempore Regum antiquorum Romanorum cuſis, quos omnes æneos fuiſſe ſuperius docuimus, quos ad Auguſti tẽpora perueniſſe nõ ambigimus; Siquidẽ legimus, vſq; ad tempora Adriani Imp.pueros ludere ſolitos in altũ iactantes nummum, & vocantes caput, aut nauim; cuiuſmodi nummũ tempore Regũ cuſum fuiſſe ex ſuperius dictis ſatis apertũ eſt. Alius ſenſus eſt,intelligendam particulã illam de nummis regiis argẽteis, poſterioribus temporibus cuſis, ſed cum Regum effigie, quales obſeruamus vſq; ad hodierna tempora perueniſſe,vti argenteũ à M. Terentio Verrone Lucullo in ſuo Conſulatu cuſum anno ab V.C.680.cum effigie Quirini,ſeu Romuli,(vt alii) ex vna parte,ex altera Lupã lactantem binos pueros,Romulum ſcilicet,&Remum.Conſimilẽ ſignauit C.Memmius Quirinus.Aliũ vidimus cuſum à Sex.Pomp. Feſtulo in ſuo Conſulatu anno ab V.C.708. habentẽ ex vno latere eandẽ Lupam cum pueris, in oppoſito Fauſtulum Paſtorẽ, qui Romulũ &

Remum

Remum nutriuit. Inuenitur & nummus alius argenteus pariter cum effigie Numæ Pompilii, cuſus Cn. Pompeii Magni Proconſulis iuſſu deuicta Hiſpania. L. Mancinus Conſul anno ab V. C. 608. nummum alium argenteum ſignauit cum effigie Tulli Hoſtilii, tertii Romanorum Regis. In Conſulatu L. Marcii Philippi anno ab V. C. 697. & alius nummus cuſus cum imagine Anci Marcii, quarti Regis Romanorum. C. Marcius, Rutilius dictus, Cenſorinus Conſul, anno ab V. C. 401. ſignauit æreum nummũ cum effigie Numæ Pompilii & Anci Marcii. In Conſulatu M. Tullii Deculæ anno ab V. C. 672. cuſus eſt nummus cum effigie Seruii Tulli Rom. Regis. Qui omnes id fecere, vt memoriam gentilitatis ſuæ repararent, cum à Regibus illis ortum ducere profiterentur. Quare & *veteres regios* huiuſmodi etiam appellaſſe Suetonium, nos non iniuria ſuſpicari poſſumus.

Poſtremo & ipſam particulam (*Peregrinos*) dupliciter interpretari poſſe coniicimus, primum quidem, vt per *peregrinos* intellexerint, nummos proprios ſingularum ciuitatum & prouinciarum apud exteras nationes ſignatos, antequam imperio Romano ſubiicerentur, quorum multa exempla ſuperius recenſuimus. Secundario vero pro nummis apud prouincias, & ciuitates deuictas & ſubactas cuſis. Siquidem non modo Romæ, ſed & apud exteros ſignatos nummos Romanos, demonſtrant non modo numiſmatum antiquorum plurimæ inſcriptiones Græcæ & Latinæ, ſed & ſcriptorum authoritates. Cic. in Epiſt. ad Plancum: *Quum ſignaretur argentum Apolloniæ, non poſſum dicere eum præfuiſſe, neque poſſum negare eum affuiſſe, ſed non plus duobus aut tribus menſibus.* Hebræos quoque tributum pendere ſolitos Romanis, ex nummis argenteis Imperatorum Romanorum effigie ſignatis, conſtat ex Euangelio Matthæi *cap. 22.* quum tamen prius cuderent propriam monetam, vt patet *ex lib. 1. Machab. c. 15.* vbi legimus Regẽ Antiochum ſcripſiſſe Simoni Sacerdoti magno, inter cætera per Epiſtolas ita: *Permitto tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis.* Quod vero Romani tributũ nummorum argenteorum populis & regibus deuictis imponere conſueſſent, patet ex Liuio *lib. 38.* exemplo Ætolorum, &

Antiochi;

Antiochi; De iſto ita: *Argenti probi Attica talenta 12. millia data intra duodecim annos penſionibus æquis.* De illis vero ita: *Vt quingenta darent Euboica talenta, ex quibus 200. præſentia, 300. per annos ſex penſionibus æquis.* Quod vero huiuſmodi talenta eſſent argentea, oſtendit, inquiens paulo poſt: *Mutatum pro argento ſi aurum dare mallent, darent, conuenit, dum pro argenteis decem, aureus vnus valeret.* Plinius *lib. 33. c. 3.* Argentum ſemper à Romanis deuictis pro tributo impoſitum, nō aurum, non ſine ſui admiratione ſcribit, exemplo Carthaginenſium ſubactorum adducto, inquiens: *Sed præter alia miror quidem populum Romanum, victis gentibus, in argento ſemper tributum imperaſſe, non auro, ſicuti Carthagini cum Annibale victa argenti pondo annua in annos quinquaginta, nihil auri.* Dion *in vita Veſpaſiani* ita ſcriptum reliquit: *Itaque Hieroſolyma die Saturni, quem diem imprimis Iudæi colunt, ad hæc noſtra tempora conciderunt. Ab eodem Tito iuſſi ſunt quotannis Didrachmum pendere Ioui Capitolino ij, qui patrias eorum leges tuerentur.* Nec illud omittendum, Lugduni Romanos Imperatores monetæ omne genus ſignare cōſueuiſſe, ſiue quod prompta ibi ad cudendum materiæ copia foret, ſiue quod munitiſſimus locus & acceſſu difficilis ad confluentes, eo quod ibi Rhodano Arar commiſceretur, eſſe cenſebatur, quod ſcriptum reliquit Strabo *lib. 4.* Ex quibus omnib. Suet. locum ſatis abūde interpretatū cenſemus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. LXXVIII.

### *A cœna ſe in lecticulam lucubratoriam recipiebat.*

LEcticarum vſum frequentem Romanis fuiſſe, paſſim in librorum lectione obſeruamus, ſed & ex eo palam fieri poteſt, quod Romæ eſſent caſtra lecticariorum, ſicuti ſalgamariorum, victimatiorum, & tabellariorum, vt docet Cœl. Rhod. *lib. 30. c. 11.* Lecticarii enim dicebantur ſerui, qui lecticam humeris ſubeuntes geſtabant, ex l. 8. §. *fi. D. de leg. 2.* & Seneca lib. 4. Epiſt. 29. *Non turba ſeruorum lecticam tuam per itinera vrbana ac peregrina portantium.* De qua re etiam Tertullianus *in lib. ad vxorem.* Sulpitius in Epiſt. ad Cic. *Coactus ſum eadem*

*dem illa lectica, qua ipſe delatus eram, meiſque lecticariis eum* *bem referre.* Non omnibus autem licuiſſe lectica per v vehi, clare patet ex Suetonio, *in Claudio, capite* 28. ſci te, illum inter cætera beneficia Harpocræ Liberto ius ca per vrbem vehendi tribuiſſe. Et ex eodem, *in Iulio re, cap.* 4, vbi habet: *Lecticarum vſum, item conchyliata & margaritarum, niſi certis perſonis & ætatibus, perque cer ademit.* Et Euſebius Chronographus ſcribit: *Prohibit cis margaritiſque vti mulieres, quæ nec viros nec liberos haber minores eſſent annis quadraginta quinque.* Et Domitianus Suetonio *in illo, cap.* 8. Probroſis fœminis lecticæ vſum mit. Erat autem lectica lectulus ſtratus, ſeu pulvin qua ditiores portabantur ſex ſeruis, vel octo def.ren Vnde *Hexaphorum* dixere lecticã, quæ à ſex ſeruis ferel ſicuti *Octophorum* quę ab octo, vt adnotauit Beroaldus *ſare Suetonii cap* 43. Et Cicero in Verrem: *Verres lectica phoro ferebatur.* Et Liuius adnotauit *lib.* 43. tanquam he ficum, quod Mictio Princeps legationis Chalciden pedibus captus, in Senatum introlatus fuit lectica.

Lecticarum vero alias inſtructiores fuiſſe, alias min nâtas exiſtimandum, prout in varios vſus trahebantu que etiam alias maiores, alias minores. Lecticæ mi meminit Q. Curtius, in qua Alex. crure ictus geſta in militari expeditione. Ita lecticam Conſularem, i Conſules portabantur, cæteris præſtantiorem & pote rem, iure cenſendum, cuius meminit Cornelius Ta Græcis δίφρον κατάστεγον currum ſella opertum, erudit ſeruat P. Faber *ad l. ſecundam, D. de orig. iur.* Lecticas ita conſtitutas obſeruamus, vt ea clauſa vel aperta ac tum portarentur primarii viri, vel mulieres. Ita Cice Q. fratrem: *Is repente aperit lecticam.* Et in Antonium: *quos aperta lectica mima portabatur.* Et de Diuinat. *Lectica iter facere* Et in Ant. *At iſte operta lectica latus eſt per opp* Et Iuuen. Saty. 3.

*Namque facit ſomnum clauſa lectica feneſtra.*

Lecticæ vſum antiquiſſimum colligimus ex ſacris pa Iſaiæ, cap. 66. *Adducent omnes fratres veſtros de cunctis ge*

*donum Domino in equis, quadrigis, & lecticis, & mulis, & carru-ris.* Lecticulæ quoque meminit Cic. *lib. de Diuin.* & Liuius *libro* 24. ſcribit, Scipionem, cui femur tragula confixum e-rat, lecticula in aciem illatum cum Pœnis, conflixiſſe, non dubia victoria. Talem lecticam habuiſſe vel conſimil- a cellulam, Auguſtum domi, in qua ſe ſubduceret, dum lu-cubrationes ſuas ſcriberet, ex Suetonio loco iſto, exiſti-mandum. Ad quod & illud facere videtur Iuuena. Sa-tyra 7.

*Qui facis in parua ſublimia carmina cella.*

Quam ſatis magnæ capacitatis fuiſſe exiſtimandum, quum in ea non ſolum ſederet Auguſtus, ſed & ſcriberet. At cur eam lecticulam vocarit Sueton. non lecticam, vt infra, .. quiens: *Depoſita lectica inter aliquas moras condormiebat,* facit ſcrupum; præſertim quum idem author *in Tito, cap.* 10. de il-lo ſic ſcriptum reliquerit: *Quum inde lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis cælum;* Difficultatem ſic tolli facile poſſe putamus, dicentes, Suet. lecticulam comparati-ue appellaſſe ad magnam, quales diximus ſuperius vocatas *Hexaphoron & Octophoron,* quibus Prin.. viros vſos diximus, & rationi conſonum eſt. Sic lectic..am eadem de cau-ſa dixit Cic. in Epiſt. ad Marium: *Vt noſtras villas obire, & me-cum ſimul lecticula concurſare poſſis.* Ex quibus colligimus, quod quum in lecticula bini portari poſſent, in eadem facile & commode Auguſtum ſcribere potuiſſe.

Errant qui *lecticariolam* cum *lecticula* confundunt, idem diminutiuum à lectica ſignificare exiſtimantes; quod facile ex Martiali *libro* 12. conuincitur, vbi in Alaudam maritum ſcribit:

*Ancillariolum tua te vocat vxor, & ipſa*
*Lecticariola eſt, eſtis Alauda pares.*

Vbi conſtat *ancillariolum* dici, qui ancillæ officium ſubit, vel qui ſectatur ancillas, ſicuti *lecticariola* quæ ſubit lecticarii officium, vel cum lecticariis rem habet, illis ſui copiam faciens.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
### CAP. LXXX.

*Corpore traditur maculoſo, diſperſis per pectus atque aluum genitiuis notis, in modum & ordinem ad numerum ſtellarum cœleſtis Vrſæ; ſed & callis quibuſdam ex prurigine corporis, aſsiduoque & vehementi ſtrigilis vſu, plurifariam contractis, ad impetiginis formam.*

QVid per *genitiuas notas* ſit intelligendum, non explicant expoſitores, & tamen ſenſus ſi non obſcurus, prægnãs ſaltem eſt. Namq; quum dictio *genitiuus* duplicem habeat ſignificatum, in vtroq; ſimul hoc loco poſita. Genitiuũ enim dicimus, quod vim habet generandi, ſic genitiuus humor ſemen appellatur, nec non genitiuum vocamus quod connatum, congenitũ, & originale eſt. Itaq; notas genitiuas dixit Suet. hoc eſt, congenitas, & à primo ortu Auguſto impactas, quod innuũt verba illa, *in modum, & ordinem, numerumq; ſtellarum cœleſtis Vrſæ.* At & rurſus genitiuas appellauit, eo quod & alias per vniuerſum corpus propagarint, ſicq; illud totum maculoſum, impetiginoſum, ac pruriginoſum reddiderint; additis & callis ex frequenti & vehementi ſtrigilis vſu, nam quum ex impetigine, aſſiduo pruritu laboraret Auguſtus, ſtrigile partes corporis prurientes ſcalpens, præſertim in balneo, pruritus moleſtiam leuare conabatur.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
### CAP. LXXX.

*Coxendice & femore & crure ſiniſtro, non proinde valebat, vt ſæpe etiam inde claudicaret; ſed remedio arenarum atque arundinum confirmabatur.*

QVale eſſet remedium arenarum antiquis, necnon & arundinum, medicis noſtri temporis, quum in abuſum abierint, ſatis ſubobſcurum; quamobrem nos illis rem gratam facturi arbitramur, ſi præſidia huiuſmodi qualia fuerint, aperire conabimur. Præter naturã affectiones, quibus laboraſſe Auguſtum tradit Suetonius, à materia frigida & pituitoſa vt plurimũ ortas rationi conſonum & experimẽto compro-

comprobatum;Ideo pro earum curatione, quantum ad auxilia localia ſpectat, (nam vniuerſales euacuationes præmiſſis præparantibus, incidentibus, & digerentibus, per interius ante topica præſidia præceſſiſſe, non eſt dubitandum) iure adhibita à peritiſſimo Medico Muſa, quæ vim extenuandi, digerendi,&diſcutiendi pituitoſum humorem exuberantem, ac exſiccandi vires haberent, inter quæ arenam &arundinem plurimum valere communi ſententia comprobatum.Nam arenam ipſam ſeu marina,ſeu fluuiatilis ſit, tali facultate præditam,omnibus receptum eſt. Eæ enim omnes humiditates exſiccandi & abſumendi communem vim habent. Et ideo Hydropicis maxime conferre docuit Gal. *lib.9 de ſimpl.med.facul.* Et Gellius *lib.* 19. *cap.* 8. meminit hominis eruditi & Poetæ illuſtris liberati aquæ intercutis morbo, quod arenis calentibus vſus eſſet. Et Celſus *lib.4.c.* 22. ſiccum calorem arenæ calidæ dixit. Et Plinius *lib.* 21. *c.* 6. ait arenam littoris maris præſertim tenuem & ſolibus candentem, in medicina eſſe ſiccandis corporibus hydropicorum. Vnde Lucanus:

*Auxilium membris aridas infundit arenas.*

Et ab ariditate arenam dictam putarūt quidam. Hac eadem ratione Ætius & Celſus grauiſſimi medici, in curanda Leucophlegmatia, maxime extollunt arenam ipſam, qua vniuerſum ægrotantis corpus aſpergendum, imo in ea prorſus occultandum conſulunt, ad hoc vt ſucci pituitoſi habitui vniuerſo adhęrentes diſſoluantur.Cur vero huius remedii vſus omiſſus ſit, & penitus abolitus, eam rationabilem cauſam aſſignare poſſumus, quod thermalium aquarum calidarum lutum idem efficacius præſtare experimentum docuerit. Quo vero ad arundinem ſpectat, memoriæ reuocandum, in eundem vſum antiquos medicos arundinem traxiſſe. Sic Ætius illam habere vim exſiccantem. & calefacientem, & iccirco hydropicis conferre tradit *Serm.*10.*c.*32. vbi de diæta cōmuni hydropicis pertractat; Eadem fuit præclara Archigenis ſententia, apud eundem authorem *Tetrabili* 3. *Serm.* 2. *cap. vlt.* vbi inquit: *Lectus non valde mollis ſit his, qui hydrope ſubter cutem laborant. Subſternenda autem arundinum*

*dinum folia, & herba exſiccantes.* Huiuſmodi autem fa
eſſe arundinem, ſcilicet exſiccantis, & digerẽtis vſq
tium gradum, docuere Gal.*lib.7.ſimpl. med.* Dioſcori
*c.*97.quod pariter confirmarunt ex Arabibus Serapi
ſis, vbi ea cum aceto ad exſiccanda vlcera, & abſu
humores, ad ſpinam & lumbos conferre docent. H
habere vim exſiccantem & extractoriam inquit Plin
*c.*11. ob idq; mederi conuulſis, hydropi, luxatis, & ſp
loribus. Omiſſum autem temporum ſucceſſione h
ſidii genus, antiquitus celebre, cenſeo, eo quod ho
vel vt in ſui admirationem alios trahant, vel vt inde
vberius percipiant, in noua excogitanda præſidia
ſtudent, præſertim materiã ſuggerentibus Indicarũ
rum noui orbis, fruticum, & arborum, lapidum, liqu
& aliorum ad nos conuectio. Nam quæſo noſtræ ar
Indicæ quid ſimilius Indica Chyna, cuius tam freque
medicis neotericis, magno cum ægrotantium crume
pendio, vtinam ſaltem cum morborum profligation

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVST
## CAP. LXXXII.

*Hyeme quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubucula tho laneo, & femoralibus & tibialibus muniebatur.*

TOgam exteriorem fuiſſe amictum à tegendo di alibi ex Varrone docuimus, ſed quæ eſſet pingui. hoc loco aperiendum, præſertim quum diminute & admodum res hæc ab interpretibus diſcutiatur. *Ping.* loco accipi pro craſſo, nulli dubium, quo pacto Cic.*lib* *to,* Thebis craſſum Cœlum, itaq; Thebani pingues. Et Diuinat.*Pingue & concretum eſt Cœlum.* Et Columel. *lib.* pinguiter denſum dixit, id eſt, craſſum. Ita apud I.C. ping id eſt, Craſſius habetur, *l.*14. §. 1. *D. de except. rei iud.* G *παχυμερέστερον, vt l.*7.§.*ſcire, D. de pecul. l.*12.§.*Iulianus, D. re* *habe.* Item Martialis, pingues tunicas appellauit.

*Et pingues tunicas ſerra ſecare poteſt.*

Et Iuuenal. dixit: *Pingues lacernas munimenta togæ.* Huiuſ

autem fuiſſe, ſcilicet pinguiorem togam, quam *Lænam* appellauere Romã, patet: Martialis namq; de læna loquẽs ait:

*Tempore brumali non multum lænia præſunt,*
*Calfaciũnt villi pallia veſtra mei.*

Vnde manauit prouerbium: *AEſtate lænam teris.* De hac ſcribit Varro ita: *Læna quod de lana mu'ta, duarum enim togarum inſtar.* Et Feſtus de eadem inquit: *Læna veſtimenti genus habitus duplicis.* Et Seruius enarrans illud Virg. 4. Æneid.

*Tyrioq; ardebat murice Læna.*

inquit, læna genus veſtis eſt, eſt autem proprie toga duplex: Sext. Pomp. *lib.* 10. ſcribit: *Læna veſtimenti genus habitus duplicis, quidam appellatum exiſtimant Thuſce, quidam Græce chlænam dicunt.* Nonius Marcellus de propriet. Ser. *Læna veſtimentum militare, quod ſupra omnia veſtimenta ſumitur.* Hanc pinguem togam craſſam appellauit Horat. *lib.* 1. *Saty.* 3 ait enim:

*Toga quæ defendere frigus*
*Quamuis craſſa queat.*

Et Seneca *lib.* 1. *de benefi iis*, vbi de Gratiis loquitur, veſtem ſpiſſam dixit. Cui oppoſitam fuiſſe exiſtimandum veſtem raſam de qua Plinius *lib.* 8. *c.* 48. ea quoque *Chiton* à Suida appellatur, & eſſe veſtem pertenuem docet.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. LXXXIII.

*Mox nihil aliud, quam vectabatur, & deambulabat: ita vt in extremis ſpaciis ſubſultim decurreret ſeſtertio vel lodicula inuolutus.*

VNicus hic locus inter Latinos obſeruatur, in quo fit men io Seſtertii veſtimenti, ſeu indumenti, quod quale fuerit antiquis Romanis, coniectura tantum explicare licet. Ob id Beroaldus legendũ contendit *Seſticulum*; Seſticula enim, Suida auctore, veſtis erat Imperatoria; quæ tamẽ opinio nobis haud probari poteſt, ſiquidem Suet. ſententia eſt clara, adnotãtis, Auguſtũ expedita & breui veſte indutũ curſim & ſubſultim in extremis ſpaciis ſe exercere conſueuiſſe. Parum autẽ referebat, an Imperatoria veſte corpus mun i-

ret, dummodo ſuccincto breuiq; indumento & expeditiori corpus circumueſtiret, ita vt facilius curſitare poſſet. Nec minus placet, quod idem Commentator adiungit, nempe poſſe etiam legi *Xyſto*, quum ξύστον, authore Iulio Polluce, ſit nomen veſtis, quæ virorum & fœminarum communis erat. Sabellicus hunc locum enarrans exponit *Seſtertium*, ſeu *Sextertium* fuiſſe veli genus quo Auguſtus ſe inuolebat in currendo, ita dictum, quod ex triplici licio contextum eſſet. Sed nec huiuſmodi etymologia rationi vllo modo conuenit. Turnebus *Aduerſ. lib. 3, c.* 18. exponit *Seſtertium* fuiſſe veſtem duum in omni parte pedum, & ſemiſſis, quæ exercitationi corporis apta erat. Quam ſententiam ex eo deductam puto, quod ſicuti Seſtertium nummi genus antiquis erat, quod duo aſſes & ſemiſſem ſingulum valeret, id eſt, dipondium & ſemiſſum æris, ita Seſtertia ex eo dicta ſint, quod duas libras ſingula, & ſelibram argenti valerent, vt docet Budæus *lib. 1. de aſſe.* Sicuti itaque Seſtertius dictus eſt quaſi ſemis tertius, & quod in ſe continebat aſſes duos, & tertium dimidiatum, ita veſtis ſpecies hæc *Seſtertium* dicta, eo quod in omnem dimenſionem extenderetur per pedes binos, & dimidium tertii. Hæc opinio profecto probabilior cæteris iam dictis videtur; nihilominus nec nobis omnino ſatisfacit, præſertim quum Seſtertii denominatio Budæi nõ penitus placeat, vt inferius dicemus. Et præterea, quum pannoſum genus palmis magis, quam pedibus menſurari, ſicuti agros pedibus, & non palmis, ex ſcriptoribus obſeruamus. Qua de re & nos noſtram opinionem addere volumus. Et ea eſt, quod Seſtertium veſtis genus eſſet, ita breue, vt ex ſex partibus panni, quibus Penula confici ſolebat, ex binis tantum conſtaret, id eſt, ex tertia parte; Erat enim penula veſtis ſpecies, qua antiqui Romani vti ſolebant in itinere faciendo, & ad arcendam pluuiam, vti docet Lampridius in Alex. inquiens: *Alexander Imperator Penulis intra vrbem frigoris cauſa vt ſenes vterentur permiſit, quum veſtimenti genus ſemper itinerarium aut pluuiæ fuiſſet.* Et Horatius in Epiſt.

*Rhodos aut Mitylenæ pulchra facit, quod*
*Penula ſolſtitio, campeſtre, niualibus auris.*

Quo-

Quod Nonius, Varro & Spartianus in Hadriano etiam confirmant. Itaque Seſtertio vſos iter facientes loco penulæ, quo corpus inuoluerent, cum pedibus ſe exercere motu velociori vellent, coniicere licet. Quod indumenti genus binis partibus ex tribus penula minus breuiuſque eſſet, atque per conſequens magis expeditum; verum quia nimis forte cenſeri poſſet arcta & breuis veſtis, quæ ex duabus partibus ex ſex penulæ conſtaret, ob id magis rationi conſonum videbitur, ſi dixerimus Seſtertium appellatum, eo quod conſtaret ex tribus partibus ex ſex, referendo tertium ad tres partes ex ſex, & ad tertiam partem ſex. Vel etiam interpretari poſſumus (ſi adhuc ampliorem veſtē optemus) Seſtertium, id eſt, ex tribus partibus & media, ita vt Seſtertium dicamus compoſitum ex tribus & ſemis, ſicuti Seſcuntiam dicimus vnciam cum dimidia. Quæ interpretatio ſi accipienda, legendum ſemper *Seſtertium*, & non *Sextertium*; ſi enim Sexterrium legamus, priores interpretationes magis conuenient, ſiue modo hæ partes pedali menſura metiremur, ſiue, vt potius exiſtimo, palmali. Illud vero reticere haud poſſumus, Seſtertium pecuniarum non ideo dictum, quod ex binis & dimidia aſſe, ſeu libra argenti conſtaret, vt Budęus & alii eum ſecuti cenſuere, ſed potius quod conſtaret ex tribus aſſibus ſeu libris cum dimidia. Ita namq; vox ſonat *Seſtertium*, id eſt, ter & ſemis, vti *Seſcuntia*, id eſt, vncia & ſemis. Ita Cic. *in orat. pro Cacinna*, Sextulam appellauit ſextam partem vnciæ. Ita *Sextans* ſeu *Seſtans* dicitur antiquis ſcriptoribus ſexta pars aſſis, ſeu libræ, id eſt, vncię duæ. Verũ hæc cõiecturalia ſunt, & nihil certi in re hac afferri poſſe fatemur, quum ſcriptores antiquiores ieiune penitus de ea verba fecerint.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. LXXXIII.

*Animi laxãdi cauſa modo piſcabatur hamo, modo talis, aut ocellatis, nucibuſque ludebat cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles vndique conquirebat, præcipue Mauros, & Syros.*

IN huius vocabuli intellectu admodum nutantes interpretes legimus. Inter quos nonnulli *ocellatum* aliquando,

tanquam adiectiuum, nucibus adiungunt, nonnunquam pro ſubſtantiuo accipiendum exiſtimant: Vnde & varias interpretationes afferunt. Beroaldus in primis *nuces ocellatas* interpretatur, id eſt, ocellis diſſectas, vel perforatas. Addit etiam ex vetuſtiſſimo Codice legendum, non *ocellatis*, ſeu *caſtellatis*, id eſt, per aceruos caſtellatim diſpoſitas, quo genere ludi, noſtrates pueri frequenter ludere conſpiciuntur. Vnde apud Iulium Capitolinum obſeruat, quod Galienus de pomis caſtella componebat, id eſt, aceruulos faciebat, tribus ſcilicet ſuppoſitis iunctim, & altero ſuper ipſis poſito. Secundo modo accipit *ocellatis*, pro ſubſtantiuo, & dupliciter interpretatur, vno modo pro pillulis rotundis inſtar ocellorum, quibus puellæ puellariter ludentes obiectantur. Hanc interpretationem amplectitur quoque Turnebus *Aduerſ. libro 3 cap* 18. Hoc enim vocabulo vſum ait Varronem apud Nonium in Margaritam. Ita & Leuinius Torrentius in præſenti loco ob eandem Varronis authoritatem, *ocellatis*, interpretatur pro globulis, quibus nunc quoque omnibus in prouinciis puellæ ludunt. Huius ludi Ouidium meminiſſe tradit Beroaldus, ſed locum non adducit, nec quid Turnebus & Torrentius per hoc ludi genus intelligāt, ſcio; quum apud nos huiuſmodi ludi genus à puellis tractari penitus ignorem. Sabellicus pro nucibus ocellatis intelligendum arbitratur anellanas, quæ in ſummo veluti paruum oculum figuratum habent. ſeu amygdalas, quarum teſta minutiſſimis foraminibus quaſi ocellis perforata ſit. Addit quoque & aliquorum ſententiam dicentium, pro *ocellatis* intelligendum perforatas, & non bonas, ſed malas; reprobat tamen inquiens non potuiſſe allici pueros, deprehenſa fraude, ad ludendum, ſed potius alienari. Alexander ab Alexandro *libro 3 cap. 21.* hæc Tranquilli verba interpretatur, ocellatas nuces vocatos nucleos, quos in Perſicis pomis ſitos inſpicimus, quibus perſæpe pueros noſtrates ludere videmus, dictoſque ocellatos propter ocellos & foramina, quibus vndique circumfigurantur. Hancq; ſuam ſententiam cæteris præferendam tanquam exploratam, minimeque ambiguam cenſet. Nos certe eam haud improbandam exiſtimamus

mamus, quam ſi *ocellatis* accipiamus ſeu pro ſubſtantiuo, ſeu adiectiuo, coniunctim ſeu diuiſim, ſenſus eſſe poſſit, Auguſtum laxandi animi gratia cum pueris luſiſſe nucibus, & ocellatis, id eſt, nucleis perſicorum, vel nuces ocellatas etiam appellaſſe nucleos Perſicorum, ocellatas inquam, id eſt, paruis ocellis refertas. Ocellum enim diminutiuum eſſe oculi, ſatis conſtat. Ita Metaphorice Catullus Sermionem villam ſuam Inſularem *ocellum* vocauit. Ita Cic. ad Atticum ſcribens, inquit: *Cur ego tecum non ſum? cur ocellos Italiæ villulas meas non video?* & ex neotericis Poetis elegans Flaminius in Hencedaſyllabo de laudibus Mantuæ ſcribit:

*Felix Mantua ciuitatum ocelle.*

Et Io. Cotta de Calore fluuio.

*Ocelle fluminum Calor, Calor pulcher.*

Et Flaminius Alexandrum Farneſium Cardinalem, *Quiritum ocellum* vocat in ſuis Carminibus. Et idem *lib. 2. carm.* Caſertam Campaniæ vocat ocellum. Et Plautus in Trin.

*Ocelle mi fiat & iſthuc.*

Puellarum autem & puerorum oculos ocellos à ſcriptoribus, preſertim Poetis blandiendo appellari manifeſtum eſt. Catullus:

*Flendo turgiduli rubent ocelli.*
*Nec ſomnus tegeret quiete ocellos.*
*Mihi mille iam ante ocellos noua lumina radiant.*

Item:

*Quem procul ex alga mæſtis Minois ocellis.*

Et Tibullus:

*Etſi perque ſuos iurauit ocellos.*

Et Propertius.

*Compoſitos leuibus radiis patefecit ocellos.*
*Non tibi iam ſomnos, non illa relinquet ocellos.*
*Quippe vbi non liceat vacuos ſeducere ocellos.*
*Quamuis labentes premeret mihi ſomnus ocellos.*
*Quamve mihi viles iſti videantur ocelli.*
*Non tamen illa ſuos poterit componere ocellos.*
*An poteris ſuccis mea fata reponere ocellus?*

*Non adeo leuiter noſter puer hæſit ocellis?*
*Sed quum poſcentes ſomnum declinat ocellos.*
*Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos.*
*Interea noſtri quærunt ſibi vulnus ocelli.*
*Quod ſi forte ſuos vidiſſet Glaucus ocellos.*
*Illa meis tantum non vnquam deſit ocellis.*

Ioannes Brodæus *lib.*4.*Miſcel.cap.*7.legendum putat *oſſi* *oſſiculis*, vt ludus ille ſignificetur, quem Græci ὀστομαχί- ... cant, de quo Auſonius in præfatione Eidylii, quod *Cen* ſcribitur. Alii (inter quos & Beroaldus) legendum trantur *oſcillis*; namque oſcilla fuiſſe ſigilla, ſeu breues gunculas arte fictas, Græci ἀγαλμάτια dixere, quas ve preponebant, quibus homines pro ſe ſuiſque piaculu turno faciebant, vt teſtatur Macrobius *lib.*1.*Saturnal.* Quibus & vſos antiquos ruſticos in ludis ſuis ruſticanis ligitur ex Virgil.*lib.*2.*Georg.* & ex Seruio in illud:

*Oſcilla de alta ſuſpendunt mollia pinu.*

De quo ludo etiam Feſtus. Libet & noſtram ſenter ſubnectere; Per nuces ocellatas intelligendas nuces lum habentes; namque tales pueri probare in ludo rili ſolent, & improbare quæ ocellum non habent. E tem pars ocellus appellatur in nucibus, vbi interſti: teriorum nucleorum terminantur in ſummo putan ſeu cortice teſtacea, qui ocellus ſi putredine, carie, v de cauſa tollitur, nuces exinde malas, & non bonas deprehendunt; ob id prouerbio in ludendo edicere quam lege certa ſolent, nuces ea in parte ocelli perfo ſeu excauatas, à ludo arcendas, tanquam improbas, & las, eaſque dignoſcunt ſpiritu in foramine inſufflato itaque Suetonius oſtenderet quantum Auguſtus p li ludo oblectaretur, nucibus ocellatis adiectiuum iunxit, vt ſignificaret ita impenſe Auguſtum ludo i buiſſe, vt nuces etiam obſeruaret, ſeligens bonas, o ſas ſcilicet à malis & à ludo puerili relegatas, quibus ret. Nucum autem ludum antiquis pueris frequentem ſe diſcimus ex Catullo in Epithalamio Iuliæ, & Manli habet:

*Da pueris nuces iners concubine,*
*Satis diu luſiſti nucibus.*

Et Horat.lib.2.Satyr.3.

*—— Te talos Aule nucesq́;*
*Ferre ſinu laxo,donare,& ludere vidi.*

Et Perſius Satyr.1.

*Et nucibus facimus quæcunq; relictis,*
*Cum ſapimus patruos.*

Et Martialis lib.5.Epigram.25.

*Iam triſtis nucibus puer relictis*
*Clamoſo reuocatur à magiſtro.*

Et lib.14.Epigram.1.

*Lude inquit nucibus,perdere nolo nuces.*

Et iterum Epigram.18.

*Alea parua nuces,& non damnoſa videtur,*
*Sæpe tamen pueris abſtulit illa nates.*

Multos autem ludos,qui nucibus fiunt, ſigillatim declarat Ouid.*Eleg.de Nuce*, illis verſibus:

*Has puer aut certo lectas diuerberat ictu,*
*Aut pronas digito bisve ſimelve petit;*

& quæ ſequuntur. Quum itaque ita familiaris ludus nucum pueris eſſet, vt paſſim de eo ſcriptores meminerint,& non ita de aliis iam memoratis,ideo interpretationem noſtram locum hunc Suetonii probe aperire exiſtimamus, præmemoratisque omnibus magis conuenire & quadrare textui. Ocellatam fuiſſe etiam familiam Romanam antiquam, conſtat ex Suetonii *in Domitiano,cap.8.* vbi de Ocellatis ſororibus verba facit. Et *in Galba,cap.3.*Liuiæ Ocellinæ meminit. Et cap.4 *Et Ocellare nomen aſſumpſit.* De qua familia etiam Cicero *in Epiſt.Famil. ad Attic.* Interpretari etiam poſſumus hunc locum per adiectiuum *Ocellatis*,nucibus additum, ſpecialem nucum luſum adnotaſſe Suetonium; Quam enim plures eſſent luſus nucum, quibus pueri ludebant, *ex Ouid.de Nuce*, voluit Suetonius deſignare luſus genus illud, quod & hodie aceruulus dicitur, eo quod in illum inicientes pueri nucem, & ictum certiorem dirigant,

ſolent Ocellum diſtringere, & ſemiclaudere nuci appoſitum, deinde nucem iacere. De quo Ouid.

*Et condit lectas parca colona nuces.*
*Has puer aut certo lectas dilaniat ictu,*
*Aut pronus digito bisve ſemelve petit.*
*Quattuor in nucibus, non amplius alea tota eſt,*
*Cum ſibi ſuppoſitis additur vna tribus.*

Alios etiam ludos nucum proſequitur ibidem Ouidius, quos, quum ad rem præſentem minime faciant, omittam. Sed & forte ſuſpicandum, Suetonium hoc loco Auguſto amoris in pueros notam inurere voluiſſe, quum legamus apud Catullum in nuptiis Iuliæ & Manlii hæc:

*Heu diu taceat procax*
*Feſcenina locutio.*
*Heu nuces pueris neget.*
*Deſertum domini audiens*
*Concubinus amorem,*
*Da nuces pueris iners*
*Concubine, ſatiſdiu*
*Luſiſti nucibus, lubet*
*Iam ſeruire Talaſſio,*
*Concubine nuces da, &c.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. LXXXIV.

*Pronuntiabat dulci & proprio quodam oris ſono, dabatq; aſſidue Phonaſco operam, ſed nonnunquam infirmatus faucibus, Præconis voce ad populum concionatus eſt.*

SIcuti in rebus naturalibus & ſublunaribus ſucceſſiue annorum curricula, earum viciſſitudines mutationesque accidere videmus, id quoque in artificialibus venire, clare cognoſcitur. Multæ quidem artes hodiernis temporibus adinuentæ florent, quibus omnino caruere antiquiores, & aliæ, quæ apud ipſos viguere, nullo penitus nobis in vſu ſunt; inter quas *Phonaſcia*, cuius meminit Theophraſtus, penitus abolita, & illius magiſtros *Phonaſcos* dictos, haudquaquam habemus. Erant autem hi formandæ vocis magiſtri.

ſtri. φωνασκὸς enim Græcis dicitur, qui vocem exercet & regit; præceptor ſcilicet formandæ, regendæ, & moderandæ vocis. Is enim vocem intorquere, remittere, lenire & exaſperare docebat. Huius meminit Quinctil *lib.* 11. inquiens: *Sed cura non eadem Oratoribus quæ Phonaſcis.* Et in 2. *Non ſatis eſt dicere præeſſe tantum, aut ſubtiliter, aut aſpere, non magis quam Phonaſco, acutis tantum, aut medijs, aut grauibus ſonis, aut horum etiam particulis excellere.* Sidonius in Hendecaſyllabo ait: *Pſalmorum hic modulator & Phonaſcus.* Idem author *in* 1. *Epiſt.* laudat Theodoricum Regem Gothorum, quod in eius cœna, non ſub Phonaſco vocalium concentus meditatum acroma ſimul intonat. Quibus in locis improprie vſum Phonaſci voce pro muſices magiſtro, ſeu præfecto (magiſtrum capellæ vulgo dicunt) Sidonium, clare patet. Scribit *in Lexico Rhetorico*, Ælius Dionyſius, à Phonaſcis vocem quandam dici ἀνθηράζουσαν, id eſt, amœnam. Et Suetonius non in hoc loco tantum, ſed & in Nerone quoque, *cap.* 25. Phonaſci meminit, inquiens: *Ac poſthac tantum abfuit à remittendo laxandoq; ſtudio, vt conſeruandæ vocis gratia, neq; milites vnquam niſi abſens, aut alio verba pronuntiante, appellaret, neque quicquam ſerio iocove egerit, niſi aſtante Phonaſco, qui moneret, parceret arterijs, ac ſudarium ad hos applicaret.* Illud obiter hoc loco Principibus viris inſinuandum, nimium muſices perdiſcendæ affectantes ſtudium ipſis indecorum eſſe, teſtimonio ſapientiſſimi viri Philippi, qui quum accepiſſet filium ſuauius quodam loco cecin iſſe, vrbane eum obiurgaſſe, traditur, inquiens: *Non te pudet, quod tam bene canere ſcias? ſatis enim ſuperq; eſt principi viro, canentibus alijs, audiendi ſupereſſe otium.* Quantum vero ex nimio muſices ſtudio criminis Neroni acceſſerit, maximeque ob id improbatus fuerit, nemo eſt qui ignoret. Secus vero principi viro ſtudendum eſt, vt grauiter, concinne loquatur, & compoſite, præmeditata oratione, exemplo Auguſti hoc loco, ex Suetonio colligi facile poteſt. Vnde & iure optimo Tacitus inquit: *Auguſti prompta & profluens, quæ deceret Principem, eloquentia fuit.*

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. Cap. LXXXV.

*Item hortationes ad Philoſophiam, & aliqua de vita ſua, quam XIII. libris Cantabrico tenus bello, nec vltra expoſuit.*

VAria ſunt vitæ ſignificata apud ſcriptores; aliquando enim accipitur pro anima ipſa corpus viuificante, quam D. Ambroſius *in lib. de bono mortis*, ſpiraminis fruitionem appellat, mortique opponi ait, de qua Virg. 6. Æneid.

*Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit.*

Modo accipitur pro moribus hominis. Terentius in Adelphis:

*Inſpicere tamquam in ſpeculum vitas hominum iubeo.*

Modo alimentum ſeu victum. Idem Terentius:

*Eadem quippe homo iam grandior, cui opera vita erat.*

Aliquando etiam pro ſubſtantia à Iuriſtis accipitur, vt *in Nouell. de referendar.* poſt medium. Poſtremo *vita* accipitur pro actionibus in humanæ vitæ tractu paratis. Ita Cicero *in lib. de Offic.* inquiens: *Parare res, quibus actio vitæ continetur.* Et lib. 2. ad Her. *Deinde vita hominis ex anteactis ſpectabitur.* Et ita *lib. de Orat.* dixit: *Hiſtoria vitæ memoriæ.* Qua in ſignificatione hoc loco vitam accipiendam, non dubitamus; vt ſcilicet Auguſtus libris triginta geſtorum ſuorum in vita hiſtoriam complexus fuerit, quod opus eum antea meditaſſe coniicere poſſumus ex dictis eiuſdem Suetonii ſupra *cap.* 78. vbi habet, quod Auguſtus ſe in lecticam lucubratoriam recipiebat, & ibi, donec reſidua diurni actus omnia aut maxima parte conficeret, ad multam noctem permanebat. Romanis autem Imperatoribus mos hic familiaris fuit; Nam & Cæſarem per commentaria ſua, præcipua acta ſua in bello Gallico comprehendiſſe ſcimus. Hunc ſequutum Auguſtum, hoc loco docet Sueton. & poſt illum Tiberium, ex eodem Sueton. *in eiuſdem vita cap.* 61. ſcribente: *Et in commentario, quem de vita ſua ſummatim breuiterq́; compoſuit, auſus eſt ſcribere, Seianum ſe puniſſe, quod comperiſſet furere aduerſus Germanici liberos ſilij ſui.* Hos Domitianum, idem author

ſcribit

ſcribit *in illo,cap.*20.lectitaſſe ſæpe; ait namque: *Præter commentarios & acta Tiberij Cæſaris nihil lectitabat.* Claudius Imperator & ipſe ſuiipſius vitam deſcripſit, teſtimonio Suetonij eiuſdem *in eodem, cap.*41. ait namque: *Compoſuit & de vita ſua octo volumina,magis inepte,quam ineleganter.* Idem Hadrianus,M.Aurelius.& Septimius Seuerus fecere, *ex Spartiano & Lampridio.* Nam de Hadriano Spartianus ita ſcribit: *Famæ celebris Hadrianus tam cupidus fuit,vt libros vitæ ſuæ ſcriptos à ſe libertis ſuis literatis dederit, iubens, vt eos ſuis nominibus publicarent.* Cicero *lib de clar.Orat.* meminit librorum, quos Scaurus de vita ipſius acta ſcripſit; ſed quoad Auguſti libros, quos ipſe de propria vita ſcripſit, notandum, mendum in textu eſſe, & vbi legitur, fuiſſe numero triginta, reponendum *tredecim.* Nam Suidas in dictione Αὔγουστος, XIII. ſolum enumerat. Horum librorum meminit & Vlpianus *in l.*1.*de cadauer. punitorum,*his verbis: *Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis eorum neganda non ſunt.* Et id ſe obſeruaſſe,D.Auguſtus *lib.*10.de vita ſua ſcribit. Macer quoque I.C. *l.*12.*de re milit.* libros Auguſti *de diſciplina milit.*citat; vnde inter illa multa, quæ ab ipſo proſa oratione ſcripta, per initia capitis tradit Sueton. & hunc librum fuiſſe credendum, præſertim cum id etiam teſtatum reliquerit Vegetius *lib.*1.*de re milit. cap,*8. Idem quoque dicendum de libris Epiſtolarum, quorum etſi non meminerit Suetonius, extaſſe tamen eos,non dubitandum, teſtimonio Gellii *lib.*15.*c.*7.*& lib.*10.*c.*24. Quintil.*lib.*1.*cap.*10. Macrobii *lib.*2.*cap.*4.

## C. SVET TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. LXXXV.

*Quærentibusq; amicis, quidnam Aiax ageret? reſpondit, Aiacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.*

MAcrobius *lib.*2.*cap.*4. refert eadem, quæ & hic tradit Suetonius, ſcilicet Auguſtum ſcripſiſſe Aiacem tragœdiam, quam, quum ſibi diſplicuiſſet, obliterauit,ad delendam

lendam enim ſcripturam antiqui ſpongia vtebantur. Vnde Martialis dixit, de ſpongia verba faciens:

*Vtilis hæc quoties ſcripta nouare voles.*

Et idem Suet. in Caligula, c. 20. *Eos autem qui maxime diſpli-cuiſſent ſcripta ſua ſpongia linguave delere iuſſos.* Apud antiquos ſpongiæ quoque in deliciarum inſtrumentis habitæ, ſtrigilum vice & linteorum ad mundanda & exſiccanda corpora illis vtentes, ob idque illas purpura tingebant, & candidæ reddebantur ſalis ſpuma, unctæ ad lunam & pruinas inuerſæ expoſitæ vt docet Plinius *lib. 31. c. 9. & vlt.* Et ad tergendas quoque, & alias immunditias obtergendas vſui erant. Vnde Martialis lib 14.

*Nec tibi forte datur tergendis ſpongia menſis.*

Et Seneca lib. 10. Epiſtol. *Vnus è germanis lignum illud, quod ad emundanda obſcœna, adhærente ſpongia, totum in gulam fixit.* Hinc verbum *ſpongiare*, pro ſpongia extergere, quo frequenter Apicius vtitur. Et fortè *ſpongiatores* dicti, qui ſpongiis emundabant propoſita; Quamuis Cæl. Rhod. *lib. 8. c. 11.* & Budæus *in annot ad Pand. ex l. 2. ad l. Rhod. de iactu.* §. 1. ſpongiatores interpretentur ſpongiarum piſcatores, quos rectius cum Plutarcho *ſpongotheras* appellarim. Et Homerus Odyſſ. 1. ſic cecinit: Οἱ δ᾽ αὖτε σπόγγοισι πολυτρήτοισι τραπέζας Νίζον. Et apud Vlpianum in l. quæſitum, § canales, D. de fundo inſtructo: *Item ſpongiæ*, inquit, *quibus columnæ, menſæ, pauimenta, podia exterguntur.* Illud & obiter addamus, multibibos ſeu bibulos a Demoſthene σπογγίας dictos. & Veſpaſianus Imperator Procuratoribus, quos ad exigenda vectigalia rapaciſſimos promouebat, vt locupletiores factos mox condemnaret, pro ſpongiis dicebatur vti, quod quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes, quod tradit Sueton. *in illo, cap 16.* Aliam quoque poſſumus huius loci interpretationem afferre, quod Auguſtus dixerit; Aiacem ſuum tragœdiam in ſpongiam incumbere, id eſt, ad eam vſque partem illam perfeciſſe, in qua Aiax ſibimet mortem conſciuit, ſiquidem gladiatoribus morem fuiſſe geſtandi ſpongias ad ſiccandum vulnerum ſanguinem, ex Tertulliano docet Turnebus *Aduerſ. lib. 18. c. 43.* Verba Tertulliani

Digitized by Google

Tulliani hæc ſunt: *Poterit de miſericordia moueri defixus in morſus vrſorum, & ſpongias Rudiariorum.* Nec illud reticendum, Rudiarios, & qui iam pugnandi neceſſitate ferro non tenebantur, ſolitos munire ſe ſpongiis, cum rude batuebant, vt baculorum ſeu rudis percuſſionibus & ictibus minus offenderentur, & ex Liuio ſcribente *lib.* 9. Samnites inter cætera munimenta corporis ſpongiam pectori tegumentum habuiſſe. Secundum itaque hunc vſum ſpongiæ in bello interpretari poſſumus hunc locum, ſcilicet tragœdiam Augusto incumbere in ſpongiam, id eſt, per ſimilitudinem ſpongia munitam & paratam ad recipiendos maledicorum & reprehenſorum ictus, ſicuti Rudiarii muniebantur ſpongiis ad ſuſtinendos minori cum offenſa aduerſarii ictus batuentis rude. Prior tamen expoſitio potior videtur, & magis placet.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. LXXXVI.

*Cacozelos & antiquarios, vt diuerſo genere vitioſos, pari faſtidio ſpreuit.*

Cacozelos vox Græca eſt, à Latinis vſurpata, & compoſita ex κακὸς, id eſt, malum, & ζῆλος, id eſt, ſtudium, æmulatio, & ita cacozeli dicuntur, qui cacozeliam ſectantur. Eſt autem cacozelia ex Diomede, oratio indecora ob nimiam affectationem, dum ſcriptor orationem ornare cupiens, nimio tumore & cultu eam dedecorat. Veluti ſi quis male affectans Atticiſmum, ieiunus euadat & aridus, & ſi quis copiam, in futilem incidat loquacitatem. Huius vitii in oratione, quod κακόζηλον vocant, meminit Quintil. *lib.* 8. *cap.* 3. inquiens: *Cacozelon, id eſt, mala affectio, per omne dicendi genus peccat; nam & tumida & exilia, & prædulcia, & abundantia, & exercita, & exultantia, ſub idem nomen cadunt, quod ſpecie boni fallit, omnium in eloquentia vitiorum peſſimum.* Hoc vitio peccantem Mœcenatem exagitabat Auguſtus, quem cacozelon fuiſſe, conſtat ex Seneca, *libro* 20. *Epiſt.* nam *epiſt.* 115. de illo loquens ait: *Non oratio eque ſoluta eſt, quam ipſe diſcinctus: non tam inſignita eius verba ſunt, quam cultus, quam comita-*

*comitatus,quam vxor.* Et mox: *Videbis eloquentiam*
*inuolutam & errãtem,& licentiæ plenam.* Et de ead
Seneca verba facit *Epiſt.19.& 33.* inquiens, etian
tem fuiſſe magni ingenii virum,ſi illi oratio nol
Verba Mœcenatis hæc ſunt, ex quibus dignoſ
teſt,Cacozeliæ vitio eum laboraſſe: *Quid pulchr*
*uisq; ripa comantibus? Quid ſi quis fœminæ cirrhos criſ*
*columbatur? exigunt genium Feſto vix ſuo teſte, tent*
*& crepacem mola focum. Mater aut vxor inueſtiunt.*
tionem & dicendi modum eneruatum, quis ne
ſtructum & affectatum nimis, non dignoſcit
crobium *lib.2. cap.4.* extat pars epiſtolæ Auguſ
natem, quæ ad hanc rem facit. Itaque iure quo
bat Auguſtus Mœcenatem, qui affectate dixera
ca *Myrobrichis*, id eſt, capillis vnguento delinitis.
Græci vnguentum vocant, & verbum βρέχω irr
ſuo ſignificat. Conſimili voce vſus eſt Plaut
laria, nominans *Myrobricharios*, id eſt, confecto
torum ad capillos irrorandos, quamuis Beroa
*ptarios* legendum cenſeat, id eſt, murrhei colo

(Antiquarios) Huius vocis varias interpret
gnari obſeruamus. Apud Iuriſconſultos enin
erant,qui bibliothecæ codices componebant,
ſtate reparabant, vt docet Imperialis Conſti
*prin.C.Theod.de ſtud.lib.vrb.Rom.lib.14.* quo etian
piuntur *in l.hac parte decima, C.de proximis ſac.ſcri*
rios quoque appellari ait Sabellicus, veterun
& hiſtoriarum peritos ac ſtudioſos. Et vulgo A
cuntur, qui veterum numiſmatum & ſtatua
dum inſcriptionum dignotioni ſtudent & c
Cælius Rhod.*lib.13.cap.31.* Antiquarios recte d
memoria ſunt Principibus, ad manum, ac in n
bentes,quicquid antiquis geſtum temporibu
mo, Antiquarii Latinis dicti, qui vtuntur verb
vſu remotis, antiquitatem male olentes, exol
letas dicunt. In quem ſenſum Iuuenalis Sat.6.

*Ignotosq; mihi tenet Antiquaria verſus.*

Hoc vitium autem eſſe in Orat. conſtat. Nam, vt inquit Gell. *Verbis vti aut nimis obſoletis, exultiſq́;, aut inſolentibus, nouitatiſq́; dura & illepidæ, par Cacozeliæ delictũ videtur.* Quod vitium etiam Gellius adſcribit Nigidio *lib.* 19 *cap. poſtremo.* Et Corn. Tacitus *in Dialogo de Oratoribus* ait: *Nec quemquam adeo Antiquarium puto, vt Cæliũ ex ea parte laudem, qua antiquus eſt.* Cic. *in Epiſt. ad Att.* illudit librum Serapionis, ex quo vix ex antiquitate milleſimam partem intelligeret. Et *lib. de Orat.* non laudat eos, qui id faciunt, quo magis antiquitatem eorum ſermo retinere videatur. Et *ad Herenn.* non omnia antiquitati concedenda eſſe ait. Et *lib. de Diuinat.* tradit, quod errabat in multis rebus antiquitas, quam, vel vſu iam, vel doctrina, vel vetuſtate immutatam videmus. Et *in orat. in Verr.* nimis antiqua *obſoleta* vocat. Nec minus Quintilianus damnat præceptorem quendam, qui diſcipulos ſuos iubebat obſcurare, quæ dicerent, verbo Græco vtens σκότισον, id eſt, obtenebra, obſcura. Et Heraclitus Philoſophus improbatus, qui ſtyli obſcuritate ſenſus inuolueret. Vnde Ciceró *lib. de Nat. Deorum*, ſcribit: *Heraclitus quid diceret, intelligi noluit.* Et rurſus: *Nec conſulto dicis occulte, vt Heraclitus.* Et *lib. de Finib.* σκοτεινὸν appellat eundem Philoſophum, cuius meminit etiam *lib.* 4. *Academ. Quæſt.* quaſi dicas tenebroſum. De induſtria enim adeo obſcurabat ſtylum, vt eius volumina Philoſophi non niſi ſudantes intelligerent. Ita & Auguſtus vt inſanum increpabat Ant. quaſi ea ſcribentem, quæ mirentur potius homines, quam intelligant, vtens verbis obſcuris Catonis, quem imitatum Saluſtium grauate inceſſit:

*Et verba antiqui multum furate Catonis,*
*Criſpe Iugurtinæ conditor hiſtoriæ.*

Et Leneus Pompeius Magni Pompeii libertus Saluſtium ob id *popinionem* appellauit, ſcriptiſque monſtruoſum, Catoniſque verborum ineruditiſſimum furem, vt ſcriptum reliquit Quintilianus *lib.* 8. *cap.* 3. De huiuſmodi antiquis & obſcuris Catonis verbis luculentos ſcripſit libros Verrius Flaccus, teſte Gellio, quorum verborum vſum eundem damnaſſe exiſtimandum, quum Auguſtus illum præceptorem nepotibus ſuis elegerit, teſte Sueton. *de clar. Grammat.*

Quod vtique haud feciſſe Auguſtum exiſtimandum, antiquas voces & obſoletas abominantem, ſi Verrius oſor verborum antiquorum eis vſus fuiſſet, Catonisque imitator fuiſſet in legendo & ſcribendo obſcure. Horatius *lib.* 1. *Satyr.* 10. ob id iure ſcripſit:

*— Vt currat ſententia, neu ſe*
*Impediat verbis laſſas onerantibus aures.*

Phauorinus adoleſcentem nimis vetuſte loquentem & priſce, reprehendit apud Gellium *lib.* 1. *c.* 10.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
### CAP. LXXXVII.

***Et quum hortatur, ferenda eſſe præſentia qualiacunque ſint, contenti ſimus hoc Catone.***

BEroaldus hunc locum ex Macrobio, *lib.* 2. *Saturnal. cap.* 4. interpretatur verba authoris, ita deſcribens: *Venit Auguſtus forte in domum, in qua Cato habitauerat, dein Strabo in adulationem Cæſaris male exiſtimantis de Catonis peruicacia ait: Quiſquis præſentem ſtatum ciuitatis commutari non volet, ciuis & vir bonus eſt.* Satis & ſerio Catonem laudauit, & ſibi, ne quis affectaret res nouas, conſuluit. Quum itaque Cato præſentis ciuitatis ſtatu contentus foret, nec eum commutari vellet, vtpote homo conſtantiſſimus, merito dixit Auguſtus: *Contenti ſimus hoc Catone*, hoc eſt, præſenti ſtatu, qualiſcunque ſit. Turnebus *Aduerſ. lib.* 24. *cap.* 15. ſcribit: *Catone ſimus hoc contenti*, valet, ac ſi dicas, feramus hæc æquo animo, nec nobis mortem conſciſcamus, ſatis ſit hoc vnum feciſſe Catonem. Ego vero neutram interpretationem probare poſſum; ſiquidem quoad priorem ſpectat, haud veriſimile eſt, Auguſtum voluiſſe dictum hoc ab honore, quem Catoni detulit, deducere, quum Cato contrariarum partium fuerit, & libertati publicæ deditiſſimus, & Cæſari illam occupanti aduerſiſſimus, & per conſequens, Auguſti dominationem, ſi vixiſſet, oppugnaturus. Poſterior Turnebi interpretatio minus etiam placet, quum non ſolum Cato, ſed multi alii bellis ciuilibus ſibiipſis manum conſciuerint.

Quam-

Quamobrem nos cogitabamus, dictum Auguſti non ad Catonem Vticenſem referendum, ſed ad Cenſorinum. Duo enim fuere Catones celeberrimi, ambo Tuſculo Italiæ oppido oriundi, ſenior videlicet, qui & Cenſorinus dictus, alter Vticenſis appellatus, eo quod ſeipſum Vticæ interfecerit, ne in Cæſaris manus viuus veniret. Cenſorinus Cato aduerſus corruptos Reipublicæ mores ſemper ſtrenue ſe geſſit, vnde de illo Seneca ad Lucillum ita ſcripſit: *M. Cato Cenſorinus, quem tam neceſſarium Reipub. fuit naſci, quam Scipionem: Alter enim cum hoſtibus noſtris bellum, alter cum moribus geſſit.* Itaque Auguſti dictum, vel ipſi, vel aliis accommodari poteſt, ſi ipſi ſenſus erit, Contenti ſimus præſenti Catone, id eſt, patiēter ferendū à ſe quemcunq; qui inſtar Catonis illius dominio vbique leges præſcriptas inceſſeret & improbaret. Si vero ad alios idem dictum referamus, ſenſus erit, quod ſicuti Catonis cenſuram populus Romanus; vtpote rectam & Reipublicæ proficuam ſemper pacifice recepit, quamuis multa mutaret & tolleret conſueta, ita & Auguſti dominationem quamuis inſolitam, tamen vrbi & populo Romano congruam, & decentem ferendam eſſe, eumque contentum eſſe debere hoc Catone, id eſt, morum correctore, & vrbis moderatore, iuxta quod apud Tacitum *lib. 4. Hiſt.* Marcellus inquit, ſe meminiſſe temporum, quibus natus ſit, quam ciuitatis formam patres auiq; instituerint, vlteriora mirari, præſentia ſequi bonos Imperatores; voto expetere, qualeſcunque tolerare. Quod ſi ad Catonem Vticenſem dictum etiam iſtud referendum quis contenderit, hunc illi intellectum dandum exiſtimamus, quod Auguſtus hortatus præſentia ferenda eſſe, qualiacunq; eſſent, diceret: *Contenti ſimus hoc Catone*, id eſt, patienter feramus & cōſtanter, ſicuti Cato faciebat. Eum omnium namque conſtantiſſimum fuiſſe, ſatis colligitur ex Plutarcho in illius vita, & Cic. ad Attic. ſcribente *lib. 1. Epiſt.* 14. vbi illi præ cæteris tribuit conſtantiam & integritatem. Venit in mentem, an forte pro Catone legendum eſſet *Catonio*. Namque Catonium, teſtimonio Cælii Rhod. *lib. 10. cap. 18. & 12. c. 27.* pro quopiā exitioſo, & pro inferno apud antiquiores ſcri-

ptores accipi animaduertimus, & quum Auguſtus hortaretur, præſentia qualiacunque ferenda, de aduerſis profecto intelligendum, & voluntati noſtræ haud reſpondentibus, quæ tanquam moleſta conſtanter toleranda eſſe ſuadebat, inquiens, *Contenti ſimus hoc Catonio*, id eſt, hac moleſtia, & vt vulgo dicitur, hoc inferno. Huiuſmodi enim vocibus conſimilibus & aliquando vſum Auguſtum, paulo poſt refert Sueton. vbi *baceolum, pulleiaceum, & vaceroſum*, & alia, quamuis apud Gell. *lib. 16. c. 7.* textus *Catomium* habeat, non Catonium, vti Rhod. loco enim citato adducit carmen Saberii in mimis ſtaminariis huiuſmodi:

*Tollet bona vos Orcus nudas in Catomium.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. CAP. LXXXIX.

*Admonebatq; Prætores, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus obſoleſieri.*

COmmiſſiones verbale eſſe, à *committo* deriuatum, plane conſtat. Quamobrem ſi huius vocis genuinum ſenſum hoc loco habere volumus, etiam verbi, à quo deriuatum diximus, varia ſignificata percurrenda. Primum itaque *committo* ſignificat alterius fidei tradere, vt Terent. in And.

*Bona noſtra hæc tibi committo, & tua mando fidei.*

Et rurſus:

*Ne ſatis digna, cui committas primo partu mulierem.*

Cic. ad Q. Fratr. *Vt eos, quos ſua fidei poteſtatiq; S.P.Q.R. commiſit, & credidit, diligas.* Quandoque pro *peccare*. Cicero in Verr. *Ego etiam, quæ tu ſine Verre commiſiſti, Verri crimini daturus ſum?* Et Virg. 1. Æneid.

*Quid meus Aeneas in te committere tantum*
*Quid Troes potuere?*

Et Cic. pro Syll. *Committere magnum ſcelus.* Et lib. de Leg. *Sacrum commiſſum, quod expiari non poterit, impium commiſſum eſto.* In quo ſignificatu vtplurimum obſeruamus in ſacris literis.

Nonnunquam ſignificat incidere in pœnam, vt vulgo dicitur, *cadere in pœna.* Ita Cic. *Pœnam octupli commiſſam perſequi in*

*qui in Verr.* & pro Cl. *Nihilominus enim poteſt, vt illam multam non commiſerit, accepiſſe tamen ob rem iudicandam.*

Aliquando ſignificat *facere*. Saluſtius: *Sempronia quæ multa ſæpe virilis audaciæ commiſerat.* Cic. in Epiſt. *Committam vt tibi inſanire videar.* Et rurſus: *Non committam poſthac, vt me accuſare de epiſtolarum negligentia poſſis*, & alibi millies.

Aliquando *coniungere*, vti apud Virgil.

*Delphinum caudas vtero commiſſa luporum.*

Gell. *Gordium nomen eſt vrbis, quam Sangarius fluuius interfluit, magna ex parte cingitur fluctibus, ſpeciem inſulæ præbet, & niſi tenue diſcrimen obijceret, maria quæ nunc diuidit, committeret.* Et Catullus in Epithalamio:

*Quare nunc animos ſaltem committite veſtros.*

Quandoque *incipere*. Cic. in Catil. *Tum interuentu pontini pugna, quæ erat commiſſa, ſedatur.* Et Virg. lib. 5. Æneid.

*Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.*

Et Sal. *Mox prælium commiſere.* Quamuis etiam committere pugnam, pro pugnare obſeruemus. Cic. in Epiſt. *Eo die, quo Panſa prælium commiſit, eodem à Gadibus naues profectæ ſunt.* Et pro Mur. *Pugna quæ cum Rege commiſſa eſt, & ſumma contentione pugnata.* Et Vlpian. in l. 1. §. quum aries, D. ſi quadrupes paup. feciſſ. dic. *Quum arietem vel bouem commiſiſſent, & alter alterum occidit.* Et in ſacris paginis, 3. *Regum cap.* 22. legimus: *Commiſſum eſt ergo prælium in die illa.* Ex quibus facile patere puto, Budæum doctiſſimum *in ſuis annotat. in Pandectas, ex l. qua ratione, ad legem Aquiliam*, non recte apud Liuium, *bellum commiſſum*, interpretatum, *bellum apertum*, & quaſi re ipſa indictum, quum potius interpretandum, *bellum inceptum*, vel *factum*, vel *mandatum*; nam & *committo* aliquando ſignificat, aliquid faciendum iniungere. Ita Cic. de Orat. *Ego tibi vllam cauſam maiorem committendam putem.* Et pro domo: *Cn. Pompeio plurima bella extra ordinem ſunt commiſſa.* Et in Epiſt. *Neq; te impedio, quo minus ſuſceptum negotium pro tua fide & diligentia ex voluntate Cæſaris, qui tibi rem magnam difficilemq; commiſit, gerere poſſis.*

Committo poſtremo ſignificat, ad contentionem & concertationem exhibere & comparare. Ita Suet. in Clau-

dio, cap.41. *Circenſes etiam frequenter in Vaticano commiſit.* Idem in Caligula cap.... *Non ceſſauit criminari alterum alteri, atq; inter ſe omnes committere*, id eſt, ad digladiandum inuicem,& contentionem deducere. Et ſupra idem Suetonius cap.45.*Quos etiam cum Græcis committere ſolebat.* Sic committi gladiatorum paria in ſpectaculis dicebantur. Et eleganter Vegetius *lib.2.cap.7.* tubicines cornicinesque & buccinatores committere prælium dixit, id eſt, accendere ad pugnam. Et *in Eccleſiaſtico, cap.18.* obſeruamus commiſſionem pro contentione. Ita enim legitur in calce capitis: *Ne oblecteris in turbis, nec immodicis; aſſidua enim eſt commiſſio illorum, nec fueris mediocris in contentione.* Vnde & commiſſiones dictæ illorum exhibitiones, quod & translatum ad mimos, oratores, & poetas, qui in publicis ludis inter ſe altercabantur. Vnde & illud Satyricum:

*Committit vates, & comparat inde Maronem.*

Harum commiſſionum meminere Plinius *lib.7. Epiſt.* & Macrobius *lib.2. cap.7.* & Cic.ad Attic. *Tecum ago, vt iam ab ipſa commiſſione ad me quemadmodum ij ludi accipiantur.* Et rurſus: *Commiſſione Græcorum frequentiam non fuiſſe.* Quum itaque Prætores præeſſent ludis, admonuit eos Auguſtus, ne permitterent in Scenicis vel Poeticis contentionibus nomen ſuum detur pari & coinquinari; ita enim interpretantur omnes fere interpretes, quos hactenus mihi legere contigit. Quæ expoſitio ſicuti ſane docta eſt, & acuta, ita mihi plene non ſatisfacit, quum apud eundem Suetonium legam, *in Caligula, cap.53.* de illo: *Lenius comptiusq; ſcribendi genus contemnens, vt Senecam tum maxime placentem commiſſiones meras componere, & arenam eſſe ſine calce diceret. Illos tamen, qui in altercationibus literariis in publicis ludis contendebant, eloquentiſſimo, grauiq; dicendi genere, vt victoria potirentur vſos, eſt exiſtimandum.* Quare in eam veni ſententiam, vt per commiſſiones intellexerit Tranquillus per eandem translationem iudiciales contentiones, ſeu diurna acta litigantium, in quibus forte nomen Auguſti, eo imperante adulandi gratia inponebant ſcribæ, & in tabulis eadem acta deſcribentes, quum antea Senatus vel populi Romani nomen inſcriberent;



Digitized by Google

rent; & noſtris temporibus in proceſſibus & inſtrumentis, vulgo ita dictis, fieri à tabellionibus ſeu notariis vocatis, obſeruamus, idque vulgari & incompto ſcribendi genere, quo nomen ſuum dehoneſtari ſeu obſoleſieri nolebat Auguſtus. Ob id Prætores, coram quibus iudicia exercebantur, admonuit, ne paterentur nomen ſuum in commiſſionibus, ſcilicet, in iudicialibus contentionibus & actis ſcribendis imponi, & ſic coinquinari. Suet. *in Calig.ula, c.15.* ait, eum fuiſſe authorem, vt in relationibus non ſolum nomen ipſius præſcriberetur, ſed & ſororum, per hæc verba: *Quod bonum felixq; ſit Caio Cæſari, ſororibusq; eius; nam quum publicis actis antea Cæſarum nomina anteſcriberentur, voluit ipſe & ſororum nomen addi.* Vnde & noſtris quoque temporibus *Commandamenti* dicuntur commiſſiones ſeu præcepta, quæ partibus litigantibus à tabellionibus iuſſu iudicum inuies fiunt. Quod vero Prætores præeſſent iudicibus, conſtat, præſertim ex Cicerone *in lib. de Leg.* ſcribente: *Iuris diſceptator, qui priuata iudicet, iudicarive iubeat, Prætor eſto. Iuris ciuilis cuſtos eſto.* Quod vero ſcribæ litigantium acta omnia in tabulas referrent, conſtat ex Cicerone *in 5. in Verr.* & Plutarcho *in M. Catone*, & clarius docet ex neotericis peritiſſimus hiſtoriæ antiquæ Carolus Sigonius *de antiq. iur. Rom. ciu. lib. 2. cap. 9. & lib. 1. & 2. de iudic.* Hinc factum puto, vt apud Iuriſtas frequens manarit vſus huius verbi, vt committere pro confiſcare dicatur. Vnde titulus, *D. lib. 39. & C. lib. 4. de vectigal. & commiſſ.* Ita *committere in legem, ſtipulationem & teſtamentum,* dicuntur apud ipſos, qui aduerſus legem, ſtipulationem & teſtamentum quid faciunt, *l. non ſolum, §. illud, D. de lib. lega.* & committere, pro delinquere, *l. 1. §. cum vrbem, D. de officio præfect. vrb.* & in commiſſum cadere res dicuntur, pro quibus debitum vectigal ſolutum non eſt, *l. vltim. §. ſi quis, D. de vectig. & commiſſ.* & commiſſum factum pro homicidio, *in l. is qui cum telo, C. ad l. Corn. de ſica.* & commiſſoria lex pro pactione in venditionibus, & oppignorationibus vſurpatur, *l. 2. & toto tit. D. de lege commiſſoria.* Ita & commiſſæ hypothecæ, quæ creditoris factæ ſunt, ex Cic. *in Epiſt. Famil.* Quæ adnotaſſe libuit, vt non alienam expoſitionem

noſtram penitus quis putet, dum per commiſſiones interpretandum cenſemus acta iudicialia à ſcribis in tabulis relata. Quæ pariter interpretatio facile accommodari poteſt dictis Suetonii *in Caligula*, vt ſcilicet ille Senecæ ſcripta tanquam vulgari & domeſtica oratione, id eſt, compta, non tamen graui & eloquenti ſtylo exarata, meras commiſſiones in hunc ſenſum appellarit, & arenam ſine calce; nam Neronis principatus primis annis Aſtanius Burrus, & Annęus Seneca pari in ſocietate concordes moderatores fuere, ille bellicis rebus præpoſitus, hic ciuilibus curis; quod ex Tacito, *lib. Annal.* 13. clare colligitur. Quinimo author eſt Dion, eundem Caligulam præſtantiſſimum virum Senecam parum abfuiſſe quin occiderit, ideo tantum, quod cauſam quandam in Senatu, præſente Caio ipſo, pulcherrime & ſapienter egerat. Vnde iudicia eum antea tractaſſe, vel ſaltem iudiciis ſæpe ſe ingeſſiſſe & interueniſſe credendum. Itaq; Caligula facile illius ſcripta meras commiſſiones dixit; nam quod ibi interpretes exponunt commiſſiones pro commiſſuris, ædificiorum ſimilitudine, vel gladiatorum congreſſus, haudquaquam probari poſſunt intimius rem perſcrutanti.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO. Cap. XCIV.

*In ſeceſſu Apolloniæ Theogenis Mathematici pergulam comite Agrippa aſcenderat, quum Agrippæ, qui prior conſulebat, magna pene & incredibilia prædicerentur, reticere ipſe genituram ſuam, nec velle edere perſeuerabat, metu ac pudore, ne minor inueniretur.*

QVum antiqui Philoſophi plerique, & Mathematici ſeu Aſtrologi, (quos Gellius Chaldæos etiam appellauit; & Auguſtinus *in* 4. *Confeſſionum* Planetarios, qui etiam Genethliaci dicuntur, & ex aſtrorum poſitione in hominum natiuitate futura prædicere profitentur, & natiuitates faciunt, ſeu genituras, vt Spartianus *in Seuero*,) locarent artem ſuam ſub dio, & cœlo aperto ſpatiantes; hinc, quod in pergula deambularent, à peragendo *pergulam* dictam, & ideo hoc loco à Suetonio pergulam appellari, communi ſignifi-

ſignificatione, & vulgari, quidam contendunt, id eſt, per topiarium genus, ſcilicet vites diſpoſitas ad inſtar fornicum per palos rectos hinc inde fixos exporrectas, quibus ſuperius ſemicirculari figura diſpoſitis viminibus, vites ſupertexuntur, Galli *Treillam* vocant. Quo ſenſu Plinius *lib. 17. cap.* 24. Vitium generoſas pergulas quinquatribus putandas tradit. Et Col. *lib.* 11. *c.* 2. dixit: *Si quæ pergulæ vitium generoſarum à putantibus relictæ ſunt, ante Kal. Aprilis vtique deputari debent.* Vnde & *pergulanus* adiectiuum, vt *pergulana* vitis ſpecies apud Col. lib. 3. c. 2. *Nam has mihi nuper cognitas, pergulanam dico, & Irciolam.* Pergulanam autem Romæ etiam ſpeciem arbitramur, quę vulgo *Pergolizza* dicitur, & etiam hyeme vuarum racemos appenſos habet. Verum hæc ſententia haudquaquam recipienda, quum Suetonius vtatur verbo *aſcenderet*; pergulæ autem vitium in plana terra (vt plurimum) educentur & in viridariis nō penſilib. Quamobrē rectius alii interpretātur hoc in loco pergulā pro loco extra parietē porrecto in domo, inter quos Budæus *in annot. in Pand. ex l. ſi vero, de iis qui deiecerunt*, ita ſcribit: *Pergulam, cuius hic quoque fit mentio, pro parte domus exporrecta & propendente accipi debere hoc in loco, eius generis, quas ſalientes artifices noſtri appellant, nemo ſemidoctus ignorat.* Verum quum huiuſcemodi loca à Suetonio appellari *Meniana* ſolere obſeruemus, vti in Caligula, c.... *Pauci è proximis Menianis ſpectabant, & Podia*, vti *in Nerone c.* 12. quamuis Podium Theatri magis ſit pars, & Menianum domus; ob id potius per pergulam hoc loco intelligendum puto loca illa detecta, quæ in ſuperiori domus parte ſuper tectum ædificari ſolent, vulgo *Terrazzi* & *Antane* ab Italis dicuntur, & *Galerias* Galli vocant; Quamuis & aliquando tegantur ab aliquibus. Ita enim pergulam apud Vlpianum *l. hæres*, §. 2. *de iudiciis*, Gloſſæ antiquorum explicant ὑπερῷον, ἰκρία, μεσόδμη, ὀροφὴ, στοὸν, οἴκημα. In hoc ſignificatu Tertullianus aduerſus Valentinianum: *Cœnacula in ædicularū diſpoſita forma, aliis, atque aliis pergulis ſuperſtructis.* Et Proper. in Lęnam

*Horruit algenti pergula tecta foco.*

Et Plinius lib. 2. c. 3. *Lucius Fuluius argentarius bello Punico ſecundo, cum corona roſacea interdiu è pergula in forum proſpexiſſe dictus,*

*ex authoritate Senatus in carcerem abductus.* Et Plautus in Pſeudolo:

*Cras faciam deportare in pergulam.*

Et rurſus:

*Cras Phœnicio corio inuiſes pergulam.*

Significans ſe puellam flagris cæſam in loco aperto omnibus oſtentaturum, vt cenſeo. Non quod interpretatus eſt Turnebus *lib. Aduerſ. 8. cap. 1.* quod pauperes & ſcorta in pergulis habitarent, & mererent. In pergula quoque res venales exponi conſueuerant, præſertim à pictoribus. Ita Plinius *libro 35. cap. 10.* de Apelle: *Idem perfecta opera proponebat in pergula tranſeuntibus, atq; poſt ipſam tabulam vitia, quæ notarentur auſcultabat.* Et apud Iuriſtas *in l. 5. §. penul. D. de iis qui deiecer. vel effud.* legimus: *Quum pictor in pergula clypeum vel tabulam expoſitam habuiſſet.* Et in l. vltima C. Theod. de excuſ. artif. *Priuilegium hoc pictoribus dari, vt pergulas, & officinas in locis publicis ſine penſione obtineant.* Hinc illud Lucilii Satyrici apud Lactantium:

*Pergula pictorum veri nihil, omnia ficta.*

Et Lucill. *Credit ſignis cor ineſſe in alienis pergula pictorum.* Quod vero in pergulis artifices non ſolum opera ſua in propatulo haberent, ſed etiam præceptores diſcipulos erudirent, conſtat ex Suetonio, vbi de Caſſicio Grammatico inquit: *Deinde in pergula docuit*, vnde Iulius Capitolinus eleganti epicheto *pergulas magiſtrales* appellauit. Vopiſcuſque in Saturnino: *In Africa Rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentauerat pergulas magiſtrales.* Et Iuuenalis Saty. 11.

*Sed nec ſtructor erit, cui cedere debeat omnis*
*Pergula.*

Itaq; quum Suetonius inquit, Auguſtum Apolloniæ aſcendiſſe pergulam Theogenis Mathematici, intelligendum aſcendiſſe ad locum apertum in domus ſuperna parte, in quo Theogenes artem ſuam docebat, & profitebatur, quo in loco & alios artifices ſe exercere, & res venales exponere conſueuerant, vt ex dictis docuimus. Vnde Vlpianus *in d. l. hæres, de iudi. §. proinde,* ait: *At ſi quo conſtitit, non dico iure domicilii, ſed tabernam, pergulam, horreum, armarium, ſeu officinam conducens*,

Digitized by Google

*ducens, ibique diſtraxit, vel egit, defendere ſe eo loco debebit.* Ex quibus ſuperius dictis ſatis patere poteſt, eruditiſſimum vndequaque Cœlium Rhodiginum *lib. 14. cap. 5.* hallucinatum, dum inquit, Pergulam adulteri cognomen eſſe, ita dictum, quod aduentu mariti latuerit in pergula. Quum pergula locus eiuſmodi ſit minime latebræ accommodatus, ſed potius expoſitioni.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.

### CAP. XCVIII.

*Huius Maſgabæ ante annum defuncti tumulum quum ex triclinio animaduertiſſet, magna turba multiſque luminibus frequentari, verſum compoſitum ex tempore clare pronunciauit.*

ANtiquos in funeribus & parentalibus, tædis, facibus, & cereis accenſis vſos, ex loco iſto Suetonii facile probatur, vbi tradit Auguſtum ex triclinio vidiſſe Maſgabæ ante annum defuncti tumulum magna turba multiſque luminibus frequentari, quod & infra *in Caligula, cap. 13.* adnotari poteſt, vbi inquit, illum Tiberii funus proſequentem inter ardentas tædas inceſſiſſe. Et ſuperius *in Iulio Cæſare, cap. 84.* tradit, rogum illius à duobus gladiis ſuccinctis, ac bina iacula geſtantibus, cereis ſuccenſum. Seruius *in Virg. 6. AEneid.* enarrans illud in funere Miſeni:

*——Et ſubiectum more parentum*
*Auerſi tenuere facem.*

ait, ex Varrone, *funus dictum à fune, & à fune funalia dicuntur,* id eſt, faces ex contortis funibus, cera aut pice circundatis, quod & erat maximi honoris indicium. Plinius de viris illuſtribus: *Druillio conceſſum eſt, vt prælucente funali & præcinente tibicine à cœna publice rediret.* Et Cic. de Senect. *Delectabatur crebro funali, & tibicine.* Hinc & *funalis cereus*, Valerio Maximo, libro 3. cap. 6. *C. Druillius ad funalem cereum præeunte tibicine & fidicine à cœna domum reuerti ſolitus eſt.* Et Martialis:

*Hinc tibi nocturnos præſtabit cereus ignes.*

Et Cic. de offi. *Omnib. vicis ſtatuæ factæ ſunt, & ad eas thus, & cerei.*

His

His itaque cereis, ſeu funalibus, vt diximus, vtebantur antiqui in funeribus. Virg. lib. 11. Æneid.

*——— ———Et de more vetuſto*
*Funereas rapuere faces, lucet via longo*
*Ordine flammarum.*

Tacitus *lib 3 Annal. poſt principium*, de funere Germanici: *Dies quo reliquiæ tumulo Auguſti, modo per ſilentium vaſtus, modo plorantibus plena Vrbis itinera, comburentes poſt Campum Martium faces.* Ad hæc vide Senecam *extremo libro de breuitate vitæ, & de Tranquillitate vitæ, cap.* 11. Cereis etiam accenſis vſos Romanos in pompis ſeu triumphis, tradit Trebell. Pollio *in Gallienis*, vbi de Decennalibus inquiens: *Mulieribus cum cereis facibus & lampadibus præcedentibus, Capitolium petiit*, quod & ſuperius *in Tiberio*, docuimus. Et in ſacris cereos accenſos colligimus ex Am. Marcellino, *lib.* 22. ſcribente, vbi de Daphnei Apollinis templo incenſo verba facit, Aſclepiadem Philoſophum Deæ cœleſtis argentum breue figmentum, quocunque ibat, ſolitum afferre, ante pedes ſimulachri ſublimes ſtatuiſſe, accenſiſque cereis ex vſu ceſſiſſe. Vnde medietate noctis emenſa, quum neque adeſſe quiſquam potuit, nec iuuare, volitantes ſcintillæ adhæſere materiis vetuſtiſſimis, igneſque aridis nutrimentis erecti, omne quicquid contingi potuit, licet ardua diſcretum celſitudine, concremarunt.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
## CAP. CI.

*Teſtamentum L. Planco C. Silio Coſſ. iij. Non. Aprilis, ante annum & quatuor menſes quum decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus, partim ipſius, partim libertorum Polybii & Hilarionis manu ſcriptum, depoſitumque apud ſex virgines Veſtales, cum tribus ſignatis æque voluminibus protulerunt.*

L. Liuius *libro* 1. de Numa Rege loquens ſic ſcribit: *Virgineſque Veſtæ legit, Alba oriundum Sacerdotium, & genti conditoris haud alienum. His vt aſſiduæ templi Antiſtites eſſent ſtipendium de publico ſtatuit, virginitate aliiſque cæremoniis venerabiles ac ſan-*

*ctas*

*tus fecit.* Et in legibus veteribus Numæ Pompilii legimus: *Virgines Veſtales ignem foci publici ſempiternum in Vrbe cuſtodiunt. Illis viuo etiam patre teſtamentum facere, ceteraque ſine curatore gerere ius eſto* Has vero à principio quatuor fuiſſe, concordes omnes ſcriptores tradunt; Primuſque Plutarchus in Numa, *Geganiam, Bereniam, Camillam & Tarpeiam* appellatas inquit; quamuis Alexander ab Alexandro *lib. 5. cap. 12.* corrupte *Gegamiam, Beremiam, & Gamiliam* tres primas vocet, qua in re etiam ſubdit, mirari Gellium ſcribentem, *lib. 1. cap. 12. in calce*, primæ Virgini Veſtali nomen fuiſſe *Amata*, hincque Pontifices Maximos inter capiendas Veſtales, *Amatæ* nomen non recepiſſe. His quatuor Plutarchus loco citato, & binas alias additas dicit ſuccedentibus temporibus, quod & Dionyſius Halycarnaſſæus confirmat *lib. 3.* & clarius Feſtus Pompeius *lib. 17.* per hæc verba: *Sex Veſtæ Sacerdotes conſtitutæ erant, vt populus pro ſua quiſque parte haberet miniſtram ſacrorum: quia ciuitas Romana in ſex erat diſtributa partes, in primos, ſecundoſque, Titienſes, Rannenſes, & Luceres.* Alexander ab Alexandro loco ſupradicto perperam ſcriptum reliquit, aucto & propagato imperio collegium Veſtalium ad vicenarium conſtitutum fuiſſe, quod falſum eſſe ex dictis & dicendis palam fiet. Verum erroris occaſionem Alexandro dediſſe exiſtimandum verba Gellii, loco iam dicto, vbi legimus: *Sed Pappiam legem inuenimus, qua cauetur, vt Pontificis Maximi arbitratu, virgines è populo viginti legantur, ſortitioque in concione ex eo numero fiat.* Quod pariter conuenit cum eis, quę à Suetonio *in Auguſto* ſcribuntur *cap. 31.* in hæc verba: *Sacerdotum & numerum, & dignitatem, ſed & commoda auxit, præcipue Veſtalium virginum. Quumq; in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in ſortem darent, adiurauit, ſi cuiquam neptium ſuarum competeret ætas, oblaturum ſe fuiſſe eam.* Ex quibus patet, viginti virgines ſeligi lege Pappia, de ritu Veſtales capiundi, ex qua in demortuæ locum vna ſorte eligeretur. Sex vero tantum numero fuiſſe, nec vnquam amplius, omnes fere ſcriptores vnanimi conſenſu fatentur, locuſque præterea iſte Suetonii facile oſtendit. D. tamen Ambroſius *in quadam epiſtola ad Valentinianum Auguſtum*, ſeptem fuiſſe ſentire videtur per hæc verba:

verba: *Vix ſeptem Veſtales capiuntur puellæ, en totius numerus quem infulæ vittati capitis purpuratarumque veſtium murices pompa lecticæ, miniſtrorum circumfuſæ comitatu, priuilegia maxima, lucra ingentia, præſcripta denique pudicitiæ tempora coegerunt.* Viderunt aliqui hanc difficultatem & eam ſoluere conati ſunt, dicentes, ſex virgines Veſtales ſimpliciter fuiſſe, at comprehenſa Veſtali Maxima ſeptem. Quod tamen concilium haud nos probare poſſumus; Siquidem reuocari poteſt in dubiũ, inter Veſtales ſex fuiſſe maximam, præfectam ſcilicet, & quæ cæteris præſideret. Quum apud ſcriptores antiquos raro id obſeruetur. Sit tantum ad id probandum locus Suetonii *in Domitiano, c. 8.* vbi habet: *Mox Corneliam virginem maximam abſolutam olim, dehinc longo interuallo repetitam, atque conuictam defodi imperauit.* Quo in loco dici poteſt, *Maximam* cognomen fuiſſe Corneliæ virginis Veſtalis; Nam à Q. Fabio Maximo, Maximorũ cognomen ad poſteros translatum teſtatur Liu. *lib.* 33. Quod & confirmare poſſumus, quum Plinius *epiſt. lib.* 4 *epiſt.* 11. de hac ipſa Cornelia verba faciens eam *Maximillam* appellet, & non *Maximam.* At demus virginem maximam in veſtalibus fuiſſe, quæ præeſſet cæteris, vt in ſacratum virginum collegiis hodie *Abbatiſſæ* dictæ, vt adnotauit Beroaldus. Et clare profecto elicitur ex Suetonio *in Cæſare, c.* 83. vbi ſcribit: *Teſtamentum eius aperitur, recitaturque in Antonii domo, quod Idibus Septembris proximis in Lauicano ſuo fecerat, demandaueratque virgini Veſtali Maximæ.* Et Lampridius in Ant. Heliogabalo. *Quumque ſeriam quaſi veram rapuiſſet, quamuis virgo Maxima falſam monſtrauerat.* Hanc tamen non fuiſſe ex numero ſex, ſed ſeptimam minime dicendum. Ita doctiſſimus Carolus Sigonius *lib.* 1. *de antiquo iure Rom. cap.* 19. ſcribit: *Numa quatuor Veſtales inſtitutas fuiſſe tradit cum Veſtali Maxima.* Et paulo infra: *Veſtalibus additæ duæ à Tarquinio Priſco, vt eſſent ſex cum virgine Veſtali Maxima.* Quæ verba coniunctiue legenda, vt congruant Feſti dictis, ſuperius allatis. Nec rationi conſonum eſt, Auguſtum Maximam Veſtalem à ſui teſtamenti cuſtodia excludere voluiſſe, ſed potius illi vna cum aliis quinque cuſtodiendum mandaſſe. Quamobrem dicendum videtur, vel mendum in textu Ambroſiano eſſe, & *ſeptem* pro *ſex,*

libra-

Digitized by Google

librariorum incuria poſitum, vel Ambroſium in hiſtoria gentili memoria lapſum. Apud has autem Veſtales virgines teſtamenta reponi ſolita, vt ſuo tempore in lucem promerentur, conſtat ex hoc Suet. loco, de teſtamento Auguſti, necnon ex C. Tacito *lib. Annal. 1.* ſcribente: *Nihil primo Senatus die agi paſſus, niſi de ſupremis Auguſti, cuius teſtamentum illatum per virgines Veſtæ, Tiberium & Liuiam hæredes habuit.* Idem de Antonii Triumuiri teſtamento legimus apud Plutarchum *in illius vita.* Quod & Dion confirmat Et de teſtamento Cæſaris, *ex Suet. in illo, c.83.* Ad quod etiam ſpectare videtur quod *l.3. ff. de tab. exhib.* Vlpianus tradit; oſtendit enim, teſtamentum in Æde ſacra reponi ſolere.

## C. SVET. TRANQVIL. IN AVGVSTO.
### CAP. CI.

***Tertio breuiarium totius imperii, quantum militum ſub ſignis vbique eſſent, quantum pecuniæ in ærario & ſiſcis & vectigaliorum reſiduis, &c.***

NOn deſunt qui *Rationarium, Breuiarium, Kalendariũ* apud ſcriptores Synonyma eſſe, & in eodẽ ſignificatu accipi poſſe putent, quod tamen abſolute prolatũ haud verum eſſe cõuincitur. Siquidem rationarium proprie acceptum nihil aliud ſignificat, quã liber, ſeu codex, in quo accepti & expẽſi rationes deſcribuntur. Suet. ſupra in Aug. c.18. *Tædio diuturnæ valetudinis, quum etiam magiſtratibus, ac Senatu domum acciitis Rationarium Imperii tradidit*, id eſt, reditus & expenſas Populi Rom. vnde etiam *rationibus inferre*, pro ſcribere in loco rationum, ſeu rationario. Ita Iul. Cæſ. emit ſeruitia recentiora immenſo pretio, & cuius etiam ipſum puderet, ſic vt vetaret rationibus inferri. Et apud Iuriſconſultos *rationibus inferre*, id eſt, quod receptum quodque expenſum, in libro Rationum inſcribere, *l. qui ſine viris, D. de neg. geſtis.* Et infra in Caligula, capite 16. *Rationes Imperii ab Auguſto proponi ſolitas, ſed a Tiberio intermiſſas publicauit.* Et *rationes relatæ* Feſto Pompeio *libro 15. rerum Rom.* dicuntur, quæ in tabulis deſcriptæ publicæ data atque expenſa docent Indices. Quod & Cicer-

Cicero *lib. 5. Epiſt. ad Rufum* oſtendit. Et in orat. pro Roſcio: *Non habere ſe hoc nomen accepti in Codicem accepti & expenſi relatum, confitetur.* Et rurſus: *Si tabulas* (inquit) *Caius Fannius accepti, & expenſi profert ſuas.* Sed clarius in Verrem: *Videamus rationes quemadmodum retulerit, accepti inquit vicies ducenta triginta quinque millia, quadringentos ſeptendecim nummos dedi ſtipendio, frumento legatis, Proquaſtore cohortis Pratoria ſeſtertium mille ſexcenta triginta quinque millia, quadringentos ſeptendecim nummos, reliqui Arimini ſeſtertium ſexcenta millia, hoc eſt, rationes referre?* Vnde & apud Marcellinum *Rationarius Apparitor*, qui rationes conficit, vel qui rationibus præeſt, quique à Budæo *in annot. in Pand. ex l. vltima, de Senat.* Rationales, ſeu ratiociniorum præfecti appellantur. Quod & confirmat Cœlius Rhodiginus, *lib. 12. cap. 21. & vlt.* Cicero ad Atticum, *Ratiocinatorem* appellauit; ait enim *Hilarem ratiocinatorem.* Et 2. Offi. *Vt boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo, deducendoq; videre, qua reliqui ſumma fiat.* Ita & in Regno Neapolitano hi vulgo *Rationali* appellantur. Sic & nobis *Computiſti & Ragionati* dicuntur.

Kalendarium certe, & ipſum pro Codice rationum accipi obſeruamus. Ita Papinianus, *l. fin. §. item reſcripſerunt à curatore,* meminit curatoris Kalendarii Reipub. videlicet, qui curam gereret libri, quo nomina & debita continebantur, quod & adnotauit Caſſiodorus, *lib. 7. variarum.* Et apud Africanum Iuriſconſultum legimus *Kalendario propoſitum.* Et Scęuola *D. de ſtatu liberis.* Et Vlpianus dixit, *Kalendarii iurationem,* & qui eam habent in aliqua ciuitate, inter honores non haberi. Verum quia fœneratores huiuſmodi rationes ſingulo menſe diligenter adnotabant in ſuis Codicibus, hinc fœneratorum Codices *Kalendarii* appellati, ſicuti diarium, ſeu ephemeridem dici obſeruamus librum, in quo ſingulo quoque die rationes ſcribebãtur; Hinc factum, vt Kalendarium accipiatur proprie pro Codice pecuniarum fœnori collocatarum. Seneca lib. 13. epiſt. *Diuitem illum putas, quia in omnibus prouinciis erat, quia magis ei Kalendarii liber voluitur?* Et alibi: *Kalendarium verſat, fit ex Domino Procurator.* Horatius libro Epod. Ode 2.

*Hac*

Digitized by Google

*Hæc vbi locutus fœnerator Alphius,*
*Iamiam futurus ruſticus,*
*Omnem relegit idibus pecuniam,*
*Quærit Kalendis ponere.*

Et lib.Ser.1.Saty.3.

*Odiſti & fugis vt Bruſſonem debitor æris,*
*Qui niſi cum triſtes miſero venere Kalendæ,*
*Mercedem, aut nummos vnde, vnde extricat amaras,*
*Porrecto iugulo Hiſtorias captiuus vt audit.*

Et Martialis 8.Epigram.

*Superba denſis arca palleat nummis,*
*Centum explicetur pagina Kalendarum.*

Et Ouid.lib.2.de remed.amor.

*Qui puteal Ianumque timet, celereſq; Kalendas,*
*Torqueat hunc æris mutua ſumma ſui.*

In hunc ſenſum Kalendarium acceptum à Plutarcho legimus, libro cui titulus: περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι, id eſt, De non fœnerãdo. Et in hac ſignificatione plura ſunt exempla apud Iuriſtas, vt Kalendario præpoſitus ſeruus, *in l.penul.D.de re.cred.* vnde, & Kalendarium exercere, *l.vxorem*, 41.§.*legauerat, D.de legatis* 3. Hinc Kalendario deſtinatæ pecuniæ, id eſt, fœnerationi, *l.62.D.de leg* 3. & in Kalendarium conuerſa pecunia, id eſt, fœnerationi, *l.39.§. negligentia, D. de adminiſtr. tut.* Sic acceptum etiam Kalendarii nomen, *in l.vltima, D.de peculio.l.6. D.de Inſtit. l.3.D.de compenſat.l. vltima, D. de muner. & honor. & alibi perſæpe.* De re hac plura apud Lazium *de repub. Rom. lib.3. cap.15.*

Breuiarium ſi ſimpliciter accipiamus, opus conciſum ſignificat, ſeu ſummarium, Græcis voce ἐπιτομὴ fœminini generis dicitur. Ita Plinius *lib* 18. dixit: *Vt omnis cultura quoddam Breuiarium peragatur.* Quod & hoc loco Suetonii dicta demonſtrant, quod etiam *breues* appellauit Lampridius *in Alexandro* inquiens: *Milites ſuos ſic vbique ſciuit, vt in cubiculo haberet breues & numerum, & tempora militantium.* Et *breue* neutro genere ſic Vopiſcus in Aureliano. *Breue* (inquit) *nominum conſcripſit.* Quod ſi Breuiarium dixerimus cum additione rationum; erit ſummarium dati & expenſi. Ita Suetonius in

Mm Galba,

Digitized by Google

Galba, cap. 12. *Diſpenſatori Breuiarium rationum afferenti paropſidem leguminis pro ſedulitate ac diligentia porrexiſſe.* Sic apud Scæuolam, *l vltima, D. de pecu. lega.* Breuiariæ rationes dictæ, id eſt, in epitomen & compendium contractæ. *Breuis* dicitur in l. vltima, de conueniendis fiſci debitoribus, libr[illegible]. Cod. *Inter chartulas confiſcati, breuis quidam aſſeueratur inuentus, qui nomina debitorum contineret.* Vlpianus, *l. 3. §. 6. D. de penu lega.* videtur appellaſſe logarium, dum inquit: *Sed chartas ad rationculam, vel ad logarium paratas contineri.* Vnde & *logographi*, qui libros rationum ſcribebant, & *logiſtæ*, qui eos curabant, Alciato *in libro Annot. in tres poſteriores lib. Cod.* quamuis non deſint qui non *logarium*, ſed *legatarium* eo loco legẽdum putent. De qua re Maſſæus Vegius *in libello ſuo de verb. ſignif.* Et Catellianus Cotta *in ſuis memorabilibus in dictione Penoris.* Seneca *libro 5. epiſt. Breuiarium*, parum Latinam dictionem eſſe contendit, & Latine loquendo dicendum *Summarium.* Qua in re quum habeamus luculentiſſimos authores Suetonium & Plinium, ac alios, Senecam hallucinatum in re hac facile aſſeuerare poſſumus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### CAP. I.

*Agrum insuper trans Anienem clientibus, locumque ſibi ad ſepulturam ſub Capitolio publice accepit.*

LVcum non *locum* legendum exiſtimat Leuinius Torrentius, exemplo Petri Victorii, apud Tacitum *libro 5. Annal.* vbi pro *locum Ortygiam, lucum Ortygiam* reponit, & addit, quod auguſtius & religioſius eſſet, genti Claudiæ lucum datum, non locum ſepulturæ, honoris gratia. Sic Auguſtus Mauſoleo ſuo ſyluas adiecit, ex Suetonio, *in illo, c.* 100. Idem elicitur ex Martiale, *de Fuſco, Epigram. 76. lib. 6.* His Torrentii rationibus addamus & nos Ciceronis authoritatem *in orat. pro Milone* ſcribentis: *Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos inquam imploro, & obteſtor.* Nemora quoq; ſacra habita Germanis obſeruamus, præcipue quibus pro templis vtebantur,

tur, teſtimonio Taciti *in libro de eorum moribus*. Hincque illud Plinii *libro 12 cap.* 1. vbi de lucis & arboribus verba faciens, inquit: *Hæc fuere numinum templa priſcoque ritu ſimplicia rura, etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant, nec minus auro fulgentia, atq; ebore ſimulachra quam lucos & in iis ſilentia ipſa adoramus.* Valla *lib.* 14. ſcribit: *Lucus nequaquam cæduus eſt. quin potius manu conſitus religioſuſque, atque vel alicui Deo, vel alicuius hominis cineribus conſecratus, ideoque aut circa delubra Deorum aut circa ſepulchra hominum poſitus eſt.* Apud Hebræos quoque in literis ſacris obſeruamus, ſepulturæ traditos nonnullos in lucis ſeu nemoribus. Ita *lib.* 1. *Regum, cap.* 31. Saulis & filiorum eius oſſa ſepulta in nemore Iabes legimus. Quod etiam repetitum videmus 1. *Paralipo. c.* 10. His tamen omnibus non obſtantibus, *locum*, non *lucum* legendum conſtanter affirmare non dubito; & ratio eſt, quod antiquis mos fuit extra ciuitatem ſepelire cadauera, nec intra vrbem ſepeliendi alicui fas erat, niſi permiſſu S P. Q. R. ob alicuius præclarum facinus in aliquod Remp. Romanam. Veterum autē ſepulchra in agris fuiſſe, probatur ex multis, & Vlpianus ſcriptum reliquit, *in l.* 3. §. *D. Hadrianus, de ſepul. viol. in P.* Diuum Hadrianum pœnam ſtatuiſſe aureorum quadraginta in eos, qui in ciuitate ſepulchrum feciſſent, & in magiſtratus eandem ſtatuit pœnam, qui id paſſi forent. Cic. 2. *de Legibus*, legis 12. tab. meminit huiuſmodi: *Hominem mortuum in Vrbe ne ſepelito.* Id ipſum vetarunt Cæſares Diocletia. & Maximin. *l. mortuorum, l.* 12. *de relig. & ſumpt. fun.* & Iulius Paulus *libro* 1. *recept. ſenten.* ſcribit: *Corpus in ciuitatem inferri non licet, ne funeſtentur ſacra ciuitatis.* Antoninus quoque Pius intra vrbem ſepeliri mortuos vetuit; teſte Iulio Capitolino *in vita eiuſdem*, & Spartiano in eodem. Refert Dion Caſſius *lib.* 48. *ab V. C. cap.* 76. Romæ cautum edicto, ne mortui intra duo millia paſſuum ab vrbe cremarentur. Ex Horatio quoque *lib.* 1. *Ser. Sat.* 8. idem patet.

*Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum*
*Pantalabo ſcurræ, Momentanique nepoti.*
*Mille pedes in fronte trecentos cippus in agrum,*
*Hic dabat, hæredes monimentum ne ſequerentur;*



Digitized by Google

Morem fuiſſe veterum ſepeliendi in agris, docet Liui
6. & Cice. *in orat. pro Sex. Roſcio*, vbi de Procuratore C
goni inquit: *Cui de tanto patrimonio iſte nefarius prædo*
*quidem ad ſepulchrum patrium reliquiſſet*. Suetonius tradi
*mitiano*, *cap.* 17. quod illius cadauer populari Sandap
Veſpillones, Phillix nutrix in ſuburbano ſuo Latina
nerauit. In Flaminia quoq; via, ſepulchra gentilitia fu
dit Strabo *lib*. 5. vnde Martialis lib. 6. Epigram.

*Hoc ſub marmore Glaucias humatus,*
*Iuncto Flamineæ iacet ſepulchro.*

Et lib. 11. Epigram. 14. in Epitaphio Paridis.

*Quiſquis Flaminiam teris viator,*
*Noli nobile præterire marmor.*

Et Iuuenalis Saty. 1. in fi.

*——Experiar quid concedatur in illos,*
*Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.*

Et rurſus Saty. 5.

*Cliuoſæ veheris dum per monumenta Latinæ.*

Et congruum inter viam Flaminiam ripamque
Mauſoleo conditum tradit Suetonius *in illo, cap.* 1
*libro* 1. *Tuſcul. Quæſt.* non longe à principio: *An tu*
*greſſus porta Capena, quum Collatini, Scipionum, Serui*
*telliorum ſepulchra vides, miſeros putas illos?* Scipion
num in agro Linterni ſepultum in monumento
cato, ſui iuſſu tradit Liuius *libro* 38. In Campo M
que corpora magnatum & Principum virorum
Ammiani, *libro primo bell. ciu.* & Herodiani, *libro*
pulſura Seueri, tumulabantur. Ita Plutarchus
*Pompeii*, illius præſidio Syllam tumulatum, obſta
& aliis aduerſantibus. Idem Pompeius funus
ſuæ, & filiæ Cæſaris, apud Albanum ſepelire p
be coactus eſt eam in Campum Martium effer
nus *libro* 1. *bell. ciu.* inquit, deſcribens funus Syl
po Martio illatum, quò in loco Reges tantum
ſueuerant. A. Hircius & C. Panſa ille in caſtri
ſus, hic in aduerſo prælio vulnere accepto
Campo Martio ſepulti ſunt, *ex Liuio in Epitom*

Digitized by Google

In epit. libro 116. *Cæſaris corpus, quum in Campum Martium deferretur, à plebe ante roſtra crematum eſt.* Et in epit. libro 106. *Iulia Cæſaris filia Pompeii vxor deceſsit, honoſque maximus ei à populo habitus eſt, vt in Campo Martio ſepeliretur.* Et in epit. libro 90. *Sylla deceſsit honoſque ei à Senatu habitus eſt, vt in Campo Martio ſepeliretur.* Ita Suetonius *cap.* 84. Cæſarem in Campo Martio humatum ſcribit. Campum autē Martium extra Vrbem fuiſſe patet ex Liuio *libro* 2. ſcribente: *Ager Tarquiniorum, qui inter Vrbem & Tiberim erat, conſecratus Marti, Martius deinde campus fuit, qui tamen hodie in Vrbe exiſtit.*

Nihilominus claros quoſdam viros ſpeciali Pop. Rom. ſtudio, eo quod de Republica optime meriti eſſent, intra Vrbem tumulatos, ac ſepulturę traditos, obſeruamus, quod maximum decus erat. Quod & Tullius 2. *de leg.* tradit, accidiſſe Publicolæ & Tuberto, quodq; Fabricius virtutis cauſa publico decreto & ipſe ſortitus eſt, quod & de Publicola tradit Dionyſius 5. & Plutarchus *problem.* 79. ait: Cineres eorum, qui triumphaſſent, in Vrbem ferre licuiſſe. Quod & priuilegium fuiſſe Imperatoris, qui Rempublicam armis auxiſſet, docet Seruius *lib.* 11. *Æneid.* eum in locum,

——— *Auectaque partim*
*Finitimos tollunt in agros, vrbique remittunt.*

Eutropius tamen *lib.* 8. *de geſt. Rom.* ſcribit, Traianum ſolum Imperatorum omnium intra Vrbem fuiſſe ſepultum, oſſaq; illius colloc... in vrna aurea in foro, quod ſibi ædificauit, columna ibi poſita; quod etiam ſcribit Aurelius Victor *in vita illius.* Veſtalibus virginibus quoque permiſſum, vt intra Vrbem ſepulturæ traderentur, teſtis eſt Seruius in prænarratum Virgilii locum. Et Cœl. Rhod. *lib* 17. *cap* 20. quoque docet. Illud profecto haud prætermittendum, quod inquit Cic. in Antonium: *Maiores noſtri ſtatuas multis decreuere, ſepulchra paucis.*

Nec ſolum Romanis fuit mos extra Vrbem ſepelire mortuos, ſed & fuiſſe Græcis, docet Æſchines, dum quendam Timachum vniuerſum patrimonium profudiſſe oſtēdens, ait; matrem eius oraſſe filium, ne fundum certum alienaret, vt ſi nihil inde aliud commodi caperet, ſaltem mortua

haberet, vbi ſepeliri poſſet, nec ipſum quoque prædio pepercille Ariſtophanes in ἐκκλησιαζούσαις, ſiue concionantibus idem docet. Et Dares Phrygius *in libro de excidio Troiæ*, ſcribit Priamum, ſuorum more, Hectorem ante portas ſepeliuiſſe. Diuus Chryſoſtomus *in Pſal. 5. tom. 1.* ait: *Si extra vrbem corpora mortua ſepelimus, multo magis, qui verba mortua, & quæ talia proferunt, & ne tegere aut obumbrare quidem volunt, longe amandare oportet.* Plato *libro de leg. 12.* oſtendit quoque olim ſepultos in agris homines, dum inquit: *Nullum in agro fæcundo & ad culturam apto ſepulchrum fiat, ſed is locus corpora defunctorum recipiat, qui ad cætera inutilis, & ad id tantum commodus, viuentes minime lædit; nec enim à viuis, nec à mortuis terra fæcunditas impedienda eſt.* Addamus quod etiam apud Sicyonios lege neminem intra mœnia humari licebat, vt tradit Plutarchus *in vita Arati circa finem*. Id quoque Hebræis familiare fuiſſe docent ſacræ literæ. Geneſis cap. 23. Abrahamus ſepeliuit vxorem ſuam Saram in ſpelunca duplici, quam quadringentis ſiclis argenti probatæ monetæ publice emerat ab Ephrone, præſentibus filiis Heth. Et D. Ioannes *cap. 19.* teſtatur, Ioſephum ab Arimathia & Nicodemum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti poſuiſſe in monumento nouo, quod erat in horto. Et Abdias ille, qui vitas Apoſtolorum deſcripſit, tradit, corpora Diuorum Petri & Pauli in via Latina ſepulta. Quum itaque Appius Claudiæ Gentis Princeps, poſt Reges ab ipſo exactos, in Patres cooptatus, & agro pro clientibus accepto, locum quoque ſibi ad ſepulturam ſub Capitolio publice acceperit, vt hoc loco docet Suetonius, non video, cur alius lucum potius legendum iure cenſere poſſit; præſertim quum eo in loco lucum fuiſſe minime apud ſcriptores adnotatum videamus; Qua in re ex recentioribus conſulendi Bartholomæus Marlianus *libro ſecundo, capite quarto. Topographiæ antiquæ Romæ*, & Georgius Fabricius, *lib. de Roma*, & alii huiuſmodi ſcriptores plures.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### CAP. II.

*Etiam virgo Veſtalis fratrem iniuſſu populi triumphantem, aſcenſo ſimul curru vſque in Capitolium proſecuta eſt, ne vetare aut interdicere fas cuiquam Tribunorum eſſet.*

CIcero *in orat. pro Cœlio* ita ſcribit: *Illa veſtalis Claudia, quæ patrem complexa triumphantem, ab inimico Trib. pleb. de curru trahi paſſa non eſt.* Et Valerius *libro* 5. *cap* 4. de pietate erga parentes inquit: *Claudia Veſtalis, quum patrem ſuum triumphantem à curru violenta Trib pleb. manu detrahi animaduertiſſet, mira celeritate vtriſque ſe interponendo, ampliſsimam poteſtatem, inimicitiis accenſam, depulit; igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in Ædem Veſtæ duxit.* Hoc idem refert & Oroſius *lib.* 5. vnde neceſſario fatendum, vel mendum in textu ſubeſſe, vel Suetonium hallucinatum. Verum nec minori ſcrupo animus hæret, quum apud Liuium luculentiſſimum Romanæ Reipublicę geſtorum ſcriptorem de re hac, ne verbum quidem legamus, quinimo ipſe duorum triumphorum gentis Claudiæ tantum meminit, nempe C. Claudii Neronis *libro* 28. & C. Claudii Pulchri *libro* 4. quorum vterq; S. P. Q. R. conſenſu quum triumphaſſet, neutrum eorum patrem vel fratrem Claudiæ Veſtalis affirmare poſſumus. Et quod magis negocium facit, illud etiam eſt, quod ſex triumphos Suetonius genti Claudiæ *cap.* 1. adſcribit.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### CAP. V.

*Sic enim in Faſtos Actaque publica relatum eſt.*

NEmo ex interpretibus Suetonii explicat hoc loco, quo pacto cognitum ex Faſtis, Tiberium natum Romæ 16. Kal. Decembris, M. Æmylio Lepido iterũ & Munatio Planco Coſſ. Qua de re nos operæ preciũ facturos exiſtimamus, ſi id aperire conabimur, necnon addẽtes quo pacto id quoque in Acta publica relatum fuerit. Quod itaq; ad primum

attinet, minime obſcurum puto, Faſtos & feſtos dies eoſdem eſſe, ex Macrobio *lib.* I. *Saturnal. c.* 16. & Plutarcho *Problem.* 24. & clarius ex Sexto Pompeio *lib.* 6. Natales vero dies clariſſimorum virorum inter Faſtos accipi ſolitos; Ita Ælianus *de varia Hiſtoria, lib.* 2. & Apollodorus *in Chronicis*, & Laertius *in vita Socratis*, diem ſextum Februarii, in quo Socrates natus fuerat, feſtum habuiſſe, ac luſtraſſe ciuitatem, tradidere. Et Probus Æmilius *in vita Timoleontis* ait, illum Syracuſanorum ducem præcipuas victorias ſemper Syracuſanis natali ſuo dediſſe, adeo vt ipſius natalis diem omnes Siculi feſtum agerent. Sic Herodotus *lib.* 9. ſcribit, Xerxem diem, qua Rex dictus fuit, tanquam natalem, ſingulis annis inſignem celebraſſe. Qui mos etiam Romanis familiaris fuit, vt ſcilicet celebrarent quotannis diem natalem ſuum. Ita Cic. *ad Atticum*, agere diem natalem ſuum dixit. Et lib. *de Finibus*, agere diem ſuum natalem quotannis, & colere diẽ natalem, & de natali ſuo die idem Cic. *in orat. pro Seſtio*. Virg. Ecloga 3.

*Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis Iola*
*Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.*

Et Sueton. tradit *in Domitiano, c.* 11. illum Salulum Cocceanum exilio multaſſe, quod Othonis Imperatoris patrui ſui diem natalem celebrauerat. Et Suetonius in Tiberio, c. 26. *Natalem ſuum plebeiis incurrentem Circenſibus, vix vnius bigæ adiectione honorari paſſus eſt.* Horatius lib. 2. Saty. 2.

*———Licebit*
*Ille repotia, nataleis, alioſve dierum*
*Feſtos albatus celebret.*

Suetonius in Tiberio, cap. 65. *Seianum res nouas molientem, quamuis iam & natalem eius publice celebrari, & imagines aureas paſſim coli videret.* Idem in Auguſto, c. 57. *Equites Romani natalem eius ſponte atque conſenſu biduo ſemper celebrarunt.* Idem in Tiberio, c. 53. de Agrippina: *Quum diem quoque natalem eius inter nefaſtos referendum ſuaſiſſet.* Lampridius in Alexandro Seuero: *Quum natalem diem commendaret, hoſtia cruenta effugit.* Et Plinius .... *Dum natales ſuos celebraret.* Vnde & *natalitia dare*, pro ſoluere Feſtum natalis diei. Cic. in 2. Philip. *Hodie non deſcendit Antonius, cur? dat natalitia in hortis*, & vt interpres expo-

nit,

nit, *natalitia ſunt conuiuia luxurioſa ad celebrandum natalem diem peculiariter ſtructa*. Et Terent.in Phorm.

*Porro autem alio, vbi erit puero natalis dies.*

Similiter & *natalia* pro celebritate diei natalis obſeruamus apud Iuuenal.Satyr.6.

*Palmam inter dominas virtus natalibus æquat,*

id eſt, vt interpretes adnotarunt, non aliter à victoria exhilaratur, quam ſi dies natales celebrarentur. Ita Plinius libro 18.cap.8. *Hodie*, inquit, *ſacra priſca, atq; natalium pulte fritellæ conficiuntur.* Et Varro in eo libro, cui titulus eſt, *de numeris*, & ex eo Cenſorinus de die natali: *Id moris* (ait) *atq; inſtituti maiores noſtri ſeruauerunt, vt quum die natali munus annale Genio ſoluerent, manum à cæde & ſanguine abſtinerent, ne die, qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent.* Hac eadem de cauſa Romani diem 12.Kal.Maii, quo fundamenta vrbis iacta ſunt à Romulo, ſingulis annis feſtum agebant, quod ex Plutarcho *in Romulo*, & Solino, *cap.2.* & Feſto Pompeio, *libro* 14. Cenſorio *lib.1.de die natali*, Euſebio *de temporibus*, Varrone *de re ruſt. lib.2.cap.1.* Cicerone *2.de Diuinat.* Suetonio *in Caligula, c.16.* & Flauio Vopiſco *in Aureliano*, & Plinio *lib.14.c.4.* elicimus. Vnde Propertius *lib.4.Eleg.4.*ad fin.

*Vrbi feſtus erat, dixere palilia Patres,*
*Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.*

Et Ouid.lib.4.Metamorph.

*—— Feſtuq; Palilibus vrbis*
*Mœnia conduntur.*

Eundem morem Hebræis fuiſſe, ex ſacris paginis elicere poſſumus, vti Geneſis 40. *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande conuiuium, &c.* Et lib.Macchab.2. c.6. *Ducebantur autem cum amara neceſſitate in diem natalis Regis ad ſacrificia, & quum Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.* Et apud Matth.14. *Die autem natalis Herodis ſaltauit filia Herodiadis in medio.* Et apud Marcum 6. *Herodes natalis ſui die cœnam fecit Principibus & Tribunis, & primis Galilææ, quumq; introiiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, &c.* Romani itaque, qui nullum adulationis modum in Auguſtum omiſere, diem, quo Tiberius natus eſt, inter Faſtos,

& in Faſtorum libris deſcriptū repoſuere, vt ſingulo anno dies natiuitatis illius, quo in Palatio ortum duxerat, feſtus ageretur. Quamobrem ſcripſit Suet. ex Faſtis habuiſſe verum Tib. natiuitatis diem. Subdit vero, *& ex actis publicis*. Pro cuius explicatione haud ignorandum ex Strabone, *lib.* 15. apud Indos fuiſſe vrbis præfectos tertii ordinis, natiuitates & mortes perſcrutantes, & quomodo & quando factæ eſſent idque tributorum gratia, tum ne bonæ malæve natiuitates & mortes laterent. Conſimilis mos fuit Rom. antiquus, vt filiorum ortus diem in actis publicis profiterentur, idque à Seruii Tulli temporibus obſeruatum, quod Dionyſ. Halycarnaſſ. tradit *lib.* 4. inquiens de Seruio Tullo: *Hic enim in ſingula recens natorum capita Iunonis Lacinæ templo inferri aliquid iuſsit, & in cenſu agendo non ſolum facultates, ſed & liberorum nomina atq; ætatem referri voluit.* Quod vero Romæ profiterentur nomina, diem & Conſulem natiuitatis pueri edentes, conſtat apud Iuriſtas *in l cum de ætate, l.* 13. *& penult. de proba. lib.* 22. *Pandect. tit.* 3. *l.* 1. *§. ſi minor ſe maio. dixe. lib.* 2. *C. tit.* 3. Apuleius quoque *lib.* 2. *de Aſino*, inquit: *Pater natum ſibi filium cæterorum more profeſſus eſt.* Sic Sueton. de Caligula, in illo, cap. 8. *Ego in actu Antij ipſum inuenio editum.* Ad hæc, morem hunc, maxime poſt legem Iuliam & Papiam Poppeam de maritandis ordinibus, neceſſe obſeruatum, credendum, ob eorum qui liberos haberent, commoda, & orborum pœnas. Has certe ſub Auguſto latas, conſtat ex Suet. *in Aug. c* 34. Dione *lib.* 56. Gellio *lib.* 2. *c.* 15, Tertulliano *in Apologetico*, & ex Vlpian. *l.* 1. *ff. vnde vir & vx.* Et Inſt. *tit.* 25. Et Paulo, *l.* 6. *§. vlt. de iur. patr.* Iuliam nempe P. & Cn. Lentulis Coſſ. anno ab V.C. 736. Papiam vero Poppeam M. Papio Mutilio & Q. Poppeo 2. Coſſ. ſi Dioni credimus, apud quem *Popilium* pro *Poppeo* legitur. Nec obſtat, quod Capitolinus *in vita M. Aurelij Philoſophi* ſcripſerit, illum primum iuſſiſſe apud præfectos ærarii in æde Saturni vnumquemque ciuium natos profiteri, intra diem tertium nomine impoſito, & per prouincias vſum publicorum tabellionum inſtituiſſe, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarii, vt ſi quis forte natus in prouincia, cauſam libe-

ralem

talem diceret, inde ferret; Nam antiquiorem hunc vſum fuiſſe ex dictis probatum, & amplius ex Iuuenale comprobari poteſt, ſcribente Satyr 9.

*Nullum ergo meritum eſt ingrate ac perfide, nullum*
*Quod tibi filiolus vel filia naſcitur ex me?*
*Tollis enim, & libris actorum ſpargere gaudes*
*Argumenta viri.*

Vixit autem Iuuenalis, teſte Suida, ſub Domitiano, qui adeptus eſt Imperium, autoritate Oroſii & Aurelii, anno Domini 84. vel ſub Traiano, vt alii, qui Imperium aſſumpſit anno Domini 102. M. Antoninus vero Philoſophus Imperator fuit declaratus anno Domini 163. vt tradidere Oroſius & Euſebius *lib.7 cap.15.* Ne vero Iulium Capitolinum indefenſum relinquamus, dicere poſſumus, M. Aurelium neglectam diutius conſuetudinem reuocaſſe, quam etiam in vſum tractam poſterioribus temporibus patet, ex eodem Capitol. *in Gordiano*, ſcribente, Gordianum filium nomine Antonini illuſtraſſe, quum apud Præfectum ærarii more Romano profeſſus filium, publicis actis nomen eius inſereret. Sub Auguſto igitur Tiberium natum, ex actis publicis ſe recepiſſe, inquit Suet. iure optimo. Res enim illuſtres annalibus, alias vero diurnis actis vrbis mandari, teſtatum reliquit Tacitus *lib.13.* Ita Suet. *in Ceſare, c.20.* ſcribit, illum inſtituiſſe, vt tam Senatus, quam populi diurna acta conficerentur & publicarentur.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.
### CAP. VI.

*Per Siciliam quoq; & Achaiam circumductus, ac Lacedæmoniis publice, qui in tutela Claudiorum erant, demandatus, digrediens inde itinere nocturno, diſcrimen vitæ adijt.*

Apud antiquos Romanos moris fuit, vt prouinciales & ſocii populi Romani in clientelam ſeu tutelam ſe darent proceribus Romanis, dico in clientelam priuatam, quia quamuis etiam ſe in tutelam totius Reip. daret, ea publica appellabatur, ſicuti hæc, de qua verba facturi ſumus,

priuata,

Priuata erat autem vinculum huiuſmodi, vt clientes perpetuo patronorum ſuorum patrocinio ſeſe ac fortunas ſuas tuerentur, viciſſimque ipſi patronos ſuos colerent, & omni ſtudio venerarentur. Hæc autem neceſſitudo ſeu clientela non vinculum perſonale, ſed gẽtilitium in pluribus familiis fuit, & ad hæredes tranſiens, ita vt hæc vel illa potens Romana familia, huius vel Coloniæ vel Prouinciæ patrona diceretur. Hos autem à Romulo in Rempublicam inductos, teſtatur Dionyſ. Halycarnaſſ. *in Romulo*; vt enim ciues patricios plebeiorum patronos tutelareſque conſtituit, ſic colonis ac ſociis populi Romani patronos ſibi deligendi facultatem fecit, quorum opera in ciuitate vterentur, ſi quid eſſet, quod ſua intereſſe exiſtimarent Romæ curandum. Quod quidem compluribus authoritatibus comprobare poſſumus, & præſertim ex Cicer. ſcribente in orat. pro Sylla: *Primum omnis Pompeianorum colonorumq́ diſſenſio delata ad patronos eſt, quum inueteraſſet, & per multos annos eſſet exagitata, deinde à patronis ita res cognita eſt, vt nulla in re à cæterorum ſententiis Sylla diſſenſerit.* Idem pro Roſcio: *Nam quum multos veteres à maioribus Roſcij patronos hoſpiteſq́ haberent, omnes eos colere atq́ obſeruare deſtiterunt, ac ſe in Chryſogoni fidem ac clientelam contulerunt.* Et in prima in Verr. act. *Clariſſimi viri noſtra ciuitatis temporibus optimus hoc ſibi ampliſſimum pulcherrimumq́ ducebant, ab hoſpitibus clientibusve ſuis, ab externis nationibus, quæ in amicitia populi Romani ditioneq́ eſſent, iniurias propulſare, eorumque fortunas defendere.* Et in 2. in Verr. *Vexauit Puteolanos, quod C. Caſſium, quod Brutos patronos adoptaſſent.* Idem in 5. in Verr. *Itaq́ nunc Siculorum Marcelli non ſunt patroni? Verres in eorum locum ſubſtitutus eſt, quam in te tantam virtutem arbitratus es, vt conarere clientelam tam illuſtrem, tam ſplendidæ prouinciæ abducere & auferre à certiſſimis antiquiſſimiſq́ patronis?* Et rurſus: *Scit hoc C. Marcellus, ſcit is, quem adeſſe video Lentulus Marcellinus, quorum fide & præſidio maxime vtuntur Siculi, quod omnino Marcellorum nomini tota illa prouincia adiuncta eſt.* Liuius lib 25. in orat. Legatorum Syracuſanorum ad Marcellum: *Nunc noſtra de Athenienſibus Carthaginenſibuſq́ trophæa, nunc tua de nobis oſtendat, incolumeſq́ Syracuſas familiæ veſtræ ſub clientela nominis Marcel-*

*Marcellorum, tutelaſq; habendas tradas.* Sueton. in Auguſt. c. 16. *Bononienſibus quoq; publice, quod in Antoniorum clientela antiquitus erant, gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus ſuis.* Et hoc loco, Lacedæmones in Claudiorum tutela fuiſſe, tradit idem Suetonius. Cic. *in Verrinis*, Allobrogos Fabiorum in clientela fuiſſe tradit. Idem in Epiſtolis: *Quare ſi te fautore vſus erit, ampliſſime clientelas acceptas à maioribus confirmare poterit.* Et *in Catilin.* clientelarum prouincialium meminit. Et *in primo de Offic.* patronos vocat, qui ciuitates & nationes deuictas in fidem recepiſſent. Iulius Cæſar *lib. 7. belli Gallici* ſcribit, clientibus Gallorum nefas eſſe, etiam in extrema fortuna deſerere patronos. De clientela plura Gellius *lib. 5. cap.* 13. Ad hæc legimus, M. Catonem illum ſapientem & prudentiſſimum virum, multas grauesque inimicitias geſſiſſe, vt propulſaret iniurias Hiſpanorum, quos in fidem receperat, quum Conſul apud ipſos fuiſſet. Illud enim haud ignorandum, apud ſcriptores eodem ſenſu dici, eſſe in tutela & clientela & fide, quod ex ſuperius dictis patere poteſt. Ita Cic. pro Planco: *Eorumq; preces & vota de meo reditu exaudiens, Dyrrachium, quod erat in fide mea, petere contendi.* Et rurſus: *Iter à Vibone Brunduſium terra petere contendi, quum omnia illa municipia, quæ ſunt à Vibone Brunduſium, in fide mea (iudices) eſſent.* Et Terentius in Eunucho: *Thais ſe patrī commendauit in clientelam & fidem.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO. CAP. VI.

*Poſt reditum in vrbem à M. Gallio Senatore teſtamento adoptatus, hæreditate adita, mox nomine abſtinuit, quod Gallius aduerſarum Auguſto partium fuerat.*

LOcum hunc ſatis obſcurum, mirum certe eſt, vel prætermiſſum, aut ieiune admodum explicatum ab expoſitoribus, præſertim à Torrentio. Beroaldus exponit, *abſtinuit nomine*, id eſt, *noluit nominari Gallius*, quamuis ex more Romano, qui teſtamento adoptabantur, teſtatoris nomen acciperent. Ita Pomponius Atticus cognominatus eſt Cæcilius,

*cilius* à Q. Cæcilio, qui moriens eum teſtamento adoptauit, hæredemque fecit ex dodrante, teſte Cornelio Nepote, & Varrone ſcribente 2 de re ruſt. *Atticus qui tunc Titus Pomponius, nunc Q. Cæcilius eſſet, nomine eodem.* Addamus nos authoritatem Dionis ſcribentis, *lib.* 46. *Hiſt. Rom.* Octauium adoptatum à Iulio Cæſare, dictum C. Iulium Cæſarem Octauianum. Ita & Octauius ex Tacito, *Annal.* 1. du... inſtituit hæredes ſuos, Tiberium ex parte dimidia, & ſextante, & Liuiam ex parte tertia, iuſſit eos ferre nomen ſuum. Et duo priores filii Pauli Æmilii, maior horum à Fabio Maximo, alter à Scipione Africano adoptati, ille Fabius Maximus, hic Scipio appellati ſunt, teſte Plutarcho *in Pauli Aemilij vita.* Sic M. Brutus à Q. Cæpione adoptatus, *Q. Cæpio* dictus. Et P. Scipio à Q. Metello adoptatus, *Q. Scipio* appellatus. Et Tacitus *lib.* 3. ait, Criſpum equeſtri loco natum, C. Saluſtium rerum Romanarum florentiſſimum authorem, ſororis nepotem in nomen adſciuiſſe. Et Caius I.C. *in l. in facta, l.* 62. §. *ſi ſub conditione, verſ. fin. in danda, ad Senatuſconſul. Trebell. lib.* 36. *P. tit.* 1. Quod ſi à teſtatore quid relinquatur nominis ferendi conditione, recte fieri, ſi illam quis expleuerit; remittet tamen prætor hanc conditionem in famoſis & turpibus nominibus, vt ſi nomen Veſpilionis quis deferre iubeatur, quia dignitatis ratio habenda eſt, tradente Martiano, *l. ſed ſciendum, l.* 7. *eod. tit.* Vlp. *l. hoc iure, l.* 19. §. *fin. de donat. lib.* 39. *P. tit.* 5. Apud Cic. etiam *in orat. pro domo*, obſeruamus hæreditatem nominis. Verum quum in ſcriptorum monumentis admodum infrequens ſit obſeruatio eorum, qui hæredibus teſtamento non ſolum hæreditatem, ſed & nominis ipſorum aſſumptionem edixere, præſertim ſi teſtator eſſet minoris dignitatis hærede inſtituto, ſed duntaxat paucorum, & non priuatorum, non poſſumus omnino aſſentiri huic interpretationi, præſertim quum aditam hæreditatem, ſed non ſuſceptum nomen Gallii à Tiberio tradat Suet. Quamobrem aliam expoſitionem indagare coacti ſumus, quam adinueniſſe veram & legitimam profitemur, ſenſumque dictorum Suetonii arbitramur eſſe huiuſmodi, quod adita hæreditate à Tiberio, cum poſtea cognouiſſet,
Gallium

Gallium aduerſarum Auguſto partium fuiſſe, abſtinuiſſe ſe à cõmodo hæreditatis,nec ſe amplius in ea ingeſſiſſe.Siquidem ſub voce *nominis* modo debitum, modo creditum à ſcriptoribus Latinis accipitur; creditum quidem,ſi partem creditoris reſpiciamus, eique *nominis* dictionem applicemus,econtra vero debitum,ſi debitori. Quod pluribus exemplis paulo poſt comprobare conabimur. Quum itaque Tiberius ex teſtamento Gallii creditor hæreditatis ipſius eſſet,ab ea conſequenda ſe abſtinuit; Nominis enim abſtinentia locutione elegantiſſima Suet.ſignificauit hæreditatis repudiationem. Quod vt clarius innoteſcat, ſciendum, Cic.in hac ſignificatione ſæpius *nominis* vocem aſſumpſiſſe, quod & I.C.frequentiſſimum fuit. Hominibus olim obligatio ſcriptura fiebat, vt ait Iuſtin.*ſub tit.de verbor.obligat.* Et Quintil.ait: *Nam ſi quis argentum omne legauit, videri poteſt ſignatam quoq; pecuniam reliquiſſe,ideo etiam quod eſt in nominibus dari voluiſſe creditur.* Quod vt clarius pateat, ſciendum,Romæ olim moris fuiſſe, vt vnuſquiſque paterfamilias domi haberet tabulas, in quibus acceptum & expenſum deſcriberet, ſicque debitorum & creditorum nomina, vt Cic.*in orat. pro Cluentio* demonſtrat. De earum tabularum fide Cenſores quinto quoque anno ciues ad iuſiurandum adigebant,teſte Dionyſ.Halyc.*lib.*4. Hinc fidem in iudiciis facere ſolebant, vt ex Cic.*in orat.pro Q.Roſcio* colligit Hot. In hac ſignificatione nomina accepit Vlp.*in l.*4. *D. de pecu.* & Pomponius *in l.*1.*D.de annuis lega.* Extat etiam apud Scæuolam faciendi nominis mentio, *in l.Thais,*41.*in fin. D. de fideicom.libert.* Quod autem nomina dicerentur in tabulis tituli debitorum,docet Plautus in Curcul.

*Noui adepol nomen,nam mihi iſtoc nomine*
*Dum ſcribo,expleui totas ceras quattuor.*

Et Seneca lib. de Benefic.3. *Ille* ( inquit ) *per plurium tabulas nomina interpoſitis parariis facit.* Cic.in Topicis ait: *In nominibus eſſe,& in tabulis deberi.* Et in Philipp. *Pecuniam alicui eſſe in nominibus,numeratã non habere.* Et in Epiſt.ad Att. *Si Fabritius nomen illud explicat,noli quærere quanti.* Et rurſus: *Nomina mea per Deos expedi.*Et iterũ: *Etſi nomina iam facta ſunt, vel induci,vel mutari*

*mutari poſſunt*. Et in Offic. *Caninius nomina facit, negotium conficit*. Et in Saluſt. *Ex Africa tantum hic exhauſit, quantum potuit, aut fide nominum traijci, aut in naues contrudi.* Et in orat. pro Quin. *Quum æris alieni aliquantum eſſet relictum, quibus nominibus pecuniam Romæ curari oporteret*. Et iterum: *Moritur C. Quintius, qui tibi, vt ait, certis nominibus grandem pecuniam debuit.* Et rurſus: *A me nominis eius, quod inficiatus eſſet, diem petiuit.* Et in Epiſt. Famil. *Nomen erat ſeſtertiis triginta.* Et alibi: *Quum pecunias ſumpſiſſet mutuas, nomina ſua exegiſſe, prædia vendidiſſe diceretur.* Et lib. 4. Epiſt. ad Att. Epiſt. vlt. *Hæc pactio non verbis, ſed & nominibus & præſcriptionibus multorum tabulis quum eſſe facta diceretur, prolata à Meuio eſt, nominibus inductis, authore Pompeio.* Ex hac autem nominis ſignificatione nata ſunt hęc loquendi genera, quæ deinceps ſubiicimus; videlicet: *Nomina diſſoluere.* Cicero pro Plancio: *Hoc nomen quod vrget nunc, quum petitur diſſoluere.* Et Catilina apud Saluſtium: *Non quia æs alienum meis nominibus ex poſſeſſionibus ſoluere non poſſem, quum & alienis nominibus liberalitas Aureliæ Oreſtillæ ſuis filiæq; copiis perſolueret.* Item & *nomina exigere.* Cicero Verr. tertia: *Quum per eos ipſos dies, per quos cauſam Dio diceret, reperiretur pecunias ſumpſiſſe mutuas, nomina ſua exegiſſe.* Ita hic, *nomen bonum*, pro debitore bonæ fidei, & qui ſit ſoluendo; Cicero Epiſt. 6. lib. 5. Seſtio: *Ego autem meis rebus geſtis hoc ſum aſſequutus, vt bonum nomen exiſtimer.* Et ad Atticum: *Nam aut bono nomine centeſimis contentus erat, aut non bono, quaternos ſperabat.* Et apud Iuriſconſultos Paulus l. inter cauſas 26. §. 2. D. de manda. *Bonum nomen facit creditor, qui admittit delegatum*; & ſecundum hoc loquendi genus in Senatuſconſulto Macedoniano ſcriptum eſt: Bonum nomen filiumfamilias fieri non poſſe. Econtra *nomina deteriora peiorave* dicuntur, quorum difficilior eſt exactio, quique bonis facultatibusque lapſi, non ſoluendo facti ſunt. *l. 37. D. ſi certum petat. l. 30. D. ad leg. Falcid. l. fin. §. penult. D. de adm. re. ad ciu. pertinen.* Et Columell. libro 1. cap. 7. *Alphius fœnerator optima nomina non appellando fieri mala, dixit.*

Ex his omnibus ſuperius dictis confirmari facile poteſt noſtra huius loci interpretatio, quod ſcilicet Tiberius poſt

aditam

aditam G. [illegible] hæreditaté nomine abſtinuerit, id eſt, vſu & credito ipſius hæreditatis, quod creditum adeptus fuerat iure teſtamenti, & hæreditatis aditæ; necnon etiam agnoſci, doctiſſimum Budæum *in annotat. in Pandect. ex l 1 ad Senatuſconſultum Macedon.* non exacte nominis ſignificationem explicaſſe. Tacitus de Tiber. *lib. Annal. 2.* ſcribit, illum Patuleii equitis Romani hæreditatem, quanquam ipſe hæres in parte legeretur, tradidiſſe M. Seruilio qué prioribus, neq; ſuſpectis tabulis ſcriptū cõpererat. Et paulo poſt ſubdit: *Neq; hæreditatem cuiuſquam adijt, ignotos & aliis infenſos, eoq; Principem nuncupantes, arcebat, niſi quum amicitia [illegible] ruiſſet.* Quæ quantum expoſitioni noſtræ faueant, non eſt qui non videat.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO. CAP. VI.

*Dehinc pubeſcens Actiaco triumpho currum Auguſti comitatus eſt, ſiniſteriore funali equo, quum Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur.*

FVnale dici à fune manifeſtum eſt, quinimo funale pro ipſo fune acceptum, legimus apud Liuium, *lib. 42.* paulo ante finem, vbi habet: *Funda media duo funalia imparia habebat.* Accipitur etiam pro re quapiam lucente, ex fune aut cera, vel alia re pingui compoſita. Vnde *funalem cereum* obſeruamus apud Valerium Maximum, *lib 3. cap. 7.* vbi de C. Duilio loquitur. Et ſimpliciter funalem pro cereo, apud Ciceronem *de Senectute.* Et in eodem ſignificatu apud Plinium (aut quiſquis eſt) *de viris Illuſtribus.* Et apud Ouidium lib. 12. Metamorph.

*—— Et primus ab æde,*
*Lampadibus denſum rapuit funale coruſcis.*

Et Syllius Italicus lib. 6.

*Cui nocturnus honos funalia clara, ſacerq;*
*Poſt epulas tibicen adeſt.*

Et Virg. lib. 1. Æneid.

*Et noctem flammis funalia vincunt.*

Ex quibus coniicere licet, *equos funales* dictos, in quibus inſiderent ante currum triumphi, qui faces ſeu funalia geſtarent, ſiquidem lumina aliquando in apparatu triumphi iuxta triumphantem deferri ſolita eſſe, vnico exemplo patere poteſt, ex Sueton. *in vita Caſaris, c.* 37. vbi tamen non à proximoribus ſeu filiis triumphantium, ſed à Lycnuchis prælata tradit. Quod vero filii triumphantium, vel in eorum defectu, qui pro filiis proximiores haberentur, in equis triumphalibus ſedere ſolerent, patet ex Cicer. in orat. pro L. Muræna: *At quum ſedere* (inquit) *in equis triumphantium prætextati potiſſimum filij ſoleant.* At quum & hos curru ipſo triumphantium vehi ſolitos accipiamus ex Tacito, ſcribente in triumpho Germanici: *Augebat intuentium viſus eximia ipſius ſpecies, currusq; quinq; liberis onuſtus.* Et Domitianum triumphum patris & fratris Iudaicum equo albo comitatum tradit Suet. *in illo, cap.* 2. Quumque etiam Iulius Capitolinus *in vita M. Antonini Philoſophi* ſcriptum reliquerit, illum die triumphi mille puellas virgines in equis triumphalibus ſecum habuiſſe, nulla facis vel funalis, alteriusve luminis facta mentione, nec minus in tot triumphis præclariſſimorum virorum, quorum meminit Liuius, faces prælatas obſeruemus, idcirco huic interpretationi haud acquieſcere poſſumus, & eo magis, quod in curribus triumphantium in numiſmatibus antiquis cuſis, & præſertim in Auguſti æreo numiſmate, in quo expreſſus currus cum quatuor elephantis iunctis, in quibus totidem pueri inſunt, nullam facem ſeu funale in manibus videamus. Quamobrem aliam ſententiam magis recipiendam putamus, quam Beroaldus, Sabellicus, Onufrius Panuinius, *lib de triumpho*, & Turnebus *lib. Aduerſ.* & Alex. ab Alex. *lib. 5. cap.* 21. receperunt, vt potè veriorem. Vt funalem equum interpretemur, qui non temoni ſeu iugo, ſed à latere ſeu lateribus, fune vel loro adiunctus. Hi vero quandoque bini, quandoq; vnicus erant, ſicuti currum tribus vel quatuor equis ducere contingebat. De tribus extat exemplum apud Statium *in 6. Thebaid.* in ludis Archemori, vbi equum nomine *Thoen* funalem appellat. Sic enim ait:

Nec

*Nec iam ſufficiunt ſtimuli, nec verbera voce,*
*Nominibusq; cient, Pholoen, Admetus, & Iron,*
*Funalemq; Thoen.*

In curru vero triumphali Augusti quatuor fuiſſe, conſtat ex hoc Suetonii loco, vbi D. Germanicum dextero, Tiberium ſiniſtro funali equo inſediſſe, dicit in Actiaco Triumpho. Hunc funalem equum inuenimus, & *habenalem* dictum à Dionyſio *lib.8.antiquit.* inquiente, inſtitutum fuiſſe vetus & heroicum, vt trium equorum currum in ludis decurrerent. Duobus enim equis iunctis, tertius iuxta adhibebatur, *Habenalis* dictus, qui vinctus loris à prætertrahendo, ſimulque iungendo παρίωρος vocabatur à priſcis Græcis. Vnde patet, hunc funalem equum perperam σειραῖον Græcis dici, quod tradit in hunc locum Leuinius Torrentius, quum equi dextri currus in theatro ludentis σειραῖος vox hæc ſignificatiua eſſet, & non funalis appellati.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.
## CAP. VII.

*Primum in foro, ſecundum in Amphitheatro, Rudiariis quoq; quibuſdam reuocatis, auctoramento centum millium.*

RVdiarios hoc loco appellari vnanimi conſenſu, dicunt omnes expoſitores, qui impetrarunt miſſionem artis gladiatoriæ, qua impetrata rude donabantur. At cur rude ob id donarentur, haud ſane explicant. Nos huius cauſam, quam ex ſcriptorum antiquorum monumentis indagaſſe & adeptos fuiſſe arbitramur, ſubnectere volumus, eo vno præſuppoſito, rudem fuiſſe virgam ligneam impolitam, authore Priſciano & Catone *de re ruſt.cap.*104. Ita Plinius *lib.*34.inquit: *Vritur in patinas per laminas minutas cum ſulphure, verſatum rudibus ſerreis aut ferrulaceis.* Quum itaque gladiatorem, iam ætate granem, puta ſexagenarium, vel qui probe pluries pugnaſſet, & multas reportaſſet victorias, à gladiatorio munere Prætor eximeret, eũ donabat rude. Cuius cauſa erat, quod poſthac inuitus cogi nõ poterat, vt gladio in arena pugnaret, ſed dũtaxat artis ſuæ excellentiã rude

batuando oſtendebat. Quod colligimus ex Suet.ipſo *in Caligula,c.32.* vbi habet: *Mirmillonem è ludo rudibus ſecum batuentem, & ſponte proſtratum confodit ferrea ſica, ac more victorum cum palma diſcurrit*; Quod & confirmari poteſt ex Lampridio, ſcribente *in Commodo*, illum in arena rudibus inter cubiculares gladiatores depugnaſſe. Gladiatores autem cubiculares illius non niſi excellentes, & ideo iam miſſione donatos exiſtimandum. Vnde Ouid.

*Et me donari iam rude tempus erat.*

Et Cic.in 2.Philipp. *Tam bonus gladiator rudem tam cito accepiſti.* Et Horatius ad Mœcenatem:

*—— Donatum iam rude quæris*
*Mœcenas, iterum antiquo me includere ludo.*

Et Cic.in Epiſt.ad Octauium: *Qui veteres gladiatores reliquias ludi Cæſaris ad rudem compuliſſet*, id eſt, gladiatores, qui iam miſſionem artis obtinuerant ad pugnandum rudibus compulerat; namque vt gladio aliove ferro ſecante & pungente pugnarent, cogi iure nequaquam poterant. Hoſce rudiarios & *conſummatos gladiatores* dictos, contendit Cælius Rhodig.*lib.& cap.*11. Plinii authoritate, *lib.8.cap.7.* ſicuti & *milites conſummatos*, militia miſſos ſeu emeritos, authoritate Iulii Frontini *Stratagemâtum quarto*, ſiquidem rude & pileo donabantur gladiatores. quum & libertate donabantur, & ferro dimicandi neceſſitate liberabantur, ſed tantum batuere rudibus cogebantur. Ita Septimius Florus de ſpectaculis inquit: *Qui inſigni homicida leonem poſcit, idem gladiatori atroci petat rudem & pileum cum ferro.* Senſus itaque præſentis loci Suetonii erit, Tiberium gladiatores iam artis miſſione impetrata, & rude tantum pugnare ſolitos, ad ferrum & ſanguinariam pugnam rurſus reuocaſſe auctoramento centum millium, id eſt, obligata mercede centum millium. Auctorare enim eſt obligare, & ſacramento adigere, quod de militibus ſæpe Liuius dixit. Et auctoratus dicitur proprie gladiator, qui mercede pacta vel accepta, ſe obligat, vt depugnet in arena. Vnde Horatius lib 2.Serm Satyr.7.

*Quid refert? vni virgis ferroq; necari?*

*Aucto-*

*Auctoratus eas.*

Hinc auctoratio accipitur apud clariſſimos authores pro gladiatorum vēditione ſeu obligatione, cuius iuriſiurandi forma extat apud Petronium, quam refert Turnebus 2. *Aduerſ. cap.* 20. Dicuntur etiam auctorati milites ſacramento militiæ & ſtipendio obligati, ſicut exauctorati obligatione & ſacramento ſoluti. Et Cic. 1. *Offic.* inquit: *Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. Eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſeruitutis.* In eodem ſenſu Seneca *lib. 4. de Benefi.* ait: *Hominem venalis animæ crebris auctoramentis accendebat.* Et alibi: *Nullum malum ſine auctoramento eſt.* Et rurſus ad finem operis: *Magno auctoramento labor peruenit.* Et Paterculus lib. poſteriori vol. *In ea iugulati ciuis Reipub. conſtitueretur auctoramentum.* Et iterum: *Auctoramento funebri ad conſeruatoris quondam Reipub. tantiq; Conſulis irritandam necem.* Et Quinctil. in gladiatore: *Nec difficilem tamen ſub illo præſertim auctoramento habuiſſet miſſionem, ſed noluit gladiator viuere.* Et Plinius *auctoratum vendemiatorem* dixit. Et alibi: *Auctoratum pop. Rom.* id eſt, mercede obligatum. A Liuio *auctoratus proditor* dicitur, id eſt, deuinctus & obligatus pacta pecunia. Poſtremo non reticendum à Sexto Pompeio, *lib.* 15. Lucilii authoritate Rudiarios interpretari, qui ſaga noua perpoliunt, ſed quam appoſite, viderint doctiores.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.
## CAP. VII.

*Et ſemel omnino ex occurſu viſam, adeo contentis & tumentibus oculis proſequutus eſt, vt cuſtoditum ſit, ne vnquam in conſpectum eius poſthac veniret.*

Contentus deriuatum à contendo, ſignificat idem, quod intenſum & vim quandam ſeu vehementiam animi vel corporis addit. In qua ſignificatione vſus eſt Cic. in orat. pro Muræna: *Cum contento curſu hoſtium claſſis Italiam peteret.* Et pro Seſt. *Contento ſtudio curſuq; veniamus.* Et in Tuſcul. *Onera contentis corporibus facilius feruntur, remiſſis opprimunt.*

Et iterum : *Vt in fidibus plurimis, ſi nulla earum ita contenta numeris ſit, vt concentum ſeruare poſſit, omnes æque incontenta ſunt.* Et rurſus : *Baliſtæ lapidum & reliqua tormenta telorum eo grauiores emiſſiones habent, quo ſunt contenta & adducta vehementius.* Et de Orat. *Contenta vox.* Et Horatius:

*Contenta ceruice feram.*

Et Virgilius:

*Contenta ceruice trahunt ſtridentia plauſtra.*

Et alibi:

*Hunc rapidus iam dudum arcu contenta parato*
*Tela tenens.*

Et Lucillius:

*Hic & Muſtipula contenta, ac ſcorpio cauda*
*Sublata.*

Senſus itaque verborum Suetonii eſt, Tiberium aſpexiſſe Agrippinam oculis contentis, id eſt, intente fixis. Hinc Auſonius *Epiſt.* 10. inquit : *Sic enim amatoribus accidit, quando, vt ait Virgil.*

*Oculos in virgine figunt.*

Namque Virgil. habet:

*Turnus ad hæc oculos horrenda in virgine fixus.*

Et iterum:

*Illum turbat amor, oculosq; in virgine figit.*

Tumentes quoque addit Suetonius, ad maiorem vehementiam aſpiciendi imprimendam, quaſi dicat, adeo intenſe Tiberium aſpexiſſe Agrippinam, vt oculi prominerent, ac veluti è capite erumperent. Ita oculis turgentibus aſpicientes, Theocritus vocat κυλοιδιόωντες, à verbo κυλοιδιόω, quod eſt *oculis turgeſco.* Oculos enim in amore duces vocarunt Poetæ. Et Virg. Eclog 8.

*Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.*

Ouidius Epiſt 12.

*Et vidi, & perij, nec notis ignibus arſi.*

Et Plautus in Merc.

*Ego illic adſpicio forma eximia mulierem,*
*Quam ego poſtquam adſpexi, non ita amo, vt ſani ſolent.*

Hominis ſpiritus, tanquam in quibus anima potiſſimum reſidet,

reſidet, in illius paſſionibus ad oculos confugientes, eos tumentiores reddunt, & prominentiores. Vnde iure Plinius *lib. 11. cap 37.* inquit de oculis: *Neq; vlla ex parte maiora animi indicia cunctis animantibus, ſed homini maxime.* Et rurſus: *Profecto in oculis anima inhabitat.* Et Philoſtratus in vita Apollonii, lib. 2. cap. 22. *Oculi, ait, mores hominum indicant.* Quod pariter confirmat Albertus Magnus *lib. 1. Animal.* Sic Galenus *in comment. in Hippocrat. de morb. vulg lib. 3. & in arte medica,* corporis temperamentum, quod conſequuntur mores animi, ex oculis dignoſcere docuit, quod ex Aui. 4. *cap. 3.* & Ariſtot. *in lib. de generat. animalium,* confirmare poſſumus. Si quæ vero animi paſſio ex oculis dignoſci poteſt, ea eſt, quam amorem appellamus. Hinc Ariſtoteles *2. de animalium generatione, cap 5.* oculorum ſedem maxime ſeminalem eſſe cæteris locis, dixit. Et Apoſtolica eſt ſententia, eſſe mœchationem oculos plenos & adulterii. Quamobrem haud mirum, quod Sueton. tradit, Tiberium amantem Agrippinam, contentis oculis & tumentibus eam aſpexiſſe, hincq; illius amorem deprehenſum.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO. CAP. VIII.

*Interq; hæc duplicem curam adminiſtrauit: annonæ, quæ arctior inciderat, & repurgandorum tota Italia ergaſtulorum.*

ERgaſtula loca fuiſſe in agris, in quibus vincti ſerui operarentur, tradidit Beroaldus. Sabellicus ergaſtula interpretatur loca, in quibus lapides vel metalla foderentur. Verum vterque minus apte, ſiquidem nil aliud fuit Romanis ergaſtulum, quam veluti priuatus carcer, locus ſcilicet, in quo ſerui, operarii præſertim ruri includebantur, quum ceſſaſſent ab opere, ne fugam noctu arriperent. Quod & hodiernis temporibus in iis, qui ad quinqueremes damnati ſunt, obſeruari clarum eſt, nauibus armamentis deſtitutis. Ita interpretandus Liuius, quum ergaſtulum appellat locum, in quo mancipia deteriora in

vinculis cuſtodiebantur; nam ait *lib.2.* ductum ſe à creditori, non in ſeruitium, ſed in ergaſtulum & carnificinam. Quomodo enim ruri operam præſtare potuiſſent in ergaſtulis detenti. Quod etiam ex ipſomet Suet. facile colligitur ſcribente *in Aug.c.32.* quod graſſatorum plurimi per agros, viatores liberos & ſeruos raptos ergaſtulis poſſeſſorum ſupprimebant. Et clarius Iuuenal. Sat.14.

*Quem mire officiunt inſcripta ergaſtula carcer*
*Ruſticus.*

Et Sat. 8

*Quid facias talem ſortitus Pontice ſeruum?*
*Nempe in Lucanos aut Thuſca ergaſtula mittas.*

Eunum Syrum in Sicilia refractis ergaſtulis numeroſum exercitum ſeruorum collegiſſe, tradunt Florus *Epit. lib.56.* Plutarchus *in Craſſo.* & Oroſius *lib.8.cap.5.* Varro de re ruſt. *Miſit mox eo virum, qui tota ergaſtula libertate donaret.* Et Plinius ..... *Coli rura ergaſtulis potiſſimum eſt, vt quidquid agitur à deſperantibus,* id eſt, a ſeruis in ergaſtulis cuſtoditis, continente pro contento vſus. Columella *lib.1.cap* 8 de ergaſtulis villarum pertractat, vbi & *ergaſtulanos*, ergaſtulorum cuſtodes & præfectos appellat. Cic pro Cluentio: *M. Aurius in Q. Sergij manus incidit, & apud eum fuit in ergaſtulo.* Et in Epiſt. Famil. *Quæcunq; iuit, ergaſtula ſoluit.* Ex quibus omnibus facile eſt elici ſenſum verborum Suetonii, quod ſcili. et Tiberius, ſicuti alias fecerat Auguſtus, *ex Suet. in illo cap.32.* repurgauit in Italia ergaſtula, in quibus viatores intercepti ſupprimebantur; ad quæ & alii, ne adigerentur nomina dare, & ſacramentum militiæ aſſumere, tanquam ad latebras ſponte confugiebant. Ob id iure Adrianus ergaſtula ſeruorum & libertorum ſuſtulit, teſte Spartiano *in illo.* Liuius *in Epitome lib.95.* ſic ſcriptum reliquit: *Quatuor & ſeptuaginta gladiatores Capua ex ludo Lentuli profugerant, & congregata ſeruorum & ergaſtulorum multitudine Crixo & Spartaco ducibus, bello excitato, Claudium Pulchrum legatum, & P. Vatinium Prætorem prælio vicerunt.* Ex quibus colligimus, non ſolum carceres iam dictos, ſed & ſeruos in illis detentos, ergaſtula etiam appellatos, ad differentiam ſeruorũ, qui extra

cuſto-

cuſtodiam habebantur à dominis, ſic autem dicta à voce Græca ἔργον quod eſt opus, & ἐργάζομαι *operor*, ἐργασία *operatio*, ἐργαστικὸς *operarius*.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### CAP. IX.

*Quas ob res, & ouans & curru Vrbem ingreſſus eſt primus, vt quidam putant triumphalibus ornamentis honoratus, nouo, nec antea cuiquam tributo genere honoris.*

DVo hoc loco maxime perpendenda prætermiſere interpretes, quorum alterum eſt, cur tot confectis bellis Tiberio ouatio, triumphus minime decretus fuerit; alterum vero, cur ouans inſignibus triumphantium vſus fuerit, præſertim curru. Quod ad primũ attinet, dicimus quod etſi Regnum Tigrani reſtituerit, eo deducto exercitu, nihilominus non ob id triumphauit, eo quod minime debellaſſet hoſtes, ſed ſolum eis perculſis & conſternatis, nulla magna clade eis affectis, intento potitus fuerit; quæ ouationem, non triumphum poſtulabant, ex iis quæ tradit Dionyſius Halycarn. *lib*.8. vbi de ouatione C. Aquilii de Hernicis: *Nec minus triumpho honeſtatus receptis à Parthis ſignis, quæ M Craſſo ademerant, ſiquidem ignominia cladis acceptæ tantum eleuata ouatio, non triumphus dabatur.* Et *lib*.5. vbi inquit: *Poſthumio Tuberto Conſuli ouationem, non triumphum, decretam, eo quod cladem paulo ante acceptam cum ignominia aboleu t, dum in ſiniſtro cornu abolendæ ignominiæ cupidus, dexterum hoſtium cornu impulit, nullo vitæ reſpectu, dummodo vinceret, coniiciens ſe in hoſtes medios, quos vicit.* Cuius rei meminit quoq; Pomponius Lætus in compendio Hiſtoriæ Romanæ: *Nec minus geſto bello Rhetico, Vindelicoque, quia non omnino pacatæ Prouinciæ, illi triumphus datus.* Ob eandem cauſam L. Florus *Epitome lib*. 2. ſcribit, in bello Gallogræco negatum triumphum Cn. Manlio; de eaque contentione plura refert Liuius *lib*.38. Quod autem Tiberius prędicta bella non confecerit, conſtat ex Horatio ſcribente:

*Videre Rhæti bella ſub Alpibus*
*—Druſum gerentem, & Vindelicum.*

Qui cum & Germaniæ populi ſint;nec minus de il
Pannonico, quum Dalmatas tantum & Breucos
Quin etiam,quum ex Pannonia & Germania exer
deportaſſet, minime ei triumphus decretus, quo
colligimus *lib. 39.* ſed tantum ouatio. Quod vero
nia & Germania exercitum dereliquiſſet,conſtat e
*lib. 1. Annal.* vbi de tumultu exercituum & legionu
nonia & Germania per initia Principatus & Imper
verba facit. Nec minus Triumphus decretus, q
draginta millia Germanorum deditiorum in Gall
ciſſet, nam qui deditione facta bello finem impon
triumphus non debebatur, teſtimonio Plinii & G
citatis. In ouatione vero, quæ erat minor triumph
prior omnibus aſſecutus eſt Poſthumius Tubertu
re Plinio *lib. 15. cap. 29.*) primum pedibus ouantes
victoriæ egiſſe conſtat ex Dionyſio *lib. 9.* vbi Vet
uantem pedibus Vrbem ingreſſum tradit. Ita &
Maſſurius, ſcribente Gellio *lib. 5. cap. 6.* pedibus i
uantes dixit. Verum poſtmodum vſu factum,vt o
quo inſidentes ouationẽ ducerent. Quod Dion d
de Augusto, de Druſo, de Antonio ſcribit. Et qu
rem difficultatem facit, ſcribit quoque idem de T
quiens: *τὰ ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε*, id eſt, *eq*
*victoriæ pompam egit.* Qua in re Suetonius contrac
detur, qui eam ouationem curru duxiſſe tradit. N
ptores hoſce conciliemus, dicimus Dionem præ
locis, & alibi etiam pluries ouationem cum trium
fundere, & quod magis refert, in re hac ſcriptori
Suet. magis quam Dioni Græco credendum. Quo
dum propoſitum, dicimus; Quum legibus Roma
rio triumphus decerni non poſſet, nihilominus ia
ratorum potentia gliſcente, Senatuſque & Pop.
thoritas & obſeruantia, adulatione in eos valde la
eſſet, Tiberius etſi nomine ouationem duceret,
ipſa Triumphum agere voluit, ob idq, curru vehi, l
rona, aliiſq; triumphantium inſignibus Vrbem ing
uo, nec antea cuiquam tributo genere honoris. Id

*infra c.16.* tradit Tiberium totam Illiricum, quod inter Italiam Regnumq; Noricum & Thraciam & Macedoniam, inter Danubium flumen & ſinum maris Hadriatici patet, perdomuiſſe, ſubdens *ſeq.cap.*17. ob haſce res triumphum ei decretum, ſed diſtuliſſe triumphum, mœſta ciuitate clade Variana. Nihilominus vrbem prætextatum, & laurea coronatum intraſſe.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.
## CAP. XVII.

*Nihilominus Vrbem prætextatus, & laurea coronatus intrauit, poſitumque in ſeptis Tribunal Senatu aſtante, conſcendit, ac medius inter duos Conſules cum Auguſto ſimul ſedit.*

SEpta loca erant in Campo Martio, incluſa tabulatis, in quibus Pop. Romanus ad ferenda ſuffragia conueniebat, ita dicta, quod tabulatis circum cluderentur, ſicuti & ruri loca in quibus animalia clauduntur, ſepta aliquando vocata obſeruamus, & econtra. Locum etiam in Campo Martio, Septa dictum, ouile quoq; appellatum ſæpe legimus, quod Seruius tradit *in Virg. Ecloga* 1. enarrans illud:

*Quamuis multa meis exiret victima ſeptis.*

Licet iniuria hac in re eum Beroaldus vellicet. Quod exemplis facile conuincitur. Septa enim pro ouili accipi, ex allegato Virg. loco patet. Inſuper Varro *de re ruſt.* appellat ſepta, omnia loca in quibus includuntur animalia; Itaque ab eo laudantur ſepta Fuluii Hirpini & Pompeii, quibus feræ incluſæ paſcebantur. Itali *Barium* vocant. Idem Varro lib. 1, cap. 14. *In villa*, inquit, *ædificanda hoc potiſſimum, vt intra ſepta villæ habeas aquam.* Et *lib. eod. cap.*17. inſcriptio eſt de ſeptis, quę tutandi fundi cauſa fieri deberent? Et Cic. in Ant. *Quibus enim ſeptis tam immanes belluas continebimus.* Econtra ſepta Romæ Ouilia dicta conſtat ex mox dicendis. Lucanus dixit:

*——Et miſeræ maculauit ouilia Romæ.*

Id eſt, ſepta. Et Iuuenalis Saty.6.

*——Antiquo quæ proxima ſurgit ouili.*

Hoc quoq; confirmat Dionyſ. Halyc. *lib.*10. vbi de Comitiis

L.Quin-

L. Quinctii loquitur. Et Strabo *lib. 6.* ſcribit, Syllam Dicta-torem in Marianos ad tria millia, vel vt alii, quatuor millia, qui arma proiecerant in Campo Martio, ad ouilia coactos, immiſſis militibus, triduo iugulaſſe. Et Liuius lib. 26. *Citatis (inquit) centuriæ ſenioribus, datum ſecreto in ouili cum his colloquendi tempus.* De huiuſcemodi autem ſeptis Ouidius lib. I. Faſtorum.

*Eſt quoq; quo populo ius eſt includere ſeptis.*

Et Martialis lib. 9. epigram. 60.

*In ſeptis Mamura diu, multumq; vagatus,*
*Hic vbi Roma ſuas aurea vexat opes.*

Et Lucanus.

*Septorumque nefas, & clauſi prælia campi.*

Plinius lib 16. c. 4. *Trabs fuit in porticibus ſeptorum à M. Agrippa relicta.* Auſonius in Panegyrico: *Non paſſus ſepta, non campum, non ſuffragia.* Et Cic. *lib Epiſt. 4. ad Atticum*, oſtendit, in Campo Martio ſepta fuiſſe, quæ Comitiis vſui eſſent, quæ ſepta Cæſar, quum in Gallia eſſet, cogitabat marmorea facere, eaque excelſa porticu cingere, mille paſſuum ſpatio. Et *in orat. pro Milone*, inquit: *Quid? Comitiis in campo quoties poteſtas fuit, quum ille in ſepta corruiſſet.* Et in Ant. *Niſi ſeptis reuulſis introiri in forum non poteſt.* Et Suetonius non ſolum de huiuſmodi ſeptis hoc loco, ſed & *in Auguſto, cap.* 43. meminit C. Caligulam in ſeptis gladiatorium munus edidiſſe, teſtatur Suetonius *in illo cap.* 18. & *cap.* 20. eundem iuxta ſepta Amphitheatrum inchoaſſe tradit, Spartianus ait, Adrianum ſepta reſtauraſſe. Hunc locum autem tabulatis circumclauſum fuiſſe, præter Seruii authoritatem, colligitur ex Cic. *in orat. pro Seſtio*, vbi ait: *Inermem atque imparatum Tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis ſeptorum, & fuſtibus.* Ob id Plutarchus in Mario ſcribit, Marium in petitione Præturæ ambitus ſuſpicionem dediſſe, quod ſui cuiuſdam amici ſeruus intra cancellos viſus fuiſſet, dum populus ſuffragium diceba. ſepta cancellos vocans, eo quod cancellis clauderentur. Cœl. Rhodig. *lib.* 8. *cap.* 6. adnotauit, à Plutarcho in Delfinio ſepta appellata periphracta, vbi creditum habitaſſe Ægeum; rectius forte περιφράγματα. Et ſepta vocantur animalium diuerſorum

concla-

conclauia ad venationem adſeruatorum, vulgo *Barchi*, cuiuſmodi illud celebre fuit prope Ticinenſem vrbem, Regulorum Mediolanenſium olim delitiæ, ſeu (vt alii cenſent) Regum Longobardorum. Septa viuaria appellauit Amm. Marcellin. *lib* 31. de Grariano, in hæc verba: *Ita hic quoque inter ſepta, quæ appellant viuaria, ſagittarum pulſibus crebris dentatas conficiens beſtias, incidentia multa parui ducebat & ſeria* Dicta autem hoc loco ſepta à verbo *ſepire*, quod eſt ſepimento vallare. Ita Suet. *in Auguſto, c.65.* ſcribit, illum Agrippam in inſulā tranſportatum militū cuſtodia ſepſiſſe, vnde & ſepes & ſepta & ſepimēta deriuata. Elegantiſſime Cic. 3. de Orat. *Sepire verborum ambagibus*, pro obſcurare vſus eſt, inquiens: *Quandoquidem iſte circumueſtit dictis, ſepit ſedulo.* Et *ſeptuoſe* pro obſcure apud Nonium Liuius: *Septuoſa dictio, abs te datur.* Illud poſtremo loco adnotare libet, ſepta minus apte à Iureconſultis obices, ſeu clauſtra, quibus vtimur ad impetus fluuiorum coercendos, vocari. Ita Vlpianus, in l. 1. D. de riuis. *Septa ſunt, quæ ad incile opponuntur, aquæ deriuandæ compellendæve ex flumine cauſa, ſiue ea lignea ſint, ſiue lapidea, ſeu ex alia qualibet materia, ad continendam tranſmittendamve aquam excogitata.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO. CAP. XXVI.

*Ac ne Auguſti quidem nomen, quanquam hæreditarium, vllis niſi ad Reges ac Dynaſtas epiſtolis addidit.*

VOx Græca deriuata à verbo δυναστεύω, id eſt, dominor, præſum, vnde δυνάστης, id eſt, magiſtratus, qui poteſtate funguntur in Ciuitate, qui ſunt in imperio, & primas partes gerunt, & δύναμις, id eſt, poteſtas, vis, ac potentia. Vnde Strabo author Græcus, qui Auguſti & Tiberii temporibus Romæ diu verſatus eſt, *lib.* 12. ita ſcribit, de Romanorum Dominio verba faciens: εἰσὶ δὲ καὶ δυνάσται τινὲς, καὶ φύλαρχοι καὶ ἱερεῖς ὑπὸ αὐτοῖς, οὗτοι μὲν τοίζωσι κατὰ τοὺς πατρίους νόμους, id eſt, *ſunt & Dynaſtæ quidam ſub eis*, id eſt, potentatus nomine dominantes, *hi quidem ipſi legibus quibuſdam ſuis viuentes.* Et A. Hirtius de bello Alexandrino, de Cæſare loquens in Bythiniam & Pon-

& Pontum profecto : *Commoratus fere in omnibus Ciuitatibus quæ maiores ſunt dignitates, præmia benemeritis & viritim & publice tribuit, de controuerſiis veteribus cognouit, ac ſtatuit Reges, Tyrannos, Dynaſtas Prouinciæ, finitimoſque, qui ad eum concurrerant, receptos in fidem, conditionibus impoſitis prouinciæ tuendæ, ac defendendæ dimittit, ſibi ac Pop. Rom. amiciſſimos.* Et Cic. ad Att. *Erit nebulo iſte cum iſtis Dynaſtis in gratia.* Et in Ant. *Itemque ſi cæteri Reges, Tetrarchæ, Dynaſtæ.* Ex quibus facile dignoſci poteſt, quod, ſicuti Reges pluribus Ciuitatibus imperant, Tyranni per vim dominium occupant, ita Dynaſtæ magiſtratus homines ſunt in Ciuitate primarii & potentes, eam gubernantes. Vnde nunquam in ſingulari nomine Dynaſtam apud ſcriptores obſeruamus, ſed ſemper in plurali, quia magiſtratus erat non vnius, ſed plurium. Iuriſtæ (quamuis non ſatis proprie) vſurpant hoc nomen pro principibus feudatariis. Ita Caſſanæus *in Conſuet. Burg. tit. 2. §. 1.* meminit conſtitutionis latæ 8. Idus Sept. anni 1486. qua cautum, vt Fiſcus Regius in nothorum bonis occupandis præferatur Dynaſtis. Dynaſtas quos Græci vocant, Latini Poteſtates appoſite appellant.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### CAP. XXVII.

*Conſularem vero ſatisfacientem ſibi, ac per genua orare conantem ita ſuffugerit, vt caderet ſupinus.*

SAtisfacere hoc loco accipitur in eo ſenſu, quo vulgo *Dar ſatisfattione*, ſcilicet, quum ab aliquo, cui iniuria à nobis re vel facto illata eſt, veniam deprecamur, ea excuſata, vel abnegata, vel confeſſa, venia tamen petita. Quod antiquitus fieri ſolebat iuramento addito, vti ex Plauto in Amphit.

*Sc. Durare nequeo, obſeruamus,*
*Aut ſatisfaciat mihi, atque adiueret inſuper,*
*Nolle eſſe dicta quæ in me inſontem protulit.*

Et rurſus Actu 3.

*Mane arbitratu meo iuſiurandum dabo,*
*Me meam pudicam eſſe vxorem arbitrarier.*

Et

Et Sce. ſequenti.

*Quando iſthæc omnia exiuraſti te mihi dixiſſe per iocum.*

Terent. in Adelph. Actu 2. Sce. 1.

*Tu quod te poſterius purges,*

*Nollem iniuriam hanc mihi factam eſſe, huius non faciam.*

Et paulo poſt:

*Noui ego veſtra hæc, nollem factum,*

*Iuſiurandum dabitur eſſe te indignum iniuria hac.*

Apud Iuriſtas Vlp. *l.* 5. de iniuriis inquit: *Hac lege permittitur actori iuſiurandum deferre, vt reus iuret iniuriam ſe non feciſſe.* Quum itaque Suet. ait, Tiberium Conſularem virum ſatisfacientem ſibi, ac per genua orantem ita ſuffugiſſe, vt caderet ſupinus, intelligendum illud de viro iſto, quem Tacitus *lib. Annal.* 1. Q. Haterium vocat, & deprecandi cauſa ad Tiberium veniſſe ait, id eſt, vehementer & ſuppliciter precandi, ſiquidem ait Cic. ad Heren. lib. 1. *Deprecatio eſt, quum & peccaſſe reus confitetur, & tamen poſtulat, vt ſui miſereatur*; ad Tiberium acceſſiſſe. In hunc enim ſenſum ſatisfacere receptum à Cæſare lib. 5. bell. Gall. accepimus, dum ſcribit: *Seſeque paratos eſſe demonſtrant omnibus rationibus de iniuriis ſatisfacere.* Et Cic. in Ant. *Cæſar ad me ſcripſit, vt mihi ſatisfieri paterer à te.* Et ad Her. *Pueri tui modo me pulſauerunt, ſatisfacias oportet.* In hoc eodem ſignificatu vſus eſt Suet. & alias hoc verbo, quemadmodum in Cæſare, c. 73. *Valerium Catullum, à quo ſibi verſiculis de Mamurra perpetua ſtigmata impoſita non diſſimulauerat, ſatisfacientem eadem die adhibuit cœnæ, hoſpitioque patris eius, ſicuti conſueuerat, vti perſeuerauit.* Et in Claudio, cap. 38. *Oſtienſibus, quia ſibi ſubeunti Tiberim ſcaphas obuiam non miſerant, grauiter correptis, eaque cum inuidia, vt in ordinem ſe coactum conſcriberet, repente tantum non ſatisfacientibus veniam modo dedit.* Illud præterea hoc loco ſubiungendum, hunc Haterium, quem Suet. virum Conſularem appellat, Tacitum *lib. Annal.* 4. familia Senatoria fuiſſe tradidiſſe. Hunc autem virum Conſularem à Suet. dictum Q. Haterium clare patet ex ipſo Tacito ſcribēte *lib.* 1. *Annal.* Tiberiū in Q. Haterium ſtatim inuectū, quod dixiſſet. *Quouſq; patieris Cæſar non adeſſe caput Reip. cui Haterius quum deprecandi cauſa palatium introiſſet, ambulantiſque Tiberii*

ad

*ad genua aduolueretur, prope à militibus interfectus, quia Tiberius caſu, an manibus eius impeditus prociderat; Neque tamen periculo talis viri mitigatum Tiberium, donec Haterius Auguſtam oraret, eiuſque accuratiſſimis precibus protectus eſt.* M. Antonius Muretus, vir de re literaria inter recentiores optime meritus, in ſuis ad Catullum Commentariis ait, ſatisfacere, eſſe teſtibus præſentibus affirmare, pœnitere ſe iniuriæ dictæ vel ſcriptæ.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.
### CAP. XXXI.

*Negante eo deſtinatos magiſtratus abeſſe oportere, vt præſentes honori acquieſcerent, Prætor deſignatus liberam legationem impetrauit.*

BEroaldus nonnullas Cic. authoritates hoc loco adducens, quæ tamen eſſet libera legatio, minime definit; reliqui expoſitores rem ſilentio obuoluunt, quamobrem, quid hoc loco per liberam legationem intelligendum ſit, aperire operæpretium duximus, præſertim quum recentiores nonnulli in re hac aperte lapſi ſint. Budæus in poſter. annotat. in Pandectas tit. de leg. *Legationes liberæ* (inquit) *olim ornamenti ſecundum cauſam ab Senatu impetrabantur, quemadmodum honorarii magiſtratus à Principibus honeſtamenti cauſa conceduntur, tituloque tenus obeuntur, & geruntur. Hæ ab his Senatoribus impetrabantur, quibus negotia futura erant in Prouinciis, vt qui hæreditates perſequi, aut legata, aut qui nomina exigere volebant in Prouinciis, legatorum perſonis acceptis, commendabiliores controuerſias haberent, atque fauorabiliores; quamobrem lege 12. tab. id vetitum erat, his verbis: Rei ſuæ ergo ne quis legatus eſto; Quæ verba Cic. lib. de leg. 3 exponit.* Hæc Budæus, cauſam finalem potius legationis, quam quidditatem ipſam deſcribens, vt paulo infra demonſtrabimus, quamuis illius dicta confirmari poſſint Ciceronis authoritatibus, qui *in orat. contra Rullum* ſcribit: *Legatos veſtros authoritate tenui, qui rerum priuatarum quum legationes liberas obeant, tamen exteræ nationes ferre vix poſſunt.* Et *in orat. pro Flacco* inquit, Liberas legationes multos ſæpe bonos viros ſumpſiſſe cauſa nomina exigendi. Et in Epiſt. famil.

Nego-

*Negotiorum ſuorum cauſa legatus eſt in Africam, legatione libera.* Et rurſus in orat. contra Rullum: *Hæreditatum obeundarum cauſa, quibus vos legationem dediſtis.* Idem tertio, de leg. *Legatione hæreditatis, aut ſyngraphas perſequantur.* Legationis liberæ etiam, qua quis ſui commodi, non Reipublicæ cauſa, abeſt, fit mentio ab Vlpiano, *in l. qui libera, D. de legatio.* Hotomanus ſcribit, tribus de cauſis liberas legationes poſtulari ſolitas; quarum prima iam dicta, & à Budæo annotata, ſecunda periculi vitandi gratia, de qua Plutarchus *in Gracchis*, inquiens, Senatum Scipioni Naſicæ liberam legationem in Aſiam decreuiſſe, quum ob mortem Tiberii Gracchi, cuius ille author fuerat, videret plebem aduerſus eundem male animatam, & iam de vindicta cogitantem, tertia voti ſoluendi cauſa, cuius meminit Cic. *libro ſecundo & tertio Epiſt. ad Atticum.* Verum, & hic vir doctiſſimus & ipſe tantum cauſam finalem, non formalem, & quidditatiuam affert. Præterea quam *votiuam* Cic. appellat, non voti ſoluendi cauſa ita dictam, omnes conſentiunt, quinimo votiuam legationem alii potius tradunt ita appellatam à Cic. quod ad votum poſtulantis concederetur; quamuis ego Hotomano in re hac potius aſſentiendum putem, quum in eiſdem Epiſt. ad Att. legatur: *Legatio libera, cauſa voti.* Et alibi: *Votiua ne quidem tibi placebat; etenim erat abſurdum, quæ ſi ſtetiſſet Reſpublica, vouiſſem, ea me euerſa illa vota diſſoluere.* Quamobrem nos eſſentiam legationis liberæ fuiſſe exiſtimamus, ob idque liberas eſſe nuncupatas, quod præfinitum tempus non haberent, ſed ad libitum illius, cui conceſſa fuerat, perduraret, quam libertatem tanquam nimiam Cicero in ſuo conſulatu repreſſit, annuas faciens, poſtea lex Iulia quinquennales indulſit. Ita Cic. ad Att. lib. 5. Epiſt. 6. *Habent*, inquit, *vt opinor liberæ legationes definitum tempus lege Iulia, nec facile addi poteſt; bella eſt autem huius iuris quinquennarii licentia.* Legationis liberæ meminit & Brutus *lib. 2. Epiſt. fam. Epiſt. 1.* per hæc verba: *Quum in his anguſtiis verſarer, placitum eſt mihi, vt poſtularem liberam legationem mihi, reliquiſque noſtris, vt aliqua honeſta cauſa proficiſcendi quæreretur.* Et præter citata loca, Cic. *in Philip.* inquiens: *Cum haberem legationem liberam;* Et in orat. pro Q. Fra. *Illud autem, quod*

Oo *cupit*

*cupit Clodius, eſt legatio aliqua. ſi minus per Senatum* *libera.* Memoratu dignum & illud, quod Cic Cornificium, *epiſt.21. lib.12.* eos ſcilicet, qui cu tione Senatores mittebantur, lictores, à proui giſtratibus, & cæterorum legatorum inſignia a itaque ſenſus huius loci, Prætorem deſignat honori non acquieuiſſe, ſed liberam legatione ſe à Senatu, nec Tiberio conquerente.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIB

## CAP. XXXI.

*Iterum cenſente, vt Trebianis legatam in opus nou niam ad munitionem viæ transferre concederetur potuit, quia rata voluntas legatoris eſſet.*

LOcum hunc Suetonii à nullo expoſitore ctum exiſtimo. Beroaldus & Sabellicus legu à Trebula oppido, quos Trebulanos & Balinie tradunt à Plinio *lib 3 cap.5.* qui eodem *lib. cap. 1* bulanos populos Mutuſceos & Suffenates ap dit; vnde conſtat Trebulam antiquitus *Mutiſc* quod & Blondus confirmat, Seruium ſecutus illud Virgilii 7. Æneid.

*Ereti manus omnis oliuiferæque Mutiſcæ,*

Inquiens, poſtea *Tribulam* dictam; quo in loco g pendus Seruius, qui eam exiſtimat vrbem, apu Annibale inſignem cladem Romani accepere, c ciderit (ſi Liuio credimus *lib. 21.*) apud Trebia Galliæ Togatæ ſeu Ciſalpinæ, prope Placentiar vero, quę hodie *Treui* vulgo dicitur (ſi Fratri Lea adhibeamus in ſua Italia, vbi de Vmbria tractat) p nos fuit; quam hodie *Trepergole* dici docet (ſed pe ſuis ad Ptolemæum Cõmentariis Petrus Andrea lus. Quodq; in Sabinis Trebula fuerit, præter Pli cent Strabo & Ptolemæus. Et Dion. Halyc. *lib. 1.* prope viam Quintiam ſtatuit, quam in Sabinis manifeſtum eſt. Huius oppidi quoq; meminit M *Epigram.* celebrans Cæſeum Trebulanum:

*Trebula nos genuit, commendat gratia duplex,*
*Siue leui flamma, ſiue domamur aqua.*
*Humida, quam gelidas immittit Trebula valles,*
*Et viridis cancri menſibus alget ager.*

Leuinius Torrentius in hunc locum, *Trebulanos* & ipſe legit, & reponendum ait *Otriculanos*. At omnes hæ expoſitiones haud legitimæ ſunt. Siquidem Trebiam locum fuiſſe non multum diſtantem à Roma colligimus ex Liuio *libro* 2. ſcribente, Volſcos Romanis ademiſſe plura oppida prope vrbem, inter quæ Trebiam enumerat. Hanc aliam à Trebula Liuio fuiſſe conſtat *libro* 2. ſcribente, Trebulam à Romanis receptam. Et per initia *lib.* 11. Trebulanos ciuitate Romana donatos, Lucio Genucio & Ser. Cornelio Coſſ. qua de re *Trebianis* legendum facile conuincitur, ſicut quoque Trebianos legi obſeruamus apud Plinium *lib.* 3. *cap.* 5. in aliquibus Codicibus, vbi alii textus *Trebanos* habent, quos non diſtantes, diuerſos tamen à Trebulanis fuiſſe demonſtratur ex eodem Plinii loco.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.
### CAP. XXXIV.

*Quotidiana oſcula prohibuit edicto.*

ÆLius Donatus enarrans illud Terentianum,
*O Thais mea, meum ſuauium,*
Inquit, oſculum, ſuauium, & baſium inter ſe diſtingui, nam oſculum officiorum eſſe, ſicuti quum amicum oſculamur, baſia pudicorum affectuum, vti quum Pater & filius inuicem ſeſe deoſculantur, ſuauium vero libidinum, ita à ſuauitate dictum; quæ tamen diſtinctio haud veritati conſentanea, ſiquidem hæc inter ſe confunduntur, nam & oſcula & baſia impudicorum dicuntur, ſuauia pudicorum. Prioris habuimus exempla apud Ouidium primo de arte amandi.

*Quantum defuerat pleno poſt oſcula voto?*
Et paulo ante:
*Oſcula, qui ſumpſit.*

Et alibi:

*Oſcula ſi dederis,fiam manifeſtus amator.*

Poſterioris habemus exemplum apud Ciceronem ad Atticum, libro 16. *Attica,quoniam (quod optimum in pueris eſt) hilarula eſt, ſuauium des.* Oſculum vero quum variis de cauſis ab antiquis,præſertim Romæ,datum obſeruemus,de quo oſculorum genere Suetonii verba in præſenti loco intelligenda ſint,indagandum. Cognationis gratiâ oſculum olim datum fuſe docuimus,in eiuſdem authoris Claudio, *cap.* 26. Oſculum quoque honoris, ac religionis cauſa exhibitum legimus apud Plinium,*lib.*28.*c.*2. *& lib.*11.*cap.*45. & Plutarchum *in Catone Vticenſi.* Cicero *in Ver,* dum de ſtatua Herculis agit *Cuius mentum paulo attritum* ( inquit ) *quod in precibus ac gratulationibus non ſolum venerari eam, ſed & oſculari ſolent.* Liuius libro 45. ſcribit, Regem Pruſiam, quum Romæ veniret in curiam, ſummiſiſſe ſe, & oſculo limen Curiæ contigiſſe, & Deos ſuos Senatores appellaſſe. Quia vero liminibus,& poſtibus religionis aliquid ineſſe Romani putabãt, vti ex Plauto colligimus in Mercat. *Limen ſuperum & inferum,quadam religione ſalutatur;* Hinc illis oſcula data legimus. Virg.2.Æneid.

*Amplexæque tenent poſtes, & oſcula figunt.*

Et apud Tibullum *libro primo, Eleg. prima* , liminibus oſcula dantur:

*Non ego ſic merui,dubitem procumbere templis,*
*Et dare ſacratis oſcula liminibus.*

Sic Hebræi iuxta ſuæ linguæ proprietatem deoſculationem pro veneratione ponunt, vti adnotauit Cœlius Rhodiginus, *libro* 4. *cap.* 3. Poſteriorum Rom. Imperatorum temporibus etiam honoris gratia oſculum dari ſolitum ; ſic Iuſtinianus, *l.*1.*de Domeſt.& Protect.lib.*12. *C. tit.* 7. inquit: *Domeſtici & Protectores Principis deoſculandi,quum ſalutauerint Vicarios tui culminis habeant poteſtatem; Pœna enim ſacrilegii ſimilis erit, ſi his honorificentia non deferatur, qui contingere noſtram purpuram digni habiti ſunt.* In diſceſſu quoque & regreſſu cognatos & affines beneuoloſque deoſculari vetus fuit mos, vt tradidit Xenophon *libro primo Cyripædiæ,* ſic apud eundem *libro* 5. Cyrus pro eodem more Cyaxerem ad ſe venientem deoſcula-

tus

nis eſt. Ita Orpheus *in Argonauticis* refert, Chironem Heroas hoſpites aduenientes oſculo excepiſſe. Et noſtris temporibus, vt ſcribit Sigiſmundus liber Baro *in Comm. rerum Moſcouitarum*, Moſcouitæ ſeu Rhuteni oſculo mutuo hoſpites recipiunt, quod non ſolum apud exteros, ſed & Romanos factum obſeruamus, teſtis eſt Suetonius *in Nerone, cap.37.* ſcribens: *Certe neque adueniens, neque proficiſcens quemquam oſculo impertiuit, ac ne reſalutatione quidem.* Item in Domitiano, cap. 12. *Canidi patris concubinæ, ex Iſtria reuerſæ, oſculumque vt aſſueuerat offerenti, manum præbuit.* Sic Cæſarem ad comitia deſcendentem mater oſculata eſt, *in illo, cap. 13.* Idem Suetonius in Tiberio, cap. 10. *Relictis Romæ vxore, & filio, confeſtim Hoſtiam deſcendit, ne verbo quidem cuique perſequentium reddito, paucoſque admodum in digreſſu oſculatus.* Dion de Traiano ſcribit, eum Senatum oſculo excepiſſe, & dimiſiſſe: Sic Plinius in Paneg. *Gratum erat quod aduenientem Senatum oſculo exciperes, vt dimiſſus oſculo fuerat.* Amicitiæ inque beneuolentiæ ſignum etiam oſculum datum, ex iam dictis patere poteſt. Quibus addamus eiuſdem Suetonii authoritatem *in Claudio, cap.26.* in Othone, cap.6. *Mane Galbam ſalutauit, vtq; conſueuerat, oſculo excepit.* In Vitellio, cap. 7. *Tota via caligatorum quoſque militum obuios exoſculatus.* In Caio: *Marcum Neſtorem Pantomimum etiam inter ſpectacula oſculabatur.* Capitolinus *in M. Antonino Philoſopho* tradit, Apranium Ruſticum ita reueritum & ſectatum, vt ei etiam Præfectus Prætorio ſemper oſculum dederit.

Non ſolum autem deoſculari ſe inuicem amoris eſt indicium, ſed & ſalutationis, qualia fuiſſe quotidiana oſcula, quorum præſenti in textu fit mentio, conjicimus, quæ à Tiberio prohibita ſunt edicto; Cauſam autem adducere cur Tiberius huiuſmodi oſcula quotidiana prohibuerit, etiã indagare libet, quum Suetonius non aſſignet in textus ſerie. Ego ſane prima fronte exiſtimabam, id ab eo factum, vt turpitudinis omnem notam effugeret; ſiquidem oſcula quotidiana frequentare, libidinis excitat ſuſpicionem; quod innuit Martialis *libro 11.* inſectatus baſiorum vſum in illo Epigram *Effugere non eſt Baſſe baſiatores, oſculis enim poterant pueri &*

*puellæ deliniri, mulieres & viri corrumpi*, quod Chriſtianis periculum, & Romanis aliquando exprobratum à D. Paulo 1. ad Roma. Et Cato Cenſorius tanti ſemper exempli fuit, vt Manlium Senatu mouerit, quod interdum præſente filia vxorem ſuauiaſſet, aſſerens ſe nunquam, niſi quum tonaret, à ſua complexum, vti in illo ſcribit Plutarchus, & in præceptis connub. *c.* 12. At certe hæc cauſæ aſſignatio haud ſatisfacit, namque manifeſtum eſt, Tiberium ſuæ iuuentutis annos in Græcia apud Rhodios præſertim, egiſſe, at Græcis ſuauia minime improbata, ſed maximo & celebri vſu comprobata. Ita Theocritus *Edylio* 12. deſcribit apud Megarenſes, inter pueros vere ineunte oſculorum certamẽ agi, vt qui ſuauius eſſet deoſculatus, corollis onuſtus abiret. Iulius Pollux *libro* 10. *cap.* 24. meminit oſculationis à Græcis *χύτραν* dictæ. Suidas *χύτραν* appellat, quæ apud illos fiebat, quum apprehenſis vtrinque auribus, pueros puellaſve exoſculabantur; de qua Tibullus.

*Oſcula comprehenſis auribus eripiet.*

Quod autem Tiberius in omni libidinũ genere ſe exercuerit, & præcipue in turpiſſimis deoſculationibus, patet ex ipſomet Suetonio *in illius vita, c.* 43. 44. *&* 45. Non itaq; cenſendũ, illius edicti aduerſus quotidiana oſcula honeſtã vllã cauſam fuiſſe. Quamobrẽ veriorẽ crediderim aſſignari poſſe, ipſius ſuperbiã & faſtũ, quib. quotidiana oſcula faſtidiret & aduerſaretur, Numidiarũ Regũ exemplo, qui more gẽtis ſuæ nulli mortaliũ oſculum ferebãt; ſic quicquid in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili & trita cõſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuũ eſſe conuenit, tradente Val. Max. *lib.* 2. *c.* 1.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### CAP. XXXIV.

*Item ſtrenarum commercium, ne vltra Kal. Ianuarias exerceretur; conſueuerat quadruplam ſtrenam, & de manu reddere, ſed offenſus interpellari ſe toto menſe ab iis, qui poteſtatem ſui die feſto non habuiſſent, vltra non reddidit.*

MOs fuit Rom. Kal. Ianuariis bonum totum annum ominari, ſibi inuicẽ ſtipem offerentes; Cuius oblationis

originem ad Tacitum Regem refert Symachus *lib. 5. Epiſt.* 4. per hæc verba: *Ab exortu pene vrbis Martiæ ſtrenarum vſus adoleuit authore Tatio Rege, qui verbenas felicis arboris ex luco STRENIAE anni noui auſpices primus accepit.* Ex quibus & appellationis rationem colligere poſſumus, quamuis Sext. Pompeius *lib.* 17. aliam nominis cauſam aſſignet, inquiens: *Strenam vocamus, quæ datur die religioſo ominis boni gratia à numero, quo ſignificatur alterum tertiumque ventorum ſimi is commodi, veluti Trenam præpoſita litera, vt in lato, & lite ſolebant antiqui.* Vnde Nonii Marcelli deprehenditur error, qui Strenas à ſtrenuitate dictas ſcripſit, quum potius econtra, à Strena munere, ſcilicet viris ob virtutem debitum illi ſtrenui fuerint dicti, quod Symachus loco ſupra citato docuit. Quod autem Kal. Ianuariȩ dies ſacer & religioſus eſſet Romanis, alibi fuſe docuimus, & Suetonius hoc loco diem feſtum vocat. Ouidius 1. *Faſt.* & Macrobius 1 *Saturnalium, c.* 7. tradidere, ſtrenas dari ſolitas, in memoriam ætatis Saturni, in qua homines liberales erant. Qui tamen vt ego cenſeo, reſpexere potius ad munera, quæ inuicem mitti & remitti ſolebant ab amicis diebus Saturnalibus, vti adnotauimus ſupra *in Auguſto*, quæ & ipſa communiſſima quondam ſignificatione ſtrenarum nomine comprehenſa; licet proprie dona illis diebus miſſa xenia & remiſſa, *Apophoreta*, dicerentur. Dabantur autem ſtrenæ non ſolum inter priuatos inuicem, ſed & inter priuatos & principem, vti legimus apud Iuriſtas, *l. laudabile* 4. *de Offic. diuerſo. iudic. lib.* 2 *tit.* 18. Quod tamen diuerſimode factum obſeruamus. D. Auguſtus ira parce ſtrenas Kalen. Ianuarii recepit, quamuis omnes ordines vbertim eos afferrent, vt tantummodo ſummarū aceruos delibaret, neque ex quoquam plus denario auferret, reſiduum in publica opera expendens, quemadmodum Suet. *in illo c.* 57. annotauit. Tiberius eius ſucceſſor, vti ex præſenti loco colligimus, quas receperat, ad quadruplum rependebat, quamuis offenſus ſe interpellari toto menſe ab iis, qui poteſtatem ſui die feſto non habuiſſent, vltra non reddidit; ex quibus percipimus, Dionem lapſum, quum *libro* 57. ſcriptum reliquit, Tiberium Imperatorem abſolute ſtrenas recuſaſſe. Caligula

ſumma auaritia permotus edixit, ſtrenas ineunte anno ſe recepturum; ſtetitque in veſtibulo ædium Kalen. Ianuariis ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus, ac ſinu, omnis generis turba fundebat, ſcribente Suetonio *in illo, cap.* 42. Inter Chriſtianos Reges liberaliſſimus Ferdinandus Neapolis ac Siciliæ Rex, populis remiſit ſtrenam, antiquis principibus inueterato quodam iure quotannis reddi ſolitam. In quo non ſolum liberalitatis laudandus, ſed & ſummæ Chriſtianæ pietatis. Siquidem ſtrenas dare pro bono omine futuri anni, tãquam augurium gentilium ritu, Chriſtianis vetitum Pontificio iure. *Can. Non obſeruatis, 26. q. ſi. Can. legant. 36. diſtin.* Cauendumque ne cum paganis feſtiuos eorum dies colamus, Concilio Laodicenſi prohibente *Can. 39. Non oportet.* 18. *diſtin.* Cautum quoque à Concilio Turonenſi, 2. *cap.* 16. Ne ſecundum errorem antiquum quiſquam coleret Kalen. Ianuarias. Et ex Concilio Antiſiodorenſi habito ſub Pontifice Max. anno Domini 613. *Non licet Kalen. Ianuariis, Vercola, aut Cericola* (vt ipſe loquitur) *facere; vel ſtrenas diabolicas obſeruare*, illo enim die boni augurii cauſa in dandis mutuo ſtrenis, prolem ominantes numeroſam, & fruges copioſas, Veneri, & Cereri ſacra facere ſolebant, quæ Vercola & Cericola appellabantur, quaſi dicerent, *Venerem volo, Cererem colo*; ſic enim illas voces interpretandas coniicio. Zacharias Papa *Can. Si quis 26. q. 7.* inquit: *Kalendas Ianuarii ritu paganorum colere, vel aliquid plus noui facere propter nouum annum ſi quis præſumpſerit, anathema ſit.* Noſtris temporibus tamen ſtrenas dare in ſanctis Natiuitatis Domini feſtiuitatibus, & per initia anni noui, frequenti eſt in vſu, præſertim minoribus à ſuperioribus illas exigentes. Illud certe pium; ob bonum Saluatoris noſtri ortus nuncium; iſtud profecto non ita, ſi ad ſuperius dicta reſpiciamus. Bonam manum dicunt, vel mancium, eo, quod manu propria boni ominis cauſa dentur, ſic enim exponenda verba illa textus: *Solebat quadruplum ſtrenam de manu reddere*, ſic plenis manibus Caligulæ ſtrenas datas legimus loco citato. De ſtrenis meminit Auſonius.

*Coram pro ſtrenis excubuiſſe tuis.*

Et

Et Pomponius: *Aſſide ſi qua ventura eſt alia ſtrena ſtrenæ.* Et Ouidius:

*Tu tamen auſpicium cur ſit ſtipes vtile quæris.*

Extat Romæ vetuſti marmoris inſcriptio, non procul ab arcu Septimii Seueri eruti, ex qua ineunte anno ſtrenas dari ſolitas Principibus colligimus, huiuſmodi:

IMP. DIVI F. AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV. EX STIPE, QVAM POPVLVS ROMANVS ANNO NOVO ABSENTI CONTVLIT, NERONE CLAVDIO DRVSO T. QVINCTIO CRISPINO COSS. VOLCANO.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### CAP. XXXVII.

*Romæ caſtra conſtituit, quibus Prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hoſpitia diſperſæ, continerentur.*

COhortes prætorianorum militum in vrbe, ad illius & Imperatoris cuſtodiam ſine caſtris ſub Auguſto fuiſſe, tradit Suetonius *in illo, cap.* 49. his vero Tiberium caſtra conſtituiſſe, quum antea diſperſę per caſtra continerentur, tradit idem Suetonius hoc loco, cuius verba tamen difficultate non carent; namque caſtra Prætorianorum extra vrbem fuiſſe, pluribus authoritatibus demonſtratur, & primum ex ipſomet Suetonio, ſcribente *in Nerone, cap.* 48. illum metu mortis extra vrbem proficiſcentem, vt ſecreto inter Phaontis liberti ſuburbanum, inter Salariam & Numentanam viam circa quartum milliarium, in itinere audiuiſſe ex proximis caſtris clamorem militum ſibi aduerſa, & Galbę proſpera ominantium, & ex obuiis viatoribus quendam dicentem: Hi Neronem perſequuntur; alium ſciſcitantem: Et quid in vrbe noui de Nerone? Equo vero, cui inſidebar, odore cadaueris in via abiecti, conſternato, de-

recta facie agnitum, & ſalutatum à quodam Miſſitio Prætoriano. Ex quibus facile dignoſcitur, caſtra Prætorianorum extra vrbem fuiſſe. Quod pariter colligitur ex Iulio Capitolino *in Maximo & Balbino*, vbi ait, veteranos milites ſe in caſtra prætoria contuliſſe cum ipſis prætorianis, quos cœpit populus obſidere, nec vnquam ad amicitiam eſſent redacti, niſi fiſtulas aquarias populus inciſiſſet. In vrbe autem, priuſquam dictum eſſet, milites pacatos venire, tegulæ de tectis iactæ ſunt, &c. Quod clarius etiam habemus ex Herodiano *in Maximino* ſcribente, prætorianis cum populo Romano diſſidentibus, illos ſe in caſtra recepiſſe, clauſisq; portis, armisque arreptis caſtrorum munia defendiſſe, oppugnante populo, qui tandem defatigatus, & multis ſauciis atque in veſperam vergente die, regredi in vrbem decreuere. Ad hæc idem Herodianus *in Seuero*, vbi deſcribit, Prætorianos extra caſtra ſine armis callide extractis, illos nudatos & exauthoratos relegaſſe in pœnam Pertinacis ab ipſis interfecti; ſubdit eundem militibus ſuis caſtra eorum occupaſſe, deinde Romam petiiſſe.

Ex his omnibus (vt dixi) conuincitur, prætoriana caſtra extra vrbem fuiſſe, quamuis Romæ conſtructa à Tiberio, hoc loco ſcribat Suetonius. Olfecit (vt ego cenſeo, hanc difficultatem) Alexander ab Alexando, *lib. Genialium 6. c. 22.* inquiens, Tiberium Prætorianis, ne per hoſpitia diſperſi populares tumultus facerent, extra frequentia vrbis loca dediſſe, & illos iuxta pomerium vrbis caſtrametatos eſſe. Qua in re tamen illum toto cœlo (vt aiunt) erraſſe, ex iam dictis conſtat. Quamobrem nos concilium aliud excogitauimus, dicentes, caſtra prætorianorum non fuiſſe intra mœnia vrbem circumdantia & munientia, ſed in ſuburbanis Romæ adiacentibus, quod clare docet Plinius *lib. 3. c. 5.* Romæ vrbis magnitudinem deſcribens per hæc verba: *Efficit paſſuum per directum XXX. M. D. CC. LXV. Ad extrema vero tectorum cum caſtris pretoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum menſura colligit, paulo amplius LXX. M. paſſuum.* Si itaque Romam capiamus communiori ſignificatione, quatenus includit & ſuburbia, caſtra prętoria Romæ fuiſſe

fuiſſe dicemus, ſin vero quatenus mœniis colligitur, extra vrbem eadem fuiſſe, non negandum.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### CAP. XXXVII.

*Cæde in theatro per diſcordiam admiſſa, capita factionum, & hiſtriones, propter quos diſsidebatur, relegauit.*

FActiones propriè ſunt hominum cœtus & catervæ, in idem ſtudium minime inclinantes, ſed in diuerſa, inuicem diſſidentes, inter quos æmulatio eſt, alias vocantur *partes*, ita & vulgo *Fattioni, & Parti, & Sette* dicuntur, quibus potiſſimum *Guelfa & Gibellina* appellatis, fere vniuerſa Italia conflagrauit. Cicero *in oratione pro Milone* ſic inquit: *Sæpe inter ſe Milo & Clodius cum ſuis factionibus Romæ depugnauerunt.* Et rurſus: *Factionibus armatorum ſuccincti.* Et ad Q. Fratrem: *Gabinium tres adhuc factiones poſtulant.* Et ad Atticum: *Tenuiſti prouinciam per decem annos, non tibi à Senatu, ſed & à teipſo per vim & factionem datos.* Et ad Herennium: *In inuidiam trahemus, ſi vim, ſi potentiam, factionem & diuitias proferemus.* Quas vero hiſce locis appellat factiones, alibi *partes* dixit. Ita ad Atticum: *Animi hominum infecti partibus.* Et in Catilinam: *Partium quædam contentio tum in Republica verſata eſt.* Et de petitione Conſulatus: *Homo nullarum partium.* Et in oratione pro Quinctio: *Studium partium.* Et in Anton. *Alteri victi ſunt, alteri ſunt è mediis partibus Cæſaris.* Ita Cæſar *lib. 1. de bell. Gall.* Galliam vniuerſam in duas factiones diuiſam dixit. Et lib. 6. *In Gallia non ſolum in omnibus ciuitatibus atq; pagis, partibusque, ſed & pene etiam in ſingulis domibus factiones ſunt.* Factiones optimatum & plebis, pluries obſeruamus apud Liuium, qui *lib. 4.* auream illam ſententiam protulit, ex hominum corde nunquam euellendam: *Factiones* (inquit) *fuerunt, eruntq; pluribus populis maiori exitio, quam bella, quam fames, quam morbi.* Et lib. 9. *Fabium Rullum Maximum dictum, quod omnem forenſem factionem coegerit.* Quod & Val. Max. *lib. 2. c. 1.* confirmat. Suet. *in Cæſ. c. 11.* factionis optimatũ Romæ

memi-

meminit, vt interim omittam Marii & Syllæ, Cæſaris & Pompeii,aliasque huiuſmodi Romæ ciuiles factiones.Fuiſſe factiones & partes in Sicilia, tradit Thucidides *lib.3.belli Pelopon.*In omni fere Græcia fuiſſe partes & factiones,docet Strabo *lib.*14. Athenis extitiſſe factiones duas,Pedios & Paralos, tradit Plutarchus *in Solone*, illos tamen Ariſtoteles *in Polit.lib.& c.*5.Pedianos vocat, & Plutarchus *in Politicis* Pandicos,& Dionyſ.Halycarnaſ.*lib.*1.eorundem meminit,necnon & Thucydides *lib.8.belli Pelopon.* & Probus Æmilius *in Phocione*, Athenis fuiſſe factiones optimatum, cui Caſſander præerat,& plebeiorum,cui Polyarchon,tradit. Et Plutarchus *in Pericle* meminit duarum factionum Athenienſium, vnius Thucydidis, Periclis alterius. Aliquando plurium,vti Ephialtis,Myronidis,Thomidæ,Cimonis & Leocratis. Duas factiones fuiſſe in Theſſalia accepimus à Cæſare, *lib.3.belli ciuilis*, vbi inquit: *Caſsius in Theſſaliam peruenit cum legione.* Hic quum eſſent factiones duæ,varia voluntate ciuium vtebantur. Egeſaretus veteris homo potentiæ Pompeianis rebus ſtudebat, Petreius ſummæ nobilitatis adoleſcens, ſuis ac ſuorum opibus Cæſarem enixe iuuabat. Apud Mileſios vna Plutis,alia Cheromacha factio fuit, tradente Plutarcho *Problemate* 145. Heraclides Ponticus *lib.*2. & ex eo Athenæus *lib.*12.*cap.*8.apud eoſdem alteram factionem fuiſſe dicunt, eorum ſcilicet,qui opes poſſidebant, & popularium,quos ipſe *Gergithas* appellabat. Factiones apud Carthaginenſes fuiſſe Brachinam & Hannoſim, habemus ex Liu.*lib.*21. & alibi pluries. Spartæ duæ factiones fuere, Philas & Obas nuncupatæ,ex Plutarcho *in Lycurgo*.In Chio quoque fuiſſe factiones duas, quarum vnius princeps Onomademus alteram vicit,ex eodem Plutarcho,*in lib.de vtilitate ab inimicis capienda*,& ex Politicis *ad Traianum*.Fuere & duæ Pheræorum factiones, de quibus allegationes *in lib. Oeconomicorum.* Meſſiniorum quoque duas fuiſſe factiones, Androclis & Antiochi,ſcribit Pauſanias *lib.*4. Qui huiuſcemodi factionibus ſtudebant,*Factioſi* dicti.Salluſtius in Catilina: *Cn.Piſo adoleſcens nobilis,ſumma audacia,egens,factioſus.* Et factionarios dictos, qui ex factione erant, vel illam exercebant,

bant, ex lapide antiquo docet Turnebus *lib. Aduerſ. cap.* 11. Factionarii tamen Iuriſtis dicuntur domini factionum, *l. final. C. Theodoſ. de equis curul.* de quibus Suetonius *in Nerone, cap.* 5. & Lampridius *in Commodo.* Et hoc loco factionum capita dicit, factionum ſcilicet Circenſium. In Circo enim antigantium fuiſſe quatuor factiones, docet Sidonius Apollinaris de Narbonenſis vrbis laudibus, quæ diſtinguebantur pannorum coloribus, ex quibus dictæ Praſina, Veneta, Albata, Ruſſata ſeu Roſea, de quibus Iuriſtæ *l.* 1. *C. Theodoſ. de equis curul.* & Feſtus *lib.* 6. & idem Sidonius in Hendecaſyllabis:

*Micant colores,*
*Albus & Venetus, virens, rubenſq́.*

Et Caſſiodorus *variarum lib.* 3. *Epiſt.* cuius initium eſt: *Quantum hiſtrionibus.* Et Caſſiodorus Poeta Thebanus *in Græcorum Epigrammatibus*, & Plinius *lib. Epiſt.* 9. *Epiſt.* 6. & Paulus Diaconus *lib.* 4. *Hiſtoriæ Longobardicæ, cap.* 11. Caſſiod. hoſce quatuor factionum colores cum quatuor anni partibus comparat: Praſinum virenti Veri; Roſeum flammeæ Æſtati; Venetum nubiloſo Hyemi; Album pruinoſo Autumno. His quatuor factionibus binas addidiſſe, auream ſcilicet & purpuream, Domitianum Imperatorem, tradit Suetonius *in illo, cap.* 7. Auream & argenteam, dixit Xiphilinus in illo: τὸ μὲν χρυσοῦν τὸ δὲ ἀργυροῦν ὀνομάσας. Harum autem factionum ſtudioſiſſimos patritios & plebeios variis temporibus non ſolum obſeruamus, ſed & Imperatores ipſos. Vnde perſæpe tumultus & diſſidiæ euenere, quod ex Suetonio præſenti loco colligimus; ſiquidem Vitellius, vt tradit Suetonius *in illo, c.* 14. ita Venetæ factioni addictus fuit, vt quoſdam de plebe ob idipſum, quod Venetæ factioni clare maledixerant, interimi iuſſerit. Et Caligula, *ex eodem Suetonio in illo, cap.* 55. Praſinæ factioni ita deditus fuit, vt cœnaret in ſtabulo aſſidue, & maneret. Et Dion in illius vita ſcribit, adeo ſtuduiſſe homini viridi veſtitu induto, cui ex colore eius veſtis *Praſinus* nomen, vt noſtris etiam temporibus locus, vbi ille currus agitabat, Caianus appelletur. Et Nero, tradente Suetonio *in illo, cap.* 22. quondam tractum

Praſi-

Praſinum agitatorem inter condiſcipulos ſuo
obiurgante magiſtro, de Hectore ſe loqui, en
Et Caligula, *ex eodem Suetonio, cap.55.in illo*, agita
comeſſatione quadam in apophoretis vicies ſeſ
tulit. Iulius Capitolinus de Vero Antonino tr
*& aurigas, Praſino fauens.* Et iterum, à Venetæ fa
minibus, quam odio ingenti proſequebatur,
probra & contumelias tuliſſe, quod contra eos
deret. Herodotus de Caracalla, *lib.4.* ſcribit: D
*nunquam alias factitatum, quum Circenſes ſpectante e*
*manus in aurigam, cui ſtudebat, neſcio quid cauillatus*
*bi contumeliam illatam, repente omnem exercitum fa*
*iuſsit in populum, ac raptare & occidere quemcunqu*
*dixiſſet.* Lampridius in Heliogabalo: *Deinde aſ*
*coloribus exhibuit, vt hodie Praſinum vitreum, alia die*
*inceps exhiberet.* Et rurſus: *Piſces ſemper quaſi in*
*tum colore ſuo, coctos conditura Veneta, comedit.* Ve
interpretatur Egnatius *in annotat. prædicti loci*, q
dictis Lampridii conſtat; nam aqua marina cœr
Et ex Vegetio *lib.4. de re milit.* vbi ſcribit, nautas
ta eſſe induendos, & vela nauium exploratoriá
Veneto eſſe tingenda, vt ſimilitudine coloris
ant, hoſtilesque oculos fallant. Ex quibus oc
colligere poſſumus; Primum, quod quamuis q
ſent Romæ factiones, albatam tamen & roſa
floruiſſe, quemadmodum reliquæ binæ, & int
me praſinam ſeu viridem. Vnde Martialis Saty

*Totam hodie Romam Circus capit, & fragor au*
*Percutit, euentum viridis quo colligo panni:*
*Nam ſi deficeret, mœſtam attonitamq́; videres.*

Alterum, factiones non niſi malas ſemper fuiſſe
quit *lib.7.* quod olim factio honeſtum erat
modo vero ſeditionem & arma ſignificat. Sall
*gurtha* ſcribit: *Inter bonos amicitia, inter malos facti*
ſcripſit etiam Tertullianus *in Apologetico*, his ve
*probi, quum boni congregantur, non eſt factio dicenda,*
D. Auguſtinus ait: *Iuſtorum optimatum conſenſus*

*dicendus*. Ad hæc Iuriſperiti *in l.2.§.cum placuiſſet.ff.de orig.iur.* accipiunt factionem pro diuiſione ſeu conſpiratione in diuerſa ſtudia, vnde diſcordia & ſeditio. Itaque iure optimo Spartianus delendarum factionum cupidum fuiſſe Seuerum, ſcribit *in illo*. Et Capitolinus *de Maximo*, in illius & Balbini vita ſcribit: *Factionibus ſe nunquam præbuit*. Amm.Marcellinus *lib.*14. longa oratione inuehitur in nimium populi Romani, & tam patritiorum quam plebeiorum aurigantium diuerſarum factionum ſtudium ac fauorem. Quæ dicta intelligi volumus de factione in proprio ſignificatu ſuperius dicto. Nam aliter ſentiendum eſt de factione teſtamenti, id eſt, facultate teſtandi, de qua Cicero *in Topicis*, & Papinianus *in l.3.ff de teſtamen*. Item de factione ſumpta pro amicitia, vti Cato apud Soſipatrum, lib.2.Gramm. *Vtrinque ira, vtrinque factiones ſibi pares*, id eſt, iram & amicitiam ſibi parem, vt interpretatur Turnebus *lib.Aduerſ.3.cap.20.* Interdum capitur pro potentia & opulentia ac authoritate alicuius. Ita Plautus in Aul.

*Iſtas magnas factiones, dotes dapſiles nihil moror.*

Et in Ciſtell.

*Neq; nos tanta factione ſumus, neque opes noſtræ tam ſunt validæ.*

Et in Trinummo:

*Veſtras cum noſtris factiones atque opes.*

Turpilius in Traſileone: *Non vtilitate, factione fretus intercedere.* Et Titinnius: *Sed iam metuo hercle, ne nimis ſtulte fecerim, qui ex tanta factione atque opibus ea auſus ſum aggredi.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### CAP. XLVI.

*Vnam modo liberalitatem ex indulgentia vitrici conſecutus, quum tribus claſſibus factis pro dignitate cuiuſque, primæ ſexcenta ſeſtertia, ſecundæ quadringenta diſtribuit, ducenta tertiæ, quam non amicorum, ſed Græcorum appellabat.*

BEroaldus vir doctiſſimus, & Latinæ linguæ peritiſſimus hunc locũ enarrans, toto errat cœlo, vt aiũt; ſiquidem

dem explicat, ſub Auguſto, ex Vegetio, *lib*.4. fuiſſe duas militares claſſes, quarum altera Miſenenſium littori præerat, altera Rauennatum, ita vt ab vtroque mari cuſtodiretur Italia, quibus adiecta tertia à Tiberio, quam Græcorum vocauit, tanquam inſtructa eſſet nauarchis & remigibus Græcis. Hallucinationis cauſa fuit, quod claſſis vocabulum in communiſſima ſignificatione accepit, pro multitudine ſcilicet nauium militarium; quamuis & pro vna tantum naui eiuſdem acceperit Virgilius in 6. Æneid.

*—— Lyciæ ductorem claſſis Orontem.*

Quinimo & pro terreſtri exercitu aliquando accipitur claſſis. Ita Iſidorus *lib*.9. & Seruius quoque exponunt illud Virgilii 2. Æneid.

*Claſſibus hic locus.*

Ita & Plautus in Curcul. *Claſſem vnanimem Amazonum exercitum* dixit. Vnde procincta claſſis dicebatur antiquis exercitus confeſtim pugnaturus. Et claſſis clypeata exercitus, Feſto Pompeio, *lib*.3. Sed & militum ordines claſſes dictæ à Liuio, *lib*.1. vbi de claſſibus factis à Ser. Tullo. Ita & Dionyſ. Halycar. & Appian. *lib*.5. *bell.ciu.* Ita Virg. lib.3.

*Scio me Danais è claſſibus vnum.*

Hinc factum, vt quilibet cœtus ſeu congregatio, aut collegium *claſſis* appelletur. Proinde Quinctil. *lib*.1. *&* 2. diſcipulorum claſſes ait à præceptoribus fieri debere, qua in ſignificatione & hic amicorum Tiberii claſſes appellauit Suetonius. Quis enim in peregrinationibus Tiberio claſſium trium vſus? & ob id ait, illum tertiam claſſem Græcorum appellaſſe, non amicorum. Cur autem appellauerit *Græcorum*, interpretes ſilent. Turnebus *lib*.14. *Aduerſ.cap*.17. legendum putat *Gratorum*, quia licet illi Tiberio grati eſſent, & eis iucunde vteretur, tamen inter amicos non enumeraret. Hanc quoque ſententiam amplexus eſt Torrentius hoc in loco; Mihi tamen prior lectio magis arridet: & ratio eſt, quod quum ex claſſicis, ex quibus conſtat claſſis, ſemper magis probentur primæ claſſis, qui claſsici ſunt. (Vnde metaphorice Gellius *lib*.19. *cap*.8. claſsicos oratores, primæ claſſis ſcriptores vocat; & claſsici teſtes ex Feſto, *lib*.3. dicuntur primæ

primæ authoritatis homines, qui ſignandis teſtamentis adhibebantur, vt latius adnotauit Budæus *in l. vltima, D. de pignorat. act.*) Ita hoc loco Suetonius tertiæ claſſis amicos Tiberii ab eodem *Græcos* dictos tradit, id eſt, minoris authoritatis & nobilitatis, quam prioris & ſecundæ claſsis, qui Romani dicebantur, & erant. Græcos enim hoc pacto Romanis contradiſtingui communiter, in hiſtorica lectione obſeruamus, & non ſemel apud eundem Suetonium, quibus & minorem pecuniæ ſummam largitus eſt. Ad hæc forte & Græcorum claſſem vocauit, quia in ea eſſent illi, qui cum eo comites fuere in ſeceſſu Rhodienſi, de quo ſupra idem Suetonius.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO. CAP. LXX.

*Quæ mater Hecubæ, quod Achilli nomen inter virgines fuiſſet, quid Sirenes cantare ſint ſolitæ.*

TRyphiodorus & Lycophron *in Alexand.* & Tzetzes *hiſt. Chiliade 5. cap. 16.* & Narſus *Chiliad. 8. cap. 226.* tradunt, quod quum Thetis ex oraculis intellexiſſet, filium Achillem breuis vitæ futurum, ſi aduerſus Troianos nauigaret, illum abſcondit in Lycomedis regiarum puellarum conclaui, veſte muliebri veſtitum, ne agnoſceretur. Quod Ouidius *lib. 1. de arte aman.* & Statius *lib. 1. Achilleidos* deſcripſere, quoad Vlyſſes poſitis in veſtibulo regio muneribus fœmineis, clypeum & haſtam admiſcens, tibicine claſſico canente, Achilles dilaniatis veſtibus muliebribus, adeſſe hoſtem exiſtimans, ſcutum & haſtam arripuit, ex quo agnitus eſt, & abductus. Plinius *lib. 35. cap. 11.* ſcribit, Athenione Maronitem pinxiſſe Achillem virginis habitu occultatum, Vlyſſe deprehendente. Quod nomen autem habuerit Achilles, dum virginibus permixtus fœmineo habitu vitam traduxit, hoc loco fatentur interpretes ſe ignorare, nec vllibi id comperiſſe. Hyginius tamen, qui fuit libertus Augusti patris Tiberii adoptiui, *Fabularum cap. 96.* ſcribit, Achillem tunc temporis mutato nomine, Pyrrham fuiſſe

vocatum, quod eſſet capillis flauis; nam Græci πυῤῥὸν ru-
ſum dicunt. Hanc Hyginii ſententiam comprobare poſſu-
mus, quod Achilles, dum inter virgines mentito habitu
degeret, ex Deianira filium generauit, cui Pyrrhi nomen
inditum. Hæc adnotare libuit, quamuis haſce Grammati-
cas quæſtiones inutiles cenſeam, & deridendas potius, ex
Seneca *de breu. vitæ ad Paulinum.* Quinctil. *lib.* 1. Gellio *lib. po-
ſtremo*, & aliis fere omnibus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### Cap. LXXI.

*Abſtinuitq́; maxime in Senatu, adeo quidem vt monopolium nominaturus, prius veniam poſtularit.*

DE monopoliis agi ſolitum in Senatu, ex hoc loco pa-
tet, & ſuperius ex cap. 30. & quidem ad ſubmouenda
ea, non ad innouanda, exiſtimandum; ſiquidem ab aliquo
alio magiſtratu in vrbe vel in prouinciis permiſſa fuiſſent,
hæc enim paſſim à Scriptoribus deteſtantur. Monopolium
autem dicitur proprie, voce à Græcis (vt plures aliæ) mu-
tuata; nam illis μονοπώλιον dicitur, quum penes aliquem ſo-
lum poteſtas eſt alicuius rei emendæ & vendendæ, ἀπὸ τοῦ
μόνον, καὶ πολέομαι, id eſt, *vendo*. Fitque, quum vnus ſolus ali-
quod genus mercaturæ vniuerſum emit, vt & ſolus ven-
dat. Vocatur item Monopolium penſio illa, quæ Principi
vt monopolii alicuius exercitium permittat, pendetur
quotannis, Caſſiodoro *lib.* 2. Quin & Monopolium vocari
contendit Turnebus *lib. Aduerſ.* 28. *cap.* 6. Stationem, vbi res
vna venditur tantum. Monopolii meminit Plautus, in-
quiens:

*Habes murrhinam & calamum, potes monopolium inſtituere.*

In monopoliis abolendis laboraſſe Senatum Romanum
ſuperius diximus, & confirmari poteſt ex Plinii dictis, *lib.* 8.
*cap.* 37. vbi de Herinaceis: *Magnum* (inquit) *fraus & ibi lu-
crum monopolio inuenit: de nulla enim crebrioribus Senatuſconſul-
tis, nulloq́; non adito Principe querimoniis prouincialium.* Extat
Iuſt. *tit.* C. *de monopoliis*, in quo ſtatuitur, monopolia non eſſe

intro-

intromittenda,quoniam non ad commodum Reipub. ſed ad labem detrimentumque pertinent. Quinimo *l.vni.C.de monopol.lib.4.C tit 59.* monopolia ſeuere puniuntur confiſcatione bonorum, & exilio, & bona omnia monopolantium ipſo iure pertinent ad fiſcum.Puniunt & Imperatorię leges nouiſſime latæ in Germania tempore Caroli V. in Comitiis Auguſtæ Vindelicorum habitis anno 1548.*cap. ſeu articulo* 11.eadem pœna publicationis bonorum & exilii monopoliſtas. Franciſcus quoque primus Galliarum Rex prohibuit monopolia pœna confiſcationis bonorũ & corporis vltimo ſupplicio indictis,vti *in Conſtitutione prima eiuſdem de abbreuiat.litium,artic.*191. De qua re plura videre qui cupit,legat Ioannem Berberium *in viatorio Iuris.tit.de collegiis illicitis & monopoliis*, & Franciſcum Lucanum in ſuo tractatu celeberrimo, *in 2.parte principali, de caſibus bonorum publicandorum, num.5.& 6.* Et Iodocum Damhuderium Brugenſem *in Enchiridio praxis rerum criminalium.* Illud ſane nos reticere nolumus,inuentoribus alicuius rei nouæ, ſeu artis Reipublicæ proficuæ, concedi poſſe remunerationis gratia ad aliquod tempus illius ſolum exercitium, præſertim ſi ad victum quotidianum hominum non pertineat, ſicuti in Africa apud Hipponem coralii, aluminis in Sicilia & Etruria, vuarum paſſarum in Achaia, bituminis in Iudæa, aliquando factum obſeruamus. Sic Alexander Seuerus optimus Imperator negotiatoribus, vt Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit, tradente Lampridio in illius vita. At quæ in communi vſu ſunt, victuique humano quotidie neceſſaria, monopoliis reſtringere, hominum induſtriam langueſcere facit, & vrbium deſolationem paulatim gignit. Qua in re Principes ſolertiſſimi cauere debent, ne miniſtrorum auaritia, quibus aliquando nimis fidunt, decepti, ſibi ita impoſturam fieri permittant, vt monopolia concedant, præſenti aliqua vtilitate allecti, quam temporum ſucceſſione experimento ſibi ſuiſque pernicioſiſſimam fuiſſe certo tandem cognoſcent, ſique pœnitentiæ erit locus, non ita quoque facilis damni paſſi reparatio, niſi eodẽ tempore monopolantium

male partam rem, & conſulentium vtilitatiſq; participantium (prout iuris eſt) bona vniuerſa fiſco adiudicarint.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.

### CAP. XII. ET CAP. LXXII.

*Venit etiam in ſuſpicionem per quoſdam beneficij ſui, Centuriones, à commeatu caſtra repetentes, mandata ad complures dediſſe ambigua.* *Et Cap. LXXII.*

*Nam Chariclem Medicum, quod commeatu abſuturus è conuiuio egrediens, manum ſibi oſculandi cauſa apprehendiſſet, exiſtimans tentatas ab eo venas, remanere ac recumbere hortatus eſt, cœnamq; protraxit, &c.*

HÆc loca ambo vniformiter exponi ab interpretibus, erratum eſſe, facile demonſtrabimus, quinimo & ſobrie nimis materiam hanc pertractari ab eiſdem. Commeatus ſignificationem priorem eſſe animaduertimus, alimenta præſertim exercitibus pro victu deſtinata, ſeu annonam exercituum, vel Reipublicæ, aut alterius. Quod conſtat ex Cicerone primum, ſcribente in oratione pro Pomp. *Quum ex omnibus prouinciis commeatu, & publico & priuato prohibeamur, ſuſcepto autem bello, aut tenenda ſit vrbs, aut ea relicta, ille à commeatu & reliquis copiis intercludendus.* Et Cæſare libro primo bell. ciuil. *Reliquas merces commeatusq; ad obſidionem vrbis (ſi accidat) reſeruans.* Et Liuio, lib. 26. *Vt commeatus paratos & in vrbibus haberet, & ex agris de viis in viam proferret.* Et paulo poſt: *Non per vrbes modo, ſed circa viam expoſitis benigne commeatibus.* Secundum hanc ſignificationem, priorem Suetonii locum interpretantur quidam, *Centuriones à commeatu caſtra repetentes*, id eſt, commeatu procurato pro exercitu, reuertentes ad caſtra. Quæ tamen interpretatio floccifacienda, quum nullibi propinqua eſſent caſtra, quorum milites alendi eſſent, procurato commeatu ab illis, quorum officium minime erat huiuſmodi. Qua de re alia interpretatio excogitanda. Commeatus ſignificat apud Scriptores quoque, licentia ſeu venia obtenta à militibus per certum tempus eundi & reuertēdi ad exercitum, & tempus profectionis &

nis & reditus *commeatus* dicitur, &c. Ita Liuius lib. 23. *Magna pars ſine commeatibus dilabebatur.* Et libro 43. *Fama erat, multos ex Macedonicis legionibus incertis commeatibus per ambitionem Imperatorum ab exercitu abeſſe.* Et *libro* 28. vbi de militibus in caſtris ad Sacronem exiſtentibus: *Poſtremo interdiu ac palam ſine commeatu ab ſignis abibant.* Et libro 23. *Et deinde per omne æſtiuorum tempus magna pars ſine commeatibus ab ſignis dilabebatur, neq; alia latebra, quam Capua, deſertoribus erant.* Quinimo apud eundem *libro* 30. extat formula huiuſmodi commeatus concedendi, hiſce verbis: *Si quis veſtrum ſuos inuiſere vult, commeatum do, primo vere adſitis, edico.* Non dabatur hic commeatus, niſi iuſtiſſimis de cauſis approbatis, vt ait Vegetius. De hoc meminere Iuriſtæ *in l.* 1. *&* 2. *&* 14. *D. de re militari.* Hinc & commeatum accipere, *l. miles,* 34. *D. ex quibus cauſis maior.* & commeatum dare, & commeatum impetrare, *l. filij,* 22. *§. penult. D. ad municip.* In eundem ſenſum obſeruamus apud Varronem *libro* 5. *de lingua Latina:* Commeatum petere; Nazianzenus γράμματα τῆς ἀφέσεως vocat commeatum. Et Commeatus (inquit Feſtus) tempus illud ſignificat, quo quis ire & redire poteſt. Hinc etiam Commeatales milites, *C. de offic. Præfect. Prat. Afri. l. in nomine, ſecunda,* vbi legitur: *Nullum audeant Duces vel Tribuni Commeatalem de ipſis dimittere, ne, dum ſibi lucrum ſtudent conficere, incuſtoditas noſtras relinquant prouincias;* Quamuis & Commeatales milites interpretentur, qui vna commeatum accipiunt, vel qui in ſtipendii partem accipiunt alimenta ex commeatu publico. In hunc ſenſum commeatum accepit Suetonius, *cap.* 12. *in Tiberio.* Poſtremo accipitur ſimpliciter commeatus pro itinere, & præſertim traiectione mari facta. Ita apud Ciceronem obſeruamus ad Herenn. *Vt ille, qui ad diem commeatus non venit, quod eum aqua intercluſiſſent.* Et in Verr. *Hunc ſcitote fuiſſe Heraclium in ea cauſa, qui propter grauem morbum oculorum tum quum nauigaret, & iuſſu eius, qui poteſtatem habuit, in commeatu Syracuſis remanſerit.* Et rurſus: *Hanccine impudentiam iudices? Ciuitatibus pro numero militum pecuniarum ſummas deſcribere certo pretio ſexcentos nummos nautarum miſſione conſtituere, quos qui dederat commeatum totius ætatis auferebat.* Sed cla-

rius apud Cæſarem de bello Gallico lib. 5. *Obſidibus acceptis exercitum reducit ad mare, naues inuenit refectas, his deductis, quod & captiuorum magnum numerum habebat, & nonnullæ tempeſtate deperierant naues, duobus commeatibus exercitum reportare conſtituit. ac ſic accidit, vt ex tanto nauium numero tot nauigationibus, neque hoc, neque ſuperiore anno vlla omnino nauis, quæ milites portaret, deſideraretur: at ex iis, quæ inanes ex continente ad eum remitterentur, & prioris commeatus expoſitis militibus, & quas poſtea Labienus faciendas curauerat, numero 6c. perpaucæ locum caperet, reliquæ fere omnes reijcerentur.* In hunc ſenſum intelligenda verba Suetonii in hoc Tiberii *cap.* 72. de Charicle medico commeatu abfuturo, qui Miſenum vſque cum Tiberio deuectus fuerat, & inde diſcedere parabat.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TIBERIO.
## CAP. LXXIII.

*Alij in remiſſione fortuitæ febris cibum deſideranti negatum: nonnulli puluinum iniectum, quum extractum ſibi deficienti annulum, mox reſipiſcẽs requiſiuiſſet. Seneca eum ſcribit intellecta defectione, exemptum annulum, quaſi alicui traditurum parumper tenuiſſe, dein rurſum aptaſſe digito, & compreſſa ſiniſtra manu iacuiſſe diu immobilem.*

HVnc locum explanans Beroaldus, inquit, annulum ſolitum tradi à morte proximis illi, quem hæredem habere volebant, quod comprobat exemplo Alexandri Magni, qui moribundus detractum annulum digito Perdicæ tradidit, tanquam id ſignum foret declarandi, quem vellet ſucceſſorem, ſeu cui mallet Regnum commendare, eiusq; tutelam, ſicuti ſcribit Æmilius Probus, ſeu, vt alii, Cornelius Nepos in vita Eumenis. Addamus & nos Valerii Maximi authoritatem *lib. 7. cap. 9.* vbi ait, Q. Cecilium annulos ſuos morientem L. Lucullo tanquam hæredi tradidiſſe. Quod & M. Popilium Oppio Gallo itentidem feciſſe, paulo infra tradidit Leuinius Torrentius in huius loci explanatione, authoritate Plinii *lib. 33. c. 1.* ſcribit, morientibus & ſomno grauatis de religione quadam annulos dettrahi ſolere. Ve-

re. Verum neutrum horum interpretum huius loci genuinum ſenſum aſſecutum fuiſſe, facile ex mox dicendis luce meridiana clarius innoteſcet. Rom.Imp.& Principes viros olim annulos ſignatorios digito geſtare conſueuiſſe, ſuperius in Auguſto demonſtrauimus, quibus non modo ſcripturas magnifaciendas ſignabant, ſed & pecuniarum, gemmarum, ac reliquarum rerum pretioſarum ſcrinia, ea continentia ſignare ſolebant, nec alicui non niſi probatæ fidei & ſpectatæ credere conſueuerant. Quod facile comprobari poteſt præſertim ex Liuio, *lib.*27.vbi tradit: *Quum Marcellus & Criſpinus Conſules cum Annibale infelici pugna conflixiſſent, quod interempto Marcello Criſpinus Pœni Ducis dolos metuens, qui non ſolum corpore Marcelli, ſed & illius annulo ſignatorio potitus fuerat, ciuitatibus proximis miſit nuncios, admonefaciens, ne Marcelli literis nomine compoſitis fraude deciperentur.* Ita Cicero *in Epiſt.ad Q.Fratrem*, eum admonet, curam annuli ſui ſignatorii tanquam ſuimet curam habeat, inquiens: *Sit annulus tuus non vt vas aliquod ſed tanquam ipſe tu.* Ita Plinius loco citato à Torrentio de annulo ſignatorio ſeu ſigillatorio, (vt vocari etiam docet Cælius Rhodiginus *lib.* 6. *cap.*12.) verba faciens, inquit: *Digito minimo vnum annulum vidi, quo ſignanda ſignent, conditurq́ ille, vt res rata, demumq́ vt plurimum opum, ita ſcelera annulis fiunt; Quæ fuit illa priſcorum vita, qualis innocentia, in qua nihil ſignabatur; At nunc cibi potusq́ vindicantur annulo à rapina. Nunc rapiendæ comparantur epulæ, paritérq́ qui rapiat eas; ſed & claues quoq́ ipſas ſignare, non eſt ſatis, grauatis ſomno aut morientibus annuli detrahuntur.* Ex quibus clare patet, non ſuperſtitione aliqua morientibus annulum detrahi ſolitum, ſed vel fraudis committendæ aut cauendæ gratia, quod manifeſte colligitur ex Valerio Maximo, loco ſupra citato, vbi ait, M. Popilium Oppio Gallo moribundum annulos tradidiſſe, ne quid ex hæreditate amitteret. His ſic ſe habentibus, quis non intelligit ſenſum verborum Suetonii eſſe, extractum annulum Tiberio morienti ab aſſidentibus, vel vt cuſtodirent, neque eo abuterentur, vel vt reſignatis ſcriniis illa rurſus obſignarent. Quam ſententiam & magis confirmat, quod

ex Seneca ſubdit Sueton. Tiberium exemptum annulum, quaſi alicui (nempe confidenti) traditurum parumper tenuiſſe, dein rurſum aptaſſe digito, & compreſſa ſiniſtra manu, iacuiſſe diu immobilem, quum ſcilicet nullum præſentem videret, cuius fidei annulum mandare poſſet. Addamus pro huius noſtræ ſententiæ confirmatione, & Beroaldi confutatione, nulla opus fuiſſe annuli traditione alicui ad declarandum hæredem, quum ante biennium teſtamentum feciſſet, quod ex poſtremo capite à Suet. traditum legimus.

Sed quis forte aduerſus hanc noſtram interpretationem inſurget, inquiens, Annulum, de quo Suet. in textu, minime ſignatorium fuiſſe, quum huiuſcemodi annuli non ab ipſis Imperatoribus, ſed ab illis, qui ab epiſtolis vel à ſecretis erant, apud illos cuſtodirentur. Ita Trogus Pompeius *libro* 43. ſcribit, patrem ſuum ſub Cæſare annuli curam habuiſſe. Et Horat. *lib.* 2. *Serm. Sat.* 2. Mœcenati ſub Aug. eiuſdem annuli cuſtodiam creditam. Quibus ſic ſatisfactum putamus, priſcis temporibus, quemadmodum & præſentibus, Principes annulos ſignatorios plures habuiſſe, nẽpe quoſdam, quibus epiſtolas & acta alia publica obſignarent, quorum illi, qui à ſecretis, vel à libellis & epiſtolis apud ipſos erant, curam habebant. Alios vero, quos digitis propriis geſtabant aſſidue, quibus ſecretiores ſcripturas, gemmarum, pecuniæ, ac aliarum pretioſiorum rerum arces obſignabãt, quod ſatis ſuperq; omnibus palam eſſe non dubitamus. Signatorii huius annuli mentio fit apud I.C. *l. ſignatorius*, 74. *ff. de verb ſign. & l. argum.* § *ornamenta. ff. de aur. & arg. lega. & alibi.* Huiuſmodi ſignatorii annuli non ſemel fit mentio in ſacris paginis, puta *in Geneſi*, *cap.* 41. vbi de Pharaone dicente ad Ioſeph: *Ecce conſtitui te ſuper omnem terram Aegypti; Tulitq; annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius.* Et 3. *Regum*, *cap.* 21. vbi de Iezabel: *Scribit itaq; literas ex nomine Achab, & ſignauit eas annulo eius.* Et *Eſther capite tertio*, vbi de Aſſuero: *Tulit ergo Rex annulum, quo vtebatur, de manu ſua, & dedit eum Aman, quo literæ ſcriptæ ad vniuerſos ſatrapas obſignatæ ſunt.* Et capite 8. *Tulit Rex annulum, quem ab Aman recipi iuſſerat,*

*iuſſerat, & tradidit Mardochæo, qui conſtitutus eſt ſuper domum illius.* Et Danielis *6.cap.* vbi de Dario Rege: *Allatuique eſt lapis vnus, & poſitus eſt ſuper os ſaxi, quem obſignauit Rex annulo ſuo, & annulo Optimatum ſuorum.* Et 1.*Machab.6.* de Antiocho Rege; *Et vocauit Philippum vnum ex amicis eius, & præpoſuit eum ſuper vniuerſum regnum ſuum, & dedit ei diadema, & ſtolam ſuam, & annulum.* Et Tacitus *lib. Annal.* 7. de Vonone Rege Parthis dato ab Auguſto: *Irridebant & Græci comites, ac viliſſima vtenſilium annulo clauſa.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.

### CAP. I.

*Quæſturam quinquennio ante, quam per leges liceret, & poſt eam Conſulatum geſſit.*

EX hoc Suetonii loco conuincitur erroris doctiſſimus Paulus Manutius, affirmans *lib. de Legibus Romanis*, ad Quæſturam petendam, nullam ætatẽ ſtatutam fuiſſe, quemadmodum ad cęteros magiſtratus obtinendos. Si enim Germanicus, quinquennio ante, quam per leges liceret, Quæſtor factus eſt, ergo lex ætatem Quęſtoriam ſtatuebat. Quod etiam ex Quintiliano comprobari poteſt, *lib.12. cap. 6.* ſcribente: *Caluus, Cæſar, Pollio, multo ante Quæſtoriam omnes ætatem, grauiſſima iudicia ſuſceperunt.* Sicuti vero Conſularis ætas erat anno 43. Prætoria, 40. Ædilitia, 37. Ita Quæſtoria anno 27. Namque nullus poterat magiſtratum obtinere, qui decem ſaltem ſtipendia non feciſſet; erat autem militaris ætas annus 17. vti docet Liuius *lib.25.* Quare quum Quæſtura eſſet primus magiſtratus vrbanus qui peteretur, ſequitur Quæſtoriam etiam fuiſſe anno 27. qua ætate vtrunq; Gracchum Quæſturam adeptum tradit Plutarchus. Nec obſtat, quod Cæſar anno ætatis ſuæ 33. Quæſtor factus fuerit ex Suetonio, in illo, *cap.*17. Cic. anno 31. Cato 30. ex Plutarcho. Namque etſi ante annum 27. Quæſturam petere, obtinere, & exercere non licebat, non tamen vlla lege vetitum, poſt eam ætatem id facere.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.

### CAP. III.

*Formæ minus congruebat gracilitas crurum, ſed ea quoq; paulatim replebat aſſidua equi vectatione poſt cibum.*

COlligit ex hiſce Suet. dictis Leuinius Torrentius, Romanos Equites haudquaquã vſos ſtaffeis, ſeu ſtapedis; quod & confirmare contendit ex eo, quod neq; Xenophon *de arte Equeſtri*, neq; Iulius Pollux *de Equeſtribus inſtrumentis* huius equitandi inſtrumenti vſquam meminere, quinimo ex Xenophonte, vbi docet Equitem equum aſcendere, & ibi iacula contorquere, clare colligitur, ſui temporis equites ſtapedis minime vſos. Præterea, nulli priſci ſcriptores nedum expreſſe, ſed non tacite quicquam ad rem hanc faciens monumenti reliquere. Addamus, quod ſi priſci vſum ſtapedum habuiſſent; non vtique Scythis ea mala accidiſſent ob diuturnam equitationem, quæ ab Hip. referuntur *lib. de aere, aquis & locis*, vbi *c. 2.* inquit: *Ab equitatione diuturna eos corripiunt dolores, nimirum propendentibus ſemper ex equis eorum cruribus, deinde claudi fiunt*; Quod etiam colligere poſſumus ex Galeno ſcribente *libro de ſanitate tuenda, c. 2.* Inſidentes æque vtriſque femoribus equi coſtis firmiter hærere, & crura extendere oportere. His adiungamus, equeſtres ſtatuas æneas vel marmoreas excellentiſſimæ ſtructuræ, quæ ad nos peruenere ex antiquitate, cerni ſine ſtaffeis equis inſidere, quod pariter & in antiquis numiſmatibus obſeruamus. Præterea Virg. lib Æneid. 12. ſcribit:

*Infrænant alii currus, aut corpora ſaltu*
*Subiiciunt in equos,*

Ex quibus ſatis conſtare patet, Romanos priſcos nec minus Græcos ſtaffeis non vſos, quum nullibi Homerus de eis quicquam literis mandarit.

Non deſunt tamen qui oppoſitam ſententiam tueantur; authoritate præſertim Auicennæ *1. Cano. Fen. 3. doct. 1. c. 5.* vbi habet, non oportere ſubſellares aut pedum integumenta eſſe iuſto arctiora, quoniam eius membri motus longe facilius arcere valeat frigus, ibi enim Auic. interpres, ea equitantium

tantium adminicula, quibus pedes inſeruntur, vt ſeſſio cõmodior fiat in equo, *ſubſellares* vertit. Verum hæc Auic. authoritas recte intellecta, nihil aduerſus priorem ſententiam concludit; quam & perperam interpretatus eſt doctiſſimus Cœl. Rhodig. *lib.* 21. *cap.* 31. ſimilitudine forte vocis deceptus. Namq; Iacobus de Partibus in Comm. eius loci docet, iuxta antiquam tranſlationem per *ſubſellares* intelligendum ſtrepas, vel ocreas, quę ſubſellares dicuntur, quia equitando ſub ſellis equorum pendent. At quis ignoret, ſtrepas non eſſe ſtaffas, ſed potius genus calciamenti, ſeu crepidæ, ita dictum à verbo *ſtrepo*, quod eſt proprie, pedibus vel alio quocunque modo ſtrepitum facere, quod illis contingit, qui hoc munimento pedes calceati incedunt. Præterea, poſtrema editio ſeu traductio à Iulio Palamede Adrienſi apud Iuntas Venetiis edita, omnem profecto tollit difficultatem: habet enim illius tex. loco ſubſellaris, *ſotular*, quam vocem à ſolea deriuatam puto, eſſeque genus calceamenti potius quam equitandi inſtrumentum illud, vulgo *ſtaffe* appellatum. Illud ſane manifeſtum eſt, Andream Bellunenſem in interpretatione vocum Arabicarum Auicennæ de hac ne verbum quidem feciſſe. Martius Narnienſis *lib. de doct. promiſcua*, *cap.* 25. reprehendit Ioannem Tortellium Aretinum qui antiquos ſtaffarum vſum ignoraſſe credidit, & adducit locum Lucretii huiuſmodi:

*Et prius eſt armatum in equo conſcendere cloſtris.*

Sed quæſo quis cloſtra ſtaffas interpretatus eſt? Ad hæc tex. Lucretii *coſtas* habet non cloſtra. Sed demus legendum *cloſtra* vel *croſta*, deriuatam vocem à Græca κρόσσα, erit potius interpretanda *ſcalam*, quam ſtapedam. Addunt authoritatem D. Hieronymi in quadam Epiſt. ſcribentis, ſe recepiſſe literas, quum pedes in biſtaptria haberet. Sed quid tum? demus tempore D. Hieronymi familiarem & frequentem fuiſſe ſtapedum vſum, non tamen ob id inducendum antiquioribus Romanis eundem communem fuiſſe. Nec pariter obſtat epitaphium marmoreum ab Equite Magio, & Thoma Porcaccio in ſuis funeralibus, & Polyphiro in Hypnoretomachia deſcriptum, in quo ſtapiæ fit mentio, namque

dato

dato quod illud veteri lapidi eſſet inciſum, non tamen tam antiquum cenſendum, vt ad priſcorum Romanorum tempora iure retrotrahi poſſit. Demum huius ſententiæ ſectatores addunt, Equeſtrem illam ſtatuam Antonini Pii percelebrem, & indubitatæ antiquitatis, conſpici in foro Ticinenſi, pedibus in ſtaffeas propendentibus. Nam qui oppoſitam ſententiam tutantur, eas ſtatuæ à poſterioribus ornamenti gratia appoſitas contendunt. Ego ſane crediderim, ſicuti prioribus Romanorum temporibus ſtaffas ignoratas, ita forte poſterioribus & declinante Imperio cognitas, & in vſum tractas.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.
## Cap. XIII.

*Itaque vt Miſeno mouit, quamuis lugentis habitu, & funus Tiberii proſequens, tamen inter altaria & victimas, ardenteſque tædas, denſiſſimo & lectiſſimo obuiorum agmine inceſsit ſuper fauſta nomina, ſydus, & pullum, & puppum, & alumnum appellantium, &c.*

DVbio procul Populus Romanus fauſtis acclamationibus Caligulam excipiens, illum *pullum, puppum*, appellabat; Quæ tamen voces quum apud ſcriptores non ſolum in bonam partem, ſed & in malam acceptæ obſeruentur, mali principatus illius futuri omen dederunt, quod ex mox dicendis clare apparebit. Quod enim fauſtam felicitatem ſignificent, & nomina blandimenti ſint *pullus & puppus*, præſertim nouellæ ætatis pueris accommodata, conſtare poteſt ex Pompeio Feſto ſcribente lib. 14. *Pullus Iouis dicebatur Fabius, cui Eburno cognomen erat, propter candorem, quod eius nates fulmine icta eſſent.* Et Arnobius contra gentes, lib. 4. *Et vt Iouis dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus, obſignaturq; poſticis.* Et Plautus in Caſ.

*Meus pullus, meus paſſer.*

Et Horat. lib. 1. Sat. 3.

*Appellat Pætum patrem & pullum.*

Hinc iure Feſtus ait: *Quem quis amabat, pullum eius vocabat.*

Idem

Idem de puppa affirmandum. Horat. *lib.2. Saty.3.* Puppum & Pupillam appellat. Et Martialis lib.10.

*———Puppam ſe Gellia dicit,*

*Cum ſit anus.*

Varro: *περὶ γήρως*, *Mammam lactis ſugentem paſcere puppum.* Et Auſonius.

*Barbara, quæ Latias vincis alumna pupas.*

At in malam partem pulli vocem acceptam conſtat. Extat enim Epigramma Auſonii in M. Pullarium Felem *num.* 73. quod incipit:

*Quid Marcus? Feles, nuper pullaria dictus.*

Nam vt Felis virginalis à Plauto *in Rudente* dicitur virginum raptor, ita Auſonio *Feles pullaria*, raptor eſt puerorum, & corruptor. Habet enim in eo:

*Peruerſa Veneris poſtico vulnere foſſor,*

*Lucilli vatis ſuppilo pullipremo.*

Vnde Lucilius *pullipremones* vocat compreſſores puerorum, ſeu pædicones. Ita *pupæ* dictæ ſunt imagunculæ, ſeu ſimulacra puellaria, ex linteo inſuta, & tormento infarcita, quas veſtibus amicire ſolent puellæ, & illis ludos ſuos exercere. Varro *περὶ ἀνθρώπων φύσεως*: *Itaque breui tempore magna pars in deſiderium puparum & ſigillorum veniebat. Quas priſcis temporibus virgines pueritiam egreſſæ, tanquam virginitatis ſuæ inſignia Veneri condonabant.* Hæ itaque imagines tanquam vilia rudimenta habita ſunt, & nullius momenti. Vnde Perſius Saty.2.

*Dicite Pontifices, in ſacro quid facit aurum?*

*Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine pupæ.*

Ita & vulgo *Pupones* ſeu *Puoni* per ſuperlatiuum dicuntur ſtolidi viri & inepti; & pupæ diminutiuum *pupulum*. Ita in Catulli Epigrammate:

*Deprendi modo pupulum puellæ.*

Sic *Pupillum*, cuius ſignificatio vulgatiſſima eſt, pupi diminutiuum dixit Caius, *l.141.§.1.ff.de verb.ſign.* His itaque vocibus licet fauſtis & blandis Romana plebs excipiens Caligulam, illius luxuriem & ſtoliditatem inſcia tum, præſagio quodam diuinata eſt. Ex dictis patet, quomodo interpretanda ſint verba illa Liuii libro 42. *Priuerni lana pulla terra enata,*

*enata*, hoc eſt, pura ſeu iuueni, & virgine, quæ ſcilicet non antea fructificauerat.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA. CAP. XVIII.

*Edidit & Circenſes plurimos à mane vſque ad veſperam, interiecta modo Africanarum venatione, modo Troiæ decurſione, quoſdam autem præcipuos, minio & chryſocolla conſtrato Circo, nec vllis, niſi ex Senatorio ordine aurigantibus.*

HVnc locum perperam interpretatum Leuinium Torrentium libet adnotare, non doctiſſimi viri carpendi ſtudio, ſed ne ſtudioſi bona fide periclitentur, quorum beneficio conſulere mens eſt. Inquit itaque Torrentius in Com. huius textus: *Idem factum eſt à Nerone, Plinii authoritate lib.33. c.5. quum ipſe concolori panno aurigatus eſſet., concolorem autem praſinum vocat. Et Neronem, & Caium id feciſſe credendum, quum vterque pari inſania praſinæ factioni fauerit.* Sed Dii boni, quid chryſocollæ & minio cum colore praſino, quum illam lutei coloris, hunc rubei eſſe clare conſtet. Et præſertim id de Chryſocolla eodem loco teſtatur Plinius inquiens: *Chryſocollæ duo genera faciunt, luteumque ſeruant in lomenta, & liquidam globatis ſudore reſolutis.* Et Vitruuius ſcribit pro Chryſocolla, infici cæruleum herba, quæ lutum appellatur. At quum Plinius ſubiungat paulo poſt: *Summa commendationis eſt, vt colorem herbæ ſegetis lætæ virentis quam ſimilime reddat*, excuſari poteſt Torrentii dictum de Chryſocolla; ſed de minio, nullo pacto; Namque Plinius *eodem libro 33. cap.7.* ait, ex arena rubente parari, & inſuper illius arenam cocci colorem habere. Et paulo poſt: *Neque alius eſt color, qui in picturis proprie ſanguinem reddat.* Euſtachius Homeri interpres ſcribit, apud Armenios quandoque rubentes niues conſpici, quod loca illa μιλτῶ, id eſt, minio ſcateant. Ita Miniatas leges obſeruamus appellari ob earum rubricas, quas dicunt, & quod rubro colore earum capita ſint conſcripta. Vnde Perſius Saty 5. ſcribit.

*Excepto ſi quid Maſuri rubrica notauit,*

Loquens

Loquens de Iuriſconſulto Maſurio Sabino.& Iuuen. Sat.14.

*Perlege rubras*

*Maiorum leges.*

Et Ouidius lib.1.Triſtium.

*Nec titulus minio,nec cedro charta notetur.*

Et Prudentius contra Symmachum *lib.*2.inquit:

*———Dicat cur condita ſit lex*

*Bis ſex in tabulis,aut cur rubrica minetur.*

Et Fabius Quintilianus *libro* 12. *cap.* 3. tradit, quod Legulei quidam ad album & rubricas ſe tranſtulerunt. Ita miniatam ceram pro rubea obſeruamus apud Ciceronem ſcribentem ad Atticum lib.15. Epiſt.8. & lib. 16. Epiſt. 6. *Num miniatula cera aliquid notare, eſt loca corrigenda adnotare.* Ita Cicero loco prius allegato de ſcriptis literis inquit: *Vereor ne miniatula cera tua pluribus locis notanda ſint,* Et poſteriore loco: *Ceras enim illas tuas miniatulas extimeſcebam.* Et Vitruuius *libro* 9. *cap.* 3. tradit Democritum de rerum natura ſua volumina & commentaria annulo ſignaſſe, & cera ex milto; Miltum autem antiquis fuiſſe minium conſtat ex Plinio, loco citato. M. Varro *Deos Minianos* vocat eorum ſimulacra antiqua conſuetudine minio depicta,quod Plinius docet *lib.* 33. *cap.* 7. id eſt, colore rubeo. Quodq; conſtat etiam clare ex Virgilio in *Eclog.*10.cui titulus *Gallus*,vbi habet:

*———Quem vidimus ipſi*

*Sanguineis ebuli baccis,minioq; rubentem.*

Quo loco Seruius adnotauit triumphantes ſolitos oblinere ſe rubrica, & ita Camillum triumphaſſe. Quod loco citato etiam confirmat Plinius, & *lib.* 35. *cap.*12. tradit, Iouis effigiem fictilem fuiſſe, & ideo miniari ſolitam,& Æthiopes in bellum profecturi, corpora minio inficiunt, forte, ne vulneribus ſanguinem effluentem agnoſcant, minuſque ideo terreantur,quod tradit Herodotus *lib.*8. Ex his itaque nullo pacto affirmari poteſt, Neronem & Caium circumſtituiſſe minio, eo quod fauerent Praſinæ factioni,id eſt,viridi. Amphitheatrum *arenam* dictum etiam obſeruamus,eo quod locus hic arena ſabulari conſterneretur,vt ſtabiliori gradu pugnantes pedes ſiſterent, & vt, bibula quum ſit ſanguinem proſtren-

profluentem è vulneribus ebiberet, & ſiccaret, ne lubrico pauimento facile caderent gladiatores, & cæteri pugnantes. Aliquando tamen prodigentia Principum raſura lapidis albi locus ſtratus, ſcribente Plinio lib. 36 *Inuenere & alium vſum eius lapidis in ramentis quoque Circum maximum ſternendi, vt ſit in commendatione & candor. Aliquando & minio & chryſocolla*, vt hic tradit Suet.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.

### CAP. XX.

*Edidit & peregre ſpectula in Sicilia: Siracuſis Haſticos Ludos, & in Gallia Lugduni Miſcellos.*

NOn poſſum præterire hunc locum, quem perperam mea quidem ſentẽtia interpretati ſunt viri doctiſſimi: Inter recentiores Leuinius Torrentius hunc textum enarrans, non *Haſticos* ſed *Atticos*, vel *Aciacos* legendum putat. Turnebus *Aduerſ. lib.* 18. *cap* 5. Atticos vel Aſticos reponit. Aſticos autem interpretatur *vrbanos*, quod ſint etiam ludi ruſtici, vel potius Athenienſium ludos, quorum vrbs *Aſtu* dicebatur, ex Athenæo *lib.* 8. *in Dipnoſophiſtis*, vbi Charicles inquit: περὶ ἀστικοῦ ἀγῶνος, & Plutarchus *in Iſocratis vita* ſcribit: διδασκαλίας ἀστικὰς καθῆκεν. In eundem ſenſum legi poſſe ait *Atticos*, id eſt, quales Athenienſes dabant ſcenicos, ſcilicet liberalibus, lenæis, chytris, & panatheneis. Quod ſi quis *Actiacos* legat, non improbo, quod in Italia celebrantur, ex Auſonio Edil. 9.

*Tales Cumano deſpectat in equore ludos*
*Liber, ſulphurei cum per iuga conſita Gauri,*
*Perq; vaporiferi graditur vineta Veſuui*
*Cum Venus Actiacis Auguſti læta trophæis*
*Ludere laſciuos fera prælia iuſſit amores,*
*Qualia Niliacæ claſſes, Latiæq; triremes*
*Subter Apollineæ geſſerunt Leucados arces.*

Idem Turnebus lib. 14. c. 17. *Actiacos*, ait, *faciebant in memoriam Actiacæ victoriæ*, de quibus Maro 3. Æneid.

*Actiaq; Iliacis celebramus littora ludis.*

Sed

Sed quam inepte Virgilii hunc locum adducat, non eſt qui
non videat, celebrabantur enim Iliaci ludi in Actio litto-
re à Troianis; non Actiaci, quum nondum Roma ædifi-
cata eſſet. M. Antonius Sabellicus *Actios* & ipſe legendum
eſſe magis probat, *Haſticos* tanquam verbum nouum reiicit,
nam ſi ab haſta deductum, *Xyſticos* (inquit) *dixiſſet Suet. non
Haſticos, vt alibi*; at pace eius dixerim, longe aliud Xyſtum
vel Xyſticos ludos fuiſſe, conſtare eodem Suet. *in Auguſto, c.
45. & 72. & in Galba, cap. 15.* vt nos ſuperius demonſtraui-
mus, quamuis ξυστὸν Græce haſtam ſignificare non ignorem,
& inde Xyſticos vocatos quandoque gladiatores, qui haſta
vterentur. Ego vero cum Beroaldo dubio procul recipien-
dam vulgarem & Germanicam editionem, exiſtimo quæ
habet *Haſticos:* Non enim video cur potius *Actiacos* iure le-
gendum quis exiſtimet; Quum enim quinquennales Actia-
ci ludi eſſent; ex eodem Suet. *in Auguſto, c.* 18. non vtiq; reti-
cuiſſet Suet. Caligulam Syracuſis Actiacos celebraſſe, quum
ſtatutum tempus celebrandi eos adueniſſet, nec ipſe Romæ
eſſet, ſed in Sicilia; Addamus ex eodem loco, Auguſtum poſt
Actiacam victoriam vrbem Nicopolim apud Actium con-
didiſſe, ludoſq; illic conſtituiſſe. Quamobrem quum Syra-
cuſana vrbs non multum diſtet ab Actio promontorio; non
vtiq; Caligula in ſpectaculorum editione profuſiſſimus, lu-
dis conſuetis Syracuſanum populum & Inſulares Siculos
oblectare elegiſſet. Quod ſi quis etiam ex ipſo Suet. *in Tibe-
rio, c. 6.* Actios ludos Romæ edi ſolitos contenderit, præſer-
tim poſt Actiacum triumphum ab Aug. Romæ habitum,
non abnuemus; at par erit ratio, ſiquidem Siculi & cæteri
prouinciales omnes Romam frequenter proficiſcebantur,
ibiq; præ cæteris etiam diutius & frequentius commorabã-
tur, ob rei frumentariæ negotium, quod ex ſcriptorum mo-
numentis palam eſt. Amplius, quum ex *c.* 23. habeamus, Ca-
ligulam Auguſti inſectatione Actiacas ſingulas victorias, vt
funeſtas populo Romano & calamitoſas vetuiſſe ſolemnib.
feriis celebrari, quis affirmare vere poterit Actiacos ludos,
qui in Actiacæ victoriæ memoriam celebrabantur, Syracu-
ſis edidiſſe? Nec minus cenſendũ *Atticos* vel *Aſticos* (quod

idem eſt) legendum; quum enim apud Græcos potiſſimum quatuor ſpectaculorum genera exhiberi ſolita apud ſcriptores omnes obſeruemus, nempe Olympica, Iſthmia, Pythia, & Nemea, profecto non ita generice Suet. (alioquin exacte diligens in ſcribendo) ludos Atticos appellaſſet. Rationi ideo magis conſonum, quod Haſticos dixerit ab Haſta, ſicuti gladiatorii dicti à gladio, quibus paria pugnantium in ſpectaculis publicis inuicem dimicabant. Quod vero haſtis milites Romani legionarii in bello æque ac gladiis vterentur, (cuius imago quædam erant pugnæ gladiatorum Athletarum, & aliorum Gymnaſticorum (clare conſtat ex Liuio *libro* 8. vbi etiam inquit, quod haſtati omnium primi pugnam inibant. Et Haſtatorum quoque in pugna meminit *libro* 22. Et manipuli haſtatorum *libro* 10. *circa fin.* Et ex Varrone *lib.* 1. aut aliorum computatione 4. & ex Æliano *de inſtruendis aciebus*. Ex Ouidio quoque *lib.* 3. *Faſtorum*, vbi habet de Romulo: *Haſtatoſque inſtituit decem.* Erantque & ſuæ dignitates & munia in haſtatis, ſicuti & in cæteris legionariis militibus, quod docuit Vegetius *lib.* 2. *c.* 8. & ante ipſum elicimus ſatis aperte ex Liuio *lib.* 30. *&* 41. *in orat. Sp. Liguſtini.* Ad hæc qui in prælio ſtrenue pugnaſſet, & præclarum aliquod facinus edidiſſet, haſta pura, id eſt, ſine ferro donabatur, quod docet Seruius in 6. Æneid. eo loco:

*Ille vides pura iuuenis qui nititur haſta?*

Et Flauius Vopiſcus *in vita Probi*, ſcriptum reliquit, illum quum bello Sarmatico adhuc Tribunus multa fortiter feciſſet, inter plura cætera militaria dona, haſtis puris quatuor donatum; Quod factum inquit Sex. Pompeius, quia in haſta ſumma armorum & Imperii erat. Ita ignauis militibus, & qui grauiter deliquiſſent, in pœnam haſtam ademptam obſeruamus ex Feſto Pompeio *lib.* 3. vbi de cenſione haſtaria verba facit. Vel etiam ob eandem cauſam illis haſta defringebatur, ex Amm. Marcell. *lib.* 25. loquente de Iuliano puniente deſertores in prælio aduerſus Perſas, cuius hæc verba ſunt: *Ad indignationem iuſtam erectus Imperator, ademptis ſignis haſtiſq; defractis, eos qui fugiſſe arguebantur, inter impedimenta & ſarcinas, & captiuos iter agere impoſuit.* Addamus frequẽtem vſum

vſum haſtæ in re militari ſatis oſtendere varia haſtarum nomina, & vtendi illis modi diuerſi, ſiquidem *Præpilatas haſtas* legimus dici, quæ ferreas habent cuſpides, quaſi præferratas. Herodotus Hiſt. 7. τυλωτὰ vocat. *Sariſſas & Macedonicas haſtas* prælongas obſeruamus apud Liuium lib.37. & 39. *Velitares haſtæ*, id eſt, quibus eminus iaculabatur, apud eundem *lib.*38 Et apud Ouidium in Ibin.

*Vtq; petit primo plenum flauentis arenæ,*
*Nondum calfacti velitis haſta ſolum.*

Hanc Polybius vocat γέῤῥον. *Amentata haſta* hac grauior erat, & maior, quæ vt maiori impetu torqueretur, habena vel amento media vinciebatur. Vnde *amentatam ſententiam intorquendam*, metaphorice dixit D. Ambroſius. Huiuſmodi *Anſatas haſtas* vocauit Macrobius *lib.6.cap.5.* inquiens: *Spargere ſeſe haſtis anſatis.* Et apud Nonium : *Anſatas mittunt è turribus.* Aceraces haſtæ Perſicæ vocantur ab Arriano , ſicuti Frameæ Germanorum erant , & Geſſæ Gallorum. Haſtas quaſdam Naumachas apud Homerum legimus, quæ erant oblongæ ad naualem pugnam accommodatæ. Haſtas veluti vallum obiectas, apud Liuium *lib.*35. legimus. Vnde & illud Virgilianum 6. Æneid.

*Stant terra defixa haſtæ.*

In hunc enim vſum antiqui poſteriorem haſtæ partem acuebant; vnde σαυρωτῆρας appellat Homerus. Amplius ex Liuio lib. 1. *Quum Romani bellum alicui populo indicebant, Fecialis haſtam ferratam ſanguineam, & præuſtam ad fines illius ferebat.* Et ex Pauſaniæ monumentis habemus vetus Adagium: *Haſtam & caduceum mittere*, id eſt, pacis, vel belli arbitrium. Quod pariter docet Polybius lib. 4. *Carthaginenſes quum bellum vellent indicere Romanis, miſerunt haſtam.*

Haſtarum vſum in bello duplicem potiſſimũ agnoſcimus; nam vel è manu cominus vtimur, *Anchemala* vel *Orectæ* dictæ; nam ὀρέξαι, *manu percutere* ſignificat; vel eminus iaculantur & à vibratione *Pallæ* dicuntur. Apud Tacitum *lib.* 2. haſtas in prælio tormentis excuſſas adnotauimus. Et apud eundem eleganter, *protendere haſtam*, pro in hoſtem aduerſum dirigere , ſicuti *colligere* apud eundem habemus , pro haſtam



Digitized by Google

reducere,quam antea in hoſtem intenderas, vt eum ferires? ſcribit enim ibidem in hæc verba: *Quum ingens multitudo arctis locis prælongas haſtas non protenderet, non colligeret.* Colligere autem haſtam, Virgil.lib.10.*reducere* dixit:

*——— Ille reducta*
*Loricam clypeique ingens onus impedit haſta.*

Poſtremo adnotamus, bellatores viros magnos inuocare haſtam, & iurare per illam, apud ſcriptores legi. Ita Virgil. 12.Æneid.

*———Nunc o nunquam fruſtrata vocatus*
*Haſta meos.*

Ita apud Æſchylum Parthenopęus per haſtam iurat.Et apud Valerium Flaccum legimus.

*Hanc ego magnanimi ſpolium Didymaonis haſtam,*
*Quæ neque iam frondes virides,neque proferet vmbras,*
*Vt ſemel eſt auulſa iugis,ac matre perempta*
*Fœda miniſteria,& duras obit horrida pugnas,*
*Teſtor.*

Ex his omnibus patet, quam frequens præcipuuſq; vſus haſtarum in re militari fuerit,cuius ad imaginem quum ludi ederentur,iure optimo Suetonius ab haſtis *haſticos* eos appellare potuit, in quibus, haſtis præſertim pugnantes,inuicem dimicarent. Nec verbum iſtud, tanquam monſtruoſum, relegandum à textu, quod perperam viri doctiſſimi Torrentius,Turnebus,& Sabellicus opinati ſunt.

Minori ſane difficultate elicimus,qui fuerint ludi Miſcelli. Beroaldus exiſtimauit poſſe *Miſcellos* interpretari Athleticos,ſicque appellatos à MiſcelloCrotonis conditore,in qua ciuitate Athletæ plurimi floruerunt. Sabellicus vocis interpretationem prætermiſit, immoratus tamen in Lugduni voce clariſſima explicanda. Torrentius Turnebum, iniuria quidem, carpit, obiiciendo illi, quod *lib. Aduerſ. 22. cap. pariter* 22. Miſcellos ludos eos arbitratus ſit, quos Iuuenalis Saty. 11. *Miſcellanea* dixit;

*——Sic veniunt ad Miſcellanea ludi.*

At id Turnebus non ſcripſit,& ſi ſcripſiſſet (vt mea fert Minerua) non aberraſſet.Recte tamen Torrentius ipſe *Miſcellos*

exponit

exponit ludos varii generis, quod & ante ipſum Beroaldus fecit. Sic Gellius lib. vlt. cap. 11. *Miſcellaneam doctrinam* dixit, hoc eſt, varii generis. Ita & Apuleius lib. Metamorph. *Miſcellaneam turbam* ſcripſit, id eſt, ex variarum gentium colluuione conſtantem. Sic *Miſcellanea* libros ſuos nonnulli ex recentioribus inſcripſere, in quibus variis de rebus pertractant. Ita & *Miſcellæ columbæ* Varroni *lib. 3. c. 7.* ex agreſti & domeſtico progenitæ, & *Miſcellæ vites* Catoni *lib. de re ruſt. cap. 6.* quæ omni agro conueniunt, cæteriſq; omnibus vtiliter miſcentur. Et *vuas Miſcellas*, c. 13. ex quo præliganeum vinum, quod ruſtici bibunt, conficitur, *Miſchiato*, vel *Torchiato* vulgo dicimus. Sic & *Miſcelliones* appellari authore Feſto *lib. 11.* qui non certæ ſunt ſententiæ, ſed variorum mixtorum iudiciorum ſunt. Eodem modo Suetonius ludos Miſcellos appellauit, quod ex variis ludorum generibus confecti Lugduni præbiti à Caligula fuere.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.

### CAP. XXII.

*Hoſtiæ erant Phœnicopteri, Pauones, Tetraones, Numidicæ, Meleagrides, Phaſianæ, quæ generatim per ſingulos dies immolarentur.*

QVi ſint temporibus noſtris *Phœnicopteri*, *Tetraones*, *Numidicæ, & Meleagrides*, nec expoſitores hoc loco docent, nec apud alium authorem ſcriptum adhuc mihi legere contigit. Quinimo Alexan. ab Alex. *libro 3. cap. 12.* hunc locum citans, Tetraones, Numidicas & Meleagrides prætermittit, tanquam huiuſcemodi voces expaueſcens, alioquin vir æque diligens, ac doctrina inſignis. Qua de re non incongruum futurum exiſtimo, me id aperire conari. Phœnicopteros nobis eſſe puto Pſittacos illos magnos, qui ad nos ex Indiis afferuntur, ſiquidem hanc vocem deriuari ſcimus à dictione Græca φοινίκεον, id eſt, rubrum, & πτερὸν, id eſt, alam. Huiuſmodi autem eſſe Pſittacos iam memoratos conſtat. Quod & Iuuenalis teſtimonio *Saty. 2.* confirmare poſſumus ſcribentis;

——*Scythicæ volucres, & Phœnicopterus ingens.*

Præterea Plinius *lib.* 10. *c.* 48. inquit, Phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe. Apicius docuit, *Nepotum omnium altiſſimus gurges.* Pſittacos autem memoratas ingentes linguas craſſaſque habere nemo ignorat, ob idque ſapidiſſimas exiſtimandas, quod experimento Apicius comprobauit. Lampridius in Heliogabalo: *Exhibuit & Palatinis ingentes dapes, extis mullorum refertas, & cerebellis Phœnicopterum.*

*Tetraones.* Has aues eſſe apud nos, quas Anatas Indicas vocamus, coniicere licet ex Plinio *lib.* 10. *c.* 22. inter anſeres reponente, & ita ſcribente: *Decet & Tetraones ſuus nitor, abſolutaque nigritia. in ſuperciliis cocci rubor*, tales autem eſſe iam memoratas non dubitandum. Legendum autem *Tetraones*, non *Erythrotaonas*, vt alii, quod Angelus Politianus *Miſcellan. c.* 57. docet, & Torrentius hoc loco, ex Tertulliani verbis aduerſus Marcionem.

*Numidicæ & Meleagrides* aliqui legunt coniunctim, alii ſeparatim. Quare ſi nos Numidicas, & Meleagrides, aues diuerſas accipiamus, Meleagrides, Africanas gallinas eſſe (quarum meminere Plinius *lib.* 10. *c.* 48. & Varro *lib.* 3. *de re ruſt.*) dicemus, quæ nobilis gallinæ Turcicæ ſeu Cairinæ appellantur, quum ſint grandes, gibberæ, & variis conſperſæ plumis, vt dicti ſcriptores tradidere: niſi quis cum Calepino has eſſe malit noſtrates Gallinas Indicas, ſeu pauones Indicos dictos. Numidicas verò eſſe puto quæ ex Alexandria ad nos transferuntur, Venetiiſque *Pharaonis Gallinæ* vocantur. Quæ coniectura dicta lector accipiat, quum de huiuſmodi auibus ex ſcriptorum ſobrietate quid amplius afferamus non habeamus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.

### CAP. XXVI.

*Quoſdam ſummis honoribus functos ad Eſſedum ſibi occurrere togatos per aliquot paſſuum millia, & cœnanti, modo ad pluteum, modo ad pedes ſtare ſuccinctos linteo paſſus eſt.*

IN huius loci interpretatione ſatis parci ſunt interpretes, nec rem exacte aperiunt. Quare, quid nos ſentiamus, in medium

medium afferre libet. Per *Pluteum* Suet. intelligere lecti tricliniaris caput exiſtimo, vt ſenſus ſit, Senatores, modo ad caput, modo ad pedes lecti, linteo ſuccinctos ſtare paſſum Caligulam, dum cœnaret. Pluteum vero dicitur, quia ea pars conſepiebatur tabulis, quod & hodiernis, præſertimq; patrum & auorum noſtrorum temporibus fieri conſueuiſſe norunt omnes. Plutei enim, vt cętera ſignificata omittamus, proprie appellantur tabulæ, quibus aliquid præſepitur, *ex Feſto Pompeio.* Ita Liuius inquit: *Cratibus, pluteis & linteis contectus.* Ita tabulæ vocatæ conſtituentes librorum vel ſignorum repoſitorium. Iuuen. Saty. 2.

*Et iubet Archetypos pluteum ſeruare Cleanthas.*

Et apud Ciceronem lib. 1. ad Atti. *Sigilla plutealia, imagunculæ pluteis*, id eſt, tabulis incluſæ dicuntur. In hunc ſenſum etiam teſtudinis machinæ bellicæ partem, quam Athenæus *ὑπόρ-χιον* Græce dixit, Vitruuius appoſitiſſime vertit *Pluteũ*. Quod alii ad verbum *Loriculam* appellauere. Et apud Iuriſperitos plutei dicuntur tabulæ affixæ, vel parietibus adiunctæ, *in l. 41. §. 7. de legat. 1.* Vlpianus l. 17. §. 2. de act. empt. *Reticuli circa columnas, plutei circa parietes, item cilicia vela, partes ædium non ſunt.* Quia itaque diſcubitorii lecti prior & ſuperior pars tabulis circumſepiebatur, ob id ea pars pluteum dicta. Hanc noſtram ſententiam confirmare videtur Martialis *lib. 3. Epigram.* 49. vbi inquit:

*Excluduntq; ſenem ſpondæ qui parte cubabat;*
*Namque puer pluteo vindice tutus erat.*

Hanc lecti partem puto à Iuuen. *Saty.* 11. frontem appellatam, quum ait:

*Sed nudo latere, & paruis frons ærea lectis,*
*Vile coronati caput offendebat aſelli.*

Pluteus enim, ſeu frons lecti circummuniri tũ tabulis tum æreis tum aſſeribus ligneis poterat. Propertius lib. 4.

*Lygdamus ad plutei fulcra ſiniſtra latens.*

Id eſt, ad fulcra ſiniſtra plutei abſconditus, ne videretur. Pars enim ſiniſtra fulcri plutei eſt latus ad tabulas capitis lecti in parte ſiniſtra, quam vulgo *Sponda ſtretta* dicunt, quæ verſus parietem thalami ſituari ſolet. Fulcra enim

dicta partes lectorum thorum ſuſtinentia, vnde fulcrum ſiniſtrum & dextrum. Virgilius 6. Æneid.

*——Fulgent genialibus altis,*
*Aurea fulcra thoris.*

Et Gellius, *Neque apud eius lecti fulcrum capſam eſſe cum ſtrue aut ferro oportet.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.
### Cap. XXVI.

|*Scenicis ludis, inter Plebem & Equitem cauſam diſcordiarum ſerens, decimas maturius dabat.*

QVid hoc loco per Decimas intelligendum ſit, ſe non ſat ſcire fatetur Leuinius Torrentius. Beroaldus ait, id nomen eſſe Imperatoriæ liberalitatis, at qualis eſſet, non explicat, ſed alteram interpretationem adiungit, explicans *decimam ad horam*, ita vt ſenſus ſit, Caligulam decima hora ludos exhibere conſueuiſſe, ſed vt fereret cauſas diſcordiæ inter Equites & plebem, maturius dediſſe ludos ſcenicos, hoc eſt, ante horam decimam. Sabellicus refert *decimam* ad tributi ſeu vectigalis genus. Quæ ſane interpretationes minus appoſite textus ſenſum aperiunt, quemadmodum ex ſerie verborum in illius lectione facile dignoſcitur, nam in earum ſingula confutanda tempus contercre ſuperuacaneum duco. Nec profecto magis ad rem faciunt quæ Glareanus ſcriptis mandauit. Probabilior certe, mea ſententia, Turnebi explicatio, quam affert *libro Aduerſ.* 18. *capite* 5. inquiens, per decimas hoc in loco intelligendum, miſſilia & teſſeras, quæ in ſpectaculis ab Imperatoribus (vt alias fuſe docuimus) populo impartiebantur. Verum optarem, quod declaraſſet, qualia eſſent huiuſmodi miſſilia, cur Suetonius decimas vocet, & cur maturius data, diſcordiarum cauſa eſſent inter Equites & plebem. Nos textus genuinum ſenſum percipere cupientes, quæ diligenti indagatione aſſequuti ſumus, lectori proponimus. Occurrebat primo; In Scenicis Ludis aliiſque conſimilibus ſpectaculis aliquando Romanum populum pro ſubſidiis certam

pecuniam

pecuniam perſoluere conſueuiſſe, quod ex Plutarcho *in vita C.Gracchi* colligimus,ſcribente: *Quum eſſet populus gladiatores in foro ſpectaturus, plerique magiſtratuum pulpita ad ſpectandum circa forum conſtruxerunt, easque mercede locabant, hæc eos amoliri Gracchus iuſſit.* Cornelius Tacitus & ipſe *lib. Annal.* 4. meminit Attilii cuiuſdam, libertini generis,qui in gladiatorio ſpectaculo apud Fidenam amphitheatrum conſtruxit,non municipali ambitione, ſed ſordita mercede negotio quæſito.

Nonnunquam etiam Principum liberalitate ſubſelliorum loca gratuito dabantur plebi, quod docet præſenti capite Suetonius, inquiens, Caligulam inquietatum fremitibus media nocte occupantium gratuita in Circo loca, eos fuſte abegiſſe. Quibus ſic ſe habentibus,ſic textum interpretari poſſe cogitabam,plebi ſcilicet frequenti, maturius ſolito decimas dediſſe,hoc eſt,teſſeram vnicuique exhiberi conſuetam,ad hoc vt intra Circum admitterentur ad ſcenicum ſpectaculum, quod & noſtris temporibus factum non ſemel obſeruauimus, illas autem teſſeras decimas appellatas putamus, eo quod eſſent veluti denarius conſtans ex decem aſſibus, quale & diurnum militare ſtipendium fuiſſe,ex Tacito alibi diximus. Sed mehercle hæc explicatio (vt ingenue fatear) haud plene ſatisfacit; quam itaque genuinam cenſeo,propono. Quoties ſpectacula publica à Romanis Principibus,ob diem natalem, cultum Deorum, aliamve ſimilem cauſam populo dabantur, eiſdem mos fuit,peractis ſpectaculis,patritii generis homines conuiuio excipere,quod *cœnam rectam* dictum,alias docuimus,verum multitudine aduenientium, & negotii difficultate tædio affecti, rem ad ſportulas traduxere, & in quibus certa obſonia vnicuique impartiebántur. Sed & hoc prætermiſſo, ad pecuniæ certam quantitatem ſingulis exhibendum, ſportularum loco, deuentum. Hanc autem fuiſſe decem nummos,ex Martiale colligimus,ſcribente:

*Quum data ſint equiti bis quinque numiſmata, quare*
*Bis decies ſolus Seſtiliane bibis?*

Vnde & huic pecuniarum ſummæ *decimæ* nomen inditum

ſimus, ob id, in confutanda ſeu recipienda Turnebi expoſitione non immorandum. Erant antiquis quoque pegmata machinæ quædam ligneæ, quæ in triumphis, necnon & ſcenicis, aliiſque publicis ludis circumferri ſolebant, variis non modo picturarum generibus exornatæ, ſed & ſuper quas pueri, gladiatores, aliique, pugnas, obſidiones, aliaſve hominum actiones repræſentabant; quemadmodum & hodiernis temporibus, in publicis ſupplicationibus ſeu rogationibus, aliiſque publicis Eccleſiaſticis feſtiuitatibus non ſemel factum vidimus, *repræſentationes* vulgo *ſacras* vocant. Ita & in profanis ludis, vti Comœdiarum intermediis dictis; & in pedeſtribus ſimulatis pugnis, pluries factum norunt omnes. Hoc idem Romæ priſcis temporibus frequenter actum conſtat. Pegmata enim in ſcena, in triumphis, in ludis publicis cum pueris & aliis ludioris ex ligneis tabulis confecta perducebant. Ad quod alludens Iuuenalis *Satyr*.4. inquit:

*—— Sic pugnas Cilicis ſpectabat & ictus,*
*Et pegma & pueros inde ad velaria raptos.*

Et Martialis *in Amphitheatro Domitiani Cæſ. Epigram*.2. de mole, ſuper qua impoſitus erat Domitiani Coloſſus:

*Et creſcunt media pegmata celſa via.*

Et lib.8. Epigram.33. ad Paulum:

*Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum.*

Hæc autem] pegmata modo repente exereſcebant, modo reſidebant, quod ex Dione colligimus ſcribente in Adriani vita: *Nam ſi ſurgentia ſpectacula & pegmata efferre voluerint, illud nullo pacto effici poterit humilitate loci.* Sed clarius Seneca ad Lucillum *Epiſt*.88. diſerteque, quæ & qualia eſſent huiuſmodi pegmata, aperit his verbis: *His annumeres licet machinatores, qui pegmata ex ſe ſurgentia excogitant, & tabulata tacita in ſublime creſcentia, & alias ex inopinato varietates, aut dehiſcentibus quæ cohærebant, aut quæ diſtabant ſua ſponte cohærentibus, aut his, quæ eminebant, paulatim in ſe reſidentibus.* Pegmatis formam habemus etiã ex Ioſepho *de bello Iudaico lib*.7.*c*.1. in hæc verba: *Maxime autẽ erat ſtupor machinarum, quæ portabantur, ſiue pegmatũ fabricatio, pro quorũ magnitudine viribus portantium occurrentes*

*rentes timebant, multa enim in tertium, nedum quartum, ſurgebant tabulatum, & magnificentia fabricæ cum admiratione delectabant.* In illis machinis ſimulachrum belli repræſentatum fuiſſe ſignificat, vt alii fugere, alii capere viderentur, & per ſingula pegmata dux captæ vrbis agebatur, ita ordinatus, vt captus fuerat. Plinius *lib. 33. cap. 3.* magnitudinem commemorans, & pretium ingens pegmatis à Caio in Circo deducti ait, centum & viginti quatuor argenti pondo fuiſſe. De pegmate Prudentius: *Tabulis ſuperne ſtrata tegunt pulpita rimoſa rari pegmatis compagibus.* Apuleius pegma confixilem machinam vocauit, ſic enim lib. 4. *Confixilis machinæ ſublicæ turres tabularum nexibus, circumforaneæ domus floridæ pictura decora futuræ venationis receptacula.* De pegmate etiam idem Suetonius verba fecit *in Claudio, cap. 34.* inquiens, illum obieciſſe miniſtros & fabros, ſi pegma illorum recte & feliciter non proceſſiſſet. In huiuſcemodi machinis etiam igne & flammis fuſos antiquos, conſtat ex Claudiano ſcribente:

*Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis,*
*Inq; chori ſpeciem ſpargentes ardua flammas*
*Scena rotet.*

Et Vopiſcus in Carino ait: *Præterea exhibuit pegma, cuius flammis ſcena conflagrauit.* Ad huius generis machinas reſpexiſſe D. Auguſtinum puto, quum *lib. 24. de ciuitate Dei* inquit: *Ad quam ſtupenda opera induſtria humana peruenit, quæ in theatris mirabilia ſpectantibus, audientibus incredibilia, facienda & exhibenda molita eſt?* Fortaſſe de eiſdem meminit Ariſtoteles *libro de Mundo*, in hæc verba: ὥσπερ δρῶσιν μηχανοτέχνοι, διὰ μιᾶς ὀργάνου χαστηρίας, πολλὰς καὶ ποικίλας ἐνεργείας ἀποτελοῦντες. Vertit Apuleius: *Machinatores fabricarum, aſtutia vnius conuerſionis, multa & varia pariter adminiſtrant.* Nos verbum verbo reddentes, ita vertimus; *Quemadmodum agant machinarum opifices vnius inſtrumenti fune vel trochlea multas & varias actiones perficientes.*

Quibus omnibus ſic ſe habentibus, ſenſus erit textus, Caligulam gladiatores pegmates, id eſt, non fortes, nec vſque ad internecionem pugnare ſolitos, ſed qui ſuper pegmata tantum imaginarias pugnas repræſentare conſueuerant,

rant, rabidis feris ſubieciſſe, vt nullo negotio dilaniarentur, ſicque crudelitas, quam profitebatur, magis eluceſceret, dum populum ſpectantem æſtui ardentiſſimo exponeret, & pegmates gladiatores patresquefamilias ſenio confectos rabidis feris obiiceret. Sic enim legendum non dubito, quod fere omnes editiones confirmant; non *rabidas feras*, quod cenſuit Torrentius doctiſſimus, nam noſtra lectio magis capitis inſcriptioni congruit.

Illud etiam profecto reiiciendum, quod interpres quidam adduxit, nempe gladiatores pegmatis fuiſſe, qui in pugna debilitati, ad pegmata deducenda in ſpectaculis adſeruabantur: nam ex iam dictis clare patet, ad id munus peragendum opus fuiſſe validiſſimis, non debilitatis. Poſtremo tanquam corollarium addimus, Pegmata aliquando à Latinis ſcriptoribus accepta pro loculamentis pluteisque librariis, nos vulgo *Scancie* appellamus. Sic Ciceronis dicta interpretanda, lib.4. ad Attic. Epiſt.8. *Nihil venuſtius, quam illa tua pegmata, poſtquam miſiſti, libros illuſtrarunt valde.* Cælius Rhodiginus *lib.6. cap.12.* conſeptum quadratum illud, in quo farina venalis habetur, pegma vocauit, ſed quam appoſite, neſcio.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.
### CAP. XXVII.

*Sæuitiam ingenij per hæc maxime oſtendit: Quum ad ſaginam ferarum muneri præparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotauit, & cuſtodiarum ſeriem recognoſcens, nullius inſpecto elogio, ſtans tantummodo inter porticum mediam à caluo ad caluum duci imperauit.*

INterpretes fere omnes in hoc conſentiunt, Caligulam, quamuis ex noxiis, quos laniandos adnotauerat, ex cuſtodibus ferarum, nihilominus, nullius inſpecto elogio, omnes medios inter caluum & caluum deduci cuſtodes ad ſupplicium iuſſiſſe; & quamuis locus hic pleroſque fatigarit, omnes caluum in propria & communi ſignificatione accipiendum tradidere, quod mihi haudquaquam ſatisfacere

caueis ferarum antepoſitæ, eadem ratione caluam dictam, exiſtimamus, ſenſusque verborum Suetonii erit, quod Caligula quamuis noxios cuſtodes adnotaſſet, nihilominus nullius eorum inſpecto elogio, ſtans in media porticu à caluo ad caluum, id eſt, ab extremis partibus cuſtodes ad ſupplicium duci ingenita ſæuitia, & feritate iuſſiſſe, quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, *omnes*. Hinc prouerbium ortum duxiſſe, ait Dion, *à caluo ad caluum*, id eſt, à ſummo ad imum, à primo ad vltimum, eadem enim voce vtitur ipſe Dion, ἀπὸ τοῦ φαλακροῦ μέχρι τοῦ φαλακροῦ. Nec obſtat, quod quis obiicere poſſet, pro interpretum tutela, ex ipſomet Dione ſcribente, Seianum ad Tiberii ludibrium, qui caluitio deformior erat, in ſpectaculo quodam curaſſe per caluos effici omnia à matutina hora in veſpertinam, quodque etiam Cæſar Dictator caluitio laboraret, ex Suet *in illo, c.* 45. *&* 51. Et Domitianus Imperator, quod ſæuitia Neronem æquaſſet, vel anteiſſet, & caluus eſſet. Iuuenalis Sat. 4. ſcripſit:

*Caluo ſeruiret Roma Neroni.*

Namque data Romæ caluorum frequentia, nihilominus interpretationem noſtram ob iam dicta magis textui congruam arbitramur. Præterea addamus nos, (& forte melius) Caligulam non cuſtodes pecudes carius ementes laniandos damnaſſe, ſed ex noxiis capitali cauſa carceribus cuſtoditis, non tamen eorum cauſa cognita omnes deſtinaſſe à principio ad finem cuſtodiarum laniandos loco pecudum feris exhibendis. De elogio enim alibi plura.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA. CAP. XXXII.

*Myrmillonem è ludo rudibus ſecum batuentem, & ſponte proſtratum confodit ferrea ſica.*

QVi antiquis dicerentur Myrmillones, non explicant hoc loco expoſitores. Nos, quæ ex lectione ſcriptorũ adnotauimus, adducere operæpretium duximus. Erant Myrmillones, authore Feſto, pugilum ſeu gladiatorum genus, qui in ſpectaculis publicis pugnabant aduerſus Retiarios, ob id (inquit) *Retiario pugnante aduerſus Myrmillonem*

*nem cantabatur. Non te peto, piſcem peto, quid me fugis Galle?* namque Galliæ Myrmillonis piſcis effigies inerat, quod genus pugnæ inſtitutum ait à Pittaco, vno ex ſeptem Sapientibus, ſicuti Retiarii tunicati retem & fuſcinam in pugna geſtabant, quod ex Suet. ſupra *in Caligula, cap.* 30. dignoſcitur, & ex Iuuenale ſcribente:

*Poſtquam vibrata pendentia retia dextra*
*Nequicquam effudit.*

Et rurſus:

*Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi.*

Nam Retiarii tunicati pugnabant, *ex hoc loco Iuuenalis, & ex Suetonij loco allegato.* Gallos autem vtplurimum fuiſſe Myrmillones, ex Feſto patet, vel ſaltem Gallicæ armaturæ genere munitos. Dicti autē fuere Mirmillones ſeu Myrmillones deflexa voce à Græco, quaſi *Myrmidones* dixiſſet, qui Alexandri Magni milites habiti ſunt omnium fortiſſimi; Latinis enim mos eſt in vocibus à Græco ſermone deriuatis, D in L commutare; ita dicunt *Vlyſſes*, qui eſt Græce ὀδυσσεύς. Dicti autem fuere etiam Myrmillones ſequutores, quia fortiſſimi in pugna, nunquam terga dabant, ſed fugientes inſequebantur. Quod autem pugnarent cum Retiariis, patet ex Iuuenale ſcribente:

*—— Cum Gracchо iuſſus pugnare ſecutor.*

Quod ſi dicimus, Myrmillones Gallos fuiſſe, id intelligi volumus origine, vel quod Gallica armatura vterentur; nam quod & aliæ gentis reperirentur, conſtat. Scribit namque Cicero in Philippicis: *Ille autem ex Myrmillone Dux, ex Gladiatore Imperator.* Et rurſus: *Etiamne ab hoc Myrmillone Aſiatico Senatus mandata, legatorum verba audientur?* Et iterum: *L. Frater, qui Myrmillo Milaſis depugnarat.*

C. SVET.

# C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.
## CAP. XXXIII.

*Quin & ſubinde iactabat, exquiſiturum ſemel fidiculis de Cæſonia ſua, cur eam tantopere diligeret.*

FIdiculas antiquis tormenti genus fuiſſe, vnanimiter omnes fatentur moderni Scriptores, ſed quale id eſſet, nemo ſatis explicat, ita ieiuni ſunt interpretes hoc in loco, & ſupra *in Tiberio, cap.62.* Quidam aiunt, fuiſſe torquendi inſtrumentum ex duobus obliquatis lignis compactum. Alii machinam fuiſſe tradunt, qua vti in muſicis inſtrumentis fides extenduntur, ita & in hominibus torquendis nerui hinc inde multis funibus extendantur, quæ machina multos funes habebat. Eculei partem ſtatuit Carolus Sigonius *lib 3. de iudiciis, cap.19.* Nos vero exiſtimamus, non aliud tormenti genus fuiſſe ab illo vulgato, quo Iudices ad eruendam veritatem noxios ſeu culpatos torquere conſueuerunt, illos fune alligatos in altum extollendo, ea coniectura innixi, quod non ſit exiſtimandum; ſi fidiculæ aliud genus tormenti fuiſſet, penitus intermiſſum; nec minus funis tormentum adeo nouum, vt illius antiqui non meminiſſent, præſertim Iuriſconſulti. Non enim alio pacto interpretandum illud *in l.1. & 2. C. Theod. de quæſtio.* tormenti genus *fidiculæ* ab eo dictum. Fidiculæ autem dictæ à fidibus ſeu chordis & neruis, quibus manibus poſt tergum deuinctis, homines ad torturam funi alligabantur, ſicuti fidiculæ muſicalium inſtrumentorum *fides* appellantur. Cic. de natura Deorum: *Fidiculæ numeroſæ ſonantes, & tibiæ modulate canentes.* Non enim aſſentiendum puto Iſidoro *lib.5. Etymolog. cap.27.* tradenti, quod fidiculæ dicti ſunt à fide, eo quod ad fidem inueniendam hoc tormenti genere vterentur antiqui. Verum quia retro alligatis manibus torquendum in altum extollebant ligneo inſtrumento torcularis inſtar, *Torchiello* vulgo dicunt, & *Torchlea*, iccirco in fidicularum tormento adeſſe ligna bina aliqui dixere; alii, eſſe inſtrumentum ligneum. Quod vero fidiculæ huiuſmodi non ſint par-

tes eculei, ſed tormenti genus diuerſum, conſtat ex Valerio Maximo, ſcribente cap. de patientia: *In Theodoro viro grauiſſimo Tyrannus tortorum manus fruſtra fatigauit: Rupit enim verbera, fidicula laxauit, ſoluit eculeum. laminas extinxit, quam efficeret, vt tyrannicidij conſocios indicaret.* Et Seneca *lib. 3. de Ira*, inquit: *Torſerat per omnia, quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt, fidiculis, tribularibus, eculeo, igne.* Ex quibus non ſolum clare patet, fidiculas aliud tortorium inſtrumentum ab eculeo, quinimo eſſe funis tormentum, vt diximus, dum ait, *fidiculas laxauit*, id eſt, chordas tortorias, vti Aſcenſius interpretatus eſt. Quod tormenti genus eleganter explicauit Prudentius *in Hymno D. Vincentij*, inquiens:

*Vinctum retortis brachiis,*
*Surſum ac deorſum extendite,*
*Compago donec oſſium*
*Diuulſa membratim crepet.*

Et in D. Romani Hymno:

*Miſerum putatis, quod retortis pendeo extentus vlnis.*

Quod ſi quis fidiculas partem eculei contenderit, ego potius eculeum fidicularum partem dixerim, lignum ſcilicet rotundum, ſuper quem funes in attollendo torquendum obuoluuntur, findito in foraminibus illius ligno aut ferro, quo circumcirca vertitur lignum illud rotundum & oblongum, quod vſu venire vulgatis torcularibus obſeruamus. Quod comprobare poſſumus ex Sozomeno *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro* 5. ſcribente: καὶ προσαγαγὼν πρὸς τὸ βασανιστικὸν ξύλον αἰωρεῖσθαι προσέταττεν, id eſt, *& quum ad tortorium lignum adduxiſſet, in ſublime tolli iuſſit.* Et Quinctilianus declamatione vltima: *Ideo enim eculeum mouebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſæuitiæ, vt leniter ſedibus ſuis remota compago per ſingulos artus membra laxaret.* Hæc dum adnotaremus, lætati ſumus, legentes apud Cælium Rhodig. lib. 10. cap. 5. *Fidiculas accipiunt pro tormento, quo à tortore ſontes funibus alligatis manibus à tergo torquentur vulgo.* Ex quibus coniecturalem noſtram interpretationem confirmari clare patet.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.
### CAP. XXXV.

*Ptolemæum de quo retuli, & accerſitum è regno, & exceptum honorifice, non alia de cauſa repente percuſſit, quam quod edente ſe munus, ingreſſum ſpectaculi, conuertiſſe hominum oculos fulgore purpuræ Abollæ animaduertit.*

NOnius Marcellus, vbi de generibus veſtimentorum, authoritate Varronis *in Coſmophthorine*, Abollam veſtem militarem eſſe dixit, ſenatoriam alii contendunt, vel ſaltem honeſtum veſtimenti genus, ex Iuuenale, *Satyra* 4. ſcribente:

*—— Rapta properabat abolla*
*Pegaſus attonitæ poſitus modo villicus vrbi.*

Fuit enim Pegaſus Iuriſconſultus celeberrimus, qui à Veſpaſiano vrbi præfectus fuit, *ex eodem Iuuenale*, & vt ſcribitur *in l.2.§.vlt.ff.de orig.iur.* Ad hæc Martialis ſcribit, Criſpinum Aulicum potentiſſimum, *lib.8.Epigram.*48. & Cynicos Philoſophos, *lib.1.Epigram.*133. abolla veſtitos. Et *lib.*4. de Coſmo Cynico Philoſopho inquit:

*Cetera quem nudi tegit vxor Abolla grabati,*
*Cui dat latratus obuia turba cibos.*

Et Iuuenalis Sat.3. de Stoico quodam Philoſopho:

*—— Atq; audi facinus maioris Abollæ,*
*Stoicus occidit barram, delator amicum,*
*Diſcipulumq; ſenex.*

Vbi Britannicus interpretatur *maioris Abollæ*, id eſt, Philoſophicæ & grauioris authoritatis, non minoris, qualis militaris. Turnebus *Aduerſ.lib.27.c.15.* authoritate vocabulari bilinguis perquam veteris, in quo legitur Latine *Abollam*, Græce *ἱμάτιον* dici docet, & Abollam pallii genus fuiſſe, *ἱμάτιον* enim pallium ſignificat. Quod vero Philoſophi pallio veſtirentur, nobis teſtis eſt Gellius *lib.9.cap.2.* vbi habet: *Video barbam & pallium, Philoſophum non video.* Miror Seruium ſcribentem in eum locum Virg. lib.5. Æneid.

*—— Duplicem ex humeris reiecit amictum,*

Abollam fuiſſe veſtem duplicem, quum id nulla autoritate ipſe firmet, nec ipſe alibi id legiſſe meminerit.

# C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA.

## CAP. XXXV.

*Erat Eſius Proculus patre Primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem & ſpeciem Coloſſeros dictus. Hunc è ſpectaculis detractum, repente & in arenam deductum, Thraci, & mox Hoplomacho comparauit, bisq; victorem conſtringi ſine mora iuſſit, & panniis obſitum vicatim circumduci, ac mulieribus oſtendi, deinde iugulari, &c.*

ADeo ieiune locum hunc interpretes explanarunt, vt mirum ſit, quum tamen ampliori interpretatione opus ſit, vt ſenſum genuinum illius elicère valeamus. Thraces feros homines & aſpero cultu eſſe, tradit Pomponius Mela, vbi de Thracia verba facit. Liu. *lib.* 43. Thraces ferociſſimas gentium appellat. Et *lib.* 36. inquit: *Quippe illic Macedones Thraceſq; & Illyrici erant, ferociſſima omnes gentes.* Catullus in Faſelli laude & dedicatione habet: *Rhodum ire nobilem, horridamve Thraciam*, vbi expoſitores aiunt, Thraciam horridam appellaſſe, ab incolarum feritate & immanitate. Quod pariter colligitur ex eodem *per initia lib.* 39. Cæl. Rhod. *lib.* 23. *c.* 28. ex Platone & Ariſt. docet, Thraces ingenio & memoria oblæſos eſſe, in iiſdem tamen robur ad belli munia & promptitudinem ſingularem non deeſſe. Tyrannos olim Thracibus ad patrandas cædes vſos, conſtat ex Heſychio ſcribente: *τεράλλεις οὕτως ἐκαλοῦντο μισθοφόροι Θρᾶκες τοῖς βασιλεῦσιν οἱ τὰς φονικὰς χρείας πληροῦντες.* Quod & in Piſonem Cicero cognouiſſe colligitur, dum inquit: *Vt Rex Ariobarzanes Conſulem veſtrum ad cædem tanquam aliquem Thracem conduceret.* Idem etiam innuit *lib.* 2. *Offic.* ſcribens: *Tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbatum, & eum quidem (vt ſcriptum eſt) compunctum notis Threiciis*, vel, vt alii legunt, *Thraciis*, *diſtricto gladio iubet anteire.* Nam Thraces notis ſe compungebant in fronte, ex Strabone *lib.* 7. Nobilitatis enim loco cenſebantur Thraces frontem notatam punctis prætuliſſe, *ex Herodoto*, vnde *Thraciæ nota* in prouerbium. Et in 6. Antoniana: *Myrmillo in Aſia depugnauit, quum ornaſſet Threcidicis comitem & familiarem ſuum, illum miſerum fugientem iugulauit;*

Quo

Quo loco ſiue legamus *Threcidicis*, ſiue *Thraciis*, ſeu *Threiciis*, (vt nonnulli inter ſe contendunt) intelligendum eſt de armis, quibus Thraces vti ſolebāt in pugna, & in amphitheatralibus muneribus, inter quæ præcipua erat Parma, vt docet Ariſtophanes in Comœdia, quæ inſcribitur *Acharnes*. Quum autem fortiſſimi inter gladiatores Myrmillones eſſent (vt alibi adnotauimus) illis opponebantur Thraces & & ipſi validiſſimi, quod ex ſuperiori loco Ciceronis colligere poſſumus, necnon ex Auſonio in Monoſyllabis ſcribente:

*Quis Myrmilloni contendit? æquimanus Thrax.*

Qua de re quum Caius Eſium Proculum ex amplitudine corporis *Coloſſeros* dictum, iuſſiſſet inuitum in aream deduci, per inuidiam illi oppoſuit Thracem validiſſimum gladiatorem, de quo forte illud Plinianum vigeſimo primo: *Thracio ſtudioſo in Caij Cæſaris ludo notum eſt, dextram fuiſſe proceriorem.* Quod autem Caius Thracibus gladiatoribus maxime faueret, conſtat ex Suetonio ſcribente de illo, cap. 54. *Sed vt aliorum generum artes ſtudioſiſsime & diuerſiſsimas exercuit, Thrax & Auriga idem cantor atq; ſaltator batuebat pugnatoriis armis.* Et cap. 55. *Thraces quoſdam Germanis corporis cuſtodibus præpoſuit.* Thrace itaque victo ab Eſio, Hoplomachum etiam gladiatorem rurſus comparauit, hoc eſt, vndiq; armis contectum gladiatorem, quod vocis à Græcis deriuatæ ſignificatio demonſtrat; namque Græce *τὰ ὅπλα arma*, & *μάχομαι pugno.* Vnde armis muniti pugnantes *Hoplomachi* dicti. Hos autem Tacitus lib. Annal, 3. *Crupellarios* vocat, necnon & *ferratos*, inquiens: *Adduntur è ſeruitiis gladiaturæ deſtinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen, Crupellarios vocant.* Et paulo infra de iiſdem: *Paulum moræ attulere ferrati reſtantibus laminis aduerſus pila & gladios.* Caius itaque qui optabat Eſium ſuccumbere, quum ille Thracem ſuperaſſet, oppoſuit armis tectum gladiatorem, alias enim inermes, quoad tegmina corporis pugnabant. Quod clare ex Seneca *lib.* 1. *Epiſt.* 7. manifeſtum fit. Hoplomachum etiam interpretari poſſumus ex iis, quæ Galenus ſcribit *lib.* 2. *de tuenda valetudine, c.* 11. & 12. pro perito Sciamachiæ, id eſt, vmbratilis pugnæ, ſeu

armorum meditationis, quam voce Græca deluxata vu res *Scrimiam* dicunt; Armorum enim meditationis m Hoplomachicos vocat Galenus, qui inter gymnaſtice ſe ercentes, ſaltatores, Hoplomachicos, Pancratiſtes & lu tores enumerat. Prior tamen interpretatio magis arri tum quia magis textus ſenſui conuenit, tum etiam, qui perius docuimus ex Suetonio *in Iulio Cæſare, cap.26.* L ſtas in ludo armorum peritos tyrones erudire ſolitos, q minus & aliquando per Senatores peritos fieri voluit ſar. Hoplomachi meminit Martialis *lib.*8. ſcribens:

*Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante.*

id eſt, ex medico oculorum effectus armatus gladiator armorum exercendorum magiſter.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVL CAP. XXXV.

*Ita ſe proripuit è ſpectaculis, vt calcata lacinia togæ, præcep per gradus iret indignabundus & clamitans.*

Laciniam eſſe togæ partem nemo negat, at quæ fu à nullo hactenus rectè explicatum exiſtimo. Qua quid nos putemus veritati conſentaneum eſſe in re ha perire libet. Sciendum itaque, præter ea, quæ ſuperiu notauimus, vbi de toga verba fecimus, eam fuiſſe ctum Romanorum ſupernum, in cuius forma de benda conueniunt Scriptores. Siquidem Dionyſius *i ſco* ſemicircularem fuiſſe ſcribit, inquiens, togam pi fuiſſe amictum, non vt Lydorum quadratum, ſed ſen cularem, eamque à Romanis *togam*, à Græcis τήβεννον ap latam. Iſidorus *lib.*19. ait, Togam pallium eſſe purum ma rotunda, menſuram vero togæ iuſtæ, eſſe ſex vlnas thenæus *lib.5. δειπνοσοφιστῶν*, vbi loquitur de ſæuitia M datis in togatos, ſi Græca Latina reddamus, inquit, R nos oppreſſos in Aſia ad ſimulacra Deorum confugie aut quadratis veſtimentis abiectis ad pallia redeundo, quasque patrias iam ab ipſis relictas agnoſcendo, conſeruaſſe. De huiuſcemodi autem calamitate tunc

poris, de rationeque vitandi impetum regium Cicero meminit *in orat. pro C. Rabirio*, inquiens: *Facilius certe P. Rutilium neceſſitatis excuſatio defendit, qui quum à Mithridate Mytilenis oppreſſus eſſet, crudelitatem Regis in togatos, veſtitus mutatione vitauit*. Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus noſtris virtutis antiquatisque, prudentiæ Conſularis homo, ſoccos habuit & pallium; ex quibus authoritatem Athenæi confirmari, non eſt qui non videat, affirmantis togam quadratæ figuræ fuiſſe Romanis. Quod etiam confirmari poteſt ex Sexto Pompeio ſcribente *lib.* 18. Romæ Recinium omne veſtimentum quadratum. Recinium autem dici veſtem, quæ retrorſum reiiceretur, teſtatur Varro & Seruius *lib.* 1. *Aeneid.* Ex quorum numero fuiſſe & togã, non dubitandum; etſi mulierum fuiſſe togam tradat Varro *lib.* 4. *linguæ Lat.* ſcribens de læna togã, in hæc verba: *Læna quod eſt de lana multa; duarum enim togarum inſtar, vt antiquiſſimum mulierum recinum.* Ex dictis itaque authoritates de forma togæ ſcribentium ſibi inuicem contrariari videntur.

Ego tamen conciliari poſſe crediderim, ſi dixerimus, togam indumentum fuiſſe vna in parte ſemicirculare, in altera vero quadratum, cuiuſmodi illud amictus ſuperni genus, quo hodie noſtrates mulieres vtuntur, & vulgo dicuntur *manti*. Qui etiam & ipſi ea in parte, quæ ad dorſum porrigitur, circularis formæ conſpicitur, deſinit autem retrorſum in acuminatas & in angulos acutos terminantes; quarum reſpectu dici poteſt quadratum indumentum. Conſimilis ſane figuræ fuiſſe Romanorum togam coniicio, tum ex iis qui ſcribuntur ab authoribus, tum etiam ex conſpectu veſtimentorum, quæ in ſtatuis antiquis Romanorum nobilium obſeruantur. Togas autem ſuperinduxiſſe corpori nullo vinculo annodatas, nec cingulo vllo ſuperiniecto, manifeſtum puto, ſed togam corpus inuoluiſſe acuminatis illis duabus partibus complicatis, & modo ſub axilla altera iniecta, altera ſuper humerum oppoſitum adacta, cēſendum, vti videre eſt in antiquis ſtatuis. Partes autem extremas has acutiores, *lacinias* vocatas, iure optimo ſuſpicari poſſe coniicio. Si enim iſtæ implicabantur, vt dixi, fiebant

ſinus vnus,vel duo,pro diuerſæ complicationis ſpeci
Macrobius de Gæſare: *Caſari ita præcipiebatur, vt tr.*
*laciniam, veluti mollis incederet.* Et de Hortenſio: *Hor*
*ad ſpeculum ſe intuens, togam corpori ſic applicabat, vt rug*
*ſorte, ſed induſtria locatas artifex nodus adſtringeret, & ſ*
*compoſito defluens lateris medium ambiret.* Vnde Cicero i
ſtol. Tironi: *Videor enim videre te ementem ruſticas res cum*
*co loquentem in lacinia ſeruantem ex menſa ſecunda ſemina,*
vt ego interpretandum puto, in ſinu. Ita & expone
Gellii dictum lib. 11. *Obtentu togæ tanquam ſe amiciens*
*nia facto.* Ita quoque Columellæ dicta *lib.* 8. exponen
ait: *Pecus ægrotum diſtribuendum in lacinias, vt facilius c*
*ſcat.* id eſt, varia loca ſeparatim & diſiunctim ponenda
paranda, ne

*Morbida facta pecus, totum corrumpat ouile,*

vt ait Poeta. Ita D. Hieronymus *ad Theod.* ſermonem
ſum & flexuoſum *laciniosſum* appellat, & ab eodem
*diſputatio lacinioſa*, id eſt, tortuoſa & implicata, vti ſinu
cinia confecti ſunt. Ita Plin. *lib.* 5. *c.* 16. Alexandriam
*ſam* vocat, id eſt, in varios gyros & flexus productam.
eundem ſenſum lib. 25. c. 10 *lacinioſa folia* dixit. Si ver
niæ hæ togæ partes ſolutæ erant, nec corpori circu
aut obuolutæ, ſed laxæ & liberæ, tunc non dicebatu
ſinuoſa, vel in ſinus redacta, ſed aperta appellabatur.
lerius Maximus *lib.* 3. de Scipione Africano verba f
inquit: *Leuam manum aperta toga circumdedit.* Et Vellei
terculus: *Scipio Naſica circumdata lauo brachio toga la*
*Gracchum irruit.* Et rurſus Val. Max. lib. 3. *Iuſſit eum to*
*niis abſciſſis amictum, diſcinctaq́; tunica indutum, nudis pedi*
*eſſe.* Et Frontinus lib. 4. *Piſo ad Titium præfectum cohort*
*loco fugitiuis ceſſerat, cincto toga præciſo, ſoluta tunica, nudis*
*in principiis quotidie ſtare iuſſit.* Et Plaut. in Merc.

*Ac tu adepol ſume laciniam, & abſterge tibi ſudorem.*

Et Suetonius in Cæſare: *Cæſar quum interficeretur, tog*
*obuoluit, ſinum ſiniſtra manu ad ima crura deduxit, quo ho*
*caderet*, id eſt, ſoluto ſinu ex laciniis obuolutis facto, t
ciniis crura cooperuit. Ita Plutarchus ſcribit, Tib

Grac

Gracchum fugientem togam dimiſiſſe, atque in tunica cecidiſſe. Et Suetonius hoc loco ait, Caligulam calcata lacinia togæ præcipitem per gradus iuiſſe. Plaut. *in Aſin.* inquit:

*Hac lachrumantem lacinia tenet lachrumans.*

Ammianus Marcellinus *lib.* 30. de Hunnorum gente tradit; *Hoſtiſque dum mucronum noxias obſeruat, contortis laciniis illigant, vt laqueatis reſiſtentium membris equitum, digrediendi vel gradiendi adimant facultatem.* Ex quibus omnibus ſatis patere exiſtimo, quam perperam omnes fere interpretes exponant pro *laciniis*, fimbriatas partes togæ ornamenti gratia imponi ſolitas, quas vulgo *frangias* vocamus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGVLA. CAP. XXXVIII.

*Fabricauit & de cedris Liburnicas gemmatis puppibus, verſicoloribus velis, magna Thermarum & Porticuum, & Tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate, quibus diſcumbens de die inter choros ac ſymphonias littora Campaniæ peragraret, &c.*

VIdetur Suetonius hoc loco male vſurpaſſe vocem *Liburnicas*; Quum Liburnica, teſte Appiano, nauis genus eſſet velociſſimum & bellicum, ita à Liburnis in Illyrico populis dicta, qui conſimilibus nauibus Ionium mare & eiuſdem Inſulas deprædabantur, & per conſequens, non excedentes in magnitudine; quod & Lucanus innuere videtur, ſcribens lib. 3.

*Ordine contenta gemine creuiſſe Liburnæ.*

Et Horatius:

*Ibis Liburnis inter alta nauium*
*Amice propugnacula.*

Si itaque Liburnæ ſeu Liburnicæ naues ordinem geminum remorum non excedebant, & illis vtebantur pernauigantes inter altas & magnas naues, & velociſſime mouebantur, quo pacto naues à Caligula de cedris fabrefactas, quę Thermas, porticus, triclinia magna laxitate habebant, magnaque vitium & arborũ varietate refertæ erant, & per conſequens

motui veloci ineptæ; Quomodo, inqu
appellare iure potuit Suetonius? At, n
ſtram indefenſam relinquamus, dicimu
dis nauibus à Caio fabricatis voluptati
tudinem, non modum ſpectaſſe, ſed for
nicas appellaſſe, quod inſtar Liburnicæ
nicis autem nauibus vſi ſunt in mariti
tanquam aptiſſimis, quas roſtratas dixe
paruarum Liburnicarum; Quod conſt
bente lib.2. Hiſt. Rom. *Primum Romani C*
*lio Coſſ. in mari dimicauerunt, paratis nauib*
*nas vocant*; Et idemmet Suetonius *in Au*
guſtum poſt victoriam Actiacam, dum
bis tempeſtate cõflictatum, partem Li
ſarum amiſiſſe, ſimulque eius, in qua
nā[illegible]entis & gubernaculo diſtracto. Ita
tradit Scribonium Libonem Liburnica
ctoriæ Actiacæ potiſſimam fuiſſe cauſa
nus, quod Antonii naues erant hoſtiun
iores, in quibus triremes paucæ, quin
mes complures, reliquæ inter has medi
res, & celeriores naues habebant. Ha
remes fuiſſe, & iure Liburnicas exiſtim
& velociſſimæ. Qua de re ſtatuendum
me lapſum in nomenclatura nauium à
quum figuram, non velocitatem, aut
ctauit.

## C. SVET. TRANQVIL. IN
### CAP. LIIII.

*Nec alia de cauſa videtur, eo die quo periit, P*
*quam vt initium in ſcenam prodeu*
*temporis auſpicaretur.*

PEruigilium Nicolaus Perottus *in Co*
peram vigiliam vel cuſtodiam inter
manifeſte dignoſcitur ex Liuio *lib.* 23. v

inuaſiſſe caſtra Campana, omnibus portis vt peruigilio neglecta; Peruigilium vero ſacrorum cauſa fuiſſe, quum triduum ſacrificatum eſſet, & ſacrum nocturnum eſſet, ita vt ante noctem mediam compleretur; Ex quibus etiam & illud colligimus; Antiquos in ſacris quibuſdam priuilegio vſos. Quod pariter comprobari poteſt ex Tacito *lib.* 15. vbi de Iunone propitiata primum per matronas in Capitolio, deinde adproximum mari, ſic ſcribit: *Vnde hauſta aqua, templum, & ſimulachrum Deæ perſperſum eſt, & Lectiſternium, & peruigilia celebrauerunt fœminæ quibus mariti erant.* Herodianus quoque idem teſtatum reliquit *libro* 3. inquiens: *Vidimus ſub illo quoſdam omnis generis ludos, cunctis editos theatris, ſimulque ſupplicationes, & peruigilia, ad formam Cereris celebratos.* Adhæc Cicero 2. *de Leg.* ait: *Nouos vero Deos & in his colendis nocturnæ peruigilationes.* Et Suetonius *in Galba*, de illius ſimulachro Fortunæ inquit: *In parte ædium conſecratum, menſtruis deinde ſupplicationibus & peruigilio anniuerſario coluit.* His tamen non obſtantibus, & voluptatis gratia & hilaritatis cauſa peruigilia egiſſe priſcos etiam, ex hoc loco clare colligimus. Quid enim licentiæ Scenicæ cum ſacris. Sic eadem in ſignificatione idem Suetonius *in Vitellio, c.* 10. vbi Vitellii luxum deteſtans, eum in Apennini quidem iugis peruigilium egiſſe tradit. Clarius Tacitus *lib. hiſt.* 3. ſcribens omnia apud Vitellium indiſpoſita, temulenta, peruigiliis & bacchanalibus, quam diſciplinæ & caſtris propiora fuiſſe. Peruigilium vero vigilia quid maius eſt, ex Martiale ſcribente, lib. 9.

*Nam vigilare leue, eſt peruigilare graue.*

Et Tacito *lib. Annal.* 1. in gente Rom. milites inſomnes magis, quam peruigiles fuiſſe. Peruigilii mos & noſtris temporibus retentus hilaritatis gratia, quum ſcilicet amici & cognati vel affines inuicem noctu conueniunt, præſertim hyeme, ludiſque, confabulationibus, tripudiis, compotationibuſque maiorem noctis partem ſocialiter tranſigunt. Vulgo dicunt *andare alla veggia.*

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CALIGV

### CAP. LV.

*Incitato equo, cuius cauſa pridie Circenſes ne inquietaretur, ſilentium per milites indicere ſolebat, præter Equile marm & præſepe eburneum, præterque purpurea tegumina, ac n gemmis, domum etiam & familiam & ſupellectilem dedi lautius nomine eius inuitati, acciperentur, Conſulatum traditur deſtinaſſe.*

ABerrant expoſitores à genuino ſenſu huius loci, B dus & Sabellicus; ille inquiens, *incitatum*, nome aurigæ, & illi Caium ob illius equum munera illa & r præbuiſſe; Hic, dum ait, legendum *incitati equo*. Multu à veritate declinans, hic minus; ambo tamen eadem d ſa lapſi, nempe authoritate Martialis, qui *libro* 11. *Epig* ſcribit.

*Cocco nullo fulget incitatus.*

Et lib. 10. Epigram. 76.

*Sed cum ſponſio, fabulæq; laſſæ*
*De ſcorpo fuerint & incitato.*

Quibus in locis *Incitati* nomen mulionis vel aurigæ non dubitandum. Verum qui mores Caii ex eodem S nio ponderabit, equum adeo celebrem & adamatur alterius iuris fuiſſe non permiſſurum dignoſcet. A Dion *libro* 59. ſcribit, quod in Sacerdotibus nouis, quc ius numini ſuo inſtituit, *ex Suet. in illo, cap.* 22. præter C lam ipſum, Cæſoniam vxorem, Claudium patruum, in imperio ſucceſſit, & equum incitatum, aſcriptos & cuius ſacerdotii magiſter ditiſſimus quiſq; ambitic licitatione maxima vocibus comparabat. Et idem Cla patruus coactus in dicto ſacerdotio impendere ſeſte octogies, gratis tamen Incitato equo per ſummam tiam datum. Caium itaque omnibus in rebus immodi & in equi amore in immenſum exceſſiſſe credendu Quod & ante ipſum alios quoque Imperatores & P pes viros effeciſſe legimus. L. Verus Antoninus equc *volucer* nomen, aureum ſimulachrum fecit, quod ſ

portabat, cui quidem paſſas vuas & nucleos in vicem hordei in præſepe ponebat, & quem ſagis fuco tinctis coopertum in Tiberiana ad ſe adduci iubebat, eidemque mortuo ſepulchrum in Vaticano fecit, *teſte Capitolino in illius vita.* Hadrianus Cæſar Boryſteni equo mortuo monumentum ædificauit, erexitque columnam inſcripto Epigrammate, *ex Dione & Spartiano in illius vita.* Plinius libro 8. cap. 42. *Fecit, inquit, & D. Auguſtus equo tumulum, in quo Germanici carmen eſt. Et Agrigenti complurium equorum tumuli pyramides habentur.* Idem Plinius eodem loco & *lib.6.c.*20. ſcribit, Alexandrum Bucephalo defuncto exequias duxiſſe, vrbemque tumulo circumdediſſe nomine eius; quod confirmat Pomponius Mela *lib.*2. *cap.*47. Solinus *cap.* 47. Plutarchus *in vita Alex.* & Diodorus Siculus *lib.* 17. Q. Curtius *lib.* 5. Iuſtinus *lib.* 12. & Gellius *lib.*5.*cap.*2. Narrat Pauſanias *in Laco.*3. ſuper equi monumentum procos Græcos iuramentum cœpiſſe, ſe vendicaturos Helenæ raptum. Horum omnium dementiam prætergreſſus Caligula, qui non modo eum inter cætera inſigniuit gemmis, ſed &, proh nefas, Conſulatus dignitatem deferre cogitarat. Extat l. vni. Nulli licere in frænis & in equeſt. *lib.* 11. C.*tit.*11. pœna pecuniaria multans illos, qui auſi eſſent lapides pretioſos & margaritas equeſtribus frænis inſerere. Rectius Probus Imperator, vere probus, quod teſtatum reliquit Vopiſcus *in eius vita*, equum præſtantiſſimum captum ex Alanis, qui centum milliaria ſingulo die obiret, vel in decimum diem, labore haud interpellato, fugaci magis, quam ſtrenuo militi conuenire pronuncians, ſorte in vrna miſſa, eum cui ſorte obuenit, aſſignauit.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.

### CAP. V.

*Sed inſtantius legitimos flagitanti, id ſolum codicillis reſcripſit, quadraginta aureos in Saturnalia & Sigillaria ſe miſiſſe ei.*

Liuius *lib.*2. per initia ſic ſcriptum reliquit, A. Cn. Seruilio Conſule, C. Flaminio collega aduerſus Annibalem exerci-

exercitum ducente, Romæ placandis Diis operam dan
libris Sybillinis. Decembri menſe ad Ædem Saturni R
imolatum, Lectiſterniumque imperatum, & eum le
Senatores ſtrauerunt, & conuiuium publicum, ac p
bem Saturnalia die ac nocte clamatum, populuſque
diem feſtum habere ac ſeruare in perpetuum iuſſus. I
turnalium feſtiuitate libertas ſeruis concedebatur, &
liberis exæquabantur, vt ſæculi aurei, quo Saturnus re
nit, fieret imitatio. Solinus *capite tertio*, ſcribit, quod n
Martio matronæ ſeruis ſuis cœnas ponebant, ſicuti S
nalibus Domini; illæ, vt honore promptius obſequiū
uocarent, hi quaſi gratiam rependerent perfecti lab
Quod pariter Macrobius *libro Saturnal.* 1. *cap.* 12. teſt
reliquit; Sed & de hac quoque re nonnihil Plutarch
comparatione Numæ & Lycurgi, & Lucanus *in Chron*
*ſeu Saturnalibus*, & Athenæus *libro* 14. *cap.* 17. ſcribit,
rem fuiſſe apud Romanos, vt in Saturnalibus domin
uis conuiuium exhiberent, ipſique ſeruorum officio
gerentur; Vnde Horatius *libro ſecundo, Serm. Saty. ſep.*
ſcribit:

*Iamdudum auſculto & cupiens tibi dicere ſeruus*
*Pauca, reformido, Dauuſne? ita Dauus amicum*
*Mancipio Dominum, & frugi, quid ſic ſatis? hoc eſt.*
*Vt vitale putes, age, libertate Decembri*
*(Quando ita maiores voluerunt) vtere, narra.*

Quo loco Acron interpretatur, intelligendum de lib
te ſeruis in Saturnalibus conceſſa. Ad hoc quoque ſp
verſus L. Accii antiqui Poetæ, relati à Macrobio lib. 1
turnal. cap. 7.

*Maxima pars Graium Saturno, & maxime Athenæ*
*Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe feruntur ab illis,*
*Quumque diem celebrant per agros vrbeſq; fere omnes,*
*Exercent epulis læti famuloſq; procurant*
*Quiſque ſuos, noſtriſque itidem & mos traditus illinc*
*Iſte, vt cum Dominis famuli tum epulentur ibidem.*

Præter autem authoritatem hanc Accii Poetæ, Cary
quoq; in hiſtoricis Commentariis ſcribit, Græcam Cr

lium fuiſſe conſuetudinem, in ſacris ſeu feſtis *Hermæis* dictis, vt conuiuantibus ſeruis Domini ſeruirent & miniſtrarent. Et Athenæus *lib.14.cap.17.* huiuſmodi tamen Feſta Cretenſium *Mercurialia* vocans idem confirmat. Idem Athenæus eodem loco inquit: *In Troezene Gereſtiones menſe per multos dies fit conuentus, quorum in vno ſerui cum ciuibus vna ludunt aſtragalis, & ſeruis Domini conuiuium præbent, vt aſſerit Caryſtius.* Beroſus *libro primo, rerum Babylonicarum* prodidit, menſe, quem *Locum* vocant, agi feſtum conſueuiſſe, *Saceas* nomine apud Babylonem, diebus quinque, quibus Dominis imperabant ſerui, quorum vnus ſumebat ſtolam Regiæ perſimilem, dicebaturque *Zoganes.* Quod & Cteſias *libro ſecundo, rerum Perſicarum,* & Athenæus loco citato confirmant. Et ibidem Athenæus, authoritate Baronis Sinopei *in oratione de Theſſalia & Hammonia*, ſcribit, apud Theſſalos fuiſſe Feſta, *Peloria* dicta, in quibus eundem morem Domini cum ſeruis ſeruarent, quod in Saturnalibus fieri paulo ſupra retulimus. Ex quibus illuſtrari poteſt Dionis locus in Claudio, qui quum ad milites tumultuantes miſiſſet Narciſſum libertum apud ipſum formidulentæ potentiæ, vt eos placaret, ille, quum ſuggeſtum concionaturus conſcendiſſet, milites moleſte ferentes hominis qualitatum, indignabundi ſucclamarunt, *ἰὼ σατουρνάλια*, id eſt, *eo Saturnalia*, exprobrantes Claudio Domino liberti authoritatem apud eum. Huius rei Cœlius Rhodiginus *Antiq. lect. libro decimoquinto, capite vigeſimotertio*, Aſtronomicam cauſam affert, inquiens, Saturnalia Romanos celebrare ſolitos, Solem Capricorno geſtante, in quibus feriabantur ſerui, liberorum calceos ſibi circumponentes, omnibus vero inuicem cōmunicantibus; innuente prorſus legis authore, per Capricorni portā homines quib. nunc grauis imminet ſeruitus, euadere in libertatem mox pleniſſimam. Plutarchus *in Homero* ſcribit: *Longo tempore poſt Thebas ad Saturnalia, qui ludi Muſici erant, profectus eſt.* Superius ex Liuio diximus, Saturnalia vnius diei tantum feſtum fuiſſe, qnod ex Macrobio & Liuio locis adductis etiam colligitur. Addidit huic feſto Caligula (vt publicā lætitiam augeret in perpetuum vnū diem, vocauitq; *Iuuenalem*,

ex Sue-

ex Suetonio, *in Caligula, c.*17. His Caius Cæſar binos a
xit, teſte Macrobio *libro* 1.*cap.*2. *&* 10. ita vt quatuor ſu
Quamuis Dion Caſ. *lib.*59. *&* 60. ſcriptum reliquerit
que fuiſſe, & alii ſeptem; nulla tamen authoritate ſuff

Ex quibus coniicere licet, quam decipiantur qui l
Ciceronis *in Epiſt. ad Atticum,* interpretantur. *Huc Cæſar
dis Saturnalibus ad Philippum veſperi venit*, exponentes ſ
*Saturnalibus*, id eſt, *ſecunda die Saturnalium*, quum tam
ligula, qui ſecundum diem Saturnalibus adiunxit, pe
tos poſt annos ab obitu Ciceronis imperarit. Hos di
turnalibus adiunctos *ſigillariorum dies* vocatos colligin
Macrobio *libro* 1. *Saturnal. cap.*7. *&* 10. *&* 11. niſi forte
mus, hos ſigillarios fuiſſe alios dictis quinque Saturn
adiunctos; Prior tamen ſententia magis nobis pro
Hoc certum eſt, diebus Saturnalibus & ſigillaribus m
fuiſſe, vt Romani ciues inuicem munera alterna mitt
Quod ex præſenti textu & aliis infra paulo adducendi
patere poteſt. Alexander ab Alexandro, *lib.*2.*c.*22. ſcri
aram Saturni accenſis luminibus ſacrum fieri ſolitum
cereis miſſitandis in Saturnalibus mos inoleuit. Qua
tentiam ex Macrobio, *libro Saturnal.*1.*cap.*7. & ex Feſto
peio *lib.*3. deſumpſiſſe videtur. Nos obſeruamus, omn
neris munera mitti, morem fuiſſe Romanis, & præci
Saturnalibus, ex Suetonio *in Auguſto,* vbi habet: *Saturn
etſi quando alias libuiſſet, modo munera diuidebat, modo num
mnis notæ*, quæ munera *Saturnalitia* & *ſigillaritia* vocab
teſte Spartiano *in Adriano,* vbi ſcribit: *Saturnalitia & ſi
tia frequenter amicis inopinantibus miſit, & ipſe ab his libente
pit.* Et Iuuenal. lib. 5.

*Saturnalitiæ ligulam miſiſſe ſelebræ.*

Prioris appellationis deriuatio ex ſe conſtat; ſecundæ
minationis cauſa perquirenda. Sicuti à diebus Saturn
*Saturnalia & Saturnalitia dona* dicta non ambigendum
contra *dies ſigillares* à ſigillaria & ſigillaricis donis app
Erat ſiquidem Romæ vicus celeber, vbi vaſa, ſigna, im
culæ, aliaque huiuſmodi æris, auri & argenti fabrefac
num exponebantur. Quod docuit Gellius *lib.*2. *Noct. A*

*rum, cap* 3. Et iterum *libro* 5. *cap.* 4. inquiens: *Apud ſigillaria forte in libraria, ego & Iulius Paulus Poeta conſedebamus.* Auſonius Odyl. 16. *Pro quo ſi per ſigillaria in actione veniret, neque Afranius Narici daret, nec Stichum ſuum Plautus offerret.* Et Suetonius in Claudio: *Eſſedum argenteum ſumptuoſe fabrefactum, & venale ad ſigillaria, redimi, concidique coram imperauit.* Idem author in Nerone: *Sporum Romæ circa ſigillaria comitatus eſt.* Et apud Iuriſtas, *in l. penultima*, §. *paterſamilias, D. de legat. tertio*, ſcribit Scæuola: *Paterfamilias ita legauit: Lances numero duas leues, quas de ſigillaribus emandari volo. Is de ſigillaribus quidem leues non emerat, &c.* Quem locum explicans doctiſſimus Alexander ab Alexandro *libro & capite tertio*, per ſigillares intelligendum inquit, locum ſeu vicum ſuperius dictum. Et ad hoc ſpectat illud Senecæ libro primo, epiſt. prima: *Ego ſum felicior, cui ſoles ſigillaria afferre.* Huc pertinet & illud Spartiani in Caracalla: *Quæ à parentibus acceperat ſigillariorum gratia, ea vel clientibus, vel magiſtris ſponte donauit.* Nec omittendum quoque illud Flauii Vopiſci *in Aureliano*, vbi ſcribit, illum inſtituiſſe vxori & filiæ annarium ſigillariorum. Sic Tiberius Claudio nepoti ſuo, quadraginta aureos in Saturnalibus miſit, *ex hoc Suetonii loco.* Ex quibus & alio Suetonii ſuperius adducto exiſtimant aliqui, non ſimulachra, vaſa, & imagunculas, & alia huiuſmodi donari ſolita, ſed numiſmata, hac vel illa imagine ſignata, quibus vnuſquiſque donans vteretur in ſigillis ſuis conſuetis, vnde ſigillaria dicta, & *ſigillaria* locus, vbi cudebantur & ſignabantur Romæ in hunc vſum. Vnde colligitur Auguſtum, *ex Suetonio*, his diebus donaſſe nummos omnis notæ, id eſt, nulla habita diſtinctione, cuius imaginem vel figuram referrent. Quem morem etiam hodiernis temporibus à Venetiarum Ducibus ſeruari dicunt, quum ſingulo die natalis vel aſſumptionis ſuæ, annuum munus, numiſma, ſuam imaginem referens, nobili cuique Veneto dono dare conſueuerint; Addunt præterea, nummi genus obſeruari apud Scriptores, *ſigilum* dictum, Græcis σιγλὸν vocatum, quaſi ſigillum dixeris. Vnde aurum, argentum, & æs ſignatum accipitur pro pecunia, ſicuti factum pro elaborato, & cœlato. Sic Seneca

Ss libro

libro primo,de Beneficiis:*Libentius dabo argẽtum factu*
*ſignatum*. Et Liuius libro 34. *Cautum erat, quo ne plus*
*argenti facti, quo ne plus ſignati argenti ac æris domi ha*
Quod & apud Iuriſperitos obſeruatum legimus, &
pue ex Pomponio,*D.de auro & argento legato*, vbi arg
cto legato,inquit contineri paropſides, trullas,pelu
milia. Et apud Paulum, Octauenus ait: *Infecta mat*
*dus, ſignata vero numerum. facta autem ſpeciem dici opo*
Cicero libro de Leg. *AEs argentum, aurumve publice ſi*
in Epiſtolis: *Quum ſignatum argentum Apolloniæ.* Ex
ſignatum aurum, argentum, nummos appellati,
mulachra, & vaſa, factum, clare patet. Addunt &
nis authoritatem *in Verr.* vbi legimus argentum fa
que ſignatum. Signum autem & ſignatum pro ſig
gillato Latinis accipi, & dici clarum eſt. Cicero i
*Tum oſtendi Lentulo tabulas, & quæſiui, cognoſceretne ſig*
ad Brut. *Literæ omnes integris ſignis Prætoribus traduntur*
ſus: *Nec ſignum tuum in epiſtola, nec dies appoſitus eſt*
Flac. *Signum publicum, ſignum quo epiſtola obſignata er*
Verr. *Obſignare literas publico ſigno.* Et ad Atticum
*& manum meam requiret.* Et rurſus: *Neque vtar meo*
*pho, neque ſigno.* Et ad Atticum: *Accepi à te ſignatum*
Et iterum: *Signata iam epiſtola Formiani venerunt.* E
omnibus illi ſigillaria munera, nummos ſeu p
fuiſſe contendunt.Prior tamen ſententia magis am
da videtur; ſiquidem nullibi obſeruamus priuat
nes Romæ nummos videre pro libito potuiſſe, ſed
tum magiſtratum gerentibus, Conſulibus, Imper.
& aliis permiſſum fuiſſe. Præterea emblemata, ſ
vaſa alia, ſigna appellari à Latinis non dubitandun
luſtius: *Signa & tabulas pictas, vaſa cœlata mirari.*
de Orat. *Signa ac tabulas pro palam collocare.* Et in
*gnum AEneum, marmoreum, eburneum.* Quinimo &
gis ad rem facit, ſigillum & ſigillatum accipi ob
pro cœlatis operibus. Ita Cicero in Verr. *Appoſui*
*in qua ſigna erant egregia.* Et iterum: *Sigillis auulſis re*
*gentum reddidit.* Et rurſus: *Tabulæ, in quibus ſigilla*

*trant*, & amplius: *Sigillata ſimulacra.* Et denuo: *Iubet me ſcyphos ſigillatos ad Prætorem afferre.* Ita & *ad Atticum libro primo*, Sigilla plutealia, imagunculas pluteis, id eſt, tabulis, incluſas vocauit; quamuis alii, ſed perperam, *plutealia*, legant, vti Calepinus.

Decembri menſe (vti diximus) Saturnalia Feſta celebrabantur, in quibus etiam ludis & conuiuiis operam dabant Romani. Ita Suetonius in Auguſto, cap. 71. *Luſitque ſimpliciter & palam oblectamenti cauſa etiam ſenex, ac præterquam Decembri menſe, aliis quoque feſtis, profeſtiſque diebus.* Seneca *in Epiſt. ad Lucillum* ſcribit: *Menſe Decembri ius luxuriæ publice datum eſt, ingenti apparatu ſonant omnes.* Et Macrobius Saturnalium primo cap. quinto. *Vultis ne diem, quam omnes, plerique abaco, & latrunculis conterunt, &c.* Saturnalia enim 14. Kalen. Ianuarii, Romani ſumma animi remiſſione celebrabant, vt & aliæ nationes. De quibus Athenæus libro 14. Horat. libro 2. Saty. 7.

*———Age libertate Decembri*
*Quando ita maiores voluerunt, vtere, narra, &c.*

Iuuenalis Satyra 7.

*————————Tunc vtile multis*
*Pallere, & vinum toto neſcire Decembri;*
*Inuitat genialis hyems, curaſque reſoluit.*

Suetonius in Caligula: *Durauitque etiam per Feſtos Decembris dies*, loquens de luctu ob Germanici mortem. Martialis *in Xeniis & Apophoretis* oſtendit aleam exerceri ſolitam impune diebus Saturnalitiis. Plutarchus *in Problem. cap. 33.* Decembrem ſacrum dicit Veſtæ. Verum Macrobius *lib. 1. Saturnal. cap. 7.* ait, Saturno ſacrum eſſe Decembrem Martialis lib. 4. Epigram. 4.

*Dum blanda vagus alea December*
*Incerta ſonat hinc, & hinc fritillis.*

# C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVD

## CAP. VIII.

*Et quoties poſt cibum obdormiſceret (quod ei fere accidebat) ac palmularum oſsibus inceſſebatur: interdum ſcrula flag ut per ludum, excitabatur à Tropeis.*

HIc locus, ſi quis alius Suetonii, mirum in modu viros doctos, inter quos ſe maxime excruciatu tur Turnebus *lib.* 22. *Aduerſ. cap.* 32. qui non *à Tropeis preis* legendum tandem determinat. Tranquillumq voce Græca ob rei fœditatem; Copreos enim ſter interpretatur. Ita & legendum tradit Ioſeph. Scalig *tis ad Feſtum*, *in ſcurra*, authoritate etiam Dionis, qui *nace κοπρείας* appellat ſcurras ac ridiculos homines. S ſo, quis in conuiuio Principum virorũ admiſſos fœ ac impudicos homines credet? Vidit & ipſe vir pruc ficultatem, quamobrem *lib.* 27. *c.* 19. non *Tropeis*. no ſed *Crepis* legit, inquiens, Lupercos Crepos eſſe v crepitu plagarum, quas infligebant obuiis, quorum tudine idem facientes per ludum *Crepi* dici potuere dus quorundam affert ſententiam legentium *à capr* meretriculis, quam ridiculam vocat, item & alion *capreis* legendum contendunt, id eſt, ab iis, qui in In prenſi erant, tales contumelias Claudius perpeſſu Tandem ſuam addit interpretationem, retinens v lectionem *à Tropeis*, id eſt, à ſe conuertentibus, id e Claudium flagro illuſores percuſſiſſent, ſe conue ne ab illo deprehenderentur authores percuſſioni pei autem vocati à verbo Græco τρέπειν, quod eſt de & τρέπῃ *verſio*, τρόπος *figura* dicitur, quæ Latin *ſio*. Sabellicus *Capreis* legit, hoc eſt, impudicis pr S c ſupra in Tiberio, cap. 45. *Hircum vetulum capre ligurire*. Torrentius *capreis* legendum contendit e n et Sueto. *in Tib. capite ſexageſimoprimo*, & hom culos ex ſcurrarum genere interpretatur, *caprea* vel ab illius animalis obſcœnitate, vel à conſuetu dendi.

Verum quum hæ omnes expoſitiones coniecturis tantum innitantur, & noſtram eiuſdem generis adnectere libet. In Lexico Græco animaduerti dictionem τρόπα aſteratico præſignatam interpretati obuerſionem, genus ludi quod aſtragalis exercebatur, nam iactantes aſpiciebant ſcrobem in quam iactati excipiebantur. Quo in memoriam reuocarunt me non ſemel, dum apud Germanos cum Sereniſſimo Domino meo, Mantuæ & Montisferrati Principe degerem, obſeruaſſe poſt comeſſationes, Principes & Nobiles viros ſemel vel pluries corpore in gyrum conuerſo exploſis tormentis, vel baliſtis, pilis vel ſagittis in ſcopum propoſitum ieciſſe, ex quorum numero illis, qui à ſcopo vndequaque aberraſſent, à ſcurris varicolori amictu cum tintinnabulis & cuculis veſtitis, flagro quodam ligneo, ſeu tabella nates percutiebantur, vulgo Germani ferulæ id genus eine Pritſchen vocant. Sic & coniiciendum, antiquitus Romanos poſt conuiuia conſimili modo luſiſſe, aſtragalo in ſcrobem iacentes, corpore prius in gyrum conuerſo, quod fieri ſolet, vt ſpiritus animales commoti facilius iacientem à ſcopo declinare faciant, & qui extra ſcrobem aſtragalum forte proieciſſet, à ſcurra, (quorum aliqui ſemper Principum virorum epulis aſſiſtunt ſuis iocis conuiuas oblectantes) ferula percuteretur, ſicque ludus à circulari conuerſione *Tropea* dictus, & *Tropei* Scurra luſionis miniſtri. Erit itaque ſenſus literæ talis, Claudium dormientem, veluti per ludum, id eſt, tanquam vnum ex ludentibus, & in luſu aberrantem, ferula à Tropeis percuſſum, & à ſomno excitatum. Hæc habuimus quæ in re perdifficili, & lectionem vulgatam retinentes, afferremus; Quæ ab amico lectore tanquam coniectura in re incerta deprompta accipi æquo animo optamus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN C

### Cap. XII.

*Vtque rata eſſent, quæ procuratores ſui in i... rent, precario exegit.*

QVid per procuratores hoc loco inte... omnes conueniunt. Quæ diuerſitas ... crepantia facile tollitur, præmiſſis aliq... maxime facientibus. Procuratorum var... mus apud Iuriſconſultos & ſcriptores ali... ſunt litis Procuratores, quibus ſcilicet in... dæve litis negocium eſt datum, vti §. 1. *In... poſſumus.* Et Cic. in Verrem. *Procuratores ... ſuas reiiciat.* Et pro Quinct. *Libellos Sex. ... Quinctii deiicit.* Procurator alio modo ... Procurator, cui vel certa vna res, vel ge... gotia adminiſtranda mandantur, cuiuſ... Iuriſperitos mentio, vti *l.* 13. *ff. de pact. l. ... de calumniat.* & alibi ſæpius. Huiuſmo... cit Cic. in orat. pro Cæcin. *Vtrum me t... is, qui legitime procurator dicitur, omnium ... non ſit, abſitve Reipub. cauſa, quaſi quidam ... alieni iuris vicarius.* Suetonius in Galba, ... *data Neronis de nece ſua ad procuratores cla...* Et cap. 12. *Et præpoſitos procuratoreſque ſu... cum coniugibus & liberis.* His addamus Pr... generis poſſe eſſe, vel priuati hominis ... mi, puta Cæſaris. Hoc autem loco Su... Cæſaris procuratoribus, nulli dubium ... neris, vel de ſecundi generis procurat... eadem videtur ſententia; Nam Torr... loco fuiſſe quoque præter procurato... uocatum primum inſtitutum ab Ale... Lampridii, videtur innuere Sueton... curatore litium Fiſcalium ſeu Cæſari... curatoribus conſulente aduocato; p... idem Torrentius, huiuſmodi proc...

iudicandi ius minime datum, ſed tantummodo quæ Imperatoriis nomine geſſiſſet, rata habebãtur perinde ac ab Imperatore geſta. At hoc alienum à propoſito, ex infra dicendis facile patebit. Procuratores Cæſaris, qui vectigalia conquirebant, & circa Principis reditus & pecunias verſabantur, primus omnium Auguſtus inſtituit, atque in omnes Prouincias, præterquam vbi Proconſules erant, miſit, ex Dione *lib.* 53. Curatores vocans. Hi itaque publicos reditus colligebant, & circa Cæſaris impenſas in præſidiis, negotiis, ac magiſtratuum ſtipendia, opus ſuum impendebant. De his Suetonius in Veſpaſiano, c. 16. *Creditur etiam Procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitus promouere, quo locupletiores mox condemnaret, quibus quidem vulgo pro ſpongiis dicebatur vti, quod quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret madentes.* De huiuſmodi Procuratore Cæſaris Herodianus *lib.* 7. ait: *Procurator erat quidem Carthagine, cui nihil ad extremam vel aſperitatem vel ſæuitiam deerat. Is damnandis iudicio hominibus, exigendiſque pecuniis fauorem Principis aucupabatur. Siquidem Maximinus, quos ſibi ſatisfacturos cognoſcebat, eos potiſſimum deligere conſueuerat. Quicunq; igitur Fiſci rem curabat, ſi modo viri probi forent (quod perraro eueniebat) aut procuratione exciderant, aut præſenti periculo conterriti, gnariq; illius auaritiæ, quamuis inuiti, cæteros imitabantur. Quapropter Africæ Procurator, cum pleraq; alia violenter factitabat, tum ab adoleſcentibus quibuſdam nobilibus atq; opulentis damnatione circumuentis, ſtatim exigere pecunias intenderat, patrimonioq; illos, & auitis bonis exuere.* Iulius Capitolinus *in Maximino* inquit: *Erat Procurator Fiſci in Lybia, qui omnes Maximini ſtudio ſpoliauerat; Hic per ruſticanam plebem interemptus eſt, ſed quum per eos, qui rationalem in honorẽ Maximini defendebant, authores cædis, &c.* Ex his authoritatibus colligimus, eoſdem fuiſſe Procuratores Cæſaris, ſeu Curatores Rationales eiudem. & Procuratores Fiſci. Cuius ſententiæ etiam adſtipulatur Lampr. *in Alex.* dum ſcribit de Eunuchis: *Quum pleroſque Eunuchos rationibus & procurationibus præpoſuiſſet Heliogabalus.* Quæ dicta ſint aduerſus recentiores I. C. quoſdam, qui Procuratorem Fiſci à Procuratore Cæſaris diſtinguunt, *in l. 1. de offic. Procur. Cæſar.* necnon & Alciatum, qui *in Annot.*

*in tres poſt. lib. Cod. tit. de fundis rei priuatæ.* Rationalem
eſſe generale verbum, quod & Fiſci & Procuratorem
ris in ſe continet. Vtrumque enim nomen idem offi
ſignificare docet Alex. Imperator *l. 2. C. de modo mult*
quiens: *Procuratores meos vel Rationales multa iudicanda*
*habere ſæpe reſcriptum.* Hos autem à Græcis *Logiſtas* dict
cet Gordianus l. 3. eod. *Curator, ait, Reipub. qui à Græco v*
*lo Logiſta nuncupatur, multandi ius non habet.* Falſum tam
detur, Procuratores Cæſaris multandi ius non hab
quod ex adductis Alexan. & Gordianus, ſanxere, &
ſtratus auctor eſt *in l. vlt. ff. de offic. Procur.* tum ex ſuper
latis auctoritatibus Capitolini & Herodiani *in Max*
tum etiam ex Tacito ſcribente *libro* 15. Ieſum Chriſtu
uatorem noſtrum Tiberio imperante per Procura
Pontium Pilatum ſupplicio affectum. Conciliari tam
to hæc dicta, quod in Orientem, puta in Ægyptum &
mittebantur Procuratores Cæſaris, qui Præſidis Pro
partibus fungebantur, ac tum de rebus omnibus, qua
les ipſe cognoſcebant, *ex l. 4. C. ad l. Fab. de plag. l. 3.*
*cauſ. Fiſc. l. conſenſu 23. §. 1. ff. de appell.* Quod etiam con
dictis Taciti *in lib. 12. Annal.* Nam D. Auguſtus apud
ſtres, qui Ægypto præſident, lege agi, decretaque e
perinde habere iuſſerat, ac ſi Magiſtratus Romani c
tuiſſent. Ita Xiph. *in Epit. Dionis in Tiberio*, meminit Æ
Recti, qui ad Tiberium aliquando miſerat maioren
mam pecuniæ ex Ægypto, cui præerat, quam imperat
ſet, cui reſcripſit Tiberius: *Tondi oues meas volo, non c*
Hic itaque Æmylius Rectus, quum pecuniam Cæſar
ligeret, Procurator erat, at & ſimul præerat Ægypto. I
modi autem & fuiſſe Pontium Pilatum, non dubitar
Addamus etiam, ſub diuerſis Imperatoribus plus, r
ve authoritatis Cæſarum Procuratoribus datum, pro
nus vel magis illis fauebant, ipſique pecuniæ tenaciſ
rant. Sic ſub Traiano optimo Imperatore huiuſmod
curatores minimæ authoritatis fuiſſe docet Plinius *in*
*gyrico*, ſcribens ad Traianum: *Dicitur actori atque Pro*
*ri tuo, in ius veni, ſequere ad Tribunal.* Secus ſub Maxi

vt diximus, auariſſimo Principe, Procuratoribus ſumma poteſtas tradita. Sub Tiberio Lucillius Capito Aſiæ Procurator, accuſante prouincia, cauſam dixit magna cum adſeueratione Principis, non ſe ius, niſi in ſeruitia & pecunias familiares dediſſe; quod ſi vim Prætoris vſurpaſſet, manibusque militum vſus foret, ſpreta in eo mandata ſua, audiret ſocios, ita reus cognito negotio damnatur. Hæc Tacitus *lib. Annal* 4. qui & ſub Claudio *lib.* 12. ſcribit, multum attributum Procuratoribus ipſius: nam inquit; *Eodem anno ſæpius audita vox Principis, parem vim rerum habendam à Procuratoribus ſuis iudicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet, ac ne fortuito prolapſus videretur, Senatus quoq; conſulto cautum.* Et Suetonius hoc in loco, Claudium à Senatu precario exegit, vt rata eſſent, quæ Procuratores ſui in iudicando ſtatuerent. Hinc Feneſtella *lib. de Magiſtrat. cap.* 26. putat, Procuratorem Cæſaris eum fuiſſe, qui inter Cæſarem ac Romanum populum & alios prouinciales conſtitutus eſſet iudex, quum inter Cæſarem & priuatos cauſa ageretur. Ita Antoninus Cæſar *ex l.* 1. *C. de iuriſdict. omn. iudic.* ait, Procuratorem quidem ſuum habere iudicandi poteſtatem inter certas perſonas & fiſcum, ſed non eſſe competentem iudicem in lite priuatorum, niſi ratione conſenſus eius ſententiæ ſe ſubiecerint. Et generaliter Conſtantinus inquit in l. ad fiſcum, l. 5. C. lib. 3. titul. 26. *Ad fiſcum pertinentes cauſas Rationalis decidat, omnibus conceſſionibus prohibendis, veluti ſi agatur de bonis, quæ leges vel ſententiæ Iudicum iuſſerunt fiſco deſerri, de colonis domorum Principis, de inquilinis & ſeruis eius, de cauſis ciuilibus officialium ſuorum, qui exactioni vel chartis inſeruiunt*, & denique plura alia agere, quorum meminere leges, vbi de officio Procuratoris Cæſaris verba faciunt. Illud poſtremo adnotandum, Procuratores primum ex equeſtri ordine eligi conſueuiſſe, docente Cornelio Tacito *in vita Agricolæ.* At Claudius Imperator, teſte eodem, *lib. Annal.* 12. libertos rei familiari præfecit, ſibiq; ac legibus adæquauit. Præterea addamus, quod Imperatores non ſolum Procuratores Imperii habebant, hoc eſt, rerum publicarum, ſed & primus Seuerus Imperator, teſte Spartiano *in illo*, priuatarum rerum ſuarum procuratores inſti-

fuit ; ait namque : *Filiis etiam ſuis ex hac proſcriptione ta*
*reliquit,quantum nullus Imperatorum,quum magnam parte*
*ri per Gallias, per Hiſpanias, per Italiam Imperator iam fe*
*tuncq́, primum priuatarum rerum procuratio conſtituta eſt.* I
cris paginis obſeruamus *lib.2. Macchabæorum, cap.*11.
Lyſiam Procuratorem & præpoſitum negotiorum R
Et in Euangelio D.Lucę,*cap.*8.Chuſam procuratorem
rodis.Capitolinus in M.Antonino Philoſopho: *Procura*
*ſuos puer ſemper moneret, ne quid arrogantius facerent.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDI
## Cap. XII.

*Ius nundinarum in priuata prædia à Conſulibus petijt.*

VElleius Paterculus *in priore lib.Hiſtor. Romana, circa*
*cipium*,inquit, Genus emptionis celebre, negoti
nem & mercatum, primum inſtitutum ab Iphito E
pud Græcos, apud Romanos vero nata & creſcente R
blica, nundinæ inſtitutæ ſunt, teſtamento Liuii,& ex
crobio,*lib.*1.*Saturnal.cap.*16. quæ & feriæ paganorum
ſunt,vt ruſtici in vrbem nono quoque die, a quo nunc
quaſi nouem dies appellatę,conuenirent, negotiis pro
vel mercibus prouiſuri. Quod & teſtatus eſt Plutarch
*Coriolano*, & Dionyſius *lib.*2. Columella *lib.*1.*de re ruſt.*
ſtus Pompeius *lib.*12.ſcribit : *Nundinas feriarum diem eſ*
*luerunt antiqui,quo ruſtici mercandi vendendiq́, cauſa in vrbe*
*uenirent,eumq́, nefaſtum, ne ſi liceret cum populo agi,interpell*
*tur nundinatores.*Et illud adnotandum, quod Seneca *lib.*
13. 1.*Epiſt.* per hæc verba ſcribit : *Nam,vt aiunt,qui priſco*
*res vrbis tradiderunt, brachia & crura quotidie abluebant, q*
*licet ſordes operæ collegerant, cæterum toti nundinis lauaba*
Nundinis autem comitia haberi non potuiſſe, teſtatu
nius *lib.*18.*c.*3.ita ſcribens : *Nundinis vrbem reuiſebant,*
*nundinis comitia haberi non licebat,ne plebs ruſtica auocaretu*
Cic.ad Att.in Epiſt. quæ incipit, *Auere te certe ſcio*, idem
firmans, ait : *Ante diem* 10. *Kalendarum nundinæ, concio*

*nulla*; quibus verbis ſignificat de comitiis P.Clodii nihil actum eſſe illis duobus diebus, propter interuentum nundinarum. At Dionyſius Halycarnaſſ.*lib.7.* & Plutarchus *in Coriolano*,authores ſunt, M.Coriolano poſt accuſationem trinundinum ita datum, vt tertiis nundinis iudicium de eo futurum eſſet; vnde colligitur, nundinis haberi potuiſſe comitia. Huius diuerſitatis ſeu contrarietatis difficultas dilui poteſt ex Macrobio loco citato, vbi variis authoritatibus vtramque opinionem confirmat, & tandem pro concilio inquit, C.Licinianum *lib.2.* ſcribere, nundinas Iouis ferias eſſe, ſiquidem Flaminica omnibus nundinis in Regia Ioui arietem ſolebat immolare; ſed lege effectum, vt faſtæ eſſent, vti ruſtici, qui nundinandi cauſa in vrbem veniebant,lites cōponerent; nefaſto enim die Prætori fari nō licebat,ergo qui ferias dicunt, à mendacio vindicantur patrocinio veritatis, qui contra ſentiunt,æſtimatu ætatis,quæ legem ſequuta eſt,vera depromunt.Etſi vero comitia nundinarum diebus non habebantur, & Coriolano cauſam dicenti præter ius & conſuetudinem lege Hortenſia, vel aliqua alia de cauſa indultum fuerit, vt trinundinis de eo iudicium ferret populus, quod in comitiis fiebat,concionem nihilominus ad populum haberi potuiſſe, ex eo conſtat, quod trinis nundinis leges promulgarentur, ex Macrobio loco ſuperius citato, & Cicerone *in oratione pro domo ſua, & in quinta Philippica*, & Dionyſio, *libro decimo.* Apud Prætorem quoque nundinis agi potuiſſe, conſtat ex Aulo Gellio, *lib.*10.*cap.*1.vbi de obæratis,quibus non eſſet ſoluendo, ait, eos trinis nundinis continuis apud Prætorem in comitium productos, quantæque pecuniæ iudicati eſſent, prædicabantur. Ab iis nundinis & dicti ſunt mercati vulgo *Fiere,* qui ſtatutis temporibus aliquo in loco immunes à vectigalibus celebrantur. At alia difficultas in re hac magis ad textus explanationem faciens inſurgit; namque hoc loco Suetonius ait, ius nundinarum in ſuis prædiis Claudium à Conſulibus petiiſſe, econtra vero Plinius *lib.5.Epiſt.Epiſt.5.* ad Valerianum ſcribens, inquit: *Solers vir Prætorius à Senatu petijt, vt ſibi inſtituere in agris ſuis nundinas permitteretur.*

Cui

Cui difficultati ſic ſatisfaciendum puto; Conſules P
pes viros Senatus fuiſſe, ac veluti caput illius,ob id ius
dinarum potuiſſe peti,tum à Senatu,tum à Conſulibu
Ex hoc eodem loco & aliud notandum, Nundinas
quitus alias publicas fuiſſe, quæ ſcilicet in vrbe vel op
aliquo habebantur. Ita Cic.*in orat. contra Rullum*, me
nundinarum,quæ Capuæ habebantur. Et *in Epiſt.ad A*
*Nundinarum πανήγυεις in Circo Flaminio.* Aliæ erant pri
& quæ in agris priuatorum exercebantur, quales
dium à Conſulibus petiiſſe, tradit hoc cap. Suetoniu
Cicero *Philippica* 2.conqueritur, domeſticis Antonii
dinis vectigalia populo Romano diminuta. Plinius *in*
*ad Valerianum* ſcribit, vt diximus, virum prætorium à S
tu contendiſſe, vt ſibi inſtituere in agris ſuis nundina
mitteretur. Noſtris temporibus in Gallia,ſolus Rex n
narum ius concedere poteſt, ex Conſtitutione Lud
publicata,anno 1512. *artic.*2. Ita & in Hiſpania ſolu
priuilegium nundinarum concedere poteſt, ex legibu
phonſi *part.* 1.*tit.*3. In Italia Reſpublicæ,ſummus Pon
& Duces, ſeu potius Reguli in ſuis ditionibus idem iu
obtinent. Nec illud prætermittendum, mercatum à
dinis differre, ſiquidem mercatus locus eſt,qui Græc
*πώλειον* dicitur, ſicuti mercatores ἔμποροι dicti à Platon
32. *Dialogo* 2. *de Repub.* à venalitiis rebus die deſtinato
dendis deputatus, ſeu forus venalis certis diebus deſ
ens cum modico priuilegio. Nundinæ vero dicuntur
ti dies in ciuitate vel loco mercandi cauſa libere conc
Principe cum immunitate donata vectigalium & ped
rum,*ex l.vni.C.de nund.& mercat.* Ad nundinas concurr
bus multa priuilegia conceſſere Valens & Valentini
Cæſares, quod & feciſſe Alexandrum Seuerum, teſ
Lampridius in illius vita,inquiens: *Nundina vetera ex*
*inſtituit,vel dies,vel tempora*, id eſt, quo tempore & qu
quotque diebus agerentur. Hoſtes tamen publicos a
arceri obſeruamus, ſicuti ſancitū eſt ab Honorio & T
doſio Cæſaribus,*ex l.mercatores,l.4.& l.final. C.de comm*
*mercat.* & Ludouicus Galliarum Rex Anglos ſeu Brita

in volumine priuilegiorum quatuor nundinarum Lugdunenſium,tanquam hoſtes ab illis arcendos conſtituit.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO. CAP. XV.

*Quum Aemiliana pertinacius arderent, in Diribitorio duabus noctibus manſit.*

COmmentatores, & reliqui, qui Diribitorii eſſentiam explicare conati ſunt,non exacte, vt mea fert opinio, rem aſſequuti ſunt; illius tamen difficultatem plerique atteſtantur. Beroaldus pro Diribitorio *Delibatorio* legit, authoritate Plinii *lib.16.cap.40.* ſcribentis: *Fuit & memoria noſtra in porticibus Septorum à M. Agrippa relicta aque miraculi cauſa, quæ Delibatorio ſuperfuerat viginti pedibus breuior, ſexquipedali craſsitudine.* At ex Pliniano textu corrupto,corrumpit & Beroaldus Suetonii locum, vtrebique enim textus caſtigatiores habent *Diribitorio*, nequaquam *Delibatorio*; Quod & ex Dione conſtare poteſt,qui *lib.55.* ſcriptum reliquit: *Diribitorium domum omnium,quæ vno culmine fuerunt,maximam, Agrippa imperfectum reliquit.* Ex quibus Dionis verbis ſatis Plinianus locus illuſtratur & corrigitur. Sabellicus & ipſe rei difficultatem teſtatus, pro Diribitorio *Deriuatorium* reponit,atque explicat eſſe ædificium in aquæductibus, quod *Caſtellum* alii vocant, vnde aquæ in diuerſas vrbis partes deriuabantur, *ex Vlpiano & Iabuleno Iuriſconſultis,quibus & Frontinus adſtipulatur.* Ita vt ſenſus ſit,Claudium incendium ſpectaſſe ex Deriuatorio, hoc eſt, Caſtellorum vno,vbi ſuo arbitrio aquas ſubminiſtrari ad reſtinguendum illud iuberet. Sed hæc Sabellici ſententia nec ipſa ſubſiſtere poteſt, aduerſantibus Dionis verbis iam adductis, tum & Xiphilino *in Caligula*,tradente, illum in ardentiſſimis caloribus Diribitorio pro theatro vſum. Torrentius exponit, Diribitorium fuiſſe locum,ad Diribitorum manus ſeruiens. Erant autem Diribitores, qui Romanis in ſuffragia euntibus tabellas miniſtrabant, vti Rogatores, qui ciſtam deferebant, in quam tabellæ mittebantur,& cuſtodes qui obſeruabant,

ne

ne quid fraudis committeretur in ſortionibus & ſuff
dandis ſeu dicendis, & deſcriberent etiam cuiuſque
turiæ educta è ciſta ſuffragia. & inde appareret, quæ
illius Centuriæ ſuffragia. Cic. in orat. poſt redit in Se
*Quando illa dignitate Rogatores, Diribitores, cuſtodeſq; vidiſt*
in Piſoniana, *diribi tabellas* oſtendit: *An ego expectem, dum*
*quinq; & ſeptuaginta tabellæ diribeantur.* Ita & *diribitas ta*
dixit *lib. 3 Epiſt. ad Q. Fratrem*, in Epiſt. cuius initium eſt,
*nus*, inquiens: *Cato diribitis tabellis de circulo ſe ſubduxit.* E
bitionem tabellarum diſtributionem appellauit *in or.*
*Plancio*, & diſtributores, quos alias diribitores vocauit.
Torrentii expoſitio nec ipſa ſatisfacit. Siquidem quu
ribitores non plures eſſent, quam pontes, in quibus
bantur ſuffragia, nempe 35. pro numero totidem trib
vel amplius ſinguli pro ſingulo candidato & competi
quod pluribus rationibus demonſtrat Nicolaus Gruc
*de comitiis Romanorum, lib.* 1. haud rationi vtique conſ
videtur, ædificium ingens, & culmine omnium maxin
in diribitorium vſum duntaxat conſtructum, Cæl. Rh
*Antiq. lect. lib. 7. cap. 6.* tradit, Diribitorium fuiſſe locur
quo recenſebantur exercitus, & militibus ſtipendia nu
rabantur, à Strabone vocatum *Militare Logiſterium*, ſub
etiam, Diribitorium fuiſſe miniſtratorium ſeu locur
quo obuerſarentur miniſtri, qui quoniam Græce voca
*παῖδες*, *Pædagium* à Plinio in Epiſtolis vocatur: *Puer* (in
*in pædagio mixtus pluribus dormiebat.* Priorem Rhodigin
tentiam ex hoc confirmare poſſumus, quod diribitori
diribendo dictum ſit. *Diribo* autem, vt ex Cic. docuim
*diuido*, vel *diſtribuo*. Poſteriori fauere videtur Apuleius
*de Aſino aureo*, ſcribens: *Diribitores pluſculi ſplendide amici*
*cula copioſa ſcitule ſubminiſtrata.* Ita vt diribitorium inte
tari poſſimus locum, in quo Principum miniſtri dege
Turnebus *Aduerſ. lib. 38. cap. 6.* & ipſe ex Lexico veteri i
pretatur locum contubernii. Verum quum diribito
non prope Imperatoriam domum, ſed apud ſepta in r
ne Circi Flaminii fuiſſe tradat Victor, huic expoſitio
quieſcere nequeo. Proinde in eam venio ſententiam

ti

ribitorium ſcilicet fuiſſe locum, in quo populo Romano Imperatorum & virorum Principum congiaria, epulæ, viſcerationesve diſtribuerentur; quum, inquam, frumentum, carnes crudæ, vel epulæ coctæ, aliæve annonæ ſpecies ſeu pecuniæ viritim diuiderentur, quod multis ex cauſis fieri ſolitum paſſim legimus. Diribitorium autem conſtitutum fuiſſe prope ſepta, vbi conuenire ſolebat populus ad comitia habenda, alibi fuſius docuimus. Erant autem in campo Martio tum ſepta, tum diribitorium; Vnde Suetonius *in Auguſto, cap. 3.* Octauium eiuſdem patrem inter diuiſores operasque campeſtres à nonnullis connumeratum tradit. Erant autem operæ campeſtres dicti, qui in campo Martio in comitiis operam ſuam præſtabant, inter quos diuiſores, quos & diribitores vocatos non dubitamus. Sic Numius diuiſor apud Cic. lib. de Orat. 2. *Nucula & Lento diuiſores*, in Philipp. & frequens apud eundem diuiſorum fit mentio. Sed apertiſſime eorum miniſterium deſcribitur *in 2. in Verr.* vbi quoque legimus, ſingulis tribubus ſuos legitimos diuiſores attributos, quod ibidem comprobat Aſconius. Et eodem loco Cic. Verri patrem diuiſorem exprobrat. Et *lib. 1. ad Att.* in Epiſt. cuius initium eſt, *Nihil mihi*, C. Herennio Trib. pleb. probri loco obiicitur pater diuiſor. Erant itaque Romæ diuiſores ſeu diribitores, qui in largitionibus præmemoratis pecunias annonęve genus aliquod ſeu agros pop. Rom. diuidebant, per eiuſdem tribus ſingulas viritim. Quod opus in diribitorio, ampliſſimo loco, conueniente populo perficiebatur; à qua diſtributione ita appellatum veriſimile eſt.

Nec obſtat, quod Nicolaus Grucchius loco citato, alios diuiſores à diribitoribus fuiſſe contendat, nam quodcunque ſit, quum *diribo* & *diuido* verba idem ſignificent, non inconuenit a diuidendi munere, quod eo in loco perficiebatur, diribitorium potuiſſe appellari. Sic eodem in ſenſu Amm. Marcellinus *lib.* 18. diuiſores *diribitores* vocauit. Namque de Conſtantii Imperatoris curiæ miniſtris verba faciens, inquit: *Diribitores venundatæ ſubito poteſtatis pretium per potiores diffunditant domos.* Has autem prædictas largitio-

num

num diſtributiones fieri ſolitas in Circo Flaminio ( regione conſtructum diribitorium Victor tradit ) docet *in orat. pro Plancio*, in hæc verba : *Caluit re recen in cauſa refrixit. Neq; enim qui nummi illi fuerint, nec qu nec qui diuiſor, oſtenderis.* Diribitorium ab Agrippa exſ ptum, *ex Plinio & Victore*, poſtea perfectum, penitus graſſe ſub Tito, tradit Dion *lib. 55.* Quamobrem h randum, quum paucis annis ſuperſtes extiterit, ædificio ( alioquin celeberrimo ) deſcribendo ſo modum fuere ſcriptores.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVD

### Cap. XVI.

*Notauitq; multos, & quoſdam inopinantes, & ex cauſa generis, quod ſe inſcio ac ſine commeatu Italia exceſſiſſent.*

SEnatores, quiq; magiſtratus gererent, Italia abe potuiſſe, innuere videtur Liuius *lib 36.* per hæc v *Cornelius edixit, qui Senatores eſſent, quibusq; in Senat tiam dicere liceret, quiq; minores magiſtratus eſſent, ne qu ab vrbe abiret, quam vno eo die redire poſſet, neve vno quinq; Senatores ab vrbe Roma abeſſent.* Hoc clarius Dio inquiens: *Quum nulli Senatori aliquo, quam in Sicilia liamq; Narbonenſem liceret proficiſci peregre, eo autem pro pinquitatem ac quia pacatæ ſunt regiones, armisq; vacant, ne venia impetratæ, licet Senatoribus, quoties velint proficiſ aliquam habent locorum poſſeſſionem.* Et Xiphilinus Dio breuiator *in Auguſto* tradit, illum cauiſſe, ne Senat Italia, niſi iuſſu aut permiſſu ſuo proficiſcerentur, etiam obtinet vſque ad hæc tempora : non enim iu natoribus proficiſci, niſi in Siciliam, aut in prou Narbonenſem, poſſunt autem in has prouincias ab habita licentia, propterea quod proximæ ſunt, & q incolunt homines inermes. Tacitus *lib. Annal.* 12. Galliæ Narbonenſi ob egregiam in Patres reuerent tum, vt Senatoribus eius prouinciæ, non exquiſi

cipis ſententia, iure, quo Sicilia haberetur, res ſuas inuiſere liceret.

Alia etiam de cauſa Senatoribus quibuſdam ab vrbe abeſſe, & Italia excedere licebat, iis ſcilicet, qui ſexageſimum & quintum annum agerent, nam tunc vacare à curia licebat, authoritate Senecæ 2.*Declam.* qui tamen *lib. de breuitate vitæ, cap. poſtremo*, ſexageſimum annum duntaxat terminum vacationis facit: *Lex* (inquit) *à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat.* Et Cornelius Nepos *in vita Pomponij Attici* ſcriptum reliquit: *Incidit Cæſarianum bellum ciuile, quum haberet annos circiter ſexaginta, vſus eſt ætatis vacatione, neq; ſe quoq; mouit ab vrbe.* Secunda cauſa erat, quum obtinuiſſent liberam legationem, ex qua licebat ab vrbe abeſſe, & Italia excedere, cuius rei abunde ſupra *in Tiberio, c.31.* verba fecimus. Ita Brutus *Epiſt. Famil. lib. 2. Epiſt. 1.* ſcribit, ſibi & aliis petiiſſe liberam legationem, vt aliqua honeſta cauſa proficiſcendi ab vrbe quæreretur. Poſtrema & vltima cauſa, qua licebat Senatoribus impune ab vrbe abeſſe, erat commeatus obtentus, hoc eſt, licentia proficiſcendi & redeundi intra determinatum tempus, de qua re item plura ſuperius in Tiberio diximus.

Nec obſtat, quod quis obiicere poſſit, commeatum ſcilicet proprie militibus dari ſolitum, nam & aliis conceſſum conſtat, præſertim & ex hoc loco, exemplo Chariclis Medici; Ad hæc & Senatores ipſos militiæ operam dediſſe quis ignorat? Fatemur quidem, commeatum præcipue militarem fuiſſe licentiam à ducibus dari ſuetam, quod Liuius *libro* 43. in hæc verba teſtatum reliquit: *Item quia fama erat, multos ex Macedonicis legionibus in certis commeatibus per ambitionem Imperatorum ab exercitu abeſſe, edixerunt de militibus P. Aelio & C. Popillio Coſſ. poſt ve eos Conſules in Macedoniam ſcriptis, vt qui eorum in Italia eſſent intra dies triginta cenſi, prius apud ſeſe, in prouinciam redirent, qui in patris aut aui poteſtate eſſent, eorum nomina ad ſe ederentur, miſſorum quoq; cauſas ſeſe cognituros eſſe, & quorum ante emerita ſtipendia gratioſa miſſio viſa ſibi eſſet, eos milites fieri iuſſuros.* Et paulo antea: *Exercitum Conſulis infrequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem eſſe culpam*

Tt eius

*eius rei Conſulum in Tribunos militum, contra illos in C* *conferre.* Liuius item lib. 3. de Appio Clau. Trib. *Col* *caſtra ſcribit, ne Virginio commeatum darent, atq; etiam in* *haberent; Improbum conſilium ſerum, vt debuit, fuit, i* *commeatu ſumpto, profectus prima vigilia Virginius erat.* ſicuti militarem commeatum à ducibus, ſeu tribun ercitu dari ſolitum, manifeſtum eſt, ita & clariſſimu natores & ciues alios Romanos à Senatu petere & c re conſuetos, deinde vero (ſicut & pleraque alia) concedendi commeatum in Imperatores Rom. t tum, ſcribente Suetonio in Claudio, cap. 23. *Comm* *Senatu peti ſolitos, beneficij ſui fecit.* Et in Nerone, cap. 3 *cam præceptorem ad necem compulit, quamuis ſæpe commea* *tente, bonisq; cedenti, perſancte iuraſſet, ſuſpectum ſe fruſtra,* *rumq; potius, quam nociturum ei.* Iure itaque Sueton in loco ſcriptum reliquit, Claudium Imperatorem notaſſe, & quoſdam inopinatos, quod ſe inſcio commeatu Italia exceſſiſſent, nondum enim ius dendi commeatum à Senatu abdicauerat, & ſui iuri rat, quod poſtea effecit. Quamuis ſi Xiphilino cre loco citato, id & prius ab Auguſto decretum.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVD.

### CAP. XVII.

*Quare à Maſſilia Geſſoriacum vſq; pedeſtri itinere con* *fecto inde tranſmiſit.*

VAriæ ſcriptorum, præſertim neotericorum, ſen inter ſe diſcrepantes, dum quærunt, vbi ter Geſſoriacum repetiatur, efficiunt, vt nos veritatis in dæ gratia locum hunc effuſiori ſermone interpret ſuſcipiamus, expoſitorum breuitati nimiæ pro pot plentes. In Galliis fuiſſe, fere omnes conſentiunt. Q adducunt Polybii authoritatem *libro Hiſtor. 2.* ſcrib *Qui trans Alpes Rhodanum habitant, & propterea quod m* *mercenariam exercent, Geſſatæ vocantur (nam id ea dict*

*ſtat*) *Reges habebant, bello Inſubrium Gallorum cum Romanis peracto Congolitanum & Aneroeſtem, ij cum Boiis & Inſubribus pugnantes contra Romanos, ob magnitudinem animi, & incredibilem gloriæ cupiditatem, abiectis ſubligaculis & ſcutis, nudi ante omnes ſtabant, &c.* Geſſatæ itaque (dicunt iſti) Geſſorici incolæ fuere viri fortes, quod Seruius etiam comprobat in illud Virgilii, *lib.8.Aeneid.* de Gallis loquentis:

*—— Duo quiſq; Alpina coruſcat*
*Geſſa manu,*

inquiens, Gallos vocare Geſſos viros fortes. At hi dupliciter errant; nam Geſſi ſeu Geſſatæ, non à loco, ſed à genere haſtæ, quo vtebantur, ita appellati, quod inſuper comprobari poteſt ex Lactantio, Statii interprete, *lib.4.Thebaid.* in eum locum:

*—— Pars Geſſa manu, pars robora flammis*
*Indurata diu,*

Et ex Claudiano in Eutropium, lib.2.

*Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens,*
*Illis ante vagus tandem regionibus haſit,*
*Geſſaq; depoſuit Graio iam mitis amictu.*

Idem quoque habemus ex Cæſare, *lib.2.belli Gallici.* Et Nonius Marcellus Geſſa inter genera armorum connumerat. Geſſa, quibus præter Gallos, vſos quoque fuiſſe Hetruſcos, author eſt Liuius, *libro nono*, & eundem vſum ab Iberis ad Romanos translatum, tradit Athenæus *libro ſexto, capite* 8. Errant præterea ſecundo, quod Geſſatæ populi prope Rhenum incolant, non Britanniam verſus, quo Claudius Imperator pergebat. Horum itaque reprobata, ſuccedit non minus reprobanda Bilibaldi ſententia, qui Geſſoriacum Gandauum eſſe opinatur, cuius opinionis error facile deprehenditur, quum Gandauum non ad oram maritimam, ſed in media Flandria poſitum ſit. His ſuccedit Adriani Turnebi *libro 8.cap.31.* expoſitio, qui Geſſoriacum, Soiacum, ſeu portum Soiaci eſſe affirmat, vnde olim traiectus in Britanniam eſſe ſolebat, nunc vero longo ſpacio

à mari diſiunctum, quum olim tota illa vallis æquore inundata, cedentibus aquis terræ accreuerit, quod loci facies ipſa ſinus imaginem præ ſe ferens indicat, præter quod & anchoras ab aratoribus aliquando exaratas incolæ narrant. At nec huius clariſſimi viri ſententia mihi probatur, ſed potius Soiaci portum fuiſſe, quem vocant *Iuium portum*, de quo Strabo ſcripſit, ab illo in Angliam interiectum maris trecenta viginti ſtadia complecti, quæ milliaria conſtituũt quadraginta, quod ſuadet præter vocis ſimilitudinem etiam hodierna ab Anglia diſtantia. Verum quum portus Cales & Boloniæ portus, hodie quam breuiſſimum in Angliam traiectum habeant, horum alterum Geſſoriacum nauale fuiſſe exiſtimandum, quem Plinius *Morinorum Geſſoriacum* appellat *lib.4. cap.16.* à littore tamen Britanniæ traiecto diſtare quinquaginta millia paſſuum ſcribit, quo in loco corruptum textum re ipſa clare patet, quum à Douerio Angliæ portu vtrumque oppidum, tum Cales, tum Bolonia, ſeu vt alii, Bononia, illud octodecim, hoc ſexdecim milliaribus duntaxat diſtent, teſtimonio Abrahami Ortelii *in totius orbis Theatro.* Meierius Geſſoriacum Boloniam maritimam eſſe credit, qua ad Douerium Angliæ portum breuiſſimus eſt traiectus; quod comprobari poteſt ex Amm. Marcell. ſcribente *lib.20.* Vrſicinum miſſum à Conſtantio in Britanniam, qui hic apud Pariſios hyemem agebat, Bononiam veniſſe, quæſitiſque nauigiis, & omni impoſito milite, obſeruato flatu ſecundo ventorum, ad Rutupias ſitas ex aduerſo delatum, petiiſſe Lundinium, vt exinde ſuſcepto pro rei qualitate conſilio, feſtinaret ocyus ad procinctum. Et *lib.27.* de Theodoſio in Britannias miſſo à Valentiniano, inquit: *Quum veniſſet ad Bononiæ littus, exinde tranſmeato lentius freto defertur Rutupias, ſtationem ex aduerſo tranquillam.* Robertus vero Cœnalis *de re Gallica lib.2. Perioche 3.* Geſſoriacum Nauale Caleſium arbitratur, quamuis & Geſſoriacum portum Boloniam appellatam olim ſcribat.

Nos profecto in re hac potius aſſentimur, Geſſoriacum, de quo Suetonius hoc loco ( quæ & magis communis eſt opinio ) Cales eſſe, quum ibidem temporibus noſtris præcipuum

cipuum eſſe in Angliam è Gallia traiectum obſeruemus, magnaſque claſſes inde in Angliam fere ſemper ſoluiſſe, ex Hiſtoriarum lectione pateat. Et ſane miror, in indice copioſo, quem ad Commentaria Cæſaris edidit Aldus Manutius ſcriptum, Cales, *Caletum* Latinis fuiſſe, namque *Caletos* alios populos fuiſſe à Morinis, in quibus Cales, clare patet ex Cæſare *lib.2.belli Gallici*, vbi enumerat armatorum millia, quæ Regi Galbæ Galliarum populi decreuerant, ait namque, Morinos 15.millia, Caletes 10.millia obtuliſſe. Caletes autem populos eſſe in ſuperiore Normandia, vltra Rhotomagum ad oſtium Sequanæ, quos etiam hodie Caletenſes appellant, docet Adrianus Turnebus *lib.Aduerſ.9. cap.*8. Nec minus eodem in indice peccatum, quum Geſſoriacum Nauale eſſe doceat Geneuam, quum hanc Cæſar proprio nomine Geneuam appellet non ſemel *lib. 1. belli Gallici*; nos enim Geſſoriacum Nauale proprie eſſe diximus portum Geſſoriaci, id eſt, portum Cales. An vero hic fuerit à Latinis iam vocatus portus Iccius, vt alii contendunt, alias dicemus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.

### CAP. XIX.

*Conſtituit pro conditione cuiuſque ciuis vacationem legis Papiæ Popeæ.*

SCriptores omnes, qui huius loci meminere, quoſque adhuc mihi legere contigit, exponunt, Claudium expetentem quamplures naues fabricari ad annonam in vrbem conuehendam, conceſſiſſe vacationem capitis legis Papiæ Popeæ ad viros ſexagenarios pertinentem. Ego vero ſecus interpretandum cenſeo; ipſum ſcilicet conſtituiſſe vacationem diuerſorum capitum eiuſdem legis ſecundum intentum diuerſorum naues fabricantium, hoc eſt, ſi ſexagenarii eſſent, non obſtante legis Papiæ Popeæ decreto, vxorem ducere poſſent; Si Senatores, vel Senatorum filii, libertinas vxores habere, & econtra, ſicque de aliis ſingulis capitibus eiuſdem legis, de quibus ſupra in Cornelii Taciti

Tt 3 diluci-

beros habere,aliud,ius trium liberorum,nam qui tres liberos habebant, ſuo iure prænarratis priuilegiis gaudebant, at qui non habebant, eo iure donabantur à Principe. Ita Plinius *in Epiſtola ad Traianum*, id ius Suetonio dari petens, inquit: *Huic ius trium liberorum neceſſarium faciunt duæ cauſæ, nam & iudicia amicorum promeretur, & parum felix matrimonium expertus eſt,impetrandumq́; à bonitate ſua per nos habet,quod illi fortunæ malignitas denegauit.* Conceſſionem autem iuris trium liberorum minime vulgarem fuiſſe, demonſtrat Xiphilinus in Auguſto, ſcribens: *Tum Liuiæ ſtatuæ poſitæ ſunt conſolandi eius cauſa,eaq́; in numero matrum, quæ tres liberos peperiſſent,ſcripta eſt.Lex enim antea ex Senatus, nunc autem ex Imperatoris authoritate eadem iura beneficij loco tribuit quibuſdam mulieribus,quæ data ſunt eis,quæ ter pepererint.vt non ſubijciantur pœnis ſterilium,ſed eis omnia fere præmia tribuantur, quæ mulieres fœcundiſſimæ conſequuntur,quæ non modo ſunt hominum,ſed & Deorum inuenta,vt accipiant,ſi quid à morientibus ſibi relictum fuerit, id enim huiuſmodi eſt.* Hoc idem confirmare poſſumus ex Suetonio metipſo,ſcribente in Galba, cap.24. *Ius trium liberorum quum vix vni atq; alteri,ac ne his quidem niſi ad certum præfinitum tempus dedit.* Ad hæc à Domitiano Imperatore, cui Martialis ſummo ſtudio adulatus eſt, ipſe laborum ſuorum præmium, ius trium liberorum enixe petiit, vti *lib.2.Epigram.65.*conſtat,vbi habet:

*Quod fortuna vetat fieri,permitte videri*
*Natorum genitor credar vt eſſe trium.*
*Hæc ſi diſplicui,fuerint ſolatia nobis:*
*Hæc fuerint nobis præmia ſi placui.*

Et Epigram.66.ad vxorem:

*Natorum,mihi ius trium roganti,*
*Muſarum pretium dedit mearum,*
*Solus qui poterat.*

Et lib.3.Epigram.31.

*Præmia laudato tribuit mihi Cæſar vterq;*
*Natorumq́; dedit iura paterna trium.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO. Cap. XXXIII.

*Caput Papiæ Popeæ legis à Tiberio Cæſare, quaſi ſexagenarij generare non poſſint, edicto abrogauit.*

INterpretes hunc locum ſicco pede pertranſeunt; vnus Torrentius vidit difficultatem, à qua quum ſe extricare neſciret, in eam venit ſententiam, vt verba illa ( *à Tiberio Cæſare* ) non Suetonii genuina, ſed ab alio ſuperaddita putandum arbitretur. Verum hoc pacto facile omnes à textu exorientes difficultates de medio tolli poſſe quis ignorat? at non æque bene. Difficultas in hoc conſiſtit: Quod quum lex Papia Popæa ſub Auguſto lata fuerit, teſte Dione, M. Papio Mutilo Q. Popæo ſecundo Coſſ. apud quem tamen pro Popæo *Popilius* legitur, qua ſexagenarii à matrimonio arcebantur, haud verum eſſe poteſt, hoc à Tiberio Auguſti ſucceſſore ſancitum. Cui difficultati ſic ſatisfieri poſſe cenſemus: Quod quum relatum eſſet, teſte Tacito, *lib. Annal. 3.* de moderanda ſub Tiberii Imperio lege Papia Popæa, quam Auguſtus ſenior ſanxerat, Tiberium ſtatuendo remedio quinque Conſulares, quinque è Prætoriis, totidem è cætero Senatu ſorte duxiſſe, apud quos exſoluti plerique legis nexu, modicum in præſens leuamentum fuere. Ex quibus Taciti verbis colligimus, legem Papiam Popæam ſub Auguſto latam, ſub Tiberio quidem emendatam, quo ſcilicet ad particulares quoſdam, ab illius nexu ſolutos, non tamen penitus abrogatam, imo confirmatam, præſertim quoad caput ſexagenariorum, ſicque quamuis ab Auguſto latam, tamen ſub Tiberio illius ſucceſſore, quoad aliqua alia capita, emendatam, in hoc tamen confirmatam fuiſſe; ideo iure dici potuiſſe à Suetonio, edictum à Tiberio, eo quod ſexagenarii generare non poſſent, ſicque quoad caput iſtud, cui non derogauit, legem Papiam Popæam illum Aug. decreto conſentientem, de nouo ſanxiſſe. Quo pacto ſi Suetonii dicta interpretemur, manifeſtum, ſcrupum omnem tolli, alioquin negotium pleriſq; maxime facturum.

C. SVET.

# C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.

## CAP. XXIV.

*Ornamenta Conſularia etiam procuratoribus ducenariis indulſit.*

QVi eſſent Procuratores ducenarii, non omnibus eadem ſententia. M. Ant. Sabellicus interpretatur ducenarios, qui ducenteſimam ex auctionibus exigebant, quam Caligula Italiæ ab initio ſui principatus indulſit; eandem interpretationem Turnebus *Aduerſ. lib.* 22. *cap.* 32. approbat Dionyſii authoritate ducenteſimam appellantis διακοστὴν, cui & ducenarius eſt διακοσιοστὸς. Huic etiam ſententiæ ſuffragatur Alciatus *in Annot. in tres poſt. lib. Cod. ad l. Matriculam*; ita appellatos tradens publicanos & exactores vectigalis ducenarii, adducitque authoritatem Apulei *lib.* 7. vbi habet: *Nam procuratorem Principis ducenaria perfunctum, dein triſtiore fortuna decuſſum, orato fueram aggreſſus.* Torrentius inquit, Procuratores ducenarios fuiſſe eos, qui per prouincias in colligendis publicis reditibus conſtituti ducentena millia nummum, ſeu (quod idem eſt) ducenta ſeſtertia pro ſtipendio accipiebant, quod ex Dione *lib.* 53. confirmat. Alii, quibus Budæus fauere videtur *lib.* 3. *de Aſſe*, procuratores ducenarios fuiſſe dixere, qui ducenta ſeſtertia in cenſu haberent, dimidiatum ſcilicet cenſum Equeſtrem, quemadmodum & Iudices ducentarii dicti. Alii exiſtimauere, Procuratores ducenarios vocatos, qui ſub ſe ducentos minores Procuratores haberent exactionibus vacantes, ſicuti in militari negotio ducenarii dicti ſunt, teſte Vegetio *lib.* 2 *cap.* 8. qui duas Centurias, hoc eſt, ducentum milites in aciem ducebant. Ita apud Iuriſconſultos Ducenarii dicti ſunt, qui ducentum ſcholaribus præſunt, *l.* 3. *C. de agentibus in rebus lib.* 12. *l.* 9. *C. Theod. de exact.* Horum omnium allatas ſententias nec approbare nec improbare auſim; libet tamen & noſtram ſubnectere, quæ eſt huiuſmodi. Quod ſicuti ex Suetonio *in Auguſto*, *cap.* 32. Ducenarii dicti ſunt Iudices ab Auguſto inſtituti, qui de leuioribus cauſis cognoſcebant; Ita & hoc loco procuratores ducenarios vocarit idē author minores in ordine procura-

torum, qui ſcilicet leuioribus ſummis pecuniarum redimendis præerant. Suetonii namque hoc in capite,(quod ex illius lectura dignoſcitur) mens fuit oſtendere, Claudium fuiſſe nimium & profuſum in largiendis honoribus, & eo vſque proceſſiſſe,vt procuratoribus etiam minoribus Conſularia inſignia tribueret. Hinc factum puto, vt nos Itali res quaslibet viliores *Dozenalia* vocemus, quaſi ducenaria dixerimus; Ita & præceptores, ſeu magiſtros, qui pueros educandos & docendos annua ſeu menſtruali penſione receptas ſuſcipiunt, recipere *à Dozina* vulgari appellatione dicamus. Hoc officium erat ducenam gerentium in ſchola, *ex l fin. C.de agentibus in rebus, l.1. de officio magiſtri offic.* Procuratorum ducenariorum meminit Cyprianus *lib.1.Epiſt.*4. in hæc verba: *Quum actis publice habitis apud ducenarium Procuratorem.* Nec ſententiæ noſtrę refragatur Nicephorus *lib.6.cap.*8.vbi de Paulo Samoſateno loquens ait: *Sublatus mundanis dignitabus ducenarius, quam Epiſcopus vocari maluit.* Non enim Nicephori dicta interpretanda, quod ducenaria dignitas maior eſſet Epiſcopatu, ſed quod Paulus Samoſatenus maluit dignitatem viliorem ſecularem, & mundanam, quam Eccleſiaſticam præeminentem.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.
## CAP. XXIV.

*Collegio Quæſtorum pro ſtratura viarum gladiatorium munus iniunxit, detractaq; Hoſtienſi & Gallica Prouincia, &c.*

PRouinciarum Romanarum ſtante Republica ea fuit omnibus recepta diuiſio, vt alię Conſulares, Prætoriæ alię dicerentur. Conſulares erant, quæ ab iis, qui in vrbe Conſulatum geſſerant, Conſulari Imperio obtinebantur; Prætoriæ vero, quas qui Prætores in vrbe proximo anno fuerant, Prætorio Imperio obtinebant. Quod Cic.tradidit *in 1. Philipp.* Neq; certæ erant prouinciæ, in quas ſemper viri Cōſulares, & aliæ in quas ſemper Prætores mitterentur; ſed ex Magiſtratuum, qui eas obtinebant nomine appellationem ſumebant. Ex Auguſti Cæſaris inſtituto, quum Imperium obtinuiſ-

obtinuiſſet,aliter ſunt partitę; Alias enim ſuas,alias Pop.Ro. fecit. Prouincias validiores, & quæ annuis magiſtratuũ Imperiis regi nec facile, nec tutũ erat, ipſe ſuſcepit, pacatiores Populo permiſit;etiã &nonnullas cõmutauit interdum,tradente Suet.*in illius vita,c.*47.Prouinciis,quas ipſe ſuas appellabat, Præſides,ſeu Præfectos,vt alii dicunt,præficiebat. Eas vero quæ populi erant, regentes Proconſules dici voluit, quamuis&omnes pręſides dictos fuiſſe authore DioneCaſſio *lib.*53 legamus,cui etiam conſentit Strabo *lib.*17.in appellatione nominũ ad gubernãdas prouincias miſſorũ tantum diſſidens.Fuerunt & ProuinciæQuæſtoriæ dictæ,ad quas ſc. Quęſtores vna cum Conſulibus vel Prętoribus mittebãtur, ad curam publicarum pecuniarum adminiſtrandam; non tamen hi ſummam imperii in illis obtinebant.

Hæc omnia paſſim ex hiſtorica lectione obſeruamus, de quibus ſuperius ſcriptum eſt.At illud addimus nos,quod ab alio antea adnotatum ignoramus; quaſdam & fuiſſe prouincias Quæſtorias, quæ propriæ erant collegii Quæſtorum; quorum ſibi & omnimoda iuriſdictio ad Quæſtores, qui illis præficiebantur, ſpectabat; Quod præcipue ex hoc loco colligimus; Non enim Claudius Imperator Quæſtorum collegio Hoſtienſem & Gallicam prouinciam ademiſſet, niſi illius propriæ fuiſſent.Ad hæc nullibi legimus,Hoſtienſem Prouinciam à Cõſulibus ſeu Prætoribus antea vnquam obtentam. Quod vero hæc propria Quæſtorum eſſet,colligi poteſt ex Cicerone *in oratione pro Murena*, vbi habet: ***Tu illum cui quum Quæſtores ſortiuntur, etiam acclamari ſolet, Hoſtienſem, non tam gratioſam & illuſtrem, quam negotioſam & moleſtam.*** Habebat autem hæc Prouincia frumentariam procurationem,vti Cicero docet ***in oratione pro Seſtio,& ad Aruſp.*** Et Hoſtienſes coloni maritimi dicebantur, ***ex Liuio, libro decimoſeptimo.*** Fuere & aliæ prouinciæ Quæſtorum propriæ, vti ***Aquaria***, cuius meminit Cicero ***in Vatinium***, de Quæſtura illius loquens in hæc verba: ***In eo magiſtratu quum tibi magno clamore Aquaria Prouincia ſorte obtigiſſet.*** Habuit quoque Quæſtorum collegium Prouinciam propriam in Gallia, quam hic Gallicam vocat Suetonius.

De

De qua forte Tacitus *libro Annalium* 2. inquiens : *Erat iiſdem regionibus Curtius Lupus Quæſtor,cui Prouincia veteri ex more, Cales obuenerat*, de qua plura in eum locum diſſeruimus. Ex his facile conuincitur,non legendum (quod Torrentius exiſtimauit) hoc loco *Calliam*, ſed *Gallicam*, nam *Callium* prouincia Quæſtoria non erat,ſed Conſularis, ex eodemmet Suetonio ſcribente in Cæſare, cap. 19. *Eandem ob cauſam opera optimatibus data eſt,vt prouinciæ futuris Coſſ. minimi negotii, id eſt, Sylua Calleſque decernerentur.* Nec obſtat, quod obiicit Torrentius; ſi legamus *Gallicam Prouinciam*, futurum,vt Galliam totam Quæſtoriam dicamus, non enim interpretamur *Gallicam*, hoc eſt, quam in Gallia propriam Quæſtores habebant. Ita Liuius per initia lib.32. loquens de ſortitione Prouinciarum inter Coſſ. & Prætores, tradit, L.Lentulo obueniſſe Italiam, & Cn. Bæbio Ariminum, atque extra Italiam Ariminum ponit. Ariminum tamen Gallicam prouinciam appellatum, hoc eſt,in Gallia Ciſalpina poſitum, conſtat ex Liuio *lib.* 28. ſcribente: *Tum Pratoriæ Prouinciæ in ſortem coniectæ, vrbana Cn. Seruilio obtigit, Ariminum* (ita Galliam appellabant) *Sp. Lucretio.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.
### Cap. XXV.

*Ciuitatem Romanam vſurpantes in Campo Eſquilino ſecuri percuſſit.*

HAbet Liuius *lib.*1. Ser. Tullum Rom. Regem ad vrbem amplificandam duos colles addidiſſe , Quirinalem,Viminalemque,deinceps auxiſſe Eſquilias,ibiq; ipſum, vt loco dignitas fieret,habitaſſe, aggere & foſſis & muro vrbe circundata; ex quibus Eſquilias, & per conſequens campum Eſquilinum in Vrbe fuiſſe patet, ſicque ciuitatem Romanam vſurpantes in Campo Eſquilino ſecuri percuſſos,ac intra mœnia neci datos; Quæ ſi vera demus, contrariabitur hic Suet. locus Cornelio Tacito ſcribenti *lib.* 2. *Annal.* In P. Martium Conſules extra portam Eſquilinam more priſco a imaduertiſſe, & rurſus, ſumptū more priſco extra Eſquiliam

liam de nocentibus ſupplicium. Pro concilio dicamus, Eſquilinam, ſeu vt alii, Exquilinam portam vnam vrbis Romæ fuiſſe, quod ex Cic. *libro ſecundo de Orat. & in orat. in Piſo. & pro Cluentio*. Strabone *lib.* 5. Liuio *lib.* 1. 2. & 21. & 24. clare conſtat. Extra eam in regione aggeris ſontium corpora necabantur à carnifice, & incombuſta, præſertim pauperum proiicebantur. Vt conſtat ex Horat. Epod. 5. Ode 17.

*Poſt inſepulta membra different lupi,*
*Et Exquilinæ alites.*
*Neque hoc parentes heu mihi ſuperſtites,*
*Effugerit ſpectaculum.*

In quem locum adnotauit Porphyrius, corpora eorum de quibus eſſet ſumpta pœna, proiici conſueuiſſe, comburi vero, ex Plauto ſcribente in Caſſina. Act. 1.

*Illum ædepol videre ardentem te extra portam Metiam,*
*Credo ecaſtor velle.*

Hæc enim porta Eſquilina & Metia quoque dicta, ex hoc loco Plauti, & Taurina à capite Tauri in ea inſculpto, Procopius *Præneſtinam* vocauit, Fuluius & alii recentiores *Tiburtinam*, de qua re plura apud Georgium Fabritium in Roma. Campus itaque qui huic portæ adiacebat, *Exquilinus* dictus ab ipſa porta Exquilina, cui iunctus erat. Et quamuis Exquiliæ ad intra vrbem eſſent, quemadmodum ex Liuio demonſtrauimus, & Dionyſius Halycarnaſſæus *libro* 4. confirmat, inquiens: *Vrbi duos colles, Viminalem, & Exquilinum addit, ſingulos iuxta Oppidi magnitudinem, atque ibi loca ciuibus lare carentibus ad ædificandum diſtribuit, ipſe quoque in Exquiliis habitauit loco regionis illius commodiſſimo.* Quæ Dionyſii verba in eum ſenſum accipienda, ne contra Liuium ſenſiſſe videatur, Romulum ſcilicet & Tatium illorum montium quaſdam particulas Vrbi addidiſſe, Tullumque Regem poſtea maiori ambitu eſſe complexum, id enim Liuius innuere videtur quum ait: *Exquilias auxit*, ſi enim auxit, ergo pars ipſarum intra vrbem antea fuerat recepta. Ouid. lib. 1. Faſtorum.

*—Excubias vbi Rex Romanus agebat*
*Qui nunc Exquilius nomine collis habet.*

Hoc in loco Beroaldus adnotauit, Campum Exquilinum forte

ſorte fuiſſe illum, quem minorem campum vocauit Catullus, quum ad Camerium ſcribens inquit:

*Te quæſiuimus in minore campo.*

Sed pace eius dixerim, perperam opinatus eſt, ſiquidem & minorem campum, ſicuti & alia loca, quæ ibidem à Poeta connumerantur, intra Vrbem fuiſſe conſtat, & vt adnotauit M. Antonius Muretus, ſitum ad Campum Martium, quique forte ita dictus fuit ad differentiam Campi Martii, quem magnum fuiſſe conſtat, quum in illo haberentur P. R. Comitia.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.

### Cap. XXV.

*Iudæos impulſore Chriſto aſſidue tumultuantes Roma expulit.*

SCribit Tacitus *lib. Annal.* 15. Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum imperante Tiberio per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectum. Quo pacto ergo Suetonius tradit hoc loco, Iudæos tumultuantes illo authore à Claudio Roma expulſos? Addamus, nullibi ex hiſtoria ſacra vel profana elici, eundem vnquam Romæ fuiſſe. Ex his colligunt nonnulli, Chreſtum alium fuiſſe à Chriſto Saluatore noſtro; verum quum apud Hiſtoricos quoſuis alios nulla de hac re fiat mentio, nec apud ſcriptores Chreſtum vllum inſignem virum obſeruemus, præter Chreſtum Sophiſtam Bizantium, qui Adriani Imperatoris tempore Romæ Herodis Attici fuit auditor, teſtimonio Philoſtrati; Nos Suetonium de Chriſto ſoſpitatore noſtro verba facere exiſtimamus, eo magis quod Tertullianus & Lactantius docent, Chriſtum ſeruatorem noſtrum mutato *i*, in *e*, *Chreſtum* per contumeliam homines impios appellare ſolitos, quemadmodum & de Pertinace tradit Capitolinus, *Chreſtologum* vocatum fuiſſe, quod bene loqueretur, maleque faceret, blanduſque eſſet verbis, re non item. Quod & Sextus Aurelius refert. Conciliantur autem Taciti dicta cum Suetonii

nii

nii ſcriptis, quod Chriſto impulſore Iudæi tumultuantes expulſi ſint Roma, ſcilicet, doctrinam Chriſti per Apoſtolos diſſeminatàm, ſuſcipiente parte eorum ab aliis ſegregatam, ex quo inuicem diſſentientes eſſent, dogma ſcilicet & Hebraicam doctrinam relinquentibus ac retinentibus aliis. Namque manifeſtum eſt, Chriſtum Saluatorem noſtrum nunquam fuiſſe Romæ, ſed bene Petrum & alios Apoſtolos, ibique plurima miracula edidiſſe, vt ex Apoſtolorum Actis clare patet. Dion Romæ quidem Iudæos toleratos ſcribit, ſed prohibitum ne conuenirent. Veruntamen quum in marmoribus antiquis Romæ pluries CHRESTI nomen inſcriptum obſeruemus, & illud conſtanter confirmare poſſumus, CHRESTVM, non CHRISTVM in textu legendum, huncque Chreſtum ſeditioſum quendam Hebræum ſeu Iudæum fuiſſe, tumultuum excitatorem.

In Ara Cœli in tabella marmorea legitur:

IVNIVS CHRESTVS.

In Sancto Sergio & Baccho:

M. IVNIO EPICHONO CHRESTVS LIB. PATRONO B. M.

In Sancto Syluestro:

C. PONTIVS CHRESTVS.

In domo D. Laurentii Signoretti:

CHRESTO FILIO DVLCISS.

In domo D. Iulii de Porcatiis:

C. OCTAVIVS PARTENIO C. OCTAVI CHRESTI.

In

In Sancta Cæcilia:

C I A R I T E P. F. C H R E S T V S.

In Vinea D. Martii Particappæ:

L. C O C C E I O C H R E S T O.

In Sancto Ioanne Portæ Latinæ:

C H R E S T O F I L I O.

Fuit autem & nomen iſtud commune cum maſculis & fœminis, ſiquidem in eiſdem marmoribus id obſeruamus, vti pauimento Baſilicæ Lateranenſis.

CLAVDI CRHESTE CONIVGI.

In domo Marcelli de Monte:

V O C C O N I A CHRESTÆ VOCCONIÆ.

In domo Franciſci de Sinebarbis:

S A L V S T I A C. L. C H R E S T E.

In domo Ioannis Ciampolini:

V L I A. Q. L. C H R E S T E.

In domo D. Iulii Tamarotii:

P A M P H I L O ET IVLIÆ CHRESTE.

In Eccleſia SS. quadraginta Martyrum:

S A N D I L I A M. I. C H R E S T E.

Inter portam Appiam & Latinam:

CHRESTÆ CONSERVÆ ET CONIVGI.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.

### Cap. XXVI.

*Verum illecebris Agrippinæ Germanici fratris ſui filiæ, per ius oſculi, & blanditiarum occaſiones, pellectus in amorem.*

SIcuti viris Roma. antiquitus mos fuit, vt ſe inuicem ſalutationis & honoris gratia oſcularentur, quod alias fuſe declarauimus, ita viris oſcula cum mulieribus minime promiſcua, eadem de cauſa erant. Mulieribus tamen licuit virorum conſanguineorum frontem oſculari, & viris mulierum, cum quibus neceſſitudine aliqua erant coniuncti, quod teſtatum reliquit Plutarchus *in Romulo.* At ſuccedentibus temporibus, quum vſus vini mulieribus interdictus eſſet, ex authoritate M. Catonis, tum primum viri mulierum

ſum cognatarum os oſculari cœpere, vt ſi vinum potaſſent, eos non lateret, quod Gellius teſtatum reliquit *libro* 10. *cap.* 23. per hæc verba: *Qui de victu aut cultu Populi Romani ſcripſerunt, mulieres Romæ atque in Latio ætatem abſtemias egiſſe, hoc eſt, vino ſemper, quod temetum priſca lingua appellabatur, abſtinuiſſe dicunt, inſtitutumque vt cognatis oſculum ferrent, deprehendendi cauſa, vt odor indicium faceret, ſi bibiſſent.* Plinius quoque lib. 14. capite 13. inquit: *Vinum non licebat fœminis Romæ bibere.* Inuenimus inter exempla Egnatii Meteutini, vxorem, quod vinum bibiſſet è dolio, interfectam fuiſſe à marito, eumque cædis à Romulo abſolutum. Fabius Pictor in Annalibus ſuis ſcripſit, Matronam, quod loculos, in quibus erant claues vinariæ cellæ, reſignauiſſet, à ſuis inedia mori coactam. Cato ideo propinquos fœminis dare oſculum voluit; vt ſcirent an temetum olerent; hoc tunc nomen vino erat, vnde & temulentia appellata. His ſubſcribunt Polybius *libro ſexto*, Athenæus & Plutarchus *in Problemat.* & eadem refert Blondus *libro nono Romæ triumphantis*; Sed & Nonius Marcellus addit, *ex quarto Ciceronis de Repub. libro.* Quod ſi quæ Romæ erat mulier famoſa, ei cognati oſculum non deferebant: Ex quibus clare patere exiſtimo; quale eſſet ius oſculi inter Claudium patruum, & Agrippinam neptem, nempe ius, quo oſculum mulieribus & viris cognatis & neceſſitudine coniunctis permittebatur, cæteris vero prohibebatur, ſic Suet. in Cæſare, capite decimotertio, *Quum mane ad Comitia deſcenderet, prædixiſſe matri oſculanti fertur, domum ſe niſi Pontificem non reuerſurum.* In ſacris paginis cognatorum oſculum mulieribus datum nō ſemel obſeruauimus, vt Geneſ. *cap.* 27. Iacobus Patriarcha in Meſopotamiam profectus, Rachelem auunculi ſui filiam occurrentem oſculatus eſt. Ibidem *capite* 29. Laban icto fœdere cum Iacobo genero, nepotes & filias ſuas deoſculatus abiit. Noſtris temporibus, præter maritis, vxoribus, patribus, filiabus, oſculum dare apud Italos & Hiſpanos adeo vetitum eſt, vt vxorem, quæ alteri quam viro oſculum dederit, vel ab alio acceperit, tanquam adulteram arguant, & vti talem dote priuandam cenſeant, vt tradit Ioannes à Ripa *in rub. de Iud. col. tertia.* Quod

Vv & iure

& iure Pontificio receptum eſſe videtur *cap. plerunque, de donatio. ap. Grego.* Cui ſententiæ tamen repugnant præclariſſimi Iuriſconſulti Iaſ. & Dec. Gallorum moribus magis addicti, qui non modo admittunt virorum oſcula mulieribus, ſed ſi quis eas oſculo non excipiat, inciuilitatis accuſant. Ripa vero Hiſpanorum & Italorum morem magis ſectatus eſt. Hæc adnotare libuit, nam expoſitores hoc in loco ſobrii nimis, ne dicam ieiuni, fuere.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.
## CAP. XXXIV.

*Induxit & vnum ex Nomenclatoribus ſuis, ſicut erat togatus.*

PRincipes viri Romani Nomenclatores ſeruos habebãt, quorum munus erat nomina ſalutãtium, & ad illos quauis de cauſa accedentium illis ſuggerere, cuiuſmodi fuiſſe Nomenclatorem, quem Claudius Imp. induxit in arenam, ex hoc loco facile colligitur. Quinimo & plures Nomenclatores Imperatorum vnumquemq; habuiſſe, clare perſpicimus ex illis verbis, *vnum ex Nomenclatoribus ſuis.* De huius generis Nomenclatore verba fecit Cicero *ad Att. lib. 4. epiſt. 7 o.* inquiens: *Nemo vllius ordinis nomenclatori notus fuit, qui mihi obuiam non veniret.* Notat Beroaldus ex Plinio, veteres Romanos, quum ſeruorum legiones domi haberent, quorum nomina ignorabant, nomenclatore neceſſario vſos. Et C. Auguſtus, authoritate Macrobii, Nomenclatori ſuo, de cuius obliuione conquerebatur, dicenti, nunquid ad forum mandas, *accipe*, inquit, *commendatitias, quia illic neminem noſti.* Refert Spartianus Hadrianum tanta memoria præditum, vt nomina quamplurimis ſine Nomenclatore redderet, nomenclatoreſque ſuos ſæpe errantes emendaret. Habebant & Cenſores nomenclatores ſuos, quod ex antiquioribus inſcriptionibus conſtat. Romæ in Ara cœli extat tabella marmorea cum inſcriptione huiuſmodi.

L. VOLVSIO VRBANO NOMENCLATORI CENSORIO.

Et

Et in alia in ſtabulis D.Caroli de Martellis. Erant & nomenclatores qui nominatim accerſebant inuitatos ad conuiuia, quod colligimus ex Amm.Marcellino *lib.* 14. ſcribente: *Homines enim eruditos & ſobrios, vti infauſtos & inutiles vitant quoque, accedente quod Nomenclatores aſſueti hæc & talia venditare, mercede accepta, cœnis & prandiis quoſdam inſerunt ſubdititios, ignobiles & obſcuros.* Et Apuleius dixit: *Et ad nomenclatorem mox citati venerunt.*

Aliud nomenclatorum genus fuit, qui operam ſuam locabant candidatis & petitoribus, mos enim fuit, quum Comitia haberentur, homines quoſcunque qui ferebant ſuffragia, præhenſare, rogare, appellare, & obteſtare, quorum omnium nomina, quum memoria referre nequirent, adhibebant nomenclatorem, qui ſingulorum nomina diceret, vt eos nominatim aduocare poſſent. Quod & aliquando lege vetitum Plutarchus *in Catone* tradit, atq; eam ſolum Catonem ſeruaſſe, quamuis Cicero nec Catonem illam ſeruaſſe teſtetur *in orat. pro Mura.* his verbis: *Quid quod habes nomenclatorem Cato? in eo quidem fallis, & decipis, nam ſi nomine appellari abs te ciues tuos honeſtum eſt, ſupereſt eos notiores eſſe ſeruo, quã tibi.* Huius generis nomenclatoris meminit Horat. in Epiſt.

*Mercemur ſeruum qui dictet nomina, læuum*
*Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram*
*Porrigere, hic multum in Fabia valet, ille Velina.*

De eiſdem quoque verba facit Suero. *in Auguſto, cap* 19. dum ait: *Telephi mulieris ſerui nomenclatoris.* Nam quis mulieri quæſo nomenclatoris vſus? Et in quo poterat nomenclator ſeruus dominæ ſeruire, niſi illa eius operas locaſſet. In eundem ſenſum intelligendum Venulei dictum, l. vlt. in fi. de lib. cauſ. *Poteſt tamen impubes operas dare, veluti ſi nomenclator ſit, vel hiſtrio.* Nomenclator enim barbare, & vt pleraque alia, nomenclatorem vocat, quod pariter factum ab Vlp. *l.* 7. §. 2. *D. de oper. lib.* Plutarchus *in Catone* ὀνοματολόγον vocat. Nomenclatoris voce vſus eſt Quintilianus *lib.* 6. *c.* 4. Et rurſus Cicero *in epiſt. ad Q. Fratrem*, qui & *in orat pro Murena* monitorem eundem appellat. Et Sextus Pompeius *libro* 6. Fartorem vocauit, quod clam veluti infarciret nomina rogandorum

candidatis & petitorum auribus. Non deſunt qui Nomenclatores apud IuriſperitosNominatores dictos putent,ſed minus recte, ſiquidem nominatores Iuriſconſultis ſunt, qui quum aliqui ad munus eligendi ſunt, certorum hominum tanquam idoneorum nomẽ edunt, & eorum eligendorum authores ſunt.Sic tutorum nominatores, *ſub rub.D.de fideiuſſoribus*,vbi *in l.4.ad fin.* & affirmatores dicti. Sic nominatores appellati *ſub rub. C. de pericul. nominat.* qui quum duo viri eſſent, ſucceſſores ſibi deſignabant, quorum fidem ſuo periculo Reip. præſtabant. Ex dictis conſtat, hominum ſeruile genus fuiſſe nomenclatores, præſertim qui ſuam locabāt operam, quod clarius ex ipſomet Suet. *in Auguſto, c.19.* patet, dum Telephum mulieris ſeruum nomenclatorem inter vltimæ ſortis homines commemorat. At Imperatorum nomenclatores maioris exiſtimationis fuiſſe, ex hoc Suetonii loco manifeſtum fit.Siquidem Claudii nomenclatorem togatum fuiſſe tradit; at toga nobilium Romanorum ciuium veſtis erat,ſicuti plebeiorum & popularis turbæ pulla,vnde togatos illos,pullatos hoſce, paſſim legimus. Nomenclatorum nomina in tabellis marmoreis antiquis non ſemel obſeruamus. Extat vna Romæ in domo D. Antonii Colotii:

F. STATILIVS CALOCERVS
NOMENCLATOR.

Alia in pariete domus Ioannis Ciampolini:

M. ÆMILIO·LEPIDI LIBE. FELICI
NOMENCLATORI.

Altera in domo D. Franciſci Nouelli:

T. POMPONIVS REPENTINVS
NOMENCLATOR.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.
## CAP. XXXV.

*Et ne cuiuis comiti aut Librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur.*

QVi eſſent Romanis Librarii Beroaldus hoc loco non explicat. Torrentius *in Nerone, cap.37.* Librarium ait fuiſſe

fuiſſe ſeruum, qui capſulam cum libellis deferens, nobiles pueros cum pędagogo concomitabatur, quem etiam Suetonius eodem in loco capſarium vocat; quod falſum eſſe ibidem demonſtrabimus, nec non & ex mox dicendis palam fiet. Idem quoq; Torrentius *in Veſpaſiano, c.3.* perperam librarium antiquis fuiſſe interpretatur, qui à ſtudiis, vel à Bibliotheca dicebatur. Sabellicus Librarium fuiſſe tradit literarum vel librorum tranſcriptorem, & vt ego cenſeo, veritatem quoquomodo attigit, at nudam propoſuit; hinc nos operępretiū facturos exiſtimamus, ſi rem hāc fuſius aperire tentauerimus. Fuere profecto antiquis Librarii; qui ea perſcribebāt, quę ab aliis voce dictabātur, vel ab aliis literis exarata tranſcribebant. Vulgo dicūtur *Scrittori & Copiſti.* Quod verum eſſe veterum Scriptorum authoritatibus comprobamus; à Cicerone exordientes, qui *in orat. contra Rullum* inquit: *Lex in publicum proponitur, concurrunt iuſſu meo plures vno tempore Librarii, deſcriptam legem ad me afferunt.* Et in Ant. & pro Syl. *Illas tabulas deſcribi ab omnibus Librariis imperaui.* Et in epiſtolis Famil. *Sed petę à te, vt quam celerrime mihi Librarius mittatur, maxime quidem Græcus, qui mihi exſcribat Hypomnemata.* Et ad Att. *Legi literas, non tuas, ſed Librarii tui.* Et rurſus: *Lippitudinis meæ ſignum ſit tibi Librarii manus.* Liuius libro 38. in L. Scipionem: *Malim quidem Librarii mendum, quam mendacium ſcriptoris eſſe.* Non igitur ſcriptor Librarius erat, ſed tranſcriptor; quod clarius etiam patet ex ipſomet Cicerone *ad Att. 3.* vbi habet: *Ornat eos apparitoribus, ſcribis, librariis, præconibus, architectis.* Alius igitur Librarius à ſcriba. Idem colligimus ex Horatio in arte Poet.

*Vt Scriptor ſi peccat, idem Librarius vſque,*
*Quamuis eſt monitus venit, cauet.*

Idem colligimus ex Scæuola Iuriſconſulto, *l. 92. D. de regulis iuris*, vbi legimus: *Si Librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis errasset.* Catelianus Cotta *in Memorialibus, in dictione Colon*, reprehendit & ipſe illos, qui apud Vlpianum *in l. ſed & ſi quibus, in principio, D. de vſufru.* interpretantur Librarium eſſe ſeruum, qui partiendis penſis præficitur, de quo meminit Cato, & ſubdit intelligendum eſſe de illo, qui libros

tranſcribit. In ſacris literis *Heſter cap.*8. habemus. *Accitis ſcribis & Librariis ſcripta ſunt epiſtolæ.* Itaque quod Librarii non ſolum ab aliis ſcripta reſcriberent, ſed & quæ ab aliis voce dictabantur, ſcriptis exciperent, ex dictis ſatis patere puto; ſed & clarius ex Plinio *lib.9.cap.25.* vbi de inſigni memoria Iulii Cæſaris ait: *Epiſtolas vero tantarum rerum quaternas pariter Librariis dictare, aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas.* De Librario Iuuenalis Saty. 9.

*Finxerunt pariter Librarius Archimagiri.*

Quamuis ſciam ibi vocem Librarii in alia ſignificatione accipi à nonnullis; ſicuti & Saty.6. quum inquit:

*———Si nocte maritus*

*Auerſus iacuit, periit Libraria.*

Scimus tamen, apud antiquos Romanos Librarii munus non ſolum homines ſed & mulieres adeptas; Romæ extat marmorea inſcriptio huiuſmodi:

IVCVNDVS DOMITIÆ BIBVLI LIBRARIÆ AD MANVM.

Huiuſmodi fuiſſe puto Antoniam libertam à manu tantopere à Veſpaſiano adamatam, *ex Suet. in illo, cap.*3. Nec prætermittendus Lampridii locus ſententiæ noſtræ quam maxime fauens, qui in Alexandro Seuero ſcribit: *Lectioni epiſtolarum ſemper dedit operam, ita vt ab epiſtolis & libellis, & à memoria ſemper aſſiſterent, nonnunquam etiamſi ſtare per valetudinem non poſſent, ſederent, relegentibus cuncta librariis, & iis qui ſcrinium gerebant.*

Illud poſtremo adnotandum; Et librarium in re militari fuiſſe inter caſtrenſia officia, qui ſcilicet rationes ad milites pertinentes in libros referret, teſte Vegetio *lib.2.cap.*7. Et librarii in ſingulo propemodum magiſtratu erant, vnde *librarii Quæſtorii, AEdilitii, Prætorii, Nauales*, & alii eiuſdem generis. Poſterioribus ſimilitudine quadam librarii appellati Impreſſores ſeu Typographi, qui typis ſcilicet, veluti librarii tranſcriptores, librum vnum ſeu epiſtolam in varia multiplicant exemplaria, quorum venditores (Bibliopolæ inquam) & ipſi librarii hinc nomen ſortiti ſunt.

C. SVET.

# C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.

## Cap. XL.

*Quum de laniis aut vinariis ageretur, exclamauit in Curia, rogo vos, quis poteſt ſine offula viuere?*

CIcero *in orat. pro Fonteio*, meminit portorii vinarii, & criminis vinarii, hoc eſt, de vini vectigali, deque fraude in eo facta. Vinarios ſeruos vino deditos & ebrioſos vocauit Vlp. *in l. ob quæ, de ædil. edic.* Vinaria vaſa dicta ad vinum ſpectantia. Cic. in 6. Verr. *Erat & vas vinarium ex vna gemma prægrandi.* Horat. *Saty. vlt.* lagenas vinarias appellauit, inquiẽs:

*Inuertit Aliphanis vinaria tota.*

Cato *de re ruſtica, cap. 33.* vinarios palmites dixit, qui vuæ procreandæ & gerendæ ſunt apti, quamuis & vinarios cuſtodes ibidem interpretari poſſimus, qui vuarum & vini conficiendi curam habebant. Plin. *lib. 12. cap. 13.* vinariam cellam vocauit, in qua vina aſſeruantur. Et Colum. *lib. 12. cap. 18.* vinarios lacus nuncupauit cauitates, in quibus vina exprimuntur. Vinarios hoc in loco Suetonius, à vino ſcilicet, vini venditores vocauit; in quo ſenſu Lampridius in Alex. ſcribit; Illum conſtituiſſe corpora vinariorum, caligaliorum, & omnino omnium artium, hoc eſt, collegia & vniuerſitates; Plautus in Aſinaria: *Sed vina, quæ heri vendidi vinario.* Græcis vinarius οἰνοπώλης dictus. Hæc omnia itaque à vino denominationem receperunt. Ita & à vino, vinalia dicta ſacra, ſeu dies feſti, quæ celebrabantur 9. *Kal. Mar.* deguſtandis vinis inſtituta. Altera 13. Kal. Septemb. qua die Flamen Dialis conſpicabatur vindemiam, de quibus Plin. *libro* 18. *cap.* 29. & Varro *lib. 5. ling. Lat.* Et hæc etiam poſteriora, vinalia ruſtica vocabantur, ex eodem Varr. & Feſto Pompeio *lib.* 16. Vinalia non à vino, ſed quaſi veneralia dicta perperam ſcribit Turnebus *in ſuis Aduerſ.* forte deceptus ex Ouidii lectione 4. *Faſt.* vbi habet;

*Cur igitur feſtum Veneris vinalia dicant*
*Quirites? Et quando ſit Iouis iſta dies.*

Non enim hæc ſacra Veneri dicata erant, ſed Ioui, vt idem Ouid. paulo poſt docet, inquiens:

*Venerat autumnus calcandis ſordibus vuis,*
*Redduntur merito debita vina Ioui.*
*Dicta dies hinc eſt vinalia, Iuppiter illa*
*Vendicat, & feſtis gaudet ineſſe ſuis.*

Dicebatur nihilominus Veneris feſtum *vinalia ruſtica*, quod ea die ædes Veneri dedicatæ erant, ſi Feſto Pompeio credimus, id loco iam dicto affirmante, quæ obiter ſint dicta.

## C. SVET. TRANQVIL. IN CLAVDIO.

### Cap. Vltimo.

*Præſagia mortis eius præcipua fuere, exortus crinitæ Stellæ, quam Cometam vocant.*

PLinius *lib. 2. cap. 25.* Cometam terrificum ſydus appellat, & ex his ait quæ *Typhon* appellatur, diram Æthiopum & Ægypti populis; Id vero exemplis comprobat; nam quum Græcia apud Salamina depugnauit, Cometa viſus. In ciuili motu, Octauio Conſule, iterumque Pompeii & Cæſaris bello, & Cometæ apparuere. Addit, ſuo æuo circa initium, quo Claudius Cæſar imperium reliquit Domitio Neroni, ac deinde principatu eius, aſſiduum prope, ac ſæuum. De eodem C. Tacitus viſum Cometem, *lib. 15. Annal.* inquiens: *Fine anni vulgatum prodigia imminentium malorum nuncia. Vis fulgurum non alias crebrior, & ſydus Cometes ſanguine illuſtri ſemper Neroni expiatum, Veſpaſiani Imperatoris mortem præceſſit crinita Stella ſeu Cometa apparitio*, ex Plinio loco citato, Suetonio *in illo, c.* 28. & Dione, *in eiuſdem vita*; Quod ſydus Parthorum Regi mortem portendere Veſpaſianus dixit, non ſibi, quod ille comatus, ipſe caluus eſſet. Addamus exemplum Stellæ comatæ ab Ariſtotele *lib. Meteor.* 1. relatum; de Stella comata, quæ apparuit in Achaia, mortem Demetrii Regis Syriæ enunciante, vt dixit Seneca, *lib. 1. quæſt. Natural.* & quam terræmotus, & inundationes ſubſequutæ ſunt, ita vt duæ ciuitates magnæ, Elicæ & Buri, ſint ſubmerſæ. Cornelius Tacitus *libro Annal.* 14. ita ſcriptum reliquit: *Sydus Cometes effulſit, de quo vulgi opinio eſt, tanquam mutationem Regis portendat.* Vnde & Lucanus lib. 1.

*Ignota*

*Ignota obſcura viderunt ſydera noctes,*
*Ardentemq́; polum flammis,cœloq́; volantes.*
*Obliquas per inane faces,crinemq́; timendi*
*Syderis,& terris mutantem regna Cometen.*

Et Virgil.1.Georg.

*Non alias cœlo ceciderunt plura ſereno*
*Fulgura,nec diri toties arſere Cometæ.*

Cicero *lib.2.de natura Deorum* ait: *Tum facibus viſis cœleſtibus, tum ſtellis his, quas Græci cometas, noſtri cincinnatas vocant, quæ nuper bello Octauiano magnarum fuerunt calamitatum prænuntiæ.* Amm.Marcell.*lib.15.circa finem,*tradit, imperante Iouiano inter alia malorum futurorum prodigia prænuntia, extitiſſe ſyderum cometarum apparitiones. Suetonius *in Nerone, cap.36.* ſcribit: *Stella crinita quæ ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat.* Beda *de natura rerum lib. cap.23.* ait: *Cometæ ſunt ſtellæ flammis crinitæ,repente naſcentes,regni mutationem,aut peſtilentiam, aut bella, aut ventos æſtusve portendentes.* Et ne recentiorum exemplo aliquo veritas deſtituatur,ex quamplurimis libet referre illud, quod à Nicolao Perotto *in Cornucopia,Epigram.53.*ſcribitur in hæc verba: *Anno Salutis* 1471. *Cometes ſingulis noctibus ſuper Beſſarionis noſtri lares effulſit, qui in Gallias legatus deſignatus,paucis interiectis menſibus rediens Rauennæ morbo inopinate extinctus eſt.* Ex his omnibus videtur concludendum, ſemper Cometas mala portendere. Econtra tamen obſeruamus Plinium loco citato ſcribentem: *Cometes in vno totius orbis loco colitur in templo Romæ, admodum fauſtus iudicatus ab ipſo,qui incipiente eo apparuit ludis, quos faciebat Veneri genitrici, non multo poſt obitum patris Cæſaris, in collegio ab eo inſtituto. Namq́; his verbis id gaudium prodidit: Iis ipſis ludorum meorum diebus,ſydus crinitus per ſeptem dies in regione cœli, quæ ſub Septentrionibus eſt,conſpectum. Id oriebatur circa vndecimam horam diei, clarumq́;, & omnibus terris conſpicuum fuit. Eo ſydere ſignificari vulgus credidit, Cæſaris animam inter Deorum immortalia numina receptam: quo nomine id inſigne ſimulachro capitis eius, quod mox in foro conſecrauimus, adiectum eſt. Hæc ille in publicum, interiore gaudio ſibi illum natum, ſeq́; in eo naſci interpretatus eſt: & ſi verum*

*rum fatemur, ſalutare id fuit. Sunt & qui hac ſydera perpetua eſſe credunt, ſuoq; ambitu ire, ſed non niſi relicta à Sole cerni; Alij vero, qui naſci humore fortuito, & ignea vi, ideoq; ſolui.* Hactenus Plinius, qui Octauio adulans, communiſſimæ ſententiæ contrariam afferre voluit. Ita & Seneca *lib. Quaſt. Nat.* 7. vbi de Cometis pertractat, hæc proferre non erubuit, Neroni blandiendo: *Sex menſibus hic Cometes, quem nos Neronis principatu lætiſſimo vidimus, ſpectandum ſe pratulit, in diuerſum illi Claudiano circumactum.* Eadem de cauſa de iam dicto poſt Cæſaris obitum Comete, de quo & Suet. *in illo, c.* 88. cecinit, & Virg. *Eclog.* 9. quæ *Mœris* inſcribitur:

*Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.*

Si tamen, quæ ſub Nerone & poſt Cæſaris deceſſum acta ſunt, ſpectemus, Cometæ apparitionem non niſi mala portendere, manifeſtum eſt. Quare concludamus, Cometem ſemper mala portendere. Cuius rei Aſtrologi cauſam in ſtellis, iuxta quas fieri Cometes contingat, referre conantur, vti apud Obſequentem *cap.* 127. videre licet. Philoſophi in cauſam naturalem referunt, inquientes, Cometem generari ex exhalatione calida & ſicca, & ideo eſſe igneæ qualitatis, ita vt ſubſequantur ſiccitates in aere, & inde ſterilitates, arborum exſiccationes, & ægritudines acutæ, legum permutationes, & regnorum euerſiones, quia ex nimia caliditate & ſiccitate generantur humores ſubtiles & cholerici, cito inflammabiles, & ideo facile homines inclinantur ad irã, odia, diſſidia, ad arma & certamina, præſertim Principes, qui etiam ob inordinatum delicatioremque victum ægritudinibus acutis & lethalibus ſunt obnoxii. Qua de re per ſe nihil boni ad Cometis apparitionem ſubſequuturum iure credendum, ſed tantum aliquando aliquid per accidens. Quod ſi Octauiano Aug. poſt Cometes apparitionem multa felicia euenere, id fortuito non ex Cometes natura accidiſſe cenſendum, ad quam tot bella ciuilia, nobilium mortes, aliaque mala in communi ſubſequuta ſunt. Ad hæc dicere poſſumus, eam vtique minime Cometem, ſed vere ſtellam fuiſſe, quæ Dei omnipotentis nutu miraculoſa apparuit, illius glorioſiſſimi filii aduentum præmonſtrans,

ſtrans, nam tunc temporis natus eſt Chriſtus Dominus & Saluator noſter, cuius incarnatione Deorum gentium cultus cecidit,& Dei omnipotentis trini & vnius vera adoratio effulſit. Quod vero ſtella fuerit,non Cometes,ex eo elicere poſſumus, quod, vt Plinius & Seneca teſtatum reliquerunt,per omnem terram ſeptem menſibus ſplendeſcere viſa eſt. Cometes vero ex Philoſophorum, præcipue Ariſt.placitis, octuageſimum diem à ſui ortu non excedat. Præterea non vt Cometa motum habuit, ſed vt verum ſydus effulſit,iter Magis demonſtrans ab Oriente, Cometæ vero non in Oriente cœli parte, ſed in Septentrionali ortum habent. ſi Ariſt.credimus, huius euentus rationem afferenti *lib.Met.*1. De Cometarum ſpeciebus plura præter Plin. Amm. Marcell.& Ariſt.ad quos lectorem remittimus, quum ad præſens negotium parum vel nihil faciant.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

### CAP. VI.

*Eiuſdem futuræ infelicitatis ſignum euidens die luſtrico extitit.*

PLura luſtrationum genera, variaque apud priſcos Romanos obſeruamus. Luſtrabant enim exercitum,quod Liuius *lib.*1.*&* 38.tradit. Et Dionyſ.Halycarnaſſ. *lib.*4. Cic. *lib.de Diuinat.* confirmant. Diem autem huiuſmodi luſtrationis *Armiluſtrium* vocabant, teſte Varr.*lib.*4.*linguæ Latinæ.* Sub dio autem fiebat luſtratio hæc, vti Plutarchus *in Bruto,* & Liuius *lib.*1.*&* 3.ſue,oue,tauro mactatis, à quibus tamen variat Dionyſ.Hal.*lib.*4.hircum pro ſue ſupponens. Græcos vero mactato cane luſtraſſe exercitum, conſtat ex Liu.*lib.*4. & Herodoto *lib.*7. Vrbem quoque luſtrabant & populum Romani, tradente Liuio, *lib.*22.*&* 38. maioribus hoſtiis, partim etiam lactentibus ſacrificatis, de qua re Feſtus *lib.*6. Varro *lib.*5.*linguæ Latinæ*, & Macrobius *lib.Saturnal.*1.*&* 3. Galli in vrbis luſtratione hominem extra pomœrium vrbis lapidibus obruebant, ex Lactantio Statii interprete in eum locum:

*—— Et tandem matri data flere poteſtas,*

*Luſtra-*

*Luſtralemne feris ego te puer inclyte Thebis,*
*Deuotumq́; caput vilis ceu mater alebam?*

Curias pariter expiare ſolitos Romanos accepimus ex Var. *lib.5.ling.Lat.* excerptum vitulum ex fordæ bouis immolatæ vtero ſacrificantes, vnde & *Furdicitia* ſacra illa vocata, de quibus Feſtus *lib.6.* & Ouid.4.*Faſt.*

*Forda ferens bos eſt, fœcundaq́; dicta ferendo,*
*Hinc etiam fœtus nomen habere putant.*

Luſtrabantur etiam coloniæ deducendæ, *ex Cicer.lib.de Diuinat.* Victimis cæſis luſtrabant quoque claſſem, crudis extis cæſæ victimæ in mare proiectis, teſte Liuio, *lib.29.* vbi de luſtratione claſſis à Scipione facta. Et Appiano *lib.5.bell.ciu.* Vnde Virg.*lib.Aeneid.5.*

*Dii quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,*
*Vobis lætus ego hunc candentem in littore taurum,*
*Conſtituam ante aras voti reus, extaq́; ſalſos*
*Proijciam in fluctus, & vina liquentia fundam.*

Luſtrabant pariter & agros Romani, vina fundendo, teſtimonio Catonis *rei ruſticæ lib.41.* De huiuſmodi luſtratione Virgil.1.Georg.

*Et quum luſtrabimus agros.*

Armenta quoque, & præcipue ouium greges à paſtoribus luſtrabantur, eo pacto, quo ab Ouidio *lib.4.Faſt.* ſcriptum legimus:

*Paſtor oues ſaturas ad prima crepuſcula luſtret,*
*Vnda prius ſpargat, virgaq́; vertat humum:*
*Frondibus & fixis decorentur ouilia ramis,*
*Et tegat ornatas longa corona fores.*
*Cærulei fiant puro de ſulphure fumi,*
*Tactaq́; fumanti ſulphure balet ouis.*
*Vre maris rores, tædasq́;, herbasq́; Sabinas,*
*Et crepet in mediis laurus aduſta focis.*
*Libaq́; de milio milij fiſcella ſequatur,*
*Ruſtica præcipue eſt hac Dea læta cibo.*
*Adde dapes mulctramq́; ſuas, dapibusq́; refectus,*
*Syluicolam tepido lacte precare Palem.*

Et Tibullus *lib.1.Eleg.1.* ſcribit:

*Hic*

*Hic ego paſtoremq́; meum luſtrare quotannis,*
*Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.*

Luſtrabant etiam tubas, vnde *Tubiluſtria* dicta, teſte Varrone *lib.5.lingua Latina*, & Ouidio lib. Faſt.

*Summa dies & quinq; tubam luſtrare canoram*
*Admonet, & forti ſacrificare Deæ.*

Et libro 5.

*Proxima Vulcani lux eſt, quam luſtria dicunt,*
*Luſtrantur puræ, quas facit ille tubæ.*

De eadem re Feſtus Pompeius *lib.*18. Rogus quoque in funeribus luſtrabatur, ex Virgilii ſententia lib. 2. Æneid.

*Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis*
*Decurrere rogos: per mœſtum funeris ignem*
*Luſtrauere in equis vlulatusq́; ore dedere.*
*Spargitur & tellus lacbrymis, ſparguntur & arma:*
*It cœlo clamorq́; virûm, clangorq́; tubarum.*
*Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis*
*Conijciunt igni, galeas, enſesq́; decoros,*
*Frenaq́; feruentesq́; rotas, pars munera nota,*
*Ipſorum clypeos, & non felicia tela.*
*Multa boum circa captantur corpora morti,*
*Setigerosq́; ſues, raptasq́; ex omnibus agris*
*In flammam iugulant pecudes. tum littore toto*
*Ardentes ſpectant ſocios, ſemiuſtaq; ſeruant*
*Buſta, neq; auelli poſſunt, nox humida donec*
*Inuertit cœlum ſtellis ardentibus aptum.*

Luſtrabant pariter domos, eas ſulphure ſuffientes, quod habemus ex Dioſcoride *lib.7.cap.*78. & Plinio *lib.35 .cap.*15. & Proclo Platonico, *lib. de ſacrificiis*, & clariſſime ex Homero *lib.*22. *Odyſſ.* circa finem:

οἶσε θεῖον γρηῦ κακῶν
ἄκος, οἶσε δὲ μοὶ πῦρ,
ὄφρα θεειώσω μέγαρον.

Id eſt: *Pota ſulphur anus malorum medelam, poſtea autem ignem, vt ſuffiam domum.* Et Virg. 6. Æneid.

*Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ*
*Luſtrauitq; domos.*

Inſuper luſtrabant etiam lectum ſulphure & ouo. Ouid.2. de arte am.

*Et veniat quæ luſtret anus lectumq́; locumq́;,*
*Præferat & tremula ſulphur, & oua manu.*

Ouis enim luſtrationibus vſos antiquos, conſtat etiam ex Iuuenale, Satyr.6.

*Grande ſonat, metuiq́; iubet Septembris & Auſtri*
*Aduentum, niſi ſe centum luſtrauerit oues.*

Haſce luſtrationis ſpecies recenſere volui, vt ſubnecterem, mirum eſſe, apud neminem me ſciente legi, modum quo infantes die luſtrico expiarentur, quod præſentis negotii eſt, quum tamen alios iam dictos luſtrationis modos non reticuerint. Quamobrem nos infantium luſtrationis modum, quantum coniectura aſſequi licet, afferre conabimur. Corpora humana ab antiquis multifariam expiari ſolita obſeruamus. Primum aqua, igne, & ſulphure, ex Ouid.lib. 6.Metamorph.

*Terq́; ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.*

Ad quod etiam ſpectare videtur illud Tibulli, lib.1. Eleg.5.

*Ipſeq́; ter circum luſtraui ſulphure puro,*
*Carmine quum magico præcinuiſſet anus.*

Et Propertius lib.4.Eleg.9.

*Imperat & totas iterum mutare lacernas,*
*Terq́; meum tetigit ſulphure & igne caput.*

Ad idem facit Virgilianum illud lib.12.

*—— Alij fontemq́; ignemq́; ferebant.*

Vnde & aqua in corporum luſtratione vſos priſcos Romanos conſtat, quod & ex alio Virgiliano loco, *lib.2.Aeneid.* patere poteſt:

*Tu genitor cape ſacra manu, patrioſq́; penates.*
*Me bello ex tanto digreſſum, ex cæde recenti*
*Attrectare nefas, donec me flumine viuo*
*Abluero.*

Et 4.Æneid.

*Annam chara mihi nutrix, huc ſiſte ſororem,*
*Dic corpus properet fluuiali ſpargere Lympha.*

Et lib.6.eiuſdem:



Digitized by Google

*Idem ter ſocios pura circumtulit vnda.*

Et Ouid.lib.13.Metamorph.

*Rore leui ſpargens ego luſtror ab illis,*
*Et purgante nefas nouies mihi carmine dicto,*
*Pectora fluminibus iubeor ſupponere centum.*

Oreſtem aqua fluuiali à materna cæde expiatum, tradit Pauſanias *lib. 2. Corinthiacorum.* Et Suidas ait in dictione *ἀρδάνιον*, Græcos egredientes domo, vbi mortuus aliquis eſſet, aqua, quæ præ foribus apponebatur in vaſe, ſe aſperſiſſe, vt ſe expurgarent & expiarent. Et in ſacris paginis 8.*&* *9.cap.Num.*aquam expiationis apud Hebræos obſeruamus. Aſpergebant autem corpora aqua excepta ramo oliuæ. Sic Virg.lib.*6*.Æneid.

*Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ,* ( vel lauri. )

Vnde Iuuenalis Satyr.2.

*—— Cuperent luſtrari, ſi qua darentur*
*Sulphura cum tædis, & ſi foret humida laurus.*

Ex dictis itaq; coniici poſſe exiſtimo, infantes die luſtrico à Romanis igne, aqua, & ſulphure expiari ſolitos, igne quidem & ſulphure ſuffitibus excitatis, aqua vero eoſdem aſpergentes, adhibitis etiam verbis ſeu carminibus ad rem facientibus. Vel etiam in aqua die luſtrico infantem forte immergebant: namque Galenus *lib.1.de ſanitate tuenda, c.7.* Auicenna *lib.1.Fen.3.doct.1.cap.1.* Alſarauius *lib.2.pract.tit.26.cap.2.* ſale & aqua, vel aqua marina primis diebus abluere infantes docent. Vnde Cic. *in orat.pro Q.Roſcio* ſcripſit: *Mare, quo omnia, quæ violata ſunt, expiari putantur.* Quo vero ad ignem ſpectat, tradit Plato *in Theateto*, Athenienſes infantes die luſtrico manibus geſtantes circum ignem curſitare ſolitos. Legimus 2.*Paralip.cap.*28.de Achaz filio Dauid: *Ipſe eſt qui adoleuit incenſum in valle Beneumon, & luſtrauit filios ſuos in igne, iuxta ritum gentium.* Quo vero die à primo ortu infantes expiarentur, varii varia ſcripſere. Plato, loco citato, die quinto id factum ſcribit, Suidas & Plutarchus *Problem.*102. Macrobius *lib.1.Saturnal.cap.16.* Feſtus Pompeius *lib.*10. vbi de luſtricis diebus, decimum maſculis ſtatuunt, fœminis octauũ, nonnunquã ſeptimum. Ariſt.*li.7.de natura*

*anima-*

*animalium*, ſeptimum aſſignat. D. Antoninus Imperator, teſte Iulio Capitolino *in illo*, tertio die à partu infanti nomen indi iuſſit, & in actis apud præfectos ærarii nomen profiteri. Hinc illud Iuuenalis Satyr. 9.

*Tollis enim & libris actorum ſpargere gaudes*
*Argumenta viri, foribus ſuſpende coronas,*
*Iam pater es.*

Quod vero die luſtrico & nomen infanti imponeretur, clare patet ex hoc Suetonii loco, & aliis locis ſuperius adductis, quod & nono die aliquando factum, ob idque potiſſimum Nundinam Deam Romanis exculcam, Macrobius & Feſtus tradidere.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

### CAP. XI.

*Spectaculorum plurima & varia genera edidit: Iuuenales, Circenſes, Scenicos ludos, Gladiatorium munus.*

IVuenales ludos credidere nonnulli celebratos in die Saturnalibus a Caligula adiecto, auctoritate Suetonii noſtri *in illo, cap.* 17. vbi tradit, eum, vt lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adieciſſe diem Saturnalibus, appellaſſeque Iuuenalem; vnde Iuuenales ludos dictos, contendunt. Sed pace eorum dixerim, hallucinantur; ſiquidem aliud eſt dicere, *diem Iuuenalem*, aliud *ludum Iuuenalem*. Præterea hoſce ludos a Nerone inſtitutos, clare docet Cornelius Tacitus, *lib. Annal.* 14. inquiens: *Ne tamen adhuc publico theatro dehoneſtaretur, inſtituit ludos Iuuenalium vocabulo, in quos paſſim nomina data, non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento, quo minus Græci Latinive hiſtriones artem exercerent vſq; ad geſtus modoſq; haud viriles, quin & fœminæ illuſtres deformia meditari.* Ex quo loco etiam colligimus, quod quamuis Iuuenalia appellarentur, eo quod iuuenes in eo præcipue exercerentur, & iuuenũ cauſa conſtituti eſſent, (Iuuenalis enim adiectiuum eſt a *iuuene*, & ſonat quod iuuenilis; quod ex Feſto, *lib.* 9. colligimus. Vnde Liuius libro 33.

bro 33.cap.2. *Quum C.Sulpitius Galba Iuuenalem famam apud Principem popinarum pœnis aucuparetur*; Quamuis aliqui, non *iuuenalem*,ſed *venalem famam* legant.) Nihilominus ex dictis nullam ætatem ab illis fuiſſe immunem patet. Quod & clarius ex præſenti Suet.loco manifeſtum fit, vbi inquit: *Iuuenalibus ſenes quoq; Conſulares.anusq; matronas recepit ad luſum.* Et Dion in Nerone ſcribit: *Iuuenalibus ludis interfuerunt multi,ſed inprimis nobiliſſimi viri, cuius argumentum eſt, quod Aelia Catula fœmina nobiliſſima atq; ditiſſima, ac iam grandis natu (nata erat annos octoginta) ſaltauit. Cæteri, qui propter ſenectutem & morbos præcipue nihil poterant facere, canebant: ſe enim exercebat vnuſquiſque, vt poterat, erantq; ob eas res ſcholæ conſtitutæ, quas frequentabant clariſſimi viri, mulieres, puellæ, adoleſcentuli, vetulæ, ſenes. Quod ſi quis non poſſet ſpectaculum aliter præbere, ad choreas ibat, quumq; multi pudore adducti, ore facerent perſonati, Nero, petente populo, ab eis perſonas auferebat, eosq; patefaciebat hominibus, apud quos ipſi paulo ante magiſtratus geſſerant.* Tacitus *libro* 14.*Annal.* ſcribit de Nerone: *Ratusq; dedecus amoliri, ſi plures fœdaſſet, nobilium familiarum poſteros egeſtate venales in ſcenam deduxit, quos fato perfunctos, ne nominatim tradam, maioribus eorum tribuendum puto: Nam & eius flagitium eſt, qui pecuniam ob delicta potiùs dedit, quam ne delinqueret. Notos quoque equites Romanos operas arenæ promittere ſubegit donis ingentibus, niſi quod merces ab eo, qui iubere poteſt, vim neceſſitatis affert.* Dion Caſſius modeſtiam Taciti non ſequutus, eorum nomini non pepercit, qui famæ ſuæ non pepercerunt, ſic enim referente Xiphilino, inquit: *Viſa ſunt eo tempore veteres & illuſtres familiæ Furij, Fabij, Portij, Valerij, cæteriq; omnes, quorum trophea atq; templa conſpiciebantur, ea die inferiori loco facere; quæ nec ab aliis quidem hominibus fieri vnquam viſa fuerant, iamque viciſſim digito monſtrabantur, dicebant enim Macedones, hic eſt nepos Pauli: Græci autem, ille Memij; tum Siculi aiebant: Videte Claudium; Mox Epirotæ, Vos vero Apium videte; Aſiatici Lucium oſtendebant, Hiſpani Publium, Carthaginenſis Africanum; Romani vero, omnes.* Et Iuuenalis Satyr.8.

*Qui ſedet & ſpectat triſcurria patritiorum*
*Planipedes audit Fabios, ridere poteſt, qui*

*Mamercorum alapas, quanti ſua ſunera vendant.*
*Quid refert? vendent nullo cogente Nerone,*
*Nec dubitant celſi Prætoris vendere ludis.*

Suetonius in Nerone, cap.12. *Exhibuit* (inquit) *ad ferrum quadringentos Senatores, ſexcentos Equites Romanos, & quoſdam fortunæ atq; exiſtimationis integræ ex iiſdem ordinibus, confectoresq; ferarum, & varia arenæ miniſteria.* Et Cornelius Tacitus lib. 15. *Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora, ſed fœminarum illuſtrium Senatorumq; filiorum plures per arenam fœdati ſunt.* Traſeum Petum Senatorem, virum alioquin multæ, & vt ita dicam, Catonicæ ſeueritatis, Patauii, vnde ortus erat, in ludis ceſticis à Troiano Antenore inſtitutis, habitu tragico ceciniſſe, tradit Tacitus *lib. Annal. 16.* ob idque infenſum Neroni, quod Iuuenalium ludicro parum expetibilem operam præbuerat. Scribit Iulius Capitolinus, Gordianum edidiſſe de proprio per quatriduum ludos ſcenicos, & iuuenalia. Et Sidonius Apollinaris horum meminit, inquiens:

*Iam vero Iuuenalibus peractis,*
*Quem te præbueris ſequenti in æuo,*
*Chartis poſterioribus loquemur.*

Dion, & eius abbreuiator Xiphilinus ſcribunt, à Nerone Iuuenalia celebrata ὥσπερ τινὰ νεανισκεύματα, propter ſuam barbam, quam tum primum raſerat, pilis in aureum coniectis ſpherion, & Capitolino Ioui dicatis. Vnde forte ſuſpicari licet, Iuuenales ludos dictos, eo quod ſecundum ſuam incontinentiam Nero depoſita barba iuuenis imberbis haberi voluit, & Iuuenalia ludicra celebrare. Vel forte Iuuenalia, quaſi Iouialia ſeu Iouenalia dixeris. Alexand. ab Alexandro, *lib. 6. cap. 19.* ſcriptum reliquit, quod in huiuſmodi ludis ludebant Troiam & Pyrrhichiam; At certe, qua authoritate ſuffultus, fateor me ignorare. Non deſunt qui Iuuenales ludos ortum habuiſſe cenſeant à Romulo & Remo, quos iuuenes cum grege iuuenum ferias ac iocos celebraſſe, ſcribit Liuius per initia libri primi. At hi decipiuntur; nam inde Lupercalia ortum traxiſſe, ibidem Liuius affir-

affirmat, vt legenti clare parere poterit. Illud poſtremo addam, quod Feſtus Pompeius *lib.9.* quum dixiſſet iuuentutis ſacra, pro iuuenibus inſtituta, ſubiungit: *Iuuenalia fingebantur Dianæ ſimulacra, quia et ás fortis eſt ad tolerandam viam, Diana enim viarum putabatur Dea.* Ex quo quis forte ſuſpicari poſſet, in Dianæ honorem Iuuenales ludos inſtitutos.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE. CAP. XII.

*Exhibuit & naumachiam, marina aqua innantibus beluis.*

*Item Pyrrhichas quaſdam è numero epheborum, quibus poſt editam operam diplomata ciuitatis Romanæ ſingulis obtulit. Inter Pyrrhicharum argumenta, taurus Paſiphaa ligneo iuuencæ ſimulachro abditam iniit, vt multi ſpectantium crediderunt.*

PLinius *lib.7. cap.56.* Pyrrhicam ſaltationem à Pyrrho, ſicuti & armatam Curetes, in Creta docuiſſe vtramq; docet. De hac eadem Amm. Marcellinus *lib.16.* Pyrrhicham artem modulatius incedendi, concinentibus fiſtulis inter præludia diſciplinæ caſtrenſis exerceri tradit, de Iuliano Cæſare inquiens: *Quum exercere præludia artis, Caſtrenſis Philoſophus cogeretur, vt Princeps, artemq; modulatius incedendi per Pyrrhichiam concinentibus diſceret fiſtulis, &c.* Et *lib.18.* de Sabiniano: *Militari Pyrrhichio ſonantibus modulis pro hiſtrionicis geſtibus in ſilentio ſummo delectabatur.* Spartianus *in Adriano*, Pyrrhichias militares appellat. Strabo *libro decimo*, Pyrrhicam docet repertam fuiſſe à Pyrrhicho Curte pro iuuenibus ad diſciplinam militarem exercendis. Solinus *libro 16.* de Creta inſula verba faciens, ait: *Pyrrhichen docuit Creta Pyrrhico repertore, ex qua diſciplina bellicæ rei vſus datus.* Plato *ſeptimo de Legibus*, inquit: *Motus Pyrrhiches imitatur flexus corporum, quibus tela plagæque vitantur declinando, in altum exiliendo, humique ſe contrahendo, contrarios item geſtus imitatur, quibus videlicet contra alios quicquam infertur, ſagittando, iaculando & feriendo.* Dionyſius Halycarnaſſæus docet *libro ſeptimo*, Pyrrhicam ſaltationem armatam eſſe. Apud Xenophontem, Mimam ſaltatricem à Myſo ſaltare iuſſam

Paphlagones conſpicari, admirantes Græcos, interrogarunt, nunquid mulieribus etiam in pugna vterentur. In hoc ſaltationis genere quum Phrynicus excellenter ſe geſſiſſet, illum ſibi Athenienſes Imperatorem delegerunt. Marcus Plotius *in libro de Metris* ſcribit, Pyrrhycham dictam à Pyrrho Cydoneo, qui primus Cretenſes ſub armis ſaltare, ad metri ſeu pedis metrici *Pyrrhichij* dicti ſonum inſtituit. Quod pariter confirmatur à Nicolao apud Stobæum. Inter recentiores Hieronymus Mercurialis multæ doctrinæ vir, *lib.2.Gymnaſtices, cap.6.* Pyrrhichias ſaltationes eius generis fuiſſe exiſtimauit, quas *Moriſias* populari vocabulo noſtrates appellant, ex Icone antiqui lapidis id demonſtrans, in quo armati ſaltantes conſpiciuntur. Diodorus Siculus *libro quinto, capite decimoquinto* ſcribit, Cretam repeperiſſe enſem & galeam, & cum armis ſaltandi morem. Pollux *lib.4.cap.14.* Pyrrhichiam ſaltationem *Enopliam*, vocat, hoc eſt, armam. Feſtus Pompeius *Bellicrepam* appellat *libro 2.* & à Romulo tradit inſtitutam, vt cum armis ſaltarent, ne ſimile paterentur, quod ipſi Sabinis in virginum raptu in ludis fecerunt. Scholiaſtes Homericus *lib.π.* ſaltationem hanc fuiſſe armatam docet. Quinctilianus *lib.1.cap.19.* & Athenæus *lib.14. cap.12.* ex Ariſtoxeni ſententia idem affirmant.

Quibus ſic ſe habentibus, mirum videtur, Suetonium inter Pyrrhichiarum argumenta, Paſiphaæ & Icari fabulas reponere, quibus nullam cum Pyrrhichia proportionem aut conuenientiam eſſe, non eſt qui clare non perſpiciat. Addamus, Pyrrhichias ſaltare ſolitas per nobiles ephebos, quod hic innuere videtur Suetonius, ſed clarius tradit *in Cæſare, capite trigeſimo nono*, inquiens: *Pyrrhichiam ſaltauerunt Aſiæ Bythiniæq; Principum liberi.* Adhæc, quum *Troia* luſus dictus, & ipſe inter Pyrrhichias numeretur à Solino, loco iam dicto, vereque equeſtris Pyrrhichia ſit dicta, eamque luſiſſe pueros nobiles conſtet ex Suetonio in Cæſare, loco citato, in Auguſto, *cap.43.* in Tiberio, *cap.6.* Claudio, *cap.21.* & Nerone, *cap.7.* & Virgilio *lib.5.* quis iure exiſtimare poterit, hoſce fabulas Paſiphaæ & Icari ſaltaſſe? Hanc nos difficul-

difficultatem duobus modis poſſe tolli exiſtimamus. Primo modo dicendo, Suetonium Pyrrhichias ſaltationes non accepiſſe hoc loco in propria ſignificatione, de qua nos hactenus, ſed generice pro omni Græca ſaltatione. Græcos enim fabulas quaſcunque ſaltare conſueuiſſe, fuſe alibi docuimus. In hunc ſenſum Apuleius *in* 10. *de Aſino aureo*, ſcripſit, pueros (puellasque Græcanicam) ſaltaſſe Pyrrhichiam, non armatam ſcilicet, quum nunc in orbem flexuoſi, nunc in quadratum ſinuoſi, diſcurſus reciprocos explicarent.

Secundo modo nodum ſoluere poſſumus, ſi dicamus, in ſcenicis ludis non ſolum Pyrrhichicas ſaltationes, ſed & alias fabulas vna exerceri ſolitas, atque ob id, quia fabulæ Paſiphaæ & Icari priori loco actæ ſunt, ideo quoad Pyrrhichicas ſaltationes, argumenta dicta ſunt eo pacto, quo in Comœdiis argumentum dicimus partem illam, quam Græci *Periochan* vocant, totius fabulæ ſummam continentem paucis verſibus, item prima actione expreſſam. Ita noſtris temporibus fabularum actiones illæ, quæ ante primum actum, & inter cæteros repræſentantur, (intermedia vulgo dicta) in eadem ſignificatione, argumenta dici poſſunt. A Pyrrhiaca Pyrrhiacharii dicti, *Vlpian. l.* 9. *§.* 11. *D. de pœnis, qui Pyrrhichiam exercent.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

### CAP. XII.

*Gymnico, quod in ſeptis edebat inter Buthyſia apparatum, barbam primam poſuit, conditam in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam, Capitolio conſecrauit.*

SI cæteras rationales Neronis actiones ſpectemus, & hanc eiuſdem generis exiſtimare, à ratione non erit alienum; ſecus tamen rem ſe habere, ex mox dicendis cognoſcemus. Siquidem barbam & capillum deponere, olim ſanctioris cuiuſdam deditionis erat indicium; inoleuerat enim mos vetus, vt qui ex ephebis eſſent, capillum & barbam Fluminibus & Apollini primum tonderent ac vouerent.

rent. Ita apud Homerum feciſſe Achillem, Theſeum apud Plutarchum legimus. Meminit Scholiaſtes Homeri in Iliados 4. huius moris, inquiens: ἔθος ἦν τοῖς Ἀρχαίοις μετὰ τὸ ἀκμάσαι τῆς νεότητος τὰς κόμας ἀποκείρειν τοῖς ποταμοῖς. Et Euſtathius ſcribit: ἔθος ἦν τρέφειν κόμην τοὺς νέους μέχρι τῆς ἀκμῆς εἶτα κείρειν αὐτὴν τοῖς ἐγχωρίοις ποταμοῖς. Id eſt, *Mos ſuit antiquis comam iuuenes nutrire vſq; ad integram ætatem, poſtea tondere fluminibus ipſam regionis.* De hac re plura Tarrhæus *in 4. Odam Pytheorum Pind. Antiſt.* 4. ſcribit, & Iulius Pollux *lib. & c.* 3. Virgines quum matrimonium iniiſſent, comæ primitias Deabus ſuis conſecraſſe. Author eſt Pauſanias, *lib.* 2. quod Trazènæ puellæ ante nuptias detonſam comam templo illatam, Hyppoliro dedicabant. Idem Pauſanias *in Corinthiacis* tradit, in Sicyonia eſſe ὑγείας, hoc eſt, ſanitatis ſimulachrum, quod haud facile conſpici poteſt, quum vndecunque comis, quas mulieres Deæ illi detonſis obtulere, veletur. Athenienſes quum ex ephebis exceſſiſſent, primitias crinium & barbæ Delphos deferebant. Quem morem poſtea & ad Romanos perueniſſe, colligimus ex Martialis *Epigram* 88. *lib.* 1. vbi Encolpus Auli Pudentii Centurionis puer Phœbo conſecrat comam:

*Hos tibi Phœbe vouet totos à vertice crines*
*Encolpus, domini Centurionis amor.*
*Grata pudens meriti tulerit quum præmia pili,*
*Quàm primum longas Phœbe recide comas.*

Et apud Papinium:

*Accipe laudatos iuuenis Phœbeie crines.*

Erat autem (vt diximus) deuotæ deditionis & ſeruitutis hoc ſignum; ſeruis enim olim comam & barbam nutrire vetitum erat, vnde legimus apud Ariſtophanem, δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις; id eſt, *Seruus quum ſis, comam nutris?* Hinc & Sydonius Apollinaris *lib.* 2. *Epiſt.* 1. dum conqueritur de Seronati tyrannide in Aruernia, Hedicio ſic ſcribit: *Si nullæ ſint (quantum rumor eſt) Athemij Principis opes, ſtatuit ſe aut bore nobilitas Francorum, ſeu patriam dimittere, ſeu capillos, id eſt, libertatem.* Paulus Æmilius in Carolo Magno, in Clodoueo, & Clotario Secundo, Longobardis quibuſdam ſcribit in

contu-

contumeliam & ſeruitutis ſignum, capillos & barbam detonſos. Vero Imperatori vitio datum à Syris, quod ad vulgaris amicæ arbitrium barbam poſuerit, vti tradit Capitolinus *in illo.* Idem & apud Hebræos ſeruatum, elicimus ex ſacris paginis. Namque 2.*Regum*, *cap.*10. legimus, Legatis Dauid, Hanon in contumelioſæ ſeruitutis indicium barbam radi iuſſiſſe. Et *Paralipom.*1. *cap.*19. idem repetitum. Item & in ſignum obſequii & deditionis, Ieremiæ cap.41. *Viri de Sichem & de Silo & de Samaria octoginta, barba raſa & ſciſſis veſtibus munera & thus tulerunt, vt offerrent in domo Domini.* In eundem ſenſum, cap.48. *Omne caput caluitium, & omnis barba raſa erit, in cunctis manibus colligatio.* Et Iſaiæ capite 15. *Moab vlulabit, in cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.*

Aliam etiam ob cauſam antiquitus radebant barbam, & Diis offerebant, vt ſcilicet ſeipſos mundi & purificati dedicarent. Hac ratione Sacerdotes Ægyptios totum corpus raſiſſe & depilaſſe, teſtatur Herodotus *in* 2. quod item ex Diodoro Siculo *lib.*2. *cap.*4. elicitur. Qui mos & Hebræis frequens fuit. Namque habemus *in Leuitico, cap.*14. de leproſo mundato offerente ſe Sacerdoti: *Die ſeptimo radat capillos capitis, barbamq́, & ſupercilia, ac totius corporis pilos.* Et Baruch 6. *Sacerdotes ſedent habentes capita & barbam raſam*, idem quoque apud nos, qui Chriſtum profitemur, inualuit mos, nempe tonſuræ clericalis & monaſticæ, de qua re videndus D. Ambroſius *Epiſt.*36. D. Hieronymus *ad Sabinam*, D. Dionyſius Areopagita *de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap.*6. D. Auguſtinus *lib. de opere Monach. cap.*31. Sed quoad gentiles ſpectat, eiſdem forte de cauſis obſeruatum fuit, Romanorum Imperatores vſque ad Hadrianum Cæſarem, barbam depoſuiſſe, ſcilicet, vt ſe ſeruos legis, licet earundem domini eſſent, oſtenderent, mundosq; eſſe debuiſſe ab omni labe, & integros iuſtitiæ miniſtros. Namque Hadrianus primus barbam non depoſuit, ſed eam promiſſam nutriuit, ad regenda vulnera, quæ illi in facie naturalia erant, Ælio Spartiano in illius vita id affirmante. Dion fere eiſdem conceptis verbis, eadem de Nerone, quæ hic Suetonius, referr,

ab eo tamen in his diſcrepans, quod ſphæram pyxidem appellat, & Ioui Capitolino, non Capitolio ſacraſſe inquit, idque non in Gymnico certamine, ſed in Iuuenalium inſtitutione feciſſe.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

### Cap. XV.

*Orationes ad Senatum miſſas, præterito Quæſtoris officio, per Coſſ. plerunq; recitabat.*

Reipublicæ Romanæ temporibus nullos alios Quæſtores fuiſſe obſeruamus, præter vrbanos & prouinciales, de quibus alibi fuſe pertractauimus, ad quos ſpectaſſe, epiſtolas vel orationes, aut libellos & acta Senatus & Principis ſcribere aut recitare, nullibi legimus. At ſub Imperatoribus Quæſtores fuiſſe, quibus munus iſtud demandatum eſſet, non ſemel ſcriptum reperimus. Et primum id ex hoc Suetonii loco colligitur, necnon & ex Tacito, *lib.16.Annal.* vbi ait, de Nerone loquens: *Et oratio Principis per Quæſtorem audita eſt.* Et iterum ex Suetonio *in Tito, cap.6.* vbi habet: *Receptaq; ad ſe prope omnium officiorum cura, quum patris nomine & epiſtolas ipſe dictaret, & edicta conſcriberet, orationesq; in Senatu recitaret etiam Quæſtoris vice.* Quamuis Alexander ab Alexandro ob incuriam hæc, non de Tito, ſed de Veſpaſiano prolata ſcripſerit *lib.& cap.2.* & ex eo forte, quod & Tito Veſpaſiani nomen additum fuerit à ſcriptoribus antiquis. Et Suetonio *in Auguſto*, cap.65. *Abſens ac libello per Quæſtorem recitato notum Senatui fecit.* Velleius Paterculus *lib.2.* ſe fratremq; ſuum hoc functos officio ſcribit. Dion *lib.54.& 55.* communi nomine ταμίας appellat. Ex quibus locis clare patet, Cæſarum Romanorũ temporibus Quęſtores fuiſſe, qui acta Senatus & Principis perſcriberent, orationes Imperatorum & libellos recitarent, & mandarent literis, aſſidueq; vacarent dictandis & legendis epiſtolis. Quod Vlp. *in l.1.§.1. D.de offic.Quæſt.* tradit, ibi appellans huiuſmodi Quæſtores candidatos. Quæ nomenclatura nullibi obſeruatur apud Hiſtori-

Hiſtoricos, quod ipſe meminerim, præterquam apud Lampridium *in Alexandro*, vbi ſcribitur: *Quæſtores candidatos ex ſua pecunia iuſſit munera populo dare, ſed vt poſt Quæſturam Præturas acciperent, & inde Prouincias regerent.* Nec mirum certe, quum Vlpianus ipſe, teſte eodem Lampridio, Alexandri Imperatoris Conſiliarius & commenſalis chariſſimus fuerit, & illius opera in legibus diſponendis & tractandis maxime vſus fuerit. Cur autem tum Quæſtores candidati vocarentur, quum à nemine explicatum obſeruarim, breuiter explicabo, de qua re lectoris iudicium qualecunque eſto. Qui magiſtratus peterét, candidatos vocatos fuiſſe, & in candida veſte poſtulare conſueuiſſe alibi docuimus. Verum quum hi plures eſſent, qui eundem magiſtratum poſtularent, nec omnes adipiſci eum poſſent, Nero Imperator (quod hoc cap. 15. Suetonii patet) hos candidatos, qui ſupra numerum eſſent, in ſolatium dilationis ac moræ, legionibus præpoſuit. Quum itaque Quæſtura prima eſſet dignitas, quam Patritii viri adirent, qui repulſam patiebantur, nec admittebantur, ſolandi morem fuiſſe exiſtimo, vt apud Principem vel Conſulem ſuperius dicto muneri præficerentur, donec nouis Comitiis iterum Quæſturam candidati peterent, & à Quæſtura poſtmodum ad Præturam peruenirent. Quod ex ſupra allegato Lampridii loco ſatis conſtat. Hanc vero noſtram ſententiam confirmare videtur Tacitus loco ſuperius adducto, vbi non ſolum de Principis huiuſmodi Quæſtoribus verba facit, ſed & de Conſulis Quæſtore, qui ad Thraſeum de eius letho decretum pertulit, quem iuuenem fuiſſe tradit Tacitus, dum inquit, Thraſeum propius vocato Quæſtore ei dixiſſe: *Specta iuuenis*, & quæ ſequuntur. Iuuenum vero patritiorum veluti tyrocinium fuiſſe Quæſturam, ſatis manifeſtũ eſt. De huiuſmodi Quæſtore verba fecit & Dion lib. 54. *συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον αὐτὸς μὲν οὐδὲν εἶπεν, ὑπὸ βράγχου τὸ δὲ δὴ βιβλίον ταμιεία ἀναγνῶναι δοὺς τά τε πεπραγμένα οἱ κατηριθμήσατο.* Huiuſmodi Quæſtores candidatis ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis Quæſtores ſacri Palatii dicti ſunt, & erant qui petitionibus ſubſcribebant, preceſque ac reſponſa & leges dictabant & ſubnotabant, vt

conſtat *ex Notitia Imperii Romani Nouell.* 53. *&* 114. *l. vltima, C. de diuerſis reſcrip.* Et Symmachus ad Auſonium inquit : *Quæſtor es, memini, conſilii Regalis particeps, ſcio, precum conditor, recognoſco.* Et alio loco : *Te magis Quæſturæ honos & condendarum ſanctionum vſus exercuit.* Vnde Procopius libro 1. de bell. Perſ. εἰ μὴ πρόκλος ἐκώλυσεν, ὃς βασιλεῖ τὸ τε παρήδρευς τὴν τοῦ καλουμένου κοιαίστωρος ἀρχὴν ἔχων ἀνὴρ δίκαιος Τριβουνιανός βασιλεῖ πάρεδρος, κοιαίστωρα τοῦτον καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Quibus de cauſis Quæſtor, iuſtitiæ & legum cuſtos appellatur, & Theſaurus famæ publicæ, & armarium legum *in Nouell. Valentiniani de homicid. caſ. fact.* & à Caſſiodoro duobus aut tribus in locis. Denique is plane eſt Quæſtor, quem in aula *Cancellarium* Latini appellarunt. Niceta 7. τὸν οἰκεῖον. Quod etiam legitur *in Notitia officiorum Conſtantinopoleos.* Quæſtorias ſcribas, quorum Suet. *in Domitiano* meminit, credunt quidam fuiſſe Quæſtores huiuſmodi, & perperam certe, vt eo loco demonſtrabimus, & de his Quæſtoribus ſcribis idem Suet. *in Claudio,* verba fecit *cap.* 38. Apud eoſdem Iuriſtas in Nouellis fit mentio Quæſtoris exercitus, à Procopio *Nouell.* 41. & à Iuliano *Nouell.* 41. qui annonam diſpenſabat per caſtra, & *Nouell.* 80. fit mentio Quæſtoirs conſtituti à Iuſtiniano Conſtantinopoli ad quærendos coercendoſque mendicos. Apud eoſdem legimus Exquæſtorem & Quæſtorem Famiam, qui diſpenſabat in domo Imperatoria alimenta. Quæ nomenclaturæ profecto impropriæ omnes Latinis ſunt, licet eas non reformidarint Iuriſconſulti, imo Iuſtinianus ipſe quandoque eis vſus, nec mirum; Nam, vt inquit Cœl. Rhodig. *libro* 25. *capite* 12. creditur Iuſtinianum prorſus fuiſſe literarum expertem. Etenim Iuſtinus pater boues pauit, ſed antea ſues, mox materiarii faber miniſter vilis. Vnde Iuſtinianum Suidas ex imperitia ἀναλφάβητον vocat, ſicuti alterum Iuſtinianum Conſtantini filium ab reſectis naribus ῥινότμητον.

C. SVET.

# C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

## CAP. XVII.

*Item vt litigatores pro patrociniis certam iuſtamq; mercedem ſoluerent, pro ſubſelliis nullam omnino darent.*

LEgitur *in Decretis Canonicis* 11. *q.* 3. quod non licet Iudici vendere iuſtum iudicium, etſi liceat Aduocato vendere iuſtum patrocinium, & Iuriſconſulto iuſtum conſilium. Ita & Nero dari patronis cauſarum iuſtam mercedem voluit, quod antea aduerſus Oratorum licentiam, ne quis ob patrocinium donum munuſve acciperet, lege Cincia cautum fuerat. Hanc tulit M. Cincius Trib. Pleb. Cornelio Cethego & Sempronio Tuditano Coſſ. an. 549. ab V. C. Huius meminit Liuius *libro* 34. in hæc verba: *Quid legem Cinciam excitauit de donis & muneribus, niſi quia vectigalis iam & ſtipendiaria plebs eſſe Senatui cœperat.* Amm. Marcel. *lib.* 30. inuehitur in Aduocatos cauſarum, inquiens eos ſellulariis quæſtibus inleſcati. Et Tacitus *libro* 15. *Annal.* ita ſcribit: *Sic Oratorum licentia Cinciam rogationem candidatorum ambitus, Iulias leges, magiſtratuum auaritia, Calphurnia ſcita pepererunt.* Et Cicero *in libro de Senect. & 2. de Orat. & etiam libro primo, Epiſt. ad Att.* Hanc Feſtus *muneralem* vocari à Plauto ſcribit, dum ait: *Neque muneralem legem, neque lenoniam, rogata fuerint nec ne, flocci æſtimo.* Lege quoque Titia cautum fuit, vt patrocinia, quæ tenuioribus præſtabantur, gratuita eſſent, quum eo tempore cauſarum patroni miſeram plebem donorum & munerum occaſione exhaurirent. De qua Tacitus *libro vndecimo*, ita ſcribit: *Conſurgunt Patres, legemque Titiam flagitant, qua cauetur antiquitus, ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumve accipiat.* Quo loco tamen nonnulli exiſtimant, legendum eſſe, non *Titiam*, ſed *Cinciam*; Hallucinari tamen eos patet, quum alia fuerit lex Titia à Cincia, quamuis eadem de cauſa latæ. Quod patet ex Ludouico Charunda, qui ſcribit, ſe legiſſe in quodam antiquitatis Romanæ fragmento hæc: *T. Titius Tribunus plebis vir non imprudens, multas leges ad populum tulit, & inter eas vnam patronis odioſam, ne ob orandam cauſam pecuniam donumve acciperent, quod etiam lege*

*Cincia*

*Cincia ſancitum erat.* Ad hæc accedit Auſonii authoritas, qui ita ſcribit:

*Iuriſconſulto cui nubit adultera coniux,*
*Papia Lex placuit, Iulia diſplicuit.*
*Quæritis vnde ſit hæc diſtantia? ſemiuir ipſe,*
*Scatiniam metuens non metuit Titiam.*

Hoc in loco certe ob carminis rationem verbum illud *Titia* non poteſt mutari in *Cincia*. Senſus autem dictorum Auſonii fuiſſe interpretatur Zaſius in ſuo Catalogo legum antiquarum hoc pacto: *Quum Papia lege propoſita eſſent præmia iis qui vxores duxiſſent, placebat ea lex Iuriſconſulto, qui iuxta legis voluntatem maritus erat; ſed viciſſim Iulia lex de adulteriis eos, qui adulteras ducebant, puniebat, infamabatque, qua ratione & lex incommoda erat Iuriſconſulto, qui & ipſe etiam, quum parum pudice viueret, pœna legis Scatiniæ, quæ eos, qui muliebria patiuntur, proſequebatur, obnoxius erat, & propterea eam timebat. Sed quum propter imperitiam eius, nemo eo patrono vti vellet, non erat quod metueret legem Titiam, quum eum nemo muneribus, & donis coleret.* Hunc locum quoque ſubtilius interpretatus eſt P. Pithœus *lib. 2. Aduerſariorum*, quæ interpretatio præſtat ſingulari doctrina & iudicio. De oratorum autem & patronorum ſalariis, deq; Senatuſconſulto Claudiano & edictis quibuſdam ad hanc rem pertinentibus, legendum apud Tacitum *lib. 11. Annalium*, & Plinium *lib. 5. Epiſt. epiſt. 6. ad Ruſum.* Iuriſconſultis videtur conceſſum capere vſque ad centum aureos, *ex Vlpiano lib. 1. §. cui cautum, D. de variis & extraord. cognit.* à qua ſumma non diſcrepat, quod Tacitus ſcribit de eadem re *lib. 11. citato*, nempe Claudium Imperatorem poſuiſſe modum vſq; ad dena ſeſtertia. Amm. *lib. 30.* ait, quod primus omnium ob defenſum negotium pecuniam accepit Antipho Rhamnuſius. Ouidius 1. *Amor.* inquit:

*Turpe reos empta miſeros defendere lingua,*
*Quod faciat magnas turpe tribunal opes.*

Sed de re hac omnino legendæ apud Tacitum eodem in loco binæ orationes luculentæ admodum, quorum primæ author Silius Conſul, deteſtatus patronos, ſeu oratores, qui defenſionis gratia pecuniam exigerent; Secundæ Suilius & Coſſutia-

Coſſutianus, quorum ille (quum tunc temporis nil publicæ mercis tam venale fuit, quam aduocatorum perfidia) Samium inſignem Equitem Romanum quadringentis nummorum millibus acceptis defendẽdum ſuſcepit. Quibus orationibus auditis Claudius Imperator neutri eorum aſſentitus, modum (vt diximus) ſtatuit. Quod ſane aduerſari videtur Suet. ſcribenti in Claudio, cap. 16. *Nec quemquam, niſi ſua voce, vtcunque quis poſſet, ac ſine patrono, rationem vitæ paſſus eſt reddere*; *ita enim quum patrono nullo opus eſſet ad defenſionem, ſuperuacaneum fuiſſe de modo ſalarii illius ſtatuiſſe.* Conciliare poſſumus, quod Taciti dicta ſint intelligenda de patronis, qui concedebantur in aliis cauſis, in quibus de vita & moribus minime ratio reddenda eſſet, vel etiam eos noluiſſe Claudium habere patronos in ratione vitæ reddenda, qui ex ſe apti eſſent id facere, quod innuere ſane videtur particula illa textus: *Vtcunque quis poſſit*, id eſt, Si quis ex ſe ipſo id præſtare poſſet. Aliud quoque difficultatem facit inter Taciti dicta loco citato, & Suetonii in hoc loco; ſi enim Claudius Neronis anteceſſor modum in Oratorum ſalariis ſtatuerat, quorſum Nero illius ſucceſſor ſanciuit, vt iuſta merces à litigatoribus daretur patronis pro patrociniis, quæ hic Suetonius tradit? Tolli poteſt præſens difficultas, eo quod Claudii decretum auctum fuiſſet (vt ſolent ſemper nouæ leges nouis limitationibus fraudari) vt pro patrocinio darentur duo ſeſtertia, ſed & pro ſubſelliis adderentur & aliæ pecuniæ; cui fraudi Nero obuiam ire voluit, vt ſcilicet pro iuſta mercede perſoluerentur patronis & oratoribus pro patrocinio decem ſeſtertia iam à Claudio ſtatuta, ſed pro ſubſelliis nihil, quum gratuito ex publico ærario huic expenſæ ſatisfaciendum eſſet.

Quid autem hoc loco intelligendum ſit pro ſubſelliis, ex expoſitoribus quidam fatentur ſe ignorare, alii varii varia dixere. Nos duas interpretationes cæteris præferimus, quarum altera eſt, vt pro ſubſelliis intelligendi ſint Iudices, & ſenſus ſit, quod Nero voluerit dari patronis cauſarum iuſtam mercedem, iudicibus vero nihil, quibus ex publico ærario ſoluebatur penſio, ſeu ſalarium. Et modus loquendi

huiuſmodi

huiuſmodi videtur deſumptus ab eo, quod iudices minora iudicia exercentes, ſicuti Triumuiri, Tribuni, & Quæſtores, in ſubſelliis conſedebant, dum publicis iudiciis diſceptandis operam dabant, ſicuti maiores magiſtratus, vti Prætores, & alii ſimiles in ſedibus curulibus, & pro tribunali ius dicebant. Quæ fuit ſententia Aſconii *in quarta in Verr. act.* Et Cicero pro Cluentio: *Accuſabat Trib. pleb. idem in concionibus, idem ad ſubſellia.* Idem in Vatinium: *Quæro ex te nunquid reus poſt Vrbem conditam in tribunal ſui quæſitoris aſcenderit, eumque vi deturbarit, ſubſellia diſſiparit.* Hoc in loco Cicero Tribunal Prætori aſſignauit, qui iudiciis publicis præerat, & *Quæſitor* vocabatur, ſubſellia vero iudicibus, qui reos ſententiis ſuis tabellaribus iudicabant. Quod & *de clar. Orat.* repetit inquiens: *Locus in ſubſelliis occupetur, compleatur tribunal.* Idem *in Verrem act. quarta*, Aram legum Tribunal prætoris, & Iudicum ſubſellia vocat. Præterea, ſubſellia pro ipſis iudicibus accepit Martialis *libro primo* ſcribens:

*Sextiliane bibis quantum ſubſellia quinque.*

Et Cicero pro Rab. poſth. *Dicere ad ſubſellia*, id eſt, ante iudices. Et de clar. Orat. *Subſellia grandiorem & pleniorem vocem deſiderant.* Et Plautus in Sticho, *imi ſubſellii virum* dixit, hoc eſt, inter iudicantes infimum virum. Sic Tacitus *libro Annal. quarto*, ſcriptum reliquit, Conſules in funere Druſi ſede vulgari per ſpeciem honoris ſediſſe, non in ſede Curuli, quæ eorum erat propria. Hæc tamen interpretatio extorta nimis videtur, & minus legitima; Qua de re ſecundam & magis rationi conſonam, vt exiſtimo, videamus. Hæc autem eſt, vt ſubſellia in propria & communi ſignificatione accipiamus, quæ conduci ſolebant à litigantibus, ad hoc vt iudices, actores, ſeu accuſatores, & teſtes ipſi in pertractando iudicio in illis ſederent, à quo onere leuari voluit litigantes Nero, & ſuppleri per ærarium publicum. Quod autem ita ſe res haberet, & ſubſellia conducerentur, non ſolum à litigatoribus, ſed etiam à recitatoribus, teſtis eſt Iuuenalis *Saty.* 7. ſcribens:

*Nemo dabit Regum quantum ſubſellia conſtent.*

Et rurſus:

*Et qui conducta pendent Anabathra ſigillo.*

Et Cornelius Tacitus *in Dialog. de Orato.* inquit: *Rogare vltrò & ambulare cogitur, vt ſint qui velint audire, & ne id quidem gratis; nam & domum mutuatur, & auditorium extruit, & ſubſellia conducit.* Quod vero in iam dictum vſum ſubſellia haberentur, teſtatur Quintilianus *libro 10. cap. 5.* per hæc verba: *Quod accidiſſe Portio Latroni traditur, vt quum ei ſummam in ſcholis opinionem obtinenti, etiam in foro eſſet orandum, impenſe petiuerit, vti ſubſellia in Baſilicam transferrentur.* De ſubſelliis in Curia in eundem vſum meminit Cicero in Catilinam: *Subſellia erant etiam in Senatus loco.* Idem Cicero in Verr. *Quum inter ſubſellia noſtra verſarentur armati.* Et rurſus: *Quum inter ſubſellia Senatus verſarentur latrones.* Sed quod ad præſens negotium attinet, in ſubſelliis ſediſſe iudices, quos diximus, præter iam dicta conſtat etiam ex ipſomet Cicerone, qui *in ſaluſtium* ſcribit: *Saluſtius bis ad iudicis ſubſellia attractus extremâ fortuna ſtetit.* Quod in eiſdem ſederent teſtes & accuſatores, teſtatur idem Cicero pro Flacco: *Teſtes ex accuſatorum ſubſelliis ſurgunt.* Et pro Roſcio Amerino: *Erant ei veteres inimicitiæ cum duobus Roſciis, quorum alterum ſedere in accuſatorum ſubſelliis video.* Quum itaque ſubſelliis quamplurimis in iudiciis opus eſſet, eaque conducerentur, hac etiam impenſa grauari ſolebant litigantes à patronis cauſarum, quod ne fieret, cauet Nero.

Sed neque hæc mihi omnino ſatisfacit interpretatio (vt ingenue fatear quod ſentio) quare & tertiam excogitare coactus ſum, quam à doctioribus, genuinam eſſe exiſtimandam confido, & eſt huiuſmodi; Pro ſubſelliis intelligendum iudicium ipſum, & ſenſus ſit, Neronem voluiſſe per litigantes ſolui certam & iuſtam mercedem patronis, ſeu oratoribus cauſarum; at pro iudicio, id eſt, ſententia ipſa à iudicibus lata, nihil ſoluendum iudicibus. Quod vero ſubſellia accipiantur aliquando pro iudicio ipſo, audiamus Ciceronem *de Orat.* ſic ſcribentem: *Eum ſi à ſubſelliis in otium contulerit*, id eſt, à munere iudicandi. Et ad Herennium: *Longi ſubſellii iudicatio & mora*, id eſt, longi iudicii.

Et

Et in Epiſt. Famil. *Verſatus in vtriſque ſubſelliis optima fide, & fama*, id eſt, in vtriſque iudiciis, nempe publicis, & priuatis. Et in Verrem, *Alienus à ſubſelliis*, id eſt, à munere iudicandi.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

### CAP. XX.

*Ibidem ſæpius & per complures cantauit dies, ſumpto etiam ad reficiendam vocem breui tempore, impatiens ſecreti à balneis in Theatrum tranſiit: mediaque in Orcheſtra frequente populo epulatus, ſi paululum ſubbibiſſet, aliquid ſe ſuffertim tinniturum Græco ſermone promiſit.*

LOcus hic non ſolum interpretes omnes fatigauit, ſed & doctiſſimos pleroſque alios ſuſpenſos tenuit, & re vera inter difficilimos huius ſcriptoris ab omnibus reputatur. Beroaldus non *ſuffertim*, nec *ſufferti*, ſed *ſufferri* legit, & ſenſum eſſe ait, *aliquid ſufferi tinniturum*, hoc eſt, quod ſufferretur ſeu extolleretur laudibus, perinde ac ſi dixiſſet, ſe cantaturum canticum dignum ſublatione, laudatione & gloria; & ſubdit idem author: *Quidam legunt aliquid ſufferri, tanquam dictio ſit compoſita ex Græco Latinoque, ſignificetque tolerabile; ſed prima lectio verior eſt, & accommodatior.* Aduerſus hanc Beroaldi expoſitionem inuehitur Cœlius Rhodiginus *lib. antiq. lect. 9. cap.*10. ſcribens: *In huius nodi explicatione hæſit Lynceus interpres, & in Solœciſmum fœdiſſimum conieciſſe authorem Latiniſſimum videtur. Quod ſi Senecæ verba vel aduertiſſet, vel expendiſſet exactius, facilis illi fuiſſet enarratio. Sic igitur primo naturalium ſcribit: Præterea quum dicitur tibi, nubem eſſe Sole ſuffertam, non dicitur colorem illum immixtum eſſe, veluti duro corpori, & ſtabili, & manenti, ſed & fluido & vago, ſuffertam nubem hic accipio interfuſam, aut illuſtratam. Ex quo liquet, Tranquilli ſenſum eſſe illum, cantaturum ſe clarius aliquid, aut quod Græci dicunt, πυκνόν, id eſt, denſum quippiam, ac ſucci plenum. Nam & differtum pro pleno legimus tum apud Horatium, tum vero apud L. Florum, qui de Cleopatra ita ſcribit: Quod vbi deſperauit à Principe, ſeruarique triumpho ſe vidit, incautiorem nacta cuſtodiam, in Mauſoleum ſe (Regum ſepulchra ſic vocant) recipit; vbi maximos vt ſolebat induta cultus, in differto*

*diſſerto odoribus ſolio iuxta ſuum ſe collocauit Antonium. Sed & Seneca in conſolatione ad Albinam, Iumentorum inquit corpora diſſerta & coacta pingueſcere. Quin in quæſtionibus rurſum: Erant enim pinguia & diſſerta corpora ex longiore ocio. Adiicit calculum Tacitus de Poppea inquiens: Corpus odoribus diſſertum conditur, tumuloque Iuliorum infertur. Erit ergo aliquid ſuſſerti, plenius paulo quippiam, & luculentius.* Hactenus Rhodiginus; cui aſſentitur Turnebus *Aduerſ. lib.* 17. *cap.* 18. inquiens: *Ibidem aliquid ſuſſerti tinnire eſt, quod Græce dici poteſt* πυκνόν τι ἠχεῖν, *ſuſſertum enim intelligo plenum, denſum, confertum, oppletum, quod auditorum aures impleat. Quamquam ſuſſertum minus aliquanto eſt, quam refertum, & confertum.* Eidem interpretationi fauet Torrentius in huius loci explanatione; M. Antonius Sabellicus, *ſuſſerri* legit, & *ſubtolerabile* interpretatur, quæ expoſitio ſenſum literæ potius corrumpit, quam explicat.

Sed nec antecedens quamuis grauiſſimos viros authores habeat, difficultate caret; ſiquidem ea data, videntur particulæ illæ, *ſuſſerti*, id eſt, pleni, & *tinniturum*, inter ſe contrariæ, namque tinnitum proprie de metallorum ſono dicitur. Varro vbi de apibus, dixit, *circuntinniendo are*. Et Plinius lib. 11. c. 2. *gaudent tinnitu æris*. Et Virg. 4. Georg. de eiſdem.

*Tinnituſque ciet Matris quaſi Cymbala circum.*

Quis itaque æris tinnitum plenum ſonum dicet. Ita tinnitus dicitur debilis ille ſonus, qui in auribus percipitur ex vapore ſubtili & leui auris membrana internam quatiente excitatus, de quo Plinius *lib.* 28 *cap.* 2. & fuſius Medicinæ ſcriptores fere omnes. Quamobrem tinnire in homine erit potius læui voce & ſummiſſa modulari & ſuccinere, quam voce intenſiori & plena cantum proferre. Quando enim æs plene & vehementer pulſatur, *ſonus* dicitur, tinnitus nequaquam. Martialis de campana thermarum ſic inquit:

*Redde pilam ſonat æs thermarum, ludere pergis?*

Cogitabam itaq;, minime legendum *ſuſſerri* cum Beroaldo & Sabellico, non *ſuſſerti* cum Turnebo & Rhodigino, non *ſuſſertim* cum Torrentio & Egnatio, ſed potius *ſuſſecti*; à verbo enim *ſuſſicio* fit ſuffectus, quod eſt ſubſtituere, & ſubdere; ſic Virg. 2. Georg.

*Atque aliam ex alia generando ſuffice prolem.*

Ita & *ſuffectos Conſules* legimus, id eſt, ſubſtitutos. Erit itaque ſi ſic legamus, verborum Suetonii ſenſus, Neronem quum νόμον Latinum & præmeditatum abſolniſſet, ſi paululum ſubbibiſſet, ſe aliquid ſuffecti, ſcilicet de nouo additi & ſubditi Græco ſermone modulaturum. Poſſumus quoque legere *conſertim* vel *conf. ſtim*, hoc, eſt ſtatim vna, è veſtigio, repente. Vinum autem valde cantoribus prodeſſe docet Horatianum illud lib. 1. epiſt.

*Fœcundi calices quem non fecere diſertum?*

Et Ouid. de arte amandi:

*Vina parant animos.*

Et Poeta Epigram.

*—— Peſſum nil ego ſobrius, bibenti*
*Succurrunt mihi quindecim Poetæ.*

Et Iacobus Boccatius ex recentioribus haud inelegãs Poeta.

*Dulcia vina iuuant modulantem carmina, cantor*
*Non bene cantabit ni bene potus erit.*

Poſtremum veniebat in mentem, forte legi poſſe *ſuffeti*, quum de Græco ſermone loquatur, à verbo σοφίζω, vel σοφίζωμαι, quod eſt ſapienter loqui, vel docere, vnde & *Suffetes* Carthaginenſium dicebatur ſummus magiſtratus Liuio *lib.* 28. & 30. & 34. & ita ſenſus eſſet Neronem tinniturum aliquid ſumme ſapienter.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE. Cap. XXIV.

*Atque etiam in quodam Tragico actu, quum elapſum baculum cito reſumpſiſſet, pauidus & metuens ne ob delictum certamine ſummoueretur, non aliter confirmatus eſt, quam adiurante hypocrita, non animaduerſum id inter exultationes, ſucclamationeſque populi.*

Conueniunt omnes expoſitores, Hypocritam dici vnumquemque alteram perſonam ſimulantem, quales Scenici omnes Hiſtriones, & fabularum actores, vti Mimi, Pantomimi, Archimimi, Hologi, Hopœi, Comœdi, & Tra-

& Tragœdi,& eorum actio hypocriſis dicitur;quod late docuit Budæus *in ſuis Annot. in Pandect. ad l. Athletas.* Verum de quo hypocrita hic intellexerit Suetonius,nemo ſat bene explicat. Sabellicus in genere ait,ſe credere intelligendum eſſe de aliquo, qui miniſterii gratia Neroni aſſiſteret. Torrentius ſpecifice inquit, interpretãdum Phonaſcum, vel alium, qui monendi cauſa,ſiue ſubiiciẽdi cauſa ea,quæ memoriam fugerent, aſſiſteret. Verum haud rationi conſonum videtur, Neronem excellentiam in actione profitentem, in Scena tales in actu ſecum admiſiſſe. Quamobrem mihi videtur, per hypocritam hoc loco exponendum Hiſtrionem alium, qui vna cum Nerone fabulæ partem in Scena caneret, aut recitaret. Namque in Tragœdia,quæ per actus diſtinguitur, plures interlocutores interuenire nemo inficiatur. Vnde ſicuti aliquando inſunt ſoliloquia, ita & duorum vel plurium ſermocinationes. Quum itaque in actione tragica in Scena alter hiſtrio reperiretur, quum Neroni baculus cecidiſſet è manibus, ab eo admonitus Nero, à populo minime baculi lapſum animaduerſum, animum reſumpſit. In Tragœdia namq; actores in Scena inuicem alloquentes hypocritas dici, docet Cœl.Rhodig. *lib.& cap.*8. Et Græcis ὑπόκρισις non ſolum ſimulatio, ſed & actio, quæ pronunciatione & motu ab Hiſtrione ſcenico fit, appellatur; quinimo & reſponſio quoq; eadem voce ſignificatur. Ita Herod.in lib. τῶν χρησμείων oraculorum reſponſa τὰς ὑποκρισίας vocauit. Vnde Scenicum interlocutorem, quaſi reſponſorem dixerimus, iure hypocritam dici non dubitamus, ſicque Suetonii dictum interpretandum.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.
## CAP. XXVI.

*Quintana domi conſtituta, vbi parta & ad licitationem diuidendæ prædæ pretium aſſumeretur.*

OMnes expoſitores *Quintanam* exponunt caſtrorũ portam ita appellatam, quod vt apertius reddatur, ſciendũ Caſtrorum portarum appellationes plures reperiri apud ſcriptores Latinos. Ex Liuio *libro* 40. extraordinariam,

dextram principalem, ſiniſtram principalem, & Quæſtoriam in caſtris obſeruamus. Scribit namque Æmylius: *Ad quatuor portas exercitum inſtruxit, vt ſigno dato ex omnibus ſimul portis eruptionem facerent, quatuor extraordinariis cohortibus binas adiunxit, præpoſito M. Valerio Legato erumpere extraordinaria porta iuſſit. Ad dextram principalem haſtatos legionis primæ inſtruxit, principes ex eadem legione in ſubſidiis poſuit, M. Seruilius, & L. Sulpitius tribuni militum his præpoſiti; Tertia legio aduerſus principalem ſiniſtram portam inſtructa eſt, id tantum mutatum, principes primi & haſtati in ſubſidiis locati. Sex. Iulius Cæſar, & L. Aurelius Cotta tribuni militum, huic legioni præpoſiti ſunt. Q. Fuluius, Legatus cum dextra ala ad Quæſtoriam portam poſitus.* Obſeruamus pariter apud Vegetium *libro* 1. *cap.* 23. Prætoriam portam, ait enim: *Porta, quæ appellatur Prætoria, aut Orientem ſpectare debet, aut eum locum, qui ad hoſtium caſtra reſpicit, aut ſi iter agitur, illam partem debet attendere, ad quam eſt profecturus exercitus.* Sext. Pompeius libro 14. *Prætoria* (inquit) *porta in caſtris appellatur, qua exercitus in prælium educitur, quia initio prætores erant, qui nunc Conſules, & bellum adminiſtrabant. Quorum tabernaculum quoque dicebatur Prætorium.* De hac eadem porta & Cæſar *lib.* 3. *bell. ciuil.* ſic ſcribit: *Quos in ſtatione ad Prætoriam portam poſuerat.* Et Amm. Marcell. de eadem lib. 25. *Equitum cunei porta perrupta Prætoria, prope ipſius principis tabernaculum deuenire auſi.* Vegetius loco iam citato de porta Decumana ita verba facit: *Decumana porta, quæ appellatur, poſt Prætoriam eſt, per quam delinquentes milites educuntur ad pœnam.* Quo loco animaduertendum, verbum illud *poſt*, interpretandum *retrorſum*, ſiquidem, Decumanam portam Prætoriæ auerſam fuiſſe colligitur ex Tacito ſcribente lib Annal. 1. *Vt cuncti ruerent ad portas; quarum Decumana maxime auerſa hoſti, & fugientibus tutior.* Sic Liuius lib. 10. *Ab tergo caſtrorum Decumana porta impetus factus.* Clare autem id dignoſcitur ex iconis marmoris antiqui, cuius ſupra meminimus, inſpectione; præterquam quod Vegetius id docet *libro* 1. *capite* 23. Et Liuius *libro* 3. ſcribit: *Interim in caſtris Furius Conſul, quum primum quietus obſidionem paſſus eſſet, in incautum hoſtem Decumana porta erupit, hoc, eſt hoſti auerſa.* Et libro decimo, *Ab tergo caſtrorum Decumana porta*

*reſiſtere*

*reſiſtere conabatur.* De eadem pariter Hircius *de bello Africano.*

His non obſtantibus, nunquam plures quam quatuor portas in Rom. caſtris fuiſſe exiſtimamus, quod ex dictis & mox dicendis manifeſtum erit, tam ex marmoris antiqui delineatione, in quo caſtrorum Rom. effigies conſpicitur, à Gulielmo Choul Gallo antiquitatis peritiſſimo, lib. *de Roma. caſtrametatione* typis exarata. His vero nō ſemper eadem denominatio fuit, ſed modo vnam, modo alteram denominationem ſortitæ, præſertim prout variæ in illis, ſeu prope illas militum erant ſtationes, vel Principum virorum in exercitu imperantium tabernacula. Sic à Prætore Prætoria porta, vbi & Prętoris tabernaculum erat, ita à Quæſtore Quæſtoria, vbi & illius tabernaculum figebatur, vti ex Liuio habemus *lib.* 10. ſcribente: *Namque captum Quæſtorium; Quæſtorq; ibi, L. Opimius Panſa occiſus. Conclamatum inde ad arma, Conſul tumultu excitus, cohortes duas ſociorum, Lucanam, Sueſſanamque, quæ forte proximæ erant, tueri Prætorium iubet.* Et per initia libri quarti: *In caſtra impetu facto, iſti quum alius armatus iis nemo obuiam eſſet, in Prætorio inſtruentem atque adhortantem ſuos, oppreſſerunt.* Et paulo poſt: *Prætorio obiecto direptis quæ ibi fuerunt, ad Quæſtorium forum, Quintanamque hoſtes peruenerunt.* Ita cui milites Principes dicti aſſiſtebant, Principalis porta dicta, & ſi binis aſtitiſſent, vna dextera, ſiniſtra alia, Principales ambæ nuncupatæ. Ita pariter extraordinaria porta appellata, cui milites extraordinarii vocati, aſtitiſſent; Necnon & Decumana dicta porta, cuius tutelam Decimæ legionis milites, Decumani vocati à Suetonio *in Cæſare, cap.* 7. haberent, qui Decumani præſtantiſſimi etiam habiti, *ex Cæſaris lib.* 1. *belli Gal.* ita vt ſe cum ſola decima legione iturum, de qua non dubitaret, & cui propter virtutē confideret maxime, diceret; ita vt Decumanam portā pręcipuam inter cæteras fuiſſe in caſtris ſit exiſtimandū, dempta Prætoria quæ Princeps erat. Vel etiā ita dicta, quod patentior eſſet & magna; quemadmodum Feſtus Decumana oua, & fluctus decumanos, & ſcuta decumana quæ magna eſſent, appellari ſcripſit. In Gromatico Hygini ita ſcriptum legimus: *Porta è cohortibus decimis ita tendentibus Decimana eſt appellata.*

Statutum itaque ſit, quatuor tantum in caſtrorum ambitu fuiſſe vere portas, iuxta quatuor mundi oras, & cœli partes, Quintanam autem portam intra caſtra fuiſſe, per quam in forum venalium rerum ingrediebantur, quod ex Feſto colligimus ſcribente libro 15. *Quintana appellatur porta, in qua rerum vtenſilium venalium forum erat.* Huic ſententiæ ſuffragari videntur Liuii verba inquientis libro 41. *Prætorio deiecto, direptis quæ ibi fuere, ad Quæſtorium, forum Quintanamque hoſtes peruenerunt, ibi, quum omnium rerum paratam expoſitamque copiam & ſtratos lectos in Quæſtorio inueniſſent, Regulus accubans epulari cœpit, mox idem ceteri omnes, armorum hoſtiumque obliti faciunt, & vt quibus inſuetus liberalior victus eſſet, auidius vino ciboque corpora onerant.* Itaque Nero, quæ nocte prædabundus, è tabernis furatus eſſet, quaſi miles ipſe fortis, & conſocii egregii eſſent, veluti manubias de hoſtibus partas, porta in domo ſua quaſi in caſtris Quintana conſtituta, ad licitationem diuidenda proponebat, vt diuēditæ prædæ pretiū aſſumeretur. Portam vero Quintanam vocatam puto, quod præter quatuor in caſtrorum ambitu portas poſitas, ipſa quinta intus in forum venalium aditum præberet, vel forte quod illius curam milites quintæ Legionis haberent.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

### CAP. XXVII.

*Indicebat & familiaribus cœnas, quorum vni mellita quadragies H-S conſtiterunt, alteri pluris aliquanto ab Syrtio roſaria.*

VEre locus iſte interpretes omnes fatigauit; Nonnulli legendum putarunt *Abſyrtio* copulatiue, vt ſit ſenſus, roſas ab Abſyrtidum inſulis, (quæ à fratre Medeæ Abſyrtio ſic vocatæ ſunt) petitas, aliquanto pluries conſtitiſſe quadragies H-S, quæ lectio minime eſt recipienda, vti ex dicendis patebit. Alii legunt, *abſorptio roſaria*, Lampridii authoritate moti ſcribentis *in Heliogabalo*; illum roſatum pinearum attritione odoratius reddidiſſe; & potionis genus fuiſſe interpretantur, nec male ſane, nam maſticatum, pultiatum, roſatum,

roſatum,abſintheatum poculorum genera odorata fuiſſe ab ipſo excogitata, clare conſtat ex Lampridio loco citato ſcribente: *Et maſticatum, & pulciatum, & omnia hæc, quæ nunc luxuria retinet, primus inuenit. Nam roſatum ab aliis acceptum, pinearum etiam attritione odoratius reddidit.* Et rurſus: *Condito piſcinas & ſolia temperauit, & roſato atque abſinthiato vulgus ad bibendum inuitauit, & ipſe cum populo tantum bibit, vt in piſcina eum bibiſſe intelligeretur, viſo quod vnus bibiſſet.* Et iterum: *Momentarias de roſato & roſis piſcinas exhibuit, & bibit cum omnibus ſuis, caldaria de nardo exhibens.* Nam qui caldaria ſolia & piſcinas de balneationibus, ſeu natationibus intelligendum credidere, errauerunt, ſiquidem magna poculorum genera ſunt intelligenda; ita à ſimilitudine appellata. Sic Plinius dixit: *Decoquitur in aqua, & in piſcinas ligneas funditur.* Torrentius *Aſperſione roſaria* legendum putat, authoritate Senecæ, qui aſperſiones odorarias dixit; Addimus nos Lampridii authoritatem in Heliogabalo: *Oppreſſit in tricliniis verſatilibus paraſitos ſuos violis & floribus, ſic vt animam aliqui efflauerint.* Et iterum: *Strauit & triclinia de roſa.* Suetonius in Nerone capite 31. *Cœnationes laqueata tabulis eburneis verſatilibus, vt flores ex fiſtulis, & vnguenta deſuper ſpargerentur.* Spartianus in Ælio Vero: *Accubationes & menſas de roſis ac liliis fecit, & quidem purgatis.*

Aduerſus tamen hanc ſententiam dici poteſt, huic lectioni repugnare verba textus illa, *quadragies H S, plus conſtitiſſe,* quæ enim roſarum aſperſio excogitari poteſt tanti pretii? Quamobrem cogitabam ego legendum eſſe, *à Syria, roſaria,* ſeu *Aſſyria roſaria,* hoc eſt, vnguenta odorata è Syria Romam deuecta. Habemus enim ex Dione in Traiano, *Attyriam* Barbaris dictam, S, litera in T, mutata, quam *Aſſyriam* nos vocamus. Scriptores fere omnes in eo conueniunt, vt Syriæ & Aſſyriæ appellatione indiſtincte vtantur. Syri ſunt eiuſdem prouinciæ populi, compotationibus, ludis, celebritatibuſque dediti, perunguntur oleo pretioſ. & liniuntur vnguentis, maximam diei partem in comeſſationibus & potu abſumunt, teſtimonio Poſidonii *libro Hiſtoria.* 16. Horum æmulatione Romanus luxus ex ea prouincia vnguēta & olea

pretioſa mutuatus, quibus ſe in conuiuiis oblinirent conuiuantes. De Syriæ illecebris Am. Marcellinus *lib. 22.* ſic ſcribit, de Iuliano Aug. verba faciens: *Ibi hyemans ex ſententia, nullis interim voluptatum potiebatur illecebris, quibus abundant Syriæ omnes.* Catullus & ipſe ſcripſit:

*Fragrantem Aſſyrio venit odore domum.*

Et rurſus:

*Sertis, ac Syrio fragrans oliuo.*

Tibullus.

*Non ſoror Aſſyrios cineri, quæ dedat odores.*
*Si ſæpis Aſſyrio ſemper ſibi crinis amomo.*

Martialis.

*Splendeat.*

Horatius.

*Coronatus nitentes*
*Malobatro Syrio capillos.*

Pretioſa vero vnguenta odorata Romæ vſitata fuiſſe ex dictis patet, & clare ex Galeno ſcribente, *quarto de locis affectis, & tertio de compoſ. medic. ſec. loc.* Foliata & ſpicata vnguẽta pretioſa fuiſſe. Et *primo eiuſdem*: Vnguentum diuitum fœminarum Foliatum. Et *ſexto de ſanit. tuenda.* Diuites ſolum vti poſſe vnguentis ſpicato & foliato; Vngebatur autem caput conuiuantibus, in eum præcipue vſum, vt redolerent, delitiarumque potius cauſa, quam ſanitatis, vt alii arbitrati ſunt. Quod patet ex Cicerone ſcribente ad Atticum: *Cæſar vnctus eſt, & accubuit.* Id intemperantius factum obiicit idem Cicero in Antonium inquiens: *Non te illius vnguenti odor, non vini anhelitus in eam cognitionem adducebat.* Et libro de natura Deorum: *Vnguentorum compoſitiones & conditiones ciborum copulat.* Et ſecundo de Legibus: *Vncturam & circumpotationem iungit.* Apud Xenophontem teſtatur Socrates; Cum bellariis & corollis, quæ in ſecundis menſis veniebant, vnguenta profligatis & impudicis moribus congrua appoſita. Ita Alcæus ſibi conuiuanti in caput & pectus affundi vnguentum præcepit. Et Martialis *lib. 5. Epigram. 65.* ſcribit:

*Pingueſcat nimio madidus mihi crinis Amomo,*
*Laſſenturque roſis tempora ſutilibus.*

Et

Et Horatius lib.2.Carm.Ode 3.

*Huc vina & vnguenta.*

Et, ſi licet ſacra miſceri profanis, *Libro Sapientiæ,cap.2.* legimus: *Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus.* Valerius Maximus *lib.2.* inter Xenia in ſecundis menſis vnguenta odorata & coronas recenſet. Olei Iaſmini odorati vſum non modo in balneis, ſed in conuiuiis recenſet Dioſcorides. Plutarchus *in Othone* narrat, diſpoſuiſſe eum in triclinio,variis locis argenteos atque aureos canales,inſtar aquæ vnguenta odorata fundentes. Lampridius in Heliogabalo: *Strauit triclinia de roſa.* Vocabant autem antiqui huiuſmodi vnguenta ſeu olea odorata, *roſaria*, vel eo quod inter cætera, præcipue ex roſis, nonnulla parerentur compoſita huiuſmodi, & roſam redolerent, vel quod odoratiſſima eſſent; nam teſtimonio Plutarchi roſa Græcis ῥόδον dicta, quia odoris emittat plurimum fluxum. Id autem confirmare poſſumus ex Plinio, *libro decimotertio,capite tertio*, ſcribente de vngulis odoratis: *Iliacis temporibus non erant, nec thure ſupplicabatur, Cedri tantum & Citri ſuorum fruticum in ſacris fumo conuolutum nidorem verius,quam odorem nouerant. Iam roſa ſucco reperto nominantur.* Et rurſus: *Sed diuulgata maxime vnguenta crediderim roſa.* Itaque ſenſus verborum Suetonii erit, in cœnis à Nerone familiaribus indictis, vni Roſaria, id eſt, vnguenta, & alia ex roſis parata, odorata, inquam, à Syria conuecta, conſtitiſſe pluris aliquando quadragies H——S. Quod vero in eundem vſum odorata vnguenta aliunde Romam comportarentur, & ideo etiam carius venirent, ita vt Plinius *libro tertio, capite ſecundo*, ſcripſerit de illis, *Exceduntq; quadragenos denarios libræ*, præter ea quæ de Syria diximus, conſtat ex Spartiano *in Aelio Vero* ſcribente: *Ia.enſq; cum concubinis velamine de liliis facto ſe tegebat, vnctus odoribus Perſicis.* Plinius *lib.13.cap.1.* laudatiſſimum vnguentum Perſicum tradit, & in calce *cap.3.* Ægyptum accommodatiſſimam vnguentis. Et rurſus, *cap.1.* inquit, Alexandrum expugnatis caſtris Darii Regis, ſcrinium vnguentorum inter cætera adinueniſſe; Laudatiſſimum quoque antiquitus fuiſſe vnguentum in Delo Inſula; plura alia quoque enumerans. Et *cap.2.* Regale

Parthorum odoratum vnguentum deſcribit. Ita Plautus in Muſtel.

*Non poſſunt omnes olere vnguenta exotica.*

Qui luxus adeo aliquando olim Romæ exceſſit, vti Antiocho Rege deuicto, P. Licinius Craſſus, & Iulius Cæſar Cenſores, ne quis exotica vnguenta venderet, inhibuerint, teſtimonio Plinii, *lib.* 13. *cap.* 3. & Solini, *cap.* 48. vel ex aliorum computatione, *cap.* 58. Horum tamen vſum poſtea libidine ſceleſtorum Imperatorum reuocatum, vt loco citato Plin. conqueratur, M. Othonem monſtraſſe Neroni, vt pretioſis vnguentis veſtigia tingeret; Et C. Principem illis ſolia temperaſſe, aliosque priuatos balinearum parietes etiam vnguentis aſpergi iuſſiſſe. Et Lucium Plotium L. Planci bis Conſulis Cenſoriſve fratrem proſcriptum à triumuiris, in Salernitana latebra vnguenti odore ſummo cum dedecore proditum. Sic Veſpaſianus adoleſcentulum fragrantem vnguento, quum ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam grauiſſima increpuit; *Maluiſſem allium oboluiſſes*, literasque reuocauit. Quod teſtatum reliquit Suetonius *in illo*, *cap.* 8. quinimo & *cap.* 1. addit, luxum hunc in eum abuſum deductum, vt in honorem defunctorum traheretur.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE. Cap. XXVIII.

*Super ingenuorum proagogia, & nuptarum concubinatu, Veſtali virgini Rubriæ vim intulit.*

Tvrnebus lib. Aduerſ. 23. cap. 19. *pædagogiam*, non *proagogiam* legendum contendit, cui aſſiſtere videntur Torrentius, Sabellicus, nec etiam diſſentire Beroaldus, quamuis hic in Codice vetuſto & ſinceræ fidei, ſe legiſſe *pæderaſtiam* ſcribat. Eſt autem Græcis παιδεραστία laſciuus amor in pueros, & παιδεραστής, puerorum amator, & παιδεραστεῖν, pueros amare. Verum ſicuti hæc lectio minus videtur reiicienda, ita profecto prior minime recipienda; nemo enim adeo rudis eſt, qui in textus lectione non agnoſcat Suetonium

nium Neroni obiicere, turpem cum pueris ac libidinoſum congreſſum; at quis iure aſſerere poterit, authorem Latiniſſimum Romanæ hiſtoriæ ſcriptorem, pædagogiam in turpem ſenſum accepiſſe, cuius ſignificationis nullibi apud ſcriptores Latinos extet exemplum. Nam Plinii locus *lib.* 33.*cap.* 12. ad id probandum adductus, nihil ad rem facit, ait namque Plinius: *Argenti ad minus conuenientes vſus, ſuperfluumque luxum deductum deteſtans. Iam vero pædagogia, in tranſitum virilitatis cuſtodiantur argento.* Quibus in verbis quis obſcœnitatē ineſſe dicet? Nec minus illis fauet locus alter eiuſdē libri, *cap.* 3 vbi legitur: *Honeſtius viri, pædagogiis id damus, balineaſq́; dimis puerorum forma conuertit.* Plinius namque damnans nimium fœminarum in auri & gemmarum vſu luxum, ſubdit ea verba, in quibus profectò nullam ineſſe turpitudinem, clare dignoſcitur. Addamus, pædagogiam ex Iuriſconſultorum ſcriptis fuiſſe ſeruorum puerorum cœtum, ſic Vlpianus *in l. quæſitum eſt*, §. 16. *D. de fundo inſtruct. vel inſtrum. leg.* inquit: *Si inſtructum fundum legaſſet, pædagogiaq́; ibi haberet, vt quum eo veniſſet, præſto eſſent in triclinio, legato continentur.* Quis itaque puerorum ſeruitium in triclinio fœdum dicet? Ita & Ammianus Marcell. *lib.* 26. pædagogianos pueros appellat ſeruitia puerilis ætatis nobilibus miniſtrantia. Et de Procopio verba faciens ait, illum inductum in pædagogiani pueri ſpeciem purpureis obtectum tegminibus pedum. Et *lib.* 30. refert, pædagogianos pueros in venatione diſponi ad retinendos canes. Hinc puto apud noſtrates Principes nobiles pueros ſimiles in vſus ſeruientes, *Paggios* vocatos corrupta voce, quaſi pædagogianos diceres, qui & Gallis *Pagies* dicti, quosque à Lampridio *in Alexand.* Caſtrenſes pueros ſeu miniſtros vocatos, nonnulli arbitrati ſunt. Quod ſi Seneca *Epiſt.* 124. ſcribit: *Omnium pædagogia velata facie vehuntur, ne ſcilicet illis iter facientibus, Sol faciem fuſcaret.* Item lib. de vita beata, c. 17. *Quare pædagogium pretioſa veſte ſuccingitur.* Et rurſus de tranquillitate vitæ, cap. 1. *Perſtringit animum apparatus alicuius pædagogij.* Non tamen ex iis turpitudo vlla elicienda. Siquidem principes viros in nobilium puerorum huiuſmodi delectu, pulchriores

& venu-

& venuſtiores deligere ſolitos norunt omnes, illosque eleganter veſtibus indutos habere; quod ſi quis hinc eos obſcœnitatis arguere vellet, iure optimo reprehendendus eſſet. Plutarchus in Pompeio, *pædagogium* locum, in quo huiuſmodi pueri verſantur, nuncupauit. Ita & Seneca *lib.7.Epiſt.* epiſt. ad Suram: *Puer in pædagogio miſſus pluribus dormiebat*, quo in loco male textus nonnulli habent *pædagio*. His itaque ſic ſe habentibus, ſtatuamus, rectius cum Egnatio *in Annot.* & Aldo Manutio aduerſus Calepinum, legendum hoc in loco *proagogia*, quam lectionem & in Codice Germanico obſeruamus, quæ vox à Græco verbo προαγωγέω deriuata, productionem vel proſtitutionem ſignificat, vnde προαγωγεὺς proſtitutor dictus. Fauet huic lectioni Pædianus ſcribens, lenones dici tantum ſcortorum, productores vero etiam inuitarum perſonarum, & in quibus ſtupra exercita, legibus puniuntur. Ita verba hæc à Cicerone in Verr. diſparati annotauit Cælius Rhodig. *lib.14.cap.8.* atque apud Ariſt. *lib. Ethic.5.* προαγώγημα *productionem*, non *lenocinium*, quod fecit interpres, vertendum. Addamus Græcis προαγωγὴν *ſtuprum* & *proſtitutionem* Latinis ſignificare. Terentius in Eun.

*Pretium ſperans, illico producit & vendit.*

Et Plautus de matre proſtituente filiam dixit:

*Audientem dicto mater produxiſti filiam,*

hoc eſt, proſtituiſti. Quod ſi hæc lectio alicui omnino non arriſerit, potior eligenda, profecto Beroaldi *prodraſlia* inquam, nam *pædagogia* nullo pacto placere poteſt.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

### CAP. XXX.

***Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis argenteis mularum, canuſiantis mulionibus, armillata & phalerata cum hamaxicorum turba atq; curſorum.***

IN codice emaculatiore legi *Amaxicorum*, teſtatur Beroaldus, interpretaturque vehiculorum aurigas atque rectores, à Græco vocabulo ἅμαξα, quod eſt plauſtrum. Ita & Septen-

Septentrionale ſydus ἄμαξαν dictum, quod plauſtri figuram repræſentet. Et Iulius Capitolinus de Maximino ſcribit, quod amaxas manibus traheret, rhedam onuſtum ſolus moueret. Et Plinius Amaxobios populos, *lib 5 cap.3.* vocat, qui vitam in plauſtris degunt, quales Numidæ. Verum hæc Beroaldi expoſitio duplici ratione haud recipienda. Prima, eo quod Suetonius carrucarum tractioni mulas ſubiicit, & muliones earum rectores appellat; vnde Amaxicorum vocem ſi *rectorum* interpretemur, erit incongrua in Suetonio verboſitas notanda, quod vitium in purgatiſſimo ſcriptore minime dicendum eſt. Quod vero antiqui mulis in trahendis curribus, rhedis, carrucis, carpentiſque vterentur, vbique in ſculpturis antiquis conſpicimus, clare vero in Agrippinæ numiſmate æreo. Secunda ratio eſt, quia adiectiuum illud *phalerata* minime hominibus aptari poſſit, quales Amaxici, quum equorum phaleræ proprium ſint ornamentum, quod colligimus ex Virgil. *6. Aeneid.* ſcribente:

*Primus equum phaleris inſignem victor habebit.*

Et Suetonio in Claudio: *Craſſus frugi equo phalerato, & veſte palmata.* Amm. Marcell. *lib. 26. de Hilario Senatore* inquit: *Equo phalerato inſidens.* Et Liuius *lib. 44. de Perſeo Rege* ait: *Ipſe equos phaleraſq; & ſagula donum Principibus ferre.* Et *lib. 39.* equites victores phaleris donatos ſcribit à C. Calphurnio. Plinius *libro 37. cap. 12.* de factitiis gemmis verba faciens: *Quondamq; tantæ magnitudini fecere, vt equis Regum in Oriente frontalia, atq; pro phaleris penſilia facerent.* Gellius lib. 5. & cap. 5. *Equitatumq; frænis, ephippiis, monilibus, phaleris præfulgentem.* Iuuenal. Sat...

*—— Frangebat pocula miles,*

*Vt phaleris gauderet equus.*

Hæc tamen ratio aduerſus Beroaldum minus facere videtur; ſiquidem etſi recentiores plerique (inter quos præſertim Aldus Manutius in ſuis quæſitis) phaleras tantum equorum ornamentum fuiſſe teſtati ſint; nihilominus & hominum extitiſſe facile conuincitur, ſcribente Liuio *lib. 9.* comitia ædilitia Flauii tantum habuiſſe indignitatis, vt plerique nobilium annulos & phaleras deponerent,

rent,quod pariter affirmat Plin.*lib.3ſ.cap.1.* inquiens, olim ab ordine Equeſtri phaleras fuiſſe poſitas ex indignatione. Cicero in Verr. *Q. Rubrium phaleris & torque donaſti?* Virgil.lib.9.

*Eurialus phaleras Ramnetis, & aurea bullis*
*Cingula.———*

Et paulo poſt:

*Agnoſcunt ſpolia inter ſe,galeamq́; nitentem*
*Meſſali,& multo phaleras ſudore receptas.*

Tacitus lib.Hiſt.1. *Sed manipuli quoque, & gregarius miles viatica ſua, baltheos,phalerasq́; inſignia armorum argento decora, loco pecuniæ tradebant.* Et lib.2. eiuſdem: *Et militum phaleræ torquesq́; ſplendebant.* Et libro Annal.12. *Tunc incedentibus Regiis clientulis.phaleræ,torques,quaq́; externis bellis quæſierant, &c.* Ex quibus locis & authoritatibus ſatis patere poteſt, phaleras promiſcuum ornamenti genus, tum hominibus tum equis antiquitus fuiſſe; vnde iure Terent. *in Phorm.* mulierem phaleratam dixit, id eſt, ornatam.

At his omiſſis ad propoſitum reuerſi,dicamus,magis recipiendam Egnatii, Sabellici, & Torrentii ſententiam, qui hoc in loco *Mazacum* legendum cenſent, quos etiam ſecutus eſt Turnebus *lib.Aduerſ.24.c.6.& lib.27.c.18.& lib.30.c.3.* Verum ſicut hi in loci lectione conueniunt, ita in expoſitione valde diſcrepant. Egnatius Mazacum interpretatur Cappadociæ ſeruos, quorum ingens Romæ copia; Horum,ait,meminiſſe Horatium eo in verſu:

*Eget æris Cappadocum Rex.*

Mazacos autem dictos arbitratur ab vrbe horum Regia *Mazaca*,in medio totius Cappadociæ, ſub Argeum montem poſita, *Cæſarea* poſtea appellata, cui Magnus Baſilius fuit Antiſtes. Hanc Pomponius Lætus *in compendio Hiſt.Roman.* Cæſaream in Cappadocia poſitam in radicibus montis Argei,antea *Mazam* dictam ſcribit, ſed, vt ego puto,ſubeſt mendum in litera, nam *Mazacam* reponendum. Hoc idem confirmare contendit Torrentius authoritate Plinii,*lib.6. c.3.*& Claudiani *lib.1.*in Rufinum ſcribente:

*Volucrumq́; parens Argæus equorum.*

Et

Et Martialis lib.10. Epigram.76.

*Nec de Cappadocis eques cataſtris.*

Hos ego puto fuiſſe, quos inter Cappadoces enumerans Strabo *lib.*17. Mazacenos appellat, & per conſequens, Aſiæ populos; nam Cappadociam Aſiæ partem omnes Coſmographi ſtatuunt, vti Ptolemæus *lib.*5. Strabo & Solinus; econtra Turnebus locis citatis, Mazacas Africæ populos fuiſſe contendit, qui in comitatu Romanorum Principum olim erant, quod confirmat authoritate Martialis *lib.*10. *Epigram.*13. ſcribentis:

*Quum cathedra litius portet ſibi rheda miniſtros,*
*Et Libys in multo puluere ſudet eques.*

Addit authoritatem Nemeſiani, equos Mazacas laudantis, qui ex interiori Africa erant:

*Quemq́; coloratus Mazax deſerta per arua*
*Perduxit.————*

Et Lucanus lib.4.

*Marmatidæ volucres, æquaturusq́; ſagittas*
*Medorum, tremulum quum torſit miſſile Mazax.*

Aurelius Olympius lib.2. Cynegi:

*Quemq́; coloratus Mazax deſerta per arua*
*Pauit, & aſſiduos docuit tolerare labores.*

Mirum ſane eſt, viros præſtantiſſimos, & de re literaria optime meritos, in loci lectione concordantes, in vocis ſignificatione adeo diſſentire. Quamobrem quid in re hac ſentiendum, & nos in medium afferre decreuimus, in ſtudioſorum gratiam, quorum erit iudicium, an veritatem aſſequuti ſimus. Illud autem ante omnia præmittendum, Reges & populos Rom. amicos & ſocios, imperante Octauiano Auguſto, æmulatione quadam in ſuis quiſq; Regnis & prouinciis, in illius honorem vrbes condidiſſe, easque *Cæſareas* appellaſſe, quod teſtatus eſt Suetonius *in illo, c.*60. necnon & Euſebius *lib.*7. *Hiſt. Rom.* tradit, Auguſtum tanto amore apud Barbaros fuiſſe, vt Reges populi Rom. amici, in honorem eius conderent ciuitates, quas *Cæſareas* nominarent, ſicuti à Rege Iuba in Mauritania & in Palæſtina, quæ nunc eſt vrbs clariſſima. Amm. tamen Marcell. *lib.*14. ſcribit,

ſcribit, in Palæſtina Cæſaream in honorem Octauiani Principis ab Herode exædificatam. Sextus Aurelius Victor *in Tiberio Cæſare* ait: *Tiberius Cæſar Auguſti ſucceſſor in Imperio, Cappadocas in prouinciam redegit, remoto Archelao eorum Rege, atque, vt ſubdit Eutropius lib. 7. maximam illius ciuitatem Mazacam Cæſaream appellari iuſſit.* Ita & Euſebius *in Chronicis* ait: *Tiberius Archelao pulſo, & Cappadocia in prouinciam redacta, Mazacam Cæſaream nominauit.* Amm. Marcellinus *lib.* 20. inquit: *Apud Cæſaream Cappadociæ etiam tunc degentem inuenere Conſtantiam, Mazacam antehac nominatam, opportunam vrbem & celebrem ſub Argei montis pedibus ſitam.*

His ſic ſe habentibus, dicimus, quod quum tanta fuerit in Auguſtum populorum adulatio, vt non ſolum multis in locis illi templa ſtruerent, vt docet Tacitus *lib. Annal.* 1. & vrbes ædificarent, quod factum in Cappadocia docuimus, ita & in Africa, in eiuſdem honorem forte conſtructam vrbem, *Cæſaream* vocatam, vbi ſunt Mazaces populi nuncupati, quos Ptolemæus *lib.* 4. Africæ populos conſtituit. Hoc autem colligere poſſumus ex Amm. Marcell. ſcribente libro 29. *Exinde quum diſcurſis itineribus magnis Tipaſam noſter Dux introiret, legatis Mazicum, qui ſe conſociauerant Firmo, ſuppliciter obſecrantibus veniam, animo elato reſpondit, ſe in eos vt perfidos arma protinus commoturum. Quibus imminentis periculi metu defixis, reuertiq; iuſſis ad ſua, Cæſaream intendebant vrbem opulentam quondam & nobilem, cuius itidem originem in Africæ ſitu digeſſimus plene.* Et paulo poſt: *Agenſesq; etiam apud Cæſaream.* Et rurſus ſubdit: *Dumq; hæc aguntur, reuerterunt Gildo & Maximus, Bellen è Principibus Mazicum & Fericium gentes præfectum ducentes.* Et denique: *Ad Tingintanum Caſtellum progreſſus per Ancorarium montem Mazicas in vnum collectos inuaſit, iam tela reciprocantes volitantia grandinis ritu, & quum eſſet vtrinq; diſcurſum, agmina viris armisq; incitata, non perferentes Mazices, licet bellicoſum genus & durum, diuerſis ſtragibus implicati fœdo diffluxere terrore.* Et rurſus: *Ni gentium turbulenta concuſſio, procul Mazicum viſis auxiliis, quos anteibant Romani quidam.* Et iterum: *Exinde quum milites ducens incolumes Theodoſius ad fundum veniſſet nomine Mazucanum.* Ex quibus omnibus plane

conſtare

conſtare patet, fuiſſe in Africa Cæſaream prope populos Mazacas (ita enim legendum, non *Mazicas*, mendoſo textu Ammiani, & vbique manco & decurtato) quemadmodum & in Cappadocia Aſiæ prouincia Cæſaream aliam, prius Mazacam appellatam, hincque inter doctiſſimos viros digladiandi occaſio oblata ob vocum ſimilitudinem; facile tamen ex iam dictis conciliari poſſe.

Sed quod ad Suetonii locum illuſtrandum pertinet, dubio procul Turnebi ſententia præferenda; ſiquidem cenſendum, Suetonium loquutum de Mazacis Africæ, tum ex allegatis à Turnebo ipſo, & à nobis adductis, tum etiam ex Seneca, *Epiſt.* 87. recenſente in principum virorum comitatu Numidas ex Africa extitiſſe. Cuius equitatus præſtantiam Liuius non ſemel extollit *lib.* 21. 22. 23. *&* 25. ſed potiſſimum *lib.* 26. vbi eos fortiſſimos equitum toto Punico exercitu appellat. Et *lib.* 29. longe primum equitum genus in Africa dicit, quorum ope ſtrenue vſos Romanos *lib.* 35. tradit. At Cappadocum equitum ſemel tantum meminit *lib.* 37. miſſorum in Romanorum auxilium ab Ariatathe Rege, nullo eos encomio commendans. Imo Cappadoces infidos habitos, conſtat ex Suida ſcribente, iactatum vulgo τρία κάππα κάκιστα, ſcilicet Cretum, Cilicum, Cappadocum. Iure itaque credendum, equites Mazacas ex Africa, non Aſiaticos Cappadoces Neronem in ſui comitatu habuiſſe; hosque phaleratos, curſores vero pedites armillatos. Per curſores autem arbitror intelligendum, quos noſtris temporibus vulgo *ſtaffieri* ſeu *palafrenieri* vocamus. Circumpedes moderni Latine dicunt; nequaquam vero, (quod Calepinus in dictione *Armilla* interpretatus eſt) quos vulgo *poſtas* appellant, equeſtres ſcilicet tabellarios ſeu veredarios nuncupatos. Curſoribus autem pedeſtribus vſos priſcos Imperatores, colligimus ex Spartiano, ſcribente in Ælio Vero: *Iam illa leuiora, quod curſoribus ſuis exemplo Cupidinum alas frequenter appoſuit, eosq́; ventorum nominibus ſæpe vocitauit, Boream alium, alium Nothum, & item Aquilonem, & Circium, cæterisq́; nominibus appellans, & indefeſſe atq́; inhumaniter faciens curſitare.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

### Cap. XXXII.

*Reuocauit & præmia coronarum, quæ vnquam ſibi in certaminibus ciuitates detuliſſent.*

VRbes omnes prouinciarum pop. Rom. tributariarum atque ſubiectarum ſolebant certam auri quantitatem perſoluere, quo exercituum ducibus ſeu Imperatoribus aureæ coronæ pararentur, victoria parta, quas in triumpho geſtarent. Hoc autem aurum coronarium vocabant, de quo Gell. *lib. 5. c. 16.* inquiens: *Triumphales coronæ ſunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triũphi mittebantur*; id vulgo dicitur aurum coronarium. Hæ antiquitus laureæ fuerunt, poſt fieri ex auro cœptæ. De eodem Cicero in Piſon. *Mitto aurum coronarium, quod lex & decerni & accipi vetat, niſi decreto triumpho: quod ad quemq; peruenerit ex præda, manubiis, ex auro coronario.* Et contra Rull. *Aurum coronarium dabitur Proconſulibus vel Imperatoribus ex prouincia decedentibus, ad decorandum triumphum.* Apud Iuriſtas habemus, aurum coronarium eſſe id, quod offertur à curiarum ordinibus, vel amore proprio, vel indulgentiarum lætitia, vel rebus proſpere geſtis, *l. quæ diuerſarum, C. Theod. de aur. coron.* Hoc autem non niſi ab admonitis & ex conſuetudine præſtabatur, *dicta l. & l. ſequenti.* Hanc ſolam Iuſtinianus in C. ſui nominis tranſcribi iuſſit, quæ extat *lib 10. C. eod. tit.* Et aurum coronarium voluntatis munus voluntarium, D. Iulianus reſcripſit. Et denique aurum coronarium illud erat, quod exigebatur ad coronam vel ſtatuam principis conflandam ab iis, qui ſolebant illud pendere, *l. 1. de auro coron. lib. 10. C. tit. 74.* Seruius verò *in lib. 8. Aeneid.* ſcribit, aurum coronarium fuiſſe, quod à victis gentibus dabatur propter conceſſam vitam. At quomodocunque ſit, illud ſane manifeſtum eſt, Imperatoribus obtinentibus ſummam Imperii Romani à ſingulis ſubiectis prouinciis, id auri genus perſolui ſolitum; quod clare elicitur ex Spartiano *in Adriano*, ſcribente: *Aurum coronarium Italiæ remiſit, in prouinciis minuit, & quidem difficultatibus*

*tibus ærarij ambitioſe & diligenter expoſitis.* Ex Lampridio etiam in Alexand. tradente: *Aurum coronarium & negotiatorum Romæ remiſit.* De eodem Amm. Marcellinus *lib.*25. inquit: *Liberalitatis eius plurima ſunt teſtimonia, & veriſſima; inter quæ indicia ſunt tributorum admodum leuia, coronarium indultum, remiſſa debita multa diuturnitate congeſta, &c.* Spartianus iterum in Antonino Pio: *Aurum coronarium, quod adoptionis ſuæ cauſa oblatum fuerat, Italicis totum, prouincialibus medium reddidit.* Dabantur etiam honoris gratia coronæ aureæ Principibus Romanis à Regibus ſociis ſeu amicis in conuiuio, quod docet Tacitus *lib. Annal.*2. vbi Germanico & Agrippinæ coronas aureas magno pondere, leues Piſoni & cæteris oblatas in conuiuio à Rege Nabateorum tradidit. Vnde & aurum coronarium dici potuit, quod in huiuſmodi coronis conflandis à Regibus & prouinciis inſumebatur. Cuius rei exempla paſſim habemus apud Liuium, ſed præſertim *libro* 38. vbi ait: *Ab Aſiæ ciuitatibus ad Cn. Manlium legationes miſſas, non gratulatum modo, ſed coronas etiam aureas pro ſuis quæq; facultatibus deferentes.* Et *lib.*37. in triumpho L. Amilii Regilli: *Vnde quinquaginta coronas aureas translatas.* Et *lib.*40. in triumpho L. Manlii Acidini coronas aureas 124. traductas. His ita præmiſſis, videndum, quomodo Suetonii verba ſint interpretanda. Leuinius Torrentius exponit, Ciuitates, apud quas muſici agones edi ſolebant, *ex ipſomet Sueton. ſupra, c.*22. Citharœdorum coronas omnes ad eum mittere inſtituiſſe. Igitur Nero, ſi quæ ciuitates id facere omiſiſſent, ad id præſtandum compulit. Verum bona doctiſſimi viri venia dixerim, expoſitio ipſius haud recipienda, ſiquidẽ tanta fuit ciuitatum populi Romani ſubditorum in Neronẽ adulatio; Huius vero aſſequendi in muſices agone victoriam tanta cupiditas, vt nec illas omiſiſſe coronarum exhibitionem, nec illum recipere eas neglexiſſe ſit credendum; quod etiam colligimus ex ipſomet Suetonio ſupra ſcribente *capite* 28. Neronem coronas, quas ob victoriam muſici agonis retuliſſet, in cubili circum lectos poſuiſſe, quum easdem Romæ reuerſus triumphans reportaſſet. Et *capite* 22. tradente; inſtituiſſe ciuitates, apud quas muſici agones

edi ſolent, omnes Citharœdorum coronas ad ipſum mittere, quas adeo grate recipiebat, vt legatos, qui pertuliſſent, non modo primos admitteret, ſed etiam familiaribus epulis interponeret. Rectius ſane (vt mea fert ſententia) Beroaldus & Sabellicus locum explicant, inquientes; Non ſolum in ſacris certaminibus coronas dari ſolitas, ſed & præmia victoriæ deferri, quæ quum Nero omiſiſſet, vtpote contentus ſolo honore & coronis, pecunia deinde exhauſtus, præmia illa à ciuitatibus repetere voluit. Hanc ſententiam confirmari poſſe (addo ego) ex Suetonii dictis, *cap.* 22. à Nerone palmarum numerum, hoc eſt, præmia ampliata. Verum quum verba textus perpendo, video clare de coronarum præmiis, id eſt, de auro coronario intelligenda, non de præmio victoriarum. Quamobrem quum *reuocare* inter alia plura ſignificata præcipue *rurſus vocare* ſignificet, interpretandum puto hunc locum; Neronem reuocaſſe, id eſt, rurſus petiiſſe à ciuitatibus, quæ illi in certaminibus coronas detulerant, illarum præmium, idque egens, aliasque illicitas plures extorſiones eiuſdemque generis excogitauit. Huic expoſitioni fauet Cicero, qui hoc verbo *reuocare* in eodem ſenſu ſæpe ſæpius eſt vſus, vti *de clar. Orat. lib.* inquiens: *Ego me ad priſtina ſtudia reuocaui.* Et rurſus: *Studium Philoſophiæ nunquam intermiſſum, à primaq; adoleſcentia cultum, & ſemper auctum, hoc rurſus ſummo authore & doctore reuocaui.* Et in Tuſcul. *Retuli me ad ea ſtudia, quæ retenta animo, remiſſa temporibus, longo interuallo intermiſſa reuocaui.* Et lib. de Orat. *Meq; ad meum munus penſumq; reuocabo.* Et alibi pluries.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE. Cap. XXXIII.

*Denique buſtum eius conſepiri, niſi humili leuiq; materia neglexit.*

NOn aliorum dicta impugnandi ſtudio, ſed ne veritas lectionis periclitetur, non prætermittendum duxi, Torrentium & Beroaldum interpretes minus apposite hunc locum explicaſſe. Siquidem ille per *buſtum* intelligendum

dum putat locum, in quo crematus fuerat Claudius, quem cuſtodiæ cauſa conſepire mos erat, quod Nero pro defuncti dignitate facere neglexit. Hic vero *buſtum* interpretatus eſt rogum iam exuſtum, à Nerone minime ſepimento circumuallatum, vt decens erat; ſubdens, *lex incendium verita, rogum buſtumve nouum vetat erigi propius L X. iuxta ædes alienas, inuito domino.* Nos tamen per *buſtum* intelligendum cenſemus ſepulchrum ſeu monumentum, præſertim exſtructum eo in loco, in quo cadauer combuſtum eſt, tradente Feſto Pompeio, lib. 2. *Buſtum proprie dicitur locus, in quo mortuus eſt combuſtus & ſepultus, diciturq́; buſtum, quaſi bene vſtum. Vbi vero quis combuſtus tantummodo, alibi vero eſt ſepultus, is locus ab vrendo vſtrina vocatur, ſed modo buſtum, eo quod ſepelitur, ſepulchrum vocamus.* Hæc Feſtus. Eo autem in loco cremari ſolitos, quo & ſepelirentur nobiles Romani, elici poteſt ex Tacito, ſcribente *lib. Annal.* 2. de Germanici cadauere: *Corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochenſium; qui locus ſepulturæ deſtinabatur.* In eundem ſenſum Liuius *lib.* 5. de Gallis Romæ peſtilentia peremptis, inquit: *Iam pigritia ſingulos ſepeliendi, promiſcue aceruatos cumulos hominum vrebant, buſtorumq́; inde Gallicorum nomine, inſignem locum fecere.* Et iterum lib. 22. *Atque illo ipſo die media in vrbe, qua nunc buſta Gallica ſunt, & poſtero die citra Gabios cæcidit Gallorum legiones.* Et Suetonius in Iulio Cæſare, capite quadrageſimo octauo, *Iudæi noctibus continuis buſtum frequentarunt.* Et Propertius Eleg. 5.

*Scabris hoc buſtum cedito ſaxis.*

Sed omnium clarius Cicero in Tuſculanis: *Qui incidi iuſſit in buſto hæc habui, quæ edi.* Et in 2. Philippic. *Quum ijdem in foro buſtum facerent, qui illum inſepultum ſepulturam effecerant.* Et in Piſon. *Quorum ego funeri niſi reſtitiſſem, in Catilinæ buſto mactatus eſſem.* Et pro domo: *Vt in viri etiam ſpirantes caput buſtum, ſuis manibus imponeret; & iterum ſignum de buſto meretricis oblatum iſte dedit.* Et ad Atticum: *Quinctius ad buſtum Baſilij vulneratus & diſſpoliatus eſt.* Et de Legibus ſecundo: *Pœna eſt, ſi quis buſtum* (nam id puto appellari τύμβον) *aut monumentum violarit.* Nemini autem dubium, τύμβον Græcis, eſſe Latinis

 ſepul-

ſepulchrum; quæ vox etiam ad Latinos, Italos,& Gallos migrauit:nam *tumba* primis, *tomba* ſecundis, *tombeau* tertiis ſepulchrum dicitur. Amm.Marcellinus lib.12.*Impletiq; funerum buſtis.* Et lib.18.*Placuerat buſto vrbis ſubuerſa excipere peremptæ iuuenis manes.* Virgilius clare ſepulchra vocauit buſta 12.*Aeneid.*inquiens:

*Alitis in paruæ ſubito collecta figuram,*
*Quæ quondam in buſtis aut culminibus deſertis*
*Nocte ſedens.*

Et libro 11.

*—Fuit ingens monte ſub alto*
*Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum.*

Propertius lib.3 Eleg.14.

*Afferet huc vnguenta mihi.ſentiq; ſepulchrum*
*Ornabit cuſtos ad mea buſta ſedens.*

Et Silius Satyr.6.

*Dum cineri titulum,memorandaq; nomina buſtis*
*Prætendit.*

Et Satyricus Poeta:

*Portandum ad buſta cadauer.*

Et in legibus 12.tabularum extat lex ex Solone: *Heroum buſtum ne vſucapito*, in eodem ſenſu, quo Imperator Iulianus lege pergit Senatuſconſulto *de ſepul.viol.* Suetonius ipſe infra,cap.58.*Ad monumentorum buſtorumq; monumenta plebe compulſa.* Et cap.50. *In eo monumento ſolium porphyretici marmoris ſuperſtante Lunenſi ara,circumſeptum eſt lapide Thaſio.*Ex quibus ſatis conſtare puto, verba Suetonii intelligenda de ſepulchro Claudii, quod Nero conſtrui non niſi humili materia neglexit, buſtumque hoc in loco interpretandum ſepulchrum ſeu monumentum. Vnde à buſto,gladiatores buſtuarios dictos, qui ante mortuorum ſepulchra pugnabant & digladiabātur. Ita & mulieres buſtuarias τυμβάδας nominat Heſychius, quæ in mortuorum monumentis verſentur.Sic Martialis *lib.3.Epigram.*51.ſcripſit:

*Admittat inter buſtuarias mœchas,*

hoc eſt,*ſcorta* vulgaria & vilia, quæ inter buſta & monumenta proſtituantur, de quibus rurſus *lib.1.Epigr.*91.dixit:

*Abſcon-*

*Abſcondunt ſpurcas & monumenta lupas.*

Sic Amm. Marcellinus libro 28. Leonem notarium *buſtuarium latronem* appellat, quaſi diceret, etiam ex ſepulchris furta abſtrahens.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

### CAP. XXXIV.

*Veneno aggreſſus eſt, quod acceptum à quadam Locuſta venenariorum indice, quum opinione tardius cederet, ventre modo Britannici moto, accerſitam mulierem ſua manu verberauit, arguens pro veneno remedium dediſſe: excuſantiq; minus datum, ad occultandam facinoris inuidiam, ſane (inquit) legem Iuliam timeo.*

VEnenarii dicti Iuriſconſultis & aliis, qui venena miſcét, *l.29.§.venenarij. D.de pœn.* & Tertullian. in Apolog. cap.43. *Si qui forte fere de ſterilitate Chriſtianorum, cumq; poſſunt, primi erunt lenones, productores, aquarioli, tum ſicarij, venenarij, magi.* Idem in libro de pudicitia: *Vt Tragœdias omittam, ſicut hodie venenarij ſciunt magi.* Vtitur & hoc verbo in eodem ſignificatu Iulius Firmicus *lib.6.cap.*19. quod pluribus authoritatibus confirmamus, quod in huius verbi expoſitione lapſus ſit Baptiſta Pius *in poſt.annot.* Sed quod ad rem noſtram ſpectat, alias credebam mendum ineſſe in textu, & non *venenariorum*, ſed *venenorum* legendum eſſe; non videbam enim, quo pacto Suetonius vocaſſet venenariorum indicem Locuſtam, quum ipſa venenaria excellentiſſima, hoc eſt, venenorum confectrix & miniſtra eſſet; nec opus Neroni mortem Britannico veneno molienti, alio venenario, quam Locuſta, cuius opera antea Agrippina ipſius mater in necando Claudio Imperatore, ex voto vſa erat; ita vt Tacitus *in calce libri Annal.*12. eam venenorum artificem vocet, ob idque diu inter inſtrumenta regni habitam ſcribat; & de eadem Iuuenalis Sat.1. dixerit:

*Inſtituitq; rudes, melior Locuſta propinquas;*
*Per famam & populum nigros efferre maritos.*

Verum quum perpenderem, Tacitum loco citato ſcribentem, Locuſtam nuper veneficii damnatam, in eam veniebam ſententiam, illam à Suetonio venenariorum indicem appellatam, eo quod, quum de ea iudicium haberetur, alios criminis conſocios venenarios indicaſſet ſeu detuliſſet. Index enim ab indicando dictus, vt Pædianus docet, & ita nuncupatus, qui crimen aliquod indicaſſet vel detuliſſet, quo in ſenſu ſæpiſſime vſi Liuius, Cicero, Salluſtius, & Suetonius ipſe; ſic *indicaſſe*, eſt detuliſſe, arguiſſe, accuſaſſe, Vlpiano etiam teſte, *l.* 197. *D. de verbor. ſignificat.* hanc interpretationem & Torrentius recepit. Poſſumus etiam exponere, Locuſtam venenariorum indicem, ſcilicet magiſtram; nam ſæuiſſimum Neronem non ſolum illam in aula habere veneficam excellentiſſimam voluiſſe cenſendum, ob artis ſcilicet præſtantiam, ſed & eandem diſcipulos habere, quos doceret, vt in venenarios præſtantes euaderent, ne ſcilicet ea defuncta, Nero crudeliſſimus veneficii miniſterio deſtitueretur.

Sed quod interpretes hoc in loco vnanimi conſenſu tradunt, non minorem difficultatem facit, interpretantur enim legem Iuliam, legem de veneno. Namque quum plures fuerint leges Iuliæ, vt alias fuſe annotauimus, nullam tamen Iuliam de veneno authores antiqui vel recentiores enumerant. Latam certe primum legem de veneno, C. Valerio Flacco, M. Claudio Marcello Coſſ. Liuius teſtatur *libro* 8. ſecundam à L. Sylla Dictatore, ex Cicerone *in oratione pro Cluentio*, obſeruamus. Apud Iuriſconſultos veneficia ad legem Corneliam *de ſicariis* pertinere legimus, §. *item lex Cornel. de publ. iud. l.* 1. *ad leg. Corn. de ſicar.* Marcellus C. 5. legis Cornel. *de ſicariis & veneficiis*, teneri tradit, qui malum venenum necandi hominis cauſa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit. Succurrit etiam, legis Pompeiæ de parricidiis reum dictum, qui venenum emit, vt patri daret, etiamſi non potuerit dare, *l* 1. §. *fin. ad legem Pompeiam de parr.* Nullibi itaque legem Iuliam de venenis obſeruamus; quamobrem alia certe interpretatio verborum Suetonii perquirenda; quam huiuſmodi eſſe genuinam arbitror. Nero vt ſummus

Impe-

Imperator, ſe legibus ſolutum exiſtimans, inquit, ſane legem Iuliam timeo, non quidem veneni cauſa, ſed legem Iuliam maieſtatis, inter cuius plura capita illud enumeratur, quo quis opera, conſilio, vel dolo malo, magiſtratum Pop. Rom. vel Imperium, poteſtatemve habentem aliquem occiderit, &c. Quum itaque Britannicus, C. Imp. filius, & Neronis Imperatoris frater, & ad quem etiam legitima Imperii ſucceſſio ſpectabat, eſſet; illius necem conſulens & procurans, legis Iuliæ Maieſtatis pœna tenebatur, à qua ſe exolutum Nero cenſebat, tanquam legem legibus dans, ideoque tyrannice inquit: *Sane legem Iuliam timeo*, Maieſtatis inquam ab Octauio Auguſto latam.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE. Cap. XXXIX.

*Acceſſerunt tantis à Principe malis probriſque quædam & fortuita; peſtilentia vnius Autumni, qua XXX. funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.*

EX hoc Suetonii loco argumentatur Torrentius, in Libitinæ ratione adnotari ſolita morientium nomina, ſicuti naſcentium in Faſtis, actiſque publicis, vti *in Tib. c.* 5. idem author docuit. Rectius, vt mea fert ſententia, Beroaldus inquiens, Deæ Libitinæ templi miniſtros retuliſſe in rationes, ſe locauiſſe apparatum exequiarum ad 30. millia vno Autumno; Namq; ſicuti Torrentii opinio ſolum coniecturæ innititur, ita Beroaldi expoſitio multis ſcriptorum teſtimoniis confirmari poteſt, quod nos comprobare ſatagemus. Clarum eſt in Æde Libitinæ, quæ ad funus & ſepulturam pertinebant, condi & locari conſueuiſſe, cuiuſque muneris plures erant miniſtri, *Libitinarii* omnes dicti, licet officio inter ſe diſcrepantes; Sicuti deſignatores appellat, qui conſtituendæ funebri pompæ præerant, vnicuiq; incedendi locum ordinemque præſcribentes, quorum meminit Cic. *ad Atticum lib.* 4. Græci *βραβευτάς* dixere. Et Horat. lib. 1. Epiſt. 2.

——*Dum ficus prima, calorque*

*Deſignatorem decorat lictoribus atris.*

Et Vlpianus *in l. Athletas*, vbi Budæus annotat, deſignatores olim fuiſſe, qui hodie Magiſtri ceremoniarum vocantur. Ex Libitinari familia erant & Pollinctores, qui mortuos lauabant, vngebant, & curabant. Græcis νεκροφόροι dicti. Plautus in Aſinaria:

*Ecquis currit pollinctorem accerſere.*

Et in Pœnulo:

*Mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.*

Apuleius: *Pollinctor eius funeri dum vnctionem parat.* Et in ſacris paginis Ezech. 39. c. *Vt ſepeliant eum pollinctores.* Horum quoque meminit Vlp. *l. 5. §. 1. D. de inſtit. act.* Et Tertul. *in lib. aduerſus Gnoſticos.* Martialis *lib. 10. Epigr. 95.* & Iulius Firmicus *lib. 2. cap. 5.* Inter Libitinarios quoq; numerabantur Præficæ, quæ mercede conducebantur in funeribus vt flerent, & fortia facta defuncti laudarent, ex Nonnio Marcello & Varrone *lib. 4. de vita Pop. Rom.* Lucillo *lib. 22.* Feſto Pomp. qui citat Næuium Poetam, ex Donato *lib. 6.* Ænei. ad eum locum:

*Et ferales ante cupreſſum.*

Et 9. eiuſdem in illud:

*Hæc te funera mater.*

Hæ Græcis vocatæ θρηνοῦσαι. In eadem familia connumerandi Veſpillones, viles ſcilicet cadauerum funeratores, qui ea afferebant, vnde Martialis lib. 2.

*Qui fuerat Medicus, nunc eſt veſpillo Biaulus.*

Cæſar lib. 4. belli ciuil. *Erat tunc Orici Lucretius veſpillo.* Clarius ex Suetonio, *in Domitiano, cap. 17.* ſcribente: *Cadauer eius populari Sandapila per veſpillones exportatum.* Vocati autem & hi *ſandapilarii* à ſandapila, hoc eſt, humili feretro, de quo item Martialis lib. 8.

*Grandis in anguſta ſarcina ſandapila.*

Vnde Sydonius Apollinaris *lib. 1. Epiſt.* iure veſpillones & ſandapilarios coniungit. Hos Buſtiarios vocauit Am. Marcellinus lib. 29 inquiens: *Infauſtam Buſtuarii Libitinam, ad vſque ſepulchrum incedentes pedibus, quoſdam etiam complicatis articulis praire mandauit.* In horum quoque ſerie reponendi, qui poſtremis temporibus in vrbe Conſtantinopoli humandorum

rum cadauerum curam habebant, *ex l.4.& 9. C. de ſacroſ.eccl. & ex Nouell.59.* & ab Epiphanio *circa finem lib.3.ſiue Tomi ſeptimi, contra hæreſes*, definiuntur. In eorundem albo deſcribendi *Choraules monumentarii*, id eſt, tibicines ad defunctorum ſepulchra canentes, quos & ſiticinas vocarunt, teſte Gellio *lib. 20.c. 2.* Vt interim omittam, quod Budæus *in annot. in Pand.* Codonophoros, hoc eſt, tintinnabula geſtantes, & anteambulones atratos ſeu ferales præcones vocat. Quum itaq; tot eſſent Libitinæ ædis miniſtri, quorum opera funerandis neceſſaria erant & mercede paciſcenda, iure optimo, quicquid in ſingulo funere ea de cauſa exigebatur, in rationibus referebatur, & deſcribebatur, vnde facile funerum & defunctorum numerus colligi poterat. Hinc legimus apud Liuium *lib. 40.* tantam in vrbe fuiſſe peſtilentiam, vt Libitina tunc vix ſufficeret. Et lib.41. *Nec liberorum quidem funeribus Libitina ſufficiebat.* Quod vero in æde Libitinæ, vt diximus, ea, quæ humandis corporibus vſui eſſent, locarentur, aut venderentur, habemus ex Plutarcho *Probl.22.* & Seneca *lib. 6. de Benef.* ſcribente: *An tu Aruncium & Aterium & cæteros, qui captandorum teſtamentorum artem profeſſi ſunt, non putas eadem habere quæ deſignatores & Libitinarios vota; illi quorum mortem optent neſciunt, hi familiariſſimum quemq; mori cupiunt.* Et Valerius Maximus lib.5. ſcribit: *Marco Prætore, Hircii & Panſæ funus locante, qui tunc Libitinam exercebant, tum rerum ſuarum vſum, tum miniſterium ſuum gratuitum, ſolliciti ſunt, queſtumq; contempſerunt.* Apud Horat. *lib. 3. Carm.* qui ſibi immortalitatem vendicant, Libitinam vitare dicuntur, quum inquit:

*Non omnis moriar, magnaq; pars mei*
*Vitabit Libitinam.*

Ex his omnibus crediderim Suetonii dicta clarum lumen recipere.

Nec illud obiter prætermittendum, Alexandrum ab Alexandro *lib.4.cap.16.* & Cœlium Rhodiginum *lib.29.c.18.* & Beroaldum hoc in loco, & recentiores alios, deceptos, inter portas Romę Libitinenſem reponentes, per quam ſolita efferri cadauera credidere, nã lege aliũt vetitũ ſepeliri in vrbe, niſi perpaucos, quibus id ſummi honoris gratia dabatur, *ex*

*Cicerone in orat. pro Flacco, & Polybio in libro 8. Hiſt.* quod & nos fuſius alibi demonſtrabimus. Verum quum frequentia ſepulchra & paſſim in agro Romano omni ex parte eſſent, mortuos extra quamlibet portam elatos non eſt dubitandum. Erat autem porta Libitinenſis, non Vrbis, ſed Amphitheatri, per quam interfecti gladiatores extra ferebantur, quod elicimus ex Lampridio *in Commodo* ſcribente: *Ipſe autem prodigium non leue ſibi fecit. Nam quum in gladiatoris occiſi vulnus manum miſiſſet, ad caput ſibi deterſit, & contra conſuetudinem penulatos iuſſit ſpectatores, non togatos ad munus conuenire, quod funeribus ſolebat, ipſe in pullis veſtimentis præſidens Galea eius bis per portam Libitinenſem elata eſt.* Eadem fere ex Dione, qui tamen portæ Libitinenſis non meminit, ſed ait: *Galea eius allata fuit ad portas, per quas efferri mortui ſolent,* quæ profecto de Amphitheatri portis intelligenda, ſiquidem de Commodo digladiaturo verba facit.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE.

## CAP. XLIV.

*Exegitque ingenti faſtidio & acerbitate nummum aſperum, argentum poſtulatum, aurum Obryzum, vt plerique omnem collationem palam recuſarent.*

NVmmus aſper à veteribus dicebatur, recens, nouus, beneque percuſſus, id eſt, non lenis, quales ſunt qui vſu ſunt attriti, ſed qui formam habent bene expreſſam, & notas claras, miniméque tactum fugientes; ſic enim loquitur Seneca *lib. 2. epiſt. 19. ad Lucillum*, vbi legimus: *Nec voles quod debeo, niſi in aſpero & probo, accipere. Integritatem attactu ipſo percipimus, ſi aſper ſit.* ſic Virg. 5. Æneid.

*Bina dabo argento cœlata, atque aſperſa ſignis*
*Pocula*———

Et Iuuenal. Saty. 14.

*Vaſa aſpera tergeat alter.*

Et Perſius Saty. 3.

*Quis modus argento, quid fas optare, quid aſper*
*Vtile nummus habet?*

Hinc

Hinc forte apud Turcas, quos nummis recenter cuſis oble-ctari adeo manifeſtum eſt, vt nullam ad eos pecuniam, niſi nouam, tranſportare mercatores didicerint, argenteum nummum minimum *Aſprum* vocari obſeruamus. Aſprum enim pro Aſpero dici ſynæreſi ſcimus. Ita Virg.1.Æneid.

*Improuiſum aſpris preſſit qui ſentibus anguem.*

Qua in re hallucinatum F.H.*lib.de re nummaria* exiſtimamus, nummos aſperos interpretatum illos,quos & ſerratos dicebant; nam longe alios fuiſſe aſperos, pluribus coniecturis coniicimus à ſerratis, de quibus nos fuſius alibi. Non ſolum autem exegit Nero nummos nouos, ſed ex argento puſtulato,& auro Obryzo fabrefactos,id eſt,ex optima materia.Puſtulatum vocabant antiqui puriſſimum argentum, eo quod multiplici excoctione, vi ignis, in eo velut puſtulas excitari experimento compertum ſit. Hoc alii *puſulatum* vocandum contendunt, non puſtulatum; Ita legendum apud Alphenum in l.nauim, trigeſimaprima, D.loca. *Veluti quum argentum puſulatum fabro daretur, vt vaſa fierent*, quum prius legeretur mendoſe *puſilatum*.Qua in re parum laborandum,quum puſtula & puſula, idem ſignificent. Ita apud Columellam *lib.7.c.5.* puſula vocatur Sacer ignis, qui puſtulas excitat,& puſuloſæ oues, quæ eo morbo laborant, ab eodem ibidem vocantur. Ita & puſtulum puſulum dixit Feſtus in verbo *Netam*. Legendum tamen hoc loco Suetonii *puſtulatum* non dubito,ex Martiali *lib.7.*ſcribente:

*Sed cauſam ſcio. Nulla venit à me*
*Argenti tibi libra puſtulati.*

Grauius mehercle errant, qui apud Alphenum legunt *paſtillatum*,vt intelligamus, aurifici datum informe argentum, & in maſſam, veluti in paſtillos redactum; Ita enim Feſtus Pompeius dicit, maſſam cuiuſcunque materiæ in formam panis parui redactam *paſtillum* vocari. De quibus frequens apud medicos fit mentio. Et apud Plinium *lib.33.c.6.* Vnde Horat.1.Serm.Saty.2.

*Paſtillos Ruffillus olet.*

Nec minus delinquunt qui poſtulatum legendum cenſent à poſtulando, Iuuenalis authoritate freti, ſcribentis:

*Accip-*

*Accipe victori populus qui poſtulat aurum.*

Quæ interpretatio tanquam inſulſa nemini propemodum probatur. Hoc vno omnes conſentiunt, hoc loco intelligẽdum de argento puro, & ab omni ſorde & ſocietate alterius metalli repurgato, quod Cineraceum vocari à nonnullis teſtatur Budæus *lib. 3. de Aſſe*, & in Annot. in Pandect. à Germanis promercale afferri, & *Cindreas* appellari tradit. Et Hiſpanis *Acendrado* dici docet Didacus *libello de collatione numiſmatum*, c. 3. Hoc ipſum argentum Aulus Gellius *lib. 6. c. 5.* argentum purum putum vocari inquit, id eſt, puriſſimum, atque expurgatiſſimum, taleque in fœdere, quod inter P.R. & Carthaginenſes factum fuit, dandum à Carthaginenſibus Romanis ſtatutum. Cur vero vocatum fuerit purum, apertum eſt, cur putum, non ita. Ideo audiendi quid de hac re ſcripſerint antiquiores. Varro *de lingua Latina* inquit: *Diſputatio & computatio à putando dictæ, quod valet putum facere, ideo antiqui purum putum dixere. Et putatorem, qui arbores puros facit.* Et Feſtus Pompeius refert, quod antiqui putum pro puro dicebant, vnde *putatæ vites*, quod deciſis ſuperfluis impedimentis expurgatæ remanerent. Et Nonnius Marcellus in libro de proprieta. ſerm. *Putus* (ait) *à putando dictus. Hinc putare arbores appellantur.* Et Gellius *libro 6. cap. 5.* ſcribit: *Putare veteres dixerunt vacantia ex quaque re, ac non neceſſaria, aut etiam obſtantia & aliena auferre, & excidere, & quod eſt vtile ac ſine vitio videretur, relinquere.* Ex quibus palam fit, cur argentum putum putum veteres dixerint, id eſt defœcatum & expurgatum, purumque ad naturalem puritatem, quantum fieri poteſt, redactum. Ita & Cicero *ad Atticum* 2. Orationem putatiſſimam, id eſt, expurgatiſſimam vocauit. Et Plautus *in Pſeudolo* ad hominem tranſtulit, inquiens:

*Polymachero Placides purus putus eſt, ipſas noui,*

Quaſi dicat, ipſe omnino eſt purus. Et rurſus in eadem:

*Purus putus ſycophanta eſt,*

Hoc eſt, merus ſycophanta. De argento vero puro puto meminit Liuius *per initia libri ſecundi, de bello Macedonico*, tradens Carthaginenſes eo anno argentum in ſtipendium impoſitum primum Romam aduexiſſe, id, quia probum non eſt,

Quæſto-

Quæſtores nuntiauerant, experientibuſque pars quarta decocta erat, pecunia Romæ mutuo ſumpta intertrimentum argenti ſuppleuiſſe. De argento autem puro puto nō ſolum in fœdere Carthaginenſium fit mentio, ſed & alibi apud alios, puta in Q. Ennii Tragœdia, quæ inſcribitur *Alexander*, & in Saty. M. Varronis, quæ inſcripta eſt: *δὶς παῖδες οἱ γέροντες*, id eſt, *bis pueri ſenes*, & Iuuen. Saty. 10.

*Pauca licet portes argenti vaſcula puti.*

De re hac plura habere poterit curioſus Lector apud Alciatum *libro ſexto Parerg. capite quarto*, C. M. *in tract. de contract. q.* 100. *numero* 785. & Stephanum Furcatulum *in Necromantia iuris, Dialogo* 6. Quid autem ſit aurum obryzum, poſtremo hoc in loco declarandum. In quo omnes concordes ſunt, intelligēdum eſſe aurum expurgatiſſimum & ſynceriſſimum. Vnde merito Hermolaus Barbarus enartās locum Plinii *lib.* 33. *c.* 3. ſcribit ex Phocionis ſententia dictum quaſi *ἄζευζον*, id eſt, purum & merum ac puriſſime excoctum, eo quod ſæpe igne coctum ita purum ac ſyncerum remaneat, vt amplius in coctione non minuatur. De eodem Plinius *lib.* 33. *c.* 3. inquit: *Aurique experimento ignis eſt, vt ſimili colore rubeat quo ignis, atque ipſum obryzum vocant.* Alii ophiritium aut ophirizum dictum putant, ex authoritate Sancti Hieronymi, eo quod ab Ophir Inſula laudatiſſimum aurum adueheretur, qua in re certe decipiuntur; Nam nullibi D. Hieronymus hoc dixit, ſed duntaxat ſic ſcribit *in Commentariis in Hieremiam lib.* 2. *cap.* 10. ſuper illa verba: *Aurum de Ophen, opus artificis, & manus ærarii ſeptem nominibus apud Hebræos appellatur, quorum vno Ophaz dicitur, quod nos dicere poſſumus obryzum.* De auro obryzo non ſemel fit mentio in ſacris paginis; nam *lib.* 2. *Paralip.* 6. 3. ſcriptum eſt: *Domum quoque maiorem texit tabulis ligneis abiegnis, & laminas auri obryzi affixit per totum.* Et paulo ſuperius ibidem dixerat, *& deaurauit eam intrinſecus auro mundiſſimō.* Et in Iob cap. 28. *Non dabitur aurum obryzum pro ea.* Et in Eſaia capite decimotertio: *Precioſior erit vir auro, & homo mundo obryzo.* Et in Daniele capite decimo: *Renes eius accincti auro obryzo*, vbi Hieronymus ex Aquila interpretatur, *aurum Ophaz.* Quibus in locis omnibus ſignificari aurum

Digitized by Google

aurum mundiſſimum & ſummæ puritatis non eſt qui ambigat. Capitolinus *in Pertinace* elutum aurum vocauit, vbi de vaſis Commodianis auro eluto compoſitis verba facit. Beroaldus hoc loco adnotauit, ex Fortunato interprete Eccleſiaſticarum dictionum, aurum Ophir dici Hebraice; quod eſt valde precioſum, quod Latini Obryzum dicunt. Iſidorus *libro 6.Etymologiarum,c.*17.ait,Obryzum dici aurum, eo quod obradiat ſplendore,&quod coloris ſit optimi.Qua in re cum Plinio concordare videtur.Auri quoque & nummi obryzati meminit Agathius Hiſtoricus. Ad hoc quoque illud ſpectat quod legitur in l.5.C.de ſuſceptor.l.2.de metallar. *Itaque quum libra balluca qua modo ex aurifodina effoſſa eſt, quatuordecim ſit vnciarum, obryza duodecim duntaxat eſt.* Et Imper.l.vltima, C. tit.de ponder. habet. *Diu multumque flamma edacis examine in ea obryza detinetur.* Obryzam autem putamus iis locis dici examẽ illud quod bonitatis auri fit in igne ab artificibus,ita vt expurgetur ab aliena permixtione quantum arte fieri poteſt; quod aurum Copellatum, ſeu de *Copella* vulgo dicunt. Et ita quoque intelligendum dictum Iuſtiniani in libro Edict. c.11.*Nec monetarii quicquam Obryza nomine capiant*, id eſt, vt ego interpretor, in auri probatione. Latini elegantiores *obruſſam* dixere, vti Seneca *Epiſt.* 13. Aduerſitates tanquam animi obruſſam vocauit. Ita Cicero *in Bruto*, dum ait: *Expurgandus eſt ſermo, & adhibenda quam obruſſa ratio, qua mutari nõ poteſt.* Id ſane olfecit doctiſſimus Alciat.*lib.5. Parerg.c.9.* dum *obruſſum* interpretatur, id eſt, ſummam bonitatem. Et hinc deductum prouerbium, *Ad obruſſam*, id eſt, ad ſummam bonitatem & perfectionem. At certe, non plene rem aperuit, qua in re etiam caſtiganda P.Victorii ſententia in ſuis annotationibus, dum mendum in Ciceroniano & in Seneca textu eſſe exiſtimat. Obryzati ſolidi, id eſt, ex auro excocto & puriſſimo conflati, obſeruantur *in l.vltima. C.de vet.numiſm.poteſt. l.2. C. vt nemini liceat in coempt.* qui & Obryziaci dicuntur *in l.1.C.de oblat.vol.*

Aurum vero ad ſummam & exactam puritatem, arte vlla reduci minime poſſe, ex teſtimonio peritorum, quos Chryſurgicos vocat Budæus *lib.3. de Aſſe*, comprobat. Quod ſecus

fieri

fieri ait in argento, quod ad omnimodam, & exactam puritatem reddi poſſe teſtantur iidem periti. Expurgatiſſimum autem aurum viginti quinque caractorum vocatur, ſolumque deficit vnius caracti ſextadecima pars; nempe totius maſſæ, id eſt, in libra ſeu marcho portio tricenteſima octuageſima quarta. Ex his cogitabam ego, locum Liuii *lib.*27. interpretari poſſe, quum ait: *Catera expeditentibus quæ ad bellum opus erant Conſulibus, aurum viceſimarium, quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruaretur, promi placuit, prompta ad quatuor millia pondo auri.* Et intelligendum pro auro viceſimario, id eſt, ſummæ bonitatis elaboratum, vſuali inquam in vaſa, quod & vaſcularium dicunt, quod vicenarium aurifices eſſe confirmant. Ita Plinius loco toties citato ſcrupulum auri valere vicenis ſeſtertiis dixit. Ex ſyncero enim auro ob ſui mollitiem vaſa non fabricantur commode, quia inutilia eſſent, & facile in attrectatione comprimerentur, & in vſu corrumperentur. Et ita aurum viceſimarium in vaſa elaboratum in ſanctione ærario reſeruatum crediderim, non depromendum, niſi in maximis neceſſitatibus. Et me mouet quod nullam aliam haberi poſſe video rationem, cur potius ita ſeruaretur aurum ex viceſimæ vectigali exactum, quam ex alio prouentu vel reddito Pop. Romani, quod obiter ſit dictum. Scimus enim & nos aliter interpretatos locũ hunc in expoſitione cap. 49. Auguſti ſupra. Libet & addere, aurum coronarium, teſte Gellio *lib.5.cap.6.* dictum antiquis, ex quo triumphales coronæ aureæ fiebant, quæ Imperatoribus mittebantur in honorem triumphi. Et *in l.1.de auro coronа.libro decimo, C. tit.*74. habemus, aurum coronarium illud fuiſſe, quod exigebatur ad coronam, vel ſtatuam Principis conflandam, ab illis qui ſoliti erant illud pendere. Seruius *in* 8. *Æneid.* ait, Coronarium aurum fuiſſe, quod à victis gentibus dabatur propter conceſſam vitam. Lampridius *in Alex.* huius meminit. Et Plinius *lib.*40. ait, Q. Fuluium Flaccum in triumpho Hiſpanico coronas cẽtum viginti quatuor habuiſſe. Vopiſc. in Probo: *Coronas quas mihi obtulere omnes Galliæ ciuitates aureas, veſtræ P.C. clementiæ dedicaui.* Am. Marcel, *lib.*25. inter multas liberalitates Iuliani Aug. enumerat corona-

rium indultum. De qua re nos alibi plura. Sicuti & aurum Toloſanum dictum, eo quod oppidum Toloſanum in Gallia Q. Cæpio Conſul diripuiſſet, multumq; auri in eius templi oppidis fuiſſet, quiſquis ex ea direptione aurum attigit, miſero exitu periit; quod idem author teſtatur *lib. 5. c. 9.* & Cic. *lib. 3 de Nat. Deorum*, & Trogus *lib. 32.*

Aurum luſtrale dicebatur, quod quarto quoq; anno pendebatur, quod (vt ait Zonaras) onus negotiatorum & mercatorum erat, & ob id etiam negotiatorium appellatur à Lampridio *in Alexandro*. Huius etiam fit mentio, *C. de luſtralis auro collatione*, vbi ſunt duæ tantum leges Græcæ, à quibus χρυσαργύριον vocatur. Alii, & forte mea ſententia melius dixere, aurum luſtrale dictum, quod in fine cuiuſque quinquennii ſeu luſtris ſingulis tributum aliquod certum prębebatur à Prouinciis P. R. ſubiectis. Sic legimus in ſacris paginis, *Ioſue cap. 6.* quod Hebræi aurum, argentum, vaſa ænea, ferrumque in ærarium Domini mittebant conſecrata pro militia. Et in Legibus Iudæorum *l. 16 de Iudæis lib. 1. Cod. tit. 12.* legimus, à Iudæis & primatibus Paleſtinæ, qui ante ob ius Synedrii ſeu Sanhedrin, id eſt, Concilii vel congregationis ſuæ, aurum ſolitum præſtari Patriarchis occidentalibus, donec in ſuum theſaurum tranſtulerunt Theodoſius & Valentianus. Huiuſmodi autem aurum fuiſſe exiſtimo, quamuis aliter ſenſiſſe videatur Cœlius Rhodig. *lib. 5. cap. 9.* ſcribens: *Quoniam vero quæri poſſe ſcio, cuiuſmodi aurum ſit, quod in hiſtoria quandoque celebratum nouimus, Iudaicum nuncupatum, non grauabimur hoc obiter explicuiſſe. Erat autem quod Iudæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus prouinciis Hieroſolymam exportari ſoleret.*

Aurum glebale obſeruamus *in l. 2. C. de Prætor. & honor. præt. lib. 12. Codicis*, & erat quod pro poſſeſſionibus pendebatur. Ex aduerſo fuit aurum oblatitium, quod nō canonis vel indictionis cauſa, ſed oblationis genere quodā à Senatorib. pendebatur: quod ex Symachi & Syneſii epiſtolis didicimus.

Fuit & auri genus, quod à Lampridio *in Alexand. o Seuero*, vocatur *Electrum*, ſcribens ita: *Alexandri habitu nummos plurimos figurauit, & quidem electros aliquantos, ſed plurimos aureos.*

Vocatum

Vocatum autem fuit electrum aurum iſtud, eo quod vt Plinius docet *lib. 33. cap.* 4. in eo auro quinta argenti portio inesset, quod modo naturale eſſe, modo cura efficiatur, & ſi quintam argenti portionem excedat, incudibus non reſiſtere tradit. Ex miſcella enim argenti, auri fuluus color aliquãtulum palleſcit, & colorem adipiſcitur, qualem in ambra, quod electrum etiam vocatum obſeruatum, cuius gummi, electri inquam maxima copia in Septentrionalibus reperitur partibus, & ad nos in varias ſpecies animalium aliarumque rerum etiam efformatum, & in fruſta etiam ingentia afferri non ſemel vidimus, in quibus, muſcæ, apes, & lacertulæ, aliaque ſimilia animalcula continebantur interclusa; De qua re Plinius paſſim.

## C. SVET. TRANQVIL. IN NERONE. CAP. XLV.

*Statuæ eius à vertice currus appoſitus eſt, cum inſcriptione Græca; Nunc demum agona eſſe, & traheret tandem. Alterius collo, & aſcopera delegata, ſimulque titulus, Ego quid potui? Sed tu culeum meruiſti.*

EXiſtimat Turnebus *lib.* 24. *Aduerſ. c.* 6. legendum non *currus*, ſed *cirus*, nõ *traheret*, ſed *raderet*, quod ex fidiſſimis libris ſe habere affirmat; Ita vt ſenſus ſit, quod non deberet in tanto ſui diſcrimine cirratus, aut cincinnatus eſſe, ſed cirros radere. Hanc lectionem non recipit Torrentius, quid enim ait agoni cum cirro? cui & ego aſſentior, addens, cur ſtatuæ Neronis cirrus appoſitus, ſi cincinnato capite erat efficta? quod ex antiquitatis monumentis, illius ſcilicet ſtatuis & numiſmatibus oculata fide dignoſcimus. Quamobrem rectius Beroaldus, Sabellicus & Torrentius *currus* legunt; illi tamen nullum verborum ſenſum explicantes peccant; hic vero tradens, inſcriptionem partim Græcam partim Latinam fuiſſe, cuius oppoſitum habemus ex textu ipſo affirmãte Græcam inſcriptionẽ extitiſſe. Ego, ni fallor, aſſerere audeo, verborũ Suetonii genuinũ ſenſum eſſe, Neroni ſtatuæ currum appoſitum, cum inſcriptione: *Nunc demum agona eſſe,*

*& traheret tandem*; hoc eſt, Gallia & Hiſpania à Galba & Vindice deficientibus, verum, non fictitium Neroni certamen eſſe; Et ſicuti in Circo ludens quadrigarius agitator equos incitabat, & ludicrus auriga: ita nunc in tanto rerum diſcrimine, ipſe currum traheret, hoc eſt, ſolicite ſuæ & publicæ ſaluti incumberet; Nam qui in re aliqua enixe laborat, vulgari & vſitato prouerbio, *currum trahere* dicimus. Quę interpretatio conuenit & alteri inſcriptioni columnis factæ, quam ſtatim ſubdit Suetonius, ſcilicet Gallos cantantes iam eum excitaſſe.

Ita quoque, & *Aſcopera* legunt omnes textus correctiores, nam quod Beroaldus de ſcopa fabulatur, inſulſum eſt. Namque genus illud ſupplicii quod nos *ſcopare* dicimus, antiquis erat virgis cædere. Neque authoritas ab ipſo adducta, ex D. Hieronymi in Eſaiam interpretatione, ad rem facit, ſiquidem leue admodum ſupplicium Deus minatus eſſet Babyloniæ. Turnebus autem & ipſe *Aſcoma*, quod Græcis vter eſt, vel pellis caprina, non *Aſcopera* legendum cenſet, cuius ſententiam non ſequimur, quum omnes textus, quos hactenus videre licuit, habeant *Aſcopera*, hoc eſt, marſupium, ſeu ſacculum; ſic enim vox Græca ἀσκοπήρα interpretanda. Ita vt ſenſus ſit, Neronis ſtatuæ collo appoſitum marſupium ſeu ſacculum, cum inſcriptione, *ego quod potui*, ſic enim lego, non *quid potui*; *ſed tu culeum meruiſti*, nam parricidæ (qualis Nero, qui matrem Agrippinam interemit) culeo inſuebantur, *ex Quintiliano lib* 7. Vnde Martialis de Seneca:

*Cuius ſupplicio non debuit vna parari*
*Simia, nec ſerpens vnus, nec culeus vnus.*

Et rurſus de Parricida ſic:

*Et deducendum corio bouis in mare, cum quo*
*Clauditur aduerſis innoxia Simia fatis.*

Huic interpretationi fauet Suidas inquiens: Ἀσκοπήρα τὸ μαρσύπιον ἤτοι σακκοπάτιον. Necnon & Dion, vſus voce Μολγὸν, quod nos interpretamur vtrem ſeu ſacculum ex corio bubulo. Hanc etiam vocem recipiunt alii Suet. interpretes, & Angelus quoque Politianus *in ſuis Miſcellaneis, capite vigeſimo.*

# C. SVET. TRANQVIL. IN GALBA.

## CAP. III.

*Prohibituſque à Tyberio ſortiri anno ſuo Proconſulatum, voluntaria morte obiit.*

VAlde ſuſpiciendum, Torrentium, alioquin oculatiſſimum Suet. interpretem, hunc locum penitus ſicco (vt aiunt) pede pertranſiſſe. Beroaldum vero diligentiſſimum eiuſdem commentatorem pauca, eaque minus rationi conſentanea attuliſſe in hoc tex. alioquin iudicio meo difficillimo explicando. Quamobrem pro illius declaratione illud præponendum, quod ſæpius dictum eſt, ſtante Republica Prouincias alias Conſulares, Prætorias alias fuiſſe. Imperio vero conſtituto, aliæ Pop. Rom. aliæ Cæſaris factæ ſunt. Prouinciæ Cōſulares erant, quæ ab his, qui in vrbe Conſulatum geſſerant, Conſulari imperio obtinebantur, vnde & *Proconſuli*, & *Proconſules*, & *Proconſulatus* dicti. Prouinciæ vero Prætoriæ, quas qui proximo anno in vrbe fuerat, Prętor imperio Prætorio obtinebat; Hinc *Propratoria*. Vnde & *Propratores* appellati, & *Propratoria* dictæ. Nec certæ erant Prouinciæ, in quos Conſulares viri, & aliæ, in quas ſemper Prætorii mitterentur, ſed ſorte inter illos partiebantur, vt ex Magiſtratuum nomine, qui eas obtinebant denominationem ſumebant. Harum Prouinciarum à Conſulibus, & Prætoribus ſortitarum innumera propemodum & paſſim apud Liuium extant exempla. At demum Auguſto ſumma rerum potito, Prouincias ipſe validiores, & quas annuis magiſtratuum imperiis regi non facile, nec tutum erat, ipſe ſuſcepit, cæteras Proconſulibus ſortito permiſit, tum etiam nonnullas commutauit interdum, atque ex vtroque genere pleraſque ſæpius adiit, Suet. tradente *in illo, cap.* 47. Quibus addamus hæc Strabonis verba in calce ſui operis: *Prouinciæ ſæpenumero aliter, atque aliter diuiſæ ſunt. Nunc autem ex Auguſti Cæſaris inſtituto ita ſunt partitæ. Nam quum ei patria totius Imperii ſummam permiſerit, paciſque ac belli poteſtatem habeat, vniuerſum Imperium bipartito ſic diuiſit, vt partem ſibi ſumeret, eam ſcilicet, quæ militum præſidio indigeret, partem vero populo attribueret eam, quæ*

*pacata eſſet, & ſine armis facile retineretur, complures igitur prouincias fecit; quarum aliæ Cæſaris, Populi aliæ appellabantur. Ipſe in ſuas Præſides cum imperio miſit; Populus in ſuas Proconſules & Proprætores* Ex his omnibus colligere poſſumus præſentis loci expoſitionem, Cn. Sergium ſcilicet Galbam, Imperatoris fratrē, prohibitum ſuo anno ſortiri prouinciam à Tiberio ſibi manum conſciuiſſe; hoc eſt, quum Conſul deſignatus prouinciam ſortiri deberet, inhibitum, quo minus id faceret; quod genus ignominiæ minime vulgare fuiſſe docet Plinius *lib. 3. Epiſt. ad Munitianum*, vbi de Norbano loquitur. Verum quum nullibi apud Chronographos, præſertim vero apud Tacitum, qui annales Tiberii diligentiſſime conſcripſit, legatur, hunc Ca. Sergium vnquam Conſulem fuiſſe, huic expoſitioni minime acquieſcere poſſum; Nec minime Beroaldi explanationem recipere, qui annum legitimum Ca. Sergii interpretatur, annum quo Conſul fieri poterat, hoc enim dato, ſequeretur, quod quicunque ad huiuſmodi ætatem perueniſſet, etiam prouinciam Proconſularem adipiſci potuiſſet, quod diſſonum valde eſt, habita præſertim ratione numeroſæ quantitatis Senatorum, qui eodem tempore ad ætatem Conſularem peruenire poterant. Alia itaque explicatio perquirenda, quam ex ſuperius dictis, & ex Tacito quoque *lib. Annal.* 1 adinueniſſe putamus, vbi habet: *Germanico Cæſari Proconſulare imperium petiuit, miſſique legati qui deferrent, ſimul mœſtitiam eius ob exceſſum Auguſti ſolarentur; Quo minus idem pro Druſo præſtolaretur, & cauſa, quod deſignatus Conſul Druſus, præſenſque erat. Candidatos præturæ duodecim nominauit, numerum ab Aug. traditum, & hortante Senatu vt augeret, iureiurando obſtrinxit, ſe non exceſſurum. Tum primum è campo comitia ad Patres tranſlata ſunt. Nam ad eum diem, etſi potiſſima arbitrio Principis, quædam tamen ſtudio Tribunorum fiebant. Neque populus ademptum ius queſtus eſt, niſi inani rumore, & Senatus largitionibus, & precibus ſordidis exolutus, libens tenuit moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret ſine repulſa & ambitu deſignandos.* Ex quibus colligimus, quod ſicuti Reipub. temporibus prouincias ſortiebantur Conſules, & Prætores, vt diximus; Ita ſub Imperatoribus, præter prouincias, vt diximus,

mus, à Cõſulibus & Prętoribus ex ordine obtentis, aliæ quę Populi dicebantur extra ordinem & gratioſe candidatis petitoribus, qui à populo vel poſtea à Senatu Principeve obtinuiſſent, impertiebantur, & fortuito ſortitæ aſſignabantur ſingulis pro tempore conſtituto; Quamobrem quum Ca. Sergius Proconſularem prouinciam anno ſibi aſſignato & promiſſo ſortiri ex more deberet, prohibitus à Tiberio ob dilapidata bona, ſibi mortem conſciuit. Nec obſtat quod & Reip. temporibus obſeruemus, prouincias Proconſulares imperio viris nec Conſulibus nec Conſularibus extra ordinem non ſemel decretas, vti Cn. Pompeio aduerſus Sertorium, teſte Cic. *in orat. pro lege Manlia & 11 Philip.* P. Scipioni Hiſpaniam, & Lentulo, *apud Liuium*. Nam dicimus hiſce certas prouincias à Populo & Senatu aſſignatas extra ordinem, ob vrgentem neceſſitatem, minime incertas, & ſortiendas, & prece vel pretio datas, quod ſub Imperatoribus factum demonſtrauimus.

## C. SVET. TRANQVIL. IN GALBA.
## CAP. XIIII.

*Regebatur trium arbitrio, quos vna & intra palatium habitantes, nec vnquam non adhærentes, pædagogos vulgo vocabant. Hi erant; T. Iunius legatus eius in Hiſpania, cupiditatis immenſæ, Cornelius Laco ex aſſeſſore Præfectus Prætorii, arrogantia, ſocordiaq; intolerabilis: Libertus Icelus, paulo ante annulis aureis, & Martiani cognomine ornatus, ac iam ſummæ Equeſtris gradus candidatus.*

Libertini quicunque aureis annulis donabantur, per annulorum ius ad ingenuitatem adſciſcebantur, non tamen antea Equites efficiebantur, quam cenſum Equeſtrem quadringentorum millium obtinuiſſent. Quamobrem Libertus Icelus primum iure aureorum annulorum à Galba donatus, mox & Equeſtri peculio ab eodem ditatus, ordini Equeſtri aſcriptus fuit. Ita verba illa, *Sũma Equeſtis gradus candidatus*, interpretati ſunt Sabellicus & Beroaldus; Candidatũ inquam ea in ſignificatione accipientes, qua Quintilianus *candidatum eloquentiæ*, D. Hieronymus *candidatum fidei*,

 & Sene-

& Seneca lib. Epiſt. 32. *hominem multarum rerum candidatum* dixere, hoc eſt, ornatum, inſignitum, & locupletem. Torrentius tamen ex Petri Fabri I.C. ſententia hanc interpretationem non recipit, cenſens Suetonii verba intelligenda eſſe, non de Equeſtri cenſu, ſed de Præfectura Prætorii, quæ in Equeſtri ordine princeps, & ſumma erat dignitas; ſcribente Suetonio in Tit. c. 6. *Præfecturam quoque Prætorii ſuſcepit, nunquam ad id tempus, niſi ab Equite Rom. adminiſtratam.* Et in Claudio, capite 12. *Precario exegit, vt ſibi Præfectum Prætorii Tribunumque militum ſecum in curiam inducere liceret; quum enim Senatorii ordinis non eſſent, in Senatum venire non poterant.* Idem & Capitolinus docet de Pertinace, ſcribens M. Aurelium palam doluiſſe, quod eum, quum Senator eſſet, Præfectum Prætorii facere non poſſet. Et Plinius *in Præfatione Naturalis Hiſtoriæ* ad Titum ait: *Et quod nobilius his feciſti, dum illud patri & Equeſtri ordini præſtas, præfectus Prætorio eius.*

Nec obſtat quod nonnullos Senatores & Pręfectos Prætorio fuiſſe obſeruemus; ſiquidem hi Equites quum eſſent prius, præfecturæ dignitatem obtinuere, mox Senatores effecti. Sic Alexandrum Imperatorum Præfecto Prætorii inſignia Senatoria tradidiſſe author Lampridius in eo. Et Spartianus in Adriano tradit, eum Præfectum Prætorio à Tacito Senatorem factum. Itaque Torrentius interpretatus eſt Suetonii verba memorata, quod ſcilicet Icelus eo prouectus eſſet potentiæ, vt Præfecturam Pretorii ambiret, atque ad eam aſpiraret. Verum pace illius dixerim; prior expoſitio magis textui conuenit, cuius verborum ſeries haudquaquam Torrentii & Fabri explanationi aptari poteſt, niſi addamus verbum *dignitatis*, vel loco *ſumma, ſummi* legamus. Ad hæc haud veriſimile videtur, Icelum eo imprudentiæ & temeritatis deueniſſe, vt coniunctiſſimi amici (nam teſte Tacito *lib. Hiſt.* 1. Laco & Icelus mutuo conſentiebant in rebus apud Galbam adminiſtrandis) maioris nobilitatis & audaciæ animum laceſſeret, Pręfecturam Prætorio ambiendo. Nec obſtat quod quis pro Torrentio dicere poſſet; Icelum ſcilicet candidatum tantum Præfecturæ Prętorii à Suetonio appella-

appellatum, hoc eſt, petitorem, quatenus ea dignitas quauis de cauſa vacaret; vel vt dignitatis illius conſocius & adiutor fieret, ſeu ſucceſſor. Sic Spartianus *in Adriano* ſcribit, illum Tatiani præfecti prætorii, & quondam tutoris ſui potentiam ferre non potentem, præfecturam illius in Turbonem tranſtuliſſe, & Simili, alteri Præfecto Septimium Clarum ſucceſſorem dediſſe. Namque conſtat, Galbæ & anteceſſorum Imperatorum tempore præfecturam prætorii plus vno non admiſiſſe, eamque potentiam indiuiſibilem & inſociabilem fuiſſe, quamuis poſterioribus temporibus plures fuerint prætorii præfecti, qui non, vt antea duntaxat prætorianorum militum regimen haberent, & de illis iudicarent, à quo iudicio appellare non licebat, *ex l. 1. D. de offic. præf. prat.* ſed & ad prouincias regendas ſummo cum Imperio mittebantur, ita vt Conſtantinopolitani Imperii tempore quatuor memorentur in lib. Codicis, de quibus latius videre licet in lib. qui inſcribitur, *Notitia Romani Imperij*; erant autem hi: Præfectus prætorio per Orientem, per Illyricum, per Gallias, & per Italiam, quibus quintum addit Iuſtinianus, ſubactis Vandalis; Africam à præfectura Italiæ, ſub cuius erat poteſtate, eximens, & præfectum prætorio Africæ conſtituens, *ex l. 1. & 2. C. de offic. præf. prat.* Non itaque Icelum prætorii præfecturæ candidatum, iuxta Torrentii dicta, cenſendum, nec id profecto reticuiſſet Tacitus, qui tantum eum annulis donatum à Galba ſcribit, & Marcianum vocatum, poſtremoque loco inter gratioſos Galbæ recenſet. Nec illud in I. C. gratiam reticendum, Vlpianum I. C. ſub Alexandro Seuero Imperatore præfecturam prætorio geſſiſſe, *ex l. Diui. 4. C. de locato & conducto*, & Lampridio in vita eiuſdem Seueri, his verbis: *Qui ſe maiore animaduerſione exigere rem deprehenderit, ad Domitium Vlpianum præfectum pratorio, & parentem meum remittere curabit.* Necnon & Papinianum eadem dignitate perfunctum, ſcribente Dione *in Alexandro Seuero & Antonino Caracalla.* Huius dignitatis potentiam amplificat & extollit Caſſiodorus *lib. Epiſt. 6.* inquiens: *Poteſtati præfecti pratorio nulla dignitas eſt æqualis, vice ſacra iudicat, nullus ei miles fori authori-*

 *tate*

*tate præſcribit, curiales etiam verberat, in officio ſuo ius retinet ſingulare. & tantis talibuſq; noſcitur iubere, quos etiam prouinciarum non auderent iudices in qualibet parte contemnere, militia perfunctis, tribunorum & notariorum honorem tribuit, & milites ſuos illis exæquat; gratanter implet Imperator, quæ ille conſtituit.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN GALBA. CAP. XIV.

*Iudicibus ſextam decuriam adijci precantibus, non modo negauit, ſed etiam conceſſum à Claudio beneficium, ne hyeme initioq; anni ad iudicandum euocarentur, eripuit.*

HOc in loco maximum ineſſe mendum ſuſpicor, quod nullo antea annotatum ſcio, legendumque *ab Auguſto*, non *à Claudio*, ſiquidem tantum abeſt, quod Claudius iudicibus vacationis vllum beneficium indulſerit, vt potius ab aliis conceſſa ademerit. Sic Dion *lib. 51.* ſcriptum reliquit, eum quarto Conſulem multas ferias abrogaſſe, quum maior anni pars his abſumeretur, non ſine magno Reipublicæ detrimento. Et Suetonius ipſe *in illo, cap. 22.* ſcribit, eundem rerum actum diuiſum antea in hybernos æſtiuosque menſes, coniunxiſſe; hoc eſt, vt ego interpretor, vacationes Iudicibus ab Auguſto conceſſas abſtuliſſe. Namque Auguſtus tradente Suetonio *in illo, cap. 32.* quum triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodaſſet, aliaque ad actum rerum pertinentia ſtatuiſſet, pleriſque ob id iudicandi munus detrectantibus, conceſſit ſingulis per vices annuam vacationem, & vt ſolitæ agi Nouembri & Decembri menſe res omitterentur: Vacationẽ enim conceſſam interpretor, quæ æſtiuo tempore in magnis æſtibus concedebatur, rerum vero actũ omiſſum Nouembri & Decembri menſibus, vacationem ſcilicet permiſſam hyberno tempore, quas adimens Claudius iudicibus, dicitur coniunxiſſe menſes æſtiuos & hybernos. Non itaque Claudius beneficium hyemis, de quo Suetonius hoc in loco, conceſſit, ſed Auguſtus res agi ſolitas Nouembri & Decembri menſibus, omitti in iudi-

cum leuamen mandauit. Ex quibus explanata loca hæc ab interpretibus prætermiſſa opinor; illud etiam addens, M. Antoninum Imperatorem (quod teſtatum reliquit Capitolinus in illius vita) faſtis diebus, hoc eſt, rerum actui accommodatis, iudiciarios alios addidiſſe, ita vt ducentos triginta dies annuos rebus agendis & litibus diſceptandis conſtitueret. Hos autem dies, quos Capitolinus *iudiciarios* vocat, Tacitus *negotioſos*, Suetonius *actui rerum deſtinatos*, appellauere.

## C. SVET. TRANQVIL. IN GALBA.

### CAP. XVI.

*Ergo primi obſequium rumpere auſi, Kalend Ianuarij adigi ſacramento, niſi in nomen Senatus, recuſarunt, &c.*

MIlites adigi ſacramento in militiam, ita ordinarium fuit Romanis, vt qui ſacramento non tenerentur, licet in caſtris verſarentur, tamen nec hoſtes illis prælio laceſſere, nec ferire fas eſſet, vt authoritate Catonis ſcribit Plutarchus *Problemate* 38. eius rei multas rationes afferens. Quinimo, ſi aliquis miles miſſione militia vacans iterum ſtudio pugnæ, vel coactus militiæ adſcribebatur, niſi ſecundo ſacramento ſuſcepto arma ſumere in hoſtes, & mereri nequibat, teſte Cicerone, *libro* 1. *Offic.* vbi ita habet: *Vnde Cato ad Pompilium ſcripſit, vt ſi filium pateretur in exercitu remanere, ſecundo eum obligaret ſacramento. quia priore amiſſo, iure cum hoſtibus pugnare non poterat.* Iuſiurandum autem ſeu ſacramẽtum definit *eodem lib.* Cic. eſſe affirmationem religioſam; quod autem affirmatiue quaſi Deo teſte promiſſum fuerit, id tenendum eſſe. Duplex autem militare ſacramentum in hiſtoriis obſeruamus; alterum, quo milites Duci ſuo ſe obſtringebant, pollicentes ſe ſtrenue facturos, quæ præcepiſſet, iurantes in eius verba; quod milites in Galbæ Imperatoris verba feciſſe hoc loco, autor eſt Suet. Ita Tacit. *lib. Annal.* 1. ſcribit, Germanicum ad exercitũ ſuperiorem tumultuantem profectum, ſecundam & tertiamdecimam & ſextamdecimam

decimam legiones ſacramento adegiſſe. Ita Liuius *lib.2.* Milites in verba Cn. Manlii & M. Fabii Conſulum iuraſſe tradit, qui præceperant, vt iurarent, non redituros è pugna, niſi victores, inquiens: *Centurio erat M. Flacco eius inter primores pugnæ flagitator. Victor, inquit, M. Fabi reuertar ex acie. ſi fallat, Iouem Patrem, Gradiuumq́ Martem, aliosq́ iratos inuoco Deos. Idem deinde omnis exercitus in ſe quiſq́ iurat.* Et hæc eſt prima forma iuramenti militaris apud Liuium obſeruata. Secunda forma elicitur ex *lib.10.* eiuſdem, vbi ita ſcribit de L. Paſirio Curſore Conſule: *Forte eodem conatu apparatuq́ omni opulentia inſignium armorum bellum adornauerat, & opes Deorum ex omnibus adhibuerat ritu quodam ſacramenti vetuſto, veluti initiatis militibus, delectu per omne Samium habito noua lege, vt qui iuniorum non conueniſſet ad Imperatorium edictum, quiq́ iniuſſu abiiſſet, caput Ioui ſacratum eſſet. Tum exercitus omnis Aquiloniam eſt indictus ad quadraginta millia militum, quod roboris in Samnio erat, conuenerunt. Ibi mediis fere caſtris locus eſt conſeptus cratibus, pluteisq́ & linteis contectus, patens ducentos maxime pedes in omnes pariter partes. Ibi ex libro vetere linteo lecto ſacrificatum ſacerdote Ouio Paccio, quodam homine magno prognato, qui ſe id ſacrum petere affirmabat ex vetuſta Samnitum religione, qua quondam vſi maiores eorum fuiſſent, cum adimendæ Hetruſcis Capuæ clandeſtinum cepiſſent conſilium. Sacrificio perfecto per viatorem acciri Imperator iubebat nobiliſſimum quemq́ genere, factisq́ ſinguli introducebantur. Erant cum aliis apparatus ſacri, qui perfundere religione animum poſſent, tum in luco circa omni contecto aræ in medio, victimæque circa cæſæ, & circumſtantes centuriones ſtrictis gladiis. Admouebatur altaribus miles, magis vt victima, quam vt ſacri particeps, adigebaturq́ iureiurando, quæ viſa auditaq́ in eo loco eſſent, non enuntiaturum. Dein iurare cogebatur diro quodam carmine in execrationem capitis familiæq́ & ſtirpis compoſito, niſi iſſet in prælium, quo Imperatores duxiſſent, & ſi aut ipſe ex acie fugiſſet, aut ſi quem fugientem vidiſſet, extemplo occidiſſet: id primo quidam renuentes iuraturos ſe, obtruncati circa altaria ſunt, iacentes deinde inter ſtragem victimarum documento cæteris fuere, ne abnuerent.* Tertiam militaris iuramenti formam legimus apud eundem Liuium *lib.22.* in hæc verba: *Delectu perfecto, Conſules*

*paucos*

*paucos moratì dies, dum ſocij ab nomine Latino venirent, milites tunc, quod nunquam antea factum erat, iureiurando à Tribunis militum adacti iuſſu Conſulum aduenturos, neq; iniuſſu abituros: nam ad eam diem nihil præter ſacramentum fuerat, & vbi ad decuriatum aut centuriatum conueniſſet, ſua voluntate ipſi inter ſe equites decuriati & centuriati pedites coniurabant, ſeſe fuga atq; formidinis ergo non abituros, neq; ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut ciuis ſeruandi cauſa, id ex voluntario inter ipſos fœdere à Tribunis ad legitimam iuriſiurandi adactionem translatum.* Ex quibus colligimus, etiam iuramentum à militibus Ducibus datum, *iuſiurandum* dictum, ſicuti quod ſponte aut ex vſu inter ſeſe milites faciebant, ſacramentum dicebatur. Iulius Frontinus *lib.4. Stratagem. cap. 1.* iuſiurandum militare à ſacramento diſtinguere videtur, dum ſcribit: *L. Flacco & C. Varrone Coſ. milites primo iureiurando facti ſunt. ante enim ſacramento tantummodo à Tribunis rogabantur.* De ſacramento militari Seruius in illud Æneid.

*Ipſe vocat pugnas ſequitur tum catera pubes,*

*Sacramentum* ( inquit ) *militare erat, in quo vnuſquiſq; miles iurabat, ſe non receſſurum, niſi præcepto Conſulis poſt impleta ſtipendia. Et hoc erat ſecundum genus iuramenti, ſeu ſecundum membrum diuiſionis, à nobis ſupra propoſitæ, quod milites ſingulis annis Kalend. Ianuarij dicebant, in nomen primo Conſulum, deinde Imperatorum;* quod ex hoc loco Suetonii colligimus, dum ait, milites, qui in verba Galbæ Imperatoris abſentis iurauerant, exacerbatos aduerſus eum, ſe Kal. Ianuariis adigi ſacramento, niſi in nomen Senatus, recuſaſſe.

¶ Aliam formulam iuriſiurandi militaris obſeruamus apud Gellium, *lib.16. cap.4. ex lib.5. Cincij de re milit.* ita ſcriptam: *Quum delectus antiquitus fieret, & milites ſcriberentur, in iuſiurandum eos Tribunus militaris adigebat in hæc verba: In magiſtratu C. Lælij C. filij Conſ. L. Cornelij P. filij Coſ. in exercitu, decemq; millia paſſuum prope furtum non facies dolo malo, ſolus neq; cum pluribus, pluris nummi argentei in dies ſingulos. Extra haſtam, haſtile, ligna, pabulum, vtrem, follem, faculam, ſi qua ibi inveneris, ſuſtuleriſve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, vti tu ad C. Lælium C. filium Cos. Luciumve Cornelium P. filium*

Coſ.

*Coſ. ſiue ad quem eorum ius erit, proferas, aut profitebere in triduo proximo. qui quid inueneris ſuſtuleriſve dolo malo, aut domino ſuo, cuium id cenſebis eſſe, reddes, vti quod rectum factum eſſe noles.* *Militibus autem ſcriptis dies præfiniebatur, quo die adſint, & vt citati Coſ. reſponderent. Deinde ita concipiebatur iuſiurandum, vt adeſſet, tribus additis exceptionibus, niſi harum aliqua cauſa erit: Funus familiare. feriæ vindimiales, Kalendæque, quæ non eius rei cauſa collatæ in eum diem ſint, quo is eo die minus eſſet ibi.* Sacramenti militaris meminere Liuius *lib.* 32. & 35. & *lib.* 7. Polyb. *in Caſtram. Rom.* Vegetius *lib.* 2. *de re milit.* Nonius Marcell. *lib.* 21. apud quos legimus, quod non modo pollicibus eleuatis fiebat, verum etiam ſtrictis gladiis, ceruicibusque admotis perficiebatur.

Sacramentum militare Græci ὅρκον στρατιωτικὸν appellant. Apud I.C. huius ſacramenti fit mentio *in l.* 8 *C. de lega. l.* 3. *C. Theod de immun. conceſſ.* Sic tradit Ammianus Marcellinus libro 21. *Iuſſiq; vniuerſi in eius nomen iurare ſolemniter gladiis ſuis ceruicibus admotis, ſub execrationibus diris verbis iurauere conceptis, omnes pro eo caſus quoad vitam profuderint (ſi id neceſſitas exegerit) perlaturos: quæ ſequuti rectores, omneſq; Principes proximi itidem ſimili religione firmarunt.* De ſacramento militari idem Suetonius *in Caſare, cap.* 42. in hæc verba: *Sanxit ne quis ciuis maior annis* 20. *minorve* 10. *qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet*, hoc eſt, qui militiæ ſacramento non eſſet addictus. Et in Nerone, cap. 44. *Mox tribus vrbanas ad ſacramentum citauit.* De eodem Iuuenalis *Satyra* 16. quum ait:

> *Præmia nunc alia, atq; emolumenta notemus*
> *Sacramentorum.*

Sic Horatius *lib.* 2. *Ode* 17. pulcherrima à re militari translatione cecinit:

> *Non ego perfidum dixi ſacramentum.*

Non ſolum autem in Imperatoris verba iuraſſe milites, ſed & in Senatum, magiſtratusque alios, tradit Dion *in Caligula*, in quo & apud Suetonium ipſum, *cap.* 15. legimus, eundem authorem fuiſſe, vt omnibus ſacramentis adiiceretur.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN OTHONE.

### CAP. I. ET VI.

Cap. I. *Auſus eſt etiam in Illyrico milites quoſdam, quod motu Camilli ex pœnitentia præpoſitos ſuos, quaſi defectionis aduerſus Claudium authores occiderant, capite punire, & quidem ante principia ſe coram.*

Cap. VI. *Inter fauſtas acclamationes ſtrictoſq; gladios ad principia deuenit, &c.*

COnueniunt omnes, per *principia* his locis intelligendum eſſe locum in caſtris, ſed quis qualisve fuerit hic, varii varia dixere. Quidam enim exiſtimant, principia fuiſſe locum, vbi Imperatores ſeu Duces exercituum ſtationem & habitationem habebãt; Hi enim vocabantur Principes, quia primi in exercitu. Ita Liuius: *Princeps prælium inibat.* Ita Cic. de Aruſp. reſp. *Sed tamen eorum omnium hic Dux atq; Princeps.* Et in Epiſt *Deinde te & Senatui, boniſq; omnibus authorem, principem, ducem præbeas.* Et lib. de Vniuerſitate: *Deinde vt illi principem ducemq; ſe præberet.* Et in ſacris paginis exercituum ductores fere ſemper principes vocari obſeruamus. Ita *in Gen. c. 39.* Phutiphar Pharaonis exercitus princeps dicitur. Et *Ioſuæ, c. 5.* princeps exercitus Domini. Et *Reg. 4. c 5.* Naaman princeps militiæ Regis Syriæ, & Iudith cap. 2. *Vocauit Nabuchodonoſor Rex Holophernem principem militiæ ſuæ.* Et Macchab. c. 2. *Iudas Macchabæus fortis viribus à iuuentute ſua, ſit vobis princeps militiæ.* Huic opinioni ſuffragari videtur doctiſſimus Alciatus in principio *de verb. ſignif & in l. vrbana prædia, eod. tit.* adducens Vegetii locum *lib. 2. c. 7.* vbi ſcribit, principia dici principis tabernaculum, quemadmodum & prætorium dicitur domus Imperatoria.

Verum horum opinio penitus improbanda, quum locus in caſtris, Ducibus ſeu Imperatoribus exercituum dicatus, prætorium diceretur, quod nos alibi oſtendimus, & clare teſtatur Liuius *libro 25.* vbi tradit, tria prætoria circa Capuam erecta, quum Appius Claudius Conſul, Q. Fuluius eius collega, & C. Nero Prætor eam vrbem obſiderent. Et ex eodem Liuio elicimus, aliud fuiſſe in

caſtris

caſtris principia, aliud prætorium, inquit enim: *Circumeuntes enim tentoria, deinde in principiis tentorioq́ꝫ, &c.* Et lib. 7. *Milites non in circulis modo fremere, ſed iam in principiis ac prætorio in vnum ſermones confundi.* Alii, inter quos Antonius Nebriſſenſis *in Lexico iuris*, voluere, principia fuiſſe loca caſtrorum, in quo figebantur tentoria militum, qui Principes in exercitu vocabantur. Quod autem huiuſmodi milites principes dicti in Romanorum caſtris eſſent, clare patet ex Liuio *lib.* 8, vbi in prima acie haſtatos ponit, in ſecunda ſcutatos, in tertia illos, quibus principibus eſt nomen. Et rurſus: *In interualla ordinem principes recipiebant.* Et iterum: *Tum principum pugna erat.* Et denuo: *Si apud principes haud ſatis proſpere eſſet pugnatum.* Et *lib.* 22. inquit: *Noua de integro pugna exorta eſt, non illa ordinata per principes, haſtatos, & triarios.* Horum meminit & Polybius lib. 6. Hiſt. *Tum minimum quemq́ꝫ natu ac pauperrimum in velites legunt. Qui vero his proximi ſunt, in haſtatos, ætate præſtantes in principes, grauiſſimos vero in triarios.* Idem etiam apud Varronem legimus: *Haſtati dicti, qui primum haſtis pugnabant, pilani qui pilis, principes qui à principio gladiis.* Cicero ad Brutum: *Cretenſi bello Metello Imperatore octauum principem duxit*, id eſt, octauum ordinem inter principes. Ita & apud Liuium *lib.* 41. Sp. Liguſtinus inquit: *Hic me Imperator dignum iudicauit, cui primum haſtatum prioris centuriæ aſſignaret.* Et paulo poſt: *Mihi primus princeps prioris centuriæ eſt aſſignatus.* Et Ouid. lib. Faſt. 3.

*—— Haſtatos inſtituitq́ꝫ decem:*
*Et totidem princeps, totidem pilanus habebat*
*Corpora.*

Et Nonius Marcellus *in lib. de proprietate Latini ſermonis* ſcribit: *Poſt principia paulatim recedunt, atq́ꝫ inde cum paucis fugæ ſe mandant.* Et Terentianus Gnato *in Eunucho* militem irridens: *Ego mihi cauebo poſt principia, inde omnibus ſignum dabo.* Verum neque hæc ſententia recipienda, quod ex mox dicendis facile apertum fiet. Poſtremam itaque opinionem amplectendam omnino arbitramur, quæ authores habet Wolphgangum Lazium *lib. de Repub. Rom.* Gulielmum Budæum *in poſterioribus adnotationibus*, & Didacum Couaruuiam

uiam *variarum Reſol.lib.4.cap.23.* Et eſt huiuſmodi; Per principia intelligendum eſſe publica tabernacula ſeu tentoria in caſtris, in quibus militares magiſtratus iura militibus reddebant, atque vbi aquilæ & ſigna militaria cuſtodiebantur. Quod ita ſe habere, facile ex ſcriptorum authoritatibus conuincitur. Liu.*lib.8.ſecundi belli Punici*, inquit: *Forma caſtrorum Romanorum conſtabat vna ea ſpe, quod milites Tribunos ex contagione furoris haud expertes ſeditionis defectionisq́; rati forent, & iura reddere in principiis ſinebant, & ſigna ab eis petebant, & in ſtationes ac vigilias ordine ibant.* Et lib.28. *Fugatis itaq; ex principijs, ac paulo poſt è caſtris Tribunis.* Et rurſus: *Circumeuntes enim primo tentoria, deinde in principijs prætorioq́;.* Et lib 3. *Equites ſua cuiq; parti poſt principia collocat.* Et lib.37. *Ibi in principijs ſermo primo inter tribunos militum ſecretus oritur.* Cicero ad Brutum Epiſt.10. *Spes libertatis nuſquam niſi in veſtrarum principijs eſt*, id eſt, non tam in ipſis copiis ſpem eſſe, quam in prudentia C. Caſſii & M.Bruti, qui eas ducebant & imperabant, & ius dabant, vt docte interpretatur Petrus Victorius *lib.3.var.lect.cap.6.* Iuſtinus lib.11. *Ordines quoq; nemo in exercitu Alexandri niſi ſexagenarius duxit, vt ſi principia caſtrorum cerneres, Senatum te alicuius Republicæ cernere diceres.* Vopiſcus in Numeriano, de Apro Præfecto Numeriani ſocero, occiſo à Diocletiano, inquit: *Eumq́; ante ſigna & principia protraxere.* In Quinctiliani declamatione, cui titulus, *miles Marianus*, Trebonius miles, qui C.Luſium Trib.militum, Imperatorisque C.Marii ex ſorore nepotem, occiderat, quod ei pudicitiam eripere tentaſſet, inquit: *Sed neq; hoc Roma parens, nec ſigna militaria, Aquilave victrices, nec tua, ſumme Imperator, diuina virtus ſinat, vt tua quoq; ſententia quiſq; vir & Romanus & miles, nimium pudicus ſit, apud quem ante principia agendum eſt.* Cornelius Tacitus lib.1.Annal. *Prima Vari caſtra lato ambitu & dimenſis principiis trium legionum manus oſtentabat.* Et rurſus: *Tunc contractus in principia, cuiuſque dicta cum ſilentio accipere.* Et lib.4. *Coliq; per theatra & fora effigies eius, interq; principia legionum ſineret.* Idem lib.17. *Legati eorum in ſqualorem mœſtitiamq́; compoſiti per principia, per contubernia.* Et lib.19. *Nox proditionis electa, vt cæteris ignaris ſoli in principia defectores coirent.*

terpretemur, non, quod alii fecere, milites principes. Hoc vnum reticendum minime cenſemus, apud Liuium *libro 4.* legi: *Fabius Vibulanus corona primum vallum defendit, intentos deinde hoſtes in vallum egreſſus dextra principali cum triariis repente inuadit.* Ex quibus coniicere poſſumus, dexteram portam caſtrorum principalem vocatam, eo quod iuxta illam principia poſita eſſent. Apud Iuriſtas obſeruamus etiam principia huiuſmodi. Extat enim locus elegans *in l. iubemus, de erogat. milit. anno. lib. 12. C. §. ſi qua tamen*, vbi inquit Auguſtus: *Quatenus cauſa apud deuotiſſima principia prapoſitis ſacroſanctis ſcripturis inter actuarium & militem tractetur.* Et Martianus Iuriſconſultus *in l. officium, §. officium, D. de re milit.* inquit: *Officium Tribunorum eſt principiis frequenter ineſſe.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN OTHONE.

### CAP. IV.

*Quoties cœna principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim diuidebat.*

QVod hic à Suet. ſcribitur, pariter & à Plutarcho *in Othone*, eiſdem fere conceptis verbis traditum; habet enim ita: χρυσοῦν ἑκάστῳ διανέμων, id eſt, *aureum ſingulis diſtribuens.* Tacitus vero loco vnius aurei centenos nummos viritim datos ſcribit, ita vt ſatis conſtet, aureum cētum nummos ſeu aſſes liberales expendi ſolitum Romanis; Quod & Budæo probatur *lib. de aſſe* 2. qui & *lib.* 3. ait, mille aſſes valuiſſe aureos decem, & per cōſequens, centum aureum vnum. Ex Dione tamen *lib.* 55. elicimus, aureum Romanum valuiſſe 25. drachmis, dum de Domitiano loquens, ait: *Quum militibus ſeptuagenæ quinæ drachmæ ſoluerentur, centenas dari iuſſit*, id eſt, quum tribus aureis ſtipendium eſſet, quartum addidit, ita vt aureum 25. drachmis conſtitiſſe (quod Zonaras *tomo* 2. ex ipſo Dione probat) ſit dicendum. Cuius rei veritate data, concludendum, drachmam Græcam minus valuiſſe denario Romano, cum decem denarii in ratione decem

aſſium pro ſingulo aureum conſtituant. Ex quibus patet, Budæum deceptum, qui *lib. de aſſe*, non ſemel, ſed pluries, denario Romano cum Attica drachma communem & parem valorem fuiſſe contendit. Quod etiam pluribus authoritatibus conuincit lib. ſuo *de re numaria*. F.H.

## C. SVET. TRANQVIL. IN OTHONE.

### Cap. XII.

*Fuiſſe enim traditur & modicæ ſtaturæ, & male pedatus, caluusq́; munditiarum vero pene muliebrium, vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, vt nemo dignoſceret.*

TVrnebus *lib. Aduerſ. 5. cap.* 1. & Torrentius in huius loci explanatione, non *caluus*, ſed *ſcambus* legendum contendunt, quadam potius acuminis ingenii iactantia, quam veritate moti, quo nomine appellari aiunt eum, cui crura ſunt deprauata & curua; σκαμβὸς peruum curuumq; Græcis ſignificare ſcio, at vocem hanc crurum potius, quam totius corporis alteriusve illius partis vitium denotare, non video. Quinimo Nonium Strabones ſcambos vocaſſe, non ignoro. Nec adeo Latinis frequens vox iſta, vt ea Suet. alioquin purgatiſſimum authorem vſum, ſit credendum. Sed quod magis refert, ſubſequentia hæc textus verba, *caluum*, non *ſcambum* legendum, demonſtrant: *Galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, vt nemo dignoſceret.* Caluos autem depiles eſſe, & capillorum raritate laborare, nemo non ignorat, præſertim ea in parte, qua caluitium deſinit. Ad caluitium autem occultandum galericulo vſum Othonem, inquit Suetonius, id eſt, adulterina coma, ex alienis ſcilicet capillis inſtar galeri compacta, & ita graphice capiti annexa, vt à vera coma dignoſci nequiret, πηνίκη, & φενάκη, & περικόμιον Græcis dicta, à Demoſthene πιλίδιον appellata. Petronius Arbiter *Corymbium* vocauit, inquiens: *Corymbioq́; dominæ pueri adornat caput.* Capillamentum nuncupauit Suet. *in Caligula, cap.* 11. & Caliendrum Horat. *lib.* 1. *Satyr.* 8. teſte Acrone, cum aliis interpretibus, in illud:

*Altum*

*Altum ſagana Caliendrum.*

Qua voce & Varronem vſum teſtantur. Caluitium vero inter turpitudines corporis enumerari, conſtat, ſcribente Ambroſio *in Hexamero, lib.6.* Comam eſſe reuerendam in ſenibus, venerandam in ſacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adoleſcentibus, comptam in mulieribus, dulcem in pueris; tolle arboris comam, arbor ingrata eſt, tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flacceſſit. Vnde Ouidius:

*Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,*
*Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.*

Et Apuleius ait: *Mulier etiam venuſtiſſima, ſi capillicio nudetur, licet illa cœlo deiecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, Venus fuerit, licet omni Gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo ſuo cincta, cinama fragrans, & balſama rorans, ſi calua proceſſerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem ſuo.* Hanc turpitudinem populus Romanus Domitiano maledicens, obiecit, illum crudelem & ſæuum, Neronem caluum appellans. Vnde Iuuenalis Satyr.2.

*Et caluo ſeruit Roma Neroni.*

Et Auſonius de Cæſaribus:

*Et Titus Imperij felix breuitate ſecutus*
*Frater, quem caluum dixit ſua Roma Neronem.*

Iulium Cæſarem etiam caluitio laboraſſe teſtis eſt Suetonius, *cap.45.* quod laurea corona, quam perpetuo decreto Senatus geſtauit, & reuocato à vertice capillo obtegebat, exprobrantibus militibus in triumpho caluitii deformitatem & in eum ſcomma iacientes & mœchum caluum appellantes. Et Galbam capite caluo fuiſſe tradit Suetonius, *in illo, cap.21.* Vnde Martialis:

*Fiunt abſentes & tibi Galba coma.*

In veteri Scriptura ſacra *Reg.4. cap.2.* habemus, Eliſæo aſcendenti in Bethel, pueros egreſſos de ciuitate ei illuſiſſe, dicentes, *Aſcende calue, aſcende calue*, vnde maledixit eis in nomine Domini. Caluos autem libidinoſos, & Veneri nimium addictos, & ideo vitioſos habitos, vel ex eo conſtat, quod Venerem caluam celebrabant Romani, vt tradunt

Lactantius *lib.* 1.*cap.*20. & Capitolinus *in vita Maximinorum.* Cyprianus *de idolorum vanitate*, & D. Auguſtinus *Epiſtol.*44. ſiquidem quum à capite ſeu cerebro ſemen decidat, vti docuit Galenus *in Medicis definitionibus*, *& in Comment. ad tertium Epid. Hippocratis*, & Hippocrates ipſe, *lib. de aqua, aere, & locis, cap. quarto.* Auicenna *ſecundo Fen. tertij, tract. primo*, *cap.*3. Polybius *in libro περὶ γονῆς*, Albertus *libro* 22. *animal. cap.*4. Conſtantinus Africanus *in libro de coitu*, D. Auguſtinus *de vera religione, cap.*40. D. Gregorius *in libro de viribus animæ, capit.* 17. haud mirum eſſe debet, ſi pluri ſemine exhauſto, exſiccetur & caput ſeu cerebrum, ſicque decidant capilli; ob id pueros & ſpadones minime caluеſcere, dixit Hippocrates *libro ſexto Aphoriſmorum*, *& lib. de natura pueri*, & Ariſtoteles *lib.*3. *de hiſt. animal. cap.* 11. *& in problem. & lib.*5. *de generatione animalium, cap.*3. & Plinius *lib.* 11. *cap.*37. eo ſcilicet, quod ſemen non emittant. Quamobrem, quum Otho libidinoſiſſimus fuerit, quemadmodum docet idemmet Suetonius *in illo*, *cap.*2. ita vt cum Nerone luxurioſiſſimo quoque mutuo ſtupro ſit vſus, haud mirum, caluum illum fuiſſe, & caluitii vitio laboraſſe, ideoque *caluus* legendum in textu Suetonii, non *ſcambus*.

## C. SVET. TRANQVIL. IN VITELLIO. CAP. XIV.

*Nullis tamen infenſior, quam Vernaculis & Mathematicis.*

MVlti hunc locum mendoſum exiſtimantes, varie illum reſtituere conati ſunt, eiuſdem genuinum ſenſum haud percipientes. Beroaldus coniunctionem demit, & interpretatur, Vitellium ſeruitiis Romæ natis, atque etiam Mathematicis infenſum fuiſſe; Vel aliter: Mathematicis Romæ genitis, & indigenis. Sabellicus & ipſe interpretatus eſt, Mathematicis Romæ natis, vel pro *vernaculis*, eſſe reponendum *oraculis*. Turnebus non *vernaculis*, ſed *diuinaculis* legendum diuinatur. Ioſeph. Scaliger *veraculis* vel *vericulis* legi poſſe contendit, Tibulli authoritate, veracis epithe-

epitheton ſagæ tribuentis, *lib.* 1. *Eleg.* 2. Sed, bona tantorum virorum venia ſit dictum, omnes à vero ſcopo aberrant. Si itaque ſine coniunctione legamus (cui lectioni & Dion & Tacitus fauent) ſolos Mathematicos memorantes, erit ſenſus genuinus, Vitellium infenſum Mathematicis vernaculis, id eſt, domeſticis, patriis, vſitatis, incolis, indigenis, quo etiam in ſignificatu dicimus, *Linguam vernaculam.* Sic Cicero in Epiſtolis, *Antiquam & vernaculam feſtiuitatem* dixit. Et lib. de clar. Orat. *ſaporem vernaculum* appellauit, inquiens: *Teneam multa ridicule dicentem, Granius obruerat neſcio quo ſapore vernaculo.* Et in 6. in Verr. act. *Non vt ſolemus interdum ve defenſionibus dicere crimen domeſticum ac vernaculum.* Et in lib. de Orat. *Quotidianæ & vernaculæ res.* Et in eadem ſignificatione Hircius *de bello Hiſpan.* inquit, Pompeianas legiones binas contrahentes nuncupatas. Qua in ſignificatione Græci & ipſi vtuntur voce ἐπιχώριος, id eſt, *vernaculum*, à verbo ἐπιχωριάζω vel ἐπιχωριάζομαι, quod eſt *frequens, vſitatus & patrius.* Erunt itaque Suetonii verba interpretanda, Vitellium vernaculis Mathematicis infenſum, hoc eſt, non modo Romæ indigenis, ſed & totius Italiæ incolis, quo pacto Plinius lib. 14. cap. 2. *vuas peculiares atq; vernaculas Italiæ* dixit; quæ interpretatio confirmari poteſt ex Tacito, *lib. Hiſtor.* 2. tradente, Mathematicos à Vitellio Italia pulſos; & Dione ſcribente, eoſdem ab illo omni Italia excedere iuſſos. Alia quoque expoſitio adhiberi poteſt, ſeu vocem *vernaculis* à Mathematicis ſeiungamus, ſeu eorundem epitheton faciamus, & eſt huiuſmodi, vt pro vernaculis intelligamus homines malis moribus & lingua proterua præditos, vernarum inſtar, hoc eſt, ſeruorum: quamuis enim Vernæ proprie ſint ſerui domi geniti, & nati ex ancilla noſtra, aut ſeruo, vti Iuriſconſulti docent *l. ſeruus, §. fin de leg.* 3. nihilominus & pro ſeruo abſolute, & etiam pro liberto accipi ſolet, vti *in l.* 15. *D. de auro & arg. leg.* & ex inſcriptione antiqua hac: FORTVNATVS AVGVSTI LIBERTVS VERNA. Et nonnunquam pro ſeruo publico vernam accipi apud Suidam & Cedrinum obſeruamus. In hunc ſenſum Horat. *lib.* 2. *Serm.* dixit:

*Vernaſq́, procaces*

*Paſco libatis dapibus.*

Et Cæl.Rhodig.*antiq.lect.lib.*7.*cap.*31. docet, vernaculos appellatos homines procaci lingua & malis moribus præditos, à ſeruorum genere, qui & ipſi non ſolum vernæ, ſed & vernaculi etiam appellati, vti præſertim in ſacra Geneſi,*cap.* 14.15.*&* 17.& Eſdr.*c.*3. Hier.2. & Leuit.22. Marc.1.Latinam cum Græca appellatione coniunxit, τ͂ εἰς ἑαυτὸν οἱ χορηγῆς ὑγράκλος. Erit itaque ſenſus verborum Suetonii, Vitellium Mathematicis vernaculis, id eſt, maledicis vel Mathematicis,& hominibus malis moribus & lingua præditis infenſum, quales & Chaldæi, quorum ſtatim poſt meminit, & à quibus Italia excedere iuſſis, propoſitus libellus huiuſmodi: *Bonum factum, ne Vitellius intra eundem diem vſquam eſſet.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN VITELLIO.

### Cap. XVI.

*Statimq́, pro gradibus Palatij apud frequentes milites, cedere ſe Imperio, quod inuitus recepiſſet, profeſſus, cunctis reclamantibus rem diſtulit.*

IN vetuſtis ædificiis operoſis, puta templis, prætoriis & palatiis in primo eorum limine ſcalares fuere gradus, quod ex ipſiſmet, quæ adhuc ſuperſunt, tum ex eorundem iconibus à variis exaratis, & præſertim ex Vitruuio oculata fide percipitur. Itaque hoc loco pro *gradibus* explicandum puto, *in primo palatij limine*, à gradiendo dicti, quod per illos ſcilicet intro eſſet acceſſus. Hinc Virg.1.Æneid.

*Aerea cui gradibus ſurgebant limina.*

Dion in Traiano: *Huius vxor Plotina quamprimum ingrederetur in palatium, eſſetq́, adhuc in gradibus, talis ( inquit ) huc ingredior, qualem me exire cupio.* Et Cic.ad Att. *Gradus templorum ab infima plebe completi erant.* Et in orat.pro Seſt. *Gradus eius templi tollebantur.* Et pro domo: *Cum gradus Caſtoris conuelliſti ac remouiſti, tum vt modeſte tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu atq́, aſcenſu repuliſti.* Sic gradile templi Genii dixit Am.Marcell.*lib.*23. Et in ſacris paginis legimus 4.*Reg. c.*23. de gra-

de gradu templi Domini, in quo ſtetit Rex Ioſias. Liuius libro 41. in fine, *Gradibuſque aſcenſum ab Tiberi in Emporium fecerunt*. Fuerunt & Romæ Gradus Gemonii, quorum meminit Pliuius *lib.5.c.*40. & etiam *lib.*8. ad quos damnatorum ignominioſa cadauera trahebantur. Dion *in Tiberio*, ἀναβαθμοὺς appellat; erat autem ſurrectus locus, ad quem per gradus conſcendebatur. Fuerunt pariter Romæ in foro gradus Aurelii. Cic. in orat. pro Flacco: *Hoc minimum eſt illud, quod non longe à gradibus Aureliis hæc cauſa dicitur.* Et pro Cluentio apertius: *Gradus illi Aurelii tum noui, quaſi pro theatro illi iudicio ædificati videbantur.* In vnaquaque Vrbis parte erant & gradus ad piſtrina, vti conſtat ex deſcriptione antiqua Romæ, è quibus dabantur panes populo. Hinc panis gradilis apud Iuriſtas *in rub.*C.*Theod.de anno.ciui.& pane gradili, lib.*14.*tit.*17. Vnde Prudentius ad Symmachum:

*Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis.*

Fuerunt pariter gradus in Comitio. Liuius lib. 1. *Statua Atii poſita capite velato, quo in loco res acta eſt in Comitio, in gradibus ipſis ad læuam Curiæ fuit.* Vlterius ſciendum, gradus à ſcala differre, eo quod minoris aſenſus ſint gradus, maioris vero ſcalæ. Quamuis non negandum, & gradus aliquando ſcalas & ſcalares dictos.

## C. SVET. TRANQVIL. IN VESPASIANO.

### CAP. I.

*Non negauerim iactatum à quibuſdam, Petronii patrem è regione Tranſpadana fuiſſe mancipem operarum quæ ex Vmbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare ſolerent.*

MAncipem definit Feſtus quiſquis à populo aliquid emit, conducitve, quia ſublata manu, ſignificat ſe authorem emptionis ſeu conductionis eſſe. Pædianus *in* 1. *in Verr.act.* Mancipem eſſe ait, qui quæſtus ſui cauſa exigenda à ſociis ſuo periculo exigat, & Reipublicæ repræſentet, & erat Manceps publicanorum princeps. Namque in conductione vectigalium tributorum, alicuiuſve operis publici inſeruiebant Manceps, Præs, & ſocii; manceps princeps erat

in conductione, præs ſponſor, ſeu fideiuſſor, ſocii vero, qui in partem quęſtus & iacturę à mancipibus & præſidibus vocabantur, quod præter Aſconium Polybius etiam affirmauit. Cicero in Verr. *Mancipes à ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerunt.* Et rurſus: *Quum frumentum ex decumis Romam mancipes aduexiſſent.* Erat itaq; fere idem manceps, quod redemptor vel conductor. Siquidem conductor pro redemptore accipitur, teſte Iauol, *l. quadrageſimaquarta, D. de fideicom.* reuera tamen manceps ab his differt, nam ſicuti manceps verſabatur proprie circa publicos reditus, ita redemptores ſeu conductores proprie dicebantur, qui opus certo pretio faciendum ſuo periculo conducebant. Ita Cicero in Verr. *Vt eam ſtatuam faciendam locent, quantique locarint, tantam pecuniam redemptori ſoluendam attribuendamque curent.* Et libro de Diuinat. *Redemptor qui columnam illam de Torquato conduxerat faciendam.* Ita Vlpianus, *l. trigeſimanona, D. de rei vend.* ait, *Redemptores, qui ſuis cementis ædificant.* Hinc redemptor pontis, qui pontem ſartumtectum tuendum conducit, *l. Labeoni, l. 60. §. octauo, D. locat.* Manceps quoque dictus aliquando cuſtos vel præfectus. Ita Prudentius περὶ στεφάνων, cuſtodem carceris mancipem vocauit. Et manceps Thermarum, qui curam earum habebat, *l. prima, C. Th. de mancip. ther.* & præfectum reditibus mancipem vocauit Socrates *libro quinto hiſt. Eccleſiaſt.* Et Plinius *libro decimo, capite quadrageſimotertio.* Officinæ mancipem dixit, hoc eſt, magiſtrum. Quum itaque Suetonius T. Petronium mancipem operarum ſcribit, vtroque modo poſſumus interpretari, ſcilicet vel pro conductore operarum, vel pro præfecto ſeu præpoſito operibus; & vtram maluerit lector expoſitionem, rationi erit conſentanea.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN VESPASIANO.

### CAP. III.

*Inter hæc Flauiam Domitillam duxit vxorem, Statilii Capellæ Equitis Romani Sabracenſis ex Africa delegatam olim, Latinæque conditionis.*

TVrnebus lib. Aduerſ. 22. cap. 16. *Delicatam*, non *delegatam* legendum contendit; Cui & Torrentius aſſentiri videtur, & *delicatam* exponunt amicam & concubinam Domicillam & in deliciis habitam à Statilio Capella. At doctiſſimi viri corrumpunt potius, quam corrigunt Suet. textum, nec vocis *delicatam*, genuinum ſignificatum percipiunt. Non enim veriſimile eſt, Veſpaſianum alioquin virum præſtantiſſimũ, vxorem duxiſſe alterius concubinam, nec Suetonium actionem præcipuã tanti Principis obſcuris verbis inuoluiſſe. Ad hæc nullibi ego lego, pueros dedicatos pro cynædis, & mulieres delicatas pro concubinis accipi à ſcriptoribus antiquis. Namq; Spartiani locus in Hadriano à Turnebo adductus ad id comprobandum nihil facit. Etſi enim Hadrianũ pueros delicatos Traiani curaſſe & ſepeliſſe tradat Spartianus *in illo*, (vbi tamen & minime legendum, *delicatos*, ſed *delegatos*) nihilominus in voce hac nihil obſcœni ineſſe affirmamus. Namq; ex Dione habemus, Traianum iuſtitia, fortitudine, & bonitate præſtantem, cunctaque in eo optima atque præſtantiſſima extitiſſe. Namque etſi in puerorum amorẽ natura pronus eſſet, & vino naturaliter deditus, tamẽ nihil ob eas cauſas turpiter aut nequam fecit paſſuſve fuit. Nec minus Suetonii authoritas *in Tito*, *cap.* 7 à Torrentio addita, per delicatos, *exoletos* intelligi debere, conuincit, ſi illius verba recte perpendantur, ait enim: *Quoſdam è gratiſſimis delicatorum, quamquam tam artifices ſaltationis, vt mox Scenam tenuerint, non modo fouere prolixius, ſed ſpectare in publico, omni cœtu ſuperſedit.* Nec minus inſcriptio antiqua à Turnebo adducta fidem vllam facit, quæ eſt talis:

TEIÆ EVPHROSINÆ RVFINÆ V. V.
DELICATÆ.

Nam

Nam quum binæ illæ notæ, V. V. Virginem veſtalem ſignēt, quis impudicitiæ eam iure arguet? vt recte Torrentius adnotauit; in hoc tamen & ipſe arguendus, quod vocis *delicatæ* in inſcriptione, verum ſignificatum non aſſequutus eſt, vel alterum reticuit. Siquidem, priſci *delicati* pro *dedicati*, & *Diis ſacrati* vſurparunt, teſte Aldo Manutio & Nicolao Perotto, illo *in addit. ad Calep.* hoc *in Cornucopia*; quo in ſenſu accipienda dictio illa, *delicatæ*, in inſcriptione adducta. Ad hæc nec in propria ſignificatione *Delicatum* vllam obſcœnitatem continere facile conuincitur, ſed tantummodo, plenum deliciis, & in delitiis & otio viuentem vel habitum ſignificare, ex mox dicendis palam fit; & ob id eneruatum gregem delicatum vocauit Victor. Cic. *ad Att.* Iuuentutem delicatam dixit, hoc eſt, otio & delitiis deditam & lib. de Nat. Deorum: *Epicurus quaſi pueri delicati nihil ceſſatione melius exiſtimat.* Et iterum, molles & delicatas voluptates appellauit. Et in oratione pro Muræna: *Aſia iſta referta, & eadem delicata.* Et de clar. Orat. lib. *Adoleſcens delicatus*, & ventos eos quos ἐτησίας dicunt Græci, ob hoc ſomniculoſos & delicatos vocatos à nautis, quod incipiant tantū flare circa meridiē, & ante Solis occaſum deſinant, tradit Perottus *in Comm. lingua Latina*. Cic. in Catilinam: *Puer lepidus & delicatus.* Et pro Mil. *Muliebri & delicato ancillarum puerorumque comitatu.* Et lib. Off. *Delicatum ſermonem* aliquem in re ſeria conuiuio dignum inferre. Et in Piſ. *Is omnia adulteria delicatiſſimis verſibus expreſſit.* Et ad Atticum, *delicatum conuiuium.* Et in Paradox. *Delicata regum patera*, Et in 7. Verr. *Qui tam beati vt iſte eſt, non ſumus, tam delicati eſſe non poſſumus.* Et delicata nauigia nuncupauit Suetonius, *in Vitellio*, *cap.* 10. In ſacris Bibliis pluries D. Hieronymus hac voce, ſine vlla obſcœnitate vſus eſt. Vti Deut. 27. *Mulier tenera & delicata*; Et Reg. 2. cap. 3. *Ego autem adhuc delicatus & vnctus Rex.* Et 1. Paralip. 22. *Filius meus paruus eſt & delicatus.* Et Eſa. 47. *Hæc delicata habitans.* & 58. *Sabbathum delicatum.* Et Ierem. 6. *ſpecioſæ & delicatæ*, & 31. *puer delicatus*, & 49. *filia delicata*, & Daniel. 3. *Suſanna erat delicata.* Ex quibus omnibus ſatis ſuperque patere exiſtimo, Delicatum nihil turpitudinis in ſe continere; ſed tenerum, delicioſum, & in deliciis educatum

vel

vel habitum ſignificare. Turnebi itaq; omittenda emendatio; Nec minus recipienda Petri Pithœi ſentẽtia, qui lib. Aduerſ. ſuorum 2. cap. 9. *delegatam* legendum contendit, id eſt, pœnæ nomine vinctam, ob rationes à Torrentio aduerſus adductas, & alias, quas referre ſuperuacaneum duco. Conſtanter itaq; affirmandum puto; legendum *delegatam*, quod omnes fere textus habent, ſcilicet, non quidem creditam, commiſſamq;, ac demandatam, vt coniectura affirmat Torrentius; cui tamen aſſentior reponendum pro Statilii, *Statilio*, & pro Equitis, *Equiti*, & ſic de aliis in datiuo caſu, non genitiuo. Et vt tandem vltimam manum huic rei imponamus; Ego *delegatam* interpretor, ea in ſignificatione, quæ Iuriſtis eſt familiaris, hoc eſt, aſſignatam ſeu deſignatam coniugem, ſcilicet Statilio Capellæ, & ſponſam deſtinatam. Sic dicunt Iuriſcõſulti *delegare nomen*, id eſt, aſſignare debitorem alium, qui pro te ſoluat, *toto titulo D. de nouat. & deleg.* quod pariter obſeruamus apud Senecam *lib. 4. de benef. c. 11.* Deos deleg. *de Clement. c. 15.* exili Maſſiliæ delegato, ſic Paulus *delegatam pecuniam* dixit, pro decreta & deſignata, *l. 2. ad leg. Iul. pecul.* ſic Sueton. de Nerone: *Nulli delegauit officium, vt non adiiceret, &c.* hoc eſt, decreuit, officium aſſignauit, dedicauit, deſtinauit, & ſpopondit, & Perottus *in Com. lingua Latina, Epigr. 22.* delegatam interpretatus eſt *dedicatam*, & in ſacra ſcriptura Reg. 11. *cibum conſtituit & terram delegat.* Sed huic noſtræ interpretationi quis forte obiiciet; Domicillam Latinæ conditionis à Suetonio dictam, & à Sexto Aurelio Victore ſimpliciter libertam vocatam, ideoque minime potuiſſe delegari ſeu deſponſari Statilio Equiti Rom. Nam id per leges vetitum erat, vt alias fuſe docuimus. Cui ſic ſatisfacimus, antea, quam Domicilla delegata ſeu promiſſa eſſet Statilio Equiti Rom. pronuntiatam ciuem Romanam recuperatorio iudicio, aſſerente patre Flauio Liberali, quod ex Suetonii verbis facile colligitur; vnde & factum, vt Veſpaſiano ciui Rom. nubere potuerit, ſponſione ſeu delegatione facta Statilio irrita, vel effectum minime ſortita.

C. SVET

## C. SVET. TRANQVIL. IN VESPASIANO.

### Cap. V.

*Prandente eo quendam, canis extrarius triclinio manum humanam intuli; menſaque ſubiecit.*

QVidam *externus* reponendum putat, eo quod extrarius minime vox Latina ſit, at profecto iniuria: nam non ſolum Latinam eſſe vocem, ſed & maxime propriam conſtat, & ab extero & externo differentem. Namque ait Feſtus, Extrarium dici, qui extra focum iuſque noſtrum ac ſacramentum eſt. Extraneum vero dicunt Grammatici, quaſi exterraneum, hoc eſt, alienigenum, & ex altera terra, quod & Beroaldus ipſe docet. Iure itaque Suetonius *canis extrarius* ſcripſit, ſignificans canem fuiſſe extra focum Veſpaſiani: minime vero ex iis, qui domi alebantur, quod etiam ex mox dicendis apertius reddetur. Apuleius in ſecunda Apologia ſcribit: *Praeterea minabatur ſi extrario nupſiſſet, nihil ſe filiis eius, ex paternis eorum bonis teſtamento relicturum*; Vbi proculdubio extrarius accipitur pro eo, qui non ſit domeſticus, & ex eadem familia. Et Terentius in Phormione:

*Hanc conditionem ſi cui tulero extrario.*

Apud Lucretium quoque legimus, *lucem extrariam.* Cicero de Inuen. ad Her. *Quum ipſam rem, quam nos feciſſe confitemur, iure factam dicimus, ſine vlla aſſumptione extrariae defenſionis.* Ita & extraria vis, apud Iuriſconſultos, *l. trigeſimaprima, §. fina. D. locat.* Quintilianus, libro ſeptimo, capite ſecundo, *Quum in perſonam certam transfertur accuſatio, aut in extrarium*, id eſt, extra rem, de qua agitur. Ex his itaque conſtitutum ſit, recte & Latine *extrarius canis* dictum Suetonio, & magis proprie, quam ſi exterum vel extraneum ſcripſiſſet.

C. SVET.

## C. SVET. TRANQVIL. IN VESPASIANO. CAP. VIII.

*Claſſiarios vero, qui ab Hoſtia & Puteolis Romam pedibus per vicos commeant, petentes conſtitui ſibi aliquid calcearii nomine, quaſi parum eſſet, ſine reſponſo abegiſſe, iuſſit poſt hac excalciatos curſitare, & ex eo ita curſitant, &c.*

CAlciarium interpretantur omnes donatiuum, quod dabatur in coemendis militum calceis, vt *in Pandectis Florentinis* legitur, vbi fit mentio apud Vlpianum, *Lcum hi*, §. *qui tranſigit*, *D. de tranſact.* De calceario quoque, arbitrio Prætoris tranſigendum eſt. Legimus etiam in l. Diariis, D. de alim. & cib. lega. *Diariis & cibariis relictis neque habitationem, neque veſtiarium, neque calciarium deberi palam eſt.* Claſſiarios itaque milites petentes calcearium, non ſolum abegit Veſpaſianus, ſed & in poſterum in ignominiam, vt excalceati curſitarent, iuſſit. Et quod Suetonius Calcearium vocat, vocaſſe puto Tacitum *libro 3. Hiſtor.* Clauarium, id eſt, donatiuum in clauos calcearios impendendum; quod antea à nemine animaduerſum ſcio. Vnde & clauarius appellatus Suetonii pater, quod præfectus fuerit clauario donatiuo Imperatorio inter milites diſpartiendo. Quod enim calceis militaribus calcearentur milites, conſtat ex Lampridio *in Alexandro*, vbi inter veſtimenta militaria connumerat & calciamenta. Et apud eundem *milites calceati* dicuntur. Et Flauius Vopiſcus *in epiſtola militari Aureliani* ſcribit: *Militis arma terſa ſint ferramenta ſamiata, calciamenta fortia.* Et D. Paulus in armatura Chriſtianorum inſerit, *vt habeant pedes calceatos.* Et D. Hieronymus in lib. quid cauendum, in libris περὶ ἀρχῶν, & in epiſtola de Origenis erroribus, docet calceatis pedibus pergere, necubi à ſerpentibus mordeatur. Et in Deut. *Ferrum & æs calciamentum eius.* His autem fortibus calciamentis ſeu militaribus infigi ſolitos clauos peracutos, præſertim in ea parte, in qua planta pedis circumueſtitur calceo, vt firmius ſolo pes militis in pugna hæreret, palam fit ex Ioſepho *de bello Iudaico, libro ſeptimo, capite tertio*, vbi de Iuliano fortiſſimo milite ita ſcribit: *Calceos habens creberrimis, atque acutis clauis, vt cæteri*

*vt cæteri ſolent milites, fixos, dum ſtrato ſaxeis cruſtis ſolo occurreret, labitur, magnoque cum ſono armorum ſolo deiectus in tergum fugientes reduxit.* De eodem Iuliano & Egeſippus de excidio Hieroſolymitano *libro 5. cap. 30.* inquit: *Hic Iulianus, qui tergo imminebat hoſtium, dum alios perimit, & clauſtro coercet, ipſa alacritate incautior, confixum clauis calciamentum gerens, vſu militarium virorum, non conſiderauit polito lapide ſolum ſtratum, quod cauendum foret, ſed quaſi in campo præliaretur, ſecurus labitur, & ingentem ſtrage ſua ſonitum dedit.* Apud Plinium *libro 10. capite 18. & libro 34. cap. 14.* obſeruamus clauos caligares, quos ferreos vel ex chalybe paratos *libro 22. cap. 22.* tradit; quibus in locis legendum potius *caleares*, quam *caligares* exiſtimamus; quum & apud eundem *lib. 33. cap. 3.* legamus, Agnonem Alexandri magni præfectum aureis clauis ſuffigere crepitas ſolitum. Quinimo Valerius Maximus, *libro 9.* author eſt, Antiochum Syriæ Regem, & milites exercitus eiuſdem magna ex parte aureos clauos crepidis ſubiectos habuiſſe. Hinc apud Suetonium *in Veſpaſiano, cap. 23.* legimus: *Mulionem in itinere quodam ſuſpicatus ad calceandas mulas deſiliſſe, vt adeunti litigatori ſpatium moramque præberet, interrogauit quanti calceaſſet.* Quo in loco calceare mulas, ſoleis ferreis pedes munire ſignificat. Ita Plinius *lib. 11. cap. 45.* de camelis ſcribit: *Pes imus veſtigio carnoſo, qua de cauſa in longiore itinere ſine calceatu fatiſcunt.* Et Catullus ad Coloniam inquit:

*Et ſupinam animam graui derelinquere cœno*
*Ferream vt ſoleam tenaci in voragine mulam.*

Ita & metaphorice apud Plautum *in Captiuis*, paraſitus Ergaſilus ſedentes calceatos pedes habere ioco dixit, id eſt, ferreos, vel ferro munitos.

## C. SVET. TRANQVIL. IN VESPASIANO. CAP. XXI.

*Poſt deciſa quæcunque obueniſſent negotia, geſtationi, & inde quieti vacabat; accubante aliqua Pallacarum, quas in defunctæ locum Cœnidis plurimas ſubſtituerat.*

NOn ab re Suetonius elegantiſſimus hiſtoriæ ſcriptor voce Græca ad Latinos translata vſus eſt, poterat enim concubi-

*concubinæ, pellicis*, aut *amicæ* vocibus vti, quæ Latinis frequentes ſunt. Cuius rei cauſam, (non enim id caſu & inconſulto factum exiſtimo) quum interpretes prætermiſerint, reticere nolumus. Pallacam παλλακὴν Græci dixere, aliud quam voces iam dictæ, & quid differens ſignificantem. Nam ſicuti Pellex ea proprie dicitur, quæ cum eo concumbit, qui vxorem habet, ita Pallaca ſeu Pallace proprie vocatur, quæ cum cœlibe conſueſcit: quæ diſtinctio colligitur ex Feſto *libro* 14. ſcribente: *Pellicem eam antiqui nominabant, quæ vxorem habenti coniungebatur.* Et Gellio libro 4. cap. 3. *Pellicem autem eam appellatam, probroſamque eam habitam, quæ iuncta conſuetave eſſet cum eo, in cuius manu mancipioque alia matrimonii cauſa foret*; Quod lege antiquiſſima hac oſtenditur, quam Numæ fuiſſe accepimus: *Pellex AEdem Iunonis non tangito, ſi tangit, Iunoni crinibus demiſſis agnum fœminam cæditο.* Ouid. *lib. 6. Metamorph.* de Philomela:

*Pellex ego facta ſororis.*

Et Cicero pro Cœlio: *Vxor generi, nouerca filii, filia pellex.* Et Suetonius ipſemet *in Cæſare, cap.* 49. Cæſarem ipſum Bithyniæ Reginæ Pellicem dixit, quod cum eo Nicomedem Regem rem habuiſſe crederetur. Liuius *libro* 4. *belli Macedonici*, Perſeum Philippi Regis filium ex pellice ortum, & Demetrium ex iuſta matrefamilias, dixit. Pallacam autem dici, quæ cum non vxorato rem habet, patet ex Plinio ſcribente, *libro* 35. *cap.* 10. Alexandrum Apelli dono dediſſe Campaſpem ſibi dilectam, & Pallacem, quam ob formę præſtantiā quum nudam illi pingendam tradidiſſet, Apelles illius amore captus eſt. Ita & Q. Curtius geſtorum Alex. Magni ſcriptor, eadem voce Pallacis vſus eſt, quamuis incuria librariorum, in quibuſdam exemplaribus *Pellicem* legamus. Sic *in lege Maſſurius, de verb. ſign.* adnotauit Budæus, Pallacem dici Græco verbo eam, quæ vxoris loco in domo ſine nuptiis ſit, quam iniuſtam vxorem vocaſſe Iuriſconſultum puto, *in l. ſi vxor, § ſed ſi ea ſit. D. de adult.* quam ibi illegitimam & putatiuam exponunt Gloſſa, & Bart. licet alii authoritate Homeri *lib. 9. Iliad.* iniuſtam vxorem exponāt, cum qua quidem matrimonium ſit, ſed nō ſolenniter celebratum. Hanc noſtram diſtinctio-

 nem

nem confirmant Paulus *in d. l. Maſſurius* 144. *de verb. ſign.* addens authoritatem Flacci *in lib. de iure Papiniano*; & Valla *lib.* 6. *Eleg. c.* 48. Quod vero per dictionem *Pallacarum* Suetonius intellexerit eas, quæ cum Veſpaſiano inuxorato commiſcebantur, demonſtrant verba illa; *quas in defuncta Cœnidis locum plurimas ſubſtituerat.* Huiuſmodi autem fuiſſe Cœnidem docet idem Suet. *in Veſp. c.* 3. ſcribens: *Poſt vxoris exceſſum, Cœnidem Antoniæ libertam & à manu, dilectam quondam ſibi, reuocauit in contubernium, habuitq; etiam Imperator pene iuſta vxoris loco.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN VESPASIANO. CAP. XXII.

*Erat enim dicacitatis plurimæ, & fere ſcurrilis, ac ſordidæ, vt ne prætextatis quidem verbis abſtineret.*

Beroaldus *prætextata verba* exponit obſcœna, ita dicta, quod prætextatis nefas eſſet verbis obſcœnis vti. Vel quod alii putarunt, quod nubentibus depoſitis prætextis, à multitudine puerorum obſcœna clamarentur. Quæ expoſitio authoritati Feſti innititur, eadem ad verbum ſcribentis. Torrentius prætextata verba exponit, quæ viros ingenuos minime decerent. Prætextatos enim vocabant ingenuos, quibus prætexta vti tantum liceret. Nam libertinis nunquam, niſi poſtremis temporibus prætexta vti haudquaquam fas fuit, teſte Macrobio *libro primo Saturnalium, cap. ſexto.* Turnebus *libro Aduerſ.* 24. *cap.* 36. interpretatus & ipſe eſt prætextata verba obſcœna, & turpia, ſed aliam rationem aſſignat, à fabulis ſcilicet prætextis, quales Afranii fuere. In quibus fœdiſſima & turpiſſima dicta & argumenta erant, fuerunt enim Comœdiæ quædam prætextæ, quædam togatæ; Vnde Horatius cecinit:

*Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.*

Ego ſicuti has interpretationes non reiicio, nec improbo, tamen nimis extortas & à longinquis petitas cenſeo. Proinde prætextata verba expono *puerilia*; Ita vt ſenſus ſit, Veſpaſianum dicacitati adeo addictum, vt nonnunquam à ſcurrilibus, ſordidis & puerilibus verbis non abſtineret. Sic enim & interpretor illud Macrobii lib. Saturnal. 2. *Hæc nobis ſit literata lætitia,*

*lætitia, & docta cauillatio, vicem planipedis & ſubulonis, impudica, & prætextata verba iacientis*; non enim impudica & prætextata illi ſynonyma, ſicuti nec Suetonio ſcurrilia, ſordida, & prætextata verba. Facile autem hæc noſtra interpretatio comprobari poteſt; Siquidem omnibus receptum, pueros & puellas Romæ prætexta vſos vſque ad annum decimumſeptimum, quo præterito virilem togam aſſumebant, prætexta depoſita; ſic Cic. in procemio Lælii; *Pueri togam ſumentes prætextam deponebant.* Et in Verr. *Eripies igitur pupillæ togam prætextam.* Et iterum: *Pupillus cum toga prætexta.* Clarius autem Suetonius *in Auguſto, c.* 56. vbi illum queſtum ait, quod ab vniuerſis filiis ſuis adhuc prætextatis aſſurrectum eſſet. & *c.* 8. vbi illum duodecimum annum agentem auiam Iuliam defunctam pro concione laudaſſe ſcribit, quadriennio poſt virili toga aſſumpta. Et Macrobius *libro Saturnal.* 1. tradit Tarquinium Priſcum filio ſuo decimumquintum annum agenti, eo quod bello Sabino hoſtem percuſſerat, prætextam donaſſe, quæ poſtea communis fuit pueris nobilibus, quod pariter confirmat Val. Max. *capite de Indole*; Hinc prætextata ætas, pro puerili, Gellio *libro primo, cap.* 23. & Iuriſperitis, *l.* 3. *§. fina. de lib. exhib. lib.* 43. *P. tit.* 29. & prætextatum; prætextatamque pro puero & puella, 4. *Inſtit. tit. de Iniuriis*; §. 1. Ita Iuuen. *Sat.* 10.

*Ne prætextatum rapuit Nero loripedem, vel*
*Strumoſum.*———

Et mores prætextatos, id eſt, pueriles, dixit idẽ author *Sat.* 2.

*Sic prætextatos referunt Artaxata mores.*

Et prætextati anni, id eſt, pueriles, Plinio *lib.* 33. Erant itaque Suetonio prætextata verba, puerilia ſcilicet, & non grauia, qualia Imperatori Veſpaſiano (inquam) conueniebant.

## C. SVET. TRANQVIL. IN TITO.

### CAP. III.

*E pluribus comperi, notis quoque excipere velociſſime ſolitum.*

NOtis ſcribere, multifariam accipi poſſe ex veterum ſcriptorũ monumentis colligimus. Nã vulgo tabellio-

num primas exceptiones & præſcriptiones informes, Notas appellauere Iuriſtæ, *vti in c. cum P. tabel. de fid. inſtrument.* quas poſtea tranſcribunt notarii in proprio Codice, quas & vulgo appellant minutas, eo quod minutis literis ſcribantur, & etiam protocolla, vocant & *Baſtardellum*, vt notat Baldus *in rubrica, de fide inſtrumen.* videlicet quum ſcribit Notarius, *talis Petrus, talis loci vendidit, &c. talem rem, &c. Ioanni, &c. præſentibus talibus, &c. renuncians, &c.* A notis dicti notarii. Secundo Notis etiam dicuntur ſcribere, qui vice verborum extenſorum vtuntur characteribus quibuſdam, veluti apud antiquos, M. mille ſcribebatur, ↄ M ↄ decem millia, X. denarium, H-S. Seſtertium, & alia huiuſmodi, quibus notis vetitum ſcribi teſtamentum, *l. ſed cum patrono 6. § fin. de bonor. poſſeſ. P. §. 1. de teſtam. imperf. in auth.* Huiuſmodi autem notis pleni olim erant Iuriſconſultorum libri; ſed Iuſtinianus qnicquam in libris ſuis notis ſcribi vetuit, *l. 2. §. penult. C de vetere iure enucl.* Et ante Iuſtinianum ſi quæ notis in teſtamento ſcripta erant, pro nō ſcriptis habita. *Paulus, in l. 6. de bo. poſſeſſ. & in l. 40. de teſt. milit.* Vnde Tiberius Imperator legatum à Liuia Auguſta Galbæ in teſtamento factum, quia notata, non perſcripta erat ſumma, quod quingentis erat, ad quinquagies reduxit, & tandem legatum pro irrito habuit, *ex Suet. in Galba, cap. 5.* A poſtremis etiam Imperatoribus idem vetitum, tradente Baſilico Orientis Imperatore, ſe aduertiſſe occaſionem maleficii prauis hominibus dari, ſi ſcribantur notæ pro verbis, ideoque ſanxit vnciam, ſextans, ſemis, & alia huiuſmodi, literis, non notis ſcribi, vti *in conſt. 2. Baſilii, περὶ σημείων* legitur. Tertio ſcribere notis dicebantur antiqui, quando litera ſingulari vtebantur pro dictione, ſine vlla coagmentatione ſyllabarum, vti quando vna litera pro alia, vel numeri pro literis ſcribebantur; Ita vt ex earum vnione nullus ſenſus percipi poſſit, niſi ab illo qui notarum ſignificationem calluerit, vulgo dicunt *ſcriuere in Zifra*; Plutarchus *in Catone*, compendio quædam dictionum appellat, nam inquit: σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα. Has notas *Siglas* vocatas fuiſſe ſcribit Iuſtinianus Græca Pandectarum authoritate. Dd hiſce notis Suetonius

tonius *in Cæſare, cap.* 56. inquit: *Extant & ad Ciceronem, & ad Familiares domeſticis de rebus epiſtolæ, in quibus ſi quæ occultius perferenda, erant per notas ſcripta*, id eſt, ſic ſtructo literarum ordine, vt nullum verbum effici poſſit, quæ ſi quis inueſtigare vellet, aut perſequi, quartam elementorum literam, id eſt, d, pro a, & deinde reliquas commutet. Gellius *lib.* 15. *c.* 3. de Cæſaris notis ſcribit: *Cæſaris inueniuntur literæ ſingulariæ, ſine coagmentis ſyllabarum, ex quibus confici nulla verba poſſunt.* De hoc ſcribendi genere ſic Cicero Q. Valerio: *Reliquis Epiſtolis tantum faciam, vt notam apponam eam quæ mihi tecum inuenit.* Et libro 15. ad Attic. *Διὰ σημείων ſcripſeram.* Et Liuius: *Inſtruit ſecretis notis, per quas cognoſceret ſua mandata eſſe.* Quibus autem notis vteretur Titus, ad velociſſime excipiendum, mihi videtur aperte declarare Plutarchus *in Catone* ſcribens, orationem ipſius Catonis, & eam quidem ſolam exſcriptam ſeruatamq; fuiſſe Cicerone Conſule, velociſſimos ſcriptores deponente atque docente, vt per ſigna quædam, & paruas breueſque notas, multarum literarum vim habentes, ita quidem vt literæ (ſicuti etiam ſcribit Seneca) dictiones referrent, Catoniana dicta colligerent; quam orationem aduerſus Cæſarem de Catilinæ ſociis, notis exceptam ſua adhuc ætate extitiſſe idem Plutarchus atteſtatur. De hoc genere ſcribendi Seneca *lib. Epiſt.* 14. *ad Lucilium*, habet: *Quid verborum notas, quibus quamuis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequitur.* Solinus huiuſmodi notis ſcriptam fuiſſe Homeri Iliadem, quæ nucis putamine contineretur, author eſt. De huius generis ſcriptione & Quintilianus *libro vndecimo, capite ſecundo.* Et Manilius Aſtronomicus *ad Auguſtum lib.* 4.

*Ille ſcriptor erit felix, cui litera verbum eſt,*
*Quinque notis linguam ſuperet, curſumque loquentis*
*Excipiet longas noua per compendia voces.*

Et Auſonius Epigram. 150.

*Puer notarum præpetum ſolers miniſter aduola*
*Bipatens pugilar expedi.*

Et de Caſſiano martyre Prudentius περὶ στεφάνων, Hym. 19.

*Magiſter literarum ſederat*

*Verba notis breuibus comprendere cuncta peritus,*

*Raptimque punctis dicta prapetibus ſequi.*

Varro apud Seruium in 6. Æneid. *In foliis palmæ interdum notis, interdum ſermonibus ſcribebat.* De notis autem plura Iſidorus *lib.1.c.21.* Et Trithemius Abbas *de Polygraphia* ſcripſere.

## C. SVET. TRANQVIL. IN DOMITIANO.

### CAP. IIII.

*Nam venationes, gladiatoreſq; & noctibus ad Lychnuchos, nec virorum modo pugnas, ſed & fœminarum.*

MVlieres etiam nobiles in publicis ludis aliquando operam ſuam feciſſe memoriæ proditum eſt. Quod ex Dione retulit in Domitiano Xiphilinus de Ælia Catula muliere nobiliſſima & ditiſſima, & natu grandi, nata annos octoginta, hæc etiam ibibem addens: *Id vero turpiſsimum viſu atque grauiſsimum fuit, quod viri fœminæque, non ſolum Equeſtris, ſed & Senatorii ordinis in Circum & Amphitheatrum ingreſſæ ſunt.* Præterea fuiſſe à Domitiano inſtitutas fœminarum pugnas teſtatur Papinius, quum ait in primo Syluarum Syl. vltima.

*Stat ſexus rudis, inſciuſque ferri*

*Et pugnas capit improbus viriles,*

*Credas ad Tanaim, ferumque Phaſim, &c.*

Et Iuuenalis fœminarum impudentiam, quæ ſub Domitiano in pugnas Theatrales deſcendebant, ita ſatyrice dilacerat:

*——Neuia Tuſcum*

*Figit aprum, & nuda ſeruat venabula mamma.*

Suetonius *in Nerone c.11.* ſcribit de Circenſibus loquens: *Ex vtroque ordine & ſexu plerique ludicras partes ſuſtinuerunt.* Martialis quoque deſcribens Amphitheatrum Domitiani *in Epigram.6.* fœminei prælii ita meminit:

*Belliger inuictis quod Mars tibi ſæuit in armis,*

*Non ſatis eſt Cæſar, ſæuit & ipſa Venus.*

*Proſtratum Nemeis, & vaſta in valle Leonem,*

*Nobile & Herculeum fama canebat opus.*

*Priſca*

*Priſca fides taceat, nam poſt tua munera Cæſar,*
*Hæc iam fœminea vidimus acta manu.*

Hinc & illud Iuuenal. Saty. 2.

*Luctantem paucæ comedunt coliphia paucæ.*

Quantum autem à bonis moribus id alienum fuerit, ex eo ſcire licet, quod teſte Lactantio Grammatico, antiquitus apud Grçcos omnes, ſacrorum legibus interdictum fuit mulieribus, ne ſe Olympicis certaminibus, ſpectandi gratia immiſcerent. Vnde Thebaides primo P. pirius:

—*Excluſæque expectant præmia matres.*

Et Menander Rhetor ſcriptum reliquit, quod in quibuſdam Panegyricis non viſuntur mulieres, vt in Olympia. Et Pauſanias *Eliacorum primo* inquit, Pherenicem, quod Olympicorum tempore Alpheum amnem tranſire auſa eſſet, quod capitale erat, quæſitam ad pœnam. Author eſt Pauſanias, eo quod Calipatria mentito habitu Gymnaſtico in arenam deſcendiſſet, legem in reliquum latam, vt in certamine nudi prodirent Gymnaſtæ. Apud Suetonium *in Tiberio, cap. 35.* habemus, fœminas famoſas ad euitandas legum pœnas, iure ac dignitate matronali ſponte exolutas, lenocinium profiteri, vt & operam ſuam Scenæ impune locare poſſent. Quod & viros profligatiſſimos feciſſe etiam tradit, quum ſcilicet eadem ratione & viri infames impune in arena verſabantur. Papinianus in l. 10. de adult. *Mulier* (inquit) *quæ euitandæ pœnæ adulterii gratia lenocinium facit, aut operas ſuas Scenæ locauit, adulterii accuſari damnarique Senatuſconſulto poteſt.* Plutarchus *in Apophtheg.* tradit, apud Lacedæmonias prohibitum fuiſſe mulieribus ad Comœdiarum ſpectacula pergere. Verum ne illum morem tantum fuiſſe Græcis quis exiſtimet, legat Æmylium Probum *in proœmio Vita. Imper.* vbi Romanos maxime abominaſſe tradit, quod mulieres ad ſpectacula publica intereſſent, vnde Theodoſius & Valentinianus *in l. conſenſu, l. 8. §. vir quoque, de repud. lib. 5 C. tit 17.* enumerant inter cauſas, ob quas vir vxorẽ repudiare poteſt, ſi vxor circenſibus vel theatralibus, vel arenarũ ludis & ſpectaculis, illis locis, in quibus hæc aſſolent celebrari, marito prohibẽte fuerit. Et Octauius Auguſtus, teſte Suetonio *in illius vita,*

*cap.*44. Athletarum ſpectaculo muliebrem ſexum omnem adeo ſummouit, vt in Pontificalibus ludis pugilum par poſtulatum, diſtulerit in ſequentis diei matutinum tempus, edixeritque, mulieres ante horam quintam venire in Theatrum non placere. Ita P. Sempronius Sophus coniugem repudii nota affecit, non ob aliam cauſam, quam quod ipſo ignorante ludos ſpectare auſa eſſet, ſi Val. Max. *libro 6. cap.5.* credimus. Si itaq; Theatrorum ludos ſpectare mulieribus, præſertim florente Rep. erat interdictum, quam dolendum eſt, inclinante eadem & imperantibus malis Imperatoribus adeo corruptos mores, vt ipſis ludos exercere & in arenam deſcendere permiſſum ſit, nedum facultas ſpectandi? Ita apud Suetonium *in Caligula*, legimus cap. 26. *Inquietatus fremitu. gratuita in Circo loca de media nocte occupantium, omnes fuſtibus abegit, eliſique per eum tumultum viginti amplius Equites Rom. totidem matronæ ſuper innumeram turbam cæteram.* Plutarchus in Sylla Dictatore, vbi de illius & Valeriæ nuptiarum occaſione tractat, mulieres & viros promiſcue tunc temporis ſpectaſſe his verbis docet: *Paucos poſt menſes gladiatorium ſpectaculum edidit, locis necdum diſtinctis ſed promiſcuis, in Theatro viris ac mulieribus, decoram ſpecie fœminam, & genere illuſtrem prope Syllam ſedere contigit.*

## C. SVET. TRANQVIL. IN DOMITIANO.

### CAP. VII.

*Sportulas publicas ſuſtulit, reuocata etiam cœnarum rectarum conſuetudine.*

SPortulæ ſeu ſportellæ, teſte Aſconio, diminutiuum eſt à ſporta. Sportæ autem dictæ à *ſparto* herba, quæ frequens apud Hiſpanos naſcitur, de qua Plinius *lib.* 24. ex qua contexebantur ſportæ. Erant itaque ſportulæ, paruæ ſportæ ad eundem vſum paratæ, ad quem & ſportæ ipſæ. In quem ſenſum accepiſſe conſtat Plautum in Curc.

*Qui incedunt ſuffarcinati cum libris, cum ſportulis.*

Et in Menæ.

*Sportulam cape atque argentum,*

*Ecce*

*Ecce nummos tres habes,*

*Abi, atq; obſonium affer.*

Appellauerunt etiam antiqui Romani ſportulas ſportellas illas, quas obſoniis & penuariis rebus refertas ſingulis patritiis exhibebant Principes viri & Imperatores lætitiæ ergo & liberalitatis, loco cœnæ rectæ, vt alias adnotauimus, quæ diſpenſabantur in primo limine domus. Vnde Iuuenalis Sat. 1. ſcribit:

*—— Sportula primo*

*Limine parua ſedet, turba rapienda togata.*

Et Martialis *lib.* 8. *Epigram.* 50. ad Cæſarem Domitianum:

*Grandia pollicitis, quanto maiora dediſti*

*Promiſſa eſt nobis ſportula recta data eſt.*

Hinc forte Cic. *in epiſt. ad Papir. Pat.* ſportellas genus quoddam bellariorum appellauit. Interdum vero ſportulæ huiuſcemodi obſoniariæ loco, numi certa quantitate dabantur, vtputa centum quadrantes. Quod colligimus ex Martiale, *lib.* 1. *Epigram.* 2. ad Flaccum:

*Dat Baiana mihi quadrantes ſportula centum,*

*Inter delicias quid facit iſta fames?*

Et *lib.* 3. *Epigram. lib.* 7. de ſportula:

*Centum miſelli iam valete quadrantes.*

Et Iuuenalis Sat. 1.

*Sportula quid referat, quantum rationibus addat*

*Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc eſt,*

*Et panis, fumusq; domi, denſiſsima centum*

*Quadrantes lectica petit.*

Vbi Domitius interpres: *Ex ſportula*, inquit *omnia ſibi coemebant, quæ ad victum & cultum pertinebant.* Vnde Martialis lib. 5. Epigram. 77.

*Sportula nulla datur, gratis conuiua recumbis,*

*Dic mihi, quid Romæ Gargiliane facis?*

*Vnde tibi togula eſt, & fuſca penſio cella,*

*Vnde datur quadrans, vnde vir es Chiones?*

Mos autem erat, huiuſmodi ſportulas impartiri nobilibus tantum; vnde Martialis ipſe:

*—— Iubet à præcone vocari*

*Ipſos Troiugenas, nam vexant limen & ipſi*
*Nobiſcum, da Pratori, da deinde Tribuno.*

At & aliquando plebeis hominibus vna etiam datas ſportulas obſeruamus. Plinius enim ad Traianum ſcribens, ita inquit: *Qui virilem togam ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam bullam, atq; etiam è plebe non exiguum numerum vocare, binosq; denarios, vel ſingulos dare, quod an celebrandum, & quatenus putes, rogo ſcribas. Ipſe enim, ſicuti arbitror, præſertim ex ſolemnibus cauſis concedendum iuſſi ſti inuitationes.* Et Traianus ad Plinium reſcribit: *Merito vereris ne in malam ſpeciem incidat inuitatio, quæ & in numero modum excedit, & quaſi per corpora, non viritim ſingulos ex notitia ad ſolemnes ſportulas contrahit.* Nuptiales ſportulas in eundem ſenſum obſeruamus apud Apuleium, quippe inquit: *Ita placuerat in ſuburbana villa potius vt coniungeremur, ne ciues denuo ad ſportulam conuolarent.* Erogationes illæ quoque, quæ in ordinem decurionum fiebant, id eſt, honorarium, quod decurionibus dabatur, ſportulæ appellatæ fuere, de quibus Papinianus *in l. Spurij, in tit. de Decurionibus*, ita ſcribit: *Minores viginti quinque annis decuriones facti, ſportulas Decurionum accipiunt, ſed interim ſuffragium inter cæteros ferre non poſſunt.* Quod etiam ex Epiſtola Plinii ad Traianum, *lib.* 10. clare patet. Sed & pecunias illas, quæ à iudicibus vel viatoribus, id eſt, executoribus litium ac negotiorum pro ſalario dabantur, ſportulas appellatas obſeruamus. Multis in locis, & paſſim apud Iuriſperitos, & præſertim in Iuſtiniani Codice titulus eſt notiſſimus, qui inſcribitur *de ſportulis.* In Inſtit. quoque Tribonianus ait: *Quum quidam maiorem vera æſtimationis quantitatem in libello conuentionis inſeruit, & ex hac cauſa viatores. id eſt, executores litium, ampliorem ſummam ſportularum nomine exegerint, tunc ad id, quod propter eorum cauſam damnum paſſus fuerit, reus triplum ab actore conſequatur.* Suidas author eſt, decimam partem eius, quod à debitore petebatur, pro ſportula dari ſolitum, *in authent. de iudic. §. ſi quis autem*, in cauſa, quæ centenario maior ſit, coarctatum legimus, vt octo aurei ſoluantur, quum alioquin denos neceſſarium fuiſſet præſtari. Has iudicum ſportu-

las in Gallia *eſpices* vocari, tradit Petrus Gregorius *Syntagmatum libro trigeſimo ſexto*, easque ibidem nimias, & ad libitum extorqueri conqueritur. In quem ſignificatum & Græcos πρυτανεῖα accepiſſe, obſeruauit Ariſtophanis interpres *in Nubibus*, vbi Stepſiades ſenex conqueritur, quod vereretur, ne Prytaniis condemnaretur. Interpres *Prytania* ſcribit nuncupari à Græcis, quod Romani ſportulam dicunt. Prytanorum in eundem ſignificatum meminit etiam Iſocrates *ad Callimachum*. Prytanea autem à Græcis vocatas ſportulas, quas dixere Romani, etiam exiſtimare poſſumus in priori ſignificatu, de quo nos ſupra per quandam ſimilitudinem, eo quod in Prytaneo, qui locus erat Athenis Iudicibus & Magiſtratibus dicatus in arce digniſſimus, alerentur publice, qui bene meriti erant de Republica. Ita Cicero lib.1. de Orat. *Et vt ei victus quotidianus in Prytaneo publice praberetur.* Sportulas etiam in iure ciuili obſeruamus, quandoque dici annua ſalaria, ſeu municipales erogationes ( vt alii interpretantur ) *in l.120. D.de leg.1.* Apud Cecil.*libro ſecundo*, ſportulæ accipiuntur pro mercede aduocatis data. Sed & Cyprianus *Epiſtola trigeſima quarta*, ſportulas vocat, quæ Chriſtianorum conſuetudine Sacerdotibus diſtribuebantur, his verbis : *Presbyterij honorem deſignaſſe nos illis iam ſciatis, vt ex ſportulis ijſdem cum presbyteris honorentur, & diuiſiones menſtruas æquatu quantitatibus partiantur.* Vnde etiam ſportulantes appellari ab eodem, *Epiſtola ſexageſima ſexta*, quibus dabantur ſportulæ. Apud noſtrates pecuniæ, quæ in Ducali Cancellaria perſoluuntur, ſportulæ dicuntur à participantibus, qui à libellis & à ſecretis Principis ſunt, quorum in numero & nos alias fuimus. Ex dictis clare patere exiſtimo, hoc in loco ſportulas publicas à Suetonio appellari, quæ rectæ cœnæ apponebantur, & illius vice exhiberi quandoque ſolebant. Ammianus Marcellinus *libro decimoquarto*, deteſtatur diſtributionem ſolemnium ſportularum, & enumerat inter cætera, quæ antiquam Romanorum virtutem fregerunt, &c. Sportularum fit mentio nõ ſemel in marmoribus antiquis; Vt in quodam in Eccleſia ruinoſa Romæ prope portam

Portuen-

Portuenſem: *FL. ANNII, qui die natali ſuo III. Kal. Maias ſportulas viritim diuidendas voluit.* Extant alia in domo D. Franciſci Nouelli: *T. Pomponius Repentinus Nomenclator dedicauit XV. Kal. Iul. M. Marulo, & Aeliano Coſſ. Ob Dedic. ſportulas dedit ſingulis* * *II.*

## C. SVET. TRANQ. IN DOMITIANO.
### CAP. VII.

*Geminari legionum caſtra prohibuit, nec plus quam mille nummos à quoquam ad ſigna deponi.*

INter plura verbi (*deponere*) ſignificata familiare & vſitatum eſt, cuſtodiendam rem dare, de quo Iuriſconſulti *per tot. tit. D. & C. depoſiti*, & depoſitum illud, quod cuſtodiendum alicui datum eſt. Moris antiquis Rom. fuit, pecunias in foro Romano in æde Caſtoris deponere. Vnde Iuuenalis Satyr. 14.

*——Aerata nullus in arca*
*Numus, & ad vigilem ponendi Caſtora numi.*

Herodianus *lib.* 1. ſcribit, Romanos in templo Pacis pecunias ſuas deponere ſolitos. Iuriſconſulti ſæpe in æde ſacra deponi debere iubent, vt *in l. ait prætor, in P. l. acceptum, de vſur. C.* Quod moris & Hebræis fuiſſe, elicimus ex 1. *Macchab. cap* 3. vbi ſummus Sacerdos Heliodoro volenti exportare è templi ærario pecunias, ait, eas eſſe depoſita & victualia viduarum & pupillarum. Author eſt Thucydides, primo Athenienſes in templo Delii ſolitos deponere publicas pecunias, quod pariter confirmat Æmilius Probus *in Ariſtide*, qui etiam *in Annibale* tradit, depoſitum Gorthynis præſentibus factum in templo Dianæ. Cicero 2. *de Legib.* ſcribit, Alexandrum in Cilicia apud Solem in delubro depoſuiſſe pecuniam, & Cliſthenem Athenienſem cum reſemet ſuis depoſuiſſe in templo Iunonis Samiæ dotes filiarum. Et Plautus *in Bacchid.* inquit: *Nos apud Thotimum omne aurum deponimus, qui illic Sacerdos Dianæ Epheſiæ eſt. Quin ipſa in æde Dianæ conditum eſt ibi.* Macrobius *lib.* 1. *Saturnal. c.* 8. tradit,

tradit, pecunias publicas ſolitas deponi in ærario, quod Romæ erat in Saturni templo. Quod ſicuti pacis tempore, & ab vrbem incolentibus factum manifeſtum eſt, ita in bello à militibus ſecus actum obſeruamus, præſertim ex hoc Suetonii loco, vbi habemus, milites, quæ ſuper quotidianum vſum & neceſſarium victum ſuperfluebant, ad ſigna deponere conſueuiſſe. Cuius rei duplicem cauſam aſſignat Vegetius *lib. 2. cap.* 20. inquiens: ***Diuinitus inſtitutum eſt, quum milites publica ſuſtinerentur annona, ex donatiuo, quod conſequebantur, pars dimidia ipſis ſeruaretur, ne inutiliter ſe abſumerent, & depoſiti memores ſigna non deſererent.*** In reddendo autem depoſito inuiolabiliter fides ſeruanda, quod non ſolum ex ſacris paginis, vti *Leuit. cap. 6.* ſed & ex legibus ciuilibus ſancitum palam eſt, ita vt & furti depoſitum reſtituendum, etiam docuerit Baldus *in tit. depoſit.* Secus tamen Cic. quando ſcilicet vtilitas vel bonum publicum aliter ſuadent; ait enim lib. Offic. 3. ***Si gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum ſit, non reddere officium.*** Et alibi: ***Si quis apud te pecuniam depoſuerit, & bellum patriæ inferat, reddesne depoſitum?*** Huic publicæ vtilitati proſpiciens Domitianus, quum animaduerteret, L. Antonium res nouas molientem, fiduciam etiam cœpiſſe ex duarum legionum depoſitorum ſumma, prohibuit, ne in poſterum miles quiuis plus mille numos ad ſigna deponeret; Priſcum morem penitus abolere non ex re putans, ſed tutius moderamen futurum, ſi ſummam militaris depoſiti imminueret. Ælius Spartianus tradit, Peſcenninum Nigrum Imperatorem tantæ ſeueritatis in re militari fuiſſe, vt omne argentum ſummouerit ab vſu expeditionali, addito, vt ligneis vaſis vterentur; dicebat enim, poſſe fieri, vt ſarcinæ militares in poteſtatem hoſtium venirent, ſeque barbaræ nationes argento noſtro glorioſiores facerent. Iuſſit item, ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos numos portarent, ſed publice commendarent, recepturi poſt prælia, quæ dederant, addens, liberis eorum & vxoribus hæredibusque certe reddendum, qui veniſſent; ne ad hoſtes aliquid prædæ proueniret, ſi quid forte aduerſi fortuna feciſſet. Quum vero

vero ſecus aliquando factum, magnum incommodum ſubſequutum, quod Liuius teſtatus eſt *lib.33.* ſcribens, milites quamplurimos ab hoſpitibus oppreſſos, eo quod argentum in zonis negotiandi cauſa haberet in commeatibus. Addamus & nos, ideo pecunias militares reponi ſolitas apud ſigna, potiſſimum duplici ex cauſa. Primam elicimus ex Liuio, *libro 22.* vbi de pugna, quæ fuit ad Thraſymenum lacum, verba faciens, tradit, eum locum tutiorem fuiſſe: nam pro ſignis pugnabant anteſignani, & poſt ſigna alia acies idem faciebat. Sola enim Aquila præibat, docente Plinio, *lib.10.cap.4.* & Ioſepho *de bello Iudaico, lib.3.cap.5.* Secunda cauſa erat, quod nonnihil diuini & ſacri ſignorum loco ineſſe credebant Romani; ideo Romani ſigna, quæ in caſtris ante prælium humi erant fixa, haud ante quam capitatis auſpiciis in prælium prodibant, quæ ſi faciliime euellerentur, proſperrimi augurii & indubitatæ victoriæ indicium habebatur; quod ſi econtra in euellendo magno conatu opus foret, malum omen portendebat; quod Cicero *lib. de Diuinat.* Liuius *lib.1.& 22.* tradidere. Ita Craſſus cum filio in bello Parthico occiſus, qui in prælium iturus, auellere ſigna vix potuit. Vnde & Virg. lib. 11.

*—— Vbi primum vellere ſigna*
*Annuerint ſuperi pubemq; educere caſtris.*

Sicuti itaque, vt diximus, pacis tempore in æde aliqua ſacra pecuniæ deponebantur, ita vigente bello à militibus penes ſigna, tanquam in loco ſacro.

## C. SVET. TRANQ. IN DOMITIANO. CAP. VII.

*Addidit & quartum ſtipendium militi aureos ternos.*

STipendium à *ſtipe* dictum, tradit Iſid. *orig. lib.16.* ſtipendium vero militare ex publico, vt alias diximus, Senatum decreuiſſe, poſtquam tres exercitus opulentum oppidum Auxures diripuiſſent maximo cum plebis gaudio, conſtat ex Liuio, *lib.4. anno ab V.C.347.* quod de peditibus intel-

intelligendum eſt, non equitibus, quibus tantum triennio poſt præſtitutum fuiſſe, ibidem Liuius teſtatum reliquit. Quantum autem fuerit tunc ſtipendium, nec apud ipſum, nec alios ſcriptores legimus, cuius rei cauſam elicere poſſumus, vt ego puto, ex eodem Liuio inquiente paulo infra: *Poſtremo indicto iam tributo, edixerunt etiam tribuni, auxilio ſe futuros, ſi quis in militare ſtipendium tributum non contuliſſet. Patres bene cœptam rem perſeueranter tueri, conferre ipſi primi, & quia nondum argentum ſignatum erat, æs graue plauſtris quidam ad ærarium conuehentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant.* Ex quibus coniectari licet modum ſtipendii, quod in ſingulos milites perſoluebatur, minime determinatum, quum eo tempore nullus nummus aut pecunia argento cuſa extaret, ſed pondere æs praue partitum & ſolutum eſſet. Quum vero ſignari aurum & argentum cœptum, ſingulo pediti fuiſſe aſſes quinque in ſingulos dies, coniectura pariter aſſequi poſſumus, quum nihil de re hac à ſcriptoribus hiſtoriæ memoriæ mandatum ſit. Initio quidem perexiguum fuiſſe Polybius ſuo tempore oſtendit; Quod autem quini aſſes fuiſſent indies, colligimus ex Suetonio *in Cæſare, capite* 26. vbi ſcribit: *Legionibus ſtipendium in perpetuum duplicauit.* Verum quum Auguſti exceſſus tempore, teſte Tacito, denos indies aſſes milites acciperent, nec ipſum ampliaſſe militum ſtipendia, tradat Suetonius, *cap.* 49. reliquum eſt, ante Iulium Cæſarem quinos aſſes meruiſſe ſingulo die pedites, & quod res, vt diximus, ita ſe habeat, audiamus Tacitum, *libro* 1. *Annal.* vbi de ſeditione Pannonica loquens, quæ per initia Principatus Tiberii accidit, milites eam agitantes dicunt: *Enimuero militiam ipſam grauem, infructuoſam, denis in diem aſſibus corpus & animam æſtimari.* Hoc autem ſtipendium auctum in denarium vſque, vt ſatisfieret legionibus tumultuantibus, à Tiberio inter cæteras conditiones petentibus, ex Tacito conſtat eodem libro. Petebant enim legionarii, vt ſingulis denarius in diem daretur, ſextusdecimus annus ſtipendii finem afferret, nec vltra ſub vexillis tenerentur, ſed iiſdem in caſtris præmium pecunia ſolueretur. Et paulo poſt: *Reſponſum eſt à concione, mandata eſſe*

*Clementi*

*Clementi Centurioni, quæ perferret. Is orditur de miſſione à ſexdecim annis, de præmiis finitæ militiæ, vt denarius diurnum ſtipendium foret*; quod ipſis à Germanico conceſſum, elicimus ex eodem Tacito, eodem in libro ſcribente: *Germanicus ſuperiorem ad exercitum profectus, ſecundam & tertiam decumam & ſextam decumam legiones nihil conatus ſacramento adigit. Quarta decimari paulum dubitauerat, pecunia & miſſio, quamuis non flagitantibus oblata.* Denarius itaque legionario militi ſub Tiberio in ſtipendium aſſignatus, quem ſexdecim aſſes valuiſſe ſub Auguſto, & per conſequens per initia ſtatim aſſumpto ad Imperium Tiberio, tradidere Vitruuius *lib.3.* & Plinius *lib.33.cap.3.* His ita ſtantibus, ſenſum huius loci genuinum eſſe huiuſmodi credimus; Quod primum fuerit ſtipendium diurnum aſſignatum quini aſſes, ſecundo deni, tertio ſexdecim, quartum vero menſtruum addidiſſe Domitianum ternos aureos, hoc eſt, ad ternos aureos vſque. Quod ſi *ternis aureis* legamus, ita enim legendum voluere etiam Iuſtus Lipſius *Elect.1.cap.2.* & Leuinius Torrentius *in Suet. in Cæſ.cap.26.* erit ſenſus, Domitianum multiplicaſſe ſtipendium, additis ſingulo menſe aureis ternis aureum quartum, ſiquidem aureum Romanum centum aſſes ſiue nummos valuiſſe, *in Othone Suetonij, cap.4.* demonſtrauimus; & tricenos aſſes triginta diebus, quibus conſtat menſis, computatis ſingulo die decem aſſibus reſpondere, & ita prius tres aureos perſolutos, facta ſupputatione, clare conſtat. Quod etiam ex Dione *lib.55.* confirmare poſſumus, qui de Domitiano loquens, ait: *Cum militibus ſeptuagenæ quinæ drachmæ ſoluerentur, centenas dari iuſſit.* Ita vt ſenſus ſit, trinis aureis priori ſtipendio quartum addidiſſe aureum, quod conſtare vigintiquinque drachmis ex ipſo Dione probat Zonaras. Hunc itaque eſſe arbitramur ſenſum genuinum verborum Suetonii hoc in loco, qui tot viros celeberrimos fatigauit. Procedentibus temporibus, prætertim ſub poſterioribus Imperatoribus, quum Imperium mercari à militibus pecunia cœptum eſſet, ſtipendium nimium excreuiſſe conſtat. Ita Spartianus *in Seuero* ſcribit: *Denique militibus tantum ſtipendium, quantum nemo Principum, dedit.* Et paulo infra:

infra: *Poſt hoc dato ſtipendio cumulatiore militibus, &c.* Nec obſtant, quæ Capitolinus ex Epiſt. Imperat. Commodi ad Clodium Albinum, quem ſibi ſucceſſorem deſignabat, profert in hæc verba: *Habebis præterea dandi ſtipendij vſque ad tres aureos liberam poteſtatem.* Nam hęc intelligenda ſunt non de ſtipendio ordinario, ſed de additamento ad illud faciendo, quod veluti donatiui loco ſuccedebat. Sic Spartianus in Hadriano: *Ternis iam per ſingulos aureis ſe abſente diuiſis.* Sententiam hanc noſtram confirmat Ammianus Marcellinus *lib.* 20. ſcribens: *Abſtractum ſibi torquem capiti Iuliani impoſuit, qui rurſus ad neceſſitatem extremam quamque periculum præſens vitare non poſſe aduertens, ſi remittere perſeueraſſent, quinos omnibus aureos, argentiq; ſingula pondo promiſit.*

## C. SVET. TRANQ. IN DOMITIANO.
## CAP. VIII.

### *Nummarios Iudices cum ſuo quemque Conſilio notauit.*

DVplicem interpretationem patitur locus hic; Alii enim interpretantur nummarios iudices, id eſt, qui de nummaria cauſa tractant & iudicant de pecuniis; ita enim nummariam cauſam, & nummarium iudicium appellant Iuriſconſulti, quando de pecunia diſceptatur, vti Calliſtratus *l. vltima, Ne de ſtatu defunctorum poſt quinq; quæratur.* Confirmari poſſe videtur hæc ſententia ex Liuii dictis, *lib.* 23. vbi ſcribit, M. Iunium Dictatorem ad vltimum prope deſperatæ Reipublicæ auxilium, quum honeſta vtilibus cedunt, dixiſſe, qui capitalem fraudem auſi, quique pecuniæ iudicati in vinculis eſſent; qui eorum apud ſe milites fierent, eos noxa pecuniaque ſe exſolui iuſſurum. Quo in loco dubio procul pro *iudicati pecunia* intelligendum, qui debitores alicuius pecuniæ ſententia iudicum declarati, quibus non eſſet ſoluendo, in carceribus detinebantur. Ita Plautus in Menech.

*Nam ego ad Menechmum non eo, quo iam diu ſum*
*Iudicatus, vltro vt me vinciat.*

De his Gell.lib.20.c.1. *Conſeßis igitur æris ac debiti iudicatis, triginta dies ſunt dati, conquirendæ pecuniæ cauſa, quam diſſoluerent, eoſq; dies Decemuiri iuſtos appellauerunt, velut quoddam iuſtitium, id eſt, iuris inter eos quaſi interſtitionem quandam, & ceſſationem, quibus diebus nihil cum his agi iure poſſet. Poſt deinde niſi diſſoluerēt, ad Prætorem vocabantur, & ab eo. quibus erant iudicati, addicebantur, neruo quoq; aut compedibus vinciebantur.* Verum quum huiuſmodi iudices non facile notari potuerint à Domitiano, & ſuis conſiliariis aſſeſſoribus, idcirco alia interpretatio magis probanda, quod, inquam per nummarios iudices intelligamus lucri auidos, quorum ſcilicet iudicia venalia ſunt pecunia, vt notant Iuriſconſulti *in l.1.C.publ leti. vel conſul.nuntiat, vel inſinua. lib.12.* Sic Hieronymus ad Onaſum ſcribit: *Volo in numarios inuehi Sacerdotes*, id eſt, lucri auidos, & pecuniæ accumulandæ ſtudentes. Et Cic.1.in Verrem: *Vt enim quiſq; ſordidiſsimus videbitur, ita libentiſsime ſeueritate iudicandi ſordes ſuas eleuet.* Et *in 5.in Verrem*, nummarium appellat iudicium, quod acceptis pecuniis agitur. Et nummarios iudices, dicit *in orat.pro Cluentio.* Et *lib.1.ad Attic.* de illis, qui nummis ſe corrumpi ſinunt, verba faciens, ait: *Afflicta Republica, empto conſtupratoq; iudicio.* Et Seneca *de benef.1 cap.19.* ita ſcribit: *Prouincias ſpoliari, nummarium tribunal, audita vtrinq; licitatione, alteri addici non mirum, quando quæ emeris vendere ius gentium eſt.* Huiuſmodi itaque ſordidos iudices notauit Domitianus, & iure optimo, vt ſcribit Suet.hoc in loco. Et Heſiodus *in Ergis*, hos iudices *δωροφάγους*, id eſt, *doniuoros* vocauit. Sordes Græci *δωροδοκίαν* vocant, & ob id ſordidos iudices *δωροδόκους*. Fures etiam à quibuſdam huiuſmodi iudices dicuntur, imitatione Græcorum, qui *κλέπτας* appellant, vt à Lampridio in Alex. & Vopiſco in Aureliano. Ob idq; Martialis *lib.2.ad Sextum*, illi ſuadet, vt potius ſoluat, quam litiget, inquiens:

*Et petit iudex, petit & patronus,*
*Soluas cenſeo Sexte creditori.*

Apud Romanos in legibus Decemuiralibus hæc erat, vt iudex conuictus ob rem iudicandam pecuniam accepiſſe, aut qui turpe iudicium nundinaretur, capite plecteretur,

vt

vt ſcribit Gellius *lib.20.cap.1.* Præterea vetuſtiſſimum iudicis, qui pecunia corrumpi ſe paſſus eſt, ſeueriſſime puniti, extat exemplum apud Herodotum, lib.5. *Cambyſes Perſarum Rex Siſamnem ex Regiis Iudicibus quod iniuſte ob pecuniam iudicaſſet, occidi iuſſit, & detrahi corium, atq; in lora concidi, quibus tribunal, in quo ille ſedens iudicauerat, intendit, ibidemq; eius filium Oranem ſedere Iudicem præcepit, atq; memorari, in quo tribunali iudicaret.* Idem Herodotus *lib.7.* ſcribit, Darium primum, Sandocem, qui iniquam ſententiam ob pecuniam tulerat, cruci affixiſſe. Am. *lib.28.* eadem de cauſa inquit: *Pari ſorte etiam procurator monetæ extinctus eſt.* Qui itaque iudicia exercent, caueant, ne, quod inquit Cic. 6. *act. in Verrem*, abducantur nonnunquam ab inſtitutis ſuis magnitudine pecuniæ. Et rurſus 2. *act.* ait: *Ingentes diuitiæ iudiciorum religionem veritatemq; ſolent perfringere.* Et lib.1. ad Att. ſcribit: *Catulus quum vidiſſet quendam ex iudicibus, quos pecunia Clodius corruperat. Quid vos à nobis præſidium poſtulatis? an, ne nummi vobis eriperentur, tenebatis?* Et iure optimo Horatius *lib.1. Serm. Satyr.2.* ait:

*—— Male verum examinat omnis*
*Corruptus iudex.*

Et Petronius inquit:

*Ergo iudicium nihil eſt, niſi publica merces,*
*Atq; eques in cauſa qui ſedet empta probat.*

Et iterum Horat. 4. Carm.

*Iudex honeſtum prætulit vtili, & reiicit alto*
*Dona nocentium vultu.*

Et Ouid. 1. Amorum:

*Non bene ſelecti iudicis arca patet.*

Et in Decretis Canon. 11 q.3. prohibitum eſt iudici, vendere iuſtum conſilium, in oppoſitum tamen quotidie immodicis ſalariis ſuis, vt vocant, vel ſportulis quidam exhauriunt litigantium crumenas, ita vt qui iudicium poſt longum tempus, etiam fauorabile & ſecundum votum obtinent, auiditate iudicum pecunia vacui ita remaneant, vt tuti poſſint viatores incedere, abſque latronum ſuſpicione; ita ſunt noſtrorum temporum corruptiſſimi mores. Laudandus

quam maxime Adrianus, qui, vt tradit Spartianus *in illo*, iudicium ſumptus cōſtituit, & ad antiquum modum redegit.

## C. SVET. TRANQ. IN DOMITIANO. Cap. VIII.

*Excepto Prætorio viro, cui dubia & etiam cum cauſa, & incertis quæſtionibus atque tormentis de ſemet profeſſo, exilium indulſit.*

DVbius horum verborum ſenſus mihi videtur, nec ſilentio obuoluendus, quod expoſitores fecere. Si enim coniunctim legantur, cur tormentorum meminit Suetonius, ſi adhuc cauſa dubia, & quæſtiones incertæ? Si vero punctus ſit in dictione *quæſtionibus*, quomodo meruit vir Prætorius, qui fuit Valerius Licianus, ſi Plinio credimus, *epiſt.*11.*quarti libri*, diminutionem pœnæ à Domitiano, viro alioquin ſæuo, ſi crimen non ſponte, ſed per tormenta confeſſus eſt? Crediderim itaque coniunctim legendum verba illa, ita vt ſenſus ſit; Virum illum reum, quamuis dubia etiamnum eſſet cauſa, quæſtiones incertæ, & item tormenta, ſcilicet, an extarent indicia ad torquendum, ex ſemetipſo crimen detexiſſe, ob idque ſolo exilio multatum; Niſi etiam dixerimus, *incertis tormentis*, hoc eſt, incertum, an criminis conſocii ſtupratores ſcilicet damnati, vt virgis in comitio ad necem cæderentur, illum per tormenta accuſaſſent. Illud vero in elegantiſſimo ſcriptore ſuſpiciendum, quod de iudicio criminis pertractans, legalibus vocibus penitus vſus fuerit. Siquidem cauſa Iuriſconſultis generalius verbum eſt lite ipſa: cauſa enim criminalia & ciuilia continentur, litis vero appellatione ciuiles tantum actiones comprehenduntur; Vnde cauſam à lite diſtinxere Imperatores, *in l. cauſas*, 16. *C. de tranſact.* & Pontifices, *in cap. forum, extra, de verb. ſignific. in antiq.* Quæſtionibus autem dixit in numero plurali, non vero ſingulari, vti cauſa, quia quæſtiones publica ſunt iudicia, inde ducto nomine, quod in iis reo in iudicium vocato, nocens ſit an innocens conſtituto iudicio quæritur, *l.* 2. *de orig. iur.* dixit etiam; *incertis quæſtionibus*, quia

quia quæſtionum tria ſunt genera, nempe an ſit, quid ſit, quale ſit. Prima quæſtio eſt facti, eaque probationibus & coniecturis expeditur, reliquæ binæ iuris ſunt, quæ per artem boni & æqui explicantur, & hæc apud Iuriſtas paſſim leguntur. Addidit poſtremo *tormentis*, quia hæc inferri reis ad veritatem eruendam, patet *per tot. tit. D. & C. de quæſt.* Profiteri verbo demum vſus eſt propriiſſimo Iuriſperitis. Profiteri namque eſt, publice apud acta vltro aliquid denuntiare. Hinc *profeſſus*, id eſt, *confeſſus*, obſeruamus *l. finali, §. quoties, D. de iudic.*

## C. SVET. TRANQ. IN DOMITIANO.

### CAP. XI.

*Quoſdam Maieſtatis reos in curiam induxerat, & quum prædixiſſet, experturum ſe illa die, quam charus Senatui eſſet, facile perfecerat, vt etiam more maiorum puniendi condemnarentur.*

QVale ſupplicii genus eſſet, quo rei more maiorum plecterentur, ſubobſcurum reddit ſcribentium diuerſitas. Suetonius ipſe *in Nerone, c.* 49. ſic ſcriptum reliquit: *Legitq́; ſe hoſtem à Senatu iudicatum, & quæri vt puniatur more maiorum, interrogauitq́; quale eſſet id genus pœnæ. Et cum comperiſſet, nudi hominis ceruicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, conterritus, duos pugiones, quos ſecum tulerat, arripuit, tentataq́; vtriuſq; acie rurſus condidit, cauſatus nondum adeſſe fatalem horam.* Idem *in Claudio, cap.* 34. ſcribit: *Quum ſpectare antiqui moris ſupplicium Tiburi concupiſſet, & deligatis ad palum noxiis carnifex deeſſet, accitum ab vrbe veſperam vſq; operiri perſeuerauit.* Eutropius *lib. 7. Hiſt. Rom.* ſic de Nerone ſcribit: *A Senatu hoſtis iudicatus, quum quæreretur ad pœnam (quæ pœna erat talis, vt nudus per publicum ductus, furca capiti eius inſerta, virgis vſq; ad mortem cæderetur, atq; ita præcipitaretur de ſaxo) è palatio fugit.* Liuius *lib.* 1. vbi de Horatio ſuperſtite in pugna cum Curiatiis, eodemq; ſororis interfectore, & iudicio Duumuirorum, inquit: *Scilicet, caput obnubito, infelici arbori reſte ſuſpendito, verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Et paulo poſt, P. Horatius pater ait: *Hunccine quem modo decoratum ouantemq́;*

*victoria incedentem vidiſtis Quirites, eum ſub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre poteſtis? quod vix Albanorum oculi tam deforme ſpectaculum ferre poſſent. I, lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ Imperium pop. Rom pepererunt. I, caput obnube liberatoris vrbis huius, arbori infelici ſuſpende, verbera, vel inter pomœriũ, modo inter illa pila & ſpolia hoſtium, vel extra pomœrium, modo vt intra ſepulcra Curiatiorum.* Idem in Liu. *lib.*2. vbi de ſupplicio filiorum Bruti Conſ. qui cum Tarquiniis aduerſus Rempub. conſpirauerunt, meminit, habet: *Stabant ad palum deligati nobiliſſimi iuuenes*; & deinceps: *Miſſiq́ue lictores ad ſupplicium ſumendum, nudatos virgis cædunt, ſecuriq́ue feriunt.* Quibus in locis Liuium de ſupplicio, quod poſtea more maiorum appellauere, verba facere non eſt, qui inficietur. Apud Lamprid. *in Commodo* legimus, in acclamationibus Senatus illo perempto dictum: *Carnifex Senatus more maiorum vnco trahatur.* Cicero *in Piſoniana*, vti docet Cælius Rhodiginus *libro decimo, capite* 5. ſupplicium more maiorum intelligit, quum ſecuri caput præciditur. Tacitus non ſemel de ſupplicio more maiorum verba fecit, at quale eſſet, non explicauit. Namq; *lib. Annal.* 14 ait: *Adimendam reo Præturam, necandumq́ue more maiorum.* Et rurſus: *Decretumq́ue, vt more maiorum puniretur.* Et lib. Hiſt. 4. *Delatores & miniſtros more maiorum puniendos flagitabat.* Salluſtius in Catilinam Liuio concordat, ſicuti & Cic. *in orat. pro Rabirio.*

In tanta ſcriptorum varietate illud profecto mihi concludendum videtur, quod licet eſſe poſſit, & vere ſit, diuerſis temporibus hoc pœnæ genus Reipub. hoſtibus varie illatum, tanquam ſummum & ſæuiſſimum ſupplicium, nihilominus aliquando ſcriptores de toto ſupplicio verba feciſſe, aliquando de parte illius, necnon & eadem re ipſa protuliſſe ſuis verbis diſcrepantia videantur. Namq; caput furcæ inſeri, vnco trahi, palo deligari, infelici arbore ſuſpẽdi, eadem fuiſſe, vel parum differentia, iure interpretari poſſumus. Plin. *lib.* 16. *c.* 26. infelices arbores vocat, quæ neque ſeruntur vnquam, neque ferunt fructum. Et *lib.* 24. *c.* 9. Myricum vulgo, inquit, infelicem arborem appellari, quoniam nihil ferat, nec feratur vnquam. Eadem Macrobius *lib.*

*lib.Saturn.1.c.vlt.*& Cato quoque *lib.de re ruſt.* ſcripſere. Nihilo ſecius & furcam, quo ligno ſuſpenduntur ſontes, infelicem arborem & lignum dictam non dubitamus. Sic idem Plin. *lib.26 c.4.* canes viuos in furcas annuo ſupplicio pendere Sambucea arbore, ſcriptum reliquit. Et *lib.17.cap.44.* tradit, in Aulocrene platanum oſtendi, ex qua pependit Marſia victus ab Apolline, quas arbores infelices ob id dici poſſe, non ambigendũ. Sic Cic. *in orat.pro Rabir.* quemadmodum & ſupra in Liu. adnotauimus, dixit: *Caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito.* Quam ſententiam recipit & doctiſſimus Turnebus *lib.Aduerſ.4.c.3.* Siue itaque Reip. hoſtes palo deligarent, ſeu furcæ infererentur illorum capita, ſiue infelici arbori ſuſpenderentur, parum differt.

Illud poſtremo adnotandum, quod licet primis Reipublicæ temporibus ciues Romani ob graue aliquod facinus virgis cæderentur, vt diximus, nihilominus anno 454. ab vrbe condita, Valerio Apuleio Coſ. à M. Porcio Catone Trib. pleb. legem latam Porciam, qua cautum, ne quis magiſtratus ciuem Romanum virgis cæderet necaretve. Hinc factum poſtea, vt quouis grauiore delicto ſontes capitis amputatione tantum punirentur, vel de ſaxo præcipitarentur; non amplius vt antea, furcæ caput eorum infereretur, & virgis cæderetur. Addamus & illud, huius pœnæ olim executores fuiſſe lictores, at ſub Imperatoribus poſtea carnifices. Primum ex Liuio colligimus, ſecundum ex Suetonio *in Claudio*, locis citatis, niſi & forte rectius dixerimus, lictores miniſtros pœnæ in nobilioribus fuiſſe, in vilioribus vero carnifices.

## C. SVET. TRANQ. IN DOMITIANO.

### CAP. XIII.

*Ianos arcusq; cum quadrigis & inſignibus triumphorum per regiones vrbis tantos ac tot exſtruxit, vt cuidam Græce ſcriptum arcui ſit, Aream & Caluitium.*

QVid per Ianos hoc loco intellexerit Suet. nullus expoſitorum aſſequutus eſt, pauci tetigere, per Ianos Iani Dei templa intelligenda putantes. At quum tria Romæ

Iani templa tantum fuiſſe legamus; Primum à Numa ad infimum Argileti exſtructum, teſte Liuio, *lib.*1. de quo Seruius in illud Virgilii 7. Æneid.

*Sunt geminæ belli portæ.*

Secundum ad forum tranſitorium translatum. Tertium à Cn. Duillo Conſule dedicatum, *ex L. Floro in Epitome Liuiana, lib.* 17. *& D. Hieronymo in Iouianum, lib.* 1. Hæc interpretatio minime recipienda; nec minus quam tradit Beroaldus, per Ianos interpretari Iouis ſimulachra; nullibi enim obſeruamus, Domitianum Cæſarem huic Deo ita addictum, vt tot ſimulachra illi ſacrarit. Cæteri interpretes de re hac nihil. Nos vero arbitramur, per Ianos intelligendas eſſe portas illas magnas, quæ in viarũ capitibus exſtrui ſolebant ab antiquis Romanis, vnica tantum ianua aditum præbentes, vulgo *Portoni* dicuntur. Has peruias tranſitiones & Ianos appellatos, quaſi ianuas dixeris. Dion *in Nerua* ἀψῖδας appellauit, id eſt, fornices; quod etiam comprobamus authoritate Ouidii, 2. *Faſt.* ſcribentis:

*Carmentis portæ dextro eſt via proxima Iano:*
*Ire per hanc noli, quiſquis es, omen habet.*

Et Liuius *lib.* 2. inquit: *Infelici via è dextro Iano portæ Carmentalis profecti.* Siquidem porta Carmentalis duas contiguas habebat vias, ſuis Ianis binis antepoſitis, dextra ſcelerata eſt appellata, ob trecentorum Fabiorum, qui per eam profecti ſunt, calamitatem & necem. Ad hæc Petrus Victor in octaua regione vrbis, quæ forum Romanum eſt, tradit, in eo foro duos fuiſſe Ianos, mercatorum & fœneratorum, locum celebrem. Quis tamen potius tres fuiſſe fori Romani Ianos dubitare poſſet, ſiquidem ſcriptores meminere ſummi, & imi, & medii. Horat. lib. 1. Epiſt. 1.

*—— Hæc Ianus ſummus ab imo*
*Perdocet.*

De medio, idem Horat. lib. 2. Serm. Sat. 3.

*Poſtquam omnis res mea Ianum ad medium fracta eſt.*

Et Cic. lib. 2. Offic. *Commodius à quibuſdam optimis viris ad Ianum medium ſedentibus.* Et in 6. Philipp. *Ianus medius in Antonij clientela ſit?* Et rurſus: *L. Antonius patronus Iani medij.* Verum

duo

duo tantum fuere Iani in foro; Primum occupabant fœnerantes pecuniam; Ad ſecundum reddebatur fœnus, vt expoſuere Porphyrion & Acron. Quum autem inquit Horatius:

*Hæc Ianus ſummus ab imo*,

intelligit vtrunq; Ianum, id eſt, primum & ſecundum; medius enim imus dicebatur, quia ſecundus & vltimus; medius vero, quia ad medium forum ſitus erat. Ita illud Ouidii 2. *de remed. amoris.*

*Qui Puteal Ianumque timet celereſque Kalendas.*

Intelligendum eſt de Iano imo, ſeu dixeris medio, vbi fœnus reddebatur, qui ad Puteal Libonis poſitus erat, teſte Victore; Kalendis præterea reddi ſolebant fœneratæ pecuniæ, vt alias docuimus. Erant autem non ſtatuæ Iani, ſed fornices, ſeu portæ magnæ, per quas ad intra forum ingredi licebat, qua in re Horatii expoſitores, & cum illis Alexander ab Alexandro *lib.* 1. *cap.* 15. hallucinati ſunt. Huic noſtræ interpretationi fauet quoque Liuius *libro* 41. ſcribens verſus finem libri, Cenſorum alterum Piſauri & Sinueſſæ cloacam in fluuium circunducendam, & forum porticicus taberniſque claudendum, & Ianos tres faciendos locaſſe. Suetonius idem *in Auguſto, cap.* 31. Pompeii ſtatuam Auguſtum marmoreo Iano ſuppoſuiſſe dicit. Ammianus Marcellinus *lib.* 28. inquit: *Ex plebe Romana quoſdam nominibus cultos & ſeniores per Ianos & fora clamitare ſæpe, &c.*

Sed videndum quis ſenſus verborum eorum, *Aream & Caluicium.* Quidam arcui ſeu Iano ita Græce inſcriptum legunt: ἄρτι, id eſt, *nuper*, paulo antea alii ἄρθητι, id eſt, *tollere*, ἀρκεῖ alii, quod eſt *ſatis eſt, ſufficit*, ab ἀρκέω, quod eſt *ſufficio.* Poſtremam lectionem comprobat Torrentius hoc loco, & Turnebus Aduerſ. *lib.* 5. *cap.* 10. & *lib.* 22 *cap.* 16. Verum, pace eorum dixerim, ſi in textu Suet. vocem Græcam exaraſſet, non vtique addidiſſet verbum illud *Græce*, ſatis enim inſulſa fuiſſet locutio; Quis enim ignoraſſet, Græce ſcriptum, ſi Græcam vocem adiunxiſſet? Quare ergo potius Latinas dictiones *Aream & Caluicium*, quas habent alii textus, præſertim Germanicus correctiſſimus, recipiendas puto, Græce inſcriptas fuiſſe, nec eas merum ſomnium appellãdas, quod

 Torren-

Torrentius facit, imo iocum ſeu ſcomma elegantiſſimum in Domitianum iactum arcui inſcriptum, quum enim multitudine arcuum & Ianorum quos ædificauerat omnes Vrbis areas propemodum occupaſſet, iocatum in illum, quia caluus erat, ea inſcriptione, quaſi diceret, & caluitium eius aream eſſe, ſuper quam erigere poterat Ianos & arcus, eoque ſcomma acutius videtur, ob amphibologiam vocis *area*, quæ non ſolum ſignificat locum purum in Vrbe ſine ædificio, de qua Florent. *l. fundi*, 211. §. *locus*, *D. de verbor. ſignif.* Feſto, locus vacuus quaſi exaruerit, & non poſſit generare; ſed & verticis partem depilem morbo, de quo Celſ. *lib. 6. c.* 4. & Gal. *lib. de remed. paratu facilibus c. 6.* Ex hac itaque ſimilitudine vocis *area* in ambigua ſignificatione Arcus inſcriptionem, *Aream & Caluitium*, Latine potius expreſſit Suet. quam Græce, vti inſcripta fuerat, ob idque addidit *Græce*, admonens Lectorem.

MARCELLI DONATI

# IN AMMIANVM MARCELLINVM DILVCIDATIONES.

## *AMMIANVS MARCELLINVS, LIB. XIV.*

*Per Palatii Pſeudothyrum introducta.*

QVVM memoriæ reuocarem, Ciceronem in Verrem ſcripſiſſe: *Ea pecunia quemadmodum ad iſtum poſtea Pſeudothyrum reuertatur, tabulis vobis & teſtibus iudices planum faciam*, Exiſtimabam prima facie, Ammianum intelligere mulierem Alexandrinam per Palatii Pſeudothyrum ad Reginam introductam, hoc eſt, per falſum ac ſubdolum ianitorem. Sed re intimius perſpecta, cognoui per Pſeudothyrum intelligendum Palatii ianuam occultam, ſeu poſticum, quæ & hodie vulgariter *porta falſa* nũcupatur. Sic Oroſius ſcriptum reliquit: *Ægre per Pſeudothyrum in Palatium refugiens, furorem excitatæ plebis euaſit.* Ita & *Pſeudaulam*, quæ verum mentitur aulam, & *Pſeudoportus*, cæci qui ſunt portus, & *Pſeudoporticus*, non veri qui ſunt porticus, obſeruamus, & demum ea omnia, quæ ad imitationem fiunt, nec principalem ſed temporarium præbent vſum, id ſibi cognomentum aſciſcunt. Quod ex Vitruuii libris *de Architectura* cognoſcere licet, qui & *pſeudourbana ædificia* vocauit ruſtica ædificia, elegantia tamen vrbana extructa. Hanc autem interpretationem confirmant paulo poſt ſubſequentia eiuſdem Ammiani verba huiuſmodi: *Latenter intromiſſi per poſticas in Regiam nunciabant.*

## AMM. MARCELLINVS LIB. XIV.

*Inter hac Orphitius Præfecti poteſtate regebat Vrbem æternam.*

ROmanæ vrbis præſtantiam ex eo potiſſimum colligere poſſumus, quod per antonomaſiam, ſcilicet per excellentiam, Vrbs appellata ſimpliciter ſit Roma; cætera enim *Oppida* dicta, atteſtante Quintiliano *lib.* 8. *cap.* 2. Vrbem itaq; quum ſimpliciter prolatam legimus, Romam ſignificari palam eſt. Quæ (vt ait Virgil. in Bucolicis.)

*Inter alias tantum caput extulit Vrbes,*
*Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.*

Quo pacto pluries vocata Roma à Iuriſconſultis, *vt in l.* 11. *D. de Senato. l.* 1. *D. ad legem Iuliam, de ambitu, l. penul. §. negociatores, D. de mun. & honor. l.* 7. *§. conſtitutum, D. de interdic. & releg. l.* 1. *D. de off. Praf. Vrb. & alibi etiam.* Ob id iure Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. ſcriptum reliquit; Nullius vrbis magnitudinem in toto orbe Romæ comparari potuiſſe; & *c. eodem*, Romam terrarum caput ait. Sic Liuius *lib.* 21. Romam orbis terrarum caput affirmauit. Et ſceleratus Imperator Phocas hoc vnum porro ſanxit, quod laudem meruit, vt vrbs Roma totius ſalutis vitæ caput eſſet, quum antea propter ſedem Principis, Conſtantinopolis caput haberetur. Et 1. Æneid.

*Romanos rerum dominos.*

cecinit Virgilius noſter. Et Athenæus Romam appellauit *τῆς οἰκουμένης ἐπιτομήν*, hoc eſt, mundi epitomen, ſeu compendium; Communis namque & patria dicta *in l.* 33. *D. ad municip.* Et terrarum orbis, Romanus orbis vocatus, *l.* 17. *de ſtatu hom. l.* 5. *D de metallar. in C. Theodoſ.* & à Caſſiodoro, *lib.* 3. *variarum Epiſtola, Epiſt. penultima*, & Ammianus ipſe *lib.* 17. Romam mundi totius templum vocauit. Et Cicero *in orat. contra Rullum*, eandem principem omnium terrarum ciuitatum, & illuſtriſſimum orbis terrarum monumentum appellauit. Reginam totius orbis dictam, in decreto Tertullii cuiuſdam, marmorea tabella inciſa Romæ anno Imperii Iuſtiniani quinto, obſeruamus, vbi etiam legimus, Vrbem Romanam ſingulari virtute, fertilitate, potentia, ſapientia, & pollu-

& pollucitate,&pulchritudine,bonitateque diffinitoris toto orbe ſacratam, à Deo æternam conſeruatam. Æternam etiam alibi ſæpe ſæpius vrbem Romam dixit ipſe idem Am. puta lib.16. *Aliaque inter hæc decora vrbis æternæ.* Et lib. 19. *Difficultatem aduentantis inopiæ frumentorum Vrbs verebatur æterna.* Et lib.21 *In locum Tertulli Maximum Vrbi præfecit æternæ.* Et lib. 22. de Nicomedia : *Vt ædium multitudine priuatarum & publicarum recte noſcentibus regio quædam Vrbis æſtimaretur æternæ.* Et lib. 23. *Iiſdem diebus legatos ad ſe miſſos ab Vrbe æterna.* Et paulo infra : *Palatini Apollinis templum in Vrbe conflagrauit æterna.* Et lib. 25. *Tiberis interſecans Vrbem æternam.* Et lib. 26. *Apronianus regens Vrbem æternam.* Et lib. 28. *Poſt Nepotini exercitum ſæuiens per Vrbem æternam vrebat cuncta Bellona.* Et paulo poſt : *Quæ decolorabat ſpeciem Vrbis æternæ.* Et rurſum : *Funera deplorauit Vrbs æterna.* Eadē appellatione vocatam Romā videmus in tabula marmorea Romæ in porta Portuenſi, vbi inſculptum : *Ob inſtauratos muros Vrbis æternæ.* Eadem à Conſtantino vocatur Vrbs æterna, *l. 1. C. de ſuariis, lib. 11.* Ita *in l. 4. C. de oper. publ.* Imper. Valentinia. & Valens *intra Vrbem æternam* ſcripſerunt. Sic etiam vocata à Symmacho *libro primo Epiſt.* Æternitatis Vrbis Romę cauſa Dei voluntati adſcribitur in tabella Decreti Tertullii ſuperius adducti, qui Tertullius certe, vt ex eiuſdem Decreti lectione colligitur, vir Chriſtianus fuit.

Gentiles ſcriptores eidem ſententiæ, ſed minus pie, adſtipulantur. Inter quos Liuius *lib. 1. de Romulo* loquens : *Abi, nuncia (inquit) Romanis, cœleſtes ita velle, vt mea Roma caput Orbis terrarum ſit.* Et *lib.* 38. inquit, Vrbem auſpicato Diis authoribus in æternum conditam. Et Ammianus ipſe lib. 19. *Moxque diuini arbitrio numinis, quod auxit ab incunabulis Romam, perpetuamque fore reſpondit.* Et lib. 26. *Etiam victura cum ſeculis Roma adiumento numinis diuini.* Et lib. 27. *Proſpera Deo ſpondente, cuius ſempiternis auxiliis ſtabit res Romana inconcuſſa.* Ob hanc tutelam diuinam eodem libro paulo poſt, *Vrbem ſacratiſſimam* Romam vocauit. Ita & in inſcriptione marmorea Romæ in porta Exquilina, & *Taurina* olim dicta, nunc *Sancti Laurentii*, legimus Aquam Martiam ab Antonino Pio in ſacram Vrbem ſuam perductam ; Sicuti & in Tertullii iam dicto de-

creto

creto ſacratam Vrbem Romam appellatam. Ob id Liuius *lib. 5.* ait: *Vrbem auſpicato, inauguratoque conditam habemus, nullus locus in ea non religionum Deorumque eſt plenus.* Romanæ æternitatis profectò (quantum tamen ſublunaribus contingere poteſt) non leue argumentum, quod à Gallis capta, anno ab Vrbe condita 163. ab Annibale ter trucidatis & fugatis militibus Romanis ad Cannas, Trebiam & Traſymenum obſeſſa, à Nerone pene tota incenſa, à Gothorum Rege Totila, Val. Iuſtiniano imperante, capta & direpta, & rurſus ſub Arcadii & Honorii imperio ab Alarico Gothorum Rege, anno poſt V. C. 1164. captiua facta, & populata, à Vandalis, Genſerico Duce, anno ab V. C. 1208. capta, & imperialibus ornamentis ſpoliata, referente Iuſtiniano, *C. de offi. Præf. Prat. Africæ*, denique noſtrorum patrum ætate à Borbonio & aliis, pariter capta atque direpta, ſemper reſurrexit, & priſtinum ſplendorem recuperauit. Quinimo & Imperii maieſtate Bizantium à Conſtantinis Imperatoribus traducta, tantum emicuit, vt Conſtantinopolim *Romam nouam* appellari ab Imperatoribus ſtatutum ſit, vti habemus *in l. ſexta, C. de ſacroſanct. eccleſ. l. 40. C. de Epiſcopis & clericis, l. 4. C. de oper. publ. l. vlt. C. in quib. cauſ. pign.* Zonaras etiam non ſemel hanc *νέαν ῥώμην* vocat; Quam etiam Chalcedonenſis Concilii cap. 22. ita appellatam legimus. Imo Romano Imperio Orientali Bizantino à Turcis occupato Occidentalique in Germaniam translato, interim Eccleſiaſtico fulget Imperio Summorum Pontificum, qui in æterna Vrbe, Petri nauis clauo aſſident, quam perpetuo ſub Chriſti D. N. tutela futuram, fluctibus & ventis quandoque exagitatam, nunquam tamen procellis merſam iri, pie credunt fideles, & ſacræ paginæ ſpondent.

## AMM. MARCELLINVS LIB. XIV.

*Quo comitatu matronæ complures opertis capitibus & baſternis per latera ciuitatis cuncta diſcurrunt.*

BAſternam idem cum Pilento fuiſſe exiſtimauit Alexander ab Alexandro *lib. 2. cap. 30.* qua ferebantur Romanæ matro-

matronæ. Turnebus *lib. Aduerſ. 28. c. 5.* ex Onomaſtico antiquo in membranis conſcripto: *Baſterna*, inquit, *tecta manualis, lecticam puto dici tectam, quæ manibus hominum portabatur, non dorſo iumentorum geſtabatur.* Cui opinioni & nos aſſentimur, addentes, ita dictas vel à Baſtarnis populis Sarmatiæ, quorum meminit Strabo *lib. 7.* & frequens apud Hiſtoricos eorum fit mentio, vti apud Capitolinum *in Marco Philoſopho,* qui eos ſubegit, & Vopiſcum *in Proto,* qui centum millia eorum in ſolo Romano conſtituit. Et D. Octauianus Auguſtus eos ad concordiam compulit, *ex Sexto Victore in illo.* Tacitus in calce libri *de moribus Germanorum* inquit: *Peucini, quos quidam Baſtarnas vocant, ſermone cultu, ſede, ac domiciliis, vt Germani agunt, ſordes omnium ac torpor.* His forte ſellæ tectæ ac geſtatilis ab hominibus familiaris fuit vſus, vt etiam mulieres tectæ incedentes portarentur à ſeruis, qui mos & noſtris temporibus nonnullis in Italiæ locis frequens exiſtit, præſertim in vrbe Neapolitana, vel quod ex his, quum fortes eſſent, eligerentur ſerui, qui baſternam matronarum geſtarent. Sed rectius ſententia mea à verbo Græco *βαστάζω*, quod eſt *porto,* ſeu *baiulo,* vnde & *βαστάζοντες*, baiuli & geruli, qui & vulgo *baſtai* dicti, & in C. Theodoſiano *Baſtagarii*, vocantur, quos corpore prægrandes & fortes ad baſternas portandas olim eligebant. Baſternam enim cubitorum quinque dicit apud Athenæum Poſſidonius; tales fuiſſe antiquitus Ægyptias teſtatum reliquit Ariſtophanes in Batrachis.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XIV.

*Partilibus præſidens fatis.*

NEmeſin, ſeu Adraſtiam Deam deſcribens Ammianus, ait eam eſſe ius quoddam ſublime, numinis efficacis, humanarum mentium opinione lunari circulo ſuperpoſitum, vel, vt definiunt alii, ſubſtantialis tutela generali potentia partibus præſidens fatis. Quem locũ dum perlego, nouitate vocis motus, hærebã cogitans, quæ dicerẽtur partilia; & natalia ſignificari ſtatuendum putaui, à partu ſcilicet ita dicta, ſicuti *partiliter* aduerbio dixit cognoſci genituram

Cœlius

Cœlius Rhodiginus *lib.19.c.4.* Ita Septimus Florens Deam, quæ puerperiis præerat, *Partulam* vocatam tradit. Sic Horatius *in Epod. Ode* 17. Samiæ veneficæ ventrem partumeium vocat, hoc eſt, ea facilitate parturientem, ac ſi meieret, dum inquit:

*Tuuſque venter partumeius.*

Et Gellius *lib.3.cap.16.* à partu parenſam, immutata litera vna, nominatam docet. Quod vero hæc vocis interpretatio textui perbelle congruat, ex lectione ipſius apertiſſimum euadit.

## AMM. MARCELLINVS. LIB. XV.

*Et per admiſſionum magiſtrum, qui mos eſt honoratior, accito, eodem ingreſſo conciſtorium effertur purpura.*

VT plurimum ad priſcos Imperatores liberum ingreſſum minime fuiſſe, conſtat ex Suetonio *in Claudio, c.35.* ſcribente: *Salutatoribus ſcrutatores ſemper appoſuit, & quidem omnibus, & acerbiſſimos.* Quod & Lampridius in Alexandri Seueri vita per initia teſtatum reliquit. Quum itaque temere quiuis ad Imperatores non admitteretur, factum neceſſe fuit, vt miniſtri adeſſent, qui admittendos introducerent, non admittendos arcerent. Hos autem plures fuiſſe, dignoſcitur ex Suetonio *in Veſpaſiano* tradente, *cap.14.* de eodem: *Trepidum cum interdicta aula ſub Nerone quærentem quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio admiſſionis ſimul expellens abire Morboniam iuſſerat.* Hoc munus libertis credi ſolitum elicimus ex Plinio ſcribente lib.33. Claudii Cæſaris libertos admiſſionum ius habuiſſe. Honoratiorem tamen fuiſſe qui admiſſionum officio præerat, colligi poteſt ex hoc Ammiani Marcellini loco. Huncque antiquitus admiſſionum magiſtrum vocatum. Meminit & Xenophon *primo Cyripædiæ* apud Aſtyagem Regem admiſſionū magiſtrum fuiſſe quendam Sacam, qui quos oporteret, ad Aſtyagem deduceret, non admittendos expelleret. Et Flauius Vopiſcus *in Aureliano* ait: *Acholium, qui magiſter admiſſionum Valeriani Principis fuit.* Hos autem tum magiſtros admiſſionum, tum admiſſionales, ianuæ Principum habitationis aſſiſtere conſueuiſſe, colligi-

colligimus tum ex hoc loco, vbi tradit Marcellinus, Vrſicinum iuſſu Conſtantini Imperatoris accitum ad Conciſtorium; tum clarius ex Lampridio in Alexandro, vbi inquit: *Salutaretur vero quaſi vnus de Senatoribus patenti velo, admiſſionalibus remotis, aut ſolis iis, qui miniſtri ad fores fuerant.* Admiſſionum officium ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum ponitur in Notitia Imperii Romani, de quo eſt textus *in l. 2. de priuileg. eo. qui in ſacro Palat. mil. lib.* 12. *Cod.* Et admiſſionum magiſtri meminit l. 1. C. *The. qui à presb. tyr.* Admiſſionales Græcis dicti *προσάγειν τοῖς δεομένοις τιμὴν ἔχοντες*, *l.* 2. *de diuer. offic. lib.* 12. *Cod.* Admiſſionum facilitatem Plinius *in Panegyrico Traiani* laudat; eadem facilitas admiſſionis in Aureliano, *ex Vopiſco loco citato.* Econtra difficultas admiſſionis in Principibus improbatur ab omnibus. Hinc vituperatum legimus apud Herodotum *in primo,* Deiocem Regem Medorum, qui neminem admittebat, ſed per internuncios cuncta tranſigebat. Quum ab internunciis vera Principi pluries non deferantur, ſed ex relatoribus vnuſquiſque pro libito res, vt ſua cuique vtilitas, exponat. Hos Seneca *cohortem interiorũ admiſſionis* appellat, *lib.* 1. *de clemen. c.* 10. qui primum fauoris locum apud Principem obtinent. Qua de re quid ſenſerit idem Seneca, latius & apertius colliges *lib. de beneſ.* 6. *c.* 33. & 34. Difficultatem admiſſionis ſane exprobrat Verri Cicero, inquiẽs: *Salutatum veniebant, admiſſus eſt nemo.* Admiſſionum magiſtros conſueuiſſe in acta referre quæ in Curia coram Principe agerentur, patere poteſt ex Vopiſco, ſcribente *in Aureliano*, de arrogatione Aureliani facta ab Vlpio Crinito coram Valeriano Imperatore; Quam fidei cauſa inſerendam credidi ex libris Acholii, qui magiſter admiſſionum fuit Valeriani Principis, *libro Actorum eius nono.*

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XV.

*Idque ſcrutari iuſſerunt arctius, interrogato Remigio etiam tum Rationario apparitionis armorum magiſtri.*

RAtionarium hoc loco accipit Ammianus pro ratiocinatore, hoc eſt, qui rationes tractat, vti *l.* 7. *C. de bo. proſcr.* de quo Cic. 1. *Off.* in hæc verba: *Hæc igitur & talia circumſpicienda ſunt*

*da ſunt in omni officio, & conſuetudo exercitatioque capienda, vt boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo deducendoque videre, quæ reliqui ſumma fiat, ex quo quantum cuique debeatur, intelligas.* Hos perperam nonnulli rationales dixere, nam rationales & procuratores Cęſaris, iidem erant, vt docet Lampridius *in Alexan.* & Budæus oſtendit. Itaque Am. vocem *rationatio* minus Latinis vſitatam hoc loco in vſum traxit. Hũc Budæus *in Annotat. ad Pand.* ratiociniorum Præfectum vocat. Per armorum magiſtrum intelligendum puto, qui armis præerat, ſeu armorum præfectum, qui & armorũ cuſtos vocatur à Paulo *in l qui commeatus, §. fi. D. de verb. ſig.* qui ſc. militibus arma committebat. Nam quum *Magiſtrũ Populi, Equitum, cenſus, auctionum, epiſtolarum, libellorum, memoriæ, militum, nauis, officiorũ, ſocietatis, ſcriniorum, curiæ, veſtium, admiſſionũ*, inter agentes apud Iuriſconſ. legam, nullibi vero apud eoſdem de armorum magiſtro fiat mentio, eum armorum cuſtodem appellatum exiſtimo; Secus apud Am. obſeruo: namque ſicuti *libro vigeſimoſeptimo*, meminit Victoris magiſtri equitum, & Arinthei, & Seueri peditum magiſtrorum, Ruſtici Iuliani & Eupraxii Cæſarienſis magiſtrorum memorię, & Remigii magiſtri officiorum, & Iouini Seuerique, magiſtrorum rei caſtrenſis, tandem & Cylacis ſpadonis armorum magiſtri verba facit. Et *libro* 20. Lupicini, & pariter Gumoharii, & *libro* 21. Neuitæ, & *libro* 26. Iouini, quos omnes armorum magiſtros fuiſſe tradit. Nec illud reticendum; Magiſterium inquam dignitatem principum fuiſſe, ex eodem Ammiano ſcribente *libro* 26. de Equitio: *Nondum Magiſter, ſed Comes.* Et paulo poſt de eodem ait: *Auctum Magiſterii dignitate.* Apparitionis quoque vocem præſente in loco accepit Am. pro apparitoribus ipſis, & ſic officium pro perſonis illud exercentibus, quod quandoq; fieri tradit Vlp. *l. fina. §. fin. D. quod met. cauſ.* & eodem ſenſu accipitur *in l. 1. C. de loc. præd. ciuil. lib. 11.* vt recte ſentit Odofredus, docens, ibi apparitionem ſumi pro apparitoribus, non pro iudice, vt Accurſius & Ioannes de Platea tradidere. Ita Ammianus ipſe libro decimooctauo dixit: *Sine apparitione reuerſi Meſopotamiam, ad alium omni poteſtate tranſlata*; hoc eſt, ſine apparitoribus

ritoribus. Item & *libro* 24. apparitionem pro apparitoribus accepit, ſcribens: *Sarcinas vero & calones, & apparitionem imbellem, impedimentorumque genus omne inter vtrumque latus inſtituit procedentium ordinum, ne qua vi ſubita raperetur.* Erant autem apparitores Magiſtratuum miniſtri, qui eorum iuſſa exequebantur, vt paſſim in legum voluminibus. Hos autem ita vocatos à verbo *apparere*, docet Seruius *lib.* 12. *Æneid.* in eum locum:

——*Sæuique in limine Regis*

*Apparet.*

Cui loco perſimilis & alter lib. 8.

*Quam Turno Regi, aut Regi apparere Latino.*

Nam eſt *apparere*, teſte Budæo, in Forenſibus, exhibendi officii & obſequii gratia præſto eſſe. Vnde & Feſtus dixit lib. 12. *Naualis ſcriba, qui in naui apparebat.* In apparitorum vero numero, non modo ſcribæ, ſed viatores, lictores, & præcones continebantur, vti Cic. *in orat pro Cluentio*, ſcriptum reliquit: *Quid ſibi autem illi ſcribæ, quid lictores, & cæteri, quos apparere video.* Ita & apud Liuium *lib.* 1. apparitores à lictoribus minime differre colligimus, vbi Romulum ſibi duodecim lictores ſumpſiſſe ait, & numeri duodeni rationem reddens, eoſdem apparitores vocat, & poſtmodum rurſus lictores appellat. Item & vbi de morte Tarquinii Regis à duobus paſtoribus patrata, iterum apparitores regios cum lictoribus confundit. Et deinde de Seruio Tullo regnum inuadere inquit: *Seruius cum trabea & lictoribus prodiit.* Et poſtmodum de Tarquinio ipſi arripiente regnum ait: *Fit fuga apparitorum atque comitum,* Erant autem apparitores diuerſorum officiorum, nam in C. Iuſtiniani habemus *apparitores Præfecti annonæ, Præfecti vrbis, Præfecti Prætorii, Proconſulis, Legati, & aliorum*, vti *libro* 12. à titu. 52. vſque ad ſexageſimum. Apud ipſummet Am. legimus lib. 26. *Venuſtum largitionum apparitorem.* Sed vt vno verbo dicamus, erant apparitores, qui cuiuſque magiſtratus iuſſa exequebantur. Vnde Amm. *libro* 17. inquit: *Vt nec Præfectianus, nec Præſidialis apparitor ad ſoluendum quemquam vrgeret.* Et libro vigeſimooctauo. *Et Mutianum Barbatumque aliquoties diſcretim trudi iubebat ad fallendum aptiſſimos.*

Et iterum de Abieno apud Anepſiam deliteſcente: *Miſſique apparitores, indicatos è latebris extraxerunt.* Et rurſus de Heſychia: *In domo apparitoris, cui cuſtodienda eſt tradita.* Et *lib.* 20. de Iuliano Cæſare Conſtantio Auguſto ſcribente inquit: *Nuntiis crebris vt apparitor fidus tuas aures impleui.* Et *lib.* 26. de Valente fratre Imperatoris Valentiniani in conſortiū Imperii aſcito ait: *Participem quidem legitimum poteſtatis, ſed in modum apparitoris morigerum.* Et rurſus de Hiperechio verba faciens illum *gaſtrenſem apparitorem* appellat, hoc eſt, vt ego interpretor, qui ventris voluptatibus prę ſto eſſet. Illud poſtremo adnotandum, quod quando Magiſtratus dignior erat, tanto plures apparitores habebat, quod ex ipſo Am. elicimus ſcribente lib. 27. *Diodori ex agente in rebus, triumque apparitorum poteſtatis vicariæ per Italiam.* Nec reticendum, inter Prætorii mollitiam apparitores cōnumeratos, *ex Vlpiano in l. in eadem cauſa, ex quib. cauſ. maior.* & horum manus dicta militaris, *l. qui reſtituere, de rei vend. in P.*

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVI.

### *Cæſar apud Viennam in Collegium Faſtorum à Conſule octies Auguſto adſcitus.*

FVerunt Romæ opificum atque artificum collegia à Numa primum inſtituta, vti Plutarchus *in illo* ſcriptum reliquit; & Valerius Maximus confirmat *cap. de Inſtitutis*, vbi de Tibicinum collegio meminit; & Plinius *lib.* 33. *&* 35. confirmat; quamquam Florus id potius Seruio Tullo adſcribat. Quæ poſtea L. Cæcilio & Q. Martio Coſſ. ſublata, teſte Aſconio *in Com. in Cornelianam & Piſonianam.* Poſt nouem deinde annos P. Clodius Tribunus Plebis non ſolum reſtituit priora collegia, ſed & noua adiecit, quod Dion *lib.* 40. ſcribit, & Cic. *in Piſoniana* affirmat. Sed & hæc iterum à Cæſare Dictatore ſublata, vt tradit Suet. in illo *c*.... quod decretum quum in maximis illis Reip. motibus recidiſſet ad nihilum, ab Auguſto repoſitum fuit; nam præter antiqua & legitima collegia cætera diſſoluit, teſte Suet. *in d. c*.... Fuerunt præter hæc nobiliora collegia, præſertim & ſacerdotum plurimorum, nempe Pontificum, Augurum, Aruſpicum, Curionum,

rionum, Veſtalium, Flaminum, Epulonum, Sibyllinorum librorum, Fœcialium, Saliorum, Lupercorum, fratrum Arualium, Sodalium Titiorum, Auguſtorum, Heluianorum, Aurelianorum, & aliorum, quemadmodum paſſim legimus; ſed & de Tribunorum plebis collegio verba facit Cic. *in Verr.* vbi etiam de collegio Decemuiralium meminit, & *in lib. Officiorum*, de collegio Prætorio, & Dion *lib.* 42. *&* 43. de collegio quindecim virorum meminit.

Sed ne omnes enumeremus, hoc ſatis erit, nullibi nos Faſtorum collegium obſeruaſſe. Quamobrem in textu mẽdum eſſe exiſtimamus, & legendum *in collegam Factorum*, non *collegium faſtorum*, quæ lectio certe perbelle ſequentibus congruit, quod ſcilicet Cæſar à Conſtantio Auguſto in collegam Factorum adſcitus, ſomniabat pugnas & cædes barbarorum; At ſi quis obſtinate lectionem primam retinere voluerit, ſenſum eliciemus huiuſmodi. Cæſarem Iulianum ſcilicet ab Auguſto Conſtantio octies Conſule, Conſulatus ſui octaui collegam factum; Namque non Conſules *Auguſti*, ſed Imperatores dicebantur, & quia Conſulum nomina ſucceſſiue in Faſtis deſcribebantur, ideo in collegium Faſtorum eum adſcitum dixit Am. Fuiſſe enim librorum Faſtorum collegium, id eſt, eorum, qui libros illos curabant, cenſendum, ſicuti & Sibyllinorum librorum, vti adnotauimus; Faſti enim erant libri, in quibus non modo omnium dierum anni ratio & numerus continebatur, ſed & Conſulum nomina deſcribebantur. Ita Cic. *pro Seſtio* inquit, Conſules non modo ex memoria, ſed etiam ex Faſtis euellendos; In eiſdem quoque dies, aliqua victoria vel felici euentu inſignes deſcribebantur, necnon & virorum, qui inſigne aliquod beneficium in Remp. contuliſſent. Cic. ad Atticum: *Decreui vt in Faſtis ad eum diem Bruti nomen adſcriberetur.* Et iterum: *Quod ego quum dabam, Bruto notam eſſe in Faſtis gratiſſima victoriæ memoriam volebam.* Poſſumus itaque interpretari, Iulianum Cæſarem in collegium Faſtorum adſcitum, hoc eſt, vti Conſulem deſcriptum in Faſtis, vel vti virum fortem, ac Reipublicæ maxime proficuum. Prior tamẽ interpretatio potior, & cõprobatur, eo quod infra eodẽ lib.

ita ſcribat Am. *At Cæſar exacta apud Senonas hyeme turbulenta Auguſto nouies, ſeque iterum Coſſ. Faſtorum libros, Conſulares paginas vocauit.* Idem Am. *lib.* 22. per hæc verba: *Quum Mamertini & Neuitæ nomina ſuſcepiſſent paginæ Conſulares.* Et *lib.* 26. de Valentiniano & Valente Augg. in expeditiones militares profecturis habet: *Sumpſerunt prius trabeas Conſulares.* Et lib. 29. *Et præcipue Conſulares poſt Scipiones, & Trabeas, & Faſtorum munimenta mundana.* Ex quibus omnibus iam dicta expoſitio confirmari poteſt. Collegia quamplurima enumerat Cuiacius *libro* 7. *Obſeruat. cap.* 30. ad quem curioſum lectorem remittimus.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVI.

*Tamquam aſtrictus ſumptuariis legibus viueret, quas ex Rhetris Lycurgi, id eſt, axonibus.*

PHτϱα Græci dixere proprie Lycurgi leges, teſte Plutarcho, quamuis vox eadem generaliori ſignificatione de quacunque lege, dogmate & decreto dicatur, ἄξονα vero Athenienſes legum ſuarum tabulam vocauere, quod apud Demoſthenem obſeruamus, & ἄξονες legum Solonis tabulæ, dictæ. Namque Polemonis teſtimonio, huiuſmodi leges tabulis ligneis forma triangularibus erant inſcriptæ, & in Prytaneo adſeruabantur, ἄξων vero proprie dicebatur Græcis lignum rotam peruadens, Latinis axis nuncupatum.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVI.

*Inductis quadam ſolemnitate agentibus in rebus in Conſiſtorium, vt aurum acciperent.*

AGentium in rebus extat tit. *lib.* 12. *Cod.* & erant, qui actu per Prouincias ſpeciebus annonariis, quæ fiſco & vrbibus præſtabantur ex Canone aut indictione conuehendis, ac importandis, præerant, vt Canoni Romano, Canoni Alexandrino, frumento militari, atq; etiam eorum officiorum annonis, qui in Palatino erant comitatu. D. Hieronymus eos interpretatur *frumentarios & veredarios*, quos LXX. interpretes tranſtulerunt πυρρφόρον. Quod eſſent agentes in rebus inter Palatina officia, indicat D. Ambroſius *in Epiſt. ad Marcell.*

*Marcell.* atque ex hoc Amm. loco colligere poſſumus, & ſuperius *lib.* 14. vbi de Apodemio agente in rebus Palatino; tamen & munus eorum etiam in Prouinciis erat, & ſicuti in Imperatoris aula frumentationibus & annonis cæteris præerant, ita & in Prouinciis eaſdem res curabant. Quod pariter ex Ammiano eodem dignoſcimus, qui hoc eodem lib. 16. paulo infra verba facit de Gaudentio agente in rebus Africano, & alio agente in rebus in Hiſpania. Et *lib.* 25. de Malarico ex familiaribus negotiis agente etiam tum in Italia. Ex quo non ſolum agentes in rebus publicis obſeruamus, ſed & in priuatis & propriis. Qui plura de his dignoſcere cupit, legat Cuiacium *in Commento, in C. de agent. in rebus*, & Turnebum *Aduerſ.* 13. c. 10.

A *conſiſto* formatum Conſiſtorium, nouum quidem verbum, vel ſaltem infrequens, quum raro admodum apud antiquiores id obſeruarim, elegans tamen diebus noſtris vocabulum, pro loco ſcilicet in quo Patres cum ſummo Pontifices conſultandi gratia conſiſtunt. Conſiſtorii meminere Impp. *l. ſi. C. de off. diuerſ. & l. 1. de comit. conſiſt.* Definit Cõſiſtorium Suidas, quod ſit *συνέδειον καὶ τὸ σύστημα, ἐν ᾧ περὶ τῶν ἐπειγόντων βουλεύονται*, id eſt, conuentum, & cõgregationem, vbi vigentes deliberationes habentur, in quo etiam legati & alii adeuntes Principem audiuntur, & cauſæ cognoſcuntur, perquirentibus Conſiſtorianis, hoc eſt, qui conuentui Conſiſtoriali interueniunt; ſic enim eos appellat idem Am. *libro* 15. inquiens: ***Inquirentibus in negotium Conſiſtorianis, atque militaribus, vt præceptum eſt.*** Ita & apud D. Ambroſium Conſiſtoriani dicti, qui ampliſſimi ordinis apud Principem, puta Senatores ad conſilium eligebantur. Hinc iure optimo Conſiſtorium appellatus Cardinalium ſacer cœtus cum Pont. Max. conſiſtens, in quo proponuntur & deciduntur ſumma negotia, & vrgentiores cauſæ ad Chriſtianam Religionem & ad ſedem Apoſtolicam ſpectantes. In eodem eliguntur præponendi Eccleſiis ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, vnde & beneficia illa Conſiſtorialia dicuntur. Et Conſiſtoriales cauſæ, quæ & ſacri Palatii vocantur, id eſt, quæ in Conſiſtorio diſcutiuntur, vnde & Aduocati

Conſiſtoriales decemuiri, qui conſcripti ſunt, & interceſſiones ſeu oppoſitiones electionum Eccleſiarum in Conſiſtorio cognoſcendas exponunt. Et patroni Conſiſtoriales dicti Patres ſeu Cardinales, quos ſingulę Prouinciæ & regularum ſodalitia Protectores habent in Conſiſtorio, de quibus omnibus fuſius Octauianus Veſtrius lib. qui inſcribitur: *Introductio in actiones Romanæ aulæ*, & ibi Nicolaus Ant. Grauatius. Nec illud prætermittendum, quod magis ad rem noſtram facit, antiquitus fuiſſe & Comites conſiſtorianos vocatos, qui tranquillitati Conſiſtorii Principis proſpiciebant, de quibus *in l. 1. de Com. conſiſt. lib. 12. C. tit. decimo*, & ex iſtis conflabatur iudicium aulicum; ducebant enim Cæſares ſecum inter Comites & Iuriſconſultos, vti Spartianus *in Adriano* docet de Iulio Celſo, Saluio Iuliano, & Neratio Priſco. Et Lampridius *in Alexandro*, de Vlpiano, quod pariter Eutropius *lib.* 8. confirmat.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVI.

*Et Pompeii Theatrum, & Odaum.*

INter cætera magnæ molis, quæ Romæ admiratus eſt Imperator Conſtantinus, recenſet Ammianus Odæum; quale vero eſſet, percunctantibus amicis quibuſdam ſtudioſis antiquitatis reſpondebam, Odæum à Domitiano Imperatore fabrefactum Romæ, teſte Suetonio *in illo, cap.* 5. & Eutropio in calce *lib.* 7. in quo Muſicorum chori, & Poetarum recitationes, & commiſſiones Muſicæ populo edebantur, quale & antea Theatri inſtar Athenis fuiſſe Pauſanias *in Atticis*, & Plutarchus *in Pericle* tradiderunt, quod multis ſedibus & columnis exornatum Pericles ille Olympius ab Athenienſibus vocatus, extruxit. De quo item Euſebius *in Chronicis*, & Vitruuius *lib. 5. cap. 9.* fuſe verba fecerunt. Odæum Græci ᾠδεῖον dixere. De hoc Cicero *ad Atticum quarto*, ita ſcribit: *Monumentum illud, quod tu laudibus tollere ſolebas, vt Odæum laxaremus, & vſque ad Atrium libertatis explicaremus, conſumpſimus ſeſtertium ſexcenties.* At illud in re hac non leue negotium facit, quod Suetonius & Eutropius Odæum & à Domitiano erectum tradidere. Dion vero & illius abbreuiator Xiphili-

Xiphilinus *in Adriano*, illud inter opera Traiani Romæ facta connumerant. Inquit enim Xiphilinus: *Apollodorum vero Architectum, qui forum, & Odæum, & Gymnaſium opera Traiani Romæ fecerat, primum exilio, deinde etiam morte multauit.* Conciliare poſſumus, dicentes, Odæum à Domitiano exſtructum, ſed non perfectum, à Traiano poſtea abſolutum, & forte ampliatum.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVII.

*Factumq; eſt tunc, & deinde vnius animi firmitate, vt præter ſolita, nemo Gallis quicquam exprimere conaretur Camelaſii nomine inique.*

PRimis Reipublicæ temporibus, habito ciuium Romanorum cenſu ſecundum facultates vniuſcuiuſque, impoſita fuere onera, quibus Reipublicæ ſubueniretur, quæ præſtatio *tributum* dicta fuit à tribubus, tradente Varrone, *quarto de lingua Latina*, quamuis à contributione dictum tradat Vlpianus *in l. ager, D. de verb. ſignificat.* Cæterum creſcentibus Romanorum opibus, ipſi quoque ſe tributis exonerauerunt, factis reliquis prouinciis ſubactis tributariis, cuius rei ſunt authores Plinius *lib. 33. cap. 3.* & Cic. 2. *Offic.* Tributorum autem duo erant genera, vnum perſonarum, aliud reale, rerum ſcilicet. Perſonale ſeu capitale erat, quum per capita aurum, argentum, vel æs pendebatur, & dicebatur *Capitatio.* Reale vero, ſeu prædiale, quum equi, veſtes, frumenta, laridum, verueces, vel alia ad annonam ſpectantia ſoluebantur, quæ omnia potiſſimum erogabantur in perſoluendis ſtipendiis, militibus, aliisque militaribus neceſſitatibus. Verum qui Capitationem perſoluebant, fere nunquam tributo grauabantur; Iulius itaque Cæſar optimus (quum in Gallias veniſſet expugnaturus Alemanos, qui eas inuadebant) reperit (vt Amm. ſupra *lib. 16.* tradidit) Gallis, quamuis extrema penuria anhelantibus pro capitibus ſingulis tributi nomine vicenos quinos aureos flagitari, ſed ſeptenos tantum voluit, quibus munera vniuerſa complerent. Verum quum Florentius Præfectus prætorio (vt paulo ante inquit idem Amm.) permenſus (vt

contendebat) quicquid in Capitatione deeſſet,ex conquiſitis ſupplendum affirmaret, Iulianus renuit, quippe qui norat huiuſmodi prouiſiones, ſeu potius euerſiones eſſe inſanabilia vulnera, & quæ ſæpe prouincias ad extremam egeſtatem perducerent; addens ſe vere computando edoctum, non ſolum Capitationis calculum ad commeatus neceſſarios apparatus ſufficere, ſed & etiam exuberare. Hinc factum,vt nemo poſthac Gallis quicquam exprimere conaretur Camelaſii nomine inique. Erat autem Camelaſium tributum,quod perſoluebatur,expendendum in conducendis ſeu emendis iumentis, quæ non ſolum militum ſarcinas,ſed & cætera impedimenta exercitus in profectionibus ſeu expeditionibus ferrent, cui vectionis oneri etſi Capitatione vna cum reliquis ſatisfactum eſſet, nihilominus Præfectorum auaritia & Camelaſium( inique tamen) exigebatur. *Camelaſium* enim tributum erat, *Camelaſia* vero munus alendorum camelorum, & *Camelarij*.qui curam illorum habebant. Primum ex hoc Ammiani loco elicimus, ſecundum & tertium ex Iuriſconſultis. Nam apud Hermogianum, *l.1.D.de mun.& hon.* legimus καμηλασία, & Chariſium, *l.fin.* Camelaſiam, vbi non audiendus Budæus vir alioquin ſublimis doctrinæ,qui ibidem legendum putat *Camelisariam*,vel vt alii, *Camelariam*, non *Camelaſiam*; verum iure à Ludouico Reſſuardo Iuriſconſulto, & à Turnebo, *lib.21.cap.28.*non auditur, hoc potiſſimum Am.loco fultis. Ibidem quoque fit mentio Camelariorum. Nec obſtat huic interpretationi, quod in Gallia non reperiantur Cameli: nam dicimus, illis temporibus Romanos Imperatores in Orientalibus partibus vitam tranſegiſſe, vbi Cameli copioſiſſimi; vnde qui inde ad bellum quocunque mittebantur,voces retinebant, eisque vtebantur, quæ Imperatorum Curiæ & comitatui familiares erant.

AMM.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVII.

*Vnde chamulcis impoſitus, tractusq́; lenius per Oſtienſem portam, piſcinamq́; publicam, Circo illatus eſt maximo.*

POllux lib.7. onomaſt. *Chamulci erant* (inquit) *machinæ quædam & inſtrumenta, quibus naues trahebantur.* Verum quales eſſent, & cuiuſmodi, nec ipſe tradit, nec Turnebus docet, qui *lib. Aduerſ.21.cap.13. & lib.27.cap.24.* ieiune admodum chamulci verba facit. Quamobrem nos id cupientes dignoſcere, quod indagando aſſequuti ſumus, in medium afferimus. Compoſitam hanc vocem ex duabus Græcis dictionibus non dubitamus, nempe χαμὸς quod eſt *curuus*, & ὁλκὼ, quod non ſolum *attractionem*, ſed & *conuerſionem* & *reuulſionem* ſignificat. Ita Plato *in Cratylo* dixit: γλίσχρα ὄντως ἡ ὁλκὴ τῆς ὁμοιότητος, hoc eſt, *vana*, vel *inefficax eſt conuerſio ſimilitudinis.* Hinc exiſtimo, Chamulcum fuiſſe illud inſtrumenti genus, quod vulgo *Ruzzolo* dicimus, hoc eſt, lignum terete rotundum, cuius extremitatibus inſunt foramina, quibus impoſita ferramenta ſeu vectes cylindrinorum inſtar verſentur, & vna etiam cum ipſis pondus quoduis graue impoſitum, vnde quum vertantur, ac ſupernæ partis ſuperficies quoquo modo incuruari videatur, Chamulci antiquis ſunt dicti. Quod pariter confirmare poſſumus ex verbo illo *impoſitus*; nam verſatilibus machinis, quæ funes nauibus alligatas vertendo trahunt, verbum illud *impoſitus* minime accommodari poteſt. Quamobrem quamuis ὁλκέω, ſit *traho* nauem onerariam, & ὁλκὴ *attractio*, nihilominus audacter pronuntio, non aliud fuiſſe inſtrumentum Chamulcum, quam iam à me memoratum, quibus permultis, pyramides ſeu obeliſcus quamuis ingentiſſimus impoſitus, impelli facile potuit. Ex hoc Amm. loco non parum lucis allatum exiſtimo viro perſpicaciſſimo Equiti Dominico Fontanæ, qui iuſſu Sixti Quinti Pontificis Maximi præteritis annis obeliſcum, non ſolum de loco ad locum traduxit, ſed & in D. Petri foro erexit, quod legenti Am. dicta, & inſpicienti machinarum iconem, quibus id Romæ perfectum eſt, facile innoteſcet.

AMM.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVII.

*Ideoq; Neptunum humentis ſubſtantiæ poteſtatem Ennoſigæon & Siſichthona Poetæ veteres & Theologi nuncupauerunt.*

Ενοσείγαιος Neptuni epitheton, dictum ἀπὸ τῆς ἔνοσις, id eſt, *concuſsio*, & γαῖα *terra*, ſcilicet, eo quod terram quatiat, & Σεισίχθων, hoc eſt, *motor terræ*, à verbo σείω, quod eſt, *quatio* vel *concutio*, & χθὼν, quod *ſolum* ſeu *terram* ſignificat. Vocauere quoque antiqui ſcriptores eundem Neptunum *Gæuhom* & *Enoſicthon*, eadem de cauſa *Hippium*, *Dameum*, *Micetam*, *Petræum*, *Hippodromium* quoque; quarum appellationum rationem docet Cæl. Rhodig. Sed quod ad præſens attinet negotium, Neptunum cenſebantur antiqui tridente ſuo non ſolum mare, ſed terram etiam mouere & concutere, atque abrumpere, quod tradit Strabo *lib.* 10. & Virgil. 2. *Aeneid.*

*Neptunus muros, magnoq; emota tridenti*
*Fundamenta quatit.*

Et Actius apud Cic. 2. de nat. Deorum: *Aut forte Triton fucina euertens ſpecus ſubter radices penitus vndanti in freto molem ex profundo ſaxeam ad cœlum cernit.* Nam & Neptunum *Tritona* quoque appellari, *in Alexandro* meminit Lycophron. Hinc forte factum, quod Pauſanias tradit, Neptuno & Terræ templum & oraculum fuiſſe commune, *ex Muſæo in Eumolpia.* At illud maxime mihi mirandum occurrit, quod ſi quando terra concuſſa tremuiſſet, magna portendere credebant priſci Romani, ob idque ſupplicationes decernebantur, feriæ indicebantur, Senatus non habebatur, neque Reſpublica adminiſtrabatur, & ſacra fiebant, incerto tamen numini, quia verebantur, ne alium pro alio nominando, falſa religione populum alligarent. Quod Gellius *lib.* 2. *cap.* 28. Plato *in Philebo*, Æſchylus *in Agamemnone*, Euripides *apud Clementem Alexandrinum*, *lib.* 5. *Stromat.* & Catullus *in Hymno ad Dianam*, teſtati ſunt; & tamen ex dictis conſtat, Neptunum terræmotus Deum habitum; quinimo & Ælianus refert *lib.* 6. *de varia hiſtor. cap.* 76. quum Lacedæmonii

contra ſeruos Tenarentes, qui erant ex genere Cylotarum, per vim ac perfidiam inſurrexiſſent, indignatum Neptunum, terram Spartanam concuſſiſſe, vt ex vniuerſa vrbe quatuor tantum ædificia relinquerentur. Sed magis admirationem auget Proclus ſcribens, quod qui vellent terræmotus ceſſationem impetrare, ſolitos Neptuno rem diuinam facere, quem tunc *Aſphalium* vocabant, ἀσφάλιος ποσειδῶν, hoc eſt, *firmus Neptunus* dictus. Sed admiranda profecto Remigii Florentini inſcitia, qui Ammianum vulgari idiomate nõ tranſtulit, ſed tradidit potius, ipſius hiſtoriã inuertens, nonnullà de ſuo addens, multa paſſim adimẽs & tranſponens, Græcas voces terræmotuum ſpecies ſignificantes, Poetarum nomina cenſuiſſe.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVII.

### *Bramatiæ, Climatiæ, Chaſmatiæ, Mycenatiæ.*

Bρασματία Græcis *ebullitio* dicitur, & ſicuti in aquæ ebullitionibus eam ſurſum attolli videmus, ita & in hac ſpecie terræmotus è terræ concuſſione moles ſurſum propelluntur, κλιμάζειν Græcis eſt *peruertere & diruere*, ex quo patet, vnde climatiæ ſecundæ ſpecies terræmotus dictæ, ἀπὸ τοῦ χάσμα, quod eſt, *hiatus*. Tertia ſpecies chaſinatiæ nuncupatæ, μύκημα, *mugitus* Latinis dicitur, vnde & quartæ ſpecieſ terræmotus nomenclatura deducta. Qua in re non poſſum non ſatis admirari linguæ Græcæ peritiſſimum, & multæ lectionis virum Cælium Rhodiginum *lib.* 30. *cap.* 27. qui terræmotus ſpecies enumerans haſce quatuor, primæ *plaſmatica* nomen aſſignauit, & ſecundæ σεισματίαι, quum tamen prior appellatio nullo pacto conueniat; vnde eſſe mendum in textu exiſtimo; ſecunda vero generalis ſit, & abſolute terræmotum ſignificet, vox Græca σεισμὸς, à qua σεισματίαι. De terræmotus differentiis multa Plinius *lib.* 2. *à cap.* 80. *vſq;* *ad* 85. & Ariſtoteles, atque eius interpretes *in Meteor.*

AMM.

AMM. MARCELLINVS, LIB. XVII.

*Conditione difficili premebatur, hac ſcilicet, vt quoniam conſentaneum erat poſt tot ſecundos euentus ciuitates quoq; reparari, vi barbarorum exciſas, carpenta & materias ex opibus ſuis, ſuorumque præberet.*

VEhiculi genus fuiſſe carpentum, Romanis matronis præſertim conuehendis dicatum, conſtat ex Ouidio, *lib.*1.*Faſt.*ſcribente:

*Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant.*

Et Liuius *lib.*1. de Tullia loquens, inquit: *Carpento certe in forum euecta.* Et paulo poſt: *Flectente carpentum dextera in Virbium cliuum reſtitit pauidus is, qui iumenta agebat.* Et deinceps: *Tullia per patris corpus carpentum egiſſe fertur.* Quod & Plinius *de viris illuſtribus* confirmat. At non ſolum matronarum, ſed & principum virorum carpentum fuiſſe vehiculum, manifeſtum eſt ex Tacito, *lib.*1. de Agrippa ſcribente, illum carpento in Capitolium vehi voluiſſe. Iudices quoque ſeu Magiſtratus eodem vſos, conſtat ex Vopiſco *in Aureliani vita*, vbi carpenti iudicialis meminit. Ex hoc vero Ammiani loco coniicere poſſumus, commune omnibus fuiſſe vehiculum carpentum, quum Horatio Regi Alemanorum à Iuliano Cæſare imperatum ſcribat, vt ex opibus ſuis præberet carpenta & materias ad reparandas ciuitates à barbaris exciſas; quod & eo magis cenſendum diiudico, quum carpentum vehiculi genus velox fuiſſe conſtet. Iuuenalis Satyr.8.

*Carpento rapitur pinguis Damaſippus.*

Et Apul. *lib.*11.*Meta.* vbi habet: *At huc carpento peruolaui.* Si tamen alicui hæc interpretatio non arriſerit, poterit exponere per carpenta *ligna*, ita vt fabrum lignarium *carpentarium* à carpentis, hoc eſt, lignis, appellemus, non à carpentis vehiculis conficiendis, cuius tamen interpretationis authorem neminem habeo. Verum quæ infra tradit Ammianus, *per initia lib.*18. vbi de vrbium reparatione rem totam aperit; ait namque: *Romanis Reges ac pacto ſuperioris anni, ædificiis habilia multa ſuis miſere carpentis.* Nam prouincias ex vehi-

vehiculorum contributione valde labefactatas, docet de Anatolio Illyrici præfecto, loquens Am. idem *lib. 13.* inquiens: *Prouinciæ vehicularia rei iacturis ingentibus, quæ clauſere domus innumeras, & cenſualis profeſſione ſpecioſa fiducia releuatæ.*

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVII.

*Hirſutum Iulianum carpentes, appellanteſq; loquacem talpam, & purpuratam ſimiam, & literionem Græcum.*

DOctos, & literarum eruditos, literatos vocari, notiſſimum eſt; literator etiam, qui literas nouit, non perfecte tamen, ſed illis tantum imbutus dictus à Suetonio de clar. Gram. *Obſeruauimus* (ait) *quum familia alicuius venalis produceretur, non temere quem literatum in titulo, ſed literatorem inſcribi ſolitum eſſe, quaſi non perfectum literis, ſed imbutum.* Literoſum quoque obſeruatum dici Latinis pro literato, qua voce vſus eſt Caſſius Hemina, *libro Annalium quarto*, vt citat Nonius; at *literionem* non alibi me legiſſe pro literato recordor, literionem Græcum certe vocabant obtrectatores aulici Iulianum Cæſarem, quaſi vitio illi dantes, quod literarum ſtudiis indulgeret nimium, qui arma tractabat. Ni forte dixerimus, quod ſicuti vocabant illum purpuratam ſimiam, quia non vere Auguſtus, ſed Cæſar tantum purpuram vti Auguſtus geſtaret, ita & illius mandatis obſequentem, non ſui iuris in bello tractando, literionem quaſi ſeruum nuncuparunt. Namque ſerui literati quandoque vocati, eo quod literis inuſti eſſent. Ita Plautus literatum ſeruum pro ſtigmatico dixit; & literatum Cilicem Seneca in libro de mort. Claud. & Dion. *In theatro publicatum* (ait) *in ſeruili genere intolerabilem eſſe maſtigiam fortunarum.* Et Ariſtophanes in Babyloniis Samios πολυγραμμάτυς, hoc eſt, valde literatos ob id appellat; quod & Plutarchus *in Pericle*, & Herodotus *libro quarto*, & Ælianus *variæ Hiſtor. libro ſecundo, capite nono*, teſtatum reliquere. Ita & *in Penul.* Plautus epulas vocauit literatas, hoc eſt, inſcriptas. Itaque in palatio Auguſti adulatores Iuliano proſpere euenientia in bello, fortunæ Conſtantii adſcribebant, Iulianum

veluti

veluti illius ſeruum appellantes *Literionem*, quemadmodum & purpuratam ſimiam vocitabant, vel, vt prius diximus, eidem (quod laude maxime dignum erat) contumelioſum effingebant, nempe quod literas probe calleret, Græcum literionem nuncupantes; nam Romani, quibus Latinæ literæ maternæ erant, Græcis erudiebantur, ſicuti nos Latinas docemur, patriis vna cum educatione à primis annis adeptis.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVIII.

*Valentinus ex Primicerio protectorum Tribunus.*

SI Primicerii etymologiam veram nacti fuerimus, & eiuſdem eſſentia facile innoteſcet. Pandulphus Prateus *in Iuris Lexico* ait, quod Primicerius non eſt, vt quibuſdam videtur, iunctum verbum; non enim aliud in eo verbo notandum eſt, quam *primus*: nam *cerius* productio verbi eſt; qua in re minime eum recte ſenſiſſe, ex mox dicendis manifeſtum erit. Accurſius *in rubr. de Primicerio*, denominationem plane irridendam tradit, nempe ita vocari, quod primus ferat cereum: nam dato quod id verum eſſet in Primicerio religioſo, in aliis falſum eſſe iamiam palam fiet. De Primicerio in Eccleſiaſticis loquutos exiſtimo D. Hieronymum *in Chronicis*, & Caſſiodorum *in Epiſtol.* quum ſcripſerunt, Primicerium à cereo dictum. Alii vero dixere, Primicerium appellatum, eo quod in cera primus ſcribatur. Mos enim erat antiquis in tabulis ceratis pugillari ſcribere, teſtimonio Plinii, *lib.* 13. *cap.* 11. & Plinii Iunioris *lib.* 1. *Epiſt.* ſcribentis: *Erat in proximo, non venabulum, aut lancea, ſed ſtylus, aut pugillaris, meditabar aliqua, annotabamq́, vt ſi manus vacuus, plenas tamen ceras reportarem.* Et Iuuenalis:

*Nonne libet medio ceras implere capaces.*

Et qui in primo loco tabellæ ſcribebantur, in prima cera ſcribi dicebantur, & deinceps in ſecunda & tertia, & ima, vt ex Suetonio *in Cæſare*, & Aſconio Pædiano *in Verr. Ciceronis.* Itaque eo, quod primus erat, in quolibet ordine conſcriptus, Primicerius dicebatur, quem nos Anteſignanum dicimus, & vulgo *Antiano*. Horum ſententiam minime reproba-

probamus; at & nos aliam excogitauimus, nempe primicerium vocem compoſitam eſſe ex Latina *primus*, & Græca χεὶρ, quod eſt *manus*, quæ vox tam Græcis, quam Latinis aliquando poteſtatem ſignificat, vt quum dicimus, rem aliquam in manu noſtra eſſe ſitam, & Græci dicunt, διὰ χειρὸς εἶναι. Sic Lucanus lib. 1.

*In manibus veſtris quantum ſit Cæſar habetis.*

Et in vulgari locutione dicimus, aliquid facere manu Regia, id eſt, poteſtate abſoluta. Cui noſtræ opinioni non repugnat, quod *primicerium* ſcribi obſeruemus, non *primicherium*, quod fieri deberet ratione χ, literæ Græcæ, cui Latinis correſpondent *ch*. Nam reſpondeo, ab innominato authore ad Theodoſium *primocherium* appellari, non quod voluit doctiſſimus Alciatus, quaſi primus à manibus, ſed quod primus poteſtate ſit in ordine. Ita Suidas πριμικήριον interpretatur τὸν πρῶτον τῆς τάξεως, id eſt, primum in ordine. Et ideo quot erant ordines, tot primicerii numerabantur. Ita primicerius notariorum, qui honore primus inter notarios exiſtit, puta principis notarius, vti apud Renatum Frigiridum, *in hiſtoria Honorij & Theodoſii*, & ſæpius repetitum *in nouell. conſtit.* 8. Dicitur quoque & primicerius fabricæ, vti *in l. 2. de fabricenſ. lib. 11.* Primicerius domeſticorum appellatus in quadam Epiſtola Athalarici Regis Gothorum ad Senatores Romæ, & *in l. 2. & l. vlt. C. de domeſt. & protector.* & apud Hieronymum *in Chronicis Euſebij*, in qua lege etiam de primicerio equitum fit mentio. Primicerius præfectorum prætorio apud Vegetium *lib. 2. cap. 2.* Primicerius menſorum, *l. vnic. de menſor. lib.* 12. Primicerius adiutor, *in l. vlt. C. de offic. præfect. vrb.* Et primicerius exceptorum Singulariorum, Auguſtalium, Scriniorum, Deputatorum, Sacri cubiculi, *l. vn. quia prabitio. tyro. in C. Theodoſi. & apud Caſſiodorum lib. 11. variar. & in notitia.* Sic primicerius legionum apud Gulielm. Tyrenſem Pont. *lib. 2. de bello ſacro, cap. 19.* & alibi ſæpe. Sic primicerius defenſorum, & primicerius cantorum & Cardinalium primicerios, apud Luitprandum *lib. 6. de rebus per Europam geſtis.* Primicerium ſcholæ candidatorum, ſcribit D. Hieronymus *in vita Martiani.* Primi-

cerius protectorum hoc in loco Ammiani Marcellini. Et *lib.*29. vbi de Maurico primicerio, & *in l.*2. *C. de domeſt. & protector.* Poſtremo & apud Eccleſiaſticos præter Primicerium Cardinalem habemus & primicerium clericorum & diaconorum, qui ſcilicet præeſt in docendo, *cap.*1 *de offic. primicerij, lib.*1. *Decretal. tit.*25. Et ex reſcripto Innocentii III. ad Tullenſes canonicos, Primiceriatum eſſe beneficium cum dignitate. Hac eadem forma loquendi Auguſtinus *Serm.*20. D. Stephanum Primicerium martyrum vocat. Et Baldricus Dobenſium Archiepiſcopus *in Hiſtoria Hieruſalem*, D. Petrum primicerium Apoſtolorum appellat. Eadem & figura *ſecundicerius & tertijcerius* dictus ſecundus & tertius in ordine, *lib.*12. *Cod. & in l. vni. de præpoſ. agent. in reb. & in Notitia aliquoties.* Sic apud Luitprandum libro citato, *Cardinalis ſecundicerius*. Zonaras meminit quoque μεγάλου πριμικηρίου, hoc eſt, magni primicerii.

Sed aduerſus hanc noſtram ſententiam duplici modo inſtabit forte quiſpiam; Primo, eo quod *lib. Decret.* 1. *tit.* 25. *cap.*1. de officio primicerii, habemus inter clericos & diaconos. Primicerium eſſe ſubditum archidiacono; ſecundo, quod inter protectores præſtantior eſſet tribunus primicerio, quod conſtat ex hoc Ammiani loco, ſcribentis, Valentinum ex primicerio protectorum tribunum factum; quod pariter confirmari poteſt ex Iuſtiniano, *l.*2. *de domeſt. & protector. lib.*12. *Cod. tit.*17. vbi inquit: *Primicerius quidem domeſticorum & protectorum vtriuſque ſcholæ, poſt adeptum tribunatum inter eos ſpectabili dignitate perfruatur, qui ducatum gerere meruerint.* Nam priori obiectioni ſatisfacimus, dicentes, primicerium inter clericorum ordinem poteſtatem priorem habere, nec tamen obſtare, quin poſſit eſſe ſubiectus Archidiacono, ſicuti & hic Epiſcopo, & Epiſcopus ſummo Pontifici. Ita quoque ſecundum obiectum diluitur; nam dicimus, inter protectores primicerium primum locum obtinere, poſſe tamen ad tribunatum promoueri, & etiam ad ducatum, quæ dignitates ſunt, & magis excellentes. Præterea ex locis adductis neceſſario non colligitur, intelligendum eſſe de tribunatu in ordine protectorum, ſed intelligi

poſſe

poſſe de tribunatu alterius ordinis, qui præferatur protectorum primicerio.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XVIII.

*Quem ſciſſis callibus Molinæ ad calles arctandas ædificatæ denſius conſtringebant.*

INter plures *moles* vocis ſignificationes, dicuntur moles ſtructoriæ in mari, vel in fluminibus proiectæ, *l. 1 ff de impenſ. in re dot. fact.* Inter neceſſarias impenſas eſſe, ait Labeo, moles in mare vel flumen proiectas. Velleius Paterculus lib. 2. de Lucullo: *Quem ob iniectas moles mari, & receptum ſuffoßis montibus in terras mare, haud infacete Pompeius Xerxem togatum vocare conſueuerat.* In mari enim & fluminibus dicuntuntur *moles* opera ſeu aggeres, quibus excluditur aqua. Tacitus lib. Hiſt. 5. *Addiderat Ciuilis obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu reuolutus amnis adiacentibus ſuperfunderetur.* Cicero ad Atticum: *Conſtat enim aditus inſulæ eſſe munitos mirificis molibus.* Moles diminutiuum fecit *molinam.* Ammianus inquit: *Ad vrbem Amidam aſcenſum peranguſtum ſciſſis callibus molinæ ad calles arctandas ædificatæ denſius conſtringebant.* Quum enim via arctiſſima eſſet, nec moles magnæ, ſed paruæ admodum ædificari potuere, quas iure molinas, non moles ideo appellauit Ammianus.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XX.

*Iacobus & Caſius numerarij apparitionis magiſtri Equitum.*

NVmeratii Iuriſconſultis *lib. Cod. 12. titul. de numerar.* dicuntur, qui in officio magiſtratuum eodem munere funguntur, quo & tabularii in ciuitatibus & curiis. Chartas enim publicas adminiſtrare dicuntur, *l. 6. Cod. Theodoſ. de numerar.* tum etiam & rationes ſupputare, quod nomen ipſum demonſtrat: nam à numerando ſic appellati. Vnde Auguſtinus *lib. 2. de lib. arbit.* inquit: *Multos noui numerarios, aut numeratores, vel ſi quo alio nomine vocandi ſunt, qui ſumme ac mirabiliter computant.* Quibus ſic ſe haben-

tibus,explicare poſſumus, hoc in loco *numerarios apparitionis magiſtri equitum*,qui rationes apparitionis magiſtri equitum ſupputant, quemadmodum *lib.26*.dixit idem Ammianus: *Leo ſub Dagalaipho magiſtro equitum rationes tractans.* At quum ſuperius *lib.15*. Remigium dixerit rationarium apparitionis magiſtri armorum, quem nos rationũ ſupputatorem interpretati ſumus,& hoc eod.lib.paulo ante etiam legamus: *Antonius quidam ex mercatore opulento rationarius apparitor:* certe non video, cur hoc loco eodem in ſenſu numerarium acceperit; Quamobrem nos, quam mox ſubiicimus,expoſitionem magis recipiendam cenſemus. Sicuti in legione certus erat & ſtatutus numerus militum, ita & in reliquis officiis militum, præſertim officialium, determinatus numerus erat, & hi numerarii vocabantur, ſicuti ſupernumerarii, qui præter deſtinatum numerum ſuperaddebantur.Ita *l.7.C.de prox.ſacr.ſcrin.* qui in ſacris ſcriniis vltra numerum ſtatutorum militabant, ſupernumerarii appellabantur. *Quodſi quis* (inquiunt Imperatores) *de ſupernumerariis,qui ſtatuti loco ſubire debuerat,ne pecuniam offerat, ſtatuti etiam gradum recuſare voluerit.* Hoc etiam confirmare poſſumus ex Suida,in dictione ὑπεράριθμος, & Vegetio,qui ſupernumerarios nuncupat, qui poſtea ſunt additi, quum fuiſſet legio completa. Erant itaque Iacobus & Cæſius numerarii,hoc eſt,ordinarii,& ex numero ſtatuto apparitores magiſtri equitum, & non ſupernumerarii. Alterutram, quam maluerit expoſitionem accipiat lector; vtramque enim ſuſtineri rationabiliter poſſe arbitror. De magiſtro equitum Victore meminit Ammian.*lib.27*.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVI.

*Arbetionem & Florentium officiorum magiſtrum,quæſitores dederat.*

QVi Aulicorum officialium cauſas diſceptabat & cognoſcebat,illiſque ius dicebat, magiſter officiorum dicebatur,vti patet apud Iuriſconſultos, *l.4.C.de ſentent. & l.3. C.de prapo.ſac.cub. & l.vlt. C.de caſtr. & miniſt.l.in ſacris, & C. de*

*prox.*

*prox.ſac.ſcrin.l.2. & C.vbi Senat.l.3.* Quod enim eſſet index fabricenſium, conſtat *ex l.fin.C.de fabricenſ.* Item curſus publici,*ex l.9.C.de curſ.publico,lib.*11. Denique totius palatii officialibus ius dicebat magiſter officiorum. Vnde iure merito Theodoretus *lib.5.cap.*20. eum appellauit ἡγούμενον τῶν βασιλείων, id eſt, præſidem aulæ ſeu Regiæ. Fuit autem ante tempora Arcadii & Honorii Impp. magiſter officiorum per Orientem & Illyricum vnus, & per Occidentem alter, vt ſcribitur in libro, cui titulus, *Notitia vtriuſq; Imperij.* Sub Orientalis diſpoſitione erant ſcholæ, ſcutariorum prima, & ſecunda gentilium, ſagittariorum, clibanariorum, armaturarum iuniorum, agentium in rebus Menſorum, Lampadariorum, Scriniorum, Memoriæ, Epiſtolarum, Libellorum, diſpoſitionum, officiorum, admiſſionum fabricæ, Orientis vna, Ponticæ tres, Aſiana vna, Thraciarum duæ, Illyrici quatuor. Erantque illi magiſtro officiorum de ſchola agentium in rebus adiutor; ſubadiutor, & huius adiutores duo, fabricarum tres, Barbariorum tres, Orientis vnus, Aſianæ vnus, Ponticæ vnus, Thraciarum & Illyrici vnus, Curioſus vnus, curſus publici præſentialis vnus. Curioſi per omnes prouincias, interpretes diuerſarum gentium. Hæc eadem munera fuerunt propria magiſtri officiorum per Occidentem. Detulerunt etiam leges iſtis officiorum magiſtris notionem militarium cauſarum quarundam, *l.*1.2.3. *& 4. C.de off.magiſt.offic.* Ex quibus patere facile poteſt, huiuſmodi magiſtratus inter præcipuas fuiſſe dignitates, ab Imperatoribus dari ſolitas. Huius officii ſeu dignitatis meminit Diuus Ambroſius *lib.7.Epiſt.53.* & Nicephorus *lib.7. Hiſt.Eccleſiaſt.cap.*7. Idem Amm. hoc eodem lib. 20. præter locum citatum, vbi de Pentadio officiorum magiſtro. Et iterum Felicis officiorum magiſtri, & *lib.*22. Palladii magiſtri officiorum meminit. Et rurſus de Anatolio officiorum magiſtro, & *lib.*21. dum inquit: *Sub Iuliano Auguſto neminem celſum aliquid acturum in Regia repentinum, adhibitum, vel incognitum, ſed qui poſt decennium officiorum magiſterium, vel largitionis, vel ſimile quicquam eſſet recturus, apertiſſime noſcebatur.* Et *lib.*22. iterum de Florentio officiorum magiſtro verba

facit, & *lib.25.* de Anatolio officiorum magiſtro. Et *lib.26.* de Vrſatio officiorum magiſtro. Et *eod. lib.* de Euphenſio officiorum magiſtro. Et *lib.28.* de Ampelio ex magiſtro officiorum ad proconſulatum genuinum, indeque multo poſtea ad præfecturæ culmen euectum. Ex quibus harum dignitatum ordo dignoſcitur.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXI.

*Iter ſuum præire cum lanceariis & mattiariis, & catervis expeditorum præcepit.*

QVemadmodum à lancea lancearios milites vocauit Amm. ita & à mattia mattiarios dixiſſe arbitror, quam vocem etſi nullibi, quod meminerim, apud Latinos obſeruauerim, nihilominus pro claua accipi vſque ad hodierna tempora notiſſimum eſt: namque *mazza* ſeu *maccia* vulgo dicimus clauæ ſpeciem, quæ ſuperna in parte rotunditate configuratur in craſſitiem protuberantem, vnde claua dicta, eo quod ad claui ſimilitudinem in ſupernis capitetur. Vnde forte apud Martialem *lib. 14. Epigram. 27.* pilas mattiacas legimus, hoc eſt, inſtar clauæ ſummitatis conformatas, & prægrandes, quamuis alii ſaporem vilem interpretentur à Mattiaco Germaniæ oppido ita appellatum. Clauis autem inter cætera armorum genera vſos fuiſſe antiquos, palam eſt; Namque (vt interim Herculis clauam omittam) Cicero *5. in Verr. act.* inquit: *Qui primo quum obſiſtere ac defendere conarentur, male multati clauis ac fuſtibus repelluntur.* Idem de Senect. *Sibi igitur habeant alij arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clauam, ſibi pilas, &c.* Mattiarios itaque dixiſſe puto Ammianum à mattia, non clauarios à claua, quia, vt alibi fuſe docuimus, clauarii erant & dicebantur, qui donatiuo militibus diſtribuendo præerant; rectius certe clauatores appellaſſet, quod factum à Plauto ſcimus *in Mercat.* dum ait:

*Egomet mihi comes, clauator, eques, agaſo, armiger.*

Et in Rud.

*Eccum clauator aduenit.*

Ammianus *lib. 31.* de Valente: *Imperator diris pauoribus circum-*

*cumſeptus, paulatimq́ tranſiliens funerum moles, ad Lancearios confugit, & Mattiarios, qui, dum multitudo tolerabatur hoſtilis, ſteterant inconcuſſi.*

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXI.

*Nec ſub eo Dux quiſquam cum Clariſſimatu profectus eſt: erant enim, vt nos quoq́ meminimus, perfectiſſimi.*

DE Clariſſimatu fuſe nos *in annotatis in Vopiſcum, in Aureliani vita*, quare duntaxat de *perfectiſſimis* dicendum. Perfectiſſimatus dignitas ſeu dignitatis titulus primus erat, ad quam cuiuis, niſi qui ſordida conditione eſſet, aditus patebat, vti *ex lib. Cod.*12.*tit.*33.intelligitur. Præſes Arabiæ perfectiſſimus vocatus, *l.*4.*C.Theod.de pœn.* & Dalmatiæ à Mariano. Præſidem Hiſpaniæ Tarraconenſis, Præſidem prouinciæ Norici, perfectiſſimos dictos, ex marmoreis inſcriptionibus antiquis, demonſtrat Alciatus doctiſſimus *lib. Diſpun.*3.*c.*4. Et magiſter cenſus, *l.*30.*C.de epiſc.& cler.*& primicerii ſcriniorum, *l.*7.*C.de Com.palat.ſacr. larg.l.*7. *C.Theod. de priuil.eorum, qui in ſac.pal.milit.* Duces quoque hoc titulo inſignitos olim, conſtat ex hoc Ammiani loco. Verum dominantium arbitrio dignitates & titulos varie datos ex hoc loco dignoſcimus, ſed multo magis ex ſcribentium varietate. Quare cum Lactantio, *lib.*5.*cap.*15.concludamus; Nemo egregius, niſi qui bonus & innocens fuerit; Nemo clariſſimus, niſi qui opera miſericordiæ largiter fecerit; Nemo perfectiſſimus, niſi qui omnes gradus virtutis impleuerit.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXII.

*Et in aridis quidem Capreoli veſcuntur, & Buculi, & Biſturnicia omni deformitate ridicula.*

LEgo *Buculi*: ſicut enim à ſue dicuntur ſuccula, ita & à boue bucula, hoc eſt, parua bos, & adhuc tenella. Plinius ... *Eidem morbo buculæ iecur contritum prodeſt.* Et Virgil. lib.1.Georg.

*——— Bucula cœlum*

*Suſpiciens patulis captauit naribus auram.*

Et ſicuti bucula bouis diminutiuum, eſt fœminini generis, ita & eadem deriuatione buculus maſculini, quemadmodum & capreoli à capra deducti, quorum antecedenti dictione meminit Amm.

Buculi, hoc eſt, parui bouis, memoratus eſt Col. *lib.*7. inquiens: *Quum deinde buculos comprehenderis.* Ita D. Hieronymus à boue *bucolia* in Ægypto bubulcorum loca appellauit; & bucolicos milites, & bucolicos verſus eadem ratione nuncupatos, alibi docuimus. *Bubali* Turnebus *libro Aduerſ.*21.*cap.*1. legit, quæ lectio, quum magis diſtet à *Bucali*, quam *buculi*, minus placet. Scio quod Buculæ, quarum ſtructores Paternus *in l. vltim. ff. de iur. immu.* vacationem munerum habere ſcribit, aliud ſunt: nam à F.H. *in Comment. ver. iur.* pro inſtrumento accipitur, cuius meminit Vitruuius *lib.*10.*cap.*15. quamuis Turnebus *Aduerſariorum lib.*9.*cap.*16. galeam interpretetur, & bucularios, quæ galeas faciunt; ſed quum hæc ad rem propoſitam minime faciant, conſulto omitto.

Biſturnicem quadrupes animal fuiſſe exiſtimandum, quum vna cum capreolis & buculis connumeretur ab Ammiano. At quum apud Plinium, *lib.*10.*cap.*13. Spinturnicem auem legamus, quam & incendiariam dictam tradit, forte & Biſturnicias aues fuiſſe dubitandum, legendumque, *Spinturnicia*, tanto magis, quum ibidem ſcribat Plinius de Spinturnice aue, ſe non inueniſſe, qui ſe ſcire diceret, quæ eſſet, quod & nos iure de Biſturnicio affirmare poſſumus; quamuis non parum pro eo dignoſcendo laborauerimus, antiquorum & recentiorum volumina diu reuoluentes. At quum Am. dicat: *Biſturnicia omni deformitate ridicula*, Biſtornicia potius legendum per *o*, non per *u*, cenſuimus, & nomenclaturæ rationem putamus à Græcis vocibus *δὶς*, quæ licet Latinis *bis* ſignificet, tamen Græcis quandoque priuandi vim habet, vti in dictione *δυσώνος*, hoc eſt, *non bonus*, quum *ὤνιος* bonus ſignificet, & altera voce *τορνὸς*, id eſt, *tornus*, quo inſtrumento res poliuntur, & ad amuſſim rotunda efficiuntur, ita vt animal huiuſ-

modi,

modi, *Biſtornitium*, eo quod deforme ſit & male deformatum & factum, ita ſit dictum. Sic Horatius *in arte Poetica*, verſus male tornatos, perperam factos appellat:

*Bis terque expertum fruſtra delere iubebat,*
*Et male tornatos incudi reddere verſus.*

Ita & Vegetius *libro de re Veterinaria.* Biſturnicios equos appellauit male conformatos, vt ego interpretor, & ita legendum puto, nequaquam *Biſturtitios*, vt alii contendunt, ſed qua ratione, neſcio; Et quibus aſſentiri, vel ſaltem non refragari videtur Turnebus *lib. Aduerſ. 21, cap. 1.* Cogitabam forte legendum *Biſontes*, hoc eſt, boues ſylueſtres, ſed verba illa, *omni deformitate ridicula*, repugnant. Quamobrem, in eam tandem veni ſententiam, vt per Biſturnicia intellexerit Camelos ſeu Dromedarios Am. ſiquidem Cameli forma ridicula ſane ſunt conſpicui, familiares vero Ægypto eoſdem eſſe nemo ignorat, vnde apud Lucianum adagium obſeruamus, *Camelus Aegyptius.* Ad hæc Camelum in aridis locis paſci, colligimus ex Plinio, *lib. 8. c. 18.* ſcribente de Camelis: *Sitim & quatriduo tolerant, implenturque quum bibendi occaſio eſt, & in præteritum, & in futurum.* Denominationis vero ratio ex iam dictis facile elici poteſt, quum male formati ſint, & ideo ridiculi. Quæ omnia textui Ammiani recte conuenire putamus.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXII.

*Quod factum contuens Hydrus Ichneumonis genus.*

ANimal eſſe Ichneumonem dicunt (inter quos Ambroſius Calepinus) magnitudine felis, ſpecie muris. Sed quo authore id affirment, ignoro. Plin. *lib. 8. c. 24.* notum animal ſcribit, ea potiſſimum gloria, quod in Ægypto natum mergat ſe limo ſæpius, ſiccetque ſole, mox vbi pluribus eodem modo ſe coriis loricauit, cum aſpide dimicet, & in dimicatione caudam attollens, ictus irritos auerſos excipit, donec obliquo capite aſpidem conſpicatus, cui oculi hebetes, illoſque non in fronte, ſed in temporibus natura dedit, inuadat in fauces; nec hoc contentus, aliud haud mitius de-

bellat animal, nempe Cocodillum, eo modo, quo ſubſequenti capite ſtatim docet idem Plinius. Gal. *lib. 5. de Hippocratis & Platonis placitis, c. 5.* ſcribit, Ichneumonem natura nullo propoſito præmio, ad victoriam aſpirare. Ex quibus tamen formam Ichneumonis elicere non poſſumus. Certe Plin. *lib.* 10. *cap.* 63. de generatione terreſtrium animalium verba faciens, ait: *Felium & Ichneumonum reliqua vt canum*, quę intelligenda ſunt quo ad generationis modum, & tempus, vt ex antecedentibus & ſubſequentibus colligitur, non quo ad formam, ſeu corporis figuram. Ichneumoni inimicas natura apes, docet *eod. lib.* 10. *c.* 74. Virulentum eſſe animal tradit *lib.* 29. *c* 4. & *lib.* 31. *c.* 9. remedia vtrobique illius venenato morſui obuiantia deſcribẽs. Quæ omnia ſi recte perpendantur inter angues ſeu ſerpentes Ichneumonem reponẽdum, præſertim reponente eodem Am. eundem inter Hydros, qui inter angues ſunt, teſtimonio Plinii *lib.* 29. *cap.* 4. ſcribentis: *In orbe terrarum pulcherrimum anguium genus eſt, quod in aqua viuit, Hydri vocantur, nullis ſerpentium inferiores veneno*; Quinimo Plinius *cap.* 23. *libri* 8. in quo de Serpentibus, ſtatim annectit caput 24. vbi de Ichneumone. Vnde Nicandri interpretis inſcitia præcipue patere poteſt; qui Nicandri verſus, quibus illius & aſpidis pugnam deſcribit, interpretatur, Ichneumonem Aquilæ ſpeciem Herculi ſacram eſſe affirmare non erubuit. Hoc animal Cocodillum necare docent & Plinius loco iam dicto, & Am. hoc in loco, modum quo id faciat, deſcribens.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXII.

*Serpentes quoque alit AEgyptus innumeras vltra omnem perniciem ſæuientes, Baſiliſcos, Amphisbænas, & Scytalas, & Acontias, & Dipſadas.*

BAſiliſcum deſcribit Plinius *li.* 8. *c.* 21. Amphisbænam *c.* 25. eiuſdem lib. & ad amuſſim, vt ſatis ſit ad ea loca lectorem relegare. Scytalam minime deſcribit idem author, quamuis *lib.* 32. *c.* 5. Scytalę morſum veneuatum tradat. Columella libro 6. cap. 17. *Mus araneum*, inquit, *quam Græci μυγαλῆν appellant, quamuis exiguus dentibus, non exiguam peſtem molitur.*

*molitur.* Acontiæ, quæ inter ſerpentes fuerint, à nemine deſcriptum legi; verũ ita appellatas credimus, quod virus iaculatentur, namq; Græcis ἀκόντιον, iaculum eſt. Vnde Plinius *lib. 2. cap. 25.* Cometæ ſpeciem Acontiam vocauit, quod iaculi modo vibretur ocyſſime. Dypſadis Plinius minime figuram tradidit, ſed tantum remedia illius morſibus docuit *lib. 23. c. 8. & lib. 32. c. 5.* à διψῶ, quod eſt *ſitio* dictum, nam ſuo morſu ſitim maximam inducẽdo perimit, quod docuit Lucanus *lib. 9. Pharſal.* Ex Soſtrato illius figuram habemus talem: *Cauda lineis diſtinguitur duabus nigris, corpore albicante reliquo, vipera magnitudine minor.*

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXIII.

*Miſſa per militares numeros expeditionali teſſera, cunctos tranſire iuſſit Euphratem.*

IN re militari numeri appellantur militum ordines, ſeu cœtus, puta cohortes, centuriæ, turmæ, legiones, & alia huiuſmodi. Ita Plinius *in Epiſt. lib. 4* inquit: *Neque enim adhuc nomen in numeros relatum eſt, ideoque liberum eſt nobis Siluanum in locum ſuum ſubdere*, loquutus de Tribunorum ordine. Et *lib. 10. Epiſt.* ad Traianum: *Vt iam ſacramento dixerãt, nondum tamen diſtributi in numeros erant*; quod elicimus etiam ex lib. 3. *Epiſt.* 8. Ex quibus patet, numeros accipi in re bellica pro ordinibus, turmis, aliiſque militum ſocietatibus, quæ Græcis τάγματα appellantur. Ita obſeruamus dici milites nondum in numeros relatos, quum delecti quidem ſunt, nondum tamen in ſuos ordines deſcripti, quod etiam apud Iuriſconſ. legimus, vti *l. 2. §. exercituum, ff. de iis qui not. infam.* Exercitum, non vnam cohortem, neq; vnam aliam dicimus, ſed numeros multos militum, quod patet etiam *ex l. 8. §. Veterani, ff. de Procur. l. 4. ff. de re milit. l. 31. C. loca. & tit. de teſta. mil. l. 47.* Sic inquit Vlp. *Ex eo tempore quis iure militari incipit teſtari poſſe, ex quo in numeros relatus eſt, ante non.* Proinde qui nondum in numeris ſunt, licet iam lecti Tyrones ſint, & publicis expenſis iter faciant, nondũ milites ſunt; debẽt enim in numeros referri. Scio iuris interpretes exponere eo in loco pro numeris catalogum, ſeu breuiariũ, aut matriculam, in quo milites

deſcri-

deſcribuntur;at rectius certe pro ordinibus,in quibus vnuſquiſque miles locatur,intelligendum, quamuis & hi ſuis catalogis comprehendantur. Hoc idem ex Hiſtoriæ ſcriptoribus confirmari poteſt. Capitolinus in Macrino ait : *Quod ſi vnius numeri conſenſus accederet,neque ille recuſaret.* Et Fla.Vopiſcus in vita Probi : *Accepit 16.millia tyronum , quos omnes per diuerſas Prouincias ſparſit , ita vt numeris limitaneis quinquagenos & ſexagenos inferret.* Et apud Senecam *de Tranquillitate vitæ, cap.3.* legimus numerorum ſtipendia. Denique Claudianus in Epithalamio Palladii & Serenæ ſcribit :

*Regnorum tractat numeros,cuneoſque recenſet.*

Et forte ita illud Virgilianum accipiendum :

*Nauita tum ſtellis numeros & nomina fecit.*

Hoc eſt, cœtus & ordines ſtellarum cognouit , eiſque nomen impoſuit. Demum Suetonius *in Veſpaſiano,cap.6.*ita habet : *Reuocatis ad officium numeris parumper* ; quamuis *muneris* Beroaldus & alii legẽdum,non *numeris*, ſed minus apte cenſuerint. Milites apud Cic. legimus *numerum* pro ordine & cœtu , nullibi tamen pro numero militari. Frequens tamen Am. huiuſmodi denominatio , quod ex hoc loco facile patet,necnon & aliis multis. Et lib. 20. *E numero protectorum* dixit ; Et lib.23. *Id numeri Gallicani fremitu lætiore monſtrabant.* Et lib. 25. *Tertiacorum equeſtris numerus à legionibus incuſatus eſt.* Et rurſus : *Melobaudes, Neuita, & Victor inſignium numerorum Tribuni.* Et lib.26. *Leo adhuc ſub Dagalaipho magiſtro equitum rationes numerorum militarium tractans.* Vbi conſiderandum,non *numerorum* ſimpliciter,& abſolute,vt alias,ſed cum adiectione *militarium* dixiſſe. Et paulo poſt : *Et militares partiti numeri.* Et iterum de Procopio : *Ex iiſdem numeris notos ſollicitare properans.* Et lib.27. *Iouiique & Victoris fidentibus viribus numeri*: Et iterum:*Cum Illyricis & Italicis numeris,quos regebat.*Et lib.31.*Cum trecentis militibus per ſingulos numeros lectis.* Et deinceps : *Cum quibus triginta quinque oppetiuere Tribuni vacantes , & numerorum rectores.* Tacitus in deſcriptione vitæ Agricolæ:*Sparſi per Prouincias numeri.* Quibus ſic ſe habentibus, miror Cœlium Rhodiginum , virum in lectione antiqua omnibus præferendum,*lib.29.c.8.* ex Tacito *in Agricola* tradidiſſe, numeros

in re

in re militari dici milites, qui legionibus non inſunt, nec ſine ſignis tamen, quando ducem agnoſcunt proprium; Lanceas nunc vocant ſeparatas, qua in re quantum aberrauerit, ex dictis ſatis patere exiſtimo.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXIII.

*Nec ideo tamen ſtiuam ignorant.*

ARatri partem ſtiuam eſſe omnes conſentiunt, quamuis de illius qualitate varia ſcribant. Partem enim illam, quam & regulam dicunt, & quia ſupra dentem aratri eſt poſita, à ſtando dictam eſſe tradit Cœl. Rhodig. *lib. 26. cap. 5.* Alii etiam partem, quam manicum appellant, ſtiuam eſſe contendunt. Alii Chetlen, id eſt, rectum lignum, quod manu continet arator; De ea Virgilius Georg. 1.

*Stiuaque quæ currus torqueat imos.*

Et Ouid. 8. Metamorph.

*Aut Paſtor baculo, ſtiuaque innixus arator.*

Et 4. Faſtor.

*Inde premens ſtiuam deſignat mœnia ſulco.*

At certe hoc loco pro aratri parte accipitur à Marcell. niſi dixerimus protuliſſe partem pro toto, vt ſit ſenſus: Hyrcanos etſi venatibus veſcantur, non tamen ignorare aratro terram pinguem colere. Ita & *lib. 14.* de Saracenis graſſatoribus inquit: *Nec eorum quiſquam aliquando ſtiuam apprehendit, vel arborem colit, aut arua ſubigendo quæritat victum.* Et lib. 31. de Hunnorum gente: *Nemo apud eos arat, nec ſtiuam aliquando contingit.* Quæ expoſitio quam maxime textui aptari videtur. At ſi quis eam non receperit, & mendum in textu eſſe dixerit, & *ſatiuam* legendum, non *ſtiuam*, haud reluctabimur; nam ſatiuum agreſti opponi, non eſt qui ignoret, ſicque interpretabimur ſatiuam, id eſt, culturam terræ, & ſenſus erit idem.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXV.

*Clamabant hinc inde candidati, quos diſiecerat terror, vt fugientium molem, tanquam ruinam male compoſiti culminis declinaret.*

CAndidati communiori appellatione dicebantur antiquitus magiſtratuum ſeu dignitatũ petitores, eo quod veſte candida induebantur poſtulationis tempore, quod clare colligitur ex Macrobio *Saturn. lib.*1. Valerio Max. *lib.*4. *c.*5. vbi mentio fit de Cn. Africano ſuperioris filio, & Cicereio ſcriba, Præturæ competitoribus, Cicereus enim quum vidiſſet omnibus ſe Centuriis Scipioni anteferri, abiecta candida toga, competitoris ſui ſuffragatorem agere cœpit. Et Plin. lib. 7. c.34. *Scipio Naſica in toga candida bis repulſa notatus à populo.* Et Liuio *lib.*27. vbi de M. Liuio Salinatore, & *lib.* 37. vbi de Catone cenſuram petente.

Nec obſtat, quod Liuius idem *lib.*39. ſcribat, Q. Fuluium Flaccum Ædilem curulem deſignatum, ſine toga candida petentem; Nam reſpondendum, eo quod Q. Fuluius Ædilis erat deſignatus, illius magiſtratus veſtem exuere ei non licuiſſe; & aliam induere. Nec etiam aduerſatur, quod Spartianus ſcriptum reliquit *in Seuero.* illum ſcilicet à Marco, non in candida, ſed in competitorum grege Prætorem deſignatum; Nam id Imperatoria poteſtate factum, legibus & conſuetudine poſthabitis in Seueri honorem. Nec minus officit, quod idem Liuius *lib.* 4. tradit, Tribunos Plebis legem tuliſſe, ne cui album veſtimentum addere petitionis cauſa liceret; Nam licet lex ea, reluctante maxime populo, vicerit, & lata ſit, nihilominus poſtea abrogatã vel neglectam exoleuiſſe dicendum eſt. Cur autem poſtulantes veſte alba vterentur, docet Plutarchus *in vita Pauli, in Coriolano,* & fuſius *in Problematibus.* Et quomodo peterent candidati magiſtratus, explicat late Cic. *in orat. pro Plancio,* & petendi ordinem, *ad Q. Fratrem de petitione Conſulatus.* Nec ſolum candidati dicebantur Conſulatus petitores, vt male Feneſtella *libro* 2. *cap.*7. ſed cuiuſuis magiſtratus, quod adeo manifeſtum eſt, vt nulla indigeat prorſus probatione. Illud tamen non reticendum, quod

quod Iſidorus ſcriptum reliquit, candidam veſtem, albam ſimpliciter non fuiſſe, ſed candidæ intendendæ albedinis cauſa Cretam additam. Candidari quoque dicebantur, qui toga alba tyrones die Tyrocinii induebantur, quam & veſtem puram dixere, quod conſtat ex Cic. *ad Atticum*, & Plinio *lib.* 8. Candidatos Principis obſeruamus apud Suetonium *in Auguſto*, *c*.... Et erant quos Principes populo commendabant in magiſtratuum petitione. *Quoties*, inquit, *magiſtratuum Comitiis interesſet, tribus cum candidatis ſuis circuibat, ſupplicabatq; more ſolemni, ferebat & ipſe ſuffragium in trib. vt vnus è populo.* Horum meminit Quintil *lib.* 6. vbi inquit. Aug. Galbam pilam negligenter petenti dixiſſe: *Sic petis tãquam Cæſaris candidatus.* Hi enim negligenter petebant Principis cõmendatione ſecuri, quam minime irritam futuram confidebant. Apud Iuriſc. tamen candidatos Principis alios obſeruamus. Nam Vlp. *l. vlt. ff. de off.* Quæſt. candidatos Principis appellat, qui Epiſtolis ſiue orationib. Principis in Senatu legendis vacabant, quos & Quæſtores candidatos vocatos alibi docuimus ex Lampridio *in Alex.* & ideo candidati dicebãtur, quod officium illud eſſet quaſi ingreſſus & primordium cæterorum honorum & magiſtratuum gerendorum, vt ibidẽ Vlp. & Dion *lib.* 54. docent. Hinc per translationem aliarum quoque rerum, præter magiſtratum, petitores & affectantes, candidati ſunt dicti. Sic apud Quintil. *lib.* 12. legimus candidatos eloquẽtiæ, & Plinium *in Paneg.* Candidatos gloriæ & immortalitatis, apud Hieron. Catechumenum fidei candidatũ, & ad Panmachium, Munerarium, pauperũ & egentium cãdidatum dixit. Tranquillus *in Galba*, *c*.... Icelium libertum Equeſtris gradus candidatum appellat. Et Seneca ad Lucillum, Hominem multarũ rerum candidatum ſcribit. Et candidatos reſtitutionis Tertullianus *lib.* 2. dixit. Ex his deducendum puto, in bello Imperatoris candidatos fuiſſe milites fortes & inſignes, qui in pugna Imperatorem circuibant & propugnabant candida veſte induti, & exornati, vt ſub oculis Auguſti præclare & ſtrenue præliando, oſtenderent, ſe ad maiora aſpirare, & militaria officia merito ambire, ac ad dignitates militares iure promouendos.

Teſtem

Teſtem vnum habeo Vegetium *lib. rei militaris primo*, ſcribentem, candidatos milites dictos principales, quique priuilegiis muniuntur. Amm. *lib.* 31. de Valente Imp. *Sed cum candidatis & ſpadonibus paucis prope ad agreſtem caſum relatum.* Et rurſus: *Vnde quidam de candidatis per feneſtram lapſus, captuſque à Barbaris prodidit factum.* Et iterum: *Ex candidatorum numero, qui ad officia promouebantur, promoti dicebantur, donec officii adminiſtrationem ſuſciperent*; Ita, qui ad Tribunatum, exempli gratia, promouebantur, donec Tribunatum re ipſa aſſequerentur, Tribuni vacantes dicebantur, quorum meminit Amm. *lib.* 31. quemadmodum, & ibidem Potentiam promotorum Tribunum dixit. Et rurſus: *Partes enim noſtræ candidatos aliquos, qui pridie præterito ad eo defecerant pellexere.* Et paulo poſt: *Perrexere, vt ſtatutum eſt, candidati.* Hæc habui, quæ in re à nullo antea (quod ſciam) declarata, ex coniectura adducerem, & quæ textus ſenſui quammaxime conuenire palam eſſe putarim.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXV.

*Veluti ad pallium mox reuerſuri.*

AD pallium reuerſurum dixit Iulianum Am. hoc eſt, ad vitam priuatam, ac Philoſophiæ ſtudia, quibus antequam ad Principatum aſſumeretur quam maxime oblectabatur; Vnde Literionem Græcum ab adulatoribus Conſtantii vocatum per irriſionem, ſuperius *lib.* 17. idem Am. tradidit. Pallium enim, vt alias docuimus, Græcorum proprium, ſicuti toga Romanorum indumentum fuit, & præſertim Philoſophorum, vnde illud Herodis à Gellio *libro* 9. relatum: *Video barbam, & pallium, Philoſophum nondum video.* Ita Græci palliati, & palliatæ Comœdiæ ritu Græco ſcriptæ ſunt appellatæ. Procliuem autem Iulianum ad deponendum Imperium, & ad priuatam vitam ac ſeceſſum, illud commonſtrat, quod paulo infra tradit Am. idem: *Alloquutuſque tumentes armatos, diſceſſurum ad vitam minaretur priuatam, ni tumultuare deſiſterent.*

AMM.

# AMM. MARCELLINVS, LIB. XV.

*Nec ad victum aliquid, niſi Abrotanum, & Abſynthium, & Dracontion, aliaque herbarum genera triſtiſſima.*

QVum anno 1595. in ſuburbano meo Montanariæ, tertio amplius lapide ab vrbe Mantuana diſtante, perilluſtris Doctor & Eques Alexander Liſca, tunc Mantuæ præfecturam iuſtitiæ gerens, aliique viri nobiles vna ruſticaremur, ac nobis prandẽtibus famuli inter bellaria obtuliſſent olus, quod Draconem ſeu Dracunculum vulgo vocant, cuiuſque comeſtione vini potus ſapidiſſimus redditur, dicebam ego, maxime mirandum, inſignem hanc herbam, non niſi paucis annis antea notam; Quibus ille reſpondit me in errore verſari, quum de ea Am. Marcell. *lib.* 25. meminerit. Acquieui tunc doctiſſimi viri ſententiæ; at poſtmodum codice aſſumpto, locum hunc perluſtraui, & minime ad propoſitam rem facere cognoui, ſiquidem Dracontium, cuius verba facit Am. Abrotano Abſynthioque coniungit, aliiſq; herbarum generibus triſtiſſimis, tantumque abeſt vt eſui ſit idoneum, quod etiam venenata qualitate nõ careat, ex Dioſcoride, *lib.* 2. *c.* 155. & 156. vbi de Dracontiis ſeu Dragonteis verba facit, & docet etiam experimentum. Quinimo & de illius ſemine Plinius *lib.* 24. *c.* 16. ait, quod feruens mordaxq; eſt, tantumque ei ineſt virus, vt olfactum grauidis abortum inferat, quamuis de Aro, quam Draconteam minorem nos vocamus, dicat, eam in cibis præferri excoctam, quod quantum ſit verum, neſcio; Illud profecto nobis compertum eſt, illius radicem crudam comeſtam, ita fauces aſtringere, vt deglutionem propemodum intercipiat. Quamobrem concludendum, de Dracone noſtro, nobilium menſis familiari, minime Ammianum hoc loco loquutum, ſed de alia herba, *Dracontio* appellata; namque deſcribit exercitum poſt Iuliani necem ſub Iouiano male actum, inediaque vexatum, in ampliſſimam planitiem perueniſſe aridam aqua, præter ſalſam & fœtidam, deſtitutam, & in qua nihil ad victum reperiebatur, niſi Abrotanum, Abſynthium, & Dracontium, aliaque herbarum genera triſtiſſima.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVI.

*Et rumore tenus obſcuris paucorum ſuſurris nomen præſtingebatur Equitii ſcholæ primæ ſcutariorum etiam tum Tribuni.*

LIterarium ludum ſeu Gymnaſium communiori ſignificatione Scholam ſignificare notiſſimum eſt, vt millies vſus apud Cic. A qua voce *Scholares* dicti diſcipuli, & qui in Schola ſcientiis operam nauant, quam dictionem Latinam probat Alciat. *in poſt. anno. in lib.* C. auctoritate Quintiliani *lib.* 2. aduerſus oppoſitum ſententiis. A ſchola huiuſmodi quoque ſcholaſtici dicti Rhetores, & Declamatores, teſtimonio Plinii Epiſt, *lib.* 2. & Senecæ, *Epiſt* 155. *&* 156. & Taciti *lib. de Oratoribus*. Iuriſperitis tamē Scholaſtici ſunt Aduocati, & cauſarum forenſium actores, *vt in l.* 2. *C. de luc. aduoc.* & in Cod. Theodoſii de iiſdem eſt lex, συνήγοροι vocantur iſti *Nouell.* 80. Ita & *in c.* 10. *Sardinenſis Concilii, & in c.* 99. *Carthag. Concilii, & in paſſione Dorotheæ Virginis.* Theophilus quidam Aduocatus præſulis, ſcholaſticus appellatur. At ſicuti hæc ciuilis ſcholæ ſignificatio exiſtit, ita & alia militaris, & palatina, ſeu aulica reperitur, corpora ſeu ordines officialiū ſeu militum ſignificans, hoc eſt, eorum qui munere & officio aliquo, quod ad Principis miniſterium pertineret, fungebantur. Harum vndecim Iuſt. *in l. vlt. C. de loca.* enumerat, cum Notitia tantum decem deſcribat. Omnes autem ſub magiſtri officiorum imperio fuiſſe conſtat ex l. 1. & paſſ. *C. de offic.* Sunt autem hæc Scutariorum 1. 2. & 3. Agentium in rebus, Armaturarum Seniorum, Armaturarum Iuniorum, Gentilitium ſeniorum, Gentilitium iuniorum, Scutariorum ſagittariorum, Scutariorum clibanariorum, & fabricenſium vndecim. Obſeruamus quoque ſcholam equitum, & peditum, *l.* 5. *C. de aduo. diuerſ. iud.* Scholam Scriniariorum, *l.* 9. *C. Th. de anno. ciuil.* Scholam domeſticorum *l.* 3. *C. vbi Senat.* Scholam ſilentiariorum *l.* 4. *C. de ſilentia.* Scholam Palatinam, *l.* 11. §. *fin autem*, *C. de iudiciis.* Scholam ſocietatis ſacrarū largitionum, *l.* 13. *C. de pal ſac. largi.* Et à ſcholis huiuſcemodi ſcholares dicti, qui in eiſdem continebātur, & verſabantur. Vnde & milites

lites ſcholares vocatos legimus *tit. C. de priuileg. ſchol.* & loca, in quibus degebant, & conueniebant, *ſchola* dicta, Plinio authore: *Alexandrum*, inquit, *& Philippum cum Minerua, qui ſunt in ſchola Octauiæ Porticibus & Philippi.* Et apud Vitruuium obſeruamus ſcholam in balneis ſeu thermis, in qua ſcilicet illorum officiales & miniſtri conuenire ſolebant, vt ego interpretor.

Sed ad rem propius accedentes; Qui ſcutarii eſſent (ex quibus tres conſtitutæ erant ſcholæ, vt diximus ex Iuſtiniano, cuius primæ hic meminit Amm. & ſecundæ *lib. 25.* inquiens, Valentiniano à Iouiniano Auguſto Scutariorum ſecundam ſcholam regendam commiſſam) non facile eſt decernere, quum in re hac ſcriptores ſobrii admodũ fuerint. Scutarii qui ſint, aperuiſſe videtur Firmicus: *Mercurius* (inquit) *cum Venere in horoſcopo partiliter conſtitutus in diurna genitura Scutarios faciet, vel Imperatorum protectores, vel qui proprio excubitu ſalutem Principis ſeruent.* Ex quibus forte quis exiſtimare poſſet, ſcutarios ex protectorum numero fuiſſe. At hoc falſum manifeſte, nam protectores multo nobiliores & præſtantiores habebantur, vti demonſtrauimus ſuperius, quum de illis pertractaremus, nam illud, *vel protectores*, non coniunctiue intelligendũ, ſed disiunctiue legẽdum. Milites certe fuiſſe ſcutarios, tum ex iam dictis colligimus, tum etiã quod ſcuto munirentur, & armarentur, à quo ſcutarii dicti, quemadmodum, & à ſcuto qui ſcuta faciunt, ſcutarios dixit Plautus in Epi.

*Id modo videndum, vt materia ſuppetat ſcutariis.*

Et Vegetius *lib. 2.* Scutarias fabricas in Romana militia habitas tradit. Non ſolum autẽ ex his dignoſcimus, Scutarios milites fuiſſe, ſed & equeſtris militiæ; nam Romani clypeos peditibus, ſcuta equitibus dedere, teſtimonio Seruii enarrantis eum Virgilii 9. *AEneid.* locum:

*Trecentum ſcutati omnes Volſcente magiſtro.*

Et cum Palatinæ familiæ eſſent Scutarii, & equis ſtabuli Principis vſos exiſtimandum. Vnde & hodiernis temporib. in Regia Gallorum qui Regis ſtabulo præeſt, *Magnus Scutarius* dicitur, & *Scutarii* qui ſub eius poteſtate ſunt poſiti

appellantur, qui antiquitus Comes ſeu Præfectus, & magiſter ſtabuli dicebatur, & erat in aula pręcipua dignitas; Quod intelligi facile poteſt, quia Valentinianus Imperator creatus, in Imperii conſortium Valentem fratrem aſciſcere volens, eum prius ſtabulo ſuo præfecit, cum Tribunitia poteſtate, mox Auguſtum pronunciauit. Nunc quoq; Venetiis *ſcholas* ſimilitudine quadam appellant collegia & confraternitates laicorum, puta cerdonum, nautarum, fabrorum, & alia huiuſmodi, ita & confraternitatem D. Rochi, Miſericordiæ, & cæteras plures. De ſcutariis & ſcholis alibi etiam pluries Am. vti *lib.* 26. de Sereniano, qui apud Valentem domeſticorum præfuit ſcholę. Et lib. 27. *Valerianus domeſticorum omnium primus, & Natus ſpado quidam ſcutarius*, & paulo antea: *Lupicinus ſcutarius vnus, & alter è ſchola Gentilium*. Idem *lib.* 14. de Conſtantii præcepto, Gallo Cæſari: *Soliſq; ſcholis iuſsit eſſe contentum Palatinis & protectorum, cum ſcutariis & gentilibus*. Et paulo poſt: *Aduocatos Palatinos primos ſcholarum alloquutus eſt mollius*. Et li. 31. *Et punito ſcutario proditore*. Quæ fuſius diximus, quum ab aliis parce admodum & perperam quoque ab aliquibus, præſertim à Caſſanæo *in ſuo Catalogo gloriæ mundi*, hæc & alia pleraq; conſimilia ſint expoſita.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVI.

*Inſigni genere Procopius in Cilicia natus, & educatus, ea conſideratione, qua propinquitate Iulianum poſtea Principem contingebat, à primo gradu eluxit; & vt vita moribuſque caſtigatior (licet occultus erat & taciturnus) notarius diu perſpicaciter militans, & Tribunus, iamque ſummatibus proximus.*

PRocopium Notarium, pariter & Tribunum diu perſpicaciter militaſſe tradit Ammianus; ita vt innuere videatur, notarios ex militum numero fuiſſe, quod tamen aliter ſe habere conſtare poteſt; Siquidem notarii Vet. Gloſſ. σημειογράφοι proprie dicuntur, qui excipientes verba dictantis per notas & compendia ſcribunt, ex Paulo *in l. Lucius Titius, ff. de milit. teſt.* ideo ταχυγράφοι Græce dicti, id eſt, *velociter ſcribentes*. Hos eleganter Baſilius in Epiſtolis deſcribit, & Auſonius *Epigram.* 150. quum dixit:

*Puer*

*Puer notarum præpetum.*

Et Martialis libro 14. Epigram. 208.

*Nondum lingua ſuum dextra peregit opus.*

A notis itaque, quibus compendioſe ſcribebant, notarii appellati. Verum quum & literæ alphabeti *Elementa* ſcilicet & *Notæ* ſint dictę, hinc factum eſt, vt & notarii publice ſcribentes nuncupentur, quales præſertim apud nos actus publicos, pactiones contrahentium, voluntates, & teſtamenta literis excipientes. Vnde Plinius in Epiſtola: *Ad latus Notarius cum libro & pugillaribus.* Nam & notæ σημεῖα à Plutarcho in Cicerone nuncupantur, & Cicero ipſe *libro* 12. *ad Atticum*, inquit: *διὰ σημείων ſcripſeram.* Quam ſcribendi rationem à Tirone Ciceronis liberto inuentam, auctam demum à Mæcenate & Seneca, traditum eſt; & quamuis ad celeriter quiduis excipiendum percommodam, tamen Iuſtinianus in libris ſuis, notis quicquam ſcribi, *l.* 2. *C. de vet. iur. enuclean.* vetuit, & Paul. *l.* 6. *ff. de bon. poſſ. & l.* 40. *de teſt. mil.* quæ notis in teſtamentis ſcripta eſſent, pro non ſcriptis haberi voluit. Et ante ipſos Iuriſconſultos id quoque obſeruatum legimus apud Suetonium *in Galba, cap.* 5. Sed non ſolum iſti, ſed & qui Principum à ſecretis ſunt ſcribæ, notarii olim ſunt nuncupati, vti *libro* 12. *Cod. tit. de Primicerio & Notario.* Et apud Lampridium in Alex. *Eum notarium, qui falſum cauſæ breue in Conſilio Imperatoris retuliſſet, incißis digitorum neruis, ita vt nunquam poſſet ſcribere, deportauit.* Et Spartianus in Diadumeno: *Iſta litera per notarium prodita illi puero multum obfuiſſe dicuntur.* Et Vopiſcus in Aureliano: *Mneſtheum quendam, quem pro notario ſecretorum habuerat libertum.* Et Ammianus *libro* 26. vbi de Iouiani Iuliani Auguſti notariorum primi nece. Et paulo poſt de Sophronio Valentis notario, præfecto poſtea Conſtantinopoleos. Notarium etiam Principis legimus apud eundem Ammianum *libro* 30. Sed non ſolum Imperatores, ſed & Duces militum, & Tribunos notarios habuiſſe conſtat ex Trebell. Poll. in D. Claudio: *Notarium quem reſundat vnum*, & ex hoc Ammiani Marcellini loco, & aliis etiam; qui quum in militia deſeruirent, iure optimo militare etiam dicebantur. Ammianus libro 28. *Tranſiit cum*

*notatio Dux, vt iuſſum eſt, ſtatim.* Et iterum: *Vt notarius incorruptus*; Et *lib.* 29. de Theodoro: *Secundum inter notarios adeptus iam gradum.* Et libro 29. *Baſſianus procerum genere natus, notarius militans inter primos.* Et libro 30. meminit Fauſtini filii ſororis Viuentii præfecti Prætorio, & notarium militantem dicit.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVI.

*Hæc implacabilitas cauſa quidem piiſſima, ſed victoriam fœdantis, innocentes tortoribus expoſuit multos, vel ſub Eculeo caput incuruos, aut ictu carnificis torui ſubſtrauit.*

SI ab equo equuleum deriuemus, per *q*, non per *c*, ſcribendum, quod pleriq; faciunt. Iſidorus *eculeum* ſcribit, & ita dictum ait, quod extenderet, quæ ſane deriuatio minus congrua videtur ex ipſo vocum ſono. Hunc autem apud antiquos tormenti genus fuiſſe manifeſtum eſt, quo ad veritatem à reis eruendam vtebantur. At quale inſtrumentum eſſet, memoriæ minime traditum eſt. Inter recentiores Carolus Sigonius *lib.* 3. *de Iudiciis*, profitetur illius deſcriptionem ex veterum monumentis elicitam, inquiens: *Equuleus catuſta fuit lignea cochleata ad intendendum & remittendum apta.* Tormenti vero genus erat huiuſmodi; Vbi cataſtæ huius brachia pedeſque eius, qui torquendus erat, neruis quibuſdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligauerant, tunc cataſta intenſa, atque in altum eleuata, vt ex ea, quaſi ex cruce quadam ille penderet, eique compagem oſſium diuellebant. Quod vero cataſta huiuſmodi lignea in altum attolli ſolita eſſet, comprobare conatur ex Sozomeno *Hiſtoria Eccleſiaſtica libro* 5. *capite* 11. ſcribente de D. Vincentio: *Et quum ad tortorium lignum adduxiſſet, in ſublime attolli iuſſit.* Et Euſebio pariter *lib.* 5. *Hiſt. Eccleſ. lib.* 5. vbi habet de eodem: *Pedum extenſiones in ligno.* Et Prudentio in Hymno eiuſdem:

*Euiſcerandum corpus equuleo eminus pendere.*

Et paulo poſt:

*Iubet amoueri noxialem ſtipitem.*

Et iterum:

*Emitto vocem de cataſta celſior.*

Eandem

Eandem autem machinam cochleatam fuiſſe elicitur ex verſu veteris Poetæ Pomponii; qui à Nonio Marcello profertur talis:

*Et vbi inſiliui in cochleatum equuleum,*
*Ibi tolutim torqueor.*

Quod autem brachiis, pedibuſque equuleo fidiculis alligatis corpus hinc inde diſtentum diuelleretur cum dolore maximo, conſtat ex eodem Prudentii Hymno, vbi ita Tyrannus imperat.

*Vinctum retortis brachiis*
*Surſum ac deorſum expendite,*
*Compago donec oßium*
*Diuulſa membratim crepent.*

Item ex Hymno eiuſdem D. Romani, vbi Martyr ita ex Equuleo loquitur.

*Miſerum putatis quod retortis pendeo*
*Extentus vlnis, quod reuelluntur pedes,*
*Compago neruis quod ſonat crepantibus.*

Euſebius equuleum ſumme diſtentum ait, quum ad quintum foramen perueniſſet; inquit enim eodem lib. 5. τοὺς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν ἐπὶ πέμπτον διατουνομένων τρύπημα. Ideo Valerius Maximus *de patientia* inquit, laxato equuleo Zenonem Hiarcho Tyranno aurem morſu corripuiſſe. Et Hieronymus in Theodoro: *Fidiculas laxauit, ſoluit equuleum.* Et Quintilianus declamat. vlt. *Ideo enim equuleum mouebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſæuitia, vt leniter ſedibus ſuis remota compago, per ſingulos artus membra laxaret.* Hæc profecto Sigonii ſententia ſatis rationi conſona videtur. Nihilominus non defuere, qui equuleum tormenti genus dixere, ita dictum ab equi forma, ſtipitē ſcilicet, cui rei veluti equo imponebantur, ac varie torquebantur, cui opinioni fauet Turnebus *libro Aduerſariorum* 15. *cap.* 16. ſcribens: *Equuleus tormenti genus eſt à ſimilitudine nomen habens, quaſi paruus equus ſit, erat autem machina lignea equo ſimilis, cui imponebantur, qui torquebantur.* Huic ſententiæ ſuffragari videtur, quod temporibus noſtris Iuſtitiæ præfectos videmus tormenti inſtrumenti quodam genere vti, quod iure

à ſimilitudine equuleum appellare licet. Namq; quatuor ſtipites ita adnectunt, vt quatuor equorum crura videantur in infima parte, quæ ſolo hæret, exterius extenſos, in ſuperna vero ita compaginatos, vt hinc inde aſſeribus circumueſtiti in ſupremis in lineam rectam deſinant, quæ acuminatam angularem peracutam formam efficit, hanc autem ferrea lamina circunducunt, cui Reos tanquam ſeſſores imponunt pedibus grauibus ponderibus annexis, quæ tamen humum non contingant, & manibus retro ligatis. Nec præſens Am. locus refragatur, nam ait; Reos ſub equuleo caput incuruos ictui carnificis ſubſtratos, quæ magis huic, quam priori ſententiæ accommodari videntur. De Equuleo Iuriſconſulti *C. de malef. & Mathem. l. etſi excepta, in fi. De hoc. 23. q. 1. cap. 1. per Archidia. Seneca lib. 2. Epiſt. Cic. lib. 5. Tuſcul. & lib. de Finibus* 4. ex quibus tamen equulei forma elici nullo pacto poteſt. Et Am. *lib.* 28. de Hemetio Africæ Proconſule: *Inductuſque in iudicium, quamquam incuruus ſub equuleo ſtaret, pertinaci negabat inſtantia.* Quod vero fidiculæ non eſſent equulei pars, vt adnotauit Sigonius, patere poteſt ex eodem Ammiano *lib.* 29. ſcribente: *Intenduntur Equulei, expediuntur publica pondera cum fidiculis & verberibus.* Lib. 14. *Quorum aduentu intendebantur equulei.* Sed de fidiculis fuſius in Suetonii dilucidationibus egimus.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVII.

*AEdificia erigere exordiens noua, vel vetuſta quædam inſtaurans, non ex titulis ſolitis parari iubebat expenſas, & ſi ferrum quærebat, aut plumbum, aut æs, aut quicquam ſimile, apparitores immittebantur, qui velut ementes diuerſas raperent ſpecies, nulla pretia perſoluendo.*

TItuli dicti à tuendo, quaſi tutuli, quod libris, fabricis, prædiis, factum authoris, ac poſſeſſionem tueantur, ita tituli milites ob id dicti, quaſi tutuli, quod patriam tuerentur, authoritate Feſti Pompeii *lib.* 14. De titulo libri eſt illud Ouidii lib. de Remed. Amor.

*Legerat huius amor titulum, nomenque libelli.*

Et Martialis:

*Vnum*

*Vnum de titulo tollere iota potes.*

Et quia olim tituli rubris literis inſcribi ſolebant, ideo rubricæ etiam dictæ. Iuuenal. Sat. 10.

*Cauſſas age, perlege rubras maiorum leges.*

Quod pariter docent Iuriſperiti *in l. 1. ff. ſi cert. pet. & in l 2. §. penult. ff. de interdict.* De prædiorum titulis, in quibus ſcilicet Dominorum nomina erant inſcripta, vt ex eis, cuius eſſent, dignoſceretur, eſt rub. lib. Cod. 11. *Vt nemo priuatus titulos prædiis ſuis vel alienis imponat.* Item de his, qui potentiorum nomine titulos prædiis affigunt. Appellantur & ſigna in rub. inſequenti. Moris autem fuit, vt quum prædium aliquod fiſco caducum, commiſſum eſſet, Comes priuatarum rerum Principis, illi, publicis perſonis adhibitis, affigeret titulum, ex Valent. *l. 3. C. de bon. vacant.* De titulis ædificiis apponi ſolitis, Sueton. in Domitiano, cap. 5. *Plurima & ampliſſima* (inquit) *opera incendio conſumpta reſtituit, ſed omnia ſub titulo tantum ſuo, ac ſine vlla priſtini authoris memoria.* Et hoc loco Amm. de Lampadio, qui per omnia ciuitatis membra, quæ diuerſorum principum exornarant impenſæ, nomen proprium inſcribebat, non vt veterum inſtaurator, ſed conditor; Quo vitio laboraſſe Traianus dicitur Princeps, in quibus poſtremis verbis mendum ineſſe puto, & legendum potius *Domitianus*, cui hoc vitium adſcriptum diximus ex Suetonio: minime vero de Traiano id vllibi legatur. In iure Pontificio tituli dicti certæ ſedes clericis attributæ, in quibus ſuum munus exercerent, poſtea eo nomine prædia iis ad victum cultumque aſſignata, *lib. feud. 1. tit. 6. §. 1.* ſi Epiſcopus, vel Abbas, vel Abbatiſſa, vel Dominus plebis feudum dederit de rebus Eccleſiarum, quæ iis ſubiectæ ſunt, & tituli vocantur. De eiſdem in Concilio Chalcedonenſi, & in Can. *neminem, diſtinct.* 70. Titulos etiam dicimus in magiſtratibus, per quos, gradus & dignitates eorum demonſtrantur. *Nou. de manda. Princip. §. titulos, conſtit.* 17. Ita & tituli, & titulati, eccleſiaſtici & ſeculares. Ouidius lib. 2. Faſtorum:

*At tum proſequimur ſtudioſo pectore Cæſar*
*Nomina, per titulos ingredimurq; tuos.*

Sic *tit. Iuſtiniani* inſcribitur in Inſtit. At nulla harum ſignificatione tituli hoc loco accipiuntur, ſed eo modo, quo Iuriſconſulti vtuntur paſſim, vbi de poſſeſſione & vſucapione loquuntur, & aiunt, quod tituli veri & iuſti ad vſucapiendum illi ſunt, qui ad rei dominium acquirendum & transferendum per dominum idonei ſunt, qui iuſtam cauſam habent traditionis, quales plures numerantur *lib. 7. Cod. tit. 26.* & alibi pluries. Inſigniores vero ſunt tituli legitimi vſucapionis, *pro ſoluto, pro tranſactione, pro emptore, pro donato, pro dote, pro hærede, pro derelicto, pro legato, pro ſuo.* Si verò cauſa, ex qua quis vſucapit aliquid, non ſoleat transferre dominium, poſſeſſio ſeu vſus illius rei minime legitimus & iuſtus erit, puta, ſi quis ex cauſa pignoris vel precario poſſideat & vſucapiat, vel ſi furto eam adipiſcatur, ſiue nomine locationis, depoſiti, commodati. Itaque, inquit Am. Lampadium vrbis moderatorem, ædificia erigentem noua, & vetuſta inſtaurantem, non ex titulis ſolitis, id eſt, ſuetis & legitimis, quales enumerauimus, paraſſe impenſas, ſed ſi ferrum quærebatur, & vel plumbum, immiſſos apparitores, qui diuerſas reperent ſpecies, ſicque iniuſte ac illegitimo titulo illis vſum eſſe.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVIII.

*Natus ex patre Tubulario Præſidialis officij.*

DOctiſſimus Budæus *in annot. in Pandect. in l. quidam Hyberus, de ſeruit. vrb. præd.* docet, non legendum *tribulos*, ſed *tubulos*. Tubi vero ſeu tubuli ſunt canales fictiles, vel ex alia materia variis vſibus accommodati, præcipue vero ad aquam deducendam, Vlpian. de cloacis, l. 1. *Cloacæ appellatione & tubus & fiſtula continentur.* Et Proculus lege dicta: *Non licet autem tubulos habere admotos ad parietem communem.* Cic. de leg. inquit: *Ductus aquarum, quos iſti tubos & euripos vocant.* De tubulis fictilibus meminit Vitruuius in 8. *Ductus* (inquiens) *aquæ fiunt generibus tribus riuis per canales ſtructiles, aut fiſtulis plumbeis ſeu tubulis fictilibus.* Et Plinius: *Pinus, picea & alni ad aquarum ductus in tubos cauantur.* Tubulos Paulus I.C. alibi pro cuniculo, per quem paries calefit, interpretatur. Hi

calorem

calores,inquit,in eiſdem tubulis inueniuntur; Olim enim domos hyeme calefieri ſolitas, vapore calido per parietes cuniculis diſſeminato, conſtat vel etiam ex ipſis fabricarum antiquarum ruinis adhuc extantibus. Et Seneca 14.*ad Lucil.* docet,antiquos parietibus tubos immiſiſſe,per quos circumfunderetur calor, quo ima ſimul & ſumma æqualiter fomentum caperent. Ex dictis itaque interpretari poſſumus, Ammianum Maximinum arguentem natalium obſcuritatis, illius patrem fuiſſe tubularium præſidialis officii ſcripſiſſe,hoc eſt,curam habuiſſe deducendæ aquæ ad Præſidis officium, vbi ſcilicet præſes officium ſuum exercebat per tubos, vel excalefaciendi præſidis officii locum per calidos & ignitos vapores per tubos perductos. Si enim tabularium ſimpliciter vocaſſet, exiſtimarem, intelligendum tuborum artificem, ſed illud additamentum, *præſidis officij*, repugnare huic interpretationi videtur. Cur enim & non in communem aliorum vſum cubos feciſſet, & cur opus præſidis officio peculiari & proprio tuborum ſeu tubulorum opifice indiguiſſet. Veniebat in mentem,interpretari poſſe tubularium tubicinem officii præſidis: A tubicinibus enim ſacrorum tubas appellari tubos,docet Turnebus *lib.*22.*Aduerſ.c.*9. ex Varrone *lib.*4.*linguæ Latinæ*, vbi de tubuluſtrio,ſiquidem magiſtratus præcipuos quoslibet ſuos habuiſſe tubicines, & hodie etiam habere manifeſtum eſt. Verum quum paſſim apud eundem authorem tubicines propria & vſitata appellatione dictos obſeruemus, cur hoc loco tubularium tubicinem appellarit,non video.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVIII.

*Dum ſtudebat inter altaria celſius gradientes, vt quidam memorant,imitari Bracmanos.*

BRacmanos,ſeu,vt alii ſcribunt *Braçmanes*, alii vero *Bragmanos*,Indiæ populos hos eſſe,& inter hos ſapientes ſeu Philoſophos, tradidere Plinius *lib.* 6.*cap.*17. Strabo *lib.*15. Apuleius *lib.*2.*Floridorum.* Philoſtratus *in vita Apollonij*,*lib.*1. *cap.* 1. *&* 13. *& lib.* 3. *cap.* 4. Appianus *bell. ciuil. lib.* 2. Euſebius *libro Euangelicæ præparationis* 6.*cap.*8. Hos & Syluicolas

nuncu-

nuncupatos,tradit Strabo *lib.5.*quod in ſyluis degerent,ſyl-ueſtribus fructibus viuentes, quod publico oryzæ & farinæ alebantur cibo, & quum ad eos Rex acceſſerit, adorare illos ſolitus ſit, quod ſyderum diligentes ſint obſeruatores, (vnde ad eos profectum Apollonium Thyaneum, vt Iarcham in ſolio aureo ſedentem de ſyderum motu audiret differentem, tradit D.Hieronymus in præfatione Bibliorum) quod vini ac Veneris ſint expertes, quod infanti ſtatim nato adhibeant curatorem, & magiſtrum, cuſtodemque; quod virginem propter inopiam virum nanciſci non potentem in forum producant, & claſſico conuocata turba, pudibundisque oſtenſis, cui placeret, nuptui darent, quod à carnium eſu abſtineant; qui, & alii eorundem mores legi poſſunt apud præcitatos authores, necnon Porphyrium *lib.4.de abſtinentia animalium.* Sed quod præcipue ad præſens negotium facit,apud Bardeſanem Babylonium, qui horum vitam, teſte Euſebio loco citato deſcripſit,eosque apud Indos ſapientes appellans, bifariam diuidit, in Samaneos ſcilicet & Gymnoſophiſtas. Hos alternis pedibus inſiſtentes ab exortu ad occaſum Solem contueri, inquit Plinius,*lib.3.cap.2.* Quod & D.Auguſtinus *lib.15. de ciuit.*confirmat. Ad quæ forte reſpiciens Am.de Leone Maximini collega ſcribit, eum ſtuduiſſe huc & illuc contorquere pedes,vt ſaltare, non incedere, videretur,& imitari Bracmanas inter altaria celſius gradientes.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVIII.

*Nec ſi fieri fuiſſet neceſſe, inſtructiones, vel ex ipſis tabulariis ſuppeterent.*

TAbularii olim dicti, qui ciuitatum aut prouinciarum chartas tractabant,vt liquet apud Iuriſconſultos, *l.penult.C.de tabula. lib* 10. *& l.vlt.* § *hi quoque, ff.de muner.& honor. l.3.§.2.ff.de tabul.exhib.* Item apud eoſdem dicti tabularii,qui publicas rationes tractant & ſupputant,*ex l.1. & l.miſſi.C.de exactor.trib.l.2.C.de numer.l.1.C.de immu.nemi.conceden.l.1. C.de cenſibus.*Tabularii quoque ſunt dicti, qui non ſolum publi-

cas

eas tabulas obſignabant, ſed & qui in rebus priuatorum quoque adhibebantur, vt ſubſcriberent, vel ſtipularentur, aut fide publica firmarent, vt paſſim apud Iuriſperitos, & præſertim *in l.ſi quis decurio*, *C.de pactis*, *l.1.& 2. de tabul Cod. lib.10.& in tit.de tabell.in Authenticis Nouell. Iuſtinianeis.* Et de iis pariter Cornelius Tacitus *lib.14.* inquiens: *Igitur Fabianus tabularius, quos modo memoraui, & alius minus illuſtribus obſignat.* Quamuis *tabulas iis, quos modo, &c.* legendum, non *tabularius*, oſtenderimus in Liuii dilucidationibus. Tabularius quoque dictus calculator, quem Græci ψηφιστήν vocant, qui ſcilicet in tabula calculandi & computandi artem pueros docet, vel alias eam artem tenet, *l.1. §.ludi. ff. de extra.cognitio.& l.vlt. ff. ſi menſ. falſ. mod. oſtend.* At certe nullo horum modorum hæc vox hoc loco accipienda, ſed pro Archeio ſeu *Archiuio*, vt vulgo dicimus, ſcilicet pro eo loco, in quo inſtrumenta, literæ & tabulæ, cæteræque huiuſmodi publicæ ſcripturæ adſeruantur. Cicero de nat. Deorum, lib.3. *Sed exeamus è theatro, veniamus in forum ſeſſum, ite precor, quid? vt iudicetur, qui tabularium incenderit.* Et in orat. pro Archia Poeta: *Hic tu tabulas deſideras Heracienſium publicas, quas Italico bello incenſo tabulario interiiſſe ſcimus omnes?* Et in orat. pro Rabirio: *De peculatu facto, de tabulario incenſo.* Virgilius Georgic.lib.3.

*Inſanumq́; forum, aut populi tabularia vidit.*

Liuius lib.43. *Cenſores è templo in atrium libertatis aſcenderunt, & ibi ſignatis tabulis publicis, clauſoq́; tabulario, & dimiſſis ſeruis publicis, negarunt ſe, &c.* Et Plutarchus *in Problemat.* ait, Tabularium dici Saturni templum, in quo tabulæ publicæ cuſtodiebantur; Quod pariter Seruius in illum Virgilianum ſuperius citatum locum confirmat. Ad huius quoque ſimilitudinem dictus quoque locus, in quo priuata cuiuſque patrisfamilias inſtrumenta & cæteræ ſcripturæ ſeruantur, l.92. ff. de leg.3. *In fundo autem vno,* inquit Paulus, *ex his, qui prælegati ſunt, tabularium vnum eſt, in quo ſunt & complurium mancipiorum emptiones, ſed & fundorum & variorum contractuum inſtrumenta, præterea & nomina debitorum.* Itaque Am. ſe excuſans, ſi non omnes neces in vrbe à Maximino & Leone

Leone iudicibus patratas deſcribit, inquit, minime neceſſe fuiſſe narrare, quæ per viles perſonas, quas ſqualidos appellat, tranſiere, quod ſi fieri etiam fuiſſet neceſſe, nec ſuppeterent inſtructiones ex ipſis tabulariis excerptæ, hoc eſt, ex ſcripturis publicis in ipſis tabulariis cuſtoditis.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVIII.

*Quum Iuſtitium eſſe quod timebatur, non Iudicium, aperte conſtaret.*

IVſtitium iuriſdictionis intermiſſionem ſeu iuris ceſſationem dixere antiqui, quo tempore lege agi non poterat. Gellius *lib.* 10 *cap.* 1. inquit: *Velut quoddam iuſtitium, ſcilicet iuris, inter eos quaſi interſtitionem quandam & ceſſationem.* Et Tertullianus libro de Reſurrectione carnis: *Vbiq;*, ait, *iuſtitium eſt quies rerum.* Indicebant autem Romani iuſtitium in magnis tumultibus, mœroribus, luctu, & publicis calamitatibus. Vnde Liuius *lib.* 10. inquit: *His nuntiis Senatus conterritus, iuſtitium indici, delectum omnis generis hominum haberi iuſſit.* Et libro 7. *Quod per magnos tumultus fieri ſolitum erat, iuſtitio indicto, delectus ſine vacationibus habitus eſt.* Et *lib.* 4. de bellico tumultu Æquorum & Volſcorum verba faciens, ait: *Edicitur iuſtitium, neq; aliud tota vrbe agi, quam bellum apparari.* Et libro 3. *Iuſtitio indicto profectus ad tutandos fines.* Et libro ... *Dictator quum iuſtitium edixiſſet, omnes iuniores ſacramento adegit.* Idem libro ... *Iuſtitium edicit, claudi tabernas tota vrbe iubet, vetat quempiam priuatæ quicquam rei agere.* Apud Tacitum *libro Annalium* 1. habemus, *Iuſtitium ob amiſſum Auguſtum.* Et Lucanus *lib.* 5. inquit: *Triſti iuſtitio clauſa fora.* Erit itaque ſenſus verborum Ammiani, quod ſæuientibus etiam in innocentes multiplici flagitio Maximino & Leone Iudicibus, illud non erat iudicium, ſed potius iuſtitium, quum ſcilicet leges non exercerentur ſecundum iuſtitiam, ſed iura omnia & æquum vacarent, quibus rei inquiſiti tutari poſſent, ac eorum innocentia demonſtrari; eſſetque etiam iuſtitium, eo quod publica calamitas & timor omnium vigeret. Alludens enim verborum ſimilitudini, iudicium iuſtitium

ſtitium appellat, quo pariter in ſenſu vſus eſt eadem particula *lib.29.* inquiens: *Horret reminiſci, quo iuſtitio humiliati tot rerum apices viſebantur, & præcipue Conſulares, poſt Scipiones & Trabeas & Faſtorum munimenta mundana.*

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVIII.

*Frontinus Conſutarius antedicti miniſter fuiſſe concepta precationis arguebatur.*

SI conſutarium à conſuo deriuemus, quod *inſimul compono*, aliquando ſignificat, poſſumus interpretari, *Frontinum Amantij conſutarium*, hoc eſt, participem precationis, iuxta illud Plauti in Amph.

*Aduenisti conſutis dolis.*

Vnde etiam *Sutela*, doloſa aſtutia, eodem Plauto, in Capt.

*Ob ſutelas tuas te morti miſero.*

At quamuis explicatio huiuſmodi cum verborum ſerie maxime conueniat, nihilominus non video, cur potius non dixiſſet *conſutorium*, quam *conſutarium*. Cogitabam itaque aliam expoſitionem, & an forte legendum *conſualium*, à Conſo ſcilicet conſiliorum Deo, de quo Dionyſ. Halycarn. *lib.2.* & Ouid. 3. Faſt.

*Feſta para Conſo, Conſus tibi cætera dicet.*

Arnobius *lib.3. aduerſus gentes*, inquit: *Salutaria & fida conſilia noſtris ſuggerit cogitationibus Conſus.* Ab iſto *Conſualia* dicta feſta, ex Liuio, *lib.1.* Plutarcho *in Romulo*, Varrone *libro quinto de lingua Latina*, Halycarnaſſæo *libro primo*, Cornelio Nepote *de viris illuſtribus*, *cap. 2.* in quorum celebratione Sabinæ raptæ à Romanis; ita vt ſenſus eſſet, Frontinum fuiſſe Conſiliarium Amantii in deprecatione illa; Sed quamuis etiam hæc interpretatio textui aptetur optime, nihilominus nec ei vndequaque acquieſco. Sed puto forte legendum *Conſcutarium*, hoc eſt, quod & Amantius & Frontinus ex ſcutariorum eſſent ſchola, & ideo conſcutarius Amantii Frontinus. Quamlibet expoſitionem amplectatur candidus Lector, vel potiorem excogitet.

14

Id certe firmiter poſſum deierare, & mendum in ſcripturà textus vere eſſe, aſſerere. Nec verba illa Suetonii in Vitellio, cap. 2. *Cuius filius ſectionibus & conſuturis vberius compendium nactus*, ad huius loci interpretationem quicquam faciunt, ab omnibus namque corruptus textus habetur, & pro *conſutus* Torrentius, cui aſſentitur Turnebus *lib. Aduerſ. 5. cap. 1.* in Commento, *cognituris*; & Muretus var. lect. lib. 11. cap. 13. *conciliaturis* reponunt, etſi in Ammiani textu *conſutorius* legerimus, quid ſutor vel conſutor ad rem faciat, non video, quum Hymettius Proconſul, & Amantius aruſpex eſſent.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVIII.

*Namq; & reſticulam de feneſtra Pratorij quadam remota dicitur, ſemper habuiſſe ſuſpenſam, cuius ſummitas quandam velut tamuſam colligaret, nullis quidem indiciis fultam, ſed nocituram inſontibus multis.*

HVius Ammiani textus ſubobſcuri certe, ſenſum eſſe puto, Maximinum quidem virum crudeliſſimum, atque excitandis criminibus aduerſus quemcunque proniſſimum, habuiſſe funiculum perpendentem à quadam feneſtra ſecretiori ipſius Prætorii, cuius ſummitati ſubſtantia quædam cruentoſa alligaretur; non quidem aduerſus aliquem verum faciens indicium, ſed qua ipſe vteretur veluti indicio aduerſus carceratos inſontes, quibus homicidium, aliudve ſanguinarium delictum imponeretur. Reſticulam namque paruam funem interpretor, diminutiuum ſcilicet Reſtis, qua voce ſignificari funem, norunt omnes. Et qua voce idem Am. vſus eſt & *lib. 14.* inquiens: *Hirſutis reſticulis cruribus eius innexis.*

Tamuſam vero vocem compoſitam cenſeo ex dictione *tames*, cruorem ſanguinis ſignificante, vti interpretatur Turnebus *Aduerſ. lib. 28. cap. 6.* ex lexico veteri, & dictione Græca *οὐσία*, qua ſignificatur eſſentia, natura, vel materia. Vnde Tamuſa compoſitum verbum neſcio quid cruentoſum ſeu materiam quandam cruore ſanguinis reſperſam ſignificans. Illud ſane ex Feſto Pompeio *lib. 18.* addo, Zamama

nam dici, quum ex labore viæ ſanguis in crura deſcendit, & tumorem facit. Lucilius:

*Inguen ne exiſtat Papulæ tama neboa noxit.*

Hæc habui, quæ in re ſane perdifficili in medium afferrem, ſatius eſſe ducens aliquid proferre etiam cum periculo reprehenſionis, quam in tenebris latere ſenſum ſcriptoris præſtantiſſimi permittere. Libenter tamen acquieſcam; ſi quis probabiliorem interpretationem adduxerit.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVIII.

*Oeſtro concepti furoris exagitati, cædes dedere luctificas.*

Οἶστρος Græcis *furor* dictus, & verbum οἰστρέω eſt *inſanio*; hinc *œſtrum* pro furore, mutuata voce à Græcis, Latini accepere. Et Statius *lib. Theb.* 1. œſtrum poeticum furorem appellauit, inquiens:

*Tempus erit cum laurigero tua fortior œſtro*
*Facta canam.*

Quod ſi *œſtrum* hoc loco ſimpliciter pro furore interpretemur, erit in textu nugatio manifeſta: nam ſtatim coniungit concepti furoris, quare neſcio quid diuerſum innuere Ammianum iure exiſtimandum; ideo expono ego pro œſtro ſtimulum. Nam & œſtrum Latini, quod Græci οἶστρον dixere, inſecti genus illud volatile eſt, quod vulgo *Aſelum* ſeu *Zabanum* appellamus, apibus perſimile. Quo addito Iuno vaccam Iuo ſtimulaſſe, ac in furorem egiſſe, fabulata eſt antiquitas. De quo Virg. 3. Georg.

*Eſt Lucos Silari circum, ilicibusq; virentem*
*Plurimus Alburnum volitans, cui nomen Aſilo*
*Romanum eſt, œſtrum Graij vertere vocantes,*
*Aſper acerba ſonans, quo tota exterrita ſyluis*
*Diffugiunt armenta.*

Hoc naſci malum in extremis fauorum partibus, tradit Col. *lib. 9. cap. 14.* & Plinius *lib. 11. cap. 16.* ita ſcribit: *Naſcuntur interdum in extremis fauis apes grandiores, quæ cæteras fugant, œſtrum vocatur hoc malum.* Accepit itaque per ſimilitudinem Ammianus hanc vocem pro punctione ſeu ſtimulo & irri-

tamento: nam *οἶστρῳ* etiam *irrito* ſignificat,& *οἰστρήσεις punctio & ſtimulatio* eſt; ita vt ſenſus ſit, quod Maratocupreni graſſatores acri ſtimulo, veluti aſili concepti furoris exagitati, luctificas cædes dederint, ſanguinis nihilominus auidi, quam prædarum.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVIII.

*Caſtra,limitesq; vigiliis tuebatur,& prætenturis.*

CÆlius Rhodiginus *lib.*14. *cap.*14. ex Marcellino prætenturarum meminit,ſed quæ eſſent, minime declarat,primus omnium, quos legerim, Adrianus Turnebus *lib.Aduerſ.3.cap.*7.vocem hanc declarauit peroptime, quod dictum ſit,ne virum præcelebri doctrina inſignem meritæ laudis defraudemus. Nos tamen & aliquid addere conabimur, vt clariorem quoque vberioremque declarationem habeamus. Limina Romanæ ditionis tuebantur milites Limitanei dicti,in Imperii finibus excubantes, eorumque defenſioni operam nauantes, vti Spartianus *in Peſcennio Nigro*,& Lampridius *in Alexandro*, & Suidas,Iuriſperitique *in l. vlt.C.de offic.præfect.præt.Afr.l.fin,de offic.mil.iudic.*tradidere. Hi vero pacis tempore in caſtris & oppidis liminaribus commorabantur.At ſi finitimorum depopulationes & inuaſiones hoſtiles timebantur, pars eorum ad agrorum tutelam in agris ſtationes habebant, pars vero alia ad hoſtiles fines præcurrebat, perſcrutatura hoſtium motus, & ſi occaſio quoque daretur bona,pugnatura. Priores ſtationes,*manſiones agrarias* dicebant, poſteriorem inceſſum *prætenturas*, quod ex Hyginio eruere licet, ſed clarius atque fuſius ex ipſo Ammiano patere poteſt. Siquidem *lib.*14. habet de Iſauris: *Ibiq; denſis inter obſidentium itinera prætenſuris prouincialium,& viatorum opibus paſcebantur.* Et iterum: *Quia Meſopotamia tractus omnes crebro inquietare ſueti,prætenſuris & ſtationibus ſeruabantur agrariis.* Et rurſus: *Salubriter & caute caſtra metata prætenturæ ſtationesq; agrariæ totis rationibus ordinatæ.* Et hoc in loco: *Inſtaurabat vrbes & præſidiaria (vt diximus) caſtra limitesq; vigiliis tuebatur, & prætenturis.* Et lib.29.*Miſit ad vigilias ordinandas & prætenturas.* Prætenturæ autem à prætendo,

tendo, hoc eſt, antecendo dictæ, cuius verbi in hac ſignificatione frequens vſus D. Ambroſio, vt loco citato probat exemplis pluribus Turnebus. Nos vulgo *ſcorrerie* præcenturias dicere ſolemus, qd[r] colligere facile poſſumus ex ipſomet Ammiano, ſcribente paulo poſt locum allegatum lib. 28. *Arrianos à ſuis ſtationibus remotos aperte conuictos, acceptorum promiſſorumq; magnitudine præmiorum allectos, quæ apud nos agebantur, aliquoties Barbaris prodidiſſe. Id enim illis erat officium, vt vltro citroq; per longa ſpacia diſcurrentes, vicinarum gentium ſtrepitus noſtris ducibus intimarent.* Et lib. 31. de Saturnino: *Iam enim aderat, & prætenturas ſtationesq; diſponebat agrarias.* Notandum autem, ſtationes dici Agrarias, ad differentiam Vrbicarum: nam *lib.* 31. Nicen ſtationem non ſemel appellat. Nam ſtationes communi appellatione dicebantur loci, in quo milites ad tutelam vigilantes conſiſtebant. Curtius de geſt. Alex. Magni: *Cognitum id per exploratores, qui ſtationes hoſtium fuerant ingreſſi.* Et Virg. 9. Æneid.

*Seruantq; vices ſtatione relicta.*

Vnde & ſtationarii milites. Stationes quoque in caſtris obſeruamus. Corn. Tacitus *libro Annalium primo*, vbi de aduentu Druſi ad legiones tumultuantes ait: *Portas ſtationibus firmant.* Et paulo infra: *In vigiliis, ſtationibus, cuſtodiis portarum ſe inſerunt.* Et iterum: *Legionibus Germanicis deficientibus, vigilias, ſtationes, & ſi qua alia præſens vſus indixerat, ipſi partiebantur.* Et rurſus: *Barbari perfringere ſtationes, ſeq; inferre munitoribus, niſi laceſſunt, circumgrediuntur, occurſant.* Suet. de Tib. c. 72. *Diſpoſita ſtatione per ripas Tiberis, quæ obuium prodeuntes ſubmouerent.*

Stationes itaque munimenta particularia fuiſſe puto, quibus pars aliqua exercitus contineretur, ſicuti procinctus & caſtra totius exercitus.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVIII.

*Quidam calceorum expertes, Cimeſſores, Statarij, Semicupæ, & Serapini, & Cicimbricus cum Gluturio & Trulla, & Lucanicus cum Pordaca & Salſula, ſimilesq́; innumeri.*

PLebeios hos omnes nominibus hiſce cultos & nitentes vocatos ait, nomina enim ſunt & appellationes; & ex plebe, inquam, calceorum expertes dicit, hoc eſt, viles & nihili faciendos, quamuis nominibus turgidi, ſiquidem excalceati incedebant viles homines, & Suet. *in Veſp. c.* 8. tradit, illum ignominiæ notam inuſſiſſe claſſiariis militibus petentibus aliquid ſibi conſtitui calcearii nomine, iubens, vt in poſterum excalceati curſitarent. Sic & hodie vulgo *diſcalcio* dicimus, viliſſimum hominem denotantes. Vel alia de cauſa iſtos nominat calceorum expertes, id eſt, ſine calceis. Ita excalceatos Seneca vocat mimos, qui ſine cothurno vel ſocco agunt fabulam: ex Senatorum enim numero paulo antea quoſdam dixit mutuum ab amicis petentes, ſoccos, hoc eſt, placidos & humiles, quales Comœdi, qui ſoccis vtebantur, econtra quum adiguntur, vt reddatur mutuum, cothurnatos fuiſſe, quales Tragœdi circa Principes perſonas verſantes, turgidi & elati, qui cothurnis vſi ſunt in ſcena.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVIII.

*Vt in omni ſpectaculo Exodiario.*

EXodia Ariſtoteli, *in arte Poetica*, ea ſunt, quæ præter argumentum inſeruntur in fabulis, quæ ſcilicet inter Comœdiarum vel Tragœdiarum actus interponebantur, è ſcena digreſſis Tragœdis vel Comœdis ad recreandos ſpectantium animos ridiculis quibuſdam, à ſeria illa recitatione & actione ſeiunctis. Vnde Iuuenalis Sat. 6.

*Ruſticus ex odio riſum mouet Atellanæ*
*Geſtibus Artonoës.*

Et Satyra 3.

*Tandemq́; redit ad pulpita notum*
*Exodium.*——

Sic

Sic olim Græcarum fabularum actioni Satyra interponi ſolebat, teſte Horatio *de arte Poetica*. Erant autem vtplurimum exodia iſta ex Atellanis fabulis conſtantia. Ita Suet. in Tiberio, cap. 45. *Vnde nota in Atellanico exodio proximis ludis aſſenſu maximo excepta percrebuit, Hircum vetulum capreis naturam ligurire.* Et in Domitiano, cap. 10. *Occidit & Eluidium filium, quod quaſi ſcenico exodio ſub perſona Paridis & Oenones diuortium ſuum cum vxore tractaſſet.* Liuius per initia lib. 7. *Iuuentus hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus iactitare cœpit, quæ inde exodia poſtea appellata, conſertaq́; fabellis, potiſſimum Atellanis ſunt.* Exodia autem iſta aliquando à mimis exercebantur, non ab Atellanicis, ex Cic. 9. lib. Famil. Epiſtol. 16 ad Pætum: *Quando tu ſecundum Oenomaum Actij, non vt olim ſolebant Atellanum, ſed vt nunc fit, mimum introduxiſti.* Exodium quidam ex Feſto dictum putant ab ἔξω & ᾠδὴ, quod extra cantum, idque extra fabulam, vel quod ſine cantu ageretur. Horum tamen ſententia minime recipienda, quum teſtimonio Poetarum antepenultima ſemper corripiatur, quæ ſi ἀπὸ τῆς ᾠδῆς deduceretur, deberet ratione ω produci. Rectius itaque per denominationem deſumunt ἀπὸ τῆς ἐξόδου, id eſt, ab exitu ſeu fine, quod in fine fabulæ ſeu exitu cuiuſque actus illius tractaretur. Exodium autem pro fine ſeu exitu vocabulum non modo Græcis familiare, ſed & ad Latinos translatum, paret ex Varrone ſcribente: *Quum in vinculis eſſet, & iam bibiſſet κώνειον in exodium vitæ.* Et iterum: *Vitæ curſum vt cognoſcere poſſem, & quæ ſeruitutis & libertatis ab origine ad exodium ducta.* Et rurſus: *Quod cœperas modo in via, narra, vt ad exodium deducas.* Et Apuleius: *Nullum ego eius rei exodium inueniebam.* Liber *Exodi* inſcribitur, quaſi exitus Iudæorum ex Ægypto. Et *Didymi exodium* nominat *in Rufinum* Hieronymus, hoc eſt, In Exodum commentaria, iuxta interpretationem Rhodig. *lib. 19. cap. 9.* Ab Exodio itaque exodiaria ſpectacula dicta, & Exodiarii eorum actores. Vnde hoc loco Amm. Marcell. recte dixerit: *Vt in omni ſpectaculo exodiario, venatori, aurigæ, & hiſtrionum generi omni, & iudicibus celſis, itidemq́; minoribus, necnon etiam matronis clametur aſſidue.*

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXIX.

*Ad extollendam eius vaniciem, ſedem quoq; ſi iuſsiſſet, exhibere poſſe promittens.*

NVllibi, quod ego meminerim, ſcriptores alios Latinos hac voce vſos noui, certe quomodo Plautus vanitudinem dixit *in Captiuis*, pro vanitate, pari quoque licentia Ammianum vaniciem dixiſſe exiſtimo. Verba Plauti ſunt:

*Pol ego vt rem videro, tu inuentus vero vanitudine, qui conuincas.*

Niſi errorem in textu accuſemus, & *vanitatem*, non *vaniciem* legendum concludamus. Vanitatem ſemper Cicero profecto dixit paſſim & vbique.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXIX.

*Torulo capite circumflexo.*

DIminutiuum *torulum* à toro, paruum lectum ſignificare, manifeſtum eſt; at eam vocem ſemel obſeruamus apud Plautum in Amphit. *Tum meo patri torulus inerit aureus ſub petaſo*, quo tamen in loco *trochulus*, non *torulus* legendum contendit interpres, nec iniuria quidem: nam quid paruo lecto cum petaſo & capite? Quamobrem ego legendum puto, *torale capiti circumflexo*. Namque torale, ſeu per apocopen toral, eſt linea mappa, quam ſuper linteola ponimus. Horat. lib. 1. Epiſt.

*Nec turpe toral, nec ſordida mappa.*

Et in Serm.

*Et Tyrias dare circum illota toralia veſtes.*

Toralium duo fuiſſe genera, tradit Paulus Iuriſconſultus *in l. 5 ff. de ſupell. lega.* Vnum, quod ſtraguli nomine continetur; alterum, quod non continetur. Hoc autem *plagam* appellatum, Nonius teſtatur, grande ſcilicet linteum tegmen, eo quod plagis ſeu foraminibus peruium ſit. Quod ſi à torale torulum diminutiuum deriuatum dicamus, omnis difficultas, tum hoc in loco, tum in Plauti dictis tolletur: erit enim paruum linteum tegmen; quæ interpretatio quammaxime antecedentibus verbis conuenit. Namq;

aiç

ait Ammianus: *Linteis quidam indumentis amictus, calceatusq; itidem linteis ſoccis, torulo capiti circumflexo, &c.* Torulum, quod nobis vulgo *benda* dicitur, fuiſſe antiquis, non dubitandum.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXIX.

*Apud Proconſulem Aſiæ Dolobellam Smirnæa materfamilias filium proprium & maritum venenis necaſſe confeſſa, quod filium ex priore viro ab eis occiſum comperiſſet, & comperendinata, quum conſilium, ad quod ex more dilata eſt, anceps quid inter vltionem & ſcelus ſtatui debeat, hæſitaret, ad Areopagitas miſſa eſt, Athenienſes Iudices triſtiores, quorum æquitas Deorum quoq; iurgia dicitur diſtinxiſſe.*

COmperendini dies appellabantur, quibus vadimonium dicere & vadare, iudiciaque addicere licebat, *ex Max. Valer. lib. 2. cap. 33.* & comperendinatio, *ex Aſconio in 3. act. in Verr.* eſt ab vtriſque litigatoribus inuicem ſibi denuntiatio in perendinum diem, ſeu vtriuſque partis recitatio eſt. Et res comperendinata ſignificat iudicium in diem tertium conſtitutum, *ex Feſto, lib. 16.* Comperendino vero eſt, de die in diem protrahere ſeu differre. Comperendinari autem cauſam ſeu proprie reum dicebatur, quando iudices adhuc incerti, quid deberent pronuntiare, cauſam in diem perendinum, tertium ſcilicet, reiiciebant; Quamuis etiam pro quantumuis longa iudiciali dilatione acceptum obſeruemus. Prioris habemus exemplum apud Ciceronem de clar. Orat. *Galbam autem verecunde & dubitanter cauſam recepiſſe, vnum quaſi comperendinatus medium diem fuiſſe, quem totum ille in conſideranda cauſa componendaq; poſuit.* Secundi exemplum habemus ex eodem, in Verr. act. 3. *Vt bis ludorum diebus interpoſitis, nemo iſtum comperendinatum iudicaret.* Quum itaque iudices minime reſoluti erant in condemnando vel abſoluendo, ſed dubii, in aliud tempus ſententiam differebant, vt melius conſulti iudicarent, quinimo & ad aliorum conſilium cauſam remittebant, reum vel cauſam comperendinare dicebantur, quod ex Gellio *lib. 14. cap. 2.* conſtare

poteſt. Vnde reo & accuſatori bis dicere neceſſe erat de eadem cauſa, & ſicuti in priori actione actor prius dicebat, ſecundo loco defenſor, ſic in comperendinatione priore loco defenſor, poſteriori iterum accuſator, ſiue actor; Vnde Cic. *in 3. in Verr.* ſcribit: *Adimo comperendinatum, quod habet in ſe moleſtiſſimum, bis vt cauſa dicatur.* Comperendinatio propter accuſatorem magis, quam propter defenſorem eſt inſtituta, aut non magis propter illum, quam propter hunc; ſi enim numerum dicendi conſideres, ex æquo res eſt, ſi ordinem, accuſator eſt prior & vltimus: nam ſimul vt accuſator dixerit, reſpondet prima actione defenſor, & defenſionem tanquam duplicem in medio poſitam obruit vltimus accuſator. His ita ſe habentibus, videamus, quomodo Ammianus Smirnæam dixerit comperendinatam. Budæus *in ſuis annot. in Pandectas, in l. poſt, de orig. iur.* docet, quod in criminalibus rei comperendinati dicuntur, quos è cuſtodia dimiſſos, ſuæ ipſorum cuſtodiæ iudex commiſit, vt aut vrbem carceris loco iſti habeant, aut aliquam priuatam domum, vt interdum fit, ex perſonarum dignitate & genere cauſarum. Hanc Budæi viri de re literaria optime meriti, ſi ſpectemus ſententiam, dicendum erit, Dolobellam Proconſulem Aſiæ Smyrneæ cauſam cognoſcentem, ac ſententiam differentem, tam è carceribus dimiſiſſe, donec abſolueretur, vel condemnaretur, ac fidei ſuiipſius pro cuſtodia commiſiſſe. At certe hæc expoſitio Ammiani textui non conuenit: nam eam comperendinatam, ex more ad conſilium delatam inquit; & poſtea, quum & conſilium anceps eſſet, ad Areopagitas miſſam, nec rationi conſonum, mulierem confeſſam maritum & filium veneno peremiſſe, è carcere ante ſententiam dimiſſam. Itaque comperendinatam Smyrnæam vocat Ammianus, hoc eſt, quum Dolobella hæſitaret, conſiliumque, ad quod delata erat, anceps eſſet in iudicio proferendo, prolatam cauſæ cognitionem, atque miſſam ad Areopagitas, condemnandam vel abſoluendam ſcilicet, quæ interpretatio non ſolum verbis Ammiani quam maxime congruit, ſed & his, quæ præſcripſimus.

AMM.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXIX.

*Adultus quidam, ex his, quos Pædagogianos appellant, ad obſeruandum venatitiam prædam Spartanum canem retinere diſpoſitus.*

ET lib. 26. idem Ammianus ſcribit: *In Pædagogiani pueri ſpeciem purpureis opertus tegminibus pedum, tunica auro diſtincta, &c.* Ex quibus colligere poſſumus, Pædagogianos pueros nobiles appellatos, qui principibus viris inſeruiunt, eiſque etiam ſunt in deliciis, vulgo dicimus *paggi*, voce corrupta, ſed non diſſimili. Horum cœtus *Pædagogia* dictus à Seneca epiſt. 124. *Omnium Pædagogia, velata facie vehuntur.* Pædagogiam pro ſeruitiis puerilis ætatis quoque accipit Vlpianus *in l. quæſitum eſt, §. 16. ff. de fundo inſtruct. & inſtrum. lega.* inquiẽs: *Si inſtructum fundum legaret, & Pædagogia, quæ ibi habebat, vt cum eo veniſſet, praſto eſſent, in triclinio legato continentur.* Pædagogium vero locus vocabatur, in quo pueri ſeruientes commorabantur. Plin. lib. 3. epiſt. *Puer in Pædagogio, miſtus pluribus, dormiebat.* Quod pariter verbum obſeruamus apud Plutarchum *in Pompeio*, quamuis alii ibidem Pædagogorum ludum interpretentur. Continebantur autem Pædagogiani ſub caſtrenſianis & miniſterianis aulicis ſacro Imperatoris miniſterio deputatis, quorum extat Rub. *lib 12. Cod.* vbi *l. 4.* legimus: *Veluti Præguſtatores, Pincernæ, Veſtitores, Piſtores. Pædagogia.* Quinimo Pædagogiani vocantur Caſtrenſes à Lampridio *in Alexandro.* De his Tertullianus lib. de Corona militis: *Nam & Caſtrenſes appellantur.* Hi autem erant ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Caſtrenſis ſacri Palatii, ſi credimus Cuiacio *in tit. 5. Cod. lib. 12.*

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXIX.

*Aduentu itaque plurium copiarum animati Iudices, caſtriſque ad tempus breuiſſimum fixis.*

MVltas alibi Iudicum differentias comprehendi. Hoc loco ſat dixiſſe, propria, & communiſſima appellatione dici Iudices, Ius dicentes; Communiori vero omnes, qui ſuo iure, vel Magiſtratus, quẽ gerunt, iubendi, cognoſcendi,

decernendi, ac iudicandi facultatem habent. Sic Iudicis nomen apud Iuriſconſultos *tit. de iuriſdict. om. ind.* accipitur. Ita Iudices pro magiſtratibus omnibus vſurpauit Vopiſcus *in Aureliano*, inquiens: *Denique id tertio factum eſt, vt per ſex menſes Imperatorem Romanum orbis non habuerit, omneſque Iudices hi permanerent, quos aut Senatus, aut Aurelianus delegerat, niſi quod Proconſulem Aſiæ Falconium Probum in locum Aurelii Fuſci delegit*; quod pariter ex Capitolino factum obſeruamus, ſcribente in Antonino Pio: *Succeſſorem viuenti bono Iudici nulli dedit.* Ita Ariſtoteles *lib. Polit.* 4. dixit Magiſtratus illos in primis appellandos, quibus dicendę ſententiæ, iudicandi, & imperandi permiſſa eſt poteſtas, & Cicero de legibus 3. *Videtis* (inquit) *magiſtratus vim eſſe, vt præſit, præſcribatque & vtilia coniuncta cum legibus.* Quum itaque magiſtratus omnes (præſertim maiores dicti,) iudicandi & imperandi facultatem habeant, idcirco non immerito aliquando iudices dicti; Quod & de exercituũ Ducibus fecit hoc loco Ammianus, & infra quoque libro 31. ſcribens: *Iudiceſque etiam nunc eligunt, diuturno bellandi vſu ſpectatos*; Et rurſus: *Hac ita præter ſpem accidiſſe doctus Athanaricus Theuringorum Iudex.* Sed & Dionyſ. Halycarn. *lib.* 4. *Antiquit. Roman.* Romanos Reges tradit Iudices fuiſſe, ſic enim ſcribit: *Tullum Regem de regia poteſtate detraxiſſe dimidium, quumque Reges priores omnes ad ſe reuocarent Iudicia omnium litium, & cognitionem criminum, tam ad priuatas iniurias, quam ad Rempub. pertinentium; ipſe ſeparauit hac, læſa Reipublicæ ſe faciens Iudicem, priuatarum perſonarum iniurias ad alios relegando Iudices.* Hoc pariter modo & Imperatores, & Pont. ſummos, Iudices dici poſſe non ambigendum. Et Senatus quoque & Populus Romanus Iudices nuncupari potuiſſent, quum iudicandi & imperandi, & decernendi ius haberent: Quorum paſſim extant exempla innumera, celebre tamen, nec reticendum, quod Vopiſcus recenſet *in Probo*, qui Senatui tribuit, vt ex magnorum Iudicum appellationibus ipſe cognoſceret, Proconſules crearet, Legatos Conſulibus daret, Ius Prætorium Præſidibus, leges, quas ipſe ederet, Senatuſconſultis propriis conſecraret. Quinimo, & ipſe Am. *lib.* 29. de filia Conſtantii nuptura Gratiano inquit, Meſſalam

Prouin-

Prouinciæ Rectorem etiam Iudiciali carpento impoſitum ad Sirmium curſu reduxiſſe effuſo; vbi carpentũ ipſius Meſſalæ Iudiciale vocat, quum tamen ille Prouinciæ Rector eſſet. Et *lib.30.* de Valentiniano Imp. *Dum ſperabatur, vt acer & vehemens mox Iudices damnari iuſſurus, quorum perfidia vel ſeceſſione Pannoniarum nudatus eſt latus.*

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXX.

*Viator quidam ad inferiora feſtinans, quum cliuum armato milite vidiſſet oppletum, per poſterulam tramitem medium ſquallentem fructetis & ſentibus vitabundus excedens, &c.*

A Poſtero adiectiuum diminutiuum formauit Ammianus *poſterulam* dicens, foramen inquam paruum & paululum retro poſitum; ita enim poſteri dicuntur, qui nos ſequuntur, & poſteri pedes, qui poſt primos ſunt. Niſi dixerimus, ex præpoſitione Latina *poſt*, & verbo Græco *ἐρωέω*, quod eſt *recedo, procedo, retraho, auerto*, vocem *Poſterulam* formatam, ſignificantem poſteriorem receſſum. Sic vulgo Itali portam non frequenter vſitatam, nec ordinariam, Poſterulam vocamus, talem in Vrbe noſtra Mantua habemus in ambitu mœniorum; Ita quoque appellatam in eodem ſenſu in introitu Domus ſecundam ligneam portam minorem, Poſterulam dicimus, hoc eſt, non principem, ſed ſecundariam, quaſi Portulam.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXVI.

*At nunc videre eſt per omnes eos tractus violenta ac rapaciſſima hominum genera per fora omnia volitantium, & ſubſidentium diuites Domos, vt Spartanos canes aut Cretas, veſtigia ſagacius colligendo ad ipſa cubilia peruenire cauſarum.*

A Nationibus & locis nomina canibus indita vulgatiſſimum eſt. Ab inſula Melita Meliteos canes appellatos author eſt Callimachus ex Plinio *lib.3.cap.poſtremo.* A Laconia Prouincia Laconicę canes dictæ, ex eodẽ Plin. *lib.11.c.63.* Ita Arcadicas, Locridas, Hyrcanas, Celticas obſeruamus. Canes Indicas cæteris grandiores quoque adnotauit idem author *lib.7.c.2.* Gallicani canis meminit Ouid. Metam. lib.1.

*Vt canis in vacuo leporem quum Gallicus aruo*
*Vidit,& hic prædam pedibus petit, ille ſalutem.*

Et quod ad præſens negotium facit, Spartanos canes dixit Ammianus,de quibus verba fecit 3. *Georg.*Virgilius:

*Veloces Spartæ catulos acremque Moloſſum*
*Paſce ſero pingui.*

Cretas vero appellauit Cretenſes canes, quorum duplicem differentiam legimus apud Græcos, vnū διαπόνους vocatum, quibus in venando gloria erat plurima, ſic dicti à labore, ſiquidem noctu etiam laborabant, ſæpeque feris aſſidentes dormiebant, mox exorta luce depugnaturi. Alterum vero quos παρίππους dixere,eo quod velocitate currentes equos aſſocientur, ac præuertant, & equino curſu ſint expeditiores. Nam παριππεύω, & παριππάζομαι *obequito*,& curſum equinum antecello ſignificant.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXX.

*Quartum atque poſtremum eſt genus impudens, peruicax, & indoctum, eorum, qui quum immature à literariis eruperint Ludis, per angulos ciuitatum diſcurrendo,mimiambos,non cauſarum remediis congrua commentantes.*

IAmbus pes metricus dictus conſtans ex prima breui, & vltima longa, Horat. in arte Poet.

*Syllaba longa breui ſubiecta vocatur Iambus.*

Ad hoc Iambici verſus, quibus conuiciari & contumeliari ſolebant antiqui, ita dicti ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, quod eſt conuiciis inuehi in aliquem. Vnde Horatianum illud:

*Archilochum proprio rabies armauit Iambo.*

Mimus autem quid ſit, notiſſimum eſt, ſane & pro dicto ridiculo quandoque translate accipitur.Suetonius in Othone, cap.3.*Et ſatis viſum,ne pœna acrior mimum omnem diuulgaret.* Ex binis itaque hiſce vocibus Ammianus dictionem *Mimiambos* conflauit, quaſi diceret forenſes Oratores (in quos inuehitur) maledicentias riſu dignas commentari, non orationes cauſarum remediis congruas.

AMM.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXXI.

*Tragula Gurgulione confecto exanimis viſa eſt iacens.*

A Trahendo *tragulam* dici rete, vulgo *tractam* vocant, quaſi trahendam, patet ex Plinio *lib. 16. cap. 8.* ſcribente: *Vſus ſuberis ancboralibus maxime nauium piſcantiumque tragulis & cadorum obturamentis.* Idem lib. 9. *Piſcatorum verricula tragulæ vocantur.* Tragula quoque eſt inſtrumentum ruſticale, quo fruges teruntur, à trahendo ſine cõtrouerſia ita dicta, quam per Epentheſin Virgilius *libro primo Georgicorum*, Thraeam dixit illo verſu:

*Tribulaque thraeaque & iniquo pondere raſtri.*

Eſt & tragula teli genus ita dictum, quod ſcuto vel corpori infixum, difficulter extrahatur, vel potius à trahendo, quod miſſile telum ſit. Sal. lib. 4. Hiſt. *Et Metellus ictu tragulæ ſauciatur.* Ita Plaut. in Epid.

*Tragulam in te iniicere adornat.*

Et in Caſſ.

*Ego iſtam aliquouerſum tragulam decidero.*

Liuius libro 21. *Femur tragula ictus grauiter cecidit.* Varro in Meleagris:

*Aut ille ceruum, qui volabile currens,*
*Sparo ſecutus, tragulave traiicit.*

Hinc & tragularii dicti, qui eas iaciunt. Veget. *lib. 2. cap. 15.* vbi de Tragula inquit: *Ea igitur vbi corpus tranſuerberauit, quomodo extrahatur ſæpenumero dubitatur, ac plerumque non tam retrahenda eſt metu magni doloris, & profuſionis ſanguinis, quam hinc vel inde decidenda, vt è vulnere ſic cum minori noxa recipiatur.* Nulla tamen in harum ſignificatione hoc loco tragulam accipi poſſe ſubſequentia verba illa textus demonſtrant: *Exanimis viſa eſt iacens.* Quamobrem alia expoſitio indaganda, atque excogitanda. Græcis τράγος, *hircus* Latinis eſt, teſte Suida, ita dictus, vel quod cutem aſperam habeat, vel à vocis aſperitate, vel à rodendo vites. Vnde vites Græcis τραγᾶν, id eſt, *hirceſcere* dicuntur, ſi ſterileſcant, vel quod hircorum morſu excidantur, vel quod nimio humore, vuæ loco, foliis abundent; ſicuti Hircos nimia pinguedine ſteriles euadere tradidit

didit Ariſtoteles. Ita Tragon vocant Græci in vitibus cauſationem, vbi flatu graſſante decutiuntur germina, Hirculum Latine poſſe appellari tradidit Cœlius Rhodiginus *lib. 23. c. 27.* Ita & alarum odor teter; quod Latina voce *hircus* dicitur; Caprum vocauit Catullus; Tragus dicitur Græcis; Hinc Ariſtophanes in fabula, cui titulus *ἀχαρνῆς*, *tragaſeum* vocauit male olentem; & alibi *Tragœmaſcholum*; Et Sex. Pompeius docuit in Cenſorino, pueros dici *Hirquetulos*, quum primum Venereis initiantur. Quibus ſic ſe habentibus, arbitramur Ammianum Tragulam vocaſſe Hircum paruum, ſeu Hirculum dixerimus, quæ confecto gurgulione, hoc eſt, gutture (non enim de verme intelligendum, qui in horreis naſcens frumentum abſumit, de quo Virgilius primo libro Georg.

*Populanſque ingentem farris aceruum*
*Gurgulio.*)

examinis viſa eſt.

Vermem Gurgulionem Columella lib. 1. capite 6. *Curculionem* dixit per C, non per G. *Ea res ab noxa Curculionum fruges reconditas defendit, &c.* Gurgulio autem quaſi totus hic vermis guttur ſic appellatus. eſt enim gurgulio pars ea ſeu fiſtula, per quam ſpiritus attrahitur & emittitur, tracheam arteriam ſeu aſperam vocant Medici, quam Ammianus in hircula confectam ſcribit. Niſi forte textum mutilatum dixerimus, deeſſe vocem vnam, puta auem, aquilam, vel aliud fœminini generis animal, quæ illi Gurgulione, hoc eſt, gutture tragula confecto, id eſt, telo, exanimis viſa, publicorum funerum ærumnas indicabat.

## AMM. MARCELLINVS, LIB. XXXI.

*Reuerſique ad vallum dimenſum tereti figura, plauſtrorum immanes ſpiritus latius porrigentes iubebant noſtru per minaces literas, & legatum, AEtatem fide retinendæ ſalutis accepta, &c.*

ADuerbium Comicis familiare *ætatem* obſeruamus pro eo, quod (*Diu*) dicimus, & per totum annorum curriculum. Plautus . . . . .

*Vt tibi ſuperſtes vxor ætatem ſit.*

Et

Et in . . . . .

*Aetatem velim ſeruire*

Terentius in Hecyra:

*Nam neque illi hoc animo erit ætatem.*

Et in . . . . . .

*Iam dudum ætatem lites ſunt inter eos.*

Et . . . . .

*Iam dudum ætatem abiit.*

Apud Aſconium enim obſeruamus ætatem pro ea, quam Græci γενεὰν dicunt, hoc eſt, vniuerſum humanæ vitæ tempus, eius enim verba ſunt in oratione pro M.Scaurio: *Vt tribus ſupra eam ætatibus iacuerit domus eius fortuna; Namque Pater, neque auus, neque etiam Proauus vt puto, propter tenues opes, & nullam vitæ induſtriam honores adepti ſint.* Itaque Ammianus ætatem dixit pro eo quod eſt, quoad vixerint. Ita Cicero, *AEtatem agere*, pro viuere dixit, de clar. Orat. *Moleſte tulit ſe non effugere hoſpitis ſpeciem, quum ætatem ageret Athenis.* Et de Legibus: *Pater meus hic fere ætatem egit in literis.* Et *in Epiſt.* Agere ætatem cum aliquo.

MARCEL-

MARCELLI DONATI

# IN IVLIVM CAPITOLINVM DILVCIDATIONES.

## IVLIVS CAPITOLINVS IN ANTONINO PIO.

*Idem fœnus trientarium, hoc eſt, minimis vſuris, exercuit.*

VSVRARVM apud antiquos ſcriptores maximas alias, alias minimas, nõnullas medias obſeruamus, vti ex mox dicẽdis palam fiet. Centeſima vſura dicta fuit maxima in qua ex centũ partibus, 12. ſingulis annis pendebantur, vel ſingulis menſibus vna pars; ita vt intra centũ menſes æqualis eſſet pręſtatio vſurarum ſorti, & ob id centeſima dicta, vel etiam, quia centeſimus nummus pro fœnore ſtatueretur, centum enim nummi ſortis parerent ſingulos nummos menſtruos, ἑκατοστὴ vocatur à Plutarcho *in Lucullo.* Demoſthenes δραχμιαῖον & drachmalem vocauit, *in oratione κατὰ νεαίρας*, eſt enim Drachma centeſima pars Minæ; Vnde centeſimo menſe Drachma in Minam euadit; Græci enim à Drachma vſuras denominarunt; vti Romani ab Aſſibus, & nos hodie à Denariis. Hanc centeſimam Martialis *Libram* vocauit *lib.* 11. *Epigram. epigr.* 106. inquiens:

*Mittebas libram, quadrantem Gaurice mittis,*
*Saltem ſemiſſem Gaurice ſolue mihi.*

Ex quibus facile deprehenditur error interpretum quorundam legum, & præcipue Accurſii, *in l. ſi non ſortem, §. ſupra duplum, in verbo duplum, de condictione indeb.* qui tradunt centeſi-

centeſimam vſuram eſſe, & dici, quæ intra annum æquat ſortem, quando ſcilicet centum pro centum ſingulo anno lucratur. Apud antiquos ſcriptores maiorem vſuram centeſima non obſeruamus, & ſupremam eam ponit Iuſtin. *l. eos 26. §. ſuper vſurarum, verſ. in traiectitiis*, quam in traiectitiis tantum contractibus permittit. Ita enim centeſimæ vſuræ graues viſæ ſunt antiquis, vt eas, niſi in certis permiſerint negotiis, idque potiſſimum ratione periculi, quod in ſe creditor ſuſcipiebat tranſuectionis mercium, vel pecuniarum; nam aliter prohibitæ, *ex l. nihil intereſt, l. 4. D. de naut fœno.* Hinc facile colligitur Lud. Cœlium Rhodig. lapſum, dum *lib. 28. c. 39.* ſcribit, centeſimas vſuras omnium minimas, ex Cæcilio *Epiſt.* 8. vbi inquit: *Proinde Epiſtolas mitte appoſitis vſuris, quas ego non poſſum parcius centeſimis computabo*, ſi enim Cęcilii dicta recte perpendantur, centeſimam vſuram maximam habet. Quum enim expoſceret Epiſtolarum vſuram, ait ſe nequire computare minus cẽteſima vſura. Non minus errant etiam qui ex Cic. *in Verrem* (vbi Verri in Prætura Vrbana obiicit, quod pecuniam ſibi tributam ad coemendum frumentum publicum vnde erat attributa, relictam duabus centeſimis fœneratus ſit) exiſtimarunt, ducenteſimam vſuram apud antiquos fuiſſe, ſed perperam; Nam maiorem centeſima vſura apud illos minime repertã manifeſtum eſt, ita vt nulla prorſus indigeat probatione, vt obſeruarunt Budæus *lib. 1. de Aſſe*, Hermolaus Barbarus *in caſtigationibus Plinianis, lib. 15.* Ægidius Deſinus *lib. de Aſſe*, Alciatus *lib. Parerg. cap. 23.* ſenſus enim genuinus verborum Cic. eſt, Verrem per tãtum tempus apud publicanos reliquiſſe pecuniam, vt inde vſuræ loco binas centeſimas lucratus ſit. Sciendum autem eſt, antiquos conſueuiſſe ſingulis menſibus vſuras exigere, & rationes cum debitoribus inire, quod Horatius teſtatum reliquit libro 1. Serm. Sat. 3.

*Odiſti, & fugis vt Riſſonem debitor æris,*
*Qui niſi quum triſtes miſero venere Kalendæ,*
*Mercedem, aut nummos vnde extricauit amaras*
*Porrecto iugulo hiſtorias captiuus vt audit.*

Et rurſus lib. Epod. Ode 27.

*Hæc vbi loquutus fœnerator Alpheus*
*Iam iam futurus ruſticus*
*Omnem relegit Idibus pecuniam*
*Quærit Kalendis ponere.*

Etenim Kalendæ dicuntur ſinguli dies primi menſium, vnde Kalendarium appellatus liber rationum earum, quæ ad fœnus pertinebant; & in quo nomina debitorum ſcribebantur, vt docent Iuriſtæ *ex l penultima, de reb. cred. in P. & l. nepoti, l 6. de fundo inſtructo.* In formula vſurarum tradita à Paulo *in l. lecta, l. 40. de re. cred. in P.* huiuſmodi: *Lucius Titius ſcripſi me accepiſſe à P. Mæuio quindecim mutua, numerata mihi de domo ſua; & hæc quindecim proba recte dari Kalendis futuris ſtipulatus eſt P. Mæuius; ſpopondi ego Lucius Titius.* Monſtruoſas vſuras fuiſſe patet ex alia formula quoque apud eundem obſeruata, quæ incipit: *Lucius Titius ita cauit.* Id quoque ex Cic. *in oratione pro Q. Rabirio* colligitur, vbi habet: *Qui tabulas conficiunt, menſtruas pene in eas rationes transferent.* Solebant proinde Kalendarium diem execrari debitores, ex Plutarcho *in lib. non eſſe fœnerandum*, vbi ita ſcribit: *Kalendarium aut Neomeniæ recordaberis, qui dies etſi ſacratiſſimi exiſtant, nefandi tamen, & execrandi ab vſurariis redduntur.* Itaque Verrem depoſuiſſe pecuniam apud publicanos, & inde binas centeſimas lucratum inquit Cicero, id eſt, per binos menſes, & ſingulo eorum recepiſſe vſuram centeſimam, in ratione vſurę centeſimæ pro quolibet menſe. Sed vt reuertamur vnde digreſſi ſumus, centeſimam vſuram Romanis fuiſſe in ratione duodecim pro quolibet centenario ſingulo anno, eamque maximam, conſtat clare ex Plinio *in Epiſtolis ad Traianum*, vbi legitur: *Pecuniæ publicæ Domine prouidentia tua, & miniſterio noſtro etiam exactæ ſunt, & exiguntur, quæ vereor ne ocioſæ iaceant; rerum, ac prædiorum comparandorum aut nulla, aut rariſſima occaſio eſt, nec inueniuntur qui velint debere Reipublicæ, præſertim duodenis aſſibus, quanti à priuatis inueniantur. Diſpice ergo Domine, nunquid minuendam vſuram, ac per hoc inuitãdos idoneos debitores putes, & ſi nec reperiuntur, diſtribuendam inter debitores pecuniam, ita vt recte Reipublicæ caueant, quod quanquam inuitis & recuſantibus, minus acerbum erit, leuiore vſura conſtituta.* Conſtitutio itaque (vt diximus) Romanos ab aſſibus

bus vſuram denominaſſe, ſciendum vlterius, id totum, quod aſſis nomine effertur in partes 12. ſeu vncias diuidi poſſe, quarum nomina ſunt propria, ab vncia & ſemiuncia vſq; ad aſſem. Vncia eſt duodecima pars aſſis, Sextãs duæ vnciæ, quę faciũt ſextam partem aſſis. Quadrans tres vnciæ, quia quarta pars aſſis, quia quater tria faciũt duodecim. Triens, quatuor vnciæ, quia tertia pars aſſis. Quincunx eſt quinta pars aſſis, id eſt, quinque vnciæ. Semis, ſex vnciæ, ſcilicet media pars aſſis. Septunx ſeptem vnciæ. Bes octo, Dodrans nouem. Dextans decem. Deunx vndecim. As duodecim. Vncialis itaque vſura erit, quando vna pars centeſimę, vncia ſcilicet ex 12. ſoluitur tantum, vt ſi pro cẽtum denariis vnus vſuræ nomine annuatim ſoluatur, ita vt ad æquandam ſortem centum annis opus ſit. Quo pacto Corn. Tac. *lib. 6. Annal.* ſcribit, lege 12. tab. cautum, ne quis amplius vnciario fœnore vſurã exerceret. Sextantes dicũtur vſuræ, dum ſexta pars centeſimę penditur annuatim, ſeu duæ vnciæ cẽteſimę, & hac æquatur ſors intra 50. annos. Quadrantes vſuræ, quando tres partes vel vnciæ centeſimæ ſoluuntur & æquant ſortem intra 33. annos, & menſes quatuor, id eſt, menſes 400. Trientales, quando quatuor vnciæ, id eſt, quarta pars centeſimæ præſtatur annuatim, & ſors æquatur 25. annis. Quincunces vſuræ habent quintam partem centeſimæ, id eſt, quinque vncias, & æquant ſortem 20. annis. Semiſſes dicuntur vſuræ, dum ſexta pars centeſimæ ſoluitur, id eſt, ſex vnciæ, æquatque ſortem 16. annis, & 8. menſibus; Et hæc vſuræ ſpecies quoque *in l. fin. de fiſca. vſu. libro decimo Cod.* dicta fuit media centeſima. Vſuræ Septunces, quando ſeptem vnciæ vel partes centeſimæ penduntur, & æquant ſortem annis 14. & menſib. 4. Beſſes, quando octo vnciæ, ſeu partes centeſimæ ſoluuntur, quæ æquant ſortem 12. annis, & menſibus 6. Hanc etiam vſuram Suidas ἐπόγδοον τόκον appellauit, quaſi dixeris octauam vſuram. Dodrantes, vel Dodrantales vſuræ, dum nouem vnciæ, vel partes centeſimæ ſoluuntur, quæ æquant ſortem vndecim annis & menſib. tres. Dextantes, dum decem partes centeſimæ, ſiue vnciæ ſoluuntur, æquantque ſortem annis decem, Deunces, quum vndecim

partes centeſimæ ſeu vnciæ ſoluuntur, quæ æquant ſortem centum nouem menſibus, id eſt, annis nouem, & menſe vno. Aſſis dicitur, quum centeſima ſoluitur, quæ (vt dictum eſt) æquat ſortem cētum menſibus, id eſt, annis octo, menſ. 4. Quæ omnia ex legum fontibus hauriuntur. Ex quibus locus hic facile explicari poteſt; Quod ſcilicet Antoninus Pius exercuerit fœnus trientarium, id eſt, mutuatus fuerit pecunias, lucrum accipiens, quatuor pro ſingulo centenario annuatim. Quod & pariter feciſſe Alexandrum Seuerum Ælius Lampridius in illius vita teſtatum reliquit, per hæc verba: *Fœnus publicum trientarium exercuit, ita vt pauperibus pleriſque ſine vſuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus.* Suetonius *in Auguſto, cap* 39. ait: *Notauitque aliquos, quod pecunias leuioribus vſuris mutuatis, grauiori fœnore collocaſſent;* Sed quis obiiciet, quomodo Capitolinus his trientarium fœnus minimam vſuram dixerit, quum ex Tacito locô ſuperius adducto habeamus, vncialem vſuram & ſemuncialem, quæ dubio procul minores vſuræ ſunt quum vnum vel dimidium minor numerus ſit quam quatuor. Et in legibus 12. tabularum ſcriptum eſt: *Vnciario fœnore amplius ne exerceto. Qui maius fœnus exercuerit, quadruplum luito.* Quæ lex à Tacito ibidem & Catone *libro de re Ruſtica*, & Cic. 2. *de Legibus* recenſetur. Huic dubitationi ſatisfaciamus dicentes, Capitolinum non abſolute minimam vſuram trientalem dixiſſe, ſed intelligendum ex minimis vſuris, in quorum numero reponendum trientarium fœnus, nulli dubium; Vel etiam dicentes; Imperante Antonino, minimam vſuram, quæ eſſet tunc temporis in vſu, trientalem fuiſſe. Dion Caſſius *lib.* 51. *Hiſt.* ſcribit: *Quum ex ſpoliis victoria Octauiani contra Cleopatram & Antoninum plurimum auri Romam delatum eſſet fœnus quod antea denario pendebatur, ad trientem tum recidiſſe*, quem locum ita explicandum arbitramur; Vſuram ſcilicet ex copia pecuniæ, quæ Centeſima prius erat, Trientalem factam, per denarium enim aſſem, ſeu libram totam, & per conſequens centeſimam intelligendam non ambigimus.

IVLIVS

## IVL. CAP. IN ANTONINO PIO.

*Quadrupliciter extincti ſunt.*

ASconius Pædianus *in Diuinat.* ait, Quadruplatores eſſe eorum reorum accuſatores, qui conuicti quadrupli, damnari ſoleant, vt aleæ, aut pecuniæ grauioribus vſuris fœneratæ, quam pro conſuetudine, aut aliorum eiuſmodi criminum. Et *in* 1.*in Verr.act.* & 4. Quadruplatores eos vocari tradit, qui eo quæſtu ſe tuebantur, vt eas res proſequerentur, quarum ex legibus quadrupli actio erat. Hæc etiam fuit ſententia Feſti Pompeii, *lib.* 15. Nimis certe large Zaſius, & parum apte Quadruplatores nominat, qui lucra ex ludis ſumunt. Liuius *lib.*3. *circa fin.* Quadruplatorem accipit pro litis alienę interceptore, & qui Iudex quum ſit, in ſuam rem vertit; Quum enim P. R. Aricini & Ardeades de finibus contendentes iudicem feciſſent, ille vero agrum, de quo erat quæſtio, P. Romano adiudicaſſet, P. Romanum Quadruplatorem, & alienæ litis interceptorem, appellat. Nos hoc loco per Quadruplatores ſimpliciter omnes delatores Spartianum intelligere putamus, quib. bonorum damnatorũ quarta pars adiudicabatur, Nerone authore, qui ex teſtimonio Tranquilli *in illo cap.* 10. præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit. Quod etiam confirmari poteſt ex Tacito *libro* 4. ſcribente: *Contra M. Lepidus quartam accuſatoribus ſecundum neceſſitudinem legis, cætera liberis conceſſit.* In hunc ſenſum Cicero *in* 4.*Verr.* inquit: *Homo omnium ex illo Quadruplatorum conuentu deterrimus.* Et in tertia eiuſdem: *Niſi forte exiſtimetis ei Quadruplatores ad fretum præſto fuiſſe.* Vopiſcus in D. Aureliano: *Quadruplatores, ac delatores ingenti ſeueritate perſecutus eſt.* Ad hæc, Capitolin. *in M. Philoſopho*, qui Antonino Pio ſucceſſit, ab eo adoptatus, inquit: *Calumniis Quadruplatorum interceſſit, appoſita falſis delatoribus nota.* Quadruplari verbo vſus eſt Plautus *in Perſa*, etiam alia ſignificatione:

*Neque quadruplari me volo.*

(inquit Paraſitus.)

*Neque enim decet ſine meo periculo abire aliena ereptum bona.*

*Neque illi, qui faciunt, mihi placent.*

Cuius verbi ſignificationem Budæum *in annot. in Pandect.* & Calepinum, ſeu Aldum *in addit. ad illum*, penitus ignoraſſe puto. Namq; Iuriſperitis Quadrupulari precium alicuius rei dicitur, *l.2.§.in hac actione. D. de vi bo. rapt.* quum eius precium in Quadruplum eſt. In hac actione inquit Vlpianus: *Intra annum vtile verum precium rei quadruplatur.* Ita apud Plautum, Paraſitus ait ſe nolle ire ereptum aliena bona, ne Quadrupletur, id eſt, cogatur ad Quadruplum precium ſoluendum. Qui ſenſus certe ex ipſiſſimis verbis clare elicitur, tantū abeſt, quod viri doctiſſimi credidere, quod eo in loco Quadruplari accipiendum ſit Quadruplaturam exercere.

## IVL. CAP. IN ANTONINO PIO.

*Puellas alimentarias in honorem Fauſtinæ, Fauſtinianas conſtituit.*

COElius Rhodiginus *libro lect. Antiq. 13. cap. 24.* hunc locum enarrans, interpretatur puellas alimentarias, quæ publice alebantur; Breuis ſane expoſitio, & quæ nec totum ſenſum explicet. Apertior lux ex Iuriſperitis. His alimentarii dicuntur, quibus alimenta legata ſunt, *l. penul. §. 1. D. ad leg. Fal. l. 8. §. 3. D. de tranſact.* Alimētorum autem nomine non ſolum cibaria, ſed & veſtitus, & habitatio continentur, *l. legatis 6. D. de alim. & cib. legat.* A cibariis enim alimenta differunt, nam illorum nomine continentur, ſine quibus ali corpus non poteſt, horum vero tantum quæ ad cibum pertinent. Ita interpretandus Ciceronis locis in epiſtolis vbi de lege alimentaria, qua filii parentes alere tenebantur, id eſt, præſtare cuncta, quæ ad vitam ducendam & protrahendam neceſſaria eſſent. Sic Antoninus Pius in honorem vxoris Fauſtinæ, puellas inſtituit alimentarias, id eſt, quibus omnia ad victum pertinentia præſtarentur ex ipſius redditibus, ſeu publicis pecuniis. Mammeanas puellas Alexander Seuerus in Mammeæ matris honorem, ſicuti Fauſtinianas Antoninus in Fauſtinæ vxoris honorem inſtituit, teſte Lampridio *in Alexandro.*

IVL.

## IVL. CAP. IN ANTONINO PIO.

*Edita munera, in quibus Elephantos, Crocutas, & Tigrides, & Rhinocerontas, & Crocodilos, atque Hippopotamos exhibuit.*

PLinius *lib.* 8. *c.* 21. Crocutas inquit, velut ex cane lupoque conceptos, omnia dentibus frangentes, protinuſq; deuorata conficientes ventre. Hoc animal in Æthyopia gigni idem author tradit. Xiphilinus ex Dione *in Seuero* ait: *Crocuta id animal eſt Indicum, ac tum primum (quod ſciam) Romam aduectum. Color eius eſt Leænæ permixta cum Tigri. figura quodammodo ex cane & vulpe conſtat.* Hæc habeo, quæ ex antiquis de huiuſmodi animali adnotem. Quamuis autem in eadem re Plinius & Xiphilinus non concordent omnimodo, nec tamen valde diſcrepant. Illud ſane haud difficultate caret, quod Capitolinus Crocutas primum ab Antonino Pio in ſpectaculis exhibitas tradit, Xiphilinus vero Seueri temporibus primum Romam id animal aduectum docet, in ſpectaculis exhibitum; At Seuerus multo poſt Antoninum imperauit; Quum tamen Xiphilinus adiunxerit verbum illud ( *quod ſciam* ) eum ignoraſſe antea ſub Antonino Crocutam Romā aduectam, & in ſpectaculis exhibitam; dicere poſſumus, & ſic cum Capitolino conciliare. Verum nec prætermittendum, Plinium lib. citato, ſed *cap.* 30. ſcriptum reliquiſſe, ex Hyæna & Leæna Æthyopica naſci Crocutam, quum tamen antea *cap.* 21. Crocutas ex cane lupoque conceptas dixiſſet; quibus in locis, nec etiam in cæteris huius ferę qualitatibus deſcribendis ſibi conſtare, ex lectione clare patet, ita vt eum non alio modo ſanare me poſſe exiſtimem, niſi dixerimus, altero in loco ex propria ſententia eum loquutum, in altero vero ex aliena relatione.

Illud poſtremo addamus, Crocutam forte hanc beſtiam ita appellatam, quod crocei coloris eſſet, qui color à Leæna matre nōn diſſimilis. Sic Crocota veſtis muliebris genus, de qua Cic. lib. de Aruſp. reſp. *Clodius à Crocota, à mitra & à muliebribus ſoleis, purpureiſq; faſciolis repente factus eſt popularis.* De hac & Plaut. *in Epid.* & Ariſtophanes *in Ranis.* Vnde & Virgil.

*lib. Æneid* 9. Veſtem pictam croco, dixit. Hinc earum inſectores Crocolarii Plauto *in Aulul.*

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Educatus eſt in eo loco, in quo natus eſt, & in domo aui ſui Veri, iuxta Ædes Laterani.*

ROmæ in Cœlio monte antiquitus erant ædes magnificæ, nobiliſſimæ familiæ Lateranorum, quam tamen per initia Reipublicæ plebeiam fuiſſe ſuſpicor, quum Sextius Lateranus primus fuerit ex plebe Conſul, ex Liuio *in calce lib* 6 anno Vrbis 389. ex Chronologia Glareani. Harum ædium meminit Iuuenalis Saty 10.

*Clauſit & egregias Laterani obſidet ædes,*
*Tota cohors.*

Huius familiæ fuit quoque Iulius Lateranus, qui Conſul deſignatus iuſſu Neronis interfectus eſt, teſte Capitolino *in Aureliano*. Vbi hæ ædes erant, poſtea D. Ioannis Baſilica ædificata eſt, dicta etiam Baſilica Conſtantini antea, eo quod fuerit à Magno Conſtantino dono data Silueſtro Summo Pontifici, authore Blondo *libro primo inſtauratæ Italiæ.* Vnde ſummus Pontifex quandoque Lateranenſis dictus Epiſcopus. Et Lateranenſes Synodi ſeptem, quod eo loci fuerint coactæ. Prima ſub Nicolao 2. Secunda, ſub Caliſto 2. Tertia, ſub Innocentio 2. Quarta, ſub Alex. 3. Quinta, ſub Innocentio 3. Sexta, ſub Eugenio 4 Septima, ſub Iulio 2. Huius ædis meminit quoque Hieronymus *ad Marcell.* inquiens: *Quis videat mulierem nobilem & potentem in domo Laterani Conſulis deſignati.*

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Tantum autem honoris magiſtris ſuis detulit, vt imagines eorum aureas in Larario haberet.*

INter innumeros gentiū Deos, aut potius Dęmones, agnouit cœca antiquitas Lares Deos. Hos Apuleius nunc lares, nūc Genios nuncupat. Cicero re hac vix ſibi ſatisfacere videtur, namq; *lib. de Vniuerſitate* ait: *Dii quos Græci δαίμονας appellāt, noſtri opinor Lares, ſi modo hoc recte conuerſum videri poteſt.* Verum

quod

quod magis mirandum, Larium Deorum multas ſpecies fecit ſtulta illa priſcorum vanitas, ne dicam ſuperſtitio. Romæ fuit vicus Larium muralium, quod docuit Petrus Victor. Horum meminiſſe puto Cic. 2. *de Legib.* quum ſcripſit: *Lucos in agris habente, & Larum ſedes.* De eiſdem Suet. in Aug. cap. 31. *Compitales Lares ornare bis anno inſtituit, vernis floribus, & æſtiuis.* Tibull.

*Vos quoq; felices quondam, nunc pauperis agri*
*Cuſtodes, fertis munera veſtra Lares.*

Quamuis & ludos compitalitios per compita in vrbe Laribus celebrata, non ambigendum, ex Ouidio præſertim, ſcribente lib. 1. Faſt.

*Fitq; grauis geminosq; parit, qui compita ſeruant,*
*Et vigilant noſtra ſemper in vrbe Lares.*

Et iterum:

*Lucifero ſubeunte Lares delubra tulere.*

Et Cic. in Piſon. *Quum in Kalend. Ianuar. Compitalitiorum dies incidiſſet.* Et rurſus de ludis compitalitiis ibidem, & ad Att. lib. 7. *Ego, quoniam 4 Non. Ian. Compitalitius dies eſt, nolo eo die venire in Albanum moleſtus familiæ.* Calpur. Eclog. 4.

*Vt quoq; turba boni plaudat ſaginata magiſtri,*
*Qui facit egregios ad peruia compita ludos.*

Ouid. 5. Faſt.

*Sunt quoq; pro nobis, & præſunt mœnibus vrbis,*
*Et ſunt præſentes, auxiliumq; ferunt.*
*Et canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem*
*Stabat, quæ ſtandi cum Lare cauſa fuit?*
*Seruat vterq; domum domino quoq; fidus vterq; eſt,*
*Compita grata Deo, Compita grata cani.*

Et Lucanus lib. 1. Pharſaliæ:

*——— Vrbisq; laborem*
*Teſtatos ſudare Lares.*

Et Ouid. 5. *Faſt.* Lares præſtitos vocat:

*Præſtitibus Maiæ Laribus videre Kalendæ,*
*Aram conſtitui, paruaq; ſigna Deûm.*

Et cur ſic dicantur, paulo poſt declarat:

Iii 5 Cauſa

*Cauſa tamen poſiti fuerat cognominis illis,*
*Quod præſtant oculis omnia tuta ſuis.*

Et Varro *lib.2. de lingua Latina*, aut aliorum computatione, *quinto*, de eiſdem. Et Dionyſius Halycarnaſſ. lib.4. *Sacrificia compitalia ſacra facientibus non ingenuos, ſed ſeruos miniſtrare voluit, quaſi hoc gratius eſſet Laribus.* Quod feſtum noſtra quoque ætate Romani agitant, paucis diebus poſt Saturnalia, cum primis celebre & ſumptuoſum, *Compitalium* appellatione; Duratque mos ille priſcus in ſacris placandi genios per ſeruorum miniſteria, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, vt hac honorifica humanitate manſuetiores redditi dominos chariores habeant, & leuius ferant ſuæ fortunę inclementiam. His ſacratas publicas ædes, ex Cic. *de natura Deorum*, vbi legimus: *Aedes Larum, & mala Fortunæ.* Apud Varronem legimus *lib.1. cap.7.* Laribus dicatum Querquetulanum Sacellum, vnde Lares Querquetulani, quod in monte Cælio fuiſſe coniicimus, qui Querquetulanis à quernea ſylua antiquis vocatus fuit. Plautus *in Mercat.* meminit Larium vialium, id eſt, qui viæ præſunt. Feſtus lib.8. *Romæ*, ait, *quod colebantur Lares hoſtiles dicti, quod ab iis hoſtes arceri credebant ur.* Vnde illud:

*Annibalemq; Lares Romana ſede fugantes.*

Lares marinos obſeruamus apud Nonium ex Varrone: *Suſpendit*, inquit, *Laribus marinis molles pilas, reticula, ſtrophia.* Liuius *lib.40.* recenſet, L. Æmilium Regillum Antiochi claſſe profligata Laribus marinis ædem vouiſſe, quæ annis quadraginta poſt dedicata eſt. Præter autem Lares publicos, de quibus hactenus, fuerunt & Lares familiares, peculiares, inquam, familiæ ſeu domus. Apuleius *in lib. de Deo Socratis*, inquit: *Ceterum Lares Deos domeſticos fuiſſe.* Quod pariter confirmat Tertull. *in Apolog. cap.13.* Et domus cuſtodes vocant Plutarchus *probl.50.* & Arnobius *contra gentes lib.3.* Horum etiam meminit Cato *de re ruſt. cap.2.* inquiens: *Lar erat, qui domi à familia colebatur.* Plaut. in Aulul.

*Ego Lar ſum familiaris ex hac familia, vnde exeuntem me aſpexiſtis.*

Cicero in Verrem: *Relinquere familiarem Larem ſuum.* Et iterum:

rum: *Redire ad Larem familiarem ſuum.* Et pro Quinctio: *Alicui manus allatas eſſe ante ſuos Lares familiares.* Salluſt. in Catilinam: *Illos binos & amplius domos continuare, nobis Larem familiarem nuſquam eſſe?* Quamuis & his in locis poſitum Larem familiarem dicere poſſumus etiam pro domo particulari, vt Martialis lib. 1.

*O mihi curarum pretium non vile mearum*
*Flacce Antenorei ſpes & alumne Laris.*

Horat. Serm. lib. 1. Sat. 2.

*Qui patrium mimæ donat fundumq́; Laremq́;.*

Et Cicero in Epiſt. *Craſſus pene à meis Laribus in prouinciam eſt profectus.* Verum quod ad larem familiarem ſpectat, nec illud omittendum, quod antiquitas eſt fabulata, ex Plinio, *lib. 36. cap. 27.* vbi legimus, Tarquinio Priſco regnante, repente in foco comparuiſſe genitale è cinere maſculini ſexus, eamque, quæ inſederat ibi, Tanaquilis Reginæ ancillam Ocriſiam captiuam conſurrexiſſe grauidam. Ita Seruium Tullum natum, qui regno ſucceſſit. Ideo & in Regia cubanti puero caput arſiſſe viſum, creditumque, Laris familiaris filium, & ob id compitalia, & ludos Laribus primum inſtituiſſe. Hinc factum puto, quod etiam larem accipiamus pro foco. Ouid. 1. Faſt.

*A quibus hoc populum ſpectat, at illa larem.*

Et Col. lib. 11. cap. 1. *Conſueſcatq́; ruſticos circa larem domini, focumq́; familiarem ſemper epulari.* Et Ouidius libro primo de Triſtibus:

*Illa etiam ante Lares ſparſis proſtrata capillis*
*Contegit exſtructos ore tremente cibos.*

Et Plautus in Aulul. act. 2. Scen. 5.

*Hæc imponentur in foco noſtro Lari.*

At quod magis ad rem noſtram facit; Diis laribus ſeu penatibus, aut geniis familiaribus domi principes viri ſacrarium habebant, in quo illis ſacra faciebant, eoſdemque venerabantur, quod ſacrarium lararium vocabant; nec ſolum in eo lares Deos colebant, ſed & viros præſtantes, ac ab ipſis amatos, quosq; magnifaciebant. Ita Sueton. *in Vitel. c. 2.* ſcribit, illum coluiſſe inter Lares aureas, Narciſſi & Pallantis imagi-

imagines. Refert & Lampridius, Alexandrum Seuerum Imperatorem in Larario ſuo coluiſſe inter cæteros, Abrahamum, & Chriſtum, & Orpheum, & Apollonium, illiſque ſacra feciſſe. Capitolinus hoc loco inquit, M. Antoninum Philoſophum etiam tantum honoris magiſtris ſuis detuliſſe, vt imagines eorum aureas in Larario haberet. Illud autem non prætermittendum, Alexandrum Seuerum, teſte Lampridio, in ædibus ſuis binos Lararios habuiſſe, alterum maius dictum, de quo diximus, & de quo rurſus ibidem Lampridius: *Alexandrum vero Magnum inter Diuos & optimos in Larario maiore conſecrauit.* Alterum fuit minus, & ſecundum appellatum, de quo idem author eodem in loco: *Virgilium autem, Platonem Poetarum vocabat, eiusq; imaginem cum Ciceronis ſimulachro in ſecundo Lorario habuit, vbi etiam Achillis, & magnorum virorum.* Vopiſcus in Floriano, Taciti mortis omen fuiſſe ſcribit, quod in illius Larario Dii omnes concidiſſent. Liuius *lib.* 45. de Pauli Æmilii triumpho: *Nam duobus è filiis, quos datos in adoptionem, ſolos nominis, ſacrorum, familiæq; heredes retinuerat domi, minor ferme duodecim annos natus, quinq; diebus ante triumphum, maior quatuordecim annorum poſt triumphum deceſſit.* Sacrorum, inquam, familiarium, id eſt, quæ ſacra Laribus domi fiebant, vt ego interpretor. Ideo & Lares etiam, Geniales Dii dicti, quod veluti nobiſcum geniti, & nos genitos tueantur, ob idque Euclides Socraticus duplicem omnibus hominibus appoſitum eſſe genium ſcripſit, ſeu duos Lares, alterum bonum, alterum vero malum, hoſque coli, bonum ſcilicet, vt tueatur, malum, vt mala arceat. Quod & Luc. Florus videtur ſentire, vbi de Bruto, cui malus Genius apparuit. Hos etiam Penates appellauere, hoc eſt, penes nos natos. Sic Virgilius, de Ænea:

*Ilium in Italiam portans, victosq; Penates.*

IVL.

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Et Seuirum turmis equitum Romanorum iam Conſulem deſignatum creauit, edente cum collegis ludos Seuirales, adſedit.*

DVumuiri, triumuiri, quartumuiri, quinqueuiri, ſeptemuiri, decemuiri, vigintiuiri, centumuiri, paſſim in libris à ſcriptoribus priſcis literis mandati. At *ſeuiros* ſeu *ſexviros*, raro admodum apud eoſdem obſeruamus, nec minus *ludos ſeuirales*. Cic. 3. *de Nat. Deorum*, Sexprimos nominauit, inquiens, L. Albenium ex agro Piceno chirographum Sexprimorum imitatum eſſe. Qui, neſcio, an hi fuerint, quos Feſtus præfectos ſexuiros dictos tradit. Plutarchus per initia vitæ Camilli, Sexuiros fuiſſe ex numero tribunorum militum videtur affirmare. Seuiros autem turmis equitum Romanorum non alibi, quod meminerim, quam hoc loco, obſeruaui. Cælius Rhodiginus *lib.* 21. *cap.* 31. corrupte apud multos codices, *Seuerum*, non *ſeuirum*, legi adnotauit, & *ſeuirum* præfectum equitum hoc loco interpretatur, ſed ſobrie ſane. Amplior Turnebi expoſitio *lib. Aduerſ.* 25. *cap.* 19. ait enim: *Seuiros interpretor, qui equitibus ſex claſſium præerant, vt vnicuiq; claſſi ſuus eſſet, illisque, vt opinor, ducibus equites menſe Quintili tranſuehebantur.* Libro vero 11. cap. 9. ita ſcribit: *Sex erant Romanorum equitum decuriæ: Rhamnenſes, Tatienſes, Luceres, primi ſecundiq;. Erant enim primi Luceres, & ſecundi, ac ſic quoq; Tatienſes & Rhamnenſes geminati erant. His qui præerant, ſeuiri vocabantur, ac in inſcriptionibus antiquis ſeuirum equitum Romanorum reperimus, vt in hac:*

TRIB. MIL. LIB. LEG. VII. GEM. TELIC. VI. VIRO EQVIT. ROM.

*Et in illa:*

X. VIRO STLITIB. IVDIC. VI. VIR. EQVIT. ROM. TVRM.

Sententiam Turnebi ego quidem haud improbo, ſed tria in ea potiſſimum deſidero; nempe, antiquarum inſcriptionum fidem, & vbi locorum viderit & legerit, ne ſui capitis eſſe, & ab ipſo confictas quis exiſtimet; præſertim quum ſeuira-

ſeuiratum longe nobiliſſimam & principem dignitatem ex hoc loco colligamus, quam fuerit tribunatus milit. vel decemuiratus, litibus iudicandis, quibus cum ſeuiratum coniunxit. Secundo vellem, vt ſuam interpretationem Liuii firmaſſet authoritate, qui *lib.* 1. ita ſcribit: *Eodem tempore & centuriæ tres equitum conſcriptæ ſunt, Rhamnenſes à Romulo, ab T. Tatio Tatienſes appellati, Lucerum nominis & originis cauſa incerta eſt.* Et rurſus: *Tarquinius equitem ſuis maxime deeſſe viribus ratus, ad Rhamnenſes, Tatienſes, Luceres, quas centurias Romulus ſcripſerat, addere alias conſtituit, ſuoq́; inſignes relinquere nomine. Id quia inaugurato fecerat Romulus, negare Actius Næuius inclytus ea tempeſtate augur, neq; nouum conſtitui, niſi aues addixiſſent, poſſe.* Et paulo poſt: *Neq; tum Tarquinius de equitum centuriis quicquam mutauit, numero tantum alterum adiecit, vt mille DCCC. Equites in tribus centuriis eſſent.* Poſteriores modo ſub iiſdem nominibus, qui additi erant, appellati ſunt, quas nunc, quia geminatæ ſunt, ſex vocant centurias. Tertio optarem, ipſum non Decurias equitum, ſed centurias (quod Liuius facit) nominaſſe, quod fit etiam, vt ſuſpicer merito de fide poſterioris inſcriptionis ab eodem allatæ, in qua non *centuriæ*, ſed *turmæ* ipſe legit. Seuirales ludos interpretor, quia ſeuiris ederentur, quos ex ſeuirum placito extitiſſe varios cenſeo, nec magis hos, quam illos.

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Poſt hac Fauſtinam duxit vxorem, & ſuſcepta filia, tribunitia poteſtate, addito iure quintæ relationis donatus eſt, atq; imperio extra vrbem proconſulari, &c.*

ADrianus Turnebus *Aduerſ. lib.* 21. *cap.* 18. interpretatur ius quintæ relationis fuiſſe, vt vno in Senatu, qui hoc iure potiretur, de quinque rebus referre poſſet in eo, id eſt, proponere quinque res ſeu cauſas diſcutiendas aut conſultandas. Cælius Rhodiginus *lib.* 22. *cap.* 10. ius quintæ relationis exponit, vt quinquies ſuper re iam iudicata referre ad Senatum poſſet, qui eo iure vtebatur, præiudiciis nihil officientibus; Quam & nos confirmare poſſumus ex Cicerone,

cerone, *in oratione pro domo ſua*, vbi legimus: *Referre rem iudicatam.* Horum præclariſſimorum virorum ſententias haud improbare auſim, magis tamen rationi conſonam illam Rhodigini puto, quam & ſequutus eſt Paſius, vt interim omittam Alciati opinionem iampridem ab aliis exploſam. Verum & nos aliam interpretationem proponimus, non vti prædictis anteferendam, ſed ad docti lectoris ingenium excitandum. Illud profecto vti manifeſtiſſimum propono, illos qui aliquid in Senatu, aut ad populum referebant, id ſemper feciſſe, vt propoſitæ rei ſeu cauſæ confirmationem & aſſenſum obtinerent. Vnde apud Ciceronem, *reijcere iudices*, oppoſitum illius, quod eſt *referre iudices*, in oratione pro Planco obſeruamus. Et qui rem aliquam referebat, illius ſententiæ ſe authorem & aſſertorem profitebatur. Sic Cicero *in oratione poſt reditum ad Quirites*, ait: *Mihi in ſententia ſimpliciter referenda fides non deerit.* Sic ſæpe apud Tacitum, vti lib. 12. Annal. *Pallantem eius relationis repertorem ediderat Cæſar.* Et libro decimotertio: *Non ideo aut Conſules mutauere relationem, aut Thraſea deceſſit ſententia.* Et rurſus: *Licere Patribus, quoties ius dicendæ ſententiæ accepiſſent, quæ vellent expromere, relationemque in ea poſtulare.* Itaque qui referebat in Senatu, non ſolum proponere dicebatur, ſed & ſuo voto confirmare propoſitam ſententiam.

Quibus ſic ſe habentibus, ius quintæ relationis puto interpretari poſſe illud fuiſſe, vt qui eo potiretur, ſententiam referens ſuam, non ſimplex votum proferret, ſed quinque votorum authoritatem haberet, ita vt in renuntiando decreto illius ſententia quinque aliorum votis æquipolleret. Ita & noſtris temporibus in Iudicum Senatu, Præſidis votum; nam ſi in re iudicanda diſcrepantes iudices æquas in partes diuiſi fuerint, cui parti illius votum adhæreat, pro ea ſententia refertur. Sic in Imperatoris electione æque diſſidentibus Electoribus, Bohemiæ Rex, cui adhæſerit parti, Imperatorem eligit; cum itaque Reipublicæ temporibus referre ad Senatum proprium eſſet Conſulum, aut eorum, quibus cogendi Senatus erat poteſtas, & propoſitiones,

ſitiones, quæ relationes dicebantur, Senatorum ſententiis determinarentur, ſimplexque eſſet vnicuique Senatori ſuffragium; ſic procedentibus temporibus, & Reipublicæ ſumma ad Imperatores delata, Auguſto, vt Dion ſcribit, quandocunque Senatus haberetur, ius tertiæ relationis permiſſum honoris gratia. Sic Pertinaci quartæ relationis ius. Et M. Antonino Philoſopho quintæ relationis, Capitolino auctore *in illius vita*. Lampridius de Alexandro Seuero: *Vt & patris nomen, & ius proconſulare, & tribunitiam poteſtatem, & ius quintæ relationis. deferente Senatu, vno die aſſumeret.* Vopiſcus in Probo: *Decerno igitur P.C. votis omnium concinentibus, nomen Cæſareum, nomen Auguſtum, addo Proconſulare Imperium, Patris patriæ reuerentiam, Pontificatum maximum, ius tertiæ relationis, & tribunitiam poteſtatem.* Sed quum nulli ſecundæ relationis ius vnquam permiſſum legamus, cur id minime factum ambiginus. Pythagoram duo feciſſe principia memoriæ proditum eſt, vnitatem ſcilicet, & dualitatem, hanc malorum, illam bonorum omnium exordium, & cauſam eſſe dicebat, & ex conſequentibus numeris parem deficientem & imperfectum demonſtrauit, imparem vero plenum & perfectum. Homerus & ipſe vnitatis naturam in bona quidem portione, in mali vero dualitatem conſtituit; nam bonum ἔννεα ſæpe dicit, & ἑνάδα illius affectum, & econtra δυάδα vocat afflictionem & vexationem, & ſuperis imparia quidem ſemper attribuit, inferis vero paria: Nam apud eum Neſtor immolat ἔννεα ταύρους, Achilles vero Patroclo paria offert omnia. Hinc & illud Virgilianum:

*Numero Deus impare gaudet.*

Quum itaque ſuperſtitioſa illa antiquitas parem numerum abominaretur, quumque ius relationis alicui Imperatori multiplicauit, parem numerum euitauit, ob id Auguſto ius tertiæ, non ſecundæ relationis detulit. Hanc noſtram ſententiam confirmat Capitolinus, qui ius quartæ relationis Pertinaci decretum, illi ominoſum & breui exitium portendiſſe ſcribit. Statuamus itaque ius tertiæ vel quintæ relationis, nil aliud fuiſſe, quam quod illius ſententia, cui id

ius

ius decretum erat, tribus vel quinque Senatorum relationibus ſeu ſententiis æquipolleret: nam in hoc ſenſu relationem à ſententia nil aliud differre putamus, niſi quod ſententia proponentis in Senatu aliquid ad conſultandum non ſimpliciter dicebatur ſententia, ſed relatio, propoſitio, inquam, cum proponentis voto. Alii vero ordine quodam rogabant, vt ſuam depromerent ſinguli ſententiam, & ideo primus rogatus dicebatur primæ ſententiæ Senator. Capitolinus in Maximo & Balbino: *Referente Conſule de aliis rebus, qui primam ſententiam erat dicturus, ſic orſus eſt*. Et Trebellius Pollio in Piſone 20. Tyranno: *Aurelius Fuſcus Conſularis primæ ſententiæ, qui in locum Valeriani ſucceſſerat, ait*. Vopiſcus in D. Aurel. *Tunc ſurrexit primæ ſētētiæ Vlpius Syllanus, atq; ita locutus eſt*. Et iterū: *Quibus recitatis, Aurelianus Tacitus primæ ſentētiæ Senator, ita locut⁹ eſt*. Et in Tacit. *Princeps Senatus recte Auguſtus creatur; Primæ ſententiæ vir recte Imperator creatur*. Et in Probo: *Poſt hæc Mālius Statianus, qui primæ ſententiæ tūc erat, ita locutus eſt*. Liuius lib. 37. *Ibi C. Liuius, is enim eſt primus rogatus ſententiam*. Et Suet. in Aug. c. 35. *Sententias de maiore negotio non more neq; ordine, ſed prout libuiſſet, prærogabat*. Idem in Iul. Cæſ. c. 21. *Ac poſt nouam affinitatem Pompeium primum rogare ſententiam cœpit, quum Craſſum ſoleret, eſſetq; conſuetudo, vt quem ordinem interrogandi ſententias Coſſ. Kal. Ian. inſtituiſſent, eum toto anno conſeruarent*. De re hac plura apud Gell. *lib. 4. cap. 10. & lib. 14. c. 7*. Quum hæc ſcripſiſſemus, incidimus in lectionem annot. M. Vertranii ad Tacitum, viri quidem doctiſſimi, eumque ſententiam eandem ac nos amplexum, maxima cum voluptate cognouimus.

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Ob hoc Antoninus Pius, quum ſibi adſſe ſenem videret, vocatis amicis & præfectis, vt ſucceſſorem eum Imperij omnibus commendauit, atq; firmauit, ſtanteq; ſigno æquanimitatis, Tribuno dato, Fortuna aurea, quæ in cubiculo eſſe ſolebat, ad Marci cubiculum tranſire iuſsit.*

ADuerſ. *lib. 25. c. 18*, hunc locum explicans Turnebus, inquit: *Interpretor ab eo ſignum quod dam geſtu manus vel cor-*

 poris

*poris datum fuiſſe, quo ſignificabat, ſe æquo animo de vita migrare, neq; ſe mortem grauiter ferre.* Andreas Tiraquellus *in ſuis annot. in Genialia Alex. lib. 4. cap. 2.* ſignum æquanimitatis interpretatur ſigillum Imperatorium, quo in ſuis literis deſignandis vtebatur. Ego certe miror doctiſſimos viros adeo lapſos in re ſane plana. Nam Imperatores ſuæ Prætoriæ cohortis Tribunis ſignum cuſtodiæ dare ſolitos paſſim obſeruamus, & clare apud Sueton. *in Caligula, cap. 56.* vbi ait, Caium Chereæ tribuno cohortis prætoriæ ſignum depoſcenti, vt eum mollem & effœminatum denotaret, Priapum aut Venerem dare conſueuiſſe; Signum autem huiuſmodi erat, quod noſtro æuo dicunt *dare il nome*, aut, *il contraſegno*, quod ſcilicet fieri ſolet, ne milites excubantes ab aliquo decipiantur: namque ſi quis aduenerit, nec nomen, quod tribunus ſeu quicunque militibus præeſt, illis ſecreto dedit, interpellatus reſponderit, tunc dolus aut inſidiæ præſupponuntur. Et *cap. 58.* Sabinum alterum ex coniuratis tribunum, ſubmota per conſocios Centuriones turba ſignum more militiæ petiiſſe, & Caio Iouem dante, *Cheream*, exclamaſſe, *accipe ratum.* Ita Suetonius in Nerone, cap. 9. *Primo etiam Imperij die ſignum excubanti tribuno dedit, Optimam matrem.* Virg. 7. Æneid.

*It bello teſſera ſignum.*

Sillius lib. 5.

*Tacitum dat teſſera ſignum.*

Liuius lib. 7. *Cæteris omnibus teſſeram dari iubet.* Appianus *libro 2. bell. ciuil.* tradit, in caſtris D. Cæſaris, *Venerem genitricem*, ſignum datum. In Pompeii Magni, *Herculem inuictum.* Et libro 3. in Pompeii Iunioris, *Pietatem.* Hircius in bello Africano, Cæſarem ſignum Felicitatis dediſſe ſcribit. Brutum Apollinis ſignum in Philippis dediſſe, teſtatur Plutarchus *in illo.* Xenophon *lib. 3.* Cyrum dediſſe ſignum Iouem ſeruatorem; quamuis hæc poſteriora ſigna bellica potius dicenda, quam cuſtodiæ excubiarum. De qua re plura apud Vegetium *lib. & cap. 7.* Ex his colligitur, ſenſum verborum Capitolini eſſe, Antoninum Pium, quum vitæ finem adeſſe videret, ſucceſſorem Imperii M. Antoninum Philoſophum

phum omnibus commendaſſe, ſtatimque æquanimitatis ſigno tribuno dato, Fortunam auream, quæ in cubiculo ſolebat eſſe, ad Marci cubiculum tranſire iuſſiſſe. Si itaque commendauit & iuſſit, non ideo geſtu manus vel corporis ſignum dedit, quod pariter in Antonino Pio per hæc verba refert idem Capitolinus: *Tertia die, quum ſe grauari videret, M. Antonino Rempublicam & filiam præſentibus præfectis commendauit, Fortunamq; auream, quæ in cubiculo Principum poni ſolebat, transferri ad eum iuſſit, ſignum tribuno æquanimitatis dedit.* Sed quæſo, cur ſignum tribuno potius, quam præfectis, aliive principaliori, ſi de annulo intelligamus, & qualis facies æquanimitatis in eo inſculpta? Dedit itaque ſignum Imperator ille optimus extremo vitæ tempore ſignum Tribuno æquanimitatis, quaſi innueret, ſe ſucceſſorem, qui eſſet æquo animo, qualis ipſe extitiſſe profitebatur, derelinquere; ad quem auream fortunam, Imperii poſſeſſi velut indicium, deferri voluit. In hunc ſenſum Ælius Spartianus in Seuero: *Iuſſit deinde ſignum tribuno dari, Laboremus: quia Pertinax quando in Imperium adſcitus eſt, ſignum dederat, Militemus.*

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO,

*Atq; hanc totam legem de aſſertionibus firmauit.*

ASſerere in libertatem eſt liberum ſe profiteri, ſeque in libertatem vindicare. Vlpian. *l. non ſolum*, §. *final. D. de iniur.* Et, *Aſſerere ingenuitati*, dicit Saturninus *l. 2. D. ſi quis ingen. eſſe dicatur.* Itaque aſſerere in libertatem, eſt vindicare in libertatem, & affirmare aliquem ſeruum creditum eſſe liberum, cuius rei exempla paſſim habentur. Econtra vero aſſerere in ſeruitutem, eſt aliquem, qui pro libero ſe geſſit, tanquam ſeruum ſuum vindicare. Liuius lib. 3. *M. Clodio clienti negotium dedit, vt virginem in ſeruitutem aſſereret.* Et aſſertor libertatis vindex dicitur Paulo, *lib. 5. Sen. tit. 1. & 33 in fin.* & Donato *in Terent. Adelph.* Aſſertio vero eſt libertatis cauſæ iudicium. Et aſſertoriæ lites, *l. 1. C. de aſſert. toll.* Et apud M. Fabium *lib. 5. cap. 2.* de ſecunda aſſertione verba facientem: Et Plautus in Curcul.

*Memento promiſiſſe te, ſi quiſquam hanc liberandi cauſa manu aſſereret,*
*Mihi omne argentum redditum iri.*

Hinc & lex de aſſertionibus, qua ſcilicet cauebatur, ne liberi pro ſeruis haberentur, nec ſerui pro liberis, quam legem totam firmauit M. Ant. Philoſophus, iubens in vrbe apud Præfectos ærarii Saturnii, vnumquemque ciuium natos liberos profiteri, per prouincias quoque tabularios in eundem vſum publicos inſtituens, apud quos idem de Originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarii, vt ſi forte aliquis in prouincia natus, cauſam liberalem, id eſt, libertatis diceret, teſtationes inde ferret, quibus omnis lis dirimebatur, & lege de aſſertionibus firmabatur, quæ antea quam id prouiſum eſſet, variis iudiciis agebantur. Ioan. Baptiſta Egnatius *in ſuis annotat. in Capitolinum*, tradit, ſimile S.C. ad nobilitatis aſſertionem Venetos ſanxiſſe, vt ſcilicet quicunque patricius liberos genuiſſet, ad Pub. Aduocatores, qui præſens eſſet, intra octo dies, qui abſens, ad ſex menſes profiteretur. Vnde poſtea & ætatis & natalium aſſertio peti poſſet.

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Prætorem tutelarem primus fecit, quum ante tutores à Conſulibus poſcerentur.*

EX Capitolini aſſertione non leuis oritur difficultas, ſiquidem conſtat ex Liuio, *lib.39.* Tutores olim non à Cõſulibus, ſed à Tribunis & Prætore dari ſolitos, dũ inquit: *Tutore à Tribunis, & Prætore petito, &c.* Quod pariter apud Iuriſtas legimus *in l. prætor, & l. nec mandante, §.1. & 2. eod. titul. & l.1. C. de offic. prætor.* Vnde Vlpianus *cap. Inſtit.* 11. prætorianum tutorem dixit, quod à prætore vrbis dari conſueuiſſet. Sicuti & tutores Iulianos vocauit ibidem, qui ex lege Iulia & Titia dabantur mulieribus & pupillis in prouinciis à Præſidibus. Non ergo à Conſulibus. Huic obiectioni & difficultati ſatisfacere poſſe putamus, ſi dicamus, quum M. Antoninus Philoſophus ad Imperium peruenit, Conſules

dare

dare conſueuiſſe tutores, (quamuis id munus olim eſſet vrbis prætoris) qui quum Reipublicæ aliis multis negotiis implicarentur, ſtatuit idem Marcus, vt eos hac moleſtia liberaret, vt particularis prætor crearetur, qui tutelaris diceretur, tutorem, quum opus eſſet, daret, & de tutelaribus cauſis cognoſceret.

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Fiſco in cauſis Compendij nunquam iudicans fauit.*

Compendii verbo, lucrum, quæſtum & vtilitatem ſignificari, iuris interpretes docent *in l. duo ſocietatem,* 71. *§ duo, D. de calumniat. l. Iulianus, D. ſi quis omiſſa cauſa teſt. & alibi ſæpe in Pandect. l. iudices. C. de anno. & tribu. lib.* 10. *l. cum virum,* 16. *C. de fideicommiſſ. in § duobus.* In eadem ſignificatione hoc verbo vſus eſt Cic. vti in Offi. *Is ſe negat omnino facturum compendij ſui cauſa, quod non liceat.* Et in orat. pro Q. Rabirio: *Siquando me vis peierare, vt paululum tu compendij facias, paratum fore ſcito.* Et in orat. pro Flacco: *Is vberrima re turpe compendium effugit.* Et in Verr. *Ciues, qui merces ſuppeditant cum quæſtu compendioq́;.* Et ad Herenn. *Duæ res ſunt, quæ poſſunt homines ad turpe compendium commouere, inopia & auaritia.* Et iterum: *Multi leue compendium fraude maxima commutauerunt.* In eadem ſignificatione hac voce Tibullus vſus eſt:

*Nec vagus ignotis repetens compendia terris,*
*Preſſerat externa nauita merce ratem.*

Capitolinus in Pertinace: *Alimentaria etiam compendia, quæ nouem annorum ex inſtituto Traiani debebantur, obdurata verecundia ſuſtulit.* Vopiſcus in Aureliano: *Vellemus quidem ſingulis quibuſque deuotiſſimis Reipubl. viris multo maiora deferre compendia.* Amm. Marcell. *lib.* 21. vbi de Iuliano tonſorem interrogante verba facit, ita habet: *Interrogatus tamen ille, quid haberet ex arte compendij. vicenas diurnus reſpondit annonas, totidemq́; pabula iumentorum, & aureum ſtipendium graue.* Et lib. 28. vbi de Himetrio Africæ Proconſule verba facit: *Integrum compendium ad ærarium Principis miſit.* Et lib. 30. *Si hæc ante ingemiſcenda compendia comperiſſet.* Suetonius in Vitellio, c. 2. *Cuius*

*filius ſectionibus & conſuturis vberius compendium nactus.* Liuius lib.9. *Addebat alacritatem, quod Dictator prædam omnem militibus edixerat, nec ita magis publica, quam priuatum compendium in hoſtem acuebat.* Feſtus *lib.4.* & Varro *lib.4. de lingua Lat.* hoc verbum deriuatum putant à veteri æris penſandi ritu. Cui opponitur diſpendium. Erit itaque Capitolini verborum ſenſus, M. Antoninum Philoſophum in cauſis, in quibus agebatur de fiſci intereſſe, nunquam illius compendio fauiſſe, hoc eſt, illius vtilitati minime ſtuduiſſe.

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Multi autem ferunt, Commodum omnino ex adulterio natum, ſiquidem Fauſtinam ſatis conſtat apud Caietam conditiones ſibi & nauticas & gladiatorias elegiſſe.*

IOan. Baptiſta Egnatius *in ſuis annot.* interpretatur, Fauſtinam M. Antonini vxorem ſectatam bene mentulatos, Cælius Rhodiginus *lib.17. cap.29.* exponit, Fauſtinam apud Caietam bene naſatos, ac mutoniatos, ſeu draucos conquiſiuiſſe, qui laſtautum agerent valide. Verum vt ingenue, quid ſentiam, fatear, exiſtimo hanc explicationem magis coniecturalem & voluntariam, quam alicui authoritati innixam. Qua de re ego potius expono, Fauſtinam ſibi elegiſſe conditiones nauticas & gladiatorias, id eſt, coniunctiones Venereas cum nautis & gladiatoribus, quæ interpretatio authoritatibus fulciri poteſt. Siquidem Feſtus: *Conuenta* (inquit) *conditio dicebatur, quum primus ſermo de nuptiis & earum conditione habebatur.* Et apud Iuriſconſultos conditio ſponſaliorum & nuptiarum coniunctionem ſignificat, *l.19. in Vlp incip. qui libertos, D. de ritu nupt.* Ita Seneca *lib. Controuerſ.* ait, conditionem nuptiarum illi inueniam, quum alio nullo modo poſſet. Et apud Liuium *lib.3.* legimus de Icilio: *Virginius* (inquit) *viderit de filia, vbi venerit, quid agat, hoc tamen ſciat, ſi ipſe huius vindiciis ceſſerit, conditionem filiæ quærendam eſſe. Appius namq; Decemuir, dum Virginiam puellam ardentius deperiret, eam ſeruam dicebat, vnde ab illo vindiciæ ſecundum ſeruitutem decretæ ſunt, quibus ſi Virginius puellæ pater ceſſiſſet, Icilius ſponſus ait,*

*git, aliam conditionem filiæ quærendam eſſe*, hoc eſt, aliud matrimonium ſeu coniunctionem. Hinc ſcribit Caius *l.2. de diuort.* in renuntiatione ſponſalium his verbis vſos antiquos: *Conditione tua non vtar.* In eundem ſenſum Cicero *in Philippicis* inquit: *Filiam eius ſororem tuam eieciſti, alia conditione quæſita*, hoc eſt, alia muliebri coniunctione. Ita & apud Lampridium interpretor, quum inquit, Heliogabalum emiſſarios habuiſſe, qui ei bene naſatos perquirerent, eosque ad aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui poſſet. Et paulo infra: *Lauacrum publicum in ædibus aulicis fecit, ſimul & palam populo exhibuit, vt ex eo conditiones bene naſatorum hominum colligeret*, id eſt, coniunctiones carnales & inhoneſtas. Nam hoc verbum modo in bonam, modo in malam partem ab authoribus accipi obſeruamus. Suetonius in Cæſare, capite vigeſimo ſeptimo: *Ad retinendam autem Pompeij neceſſitudinem ac voluntatem, Octauiam ſororis ſuæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit, ſibiq; filiam eius in matrimonium petijt, Fauſto Sullæ deſtinatam*; vbi in bonam partem. In malam autem apud eundem *in Auguſto, capite ſexageſimo nono*, quum ſcribit, conditiones quæſitas per amicos, non de nuptiis, ſed de ſtupris intelligendum. Ita & Terent. in And.

*Accepit conditionem, deinde quæſtum occipit.*

Et Cic. pro Cælio: *Habes hortos ad Tiberim, quo omnis iuuentus natandi cauſa venit; Hinc licet conditiones quotidie legas.*

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Et quum per Aegyptum Bucolici milites grauia multa feciſſent, per Auidium Caſſium refuſi ſunt.*

CÆlius Rhod. *lib. 27. c. 2.* Ruſticos milites interpretatus eſt. Turnebus *lib. Aduerſ. 25. c. 18.* inquit: *Bucolici milites erant Aegyptij, paſtorinam vitam colentes, ſi nomen ſpectes, ex eo loco, qui Bucolia dicebatur: vallis autem erat, vt ſcribit author Aethiopicon, quæ Nili exundationes receptabat, immenſa in medio altitudine, extremis in paludem degenerationibus, re vera tamen latrones*

*erant, non paſtores.* Egnatius *in Annotationibus* Turnebo conſentit; nam inquit: *Bucolici milites ſic appellati à regione Bucolia latronum receptaculo, vt author eſt Heliodorus Aethiopicon lib. 1.* Vtraque ſententia confirmari poteſt. Prior Rhodigini, eo quod paſtores coniuraſſe aliquando, & militaſſe, obſeruamus apud Liuium, *lib.* 39. & apud Tacitum, *Annal.* 4. vbi de tumultu ſeruili excitato à Tito Curtiſio ita legimus: *Mox poſitis propalam libellis, ad libertatem vocabat agreſtia per longinquos ſaltus, & ferocia ſeruilia.* Bucolica autem paſtorum & armentariorum genus à cuſtodia boum, quæ præcipua animalia apud ruſticos ſunt, non eſt qui ignoret; vnde & Virgilii Bucolica dicta, & Bucolicon carmen. Secunda & ipſa confirmari poteſt, quum paulo infra dicat idem Capitolinus, M. Antoninum latrones Dalmatiæ atque Dardaniæ milites feciſſe, ergo & latrones illos Ægyptios milites iure appellatos. Verum quum Bucolicos milites per Ægyptum multa grauia feciſſe dicat, hoc loco puto intelligendum de latronibus, quorum Egnatius & Turnebus meminere, qui dicti Bucolici à Bucolia regione, quæ & ipſa forte ſit vocata voce Græca, quod à ruſticis, paſtoribus & armentariis incoleretur, qui etiam & prædatoriam artem exercerent, loci & ſitus munimento confiſi.

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Verum Cæſarem, execto ſub aure tubere, ſeptennem amiſit, quem non plus quinque diebus luxit, conſolatusq́; etiam medicos, actibus publicis ſe reddidit.*

LÆuinus Torrentius *in ſuis Comment. ad Suetonium in Auguſto, cap* 4. non *medicos*, ſed *amicos* legendum contendit, inquiens: *Quis enim medicos conſoletur? Aut quæ medicorum in actibus publicis functio eſt?* Qua in re doctiſſimum virum hallucinatum putamus: namque tumores poſt aures, aut ſub auribus, Medici *Parotidas* vocant, difficilis curationis eſſe fatentur omnes, & ſi non recte tractentur, ſæpe mortem afferre, omnibus medicinam profitentibus receptum eſt; Quum itaque Medici Vero Cæſari ſeptenni huiuſ-

huiuſmodi tumorem ſecuiſſent, illud, quod plerumque vſuuenire norunt medicinam facientes, mortis culpa in illos facile reiici poterat, quod ſcilicet puero tenello intempeſtiue tumorem ſecuiſſent, quam non ſolum non admiſit M. Antoninus, ſed eos conſolatus eſt, qui dolebant, non modo optimi Principis orbitatem, ſed & male audiebant, ſe mortis ſecutæ criminari, qua moleſtia eos leuare conatus eſt optimus Imperator, illos ſolando; Itaque conſolatio non à medicis aliena, vti Torrentius cenſuit, quem præterea nimis oſcitanter textum legiſſe exiſtimandum, quum inquit: *Quæ medicorum in actibus publicis functio eſt?* Non enim verba Capitolini actibus publicis ad medicos referenda, ſed ad Imperatorem, ait enim: *Conſulatuſque etiam medicos, actibus publicis ſe reddidit*, hoc eſt, poſt quinque dierum ſpatium, quibus filium luxit, ad munia publica ſe contulit.

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Armauit & Diocmitas, emit & Germanorum auxilia contra Germanos.*

EX Ammiano Marcellino, *lib.* 27. qui milites eſſent Diocmitæ, colligimus, ibi enim ſcribit: *Adhibitis ſemiermibus paucis, quos Diocmitas appellant.* Vnde Turnebus *lib. Aduerſ.* 25. *c.* 18. ſcribit: *Diocmitas arbitror fuiſſe homines leuiſſimæ armaturæ, vel ſemiermes potius, qui ad fugientes perſequendo ipſa leuitate habiles eſſent*; Nos vero arbitramur ſemiermes fuiſſe ab Ammiano dictos, quod ſcilicet ſolis armis ad offenſionem paratis eſſent inſtructi, nullis vero ad defenſionem facientibus munirentur. Ob id Capitolinus ait, M. Antoninum eos armaſſe, hoc eſt, armis, quibus corpus muniretur, inſtruxiſſe. Cur vero Diocmitas appellarint hujuſmodi milites, à nemine hactenus declaratū legi. Forte ita appellauere ἀπὸ τοῦ Διὸ, quod eſt *ideo*, καὶ ἀκμήτης, quod eſt, *infatigatus*, ſeu *indomitus, & in vigore exiſtens*; quod ſcilicet, quia inermes eſſent, quo ad corporis tutelam, propterea eſſent infatigati, vel à δύο, hoc eſt, *duo*, & μίτος, quod eſt *filum*, ſeu *licium*, quod ſcilicet armarentur duplicibus pannoſis ſeu lineis indumētis, inuicem conſutis, ad corporis defenſionem, quos, vt tutiores redderet,

M. Antoninus armauit ferreis teguminibus, vel æreis, & ideo ſemiermes dicti, quia licet armarentur tegumine illo, quo ad materiam, ex qua parabantur, parum ad corporis tutelam faciente, ſemiermes dici iure poterant. Illud profecto minime ſilendum, ne ſimilitudine vocis quis forte decipiatur, apud Q. Curtium *de geſtis Alexandri libro quinto*, legi, milites Dimachas his verbis: *Itaque delectis equitum ſex millibus, trecentos, quos Dimachas appellant, adiungit. Dorſo hi grauiora onera portabant, cæterum equis vehebantur, quumque res & locus poſceret, pedeſtris acies erat.* Hos Diocmitas minime fuiſſe, ſatis conſtare exiſtimamus, quod aliqui credidere, mendum in Q. Curtio eſſe putantes, quod Dimachæ grauioribus armis armarentur, ex Iulio Polluce *lib. 1. Onomaſticon c. 10.* econtra vero, Diocmitæ ſemiermes erant, nullis, vel ſaltem leuibus armis induti, vt diximus.

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Et multi nobiles bello Germanico, ſeu Marcomanico, imo plurimarum gentium, interierunt, quibus omnibus ſtatuas in foro Vlpio collocauit.*

FOrum Vlpium idem eſſe cum foro Traiani, quod & forum Neruæ & tranſitorium appellatum exiſtimamus. Vlpium vero dictum, quod Vlpius Traianus Imp. extrui cœptum à Domitiano, ampliauit & ornauit, ſicuti & Traiani eadem de cauſa, & Neruæ quoque; Nam Traianum à Neruą adoptatum illius nomen retinuiſſe, quod plerique alii fecere, ex illius numiſmatibus clare patet. Neruam enim ipſum, qui per annum & menſem tantum imperauit, hoc forum extruxiſſe nullus ſcriptor literis mandauit, econtra Traianum id feciſſe plures recenſent. Eundem autem & tranſitorium dictum conſtat ex Suetonio *cap. 5.* vbi illum forum extruxiſſe ait, quod nunc *Neruæ* vocatur. Id etiam colligimus ex Eutropio, qui in Domitiani vita, recenſens illius opera, enumerat forum tranſitorum. Clarius vero Lampridius *in Alexandro Seuero*, inquiens: *Statuas coloſſeas, vel nudas, pedeſtres, vel equeſtres Diuis Imperatoribus in foro D. Neruæ, quod tranſitorium dicitur, locauit.* Euſebius & ipſe in Chronicis, Domitiano imperan-

imperante forum tranſitorium excitatum ait, atque ita dictum, quod ad tria pateret tranſitus. Domitianum itaq; eum extruxiſſe primum arbitramur, eum vero ampliorem reddidiſſe Traianum, poſita ibi columna illa inſigni, quæ adhuc integra Romæ cõſpicitur, ob id Neruæ, Traiani, & Vlpium poſtea dictum, quum antea tranſitorium appellaretur, quod tribus illis nominibus & prænominibus D. Traianus eſſet inſignitus. Nunc in octaua Vrbis regione ponit Petr. Victor. Illud ſane nonnihil difficultatis facit, quod idem Capitolinus paulo ante dixit, M. Antoninum auctionem feciſſe rerum aulicarum in foro D. Traiani; Et paulo poſt, ſtatuas in foro Vlpio collocaſſe, quæ diuerſitatem quandam arguere videntur. His tamen non obſtantibus, à priori ſententia non recedo.

## IVL. CAP. IN M. ANT. PHILOSOPHO.

*Et Iuuenum nobilium ſacra Serapidis à vulgaritate Peluſiæ ſubmouit.*

SErapim Deum apud Ægyptios coli ſolitum, paſſim apud authores obſeruamus. Vnde Martialis:

*Iſæum Seraphim, Nilus veneratur Oſirim.*

Et Tacitus lib. Hiſt. 4. *Monitu Serapis Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit*, vbi de Ægypti Alexandria verba facit. Peluſium autem Ægypti clauſtra vocauit Liuius *libro* 44. Et Mart. in Xeniis:

*Accipe Niliacam Peluſia munera gentem.*

Et Virgil. 1. Georg.

*Nec Peluſiacæ curam aſpernabere lentis.*

Et Peluſiana mala legimus apud Columel. *lib.* 5. *cap.* 10. Vnde Peluſiotæ populi Peluſium habitantes. Nos autem ſuperſtitioſiſſimos fuiſſe ex Plutarcho obſeruamus, vt qui cæpas non comederent, quod ſolæ ex cunctis oleribus contra Lunæ incrementa & decrementa vices augendi & diminuendi habeant contrarias. Proinde Hieronymus *contra Iouini.* inquit: *Impelli ſe vates Peluſiotes, vt manducet cæpas.* Huius Dei cultum olim ex Ægypto Romam receptum, mox Piſone & Gabinio Conſulibus reiectum, teſtatur Tertul-

Tertullianus *in Apologetico*. Verum & rurſus introductum ex hoc loco colligimus, eiuſque ſacra celebrata, vti vulgo Peluſii fieri ſolebant à iuuenibus nobilibus, quæ ſubmouit M. Antoninus; Namque Ægyptiorum ſacra, Iudæorumque, ac alia externa, ac ceremonias ab Vrbe pellendas ſemper ſtuduerunt Romani, vt Seruius in illud Virgilii *lib. 7. Aeneid.* adnotauit.

*Necdum etiam geminos à tergo reſpicit angues,*
*Omnigenumque Deum monſtra.*

Inquiens, *ideo monſtra dicit, quia ſub Auguſto necdum Romani Aegyptia ſacra receperant.* Ex his patere puto, quid Peluſiæ vulgaritas (quod ſe ignorare fatetur Egnatius *in Annot.*) ſignificet, qua voce, *vulgaritate* ſcilicet, ſane infrequenti, vſus eſt Capitolinus, hoc eſt, popularitate, & cõmunitate, ſeu communi vſu; ſic & *vulgariam* pro *vulgarem* Næuius & Turpilius dixere, ille *vulgariam facilitatem*, hic *temeritatem vulgariam.*

## IVL. CAP. IN PERTINACE.

*Nam pater eius tabernam coactilitiam in Liguria exercuerat.*

IOan. Baptiſta Egnatius *Coactiliariam*, & ex Florentino *Coactilia* interpretatur inſtrumenta viatoria ſicut pelles, quibus inuoluuntur veſtimenta, loraque quibus hæ pelles conſtringi ſolent; A cogendo autem, id eſt, à ſtringendo *Coactilia* dicta putat, vnde *taberna Coactiaria*; verum quantum ipſe aberrauerit, & cum eo Oldendorpius, & Spiegelius eandem ſententiam ſequuti, ex infra dicendis patebit; Nam Coactilia ex Vlpiano, *l. argumento 25. §. Ariſto. D. de aur. & arg. leg.* veſti cedunt; Dicebantur autem Coactilia ad differentiam earum, quæ ex liciis, ſeu filis, quibus in telis textrices implicant ſtamina, fiebant. Vnde trilicem vel bilicem dicimus veſtem, quæ ex duobus vel tribus liciis conſtat. Coactilia vero diuerſimode erant compacta ex villis craſſioribus, quibus in ſimul coactis fiebant veſtimenta, ſeu tegumenta, Galli & Itali *Feltri* vocant. Ita Plinius lib. 8. cap. 48. *Lanæ* (inquit) *& per ſe coactæ veſtem faciunt.* Et in libello *de re bellica ad Theod.* ita legimus: *Hoc enim veſtimenti genus, quod de coactili ad menſuram*

*menſuram & tutelam pectoris humani conficitur, de mollibus lanis, timoris ſolicitudo ſolertia magiſtra compoſuit.* Hanc ſententiam ſecutus eſt Prateius in ſuo Iuris Lexico, quæ etſi docta ſit, attamen, quod ad præſentis loci declarationem pertinet, nihili facienda; Nam *coctilitiam* legendum, non *coactilitiam*, vel *coactiliariam*, vt alii, clare conſtat ex his, quæ per initia vitæ Pertinacis idem Capitolinus ſcriptum reliquit; ait namque, Heluium Succeſſum Pertinacis patrem, filium Pertinacem appellaſſe ex continuatione lignariæ negociationis, quod pertinaciter eam rem gereret. Si itaque Pertinacis pater cõtinuauit lignorum negociationem, neceſſario ſequitur legendum *coctilitiam*: cui lectioni aſſentitur Baifius *ad d. §. Ariſto*, teſtimonio etiam eiuſdem Vlpiani, *l. ligni, in fi. D. de leg. 3.* de ligno cocto diſputantis; Inter ligna enim igni deſtinata (*γαύσιμα* Græci dicunt,) cocta recenſentur, id eſt, bene exſiccata, & arida, quæ fumum non faciant, vel ſaltem modicum, *ἄκαπνα* Græcis. Sic enim apud Galenum eo nomine ligna omnino arida pluries appellantur. Hanc lectionem ſequutus eſt quoque Cœlius Rhodiginus, *lib. 15. cap.* 18. male tamen Pertinacis patrem *materiarium* appellans, namque materiarius is eſt, qui ligna ad ædificia ſuppeditat. Plaut. in Milite:

*Si non nos materiarius remoratur, quod quidem opus eſt,*
*Noui indolem veſtri ingenii, cito erit parata nauis;*

Vnde etiam materiarius faber, lignarius faber appellatus, & fabricam materiariam, id eſt, lignariam dixit Plinius lib. 7. c. 53. *Fabricam materiariam Dædalus, & in ea ſerram & aſciam inuenit.* At Pertinacis patrem non fabrum lignarium fuiſſe, ſed lignorum ad ignis vſum negotiatorem, ex ipſomet Capitolino manifeſtum fit; & ideo exercuiſſe tabernã coctilitiam, id eſt, emiſſe, & vendidiſſe ligna ſicca ad coquendum apta, & in quoſcunque ignis vſus adhibenda. Huic noſtræ interpretationi fauet Trebellius Pollio *in D. Claudio*, vbi habet: *Ligni quotidiani pondo mille, ſi eſt copia, ſin minus quantum fuerit, & vbi fuerit, coctilium quotidiana battila quatuor.* Ligna enim quotidiana intelligo, quæ in quotidianum vſum recenter exciſa parantur, coctilia vero, ligna exſiccata.

IVL.

# IVL. CAP. IN PERTINACE.

*Et Chirodotas Dalmatarum, & Cirratas militares, purpureaſq; Chlamydes Græcanicas atque Caſtrenſes & Cuculli Bardiaci.*

SVperius dixit Capitolinus *in Vero*, illum obtecto capite cuccullione vulgari viatorio, nocte vagaſſe per tabernas & lupanaria. Et Cato de re ruſt. c. 2. *Quo opera per imbrem fieri potuerint, nouos fieri centenos, cucullioneſve, familiam oportuiſſe ſarcire.* Ex quibus patere poteſt, cucullos Bardiacos fuiſſe capitis tegmina, vel ſaltem veſtis genus, cui cucullus in ſuperiori parte annecteretur, vnde & monachi hodie eadem ratione cucullati appellantur. Columella lib. 2. cap. 8. *Cultam veſtitamque familiam magis vtiliter, quam delicate habeat, munitamque diligenter à vento, frigore pluuiaque, quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel ſagis cucullis.* Et Martialis libro 5. epiſt. 14.

*Illinc cucullo proſpicit caput tectus.*

Et Iuuenal. Saty. 3.

*Contentuſque illic Veneto, duroque cucullo.*

Et iterum:

*Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos.*

Quales vero eſſent cuculli Bardiaci, & cur ſic dicti, indagandum. A Bardo *bardiacum* deriuatum fatentur omnes; Bardus autem Nonio appellatur hebes ingenio, & ſtultus, *βάρδιστος* enim Græcis *tardus* dicitur. Vnde Homerus *Iliad. 4. ἵπποι βάρδιστοι.* Feſto quoque ſtultus & tarditate ingenii dicitur. Et Cic. pro Cæc. *Nimis audacem nimiſque bardum* ſcripſit. Et lib. de Fato, *Zopyrus Phyſiognomon ſtupidum eſſe Socratem & bardum dixit.* Ex qua huius vocis, *Bardi* ſignificatione, forte aliquis bardiacos cucullos deriuatos exiſtimare poſſet, quum & noſtris temporibus moriones, ſtulti & fatui, qui Principum deliciæ ſunt, cucullati incedant. Verum aliunde petendam deriuationem huiuſmodi exiſtimamus. Ammianus Marcell. *lib. 15.* inter Gallos enumerat Bardos, quos fortia virorum Illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantitare tradit. Eoſdem à ſtudio Philoſophiæ, vaticina-

vaticinationibus, & carminibus laudatos inprimis, Strabo *libro* 4. Diodorus Siculus *libro 6. cap. 9.* ſcriptum reliquere. Et de his intelligendum puto in Iuuenale *Saty.16.* illud:

*Bardiacus iudex datur hac punire volenti.*

Nempe Gallicus Bardus, non militaris, vti Turnebus interpretatur, *lib. Aduerſ.23. c.25. & lib.26. c.24.* nullam addens ſuæ interpretationis rationem. De his Luc. *lib.1.* ſcripſit.

*Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.*

Et Mart. lib.4. Epigr.4.

*Laſſi Bardiaci os quod euocati.*

Hos autem Bardos cucullo vſos exiſtimandum, vnde cuculli Bardiaci; ex quo forte euenit, vt poſterioribus temporibus poetæ cucullati fingantur: Sic Petrarchæ & Dantis imagines pictæ & ſculptæ cucullatę viſuntur. Gallos itaq; cucullis vſos ex dictis conſtat, nec non etiã ex Iuuenale ſcribente Saty. 8.

——— *Si nocturnus adulter,*

*Tempora Santonico velas adoperta cucullo.*

Et Martiale lib.14. Epigram.128.

*Gallia Santonico veſtit te Bardo cucullo.*

Santones autem populos Galliæ eſſe nemo inficiatur. Lamprid. in Heliog. *Tectus cucullione mulionico, ne agnoſceretur.* T. Pollio in D. Claudio: *Bardo cucullum vnum.* in Epiſt. Galeni, vbi de muneribus Claudio miſſis verba facit. Erunt itaq; Cuculli Bardiaci Capitolino, Cuculli Gallici, id eſt, quibus Galliæ populi vtebantur. Sicuti aliud veſtis genus à Dalmatis ſupra *in Commodo*, & hoc in loco Dalmaticas vocauit, & Chlamydes Græcanicas, à Græcis.

## IVL. CAP. IN PERTINACE.

*Cirratas militares & Chlamydes Caſtrenſes.*

IOan. Baptiſta Egnatius legendum putat *citratas*, & eas veſtes intelligendum, quas Feſtus citroſas ideo appellari dixit, quod in modum citri formatæ eſſent, hoc eſt, virgatæ, vt ipſe opinatur. Rectius fortaſſe *cetratas*, hoc eſt, in ſcutorum morẽ, quos cetras dixere, quib. Hiſpani armabãtur, in bello, picta & contexta, quam & ſcutulatã vocatã alibi demonſtrauimus, vbi de cetra, vnde milites cetrati dicti Liuio, *libro* 41.

& Cæla-

& Cæſari *lib.1.belli ciuilis.* Ego veſtes cirratas fuiſſe puto, quæ ex cirrato panno, laneo, ſerico, vel aureo confectæ eſſent. Pannos laneos, cirratos, id eſt, circinos, ſeu cirros habentes, noſtris etiam temporibus vſui eſſe videmus, laneos nempe, & quibus lectorum præcipue fiunt cooperimenta, & centones, & quibus etiam inuoluuntur nautæ, & alii viles pauperesque homines. Sericus vero & aureos cirratos, id eſt, cirros habentes non ſolum, ſed & cirros ſuper cirros in diuitum & principum vſus, quis ignorat? Huiuſmodi autē fuiſſe cirratas veſtes, de quibus Capitolinus meminit, exiſtimo, eas vero vocaſſe etiam militares, quod illis potiſſimum vterentur in bello; tum quia magis aptæ eſſent ad cœli iniurias arcendas, tum etiam, quod ictibus cæteris melius reſiſterent, à cirro ita appellatas. In eodem enim ſenſu dixit Cirratos Cic. *pro Seſtio*, & Perſius:

*Tene ciratorum centum dictata fuiſſe,*
*Pro nihilo pendas?*

Et Ammianus Marcell. *lib.*14. à cirris fœminas cirratas ſcripſit. Has cirratas veſtes militares Lampridius in Alexandro vocauit Chlamydes hirtas, hoc eſt, villoſas & piloſas, ſeu ſetoſas, niſi forte in eo differentes, quod villos minime retortos & in cirros plicatos hæ haberent; Chlamydes enim veſtes militares fuiſſe, ex hoc etiam Capitolini loco conſtat, qui chlamydes caſtrenſes nominat. Nonius Marcellus *lib. de genere veſtimentorum*, inter militares veſtes chlamydem enumerat. Et Virg. 8. Æneid.

——*Ipſe agmine Pallas*
*In medio chlamyde & pictis conſpectus in armis.*

Et Plautus ad ornatum militis ait opus eſſe chlamyde, machæra, & petaſo. Iulius Pollux quoque inter apparatus militares numerat Chlamyda. Quamuis & Regium indumētum fuiſſe purpuream Chlamydem colligamus ex Eutropio *lib.* 10. *c.* 29. vbi de Diocletiano Imperatore loquens, ait: *Nam prius in Chlamyde purpurea Imperii inſigne tantum erat.* Suidaſq; ipſe author eſt, à Numa Romanorum Rege Chlamydem repertam. Et ipſemet Lampridius paulo infra de Alex. *Vſus eſt ipſe Chlamyde coccina ſæpe.* Inſuper & inter puellaria veſtimenta

menta Chlamys recenſetur ab Vlpiano, *in l. veſtis, D. de auro & arg. leg.* quod pariter confirmat & Nonius Marcellus ex Catone *lib. de puellis ornandis*, inquiens: *Vt puellæ habeant potius in veſtitu Chlamydas.* Quamuis & idem Cato lib. citato Chlamydem etiam fœminis adultis tribuat, vnde Virg. quoquẽ *lib. 4. Æneid.* de Didone ſcribit.

*Sydoniam picto Clamydem circundata limbo.*

## IVL. CAP. IN PERTINACE.

*Vaſaq; eluto auro, ebore, argento, citroq; compoſita, atq; etiam Phallouitroboli ex materie eadem, & vaſa Samnitica.*

PHallouitroboli vocem quis exacte interpretatus fuerit, adhuc ignoro. Ego ex tribus Græcis dictionibus compoſitam exiſtimo, & *Phalouyttoboli* legẽdum; nam facile fuit errare ſcriptori vel impreſſori, ex ſimilitudine, loco *T, R*, appoſita, φαλλὸς enim, teſte Suida, Priapum ſignificat, ſeu virile membrum pudendum, βύτλος pudẽdum muliebre, βολὴ vero iactus, percuſſio, ictus; fuiſſe itaq; Phallouyttouolos exiſtimo, congreſſus pudendorum vtriuſque ſexus formatos ex ebore, auro, citroque, quos variis formis à Commodo excogitatos formandos inuenerat libidinoſiſſimus Imperator, exemplo Tiberii, qui, *ex Suetonio in illo, c. 43.* Sellariam excogitauit, monſtroſoſq; cõcubitus, ſpintrias triplici ſerie connexos inuicem ſe inceſtantes, cubiculaq; habebat diſpoſita tabellis laſciuiſſimarũ picturarum, libriſq; Elephanticis inſtructa; Monſtroſis quoque libidinibus oblectatum Neronem, ex Suet. *in illo, cap. 28.* habemus; ab his, ne turpiſſima libidine infectus Commodus ſuperaretur, & ipſe, ad excitandas libidinis illecebras, conformauit ex varia precioſa materia figuras monſtroſarum libidinum, quas Phallouyttouolos appellauit. Quod magis confirmari poteſt, quum ſtatim addat Capitolinus, eundem habuiſſe vaſa Samnitica calfactandæ reſinæ ac pici, diuellendis hominibus, ac leuigandis, id eſt, ad depiles faciendos, vt molliores & pulchriores viderentur, cui rei Veneris ſtudioſi incumbere potiſſimum ſolent. Huic noſtrę explanationi fauent verba textus, enarrantia auctionem rerum Commodi à Pertinace factam.

## IVL. CAP. IN CLODIO ALBINO.

*Quum rarum eſſet Aquilas in his locis videri, in quibus natus eſt Albinus, ſeptima eius diei hora conuiuii, quod celebritati pueri deputabatur, quum ei nomina fierent, ſeptem Aquilæ paruulæ de nidis allatæ ſunt.*

SI verborum ſeriem ſequamur, in quibus ſeptem aquilarum, & ſeptimæ horæ fit mentio, videtur exponendum, fieri nomina, id eſt, die luſtrico, in quo nomen pueris indi ſolere alias fuſe demonſtrauimus, ſeptimo quidem die; ſed quum numero plurali nomina dicat, non nomen ſingulari numero, hæc forte interpretatio minus recipiéda; attamen, ſub generali ſignificatione nominis non ſolum nomen, ſed & prænomen, cognomen, & agnomen contineri affirmare poſſumus. Vnde iure optimo numero plurali *nomina* dixiſſe. Verum quum de conuiuantibus verba faciat Capitolinus, in conuiuiis mos erat antiquis ſortiri, qui conuiuantibus præſidens nomina daret, id eſt, leges, quæ ex Varrone, vti docet Cœl. Rhodig. *lib.28.c.6.* nomina vocabantur, forte interpretari poſſumus locum hunc, quod quum in conuiuio, quod celebritate pueri fiebat, leges à Rege conuiuii darentur, allatæ ſunt ſeptem Aquilæ paruæ, &c. verum quum leges huiuſmodi, *Nomi*, non *nomina* dicantur Latinis, nec iſta expoſitio placet. Facere nomen, Iuriſtis eſt in tabulas referre, quod alicui debeatur, & debitum in ſe contrahere, & ſe debitorem conſtituere. Vlp. l. 2. ff. de proxenetis: *Si proxeneta interuenerit faciendi nominis, quaſi mandator non tenetur, quia hic magis monſtrat nomen, quam mandat, tametſi laudet nomen.* Senec. in princ. lib. 1. *Non eligimus dignos, quibus tribuamus, ſed nomina facturi, diligenter in patrimonium & vaſa debitoris inquirimus.* Idem lib. 2. *Quidam volunt nomina ſecum fieri, nec interponi Pararios, nec ſignatores aduocari, nec chirographum dari.* Apud Columellam *libro & cap. 3.* facere nomen cum vineis, eſt facere ſupputationem redditus vinearum. Quibus ſic ſe habentibus, dicimus, quod quum in conuiuio, quod pueri celebritate agebatur, conuiuæ nomina facerent, id eſt, ſe debitores cõſtituerent muneris quod puero aſſignabant, ſeptẽ aquilæ

paruulæ

paruulæ de nidis allatæ ſunt; Nam & noſtris temporibus ſimilis mos inoleuit in nuptiarum conuiuiis, præſertim apud Germanos, vt ſcilicet quicunque inuitati conuiuio aſſident, munus aliquod ſponſæ ſeu nuptæ dent, cui officio obeundo non ſemel nos à Sereniſſimo Principe noſtro, non tantum in Germania, ſed & in Italia deſtinati fuimus, idque muneris expleuimus ſumma cum liberalitate. Ita & in ſolemnitate pueri recenter nati olim factum coniiciendum, præſertim ex hoc Capitolini loco. Harum expoſitionum quam maluerit candidus lector recipiat.

## IVL. CAP. IN CLODIO ALBINO.

*Acceſſit omen, quod quum ruſſulis faſciolis pueri eius familiæ alligarentur, quod forte lotæ atque vdæ eſſent ruſſulæ faſciolæ, quas mater prægnans parauerat, purpurea matris alligatus eſt faſcia.*

RVſſulas diminutiuum à *Ruſſo & Ruſſeo* eſt. Apud Plin. mentio eſt Ruſſæ ſeu Ruſſatæ aurigæ. De quo forte Iuuenalis *Saty.* 7. & non de milite, vt alii credidere:

*Parte alia ſolum Ruſſati pone lacertæ.*

Trebellius Pollio *in Claudio* 2. inquit: *Tunicas Ruſſas militares annuas.* Et Vopiſcus in Aureliano: *Tunicas ducales Ruſſas quatuor.* Quibus in locis perperam Turnebus *Aduerſ. lib.* 30. *cap.* 21. Phœniceas interpretatur, quod ex hoc Capitolini loco facile conuincitur; nam Phœniceus color, ſeu vt ipſe voce Græca inquit, *φοινιξὶς*, purpureum eſſe adeo manifeſtum eſt, vt nulla prorſus indigeat probatione. At hic felicis ominis loco acceptum ait Capitolinus, quod C. Albinus non ruſſulis faſciolis, quod eius familiæ proprium erat, eo quod lotæ, madidæ eſſent, ſed purpurea matris illigatus eſſet faſcia, vnde illi nutricis ioco *Porphyrii* nomen inditum; nam *πόρφυρα* Græcis, *purpura* Latinis eſt. Vnde Ouidius:

*Et Porphyriacis figere labra genis.*

Quare Ruſſeum ſeu ruſſulum alium eſſe à purpureo colore, clare patet. Ruſſeum autem nos arbitramur colorem fuiſſe eum quem nos ſimilitudine vocis retenta, vulgo *Roſſo* dicimus, id eſt, rubeus, cuius diminutiuum *ruſſulus*, id eſt, minus rubens, qualis à roſæ colore nobis vulgo dicitur

*Roſato*. Plures enim rubei coloris adnotat differentias Gellius *lib.2.c.26.* inquiens: *Quippe ruſus color à rubore quidem appellatus eſt, ſed cum aliter rubeat ignis, aliter ſanguis, aliter eſtrum, aliter crocus, has ſingulas ruffi varietates Latina oratio ſingulis, propriiſque vocabulis non demonſtrat, omniaque iſta ſignificat vna ruboris appellatione, quum tamen ex ipſis rebus vocabula colorum mutentur, & igneum aliquid dicit, & flammeum, & ſanguineum, & croceum, & oſtrinum, & aureum. Rufus enim color, & rubeus nihil à vocabulo ruſi differunt, neque proprietates eius omnes declarant*, ξανθὸς καὶ πυῤῥὸς καὶ ἐρυθρὸς καὶ φοινικὸς, *ſcilicet habere quaſdam diſtantias coloris ruſi videntur, vel augentes eum, vel remittentes, vel miſta quadam ſpecie temperantes.* Ex quibus Gellii verbis noſtram firmari Interpretationē palam exiſtimamus. Ruſſeas autem, ſeu Ruſſas tunicas militares & Ducales Trebellius & Vopiſcus non ſemel appellauere, quod huiuſmodi tum milites tum Duces vterentur, nō modo honoris cauſa, ſed ne ſanguis è vulneribus, in bello forte manans, veſtis colorem minime mutans, eos deterreret, vel hoſtibus vires adderet & ferociam. Ob quam cauſam & eiſdem Perſas vſos, teſtantur Plutarchus *in Artaxerxe*, & Xenophon *Pædia Cyri libro 6.*

## IVL. CAP. IN CLODIO ALBINO.

*Quod interim à te publicari nolo, ne aut ad ipſum Papirium, aut ad eius affectus perueniat.*

AFfectus, ſeu affectiones proprie ſunt animi paſſiones, quos Græci πάθη, Poetæ pro deſiderio quandoq; accipiunt, quæ ſi rectæ ſunt, virtutes, ſi econtra, vitia appellantur, qua in ſignificatione hoc in loco minime accipi poſſe manifeſtum eſt. Quare quum præter has & alias notas ſignificationes obſeruarem & apud Iuriſconſultos affectus accipi pro liberis, *l. ſanctos, 26. de Decur. lib.12. C. Theodo.* in eam inclinabam ſententiam, per affectus intellexiſſe Capitolinum Papirii filios, quibus intererat ſcire, vel neſcire, à M. Aurelio Antonino in locum patris ſemianimis Albinum Conſulem ſuffectum. Verum quum apud eundem Capitolinum legerem: *Affectus ſuos vnice dilexit, filium & nepotē vltra morem, filiam & neptem religioſe.* Et apud eundem in Maximino Patre: *Quare milites*

*milites timentes, quorum affectus in Albano monte erant, medio forte die, quum à prælio quieſcentem Maximinum & filium eius, quieſcentes in tẽtorio poſitos, occiderunt.* Et apud Vulcatium Gallicanum: *Nec tamen Antoninus grauiter eſt iratus, nec in eius liberos aut affectus ſæuitum, &c.* dubio procul cẽſui, per affectus hoc loco intelligendum non ſolum filios, ſed & vxorem, alioſque dilectione vel agnatione aut affinitate Papirio coniunctos, per quos nolebat Antoninus eundem, ſi conualuiſſet, ſcire, à ſe illi Albinum, ſi deceſſiſſet, in Conſulatu ſuffectum. Sic apud Tacitum *Annal.14.lib.* lego: *Neque coniugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſueti, orbas ſine liberis domos relinquebant*; *Non enim,* ait, *Legiones vniuerſæ deducebantur cum Tribunis & Centurionibus, & ſui cuiuſque ordinis militibus, vt conſenſu & charitate Remp. efficerent, ſed ignoti inter ſe diuerſis manipulis ſine rectore, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repente in vnum collecti, numerus magis, quam colonia.* Sic intelligendus locus Ammiani Marcellini *lib.*16. dum inquit: *Inter hæc Helena, ſorori Conſtantii Iuliani coniugi Cæſaris Romã affectionis ſpecie ducta Regina tunc inſidiabatur,* affectionis enim intelligẽdum *affinitatis*, nam erat Helenæ Regina Conſtãtini vxor fratria. Idem affectus etiam vocauit charitatis, vti lib.20. *Charitates noſtræ Alemannis denuo ſeruient.* Et iterum: *Charitates eius cum re familiari intacta publico curſus vſu permiſſo ad Orientem redire tutius imperauit.* Et *lib.*23. de Perſis verba faciẽs, multitudine pellicũ ſolutis in Venerem ait: *Vnde apud eos per libidines varias charitas diſperſa torpeſcit.* Et lib.24 *Reliqui vero cum charitatib. ſuis & ſupellectile humiliore cultu ad Syriacam ciuitatẽ Chalcida tranſmiſſi ſunt.* Et iterũ: *Animabat autem exercitũ Iulianus, quũ non per charitates, ſed per inchoatã negotiorum magnitudinem deieraret aſſidue.* Idem lib.28. *Vt omnes magnitudine malorũ afflicti peremptis charitatib. propriis, proiectoq; in ignem mobilium cenſu, arſuros ſe certatim cogerent, in communem pereuntes Patriæ rogum.* Et deniq; lib.30. de Quadis: *Ancipites incertiq; accidentiũ cum ſuis charitatib. ſeceſſerunt.* Necnon idẽ Am. & neceſſitudines vocauit, vti in calce li. 21. *Prope neceſſitudines eius humandum.* Et iterum: *Et neceſſitudine omni relicta digreſſus venit ad Conſtantium itineribus citis.* Et poſtea de Valentiniano Imperatore: *Neceſſitudinibus ſuis nihil indulgens.*

## IVL. CAP. IN CLODIO ALBINO.

*Nam & quingentas ficus paſſarias, quas Græci Calliſtrathias vocant, ieiunum comediſſe dicit, & centum Perſica Campana & Melones Hoſtienſes decem & vuarum Lauicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & oſtrea quadringenta.*

VAria Ficus genera enumerat Plinius *lib.* 15. *cap.* 18. inter quæ & Calliſtrathias in hæc verba: *Et Calliſtrathiæ parum ſapore præſtantiores, Ficorum omnium frigidiſſimæ.* Athenæus Calliſtrathias Ficus reliquis præſtare omnibus in vrbe Roma ſcriptum reliquit; ſic autem appellatas à Græcis docet Capitolinus hoc in loco, vnde coniectare licet Baſſarias à Latinis dictas, eo quod ſapidiſſimæ ac dulciſſimæ eſſent, vt ex Athenæo diximus, à Paſſo, ſcilicet vino, quod ex vuis paſſis conficiebatur, teſte Varrone apud Nonium, de quo & apud Nonium, & apud Iuriſtas, Vlpianus *l.* 9. *de trit. vin. & ol. lega. & Proculus, l. vlt. eod.* quodque præſtantiſſimi ſaporis erat. Quæ vuæ paſſæ à patientia dictæ, ſi Plinio credimus, *lib.* 14. *cap.* 1. Vel paſſarias, à paſſo participio verbi pando, id eſt, expanſas, & magnas, quemadmodum, docte certe Turnebus *Aduerſ. lib.* 13. *c.* 1. apud Horat. *lib.* 2. *Sat.* 2. duplices Ficus interpretatur magnos, authoritate Virgilii ſcribentis 1. Georg.

*Duplici Dentalia dorſo.*

Et 3. eiuſdem:

*Duplex agitur per lumbos ſpina.*

Quorumque ficuum duplicium meminere Vegetius *lib.* 1. *artis Veterinariæ*, & Plinius *lib.* 20. *cap.* 6. cui interpretationi videntur verba textus accommodari, quum Capitolinus Albini voracitatem nõ modo ex numero, ſed & ex magnitudine ficuum demonſtrare voluerit. Vel etiam poſſumus addere, dictos paſſos, vti vuæ paſſæ dicuntur, tales enim maturi optimi ſunt, vel expanſi, quia in maturatione medii ſcindantur & dilatentur.

Verum etſi hæ omnes interpretationes à me excogitatæ ſuſtineri poſſint, nec à ratione ſint alienæ; Attamen ſi nomenclaturam Græcam cum Latina confero, veriorem & probabiliorem me adinueniſſe exiſtimo, ſiquidem vocem

illam

illam *Calliſtruthias* compoſitam eſſe exiſtimo ex voce κάλλιςος quod eſt *optimus*, & ϛρουθίον, id eſt, *paſſerculus*, ſeu generaliter quæuis auicula, ita vt ſenſus ſit, Latinis dictas paſſarias, eo quod illis libentiſſime auiculæ paſcantur, ipſæq; ex earundē comeſtione pinguiſſimæ reddātur, & optimæ, quod omnib. notiſſimum eſt. Quinimo ex ficuum eſitatione non ſolum auiculas, ſed & anſeres pingueſcere tradit Horat. lib. 2. c. 8.

*Pinguibus & ficis paſtum iecur anſeris albi.*

Quare ſi legamus, *paſſerarias*, forte melior erit lectio, quam *paſſarias*.

Perſica Campana quoq; fuiſſe magna & ſapidiſſima colligimus ex Plinio ſcribente lib. 3. c. 5. *Campania ora per ſe, felixq; illa ac beata amœnitas, vt palam ſit vno in loco gaudentis opus eſſe naturæ.* Iā vero tota ea vitalis, ac perennis ſalubritatis cœli temperies eſt, tam fertiles campi tam aprici colles, tam innoxii ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſyluarum genera, tot montiū afflatus, tanta frugum & vitiū olearumq; fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot optima tauris colla, tot lacus, tot amniū fontiumq; vbertas totā eam perfundens, tot maria & portus, gremiumq; terrarū cōmercio patens vndiq; & tanquā mortales iuuādos ipſa auide in maria percurrens.

Melones Hoſtienſes eiuſdem generis fuiſſe, ſcilicet vndequaque excellentes, & grandiores, ex hoc loco colligere poſſumus, quod & rationi conſentaneum nō ambigendum, ſiquidem Hoſtiam ciuitatem ſupra mare ſextodecimo milliario ab vrbe Roma diſtantem, & ab Anco Martio conditam, vt teſtatur Eutropius per initia Hiſt. Rom. in cœnoſo ſitu & præpingui ſolo, ad Tiberis oſtium, vti docuere Strabo & Dionyſius Halycarnaſſæus, ſitam, ita vt ex onerariis nauibus ibi merces in paruas nauiculas ob fundi tenuitatem tranſportare neceſſe eſſet, ad melones perexcellentes gignendos ſolum aptiſſimum, tum ex pinguedine, tum ex Tiberis aquæ humore habuiſſe, ſit dicendum.

Lauicos oppidum, & Lauicanos populos non plus 12. lapide prope Tuſculū & Algidum via Latina à Roma extitiſſe compertum eſt, ex Liuio præſertim, ſcribente libro 4. *Et nouos hoſtes Lauicanos conſilia cum veteribus iungere.* Et rurſus:

*Lauicos legati miſſi.* Et iterum: *Tuſculanis negotium datum, aduerterent animos, ne quid noui tumultus Lauicis oriretur.* Et deinde: *Nuntiabant Legati Lauicanos arma cœpiſſe, & cum equorum exercitu depopulatus agrum Tuſculanum caſtra in Algido poſuiſſe.* Et deinde: *Quum è caſtris equites renunciaſſent Lauicanos victos, magnam partem equorum Lauicos cõfugiſſe.* Et deinceps: *Senatus prius quam à Tribunis plebis agrariæ ſeditionis mentione illata de agro Lauicano diuidendo fieret, cenſuit frequens Coloniam Lauicos deducendam, coloni ab vrbe mille, & quingenti miſſi bina iugera acceperunt.* Et denique: *Captis Lauici, & tribunis militum creatis, &c.* Quod autem nobile oppidum eſſent Lauici, ex dictis patet, necnon ex eo quod Romæ fuerit porta Lauicana dicta, teſte Plinio *lib.* 36. *cap.* 5. Ibidem humatum fuiſſe Alcimum ſcribit Mart. Epigr. 47. 1. libri.

*Alcime quem raptum domino creſcentibus annis*
*Lauicana leui ceſpite velat humus.*

Eo loco quum colles aprici exiſtant, & ibi ſatas vites vuas excellentiſſimas produxiſſe, iure exiſtimandum, necnon & prægrandes, vti quas Plinius *lib.* 14. *c.* 2. Baſilicas Dyrrhachinis celebres ſcribit.

## IVL. CAP. IN MAXIMINIS DVOBVS.

*Bibiſſe autem illum ſæpe in die vini Capitolinam amphoram, & comediſſe* 40. *libras carnis.*

Maximinum bibaciſſimum fuiſſe ex eo demonſtrat Capitolinus, quod vna die ſæpe vini amphoram Capitolinam potaſſet. Amphoram ſane vinarium vas fuiſſe colligimus ex Horatio lib. 3. Carm.

*Nec Læſtrygona Bacchus in amphora langueſcit mihi.*

Et in orat. pro Font. *Itaq; Titurium Toloſæ quaternos denarios in ſingulas vini amphoras portorii nomine exegiſſe.* Ita & apud Vlp. *l.* 15. §. 4. *D. de vſuf. apud Pomp. Iulia. Procul.* pro vaſe vinario, *l.* 2. *l.* 5. *& l.* 6. *de trit. vin. & l. vlt. in fi. D. ad leg. Rhod.* Verũ non ſolũ vini, ſed & aliarũ materiarum capax & cõtinens, præſertim liquidarũ, fuiſſe amphorã habemus ex Cic. *in Verrem* ſcribẽte: *Iam non quæro vnde* C C C C. *amphoras mellis habueris.* Et Feſtus *lib.* 15. amphoram tradit vas fuiſſe cuiuis rei continendæ. Et Iuliani.

*l 206.de verb.ſignificat.* in amphoris non modo vinum, ſed & aliud abdi poſſe. Cuiuſuis autem materiæ vas fuiſſe, tradit Feſtus loco citato. Circa vero ſummam partem, gracilem, ex Catone intelligimus, quum inquit: *Amphoram defracto collo puram impleto aqua pura, anſas autem binas, alteram ſcilicet ex vtroq; latere habuiſſe, quibus capta portaretur, etymologia vocis declarat.* Sed quod magis ad rem præſentē facit, quanti ponderis vinum contineret, indagandum, qua in re varii varia dixere, recentiores ſcriptores. Angelus Politianus *lib. Epiſtol.* 10. de menſuris ſcribens ait, capere amphoram, quantum teſſera quoquo verſus in area pedum quatuor, qua in re carpitur à Budæo *lib. de aſſe* 5. qui & ipſe rem declarare longa oratione conatus, quod mēſuris Gallicis amphoram comparat, nobis ſatis obſcuram ſuam ſententiam dereliquit. Alciatus *lib. Diſpunct.* 4. *cap.* 21. ſcribit, Amphoram continere heminas 96. Vrnam heminas 48. Modium heminas 32. Congium heminas 12. Sextarium vncias 15. Heminam vncias ſeptem cum dimidio, ſicque facta computatione continebat amphora ſexaginta libras. Voluſius Metianus Iuriſconſultus *de ponderibus*, ait: *Quadrantale (quod nunc pleriq; amphoram vocant) habet vrnas duas, modios tres, ſemodios ſex, congios octo, ſextarios* 48. *heminas* 96. *quartarios* 192. *cyathos* 570. Columella *lib.* 20. *cap.* 12. ſcribit, amphoram continere vrnas duas. Feſtus ſextarios 48. Cato *de re ruſt.* inter inſtrumenta villici amphoram quinquagenariam enumerauit, hoc eſt, libras quinquaginta comprehendentem, vt ego interpretor. Alex. ab Alex. *lib.* 2. *cap.* 20. ſcribit: *Amphorarum aliæ minoris menſuræ, vt Italica, vrnarum duarum, aliæ duplo maiores, vt Antiochica, Attica trium vrnarum.* Scribit Suetonius *in Tiberio, cap.* 42. illum ignotiſſimum Quæſturæ candidatum nobiliſſimis antepoſuiſſe, ob epotam in conuiuio, propinante ſe, vini amphoram. Hunc ego fuiſſe ſuſpicor Nouellum Torquatum Mediolanenſem, de quo ſcribit Plinius *lib.* 14. *cap.* 22. eum per honores publicos vſque ad Proconſulatum prouectum, & cognominatum tricongium, tribus congiis epotis vno impetu, ſpectante miraculi gratia Tiberio Principe. Ex quibus amphoram tres congios habuiſſe

coniectare licet. In tãta ſcriptorum varietate quid certi ſtatuere non audeo, ſemper enim huius fui ſententiæ quo ad pondera, & menſuras, ac nummatiam rem antiquorum, nihil firmi decernere nobis licere, ob temporum, locorum, ac imperantium varietatem, quod & noſtris temporibus vſu venire dignoſcimus. Illud ſane ſtatuendum, amphoram Capitolinam maximam fuiſſe, de qua Priſcianus, ſeu Remus Faccinus, aut, vt alii, Rhennius Fannius author carminis *de ponderibus & menſuris*, ita ſcriptum reliquit:

*Amphora ſit cubus, quam ne violare liceret,*
*Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.*

Quem locum pulchre explicat Agricola *lib. 1. de ponderibus & menſuris.* Quamobrem Capitolinus omnium bibaciſſimum maximum fuiſſe innuens, ait eundem potauiſſe vna die tantam vini copiam, quantam contineret amphora Capitolina, omnium maxima ſcilicet, vt diximus. Notum autem & illud exiſtit, quod de Bonoſo bibaciſſimo ſcribit Flauius Vopiſcus in illius vita, qui quum à Probo ſuperatus laqueo vitam finiuiſſet, militaris iocus iactatus eſt, amphoram pendere, non hominem. Illud etiam non prætermiſerim, Xenarchum Rhodium ob bibacitatem metretam fuiſſe nuncupatum, apud Athenæum *lib. 10. cap. 12.* vbi plura de bibacibus. Metretam autem amphoræ ſpeciem fuiſſe, ſeu non multum quoad capacitatem ab ea differentem, tradunt de ea ſcribentes. Et Pollux *in 10. de vocabulis*, ait, Cratinum Comicum metretam amphoram appellaſſe.

## IVL. CAP. IN MAXIMINIS DVOBVS.

*Fuit igitur Maximinus ſub homine impuriſſimo tantum honore præditus Tribunatus, ſed nunquam ad manus eius acceſſit, nunquam illum ſalutauit, per totum triennium huc atq; illuc diſcurrens, modo agris, modo otio, modo fictis languoribus occupatus eſt.*

MAnus poteſtatem ſignificat, inde *manumiſſio*, à poteſtate liberatio eſt, Pomp. *in l. 2. ff. de orig. iur.* inquit: *Et quidem initio ciuitatis noſtræ populus ſine certa lege, ſine certo iure*

*primum*

*primum agere inſtituit, omniaq́; manu Regis gubernabantur.* Inde in manu vxoris eſſe dicebantur, hoc eſt, in poteſtate, Vlp. *ca. Inſtit. 9. & 22.* ſicque dictum ab Ouid. in Epiſt.

*An neſcis longas Regibus eſſe manus?*

Inde præſagium futuri Imperii Veſpaſiano fuiſſe, quod canis illo prandente manum humanam in triclinio intulerit, propterea ſolis Regibus extra manicas manus perferre licuiſſe, teſtatum reliquit Xenophon *lib. 2. rerum Græcarum,* Cyrumque occidiſſe Antobiſacem & Metreum, filios Dariæ ſororis Xerxis patris Darii, tradit, quod ſibi occurrentes manus intra manicas non contraxerant. Sic Seneca vſurpauit manum pro poteſtate *in Thyeſte* dicens:

*Qui vult regnare, languida regnet manu.*

In hunc ſenſum dicta Capitolini accipi poſſe videntur, quod ſcilicet Maximinus regnante Heliogabalo, nunquam ad eius manus acceſſerit, hoc eſt, nunquam in illius poteſtatem ſe tradiderit, ſed modo huc, modo illuc diſcurrens, fictis languoribus ſe occupauerit. Sed & aliter interpretari poſſumus eadem dicta; nempe conſueuiſſe principes viros antiquitus manum coniungēdam dare, vel deoſculandam in amoris & fidei ſignum, teſte Plutarcho in vita Catonis Vticenſis, eandemq; porrigi in ſignum fidei, tradente Plinio *lib. 11. c. 45.* Ex quo & illud Virg. lib. 1. Æneid.

*—— Cur dextram iungere dextra*
*Non datur?*

Et libro 3.

*Iungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus.*

Et iterum:

*Ipſe pater dextram Anchiſes haud multa moratus,*
*Dat iuueni, atq; animum præſenti pignore firmat.*

Et libro 4.

*Tum decuit, quum ſceptra dabas, en dextra fidesq́;.*

Et rurſus:

*Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,*
*Nec moritura tenet crudeli funere Dido.*

Et libro 6.

*Dat dextram miſero.*

Et

Et libro 8.

*Accepitq́ manu, dextramq́ amplexus inhæſit.*

Et iterum:

*Compellare virum, & dextram iungere dextra.*

Et paulo poſt:

——— *Iuncta eſt mihi fœdere dextra.*

Et Plautus in Mercatore:

*Vxor tibi placida & placata eſt, date dextras nunc iam.*

Ouid. in Epiſt. Phyllidis ad Demophontem:

*Iura fides vbi nunc? commiſſaq́ dextera dextræ.*

Et Liuius *lib.* 1. ſtatim poſt principium ait: *Dextera data fidem futuræ amicitiæ ſanxiſſe.* Et lib. 25. *Præſentisq́ coniungere dextram, id pignus fidei ſecum ferre.* Et lib. 26. *Inde dimiſſo conuiuio, dextris inter ſe datis.* Et lib. 30. *Data dextera in id, quod petebatur obligandæ fidei.* Et paulo poſt: *Et Scipionem recordatio hoſpitij, dexteraq́ data.* Et Statius lib. 1. Thebaid.

*Iam pariter coeant animorum in fœdera dextræ.*

Probus Æmilianus *in Themiſtocle*, & Plutarchus *in Scipione*, idem affirmant. Et Cicero *in Antoniana ſecunda*, inquit: *Quæ fidei teſtes eſſe ſolebant, perfidia ſunt, & ſcelere violatæ.* Et Vopiſcus in Aureliano: *Poſt hæc Valeriani dicta Aurelianus ſurrexit, atq́, ad manus acceſſit, agens gratias militaribus verbis.* Ex his omnibus colligere poſſumus, Maximinum ad Heliogabali manum non acceſſiſſe, id eſt, fidei illius ſe non commiſiſſe, quæ ex manus Principis oſculo vel coniunctione fieri ſolebat, impuriſſimi Imperatoris perfidiam timens, nec ſeipſum illius fidei committere auſum. Cui expoſitioni fauere videntur eiuſdem Capitolini dicta in Maximino filio, huiuſmodi: *Nam in ſalutationibus ſuperbiſſimus erat, & manum porrigebat, genua ſibi oſculari patiebatur, & nonnunquam etiam pedes*, hoc eſt, licet manum porrigeret deoſculandam vel coniungendam, nihilominus ſibi genua & pedes deoſculari patiebatur.

IVL.

## IVL. CAP. IN MAXIMINIS DVOBVS.

*Deinde ſine delicto Conſulares viros, & Duces multos interimeret, alios Scythicis vehiculis exhiberet.*

MAximini crudelitatem demonſtrans Capitolinus, ait, illum Duces multos interemiſſe, alios Scythicis vehiculis exhibuiſſe, quæ verba quid ſignificent indagandum. Certe Scythas domos nullas firmas habuiſſe conſtat, ſed curribus vſos pro tecto & lare, vti Herodotus *lib.*4. Strabo *lib.*7. tradidere. Et Iuſtinus *lib.*2. ſcribit de Scythis: *Hominibus inter ſe fines nulli, neq; enim agrum exercent, nec domus illis vlla, aut tectum, aut ſedes eſt, armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errare ſolitis.* Et Philoſtratus in vita Apollonii *lib.*7. *cap.*12. tradit, Scythas in curribus vitam degere. Cicero ob id currum ſeu vehiculum *in Tuſcul.* Scythicum tegmen vocauit. Hos autem rapidos, feroces, & dira feritate graſſantes, inquit Maternus *lib.*1. *cap.*1. Iidem peregrinos adeo inſectabantur, vt eos omni vitæ commercio prohiberent, quinimo & quod inhumanius erat, eos immolabant, teſte Herodoto *lib.*4. & Strabone *lib.*7. Apud Athenæum *lib.*12. legimus: πάντων ἀνθρώπων, εἰς οὓς ἀφίκοιντο ἠκρωτηρίαζον τὰς ῥῖνας, hoc eſt, *omnium, ad quos veniebant, nares amputabant.* Immaniſſimos denique eos fuiſſe, qui etiam mortuos deuorarent, Luciano teſte *in libello de luctu*, vel arborum truncis ſuffigerent, ſcribente Silio lib.13.

*At gente in Scythica ſuffixa cadauera truncis,*
*Lenta dies ſepelit putri liquentia tabo.*

Vnde Cicero *in Piſone*, immane facinus innuendo, inquit: *Quis hoc fecit vlla in Scythia Tyrannus?* Ex quibus omnibus patere puto huius loci claram expoſitionem.

*D.de vſufruct.l.Lucius,ff.de legat.*3. Vinum de cupa; perperam enim qui coniunctim legunt *Decupa*, & interpretantur, qui vinum minutim vendunt. Vaſa autem huiuſmodi fuiſſe magna, elicimus ex gloſſis veteribus exponentibus, *βύτλαι μεγάλαι*, comparata ſcilicet minoribus, puta amphoris, cadis & ſimilibus: nam ſi dochis, doliis ſcilicet magnis, de quibus inferius,comparemus,minora erunt dicenda. Super dolia autem firmari poſſe pontes, nemo ambigit. Sic Lucanus ait:

*Namq; ratem vacuæ ſuſtentant vndiq; cuppæ.*

Cupis enim naues in mari ſuſtinentur, quum ipſarum latera reſarciuntur. In hac ſignificatione vſus eſt Vopiſcus *in Aureliano*, inquiens: *Facta erat ratio Doche,cupparum,nauium, & operum.* Harum meminit & Cæſar *com.2.bell.ciuil.* inquiens: *Cupas tæda ac pice refertas incendunt.* Siue itaque priori ſiue poſteriori ſenſu vocem hanc accipiamus, recta erit interpretatio, poſteriori tamen ego magis aſſentior.

## IVL. CAP. IN MAXIMINO IVNIORE.

*Manſerunt autem apud eam arrhæ Regiæ, quæ tales fuerunt, vt Iunius Cordus loquitur, ex his qui harum rerum perſcrutatores fuiſſe dicuntur; Monolium de albis nouem, reticulum de Praſinis vndecim, dextrocherium cum coſtula de hyacintis quatuor, præter veſtes auratas, & omnes regias, cæteraq; inſignia ſponſaliorum.*

ARrhæ ſponſalium argumentum tradunt Iuriſtæ; *l.ſi quis,*18.*D.de rit.nupt.l.*3.*C.de ſponſ.lib.*5. Vnde arrhæ ſponſalitiæ dictæ munera, quæ ſponſis dabantur, quaſi coemptionis futuræ prærogatiua, quæ reſtituebantur, quum ſine culpa eius, qui ea dederat, nuptiæ impediebantur; amittebantur autem, ſi qui ea dediſſet, renuebat contrahere matrimonium, *l.*3. *& fin.de ſponſal. & arrhis.* Hæc autem vox à Græco fonte fluxit, *ἀῤῥαβῶν* enim appellantur à Suida, vnde non modo arrham, ſed arrhabonem dixere Latini, præſertim Iuriſtæ; & pro obſide etiam arrhabonem acceperunt, vti cōſtat ex M.Catonis verbis, apud Gell.*lib.*17.*c.*2. & apud Terent.

Terent.in Heaut. act.& ſcen.3. *Reliqui filiam adoleſcentulam, & relicta huic arrhaboni eſt pro illo argento.* Vnde & arrhæ pignora quoque dicuntur, *l.vni.C.ſi rect.prou.* Tanquam igitur pignus ſponſalium & futuri matrimonii, dabantur munera ſponſæ à ſponſo, & vtplurimum annulus, quod Plinius *libro 33.cap.*1.adnotauit, & Iuuenalis *Sat.6.* dum monet Vrſidium, ne facile patiatur ſe matrimonio alligari, inquiens:

*Viderunt primos argentea ſecula mœchos,*
*Conuentum tamen, & pactum, & ſponſalia noſtra*
*Tempeſtate paras, iamq́ à tonſore magiſtro*
*Pectoris, & digito pignus fortaſſe dediſti.*

Et apud Terent.*in Hecyr. act.5. ſcen.3.* Annulus, quem dextraxerat compreſſæ Philumenæ deſponſatæ Pamphilus, inuentus in manu Bacchidis datus eidem à Pamphilo probauit matrimonium cum Philumena. Hinc eſt, quod annulus fidem arrhabonis præbeat, ita vt quæ annulos digitis defert, mulier deſponſata præſumatur, vt ait Alexand.Sum. Pont.*cap.illud,* 11.*de præſumpt.lib.2.Decretal.tit.33. can. noſtrate,* 30.*queſt.5.* Apud Hebræos annulum fuiſſe arrhæ, docet exemplum Thamaris, quæ in concubitu paſſo ab Iuda petiit ſibi dari pro arrhabone fidei præſtandæ annulum & armillam, *Geneſ.cap.*38. Ita & in caſu noſtro Maximinus filius, deſponſata ſibi Iunia Fadilla, dedit illi, Imperatoris filius quum eſſet, & futurus Imperator, arrhas Regias, quæ, eo interempto, ante conſummationem matrimonii apud illam manſerunt, monolium de albis nouem, reticulum de praſinis vndecim, dextrocherium cum coſtula de hyacintis quatuor, veſtes auratas Regias, & alia inſignia ſponſaliorum. Monolium accipit pro monili Capitolinus, minus Latine, vt adnotauit Egnatius, & Rhodiginus *lib.4.cap.7.* tradidit. Per albas vero puto intelligere, ſi non Margaritas candicantes, ſaltem adamantes albeſcentes gemmas, per praſinas vero ſmaragdos.

IVL.

## IVL. CAP. IN MAXIMINO IVNIORE.

*Nam quum eſſet Maximinus pedum (vt diximus) octo, & propè ſemis, calceamentum eius, id eſt, Campagum Regium, quidam in luco, qui eſt inter Aquileiam & Arziam poſuerunt, quod conſtat pede maius fuiſſe hominis veſtigio atq; menſura.*

CAligam fuiſſe campagum, conſtat ex ſubſequentibus eiuſdem authoris dictis, quum ait: *Vnde etiam vulgo tractum eſt, quum de longis & ineptis hominibus diceretur, Caliga Maximini.* Caligam vero militare calceamentum fuiſſe, alibi fuſe diximus. Et ex ea C. Cæſarem Germanici filium cognomen traxiſſe, *ex Tacito, lib. 1. & Suetonio*, vnde & caligata militia dicta *in l. ὀμβρον, D. de excuſat.* Campagum autem barbarum calceamenti genus hoc in loco interpretatur Rhodiginus *lib. 18. cap. 21.* Hanc ego vocem à Græco fonte deriuatam puto: eſt enim καμπὴ curuamen poplitis ſeu flexum poſt genu, ἀγὼν vero certamen, vnde campagum, hoc eſt, calceamentum militare, addidit vero *Regium* Capitolinus, vt intelligeremus, quali Reges in bello vterentur. Et cenſendum puto, fuiſſe ocream, militaris ſcilicet calceamenti genus, ex ære vel ferro ad obtegendas tibias accommodatum. Nam ſi ex alia materia corruptili, panno ſcilicet vel corio extitiſſet, vtique non diu aſſeruatum in luco, qui eſt inter Aquileiam & Arziam. Quod etiam confirmari poteſt ex Pollione ſcribente in Galieni impuriſſimi Imperatoris vita, illum gemmato baltheo vſum, caligas gemmatas annectente, quum Campagos reticulos appellaret, hoc eſt; militarem ocream æream vel ferream, reticulum appellaret, hoc eſt, ſibi fuiſſe inuiſos, quod pedes veluti rete impedirent. Et forte conſtabat ex annulis inuicem connexis; quales apud nos *maglie* vulgo dicuntur, Latinis vero hami, vnde hamatæ loricæ, Virgilio 3. *Aeneid.* Niſi forte etiam reticulos appellauit à ſimilitudine; ſicuti enim mulieres reticulum, quo crines colligebant, auro & gemmis exornabant; (vnde Iuuenalis Sat. 2.

*Reticulumq; comis auratum ingentibus implet.*

Et Trebellius Pollio *in Quieto 13. Tyranno*, Macrianorum fa-

 miliæ

miliæ mulieres in reticulis Alexandrum Magnum auro exſculptum ſemper geſtaſſe) ita & Galienus auro & gemmis exſcultos compagos haberet.

## IVL. CAP. IN GORDIANIS TRIBVS.

*Et erat quidem longitudine Romana, canicie decora, & pompali vultu, ruber magis quam candidus, facie bene lata, oculis, ore, fronte verendus, corporis qualitate ſubcraſſulus.*

POmpalis eſt vox noua & non alibi obſeruata, à pompa formata: ſicuti enim à triumpho triumphalis deriuatum, ita à pompa *pompalis* deflexit Capitolinus, vt maiori cum energia vultus Gordiani maieſtatem oſtéderet, quem ſpecioſo, illuſtri, ſplendido & faſtuoſo vultu fuiſſe colligimus; quum ſtatim ſubdat, vultu fuiſſe magis rubeo, quam candido, facie bene lata, oculis, ore, fronte verendum, ſeu, vt alii legunt, venerandum: ſicuti enim pompam obſeruamus apud ſcriptores ſpectaculorum, ludorum ſacrorum, ferculorum, nuptiarum, funerum, triumphi, magiſtratus; ita & verborum pompam rhetorum, dixit Cic. *in Tuſcul. & de Orat.* Et pompalem vultum in eodem ſenſu hoc loco dixit Capitolinus, nouo ſane, ſed non inepto ſcribendi genere. Ita & aduerbiali voce (*pompaliter*) vſus eſt Trebellius Pollio *in Galienis*, inquiens: *Mille gladiatores pompaliter ornati.* Et *in Zenobia* 29. *Tyrannorum*, comparatiuo (*pompabilius*) ita ſcribens: *Ducta eſt itaq. per triumphum ea ſpecie, vt nihil pompabilius populo Romano videretur.*

## IVL. CAP. IN GORDIANO IVNIORE.

*Domus Gordianorum etiam nunc extat, quam iſte Gordianus pulcherrime exornauit, & villa eorum via Praeneſtina, ducentas columnas vno periſtyllo habens, quarum* 50. *Caryſteæ, Claudianæ* 50. *Symnadeſ* 50. *Numidicæ pari menſura ſunt.*

INter columnas ducentum cõſtituentes periſtyllum domus Gordianorum, quinquaginta fuiſſe Caryſteas, totidem Claudianas, ſcribit Capitolinus.

Cryſtæ,

Cryſtæ, ſeu vt alii, Caryſtos, fuit inſula vna ex Cycladibus in Euboico mari, marmoris ferax, teſte Ptolemæo, *lib.3.* & Strabone, *lib.*10. vnde excidebantur & exportabantur columnæ marmoreæ, quæ Caryſteæ dictæ ſunt. Hinc Lucanus lib.5.

*Qui maris anguſtas fauces ſaxoſa Caryſtos.*

Et Seneca de eadem inſula ſcribit: *Ferax varij lapidis Caryſtos, quodq; varij marmoris columnæ inde exportarentur.*

Addidit & Claudianas, hoc eſt, quas Claudius primus Romam conuexit, quemadmodum & Plinius *lib.36.cap.2.* columnarum meminit marmoris Lucullei in atrio Scauri, à Lucullo ſcilicet ſic ob eandem cauſam dictas. Plinius *Epiſt.*101. ſcribit: *Vitem quatuor columellæ Caryſtiæ ſubeunt.* Ex quibus facile erroris conuincitur doctiſſimus Rhodiginus *lib.8. cap.16.* dum lapidem Caryſtium interpretatur ſui natura netilem, quique duci poſſet inſtar lanæ linive, ita vt ex eo conficerentur mantilia, quæ igne purgabantur, & candida reddebantur.

Quas vero vocet ſymnades columnas, neſcire me fateri non erubeſco. Forte mendum in textu, & non *ſymnades*, ſed *ſymades* legendum: nam Syma vrbs fuit in Aſia. Quin & pro monte poſuit Orpheus *in Argonauticis.* Symæ quoque inſula Straboni *lib.6.* & Plinio *lib.5. cap.8.* vnde forte Symades columnæ Romam perlatæ. De Numidico marmore plura *in Suet.* diximus.

Periſtyllum autem locus erat antiquis apertus, omni ex parte porticibus & columnis innixus & circumamplexus. Vitruuius lib.6. *Periſtyllia,* inquit, *in tranſuerſo tertia parte longiora ſint, quam introrſus, columnæ & tam alta, quam porticus latæ fuerint. Periſtylliorum intercolumnia, ne minus trium vel quatuor columnarum craſſitudine inter ſe diſtent. Item coniunguntur his domus ampliores, habētes latiora periſtyllia, in quibus partes ſunt quatuor porticus altitudinibus, aut vna quæ ad meridiem ſpectat excelſioribus. Id autem periſtyllium, quod vnam altiorem habet porticum, Rhodiacum dicitur. Habent enim domus egregia veſtibula, & ianuas proprias cum dignitate, porticusque periſtylliorum, albariis & tectoriis ex inteſtino opere lacunariis ornatas.* Suetonius *in*

*Auguſto,cap.*82.ſcribit: *Sæpe in Periſtyllio ſaliente aqua, atque etiam ventilante aliquo, cubabat.* Varro *de lingua Latina* ſcribit, periſtyllium dictum à περὶ Græca præpoſitione *circum* ſignificante,& ςύλον, quod eſt *columna*, quemadmodum quod Capitellum vulgo dicimus, Epiſtyllium vocamus, & Tetraſtyllion,& Decaſtyllion,à columnarum numero, & Pycnoſtyllium,in quo denſiores ſunt columnæ. Vitruuius libro 5.cap.11.*In palæſtris periſtyllia quadrata, ſiue oblonga ita ſunt facienda, vti duorum ſtadiorum habeant ambulationis circuitionem.* Cic.in orat.pro domo ſua ad Pontifices: *In palatio pulcherrimo proſpectu porticum cum conclauibus, pauimentum trecentum pedum cõcupiuerat, ampliſſimum periſtyllium.* Et in Verrem: *Porticus cum conclauibus, pauimenta trecentum pedum, ampliſſimum periſtyllium.* Solebant antiqui etiam tegulis vel rete periſtyllium cooperire, & tegere, & auiarium conſtituere. Varro lib.3.de re ruſt.cap.5. *Igitur teſtudo vt periſtyllium tectum tegulis, aut rete, ſit magna, in qua millia aliquot merularum aut turdorum includi poſſint.*

## IVL. CAP. IN GORDIANO IVNIORE.

*Opera Gordiani Romæ nulla extant, præter quædam Nymphæa & Balnea.*

THermas, Balnea & Nymphæa loca fuiſſe lauationibus deſtinata, munditiarum vel ſanitatis gratia, pleriſque receptum eſt, inter ſe tamen differentia, vt tradidere nonnulli, eo quod thermæ eſſent aquarum calidarum ſponte naſcentium, Balnea, vi ignis excalefactarum, Nymphæa, aquæ frigidæ. Valla *in Raudenſem,* hanc inter thermas & balnea aſſignat differentiam, quod illæ ſponte ſcaturientium aquarum ſint, hæ vero igne caleſcentium; quæ tamen non vndique vera ſunt. Nam in thermis publicis, quæ fere innumeræ Romæ fuerunt, nullæ aquæ ſponte naſcentes calidæ obſeruantur, ſed igne excalefactæ, necnon & frigidæ natura. Celeberrimæ Romæ thermæ fuere Agrippæ, ex Martiale *lib.Epigramm.*3. & P.Victore *in nona regione vrbis,* & Plinio *lib.*35.*cap.*4.& *lib.*36.*cap.*25. Neronis, de quibus Martialis

*lib.* 2.

*lib.*2.*Epigram.*48. *& lib.*7.*Epigram.*33. *& lib.*12.*Epigram.*48. & P. Victor *in regione* 9. Fuere & aliæ Veſpaſiani, quarum P. Victor in octaua regione vrbis Romæ meminit; & Titi, ex Suetonio *in illo. cap.*7. Dione *in eiuſdem vita*, & Martiale, *lib.*3. *Epigram.*20. P. Victore *in regione tertia*. Domitiani, ex Plutarcho *in Publicola*; Gordiani, ex hoc Capitolini loco; Seueri, ex Spartiano *in illo*, & P. Victore *in regione prima*. Aurelii, ex P. Victore *in ſexta regione*. Traiani & Philippi, ex eodem P. Victore *in tertia regione*, & Caſſiodoro *in Coſ. Rom.* Fuere & Conſtantini, ex Euſebio *in Chronicis Olymp.*277. Adriani, ex Victore *in nona regione*, & Vari, *in* 13. *regione*. Et etiam Diocletiani, tradente Vopiſco *in Probo*. Necnon & Commodi, ex Caſſiodoro *in Coſ.* & Euſebio chronologo, & Lampridio *in illo*. Antonini quoque Caracallæ, ex Caſſiodoro & Eutropio *in illo*. Et Decii, ex Caſſiodoro; & Poſſedonii, *in Baiano*, & Ciceronis, ex Plinio, *lib.*31.*cap.*2. Olympialis, ex Victore *in nona regione*. In huiuſmodi thermis tria, vel (vt alii) quatuor erant loca ampliora; In quorum primo erat aer calidus igne paratus, vti & noſtris temporibus in hypocauſtis, præſertim apud regiones frigidiores incolentes, fieri palam eſt. Hunc locum Laconicum appellabant, ex Gal. *lib.*10.*Meth. med.* & Celſo, *lib.*1.*cap.*4. Cicer. *ad Att.* & Plutarcho *in Alcibiade*. Græci etiam πυριατήριον & ὑποκαυστὸν dixere, Latini calidarium ſeu cella calidaria; Seneca ſudatorium appellauit. De hoc Martialis in Hetruſci thermis ad Oppianum:

*Ritus ſi placeant tibi Laconum,*
*Contentus petis arido vapore*
*Cruda virgine Martiane mergi.*

De harum ſtructura Vitruuius *lib.*5.*cap.*10. & Plinius *Epiſt. lib.*5. Ex Laconico aditus patebat ad ſecundum locum calidum, quod proprie λουτρὸν dixere, ex Gal. loco citato, hoc eſt, calidum ſolium. Tertius locus erat frigidorium vocatus, in eum vſum, teſtimonio Gal. ibidem, vt quæ fuerant excalefacta corpora refrigerarentur, ac vires denſata cute firmarentur. Quamobrem Carmes Maſſilienſis Medicus Neronis, damnatis prioribus medicis & balneis frigida

 lauari,

lauari, etiam hybernis temporibus, perſuaſit ex Plinio, *lib.29.cap.1.* Quartum addidere locum nonnulli, Tepidarium eum vocantes, quod in illo loci in aere tepido verſarentur, Apoditerium etiam vel Spoliarium alii. In Nymphæis autem vſum tantum aquæ frigidæ fuiſſe, nec minus abſurdum, ex mox ſubiiciendis palam fiet. Quamobrem ſuperiori diſtinctione omiſſa, Nymphæum alii à balneis & thermis diſtinxere, dicentes, quod in thermis, ex balneis publicis promiſcue omnes lauarentur, vel ſaltem viri duntaxat, in Nymphæis mulieres tantum; quam opinionem retulit, quamuis ex aliorum decreto, Cælius Rhodiginus *lib.28.c.27.* inquiens, mulieres cõmuni appellatione nymphas dictas à membranula *νύμφη* vocata, quæ virginitatis ſignum in primo virili concubitu illis diſrumpitur. Et ob id à mulieribus nymphis, & balnea, in quibus lauabantur, nymphæa appellata. Verum hæc ſententia multipliciter peccare conuincitur. Primum, quia authoritate Vitruuii conſtat, in thermis ſeu balneis publicis duos ordines balneares extitiſſe ſeparatos, quorum vnum mulieribus, alterum viris ſe balneantibus deſtinabatur. Namque, vt ſcribit Gellius *lib.10.cap.3.* authoritate Varronis 2. de Analogia: *Pudor non patiebatur vtrumq; ſimul lauari ſexum.* Non negandum tamen, corruptis moribus & Principum licentia, promiſcuum aliquando hominibus & mulieribus lauandi inſimul vſum fuiſſe. Quem morem vti inhoneſtum acriter inceſſere Cecilius, Cyprianus, & Diuus Hieronymus. Et hanc nefandam corruptelam vocauit Clemens Alexandrinus, qui de moribus Chriſtianis Pædagogi conſcripſit libros ſub Seuero & Antonino Principibus, in hæc verba: *Eo venere intemperantiæ mulierũ noſtri temporis, vt cœnent, & ſint ebriæ, dum lauantur. Viris autem & fœminis aperta communia ſunt balnea, ac ex eo exuuntur ad intemperantiam, ita quæ ipſæ ſuis maritis non ſe exuerint, ſimulatum pudorem probabiliter præ ſe ferentes, licet tamen aliis volentibus, eas quæ domi ſunt incluſæ, nudas videre in balneis: Hic enim ſe exuere ſpectatoribus tanquam corporum cauponibus non erubeſcunt. Quæ autem non vſque adeo pudorem exuerint, externos quidem excludunt, vna autem cum*

*ſuis*

*ſuis miniſtris collauantur, à ſeruis nudæ exuuntur, & ab eis item nudis fricantur.* In hanc thermarum licentiam non ſemel animaduerſum legimus lege Cenſoria, vt à promiſcuis abſtinerent balneis; Ne mulieres commune lauacrum haberent cum viris, repudii & dotis amiſſione periculo, quod poſtea *in l. finali, Cod. de repud.* & fortius ſancitum fuit ſubinde *in authent. de nuptiis.* Quinimo & in ſacris literis valde mulierum nuditatem deteſtari obſeruamus, vti *Ezech. cap. 16. Eſaiæ 20. & cap. 43. & Hier 4. 2. Regum, cap. 11. & Daniel. cap. 3.*

Ex his colligere poſſumus, haud veritati conſentaneum, nymphæum fuiſſe balneum mulieribus tantum deſtinatum, præſertim quum legamus apud P. Victorem, Olympiadem in Suburra, & Agrippinam thermas in mulierum lauationem inſtituiſſe, & eiúſdem generis habuiſſe trans Tiberim, Ampalidem & Priſcilianam. Vnde Propertius in ſuis Amatoriis conqueritur, non eam eſſe tum Romanis virginibus libertatem, quibus cum more Spartano ſeu Laconico publice liceret certare, & lauari. Non tamen ſcriptores vnquam hos locos *Nymphæa* appellauere. Quamobrem alii nymphæam interpretati ſunt, lacum ſeu aquas ſtagnantes, in quibus publice natarent, & lauarentur Romani, ita appellatum ab herba nymphæa dicta, quæ copioſiſſima in huiuſmodi locis naſcatur & concreſcat. Antiquiſſimum enim natandi vſum Romæ fuiſſe, & frequentiſſimum exercitationis gratia, Vegetius teſtatum reliquit. Inter exercitia etiam natatio connumerata, ita vt Ariſtoteles *in problem.* eam curſui comparauerit, & Oribaſius inter exercitationum genera eam ſtatuerit; cui aſſentitur Galenus *1. de ſanitate tuenda*, ſcribens, Romæ ſuo tempore pueros in aquis *γυμναστικὰς παιδιὰς* facere conſueuiſſe. In quem vſum M. Agrippam, vt populo placeret, centum ſeptuaginta lacus in prouinciarum formam Romæ gratuito præbuiſſe, teſtatur Plinius *lib. 36. cap. 15.* Fuit & alias conſtituta piſcina publica ſub Cliuo Capitolino, ad quam natandi cauſa populus confluebat, teſte Feſto Pompeio; Et à Nerone ſtagnum, de quo Martialis *in primis Epigramm.* quod

erat in valle Vaticana, tradente Tacito, & Ægeſippo autore Græco in D.Petri & Pauli Martyrologiis. Verum nec profecto hæc opinio recipienda, tum quia Nymphæa, alia à piſcinis, lacubus & ſtagnis fuiſſe, ex iam dictis & infra dicendis conſtabit, tum etiam, quia nec Nymphæa appellata redarguit Dioſcorides *lib.3. cap.149.* inquiens, herbam hanc Nymphæam vocatam ab aquis ſtagnantibus, in quibus frequens exiſtit, quas aquas antiqui, mutata tantummodo litera, non ſolum Lymphas ſed & Nymphas dixere. Ideo alii lacus Romæ ad natationem ſeu lauationem publice paratos Nymphæa dictos contendunt, quod ex aqua Virgine Romam deducta ab Agrippa, teſtimonio Plinii, *lib.& cap.3.* eſſent paratæ. De cuius nuncupatione ſcribit Frontinus *de aquis vrbanis*, illi ita nomen inditum, quod quærentibus aquam militibus, virguncula quædam illius venas ipſis demonſtrauit, atque iccirco ædiculam Virginis fonti appoſitam, quam poſtea Dianæ Triuiæ nomen adſciuiſſe aiunt, à triplici fonte, quibus hæc aqua concipitur. Verum nec hæc opinio cæteris iam memoratis præferenda. Quum itaque apud Amm.Marcellinum *lib.15.* legam, Operis ambitioſi Nymphæum à Marco Imperatore conditum, & apud Plinium *lib.35.cap.12.* ſtatuas fictiles ſeu lateritias in Nymphæo aſſeruatas; in eam venio ſententiam, Nymphæum locum fuiſſe Nymphis dicatum, multiplici voluptatum ac delitiarum genere locupletem. Namque ſicuti ex Nymphis alias Lympharum Deas, alias Montium, quas *Orendes*, alias Syluatum Dryades ac Hamadryades fabulata eſt antiquitas; ita illis non modo templum, ſed fontes & lacus & ſyluas dicatas eodem in loco Nymphæo ſcilicet arbitramur, necnon ſpeluncas & antra, quæ omnia Nymphis ſacrari ſolebant. Hinc Maro *Ecloga 5.* cecinit:

*Quum ſollemnia vota reddamus Nymphis.*

Et Ecloga 9.

*Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis*
*Spargeret? aut viridi fontes induceret vmbra?*

Et Ecloga 3.

*Et quo ſed facile Nymphæ riſere ſacello.*

Ita

Ita à Nymphis *Nymphais* inſula, cuius meminit Plinius *libro 5. cap.* 31. dicta, & Nymphæus fluuius, eodem authore *libro 3. cap. 5.* Et fons Nymphæus, *libro 2. cap.* 106. & Nymphæus mons, *lib. eodem, cap.* 107. *& lib. 4. cap.* 8 Et Nymphæum Promontorium, *libro 6. cap.* 27. & Nymphæum oppidum *lib. 4. cap.* 12. De Nymphæo loco celebri, idem Plinius *libro 5. cap.* 27. Huiuſmodi & locum fuiſſe arbitramur, quem Ioſephus conſtituiſſe apud Aſcalonem Herodem ſcribit. Liuius *libro* 26. vbi de bello moto à Philippo Rege inquit: *His raptim actis, memor AEtolici iunctique cum eo Romani belli per Pelagoniam & Nymphæum ex Berocamo in Theſſaliam deſcendit.*

MARCELLI DONATI

# IN ÆLIVM LAMPRIDIVM DILVCIDATIONES.

## AELIVS LAMPRIDIVS IN COMMODO.

*Iam in his artifex, quæ ſtationis Imperatoriæ non erant.*

QVID per ſtationem Imperatoriam hoc loco intelligendum ſit, indagandum putamus; lucem obſcuræ dictioni daturi. Stationẽ à ſtando actu, dictam non dubitamus, vnde huius vocis variꝫ ſignificationes omnes prodiere, & fluxerunt. Stationem ſignificare obſeruamus apud ſcriptores, locum, vbi quis ſui muneris obeundi cauſa ſe ſiſtit, veluti docendi, iudicandi, audiendi. Ita Gell. *lib.* 13. *c.* 13. ſcribit, Quæſitum eſſe memini in pleriſq; Romæ ſtationibus ius publice docentium, aut reſpondentium. Sic & Iuuenal. Sat. 2.

*Conuictus, Thermæ, Stationes, omne Theatrum.*

Eodem modo ſæpe Tertullianus ſtationes dixit loca, vbi Chriſtiani die Dominico ſtantes, ad Dominum orabant. Stationes item vocantur loca, vbi frequentes homines conuenire conſueuere, confabulandi vel animi recreandi gratia, Græcis σύςασις, & κύκλος, Latinis etiam Circulus. Plinius lib. 1. Epiſtolarum ad Senecam: *Plerique in ſtationibus ſedent, tempuſque audiendis fabulis conferunt.* Item libro 2. Epiſt. ad Apollin. *Itaque prehendo amicos, ſupplico, ambio domos, ſtationeſque circumeo.* Fuerunt & Romæ in foro Romano ſtationes municipiorum, cuius rei author eſt Victor *de vrbis Rom. regionibus,*

gionibus, in deſcribenda fori Romani regione. Et Plinius *lib.* 16. *cap.* 44. ait: *Radices eius in forum vſque Cæſaris, per ſtationes Municipiorum penetrant.* Statio quoque accipitur pro loco, in quo naues conſiſtunt tuto, & ad tempus. Sic apud Virgilium 1. Æneid.

*Statio male fida carinis.*

Et lib 4. Georg.

*Statio tutiſſima nautis.*

Et 10. Æneid.

*Frangere nec tali puppim ſtatione recuſo.*

Q. Curtius: *Cognitum id per exploratores, qui ſtationes hoſtium fuerant ingreſſi.* Et Cic. in Epiſt. *Vrbs, Portus, Statio quæ extra Vrbē ſunt.* Stationē enim à Portu Iuriſtæ diſtinguunt, Portum locū concluſum dicentes, Stationem vero Portum non concluſum. In hoc ſignificatu & ſacræ literæ Stationem aliquando accipiunt, vti Gen. 49. *Zabulon in littore maris vſq; in ſtationem nauium.* Hinc ſtationarii milites apud Paulum *l.* 4. *D. de fugitiuis*, dicti, qui in portuum præſidium locati ſunt. Liuius lib. 28. *Sed haud facile alia infeſtior claſſi ſtatio eſt.* Et paulo poſt: *Cum claſſe tam infeſta ſtatio accepit.* Et rurſus: *Viſa interdiu claſſis erat, nec ſine cauſa electa ante Vrbem ſtatio apparebat.* Et in calce eiuſdē libri: *Decem longis nauibus in ſtationem ad præſidium relictis.* Accipitur etiam ſtatio quandoque pro habitatione temporanea. Ita Cic. ad Att. *Athenis ſtatio mea nunc placet.* Et Metaphorice in Tuſcul *Vetatq; Pythagoras iniuſſu Imperatoris, id eſt, Dei, è præſidio & ſtatione vitæ diſcedere.* Et in veteri ſcriptura ſacra Eſaiæ 22. *Et expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponā te.* Ita apud Iuriſtas, l. 13. D. de vſufru. *Statio iumentorum* appellatur. Aliquando ſtatio, ſtellarum manſionem ſignificat, vnde aliæ matutinæ, aliæ veſpertinæ, Aſtrologis frequens appellatio. Quandoq; ipſos milites certo loco poſitos ſignificat, vti apud Sueto. in Auguſto, c. 32. *Graſſatores diſpoſitis per oportuna loca ſtationib. inhibuit.* Et in Tiberio, c. 37. *Stationes militum per Italiam ſolito frequentiores diſpoſuit*, & in Nerone, c. 34. *Abducta militū & Germanorū ſtatione, cōtubernio quoq; ac palatio expulit* Et in Othone, c. 6. *Sed obſtitit reſpectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur inuidia, quod eiuſdem ſtatione & Caius fuerat occiſus, & deſer-*

*& deſertus* Nero. Et in Tiberio, c.72. *Diſpoſita ſtatione per ripas Tiberis.* Sic Tertullianus in Apologet. *Latronibus inueſtigandis per vniuerſas Prouincias militaris ſtatio ſortitur.* Et Liuius lib. 31. *Nec ſtationibus ſatis firmis, quæ armatæ inermes, atque oneri intentos tutarentur.* Et lib. 28. *Hæc ſtationibus, vigiliis, omni iuſta militari cuſtodia tuta, & firma.* Et paulo poſt: *Nec vnde ab ſtationibus Punicis conſpiceretur.* Et rurſus: *Punicum præſidium metu, ne perdita Vrbs eſſet, relictis ſtationibus in vnum locum ſe colligeret.* Sicque pluries. Suidas in verbo ἱφίδρυα, ſcribit capitale fuiſſe apud Romanos aciem vel ſtationem derelinquere, in eodem ſenſu Modeſtinus *l.3. §. qui ſtationis. de re militari, in Pandectis,* qui munus ſtationis reliquerit, plus quam emanſorem eſſe dicit, & gradu militiæ deiiciendum. Ita & Plinius *lib.* 10. *Epiſt.* In ſacris paginis 1.*Regum c.*10.*&* 13.*&* 2.*Regum* 23. *&* 1.*Paralip.* in eodem ſignificatu fit mẽtio ſtationis Philiſtinorum. Nulla harum ſignificatione ſtationem à Lampridio ſumi non dubito, ſed per ſtationem intelligit, quod vulgo ſtatum, id eſt, conditionem dicimus, quo in ſenſu millies Cic. & frequens apud omnes ſcriptores vſus. Ita & Iuriſtis ſtatus perſonarum conditionem ſignificat, *tit. de ſtat. hom. & tit. de ſtatu defunct.* Vnde inſtrumenta ſtatus, quibus manumiſſio vel ingenuitas probari poteſt, *l.* 8. *ff. quod met. cauſa.* Senſus itaque verborum Lampridii erit, Commodum fuiſſe artificem in his, quæ ſtationis Imperatoriæ non erant, vt calices fingeret, ſaltaret, cantaret, ſibilaret, ſcurram denique & gladiatorem ſe perfectum oſtenderet, quæ ad Imperatoris ſtatum & cõditionem minime pertinebant, ſed Imperatoriæ dignitati, & maximę, inconueniebant. Minus apte ſane Turnebus *Aduerſ. lib.*25. *cap.* Stationem in hoc Lampridii textu locum interpretatur. Suetonius *in Vitellio, c.* 10. Imperii maieſtatem dixit, quam hic Lampridius ſtationem Imperatoriam, inquiens: *Niſi cætera magis ex natura & priore vita ſua, quam ex Imperii maieſtate geſſiſſet.*

ÆL.

## ÆL. LAMPRID. IN COMMODO.

*Coloſsi autem caput dempſit, quod Neronis eſſet, ac ſuum impoſuit.*

COloſſos vocarunt antiqui, & vocamus nos ſtatuas maiores, imo maxime naturalem hominum quamuis ingentium ſtaturam exuperantes, ex gigantis vaſtæ immanitatis ratione, veluti κόλον ὄςιν, vt refert Rhodig. *lib.* 17. *c.* 16. Scribit Plinius *lib.* 35. *c.* 7. Neronem Principem iuſſiſſe coloſſeum pingi 120. pedum in linteo, incognitum ad hoc tempus. Ea pictura quum peracta eſſet in Marianis hortis, accenſa fulmine cum optima hortorum parte conflagrauit. Si itaque Neronis coloſſus ex pictura in linteo conſtabat, quomodo ei Commodus dempto Neronis capite ſuum ei impoſuit, & quod magis refert, quomodo ſi conflagrauit Plinii temporibus, qui T. Veſpaſiano imperāte ſcripſit, quomodo eidem Commodus, qui poſt tanto tempore regnauit, potuit ſuum caput imponere, dempto alio Neronis caput repræſentante? Facile difficultas tollitur; Non enim ſolum Nero ſe pictura coloſſeum pingi voluit, ſed & ex ære coloſſeum à Zendoro illius imaginem repræſentantem fabrefactum tradit idem Plinius *lib.* 34. *c.* 7. At rurſus maior inſurgit difficultas; Nam damnatis Neronis ſceleribus, Coloſſum huiuſmodi ſolis venerationi dicatum, idem author eodem cap. tradit. Quod à Veſpaſiano factum ſcribit Torrentius, perperam tamen; Nam teſte Spartiano, ab Adriano id factū eſt; ait namque, Coloſſum ſtantem atq; ſuſpenſum per Detrianum architectum de eo loco, in quo nunc templum Vrbis eſt, ingenti molimine, ita vt operi etiam Elephantes 24. exhiberet; Et cum hoc ſimulacrum poſt Neronis vultum, cui antea dicatum fuerat, Soli conſecraſſet, aliud tale, Apollodoro Architecto authore, facere Lunæ molitus eſt. Si itaque Soli ab Adriano huiuſmodi coloſſus dicatus fuit, dempto Neronis vultu, quo pacto affirmare poteſt Lampridius Commodum, qui poſt Adrianū regnauit, dempto eidem coloſſo Neronis capite, ſuum impoſuiſſe? Conciliari poſſe horum authorum dicta exiſtimo hoc pacto; quod verba Spartiani de

Adriano

Adriano intelligenda ſunt, quod ille non dempſit caput Neronis in conſecratione, ſed tantum radios appoſuit & addidit, illum Soli ſacrans. Quod colligi poteſt ex Martiali appellante *Epigram.* 2. Sidereum coloſſum; & clarius *Epigram.* 18. *primi libri*, inquiens.

*Nec te detineat mira radiata coloſsi,*
*Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.*

Itaq; Commodus æque impius & ſceleſtiſſimus caput Neroniani coloſſi additis radiis in illius cõſecratione Soli dempſit, & ſuum impoſuit. Sed nec omittenda diuerſitas inter Tranquilli, & Plinii ſcripta; Ille enim *in Nerone, cap.* 31. hunc coloſſum 120. pedum fuiſſe tradit, hic vero cẽtum & decem tantum; Concordari tamen poſſe exiſtimo, ſi Tranquillum non de æreo coloſſo, ſed de picto verba feciſſe dixerimus, quem & 120. pedum fuiſſe idem Plinius *lib.* 35. *c.* 7. affirmat. Plures celeberrimos coloſſos recenſet idem author *lib.* 34. *c.* 7. & 8. Ante omnes autem in admiratione fuiſſe tradit Solis coloſſum Rhodi, quem fecit Chares Lyndius Lyſippi diſcipulus, ſeptuaginta cubitorum altitudinis; de hoc integrum librum ſcripſit Lugduni excuſum Gulielmus à Choult, nobiliſſimus Gallus, quem adeat curioſus lector, qui de re hac plura ſcire optat. Et obiter dicamus, à Budæo metaphorice Coloſſica onera dici adnotatum *in l. ſed addes*, quæ magnæ molis ſunt. Lampridius *in Alexandro Seuero*, Statuas coloſſas illum omnibus Imperatoribus collocaſſe in foro D. Neruæ ſcribit. Treb. Pollio in Galienis: *Statuam ſibi maiorem coloſſo fieri præcepit Solis habitu, ſed ea imperfecta periit. Tam magnæ deniq; fieri cœperat, vt duplum ad coloſſum videretur. Poni autem illam voluerat in ſummo AEſquiliarum monte, ita vt haſtam teneret, per cuius caput infans ad ſummum aſcendere poſſet.*

## ÆL. LAMPRID. IN COMMODO.

*Hoſtis patriæ, Parricida, gladiator in ſpoliario lanietur, hoſtis Deorum, carnifex Senatus in ſpoliario ponatur.*

INter acclamationes Senatus interfecto Commodo Imperatore, ex Mario Maximo recenſet Lampridius, pluries acclamatum de illo, *in ſpoliario ponatur, in ſpoliario lanietur. gladiatoris*

*diatoris cadauer in ſpoliario.* Quis vero locus eſſet ſpoliarium, à nemine hactenus exacte declaratum legi. Turnebus *Aduerſ. lib.18. c.6.* ex Lexico veteri interpretatur ſpoliaria exteriores balneorum cellulas, ſed quam minus apte hoc in loco, ex mox dicẽdis palam fiet. Spoliarium ego exiſtimo tunc temporis fuiſſe Romæ locum, in quo Imperatorũ iuſſu ciuium corpora laniarentur, vbique de illis vltimum ſupplicium ſumeretur. Quod primum coniicio ex Lampridii verbis, vbi habet: *In ſpoliario lanietur.* Mox ex Plinio, in Panegyrico: *Quam iuuat cernere ærarium ſilens, & quietum, quale ante delatores erat. Nunc templum illud, nunc vero Deus. Nam ſpoliarium ciuium cruentarumque prædarum ſæuum receptaculum.* Ad hæc Seneca lib.13. Epiſt. *Nunquid aliquem tam cupidum eſſe vitæ putas, vt iugulari in ſpoliario, quam in arena malit?* Hinc apud Iuriſtas, *l. penul. D. de bo. damn.* ſpolia appellantur panni, quibus induebantur, qui ad ſupplicium ducebantur. Hunc locum etiam puto fuiſſe illum, qui à Plutarcho in Galba vocatur σηςέρτιον, dum inquit: *Galbæ caput multifariam cæſum, & omni contumelia affectum, poſtremo in eum locum abiectum, in quo eos necant, quos Cæſares ſupplicio dedunt;* puto autem mendum in litera Græca eſſe, & aliquid reponendum, quod à verbo σκυλεύω, quod eſt *ſpolio*, deriuetur, nam σηςέρτιον vocem Græcam non agnoſco, nec quid ad rem noſtram faciat, ſi *ſeſtertium* vertamus, video. Erit itaque ſenſus verborum Lampridii, Senatum inſtantiſſime petiiſſe, vt Commodi cadauer laniaretur in ſpoliario, in quo innumeri ciues ipſo iubente innoxii morte fuerant affecti.

## ÆL. LAMPR. IN ANT. DIADVMENO.

*Habete igitur Commilitones pro Imperio aureos ternos, pro Antonini nomine aureos quinos, & ſolitas promotiones, ſed geminatas.*

QVi ad Imperium promouebantur, ſolebant militibus donatiuum exhibere, ſed hoc loco non poſſumus iſtud verbum *promotiones* ad Imperii aſſumptionem applicare, quum paulo antea habeamus illa verba: *Habete igitur Commilitones pro imperio aureos ternos.* Qua de re ego interpretor promotiones,

motiones, id eſt, ſtipem ſolitam perſolui militibus quum in militiam aſciſcuntur, à verbo *promoueo*. Plinius Epiſt. 151. *Promotus ad ampliſſimas procurationes.* Poſſumus etiam interpretari *promotionem*, eductionem ad bellum; nam promoueo idem eſt, quod Græcis ἐξάγω, à quo ἐξαγωγὴ, id eſt, *promotio, & eductio*, ita vt ſenſus ſit, erogaſſe in duplum ſolitam ſtipem perſolui militibus ad bellum promotis, id eſt, eductis. Non alibi recordor me hanc vocem apud Latinos ſcriptores obſeruaſſe; quamuis vulgare ſit Romanæ Curiæ, & frequens, facere promotionem, procreare Cardinales.

## ÆL. LAMPR. IN ANT. DIADVMENO.

*Panthagati in domo patris eius nidum fecerunt.*

HAnc vocem, ſi Græcam ſignificationem perpendamus, *toti boni*, vel *omnia bona* ſignificat; namque ἀγαθὸς, *bonum*, πάντα *omnia* ſignificare notiſſimum eſt, verum ſi ſpecifice hanc vocem accipiamus, ſcilicet vt ſit nomen alicuius ſpeciei auis, mirandum, quod de huiuſcemodi volucribus nullus author meminerit quod ſciam, præſertim Plinius qui in hac re diligentiſſimus fuit. Quamobrem exiſtimo hic intelligendum generice *Pantagathi*, hoc eſt, omnes bonas aues in domo patris Antonini Diadumeni nidum feciſſe. Sic Manlius ille, quod pecuniam ab omnibus aucuparetur, πάντα λαβὼν, hoc eſt, *omnia ſumens* vocatus. Sic *Pantheon* templum omnium Deorum. Sic *Pancratium*, ludi Gymnici ſpecies, quaſi omnia potens, & *Panurgium* Plautus callidum & rerum omnium experientiam habentem dixit, & Græcis, παναγαθὸς, omnium optimus, & πανάγιος Sanctiſſimus, & alia plura huiuſmodi. Apud Martialem *lib. 6. Epigr. 33.* legimus Epitaphium tonſoris cuiuſdam Pantagathi nomine. Res hæc ſane difficilis dilucidationis, & in qua nos hærere confiteri non erubeſcimus.

ÆL.

## ÆL. LAMPR. IN HELIOGABALO.

*Sed Semiamirica facta ſunt Senatuſconſulta ridicula de legibus matrimonialibus; Quæ quo veſtitu incederent, Quæ cui cederet, Quæ ad cuius oſculum veniret, Quæ pilento, quæ equo ſagmario, quæ aſino veherentur; Quæ carpento mulari, quæ boum, quæ ſella veherentur.*

Pilentum vehiculi genus fuiſſe, quo matronæ Romanæ vehebantur, idque carpento ignobilius, conſtat ex Liuio *lib. 5.* ſcribente, quod quum aurum non reperiretur à Camillo votum Apollini Delphico, illud matronas Romanas cõtuliſſe. Quæ res adeo grata Senatui, vt ob eam beneficentiam in illarum honorem decretum ſit, vt pilento ad ſacra ludoſque carpento feſtis & profeſtis diebus vterentur. De hoc Virg. lib. 8 Æneid.

*——Caſtæ ducebant ſacra per vrbem*
*Pilentis matres in mollibus.*

Et Claudianus de nuptiis Honorii & Mariæ:

*Ante fores iam pompa ſonat, pilentaque ſacra*
*Præradiant ductura nurum.*

Feſtus Pompeius lib. 14. *Pilentum (inquit) vehiculi genus quo matronæ ferebantur.* Horat. Epiſt. lib. 2. Epiſt. 1.

*Eſſeda feſtinant, pilenta, petorrita, naues.*

Varro *lib.* 14. ſcribente Gellio *lib. 17. c. 30* tradit, id vehiculi genus Hiſpanorum fuiſſe, ſicut *Petorritum* Gallorum. Trebellius Pollio in Zenobia: *Vſa vehiculo carpentario, raro pilento, equo ſæpius.*

## ÆL. LAMPR. IN HELIOGABALO.

*Romæ denique nil egit aliud niſi vt emiſſarios haberet, qui ei bene naſatos perquirerent, eoſque ad Aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui poſſet.*

Asconius Pædianus Emiſſarios apud Cic. interpretatur conciliatores furtorum, atque internuncios ſtuprorum; Sic enim ſcribit Cic. in 5 in Verrem: *Dubitaturum quemq; exiſtimas, quin illis emiſſariis hæc tibi omnis pecunia quæſita ſit.* Et rurſus: *Magni ſui putabant intereſſe, publice* [illegible] *tius, quamuis magno*

*emi quam in aliquem iſtius emiſſarium incidere.* Et iterum: *Turpiò quidam iſtius excurſor, & emiſſarius, homo omnium ex illo conuentu quadruplatorum deterrimus.* Et alio in loco: *Hunc præcurſorẽ habere ſolebat & emiſſarium* Et in Epiſtolis: *Perſuaſeratque nonnullis inuidis meis ſe in me emiſſarium ſemper fore.* Ego tamen exiſtimo ampliorem in hac voce ſignificationem ineſſe, tum ex iis, tum ex mox dicendis. Siquidem exploratorem, atque inquiſitorem ſelerum, & malefactorũ indagatorem; & calumniatorem, ac delatorem ſignificare cenſeo, ſemperq; in malam partem ſumi. Am. Marcell. lib. 1. ſcribit: *Per emiſſarios quoſdam fallendi perſtringendique gnaros Perſarum ſciſcitabatur conſilia.* Lampridius hoc in loco inquit: *Roma deniq; nihil aliud egit, niſi vt emiſſarios haberet. qui ei bene naſatos perquirerent, eoſque ad Aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui poſſet.* Suet. in Galba, c. 15. *Qui etiam Pop. Romano depoſcente ſupplicium Haloti & Tigellini, ſolos ex omnibus Neronis emiſſariis incolumes præſtitit.* Hos etiam Emiſſitios quandoque vocatos obſeruamus, vti à Cic. 3 *de Leg.* vbi habet: *Gracchus ruinis & emiſſitiis, quas ipſe ſe in forum proieciſſe dixit, quibus digladiarentur inter ſe ciues, nonne omnem Reipub. ſtatum permutauit?* Et Plautus in Aul:

*Circumſpectatrix cum oculis emiſſitiis.*

Vtrumque deriuatum à verbo *emitto*, quod eſt extra mitto. Ita emiſſarium Suet. *in Claudio* vocauit locum, per quem aqua educitur, inquiens: *Fecit emiſſarium Fucini lacus.* Sic Plin. *lib.* 17. *c.* 23. Emiſſarium vocauit palmitem ad ſuperiora ſcandentem. Et in ſacris literis *Leuit. c.* 16. Caprum emiſſarium obſeruamus mittendum in ſolitudinem. Et *Eccleſ.* 33. & *Ierem.* 5. Equum emiſſarium. Quamuis & homines ſeu ſeruos emiſſarios obſeruemus; vti Regum primo, c. 22. *Et ait Rex emiſſariis ſuis, qui circumſtabant eum, conuertimini. & interficite ſacerdotes Domini.* Et Ezech. cap. 7. *Et introibunt in illud emiſſarii, & contaminabunt illud.* Et Michæ c. 1. *Propterea dabit emiſſarios ſuper hæreditatem Geth.* quibus in locis denotari ſatellites, vel certe nefarios homines, exiſtimo. Horum hominum peſſimum genus è Rep. minime eſſe docet Tacitus *lib. Annal.* 4. & perniciosiſſimum vocari. Horum opere in immenſum auctas fuiſſe opes Tiberii Cæſaris tradit Dion *lib.* 37. Interdum

dum reorum bona diuiſim, vt in Druſi Libonis damnatione, præturaſque eiſdem Senatorii ordinis, & delationis dedit. Nero delatorum præmia ad quartam bonorum damnatorum redegit, teſte Suet. *in illo, c.* 10. Verum quum ſæpe hos ob leue vel ſimulatum cõfictumve crimen, ira, odio, vel pretio proborum mores falſo criminari, & eorum vitam & patrimonium in diſcrimen adduci, multoties obſeruatum eſſet, ſublati omnino è Rep. fuere. Quia & Tiberius ipſe, qui illis tantum tribuerat, omnes vna die occidi iuſſit, referente Dione *lib.* 58. & Titus omnes vrbe expulit, teſtimonio Xiphilini *in illo*. Antoninus Pius illos omnes extinxit, teſte Spartiano *in illo*, & Euſebio *hiſt. Eccleſ. lib.* 4. *c.* 9. De Opilio Macrino Capitolinus *in illo*, & Herodianus *lib.* 5. ſic ſcribunt: *Delatores autem, & ſerui omnes, qui Dominos detulerant, patibulo ſuffixi, totaq; Vrbs, atque adeo Romanum Imperium ſceleratis hominibus perpurgatum, partim ſupplicio affectis, partim exilio multatis.* Sed & Pertinax, authore eodem Herodiano *lib.* 2. Delatores vrbe exegit, & vbi inuenirẽtur, puniri imperauit. Gordianus item omnes exilio affecit, teſtimonio eiuſdem Herodiani *lib.* 7. Aurelium Cæſarem idem præſtitiſſe ſcribit Euſebius *lib.* 4. *Hiſt. Eccl. c.* 19. Capitolinus de M. Philoſopho ita ſcribit: *Calumniis quadruplatorum interceſſit, appoſita falſis delatoribus nota.* Aurelianus Seuerus eos maxima ſeueritate perſecutus eſt, teſte Vopiſco *in eo.* Traianus eos omnes nauibus impoſitos ſine remis & velis naufragio expoſuit, teſte Plinio *in illius Panegy.* Iſocrates *in orat.* 15. *de permut.* tradit in hoſce leges maiores pœnas indixiſſe, quam in cæteros delinquentes. Ariſt. 6. *Polit. c.* 6. monet publicas accuſationes quam rariſſimas eſſe oportere in Repub. magna pœna conſtituta in falſo accuſantes. In eoſdem inuehitur Cic. 2. *Offic.* inquiens: Duri hominis, vel potius vix hominis videtur inferre periculum multis; id enim tum periculoſum ipſi eſt, tum ſordidum ad famam, committere vt accuſator nominetur. Non negãdum quidem, neceſſarios eſſe accuſatores in ſceleſtorũ odium, & terrorem, at hi cum temperamento admittendi, nec facile eis credendum. Ob id recte cauit Conſtantinus Imperator, *l. penultima, de delator. lib.* 10. *Cod.* ne quiſquam

Delator eſſet priuatus, & ne ſine aduocato fiſci vlla delatio fieret. Et Suidas author eſt in verbo *Bulgari*, Crem Bulgarorum legislatorum ſanxiſſe, vt accuſator non audiretur priuſquã vinctus vel quæſtioni exhibitus examinaretur. Emiſſarios iſtos ὠτακούσας vocant Græci, & πραγματεῖς. Plutarchus περὶ πολυπραγμοσύνης ait, à Tyrannis inuẽtos, quibus omnia noſſe neceſſe eſt. Vnde Amm. Marcell. *lib*. 14. refert, temporibus Galli Cæſaris, quibus crudeliter omnia gerebãtur, ob eius vxoris ſæuitiam excogitatum eſſe, vt homines ignoti, vilitate ipſa parum cauendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta deſtinarentur, relaturi quid audirent, iiſque peragranter & diſſimulanter cœtibus honoratorum aſſidendo, quæ audierant, per poſticam poſtea ad Imperatorem admiſſi referebant, plura fingentes etiam mala & audita duplicantes, ita vt tunc parietes etiam ſolum conſcii arcanorum timerentur. Dicti autem emiſſarii, eo quòd ad inquirendum extra mitterentur, vnde Mandatores. Suet. *in Tito, cap*. 4. Delatores & mandatores coniunxit. & Iuriſperitis mandator dicitur, qui mandat alicui, & inſtruit eum ad accuſationem, *l*. 2. §. *Diuus*, *l*. 22. 23. 24. *D. de iure fiſci*. Cuius meminit etiam Harmenopulus *lib*. 1. *tit*. 5. Μανδατόρες τῷ ὑπουργοῦντι εἰς τὴν τοῦ πράγματος καταμήνυσιν.

## ÆL. LAMPR. IN HELIOGABALO.

***Salambonem etiam omni planctu & iactatione Syriaci cultus exhibuit, omen ſibi faciens imminentis exitii.***

VEnerem antiquorum Deam multis nominibus appellatam apud ſcriptores obſeruamus; Nam Cypris, & Cypria Dea ab Homero, & aliis. Verticorda à Val. Max. *lib*. 8. *c. vlt*. Aphrodite ab Heſiodo & Platone. Ab Aſſyriis Melitta ex Herodoto *lib*. 1. *Clio*. Ab Arabibus Alitta, ex eodem Herodoto ibidem. A Græcis Pitho, ex Plutarcho *in Probl. c*. 10. Ab Eleis Vrania, ex Pauſania *in Atticis, in Eleis, & Beoticis*, & à Luciano *in Amoribus*. A Scythis Arginipata, ex Strabone *lib*. 4. A Cypriis Barbata, ex Macrobio *lib*. 3. *Saturnal. c*. 8. Et calua quoque dicta, ex Lactantio *lib*. 1. *Diuinarum Inſtitut. c*. 20. Et Armata, ex eod. ibid. & Pauſania *lib*. 3. & Pandentans, ex Pau-

ſania

ſania *lib.6.& 9*.& Theocrito *in Epigram.* & aliis. Apoſtropha ab eodem Pauſania *lib.9*. Callipygos ab Athenæo *lib.12.c.31.* A Perſis quoque Mitra, ex Herodoto *in Thalia*, & Statio *lib. 1.Thebaid.* Poſtremo Salambonem appellauere Babylonii, vt teſtatum reliquit Macrobius, cui ſacra faciebant, Adonia dicta, in quibus deplorabant Adonidis interitum, de quibus Ammianus Marcell. *lib.22.* per hæc verba: *Euenerat iiſdem diebus annuo curſu completo Adonia celebrari ritu veteri, amato Veneris (vt fabulæ fingunt) apri dente ferali deleto.* Ardentiſſimos autem in Adonidem Veneris amores deſcripſiſſe Ouidium *lib. Metamorph.10.* omnibus notum eſt. Iure itaque hoc loco inquit Lampridius, ex celebratione horum ſacrorum cum planctu omen ſibi feciſſe Heliogabalum imminentis exitii.

## ÆL. LAMPR. IN HELIOGABALO.

*Nupſit, & coiit, vt & pronubum haberet, clamaretq; concide, magire.*

HEliogabalus Zotico nubens pronubum habuit, qui clamaret *Concide, Magire,* hoc eſt, *cade, macta,* qui enim virgini nupturæ pronubi præibant, eamque in mariti domum deducebant, ac concomitabantur, maritum in nubentis concubitum incitabant, ac futuræ coniunctionis veluti claſſicum canebant, ex Donato in illud Virgil. 4. Æneid.

*—— Prima & tellus, & pronuba Iuno*
*Dant ſignum.*

Et 7. eiuſdem.

*Et Bellona manet te pronuba.*

Et Claudianus de raptu Proſerpinæ *lib.1.* pronubam flammam dixit, quæ ætate maturas virgines, ad nuptias & concubitus incitat. Fuiſſe etiam pronubarum officium nouam nuptam in lecto collocare, colligimus ex Catullo in Epithalamio Iuliæ, & Manlii:

*Vos vnis ſenibus bonæ*
*Cognitæ bene fœminæ collocate puellulam.*

Et Terentius in Eunuch. Actu 5. Scena 5.

*Deinde illum in lecto collocant.*

Quum itaque pronubæ collocabant ſponſam in lecto, incitaſſe maritum in ſponſæ congreſſum coniiciendum, ob id Heliogabali pronubus clamabat, *concide, magire*, hoc eſt, *incide, macta*, quia virginibus in primo cum viro cõgreſſu membranuſa illa Hymen dicta virginitatis ſignum diſrumpatur, ac ſanguinis fluor appareat μαγειρεύειν enim Græcis *mactare* dicitur. Poteſt etiam illud verbum *concide*, applicari Zonæ illi, qua noua nupta circumcingebatur, quæ à viro nuptiarũ die ſoluebatur, vnde pronubus Heliogabali coitum feſtinãs, non Zonæ ſolutionem, ſed inciſionem præcanebat, & mox mactationem, id eſt, deflorationem. De huiuſmodi Zona Varro in Gerunto didaſcalo apud Nonium Marcellum, vbi de cingulo loquitur, & Feſtus Pompeius lib. 3. Catullus Epigram. 2.

*Quod Zonam ſoluit diu ligatam.*

Et Epigram. 62.

*Nec quærendum aliunde foret neruoſius illud,*
*Quod poſſet zonam ſoluere virgineam.*

Et Horatius in Ode 30.

*Et ſolutis Gratiæ Zonis.*

Et Muſæus, ὁ δ' αὐτίκα λύσατο μίτρην, id eſt, *hic vero ſtatim ſoluit faſciam.* Et Homerus libro Odyſſ. 11. λῦσεν παρθενικὴν ζώνην, id eſt, *ſoluit virginalem Zonam.* Et in Hymno concubitus Anchiſæ & Veneris: λῦσεν καὶ οἱ ζώνην, id eſt, *ſoluit & illi Zonam.* Theocritus in Idyllio 20. λῦσε καὶ οἱ μίτρην, id eſt, *ſoluit & faſciam.* Et Pindarus *Olymp. Od.* 6. ait, Latonam depoſita Zona puniceã peperiſſe Apollinem & Dianam. Quæ vero Egnatius de coquo, μάγειρος Græci appellato proponit *in ſuis Annot.* nihil ad rem facere mihi videntur.

## ÆL. LAMPR. IN HELIOGABALO.

*Primus deinde menſas & capſas argenteas habuit, primus etiam cacabos, vaſa deinde centenaria argentea ſculpta, & nonnulla ſchematibus libidinoſiſſimis inquinata.*

Centenarii dicuntur Iuriſconſultis, qui in cẽtena dignitate, de qua paſſim in C. Theodoſ. gradum in ſchola agentium in rebus tenebant, *l. 1. C. de lucris aduocat. lib. 12.* &

alibi etiam pluries in reſcripto Conſtantini, vbi: *Si quis à ducenariis, vel centenariis, vel fiſci Aduocatis læſum ſe eſſe cognoſcit adire iudicia, & probare iniuriam non moretur.* Centenarios interpretatur Turnebus *libro* 29. *cap.* 16. qui centeſimam hæreditatem exigebant. Centenarii quoque liberti *in l. Papia* vocabantur, qui centum millium ſeſtertium habebant, *l. ſi libertus, D. de iu. patrona & § poſtea, Inſtit. de ſucceſſ. libert.* Et Hotom. libertos qui non vt olim centum millia ſeſtertiorum, id eſt, mille aureos poſſiderent; ſed acciſis Imperii Rom. & libertorum facultatibus centum aureos locupletes eodem in numero haberentur. Et *in l. quoniam veteriorum*, adnotauit Alciatus *in annot. in tres poſteriores lib. Codicis.* Centenaria eſſe ornamenta, quæ equorum pectoribus affigebantur; quamuis Suidas numiſmatum quantitatem dixerit. Centenarii quoque olim dicti ſunt, qui centum millibus æris cenſi erant, *ex Liuio libro primo, & Plinio libro trigeſimotertio.* Verum hæc nihil ad vaſa. Quare quis exiſtimare poſſet, vaſa centenaria dicta ea, quibus in cœnis centenariis appellatis, vterentur antiqui; cui ſententiæ ſuffragari videtur Septimius Florus in Apologetico: *In centenariis cœnis damnas ob centum ſeſtertiorum impendium, quando & in lances etiamnum totas producerentur metalla.* Verum aduerſus ſtat authoritas Tertulliani *in Apologetico, capite 6.* & Feſti Pompeii *libro* 3. ſcribentium, quod cœnæ centenariæ dicebantur, in quibus lege Licinia non plus centuſſibus præter terræ nata impendebantur, id eſt, centum aſſibus; qui erant breues nummi ex ære; Quod & Macrobius confirmat *libro* 3. *Saturnal. cap.* 47. inquiens: *Tamen Fannia lege id cautum; ob id Licinius Poeta centuſſim hanc cœnam vocauit. Fanni centuſſiſque miſellos.* Vtraque lege, ſcilicet Fannia & Licinia, idem ſancitum tradit Gellius *lib.* 7. *cap.* 24. Quamobrem ſi huiuſmodi cœnæ, frugales non opiparæ erant. Et Heliogabalus centenaria vaſa immodico luxui addidit; non ergo à cœna centenaria, vaſa centenaria denominata. Cœlius Rhodig. *lib.* 28. *c.* 39. à pondere ita dicta centenaria vaſa exiſtimat, quod ſcilicet centũ pondo argenti conſtarẽt; quod & Egnatius *in Annot.* confirmat; Alii vero à cõtinentia, centenaria dicta cenſet, quod centum pondo continerent.

Quemadmodum & milliaria vaſa Catoni *de re ruſt. 2. cap. 4.* & Columellæ *lib 9.* & Palladio *lib.1.* Ita & porticus milliares, quorum meminit Suetonius *in Nerone, cap.31.* Milliarenſes vocauit Vopiſcus *in Aureliano,* mille paſſuum menſura, ſeu vt alii, pedum, conſtitiſſe fatentur omnes. Quæ omnes ſententiæ etſi ſuſtineri facile poſſint, nihilominus veriorem cenſemus, quam nos excogitauimus. Centenaria ſcilicet dicta vaſa, quæ magna eſſent, & ingentia; ita & hodie apud nos vaſa illa marmorea ingentia ad oleum ſeruandum qualiſcunque ſint capacitatis, *centenari* vulgari appellatione dicuntur. Eodem & ſenſu Varro *de re ruſt. lib. 3. cap. 3.* Apros milliarios dixit in hæc verba: *Et non pluris nunc tu à villa illic natos veteres lanio vendis, quam hic apros milliarios emit.* Et Seneca Epiſt. ad Lucill. 19. *Tunc te admirari quum contempſeris neceſſaria, non magnam rem facis, quod viuere ſine recto* ( vel vt alii legunt, *ſine Regio* ) *apparatu potes, quod deſideras milliarios apros, nec linguas Phœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ, iam neta animalia faſtidientis.* Quibus in locis per apros milliarios magnos, & in ſua ſpecie maximos intelligi non dubito. Quis enim vnquam mille librarum aprum vidit? nemo ſane.

## ÆL. LAMPR. IN HELIOGABALO.

*Et maſticatum, & puleiatum, & omnia hæc, quæ nunc luxuria retinet, primus inuenit.*

COElius Rhodiginus *lib.28.cap.7.* legit *polentatum*, à polenta ſcilicet deriuatum. Cui quoque aſſentitur Egnatius *in Annot.* verum eorum ſententia à ratione valde aliena, ſiquidem polenta & polentatum inter eſculenta reponuntur, non inter pocula, quorum ſeries textus meminit, nam puleiatum, maſticatum, & roſatum potionum genera fuiſſe, intelligendum conſtat; ſubdit enim Lampridius: *Nam roſatum ab aliis acceptum pinearum etiam attritione odoratius reddidit.* Deniq; hæc genera poculorum ante Heliogabalũ non leguntur. Et rurſus inferius: *Condito piſcinas, & ſolia temperauit, Roſato atq; Abſinthiato vulgus ad bibendum inuitauit, & ipſe cum populo tantum bibit, vt in piſcina eum bibiſſe intelligeretur, viſo quod*

vnus

*ynus bibiſſet.* Et idem author in Alexandro Seuero: *Frigida ſemper vſus eſt, æſtate vino cum Roſa condito, quod quidem ſolum ex diuerſo genere Heliogabali tenuerat.* Legendum itaque *puleiatum* à pulegio herba odorata, ex qua potionis genus illud parabatur, ſicuti ex roſis roſatum, ex abſynthio abſynthiatum, & ſimilia. Nec obſtat, quod olus illud pulegium appelletur, vnde dicendum *pulegiatum*, & non *puleiatum*, ſiquidem legitur vtroque modo, ſcilicet *pulegium* & *puleium.* De priori lectione nemo ambigit, de ſecunda teſtis eſt Cicero *lib. de Diuinat.* ita ſcribens: *Nam & muſculorum iecuſcula bruma dicuntur augeri, & puleium aridum floreſcere ipſo brumali die.*

## ÆL. LAMPRID. IN HELIOGABALO.

*Barbas ſane Mullorum tantas iubebat exhiberi, vt pro Naſturciis, Apiaſtris, & Falcearibus, & Fœnu Græco exhibere plenis fabatariis & diſcis.*

TVrnebus *Aduerſ. lib. 24. cap. 4.* legendum putat: *Et pro naſcentis apiaſtri faſce laribus, & fœnu Græco, &c.* Qua in re, pace doctiſſimi viri dixerim, ipſe toto errat cœlo. Nam ad demonſtrandam portentoſam Heliogabali, & inſanam prodigalitatem in conuiuiis, inquit Lampridius, eum vice vilium epularum, quales Naſturtia, Apiaſtra, & fœnum Græcum, barbas mullorum copioſiſſimas exhibuiſſe. At quid ad rem iſtam, faſces apii naſcentes laribus exhibuiſſe? Erroris autem cauſa fuit ignorantia ſignificatus illius vocis *Facelaribus*, quam nos ex Græcis vocibus compoſitam exiſtimamus, nempe ex dictione φακῆ, quod eſt *lens* ſeu *legumen*, & λαρὸς, id eſt *dulcis*, vel *tener*, ita vt ſignificet legumen ſeu lentem dulcem aut teneram, quod cibi genus vile ſane cum naſturtiis, apiaſtris herbis, in quotidiano tamen vſu, vulgarique in menſis, connumerat & recenſet Lampridius.

*Fabatariis & diſcis.* Profecto conſtat ex ipſomet textu, fabataria fuiſſe vaſa magna, ſed qualia eſſent ita dicta, ſatis obſcurum eſt. Turnebus *lib. 24. c. 5.* lucem afferre conatus ait: *Fabataria intelligo vaſa aut patellas, in quibus puls fabata ponebatur, & laribus offerebatur.* Suſpicatus ſum & aliquando *Gaba-*

*tariis* à Gabatis vaſis legendum eſſe, ſed id nimiæ audaciæ iure tribueretur. Quæ mihi ſane haud improbantur. Sed quum nullibi, quod recorder, legerim, fabatam pultem laribus oblatam, haud in totum quieſco. Sed forte vir alioquin oculatiſſimus deceptus ſimilitudine vocis; nam in Lemuralibus, id eſt, ſacris, ſeu feſto Lemurum, id eſt, laruarum nocturnarum, & imaginum terrificatione ex Nonio ſ-cta, nocte faba iaciebatur. Quod & Varro *lib. 1. de vita pop. Rom.* ſcriptum reliquit, & Feſtus Pompeius *lib. 6.* teſtatus eſt. De eiſdem Ouid. lib. 2. Faſt.

*Tum cantata tenet cum plumbo licia fuſco,*
*Et virides ſeptem verſat in ore fabas.*

Et Plinius *lib 18. cap. 12.* de ea ſic ſcribit: *Vel vt alij tradidere, quoniam mortuorum animæ ſunt in ea, quoad cauſa parentando vtiq; aſſumitur.* Varro & ob hæc flaminem ea non veſci tradit, quoniam & in flore eius literæ lugubres reperiantur. In auſpicando quoque auſpices faba vſos, ſcribit ibidem Plinius, inquiens: *In eadem peculiaris religio; namq; fabam à frugibus referri mos eſt auſpicij cauſa, quæ ideo refraria vocatur.* Et Macrobio Kalendæ Fabariæ ſunt Iuniæ, quia hoc menſe adultæ fabæ diuinis rebus adhibebantur. At vero cur vaſa prædicta potius *fabataria* ſint dicta, quam *fabaria*, non video; ſiquidem à faba fabariæ Kalendæ, & fabalia ſtipulæ fabarum. Et Varroni Pila fabaria, vas ſcilicet concauum ad fabam freſam pinſandam, à cuius ſimilitudine lances forte concaui & patinæ parentes, fabataria dicta ſunt, ſicque potius legendum *fabariis*, quam *fabatariis*. Cogitabam quoque legi poſſe *Sabbathariis*; nam Hebræi Sabbatharii dicti. Martialis:

*Quod ieiunia Sabbathariorum.*

Iudæi vero in die Sabbathi nec cibum coquunt, nec menſam apparant, nec in eam dapes ferunt, ſed anteriore die paratas ante Sabbathi ingreſſum in menſa collocant in totius diei cibum. Qua de re magnis vaſis ipſis opus erat in id munus obeundum, quæ ab ipſis Sabbathariis forte *Sabbatharia* dicta, coniectura affirmari poteſt, quum nullam huius rei certam authoritatem habeamus. Poſſunt etiam dici fabataria à fabis, quod ſcilicet fabæ excoctæ in illis menſæ

appo-

apponerentur, ſicuti Boletaria vaſa boletis condiendis, ſeu accubantibus diſponendis à boletis fungis dicta, alibi docuimus,&c.De Diſco alio in loco plura diximus.

## ÆL. LAMPRID. IN HELIOGABALO.

*Canes iecinoribus anſerum pauit.*

Heliogabalus canes iecinoribus anſerum pauit, inquit Lampridius. Et rurſus: *Pſittacis atq; faſianis leones pauit, atq; alia animalia.* Et iterum: *Murenarum lactibus & luporum in locis mediterraneis ruſticos pauit.* Quibus in locis clare patet, pauire ad ſatietatem vſque, paſcere ſignificare,à verbo *pauio* antiquo, quum tamen communi in ſignificatu accipiatur pro *ferire*, *percutere*, *tundere*. Cic. 2. de Diuinat. *Sed quia quum paſcunt, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pauire.* Cato cap.18.*Teſta arida pauimentum ſtruito, vbi ſtructum eſt, pauito, fricatoq; oleo perungito, vti pauimentum bonum ſiet.* Et Col. lib.1.cap.6.*Pauitumq; ſolum habeant, ne humorem tranſmittant.* Verum illud obſeruandum, hoc verbo *pauire* non abſolute de quocunque animante paſcendo vtplurimum accipi, ſed potiſſimum de beſtiis & animalibus,quæ in ſolo cibum capientes,quodammodo terram ferire ore vel roſtro videntur, quod ex ſuperius dictis palam fit. Apud Virgilium Bucol.Eclog.1.

*Ite mea quondam felix pecus,ite capellæ,*
*Non ego vos poſthac viridi proiectus in antro,*
*Dumoſa pauere procul de rupe videbo.*

Non enim *pendere*, vt alii, legendum, lectio ipſa ex ſe demonſtrat. Nec obſtat,quod Lampridius eodem verbo vſus fuerit in paſcendis ruſticis, qui in terra non comedunt, vti cætera alia irrationalia; nam reſpondetur,quod ruſtici animalia ſunt media inter bruta & homines, plus rationis expertes, quam rationis capaces, quod norunt illi, qui malo ſuo genio acti, cum illis conuerſari coguntur, quod ioco ſit dictum. Nam & exemplis mox dicendis, & ad homines transferri patebit quandoque; Hoc enim verbo vſus eſt in paſcendis hominibus,Am.*libro vigeſimo quarto*,cum tamen beſtiis cibantur, ſeu brutis edi ſolitis, vti in hæc verba: *In*

*quo*

*quo loco greges ceruorum plures inuenti ſunt, quorum alij confixi miſſilibus, alij ponderibus eliſi remorum, omnes pauerunt.* Tacitus *lib. Hiſt. 3.* de morte Blæſi à Vitellio patrata, ſe pauiſſe oculos ſpectata inimici morte iactauit. Liuius *lib. 33. de proceribus Carthaginenſium* inquit: *Tum vero iſtis, quos pauerat per aliquot annos publicus peculatus.*

## ÆL. LAMPRID. IN HELIOGABALO.

*Piſum cum aureis, Lentem cum cerauniis, Fabam cum electris, Orizam cum albus exhibens, albas praterea in vicem piperis piſcibus & tuberibus conſperſit.*

QVum obſeruaſſem apud Plinium *lib. 19. cap. 5.* Ceraunium in Thracia fungi genus eſſe, ab Athenæo *libro 2.* Iſtion dictum, & antecedentem clauſulam, *ſumina aprugna cum ſuis bulbis*, id eſt, papillæ ſuis lactentis ſalitæ: nam antiqui aprugnum aprinum dixere, ex Plinio lib. 18. cap. 51. *cum ſuis bulbis*, id eſt, condimento ex bulbis, allio ſcilicet, cæpa, aſcalonia, aut id generis bulbo, in eam veniebam ſententiam, Ceraunia tubera eſſe, ica & aurea, electra, & alba à colore ita dicta, quibus legumina illa condiret Heliogabalus; ſed quum ſtatim ſubdat Lampridius: *Albas præterea in vicem piperis piſcibus & tuberibus conſperſit*, inconueniręque tubera tuberibus condire, intimius rem perſcrutari cœpi, ac ſententiam mutare. Siquidem hæc omnia gemmas & pretioſa fuiſſe cognoui, quibus Heliogabalus vilia legumina permiſceret, luxurians nouis inuentis ſemper: miſcebat enim aureos piſis, ceraunia lentibus, quæ gemmæ ſpecies ſunt, ex Plinio, *lib. 37. cap. 9.* Sic, Ceraunia coruſcare, dixit Tertullianus *lib. 6. de habitu muliebri*; habet enim intus ſtellam coruſcantem, vt ait Zeno. De eiſdem *in l. fin. § ſpecies, D. de public. & vectig.* Iuriſconſulti verba faciunt.

*Fabam cum electris.* Electra autem pretioſa eſſe conſtat. Nam electri triplex genus eſt. Primum gummi ſpecies omnibus notiſſimum. Secundum metallicum, id eſt, aurum, cui quinta portio argenti arte eſt immixta, quod eſt factitium. Tertium naturale, id eſt, à natura ita generatum, & hoc

hoc magis pretioſum. De quo *lib.33.cap.4.* Plinius, & Pauſanias *lib.1.* & Iuriſperiti *in l.7. §.voluntas, D.de acquir.rer.dom. l.4.D.de leg.1.* & fuſe Iſidorus *lib.15.Etym.cap.23.* Et in ſacris paginis in Ezech.cap.1. *Quaſi ſpecies electri.* Et 8. *Quaſi aſpectus ſplendoris & viſio electri.* Ex huiuſmodi electro parabantur nummi *electri* dicti, de quibus Lampridius in Alexandro: *Alexandri habitu nummos plurimos figurauit, electreos aliquantos, ſed plurimos tamen aureos.* Parabantur & vaſa, quorum Iuriſtæ *in l.32.§ Neratius, D.de auro & argento legato* meminere. Lampridius ipſe de eodem Heliogabalo inquit: *Scoba auri porticum ſtrauit, & argenti, dolens, quod non poſſet & electris.* Ex quibus electrum auro & argento pretioſius fuiſſe conſtat, electrum, inquam, naturale.

*Orizam cum albis.* Gemmæ albæ dictæ plures erant, quarum meminit abunde Plinius loco citato. Illud autem notandum, cum coloribus rebus pretioſis coloris conſimilis legumina permiſcuiſſe Heliogabalum. Sic idem Lampridius paulo infra ſcribit de eodem: *Miſcuit gemmas pomis ac floribus.* Poſſumus etiam interpretari eadem legumina vaſis ex auro, electro, & cerauniis, albiſque gemmis conſtantia propinaſſe; nam infra idem Lampridius ait: *Parauerat & in Cerauneis, & Hyacinthis, & Smaragdis venena, quibus ſe interimeret, ſi quid grauius immineret, dicens, etiam ſuam mortem pretioſam eſſe debere.*

## ÆL. LAMPRID. IN HELIOGABALO.

*Sed vere ad ſortem Scenicos vocauit, quum & canes mortuos, & libram bubulæ carnis haberet in ſorte, item & centum aureos, & mille argenteos, & centum Folles æris, & alia talia, quæ populus tam libenter accepit, vt eum poſtea imperare gratularetur.*

PRæter communiſſimum follis ſignificatum, id eſt, inſtrumentum, quo aer attrahitur & emittitur ad ignem excitandum, accipitur etiam pro vtre ſeu ſacco. Sic Liuius *lib.9.* ſcribit: *Eques folliculis in caſtra frumentum veheret.* Et Vegetius *lib.2.cap 20.* ait: *Ex diſciplina militari decem folles* (hoc eſt, decem ſacci) *per cohortes ſingulas exponebantur, in quibus militum*

*militum pecunia condebatur.* Ita apud Iuriſconſultos *in l.82.D. de condit.& demonſtrat. & l.1. C.The.ſi quis pecu conflau.* follis & crumena, marſupium, ſeu ſacculus pecuniæ. Sed in hoc ſenſu minime intelligendam hanc vocem conſtat, ſiquidem Lampridius centum folles æris opponit centum aureis,& mille argenteis,hoc eſt,exiguam pecuniæ quantitatem magnis, quales iam diximus, ſicuti & paulo antea in ſortibus conuiualibus oppoſuit decem camelis, decem muſcas,decem libris auri,decem plumbi, decem ſtruthionibus,decem oua pullina,vt vere ſortes eſſent, & tentarentur fata; Follem autem æris, exiguum & minimum nummuſculum fuiſſe, colligimus *ex l.2. & 3. C.The.quo.appell.non recip.& l.2.C.de præt.lib.12.& l.3.C de ſtuar.* Et apud C.Harmenopolum, vel potius Iuſtinianum, *in lib. περὶ νόμων γεωργικ. tit.2.* quod pariter docet Briſſonius *in l.3. C.Th.* Moſcopholus φόλλεις interpretatur ὀϐολοὺς, quod & Suidas fecit.Heſichius minimum nummum fuiſſe tradit. Quibus concordant Euſebius *lib.10.hiſt.Eccleſ.* & Euſtathius *lib.1.Iliad.* Zonaras *tomo* 3.& Cedrenus, vbi de Leone Conone. Viliſſimum itaque nummi genus fuiſſe follem, ſicuti & obolum, & Romanis *ſextula*,& *teruntiares*. Follerales & terentiareos legimus apud Marcellinum Comitem *in Chron.* ſed mendoſe,& reſpondendum mea ſententia,*folles* & *teruntios*. Verum iis dictis Auth.nonnullæ antiquorum ſcriptorum obſtare videntur, ex quibus coniicere licet, hunc nummum maioris pretii olim fuiſſe.Prima eſt Euſebii *lib.hiſt.Eccleſ.*10. *c.6.*vbi habet, Conſtantinum Cæſarem tria follium millia in Eccleſiis impartienda donaſſe; Quod ſane exiguum donatiuum fuiſſet,ſi folles adeo vilis nummus extitiſſet. Præterea paucula certe pœna temerariæ appellationi imponeretur, mulcta follium triginta, *ex l.2 & 3.C.quor.appell.non recip.* Sicuti & in legibus Georgicis *tit.*4. Agricolæ fodiendi tempore ligonem furanti,& *l.10 eiuſdem tit.* furto ſubtrahente aratrum,vomerem vel iuga, pœna 12.follium exigua admodum fuiſſet, ſi minimus nummus adeo fuiſſet follis, vt diximus.Nec Plaut *in Epid.*pecunioſum hominem follitũ appellaſſet,ſi follis adeo exilis nũmuſculus fuiſſet, cum ait:

*At ego follitum hominem ductitabo.*

Adhæc quum tributi genus quoddam à follibus, qui perſoluebantur, follis appellaretur etiam, quemadmodum obſeruamus *in l.2.C.de præt.& hon.præt.* vbi Imperator huiuſmodi collationem omnino iubet aboleri. Quomodo Zozimus *lib* 2.vbi de Conſtantino loquitur, iure ſcripſiſſet? *Habebat deſcripta clariſsimorum virorum patrimonia, quibus & tributum impoſuit quod ille follem nuncupauit, quibus ſane collationibus vrbes exhauſit.* Quibus ſic ſatisfaciendum putamus; Folles ex materia qua conflati erant minoris vel maioris pretii extitiſſe, minimi quidem ferrei, quales obſeruamus apud Euſtathium Homeri interpretem loco citato, vbi, ſi Græca Latina reddamus, inquit: *Obolum appellabant laminam quandam ferream.* Et mox: *Tales autem oboli (vt credi par eſt) ſenſim leuiores ac tenuiores facti, poſteriores item exiliores folij inſtar atq; (vt ita dicam) ſuperficiarios obolos fecerunt, qui folles appellantur.* Maioris aliquantulum pretii fuiſſe æreos folles ferreis cenſendum, quorum hoc loco meminit Lampridius. Hos longe excellſſe argenteos folles, non ambigendum; quorũ meminiſſe Epiphanium exiſtimamus, Græco ſcribentem, quæ nos breuitati ſtudentes, tantum Latina apponimus: *Follis* (inquit) *quod etiam Talentium vocatur. Eſt autem duplex, quippe ex argenteis duobus compoſitum, & fiunt ducenti octo denarij, & folles, duo minuta ſecundum denariſmum, non autem ſecundum argentiſmum.* Maioris pretii demum fuere folles aurei, quorum mentionem haberi *in l.2.& 3. C.Theod. quor.appell.non recip.* arbitratus eſt Pandulphus Prateus *in ſuo Iuris Lexico.* Addamus & forte follis pondus pro temporum diuerſitate variaſſe. Quibus ſic ſe habentibus, facilis eſt reſponſio, ſi ſtatuerimus, orationes in oppoſitum adductas interpretandas eſſe de follibus aureis & argenteis, non de æreis viliſſimis nummis. Tributum vero follis nomine ab Imperatoribus donatum, non quod exiguum eſſet, ſed quia ad populi odium præcauendum, exiguum re, ſicuti erat nomine, exiſtimari iubebant.

ÆL.

## ÆL. LAMPRID. IN HELIOGABALO.

*Fertur in Euripis vino plenis nauales Circenſes exhibuiſſe, Pallia de Oenanthio ſudiſſe.*

MIrum profectò, quantum in huius loci explicatione hallucinatus ſit Egnatius in ſuis annotat. dum ſcribit: *Corrupta lectio; & ſanioſa, quam ita reſtituas; Pallia vino Oenanthio ſudiſſe, id eſt, Maroneo vino, ex Philoſtrato ab Aenantho Maronis patre.* Plinius *lib.*14.*cap.*16. vini Oenanthini meminit in hæc verba, de vinis factitiis tractans: *Fit è labruſca, hoc eſt, vite ſylueſtri, quod vocatur Oenanthinum, flores eius libris duabus in muſti cado macerati poſt triginta dies mutantur.* Qua de re quum Lampridius ſcribat, Heliogabalum in Euripis vino plenis nauales Circenſes exhibuiſſe, ſubdens ſtatim, pallia de Oenanthio ſudiſſe, iure ſuſpicandum, de vino Oenanthino intelligendum. At quæſo, quæ gratia, quis luxus in perfuſione palliorum vini Oenanthini. (Hæc enim verba ſeiunctim legenda conſtat, quum etiam addat Elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano.) Rectius itaque intelligendum de vnguento *Oenanthino* dicto, odorato quidem, de quo Plinius *lib.*13.*cap.*1. vbi de vnguentis odoratis ita ſcribit: *Oenanthinum in Cypro maxime laudatum, deinde in Aegypto; præpoſitum poſtea Adramiteo.* Ita autem appellatum ab Oenanthe, hoc eſt, flore labruſcæ, Græce *οἰνάνθη*, id eſt, *labruſca florens ſeu vitiflora*, de qua idem Plinius *lib.*12.*cap.*28. *& vltimo illius libri*, in hunc modum: *Eodem & Oenanthe pertinet; eſt autem vitis labruſcæ vua, colligitur cum flore, quum optime olet, ſiccatur in vmbra, ſubſtrato linteo, atq; in cadis conditur.*

## ÆL. LAMPRID. IN HELIOGABALO.

*Illud ſane mirum videtur, quod dicitur ab eo factum, vt de croco ſigma ſtrauerit, quum ſummos viros rogaſſet ad prandium, pro eorum dignitate ſe ducens fœnum exhibere.*

IOan. Baptiſta Egnatius *in ſuis annotat* inquit: *Sigma veteres ſellam in ſormam S literæ conſtantem dixere, ſpiris inuolutam,* de qua

de qua Martialis & Sidonius meminere. Rhodig.*lib.12 c.18.* ſcribit: *Lego non ſemel apud Lampridium ſigma pro diæta poſitum, ſiue ſtibadio ſiue cœnatione.* Et paulo poſt: *Et pro ingenij captu ſigma dici poſſe videbam ab eius elementi titulo, qui foribus ſuperpoſitus foret, qua nota diſcubituris ſilentium indici videbatur, vt à conuiuio ſurgentes ſi quid forte licentius obloquutus foret quiſpiam, volentes obliuiſcerentur.* At ſigma nec ſellam nec cœnationem fuiſſe, ex præſenti loco colligimus, ſiquidem ait Lampridius: *Vt de croco ſigma ſtrauerit, quum ſummos viros rogaſſet ad prandium pro eorum dignitate ſe dicens fœnum exhibere.* Ex quibus manifeſtum fit, ſigma menſam fuiſſe non ſellam. Et paulo poſt: *Habuit & hanc conſuetudinem, vt octo caluos vocaret ad cœnam, item octo luſcos, item octo podagroſos, octo ſurdos, octo nigros, octo longos, octo pingues, quaſi capi non poſſent vno ſigmate, vt de his omnibus riſum citaret.* Et iterum: *Primus denique inuenit ſigma in terram ſternere, non in lectulis, vt à pedibus vtres per pueros ad reflandum ſpiritum ſoluerentur.* Ex quibus palam fit, ſigma menſam fuiſſe vltra octonarium numerum conuiuarum non capiens. Quod manifeſtum etiam fit ex Martiale ſcribente lib.14.

*Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma,*
*Octo capit, veniat quiſquis amicus erit.*

Et alibi:

*Septem ſigma capit, ſex ſumus adde Lupum.*

Ex quibus colligimus etiam, ſigma fuiſſe menſam incuruam & lunaris formæ. S enim ex duabus ſemilunis oppoſite incuruatis conſiſtere oculata fide probatur; & talis formæ fuiſſe menſam ſigma dictam exiſtimandum; nam *teſtudine Lunatam* incuruaturam ad Lunæ figuram interpretamur. Huiuſmodi menſam alibi idem Martialis *Hexaclion* vocauit, id eſt, ſex capiens conuiuas, inquiens:

*Et teſtudineum menſis quater Hexaclion,*
*Ingemuit atrio non ſatis eſſe ſuo.*

Huiuſmodi autem menſæ forma commodiſſima erat, cum in curuaturis illis binis ſedentes conuiuæ mutuo ſe reſpicere poſſent, & alioqui cum diætariis ſeu menſæ ſeruientibus, nullo impedimento obſtante, à parte conuexa mini-

ſtrantibus. Hæc habui, quæ in re perdifficili adnotarem, & in qua recentiores ſcriptores non modo ſobrii, ſed propemodum ieiuni fuere.

## ÆL. LAMPRID. IN HELIOGABALO.

*Romanorum ducum primus publice exhibuit Hydrogarum.*

GArum cum aqua hanc vocem ſignificare, nemo literarum Græcarum gnarus inficiari poteſt; Garum vero ſalſamenti genus fuiſſe antiquis, omnes tradunt, at quale, perpauci ſcriptum reliquerunt. Col. *lib. 6. cap. 9.* inquit, eſſe liquamen piſcium ſaxatilium & minutulorum vel ſcombrorum. Plinius *lib. 31. cap. 7. & 8.* clarius rem aperit: ait enim, de ſale verba faciens: *Aliud etiamnum liquoris exquiſiti genus, quod Garon vocauere, inteſtinis piſcium, & cæteris, quæ abijcienda eſſent, ſale maceratis, vt ſit illa putreſcentium ſanies: Hoc olim conficiebatur ex piſce, quem Græci Garum vocant. Hunc è Scombro piſce laudatiſſimum in finibus Carthaginis Spartariæ & cetariis, & Sociorum appellatur.* Et paulo poſt de eodem: *Cæpit tamen & priuatim ex inutili piſciculo, minimoq́; confici.* Cæl. Aurelianus Siccenſis *in 2. Cronion lib.* ait, Garum eſſe liquorem confectum ex piſce Sciluro. Ex Thynno quoque confectum, colligitur ex Martiale *in Xeniis*, vbi de muria non ſpecifice, ſed generice, garum etiam comprehendens, verba faciens, ait:

*Antipolitani fateor ſum filia Thynni,*
*Eſſem ſi Scombri, non tibi miſſa forem.*

Ex Apua piſciculo quoque factum garum, teſtatur Plinius, de quo Auſonius in Epiſt.

*Iam patinas implebo meas, vt parcior ille,*
*Maiorum menſis Apuarum ſuccus inundet.*

Dioſcorides *lib. 2. c. 31.* non ſolum ex piſcibus ſale maceratis, ſed & ex aliorum animalium carnibus ſalitis fieri tradidit; Quo loco non de vero garo, ſed de omni ſalis liquamine ſeu muria, abſolute locutum, dicendum. Idem Plin. *lib. 9. c. 17.* liquamen & fluidum quid fuiſſe teſtatus eſt, de mullo piſce verba faciens; nam ita ait: *M. Apitius ad omnem luxum ingenio*

*ingenio mirus, & in ſociorum garo ( nam ea quoq; res cognomen inuenit ) necari eos præcellens putauit, atq; ex iecore eorum alicem excogitare prouocauit.* Idem quoque teſtatum reliquit Conſtantinus Cæſar author Græcus, ſeu quicunque ille fuerit, *γεωπονικῶν lib.* 20. Garum vero ſeu Hydrogarum & Eleogarum gari ſpecies fuiſſe conſtat, & per conſequens plures: Namque Plinius loco citato 31 *lib.* ita ſcribit: *Tranſiit deinde in luxuriam, creueruntq; genera ad infinitum, ſicuti garum ad colorem mulſi veteris, adeoq; dilutam ſuauitatem, vt bibi poßit. Aliud vero ad caſtimoniarum ſuperſtitionem etiam ſacris Iudæis dicatum, quod fit è piſcibus ſquammam habentibus* ( ita enim legendum puto, non *ſquamma carentibus*) horum namque vſum Iudæis interdictum, notiſſimum eſt. Gari dulcis meminit Galenus *libro primo de alimentorum facultatibus, capite primo.* Acidi vero gari *lib.* 5, *de compoſitione pharmacorum ſecundum locos, cap.* 9. Et gari cathartici *lib. de Dynamidiis*, qui tamen inter ſpurios recenſetur. Præſtantiſſimum eduliũ, & pretioſiſſimum genus extitiſſe, ex hoc loco dignoſcitur; Nam luxurioſiſſimus Heliogabalus, idemque in conuiuiis prodigaliſſimus, ni tale fuiſſet, loco menſæ militaris ( quæ tenuis poſtea fuit ſub Alexandro, vt in illius vita idem Lampridius teſtatur ) haudquaquam eo vſus fuiſſet. Præterea de eo Martialis *lib.* 13. ita ſcribit:

*Nobile nunc ſitio luxurioſa garum.*

Adhæc Plinius *lib.* 31. *capite octauo*, de eodem ita ait: *Singulis millibus nummum permutantibus congios pene binos. Nec liquor vllus pene præter vnguenta maiorem pretio eſſe cœpit, nobilitatis etiam gentibus. Laudatur namque Clazomene Garo, Pompeijq; & Leptis, iam vero & Dalmatia.* Quod profecto mirum videtur. Nam Plinius loco toties citato, *cap.* 7. de flore ſalis ſcribens, inquit, illum odore ingratum, ceu gari; Si itaque odore ingratum, quomodo adeo à gulæ deditis expetitum? Præterea, ſi ex inteſtinis piſcium cæteris abiiciendisque, & ſale confectum, vnde illi pretium ingens? Addamus, à Plinio putreſcẽtium ſaniem appellari; Et Columellam de illo loquentem dixiſſe, à piſcium ſalſura exudare exſaniareque; & Greci *γάρον σηπεδόνα* interpretantur, hoc eſt, putre ſanem

& macredinem. Præterea & Martialis *lib.7.Epigram.* de Papilio ita ſcribit:

*Vnguentum fuerat, quod Onyx modo parua gerebat,*
*Olfecit poſtquam Papilus, ecce Garum eſt.*

Ex quibus colligitur, Garum quid fœtidum fuiſſe, quoniam Papilus odorans vas ex onyce lapide confectum vnguento plenum, ex ſolo olfactu & anhelitu reddidit vnguentum fœtidum, vt garum videretur; nam papilus ille cunnilingus erat. Adhæc Plato Comicus ſcribit, *ἐν σαπρῷ γάρῳ βάπτοντες ὑποπνίξουσι μὲ*, id eſt, *in putrido garo ſuffocant me.* Quæ omnia illius vilitatem præ ſe ferunt. Quibus nos ſic ſatisfieri poſſe credimus; Garum ſcilicet liquamen ſimplex non multi pretii fuiſſe, ſed eo ad condimenta multa vſos priſcos, aliis tamen commixtis pretioſioribus, vnde cibi illi ſeu potus à gari ingreſſu, gari appellationem quoque ſortiti; quod palam fit: nam liquamini iſti aliquando aqua, aceto, vel oleo addito, Hydrogarum, Oxygarum, & Elogarum, quæ ſuauia profecto adeo guſtui minime fuiſſent, niſi cibus & potubus illis, præter garum, aquam, vel oleum, ſuauia alia & pretioſa fuiſſent commixta; Quod pariter probare poſſumus ex ipſomet Plinio loco toties adducto, ſcribente de ſale: *Conditur etiam odoribus additis, & pulmentarij vicem implet, excitans auiditatem, inuitansq́ in omnibus cibis, ita vt ſit ex eo peculiaris intellectus inter innumera condimenta. Ita eſt in mandendo quaſitus garo.* Ex quibus ſatis conſtare arbitramur aſſertionis noſtræ veritatem. Non enim huius dubii ſolutionem accipiendam puto, quam Braſauolus *in com.lib.1.Hip.de rat.victus in acutis*, tradidit, inquiens: *In Gallia caſei quoddam genus probant, pedorem reddens, Italis ſupra modum diſplicet, eademq́ multis in rebus ratio inuenitur;* Hæc enim ratio nullius eſt efficaciæ, ſiquidem antiquis omnibus probabatur garum, non Romanis tantum; Qua de re in noſtra dubii ſolutione perſiſtimus, concludentes garum duplici fuiſſe in differentia, quoad eſſentiam; Garum namque primum liquamen erat, ſeu liquor, quo vtebantur ad condienda cibaria, ſicuti nos vtimur butyro, oleo, porcina adipe liquata, & ſimilibus, & hæc materia

non

non erat odorata, nec maximi pretii. Sic cerebra animalium & oua garo conditi tradit Galenus *Comment.1.in Hippocrat.de victus ratione*,& ficus cum ſale,aceto & garo, *lib.2.de aliment.facult.cap.8.* & fœnum Græcum ex garo, *libro eodem, cap.11.* Secundum, gari appellatione nuncupabant dapes nonnullas guſtui delicatas, ex pluribus aliis conſtantes vna cum gari ingreſſu & conditura. Primum probari poteſt ex Plinii dictis ſuperius allatis *lib 31.cap.8* vbi inquit,bibi poſſe, & *lib.32.cap.vlt.* vbi ait: *Quidam putarunt garum eſſe oleum ex ceto & maioribus piſcibus confectum.* Galenus & ipſe *lib.1.de aliment.facult.*docet,multa garo intingi & madeſcere, vti lupinos,ac alia legumina.Paulus Æginera *lib.3.*pro hæmorrhoidibus panem in garum infundit. Galenus idem quoque *lib.7.de ſimplic.medic.fac.* idem confirmat, vbi de colla ſeu glutine ex garo. Antiqui idem Medici in coxendicum doloribus,clyſteres ex garo conficiebant; quamuis iure ſuſpicari poſſimus, his in locis à Medicis accipi garum non pro liquamine piſcium ſapidiſſimo, ſed pro ſimplici ſalſugine, in qua piſces ſaliuntur,ſeu ſale condiuntur, vt diutius aſſeruentur.Sed quomodocunque garum, quo antiqui in cibariis vtebantur, vt diximus, conficiebatur ex piſcium inteſtinis. Modum vero conficiendi docet Conſtantinus Cæſar *in Geoponico, ſeu de agricultura, lib.20.cap 45.*vbi binos illius conficiendi modos deſcribit, quarum alteram confectionem gari à Bithiniis præparatam vocat, vnde *Garum Bithinium* dictam. Alterius vero,quam vocat *liculmen*, ego reponerem *liquamen*,mendum in textu eſſe exiſtimans,niſi Græcus ſcriptor voce Græca λυκύμιν nuncupaſſet. Ego ita appellatum puto voce compoſita à λύκος, quæ Græcis etſi communi ſignificatione Lupum ſignificet, nihilominus & inſtrumentum coquinarium deſignat, quemadmodum ex Pauſania & Polluce docet Cælius Rhodiginus *lib.28.cap 2. & lib.29.cap.26.* noſtris *Harpago* dictum, & altera voce ὅλμος,id eſt,pila vel mortarium, quibus inſtrumentis cum illa gari confectio pararetur, λυκόλμιν ideo vocatum, quæ vox poſtea à Latino interprete etiam recepta eſt. Sed cæteris excellentius garum ſociorum dictum colligimus, ita

appellatum, quod ex Hiſpania, quorum populi ſocii P.R. dicebantur, excellens mitteretur garum; Scombri enim in Hiſpania,& præſertim in Inſula Herculis,quæ & Scombria dicta, copioſi & pingues naſcebantur, de qua Inſula Strabo *libro tertio*, ex quibus pretioſius garum conficiebatur, cuius meminit Galenus *libro tertio de compoſit.medic.ſecund.loc.* vbi Archigenis pharmaca ad aurium dolorem refert, inquiens: *Garum Hiſpanum calefactum per ſtrigilem inſtillato.* Hunc & nigrum appellauit idem author *libro eodem*, vbi remedia recenſet ad vlcus depaſcens; ait namque: γάρου μέλανος ῥωμαϊστὶ λεγόμενον σοκιόρουμ, id eſt, *Gari nigri ſociorum appellati.* Ex quibus patere puto, hallucinatum Ioan. Langium *Epiſt Medicinal.* 59. vbi contendit dicendum, *Garum* non *ſociorum*, ſed *aſſociorum*, eo quod *aſſocij* dicerentur prodigi helluones, quorum catalogum recenſet Vlpianus apud Athenæum *lib* 4.*Dipno*. & meminit quoque Pſellus *de victus rat.* Quod pariter confirmare poſſumus ex Antonio Gallo,*Epiſt.libro ad Paulinum*, ita ſcribente: *Quanto me affecit beneficio, non delata quidem, ſed ſuſcepta querimonia mea. Pauline fili, veritus diſplicuiſſe oleum, quod miſeras, munus iteraſti: addito etiam Muriæ Barcinonenſis condimento cumulatius præſtitiſti. Scis autem, me id nomen muriæ, quod in vſu vulgi eſt, nec ſolere, nec poſſe dicere, quum ſcientiſſimi veterum & Græca vocabula faſtidientes, Latinum in Gari appellatione non habeant, ſed quocunq; nomine loquor, liquor iſte ſociorum vocatur.* Braſauolus loco citato tradit, Garum ſociorum appellatum, quod bibuli conſocii, ac vino dediti ad ſitim irritandam, dum inuicem propinant, eo vterentur; Qua in re ipſe damnandus, dum inuehitur in Georgium Merulam, cauſam aſſignantem nomenclaturæ huius, quam & nos ſuperius adduximus. Concludamus itaque, Garum ſociorum, nigrum & Hiſpanicum quoque vocatum. Deſcribit Cæſar Conſtantius loco citato etiam & confecturam gari αἱματίου, hoc eſt, ſanguinei, ex ſanguine piſcium, ex quo conficiebatur, appellati, de quo Martialis in *Xeniis* inquit:

*Expirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo,*
*Accipe faſtoſum munera cara garum.*

Ex quibus colligimus, hunc primarium dictum, eo quod conficeretur ex primo ſanguine ſcombri, non ex inteſtinis & aliis piſcium partibus abiiciendis, & de hoc intelligendum puto Pauli Æginetæ dicta *lib.3.cap.59.* vbi ad Hæmorrhoidas reſtringẽdas laudat panem purũ intinctum in garo primario, quem γάρου πρώτειον appellat. Garum quoq; arcanum vocatum reperio à Martiale *in Epigramm. ad Dextrum*, qui integrum aprum à ſe occiſum Martiali dono miſerat, quo inſpecto, & culinæ futuræ ſumptum reformidans, aprum ſimul cum Epigrammate ad Dextrum remiſit, in quo ita ſcriptum legimus:

*Sed coquus ingentem piperis conſumet aceruum,*
*Addet & arcano miſta falerna garo.*

Cur vero arcanum vocauerit, varii varia ſcripſere. Nonnulli aiunt ita dictum, quod eo ſocii in compotationibus in loco ſecreto exercitis vterentur. Alii, quod ob perfectionem & excellentiam in loco arcano ſeruaretur, ne abriperetur ab aliquo. Alii demum aiunt, arcanum vocatum, quod in falerno permixtum falernus illi ſupernataret, ita vt eundem occultaret. Nos forte rectius exiſtimamus dicendum, arcanum dictum, eo quod illius confectio & compoſitio Romæ ignoraretur, & in Hiſpaniis tantum excellens pararetur, indeque Romam conueheretur. Vnde Plinius *libro 32. capite 7.* de aurium vitiis agens, inquit: *Sunt qui laudant Gari excellentis ſociorum cyathum*, addens particulam *excellentis*, quia ſociorum Garus omnium erat præſtantiſſimus.

Sed vnde digreſſi ſumus reuertentes, illud poſtremo addimus, Garo in condiendis cibariis ſapidiſſimis vſos antiquos, qui etiam ob id Gari nomenclaturam aſſequuti ſunt. Quinimo & compoſitiones quaſdam excellentes Garum appellarunt nonnulli, quamuis Garum minime recipientes, qualis eſt illa, quæ *libro 3. de medicamentis facile parandis* deſcribitur ſub inſcriptione iſta: *Confectio Gari Ioachi Martyropolitæ*, ſiue liber ille ſit Galeni, ſiue cuiuſuis alterius. Ita Oxygarum obſeruamus apud Columellam, Moreti genus, tamen ab ipſo factum. Moretum autem

 alte-

Idem autem puto ſignificare *Cupediarium & cupedinarium*, ambo à cupedia deriuati; Niſi per cupediarium interpretemur eum, qui lautiores dapes excogitaret, & in vſum traheret, ipſeque perficeret, vel coquis conficiendas iniungeret, & mandaret, quo genere hominum, ſicuti etiam popinariis, tabernariis, ſeplaſiariis, lenonibuſque, Heliogabalum præcipue oblectatum idem Lampridius teſtatum reliquit. Budæus *in annotat. in Pandect. ad tit ſi menſ. falſ. mod. dix.* cupedipetas vocat iudices cupediis inhiantes, qui ſcilicet muneribus eſculentorum & poculentorum lautiorum ad iudicia ferenda incitantur; vnde ait: *Qui litium finem ac ærumnarum exitum cupiunt à foro cupedinis in forum iudiciale conuolandum.* Tradit Ammia. Marcell. *lib.* 25. de Iuliano Imp. *Cui non cupedia ciborum ex Regio more, ſed ſub columellis tabernaculi porticus cœnaturo pultis portio parabatur exigua, etiam munifici faſtidienda gregario.* Et lib. 26. vbi de Procopio: *Igitur Cupediarum vilium mercatores, & qui intra Regiam apparebant.* Et lib. 30. *Cumque apponerentur exquiſita cupedia.*

## ÆL. LAMPR. IN HELIOGABALO.

*Odores Indicos ſine carbonibus ad vaporandas Zetas iubebat incendi.*

TVrnebus *Aduerſ. lib.* 24. *c.* 4. Zetas *diætas* interpretatur, inquit enim: *Vt pro διαπλούτως ἐξαπλούτως dicitur, & in Antonini Itinerario Zarrhytum pro Diarrhyto, & apud Cyprianum, Zabolum pro Diabolo, ita & Zeta pro Diæta dici poteſt.* Addamus nos, quod Rhod. *lib.* 12. *c.* 18. adnotauit, in fragmentis Cæciliis Minutiani Apuleii *de Ortographia*, Diætam etiam Zietam dici, & præter Cyprianum, Hilarium, Ambroſium, Paulinum, Zabolum pro Diabolo, Zacynthum pro Diacynto, & Zaconum pro Diacono ſæpe ſcripſiſſe, quam ſententiam ſecutus Briſſonius *de verb. ſign.* 4. in quem perperam inuehi Torrentium *in Suet. Commentariis in Claudio, c.* 10. ex dictis conſtat. Eſt autem Diæta ædificium vel membrum domus, cœnationem & cubiculum habens. Plinius lib. 5. Epiſt. *Contra mediam fere porticum Zeta paulum recedit.* Ita & eam appellauit Iulius Pollux, Cœl. Rhod. loco citato hanc & ipſe ſequi

ſententiam videtur, meminitque ex Strabone, ab Antonio Alexandriæ Regiam Diætam extructam, quam Timonium nuncupauit, quod Timoniam ſolitariamque vitam poſt Actiacam calamitatem eſſet acturus. Tranquillus *in Claudio*, Diætæ Thermææ verba fecit. Et Lampridius *in Alex.* tradit eum ſtruxiſſe Diætas, quas Mammeas vocauit. Lucullus, Plutarcho tradente, Diætam ædificauit Apollinis nomine celebrem, vnde illud: *Cœnatur in Apolline.* Hinc Zetarii apud Paul. *lib 3. Sent. tit. 6.* iidem qui Diætarii dicuntur, *l. quæſitum eſt, §. idem reſpondit.* Plinius ſcribit vbi ſupra: *Eſt in hoc Zeta, dormitorium cubiculum, quod die clamorem & ſonum excludit, iuncta que ei quotidiana amicorumq; cœnatio.* Alex. ab Alexandro, *Gen. lib. 5 c. 6.* ſcribit: *Zeta locus erat vnius cubiculi capax, Solem hybernum proſpectans, ita conſtructa, vt per heliocaminum vaporem acciperet. Erat enim cubiculum hybernum frigori accommodatum, quod nunc Sole, nunc igne æſtuaret.* De Zetæ heliocamino Vlpianus *in l. ſi arborem, D. de ſeru. vrb præd.* quam vocem Budæus in prioribus Annot. interpretatur Solare vaporarium in aprico loco ſitum ad calorem Solis excipiendum, vt Zeta calefiat, de qua Plinius *lib. 2. Epiſt. 17.* ita ſcribit: *In hac Heliocaminus quidem alia Xiſtum, alia mare, vtraque Solem proſpicit.* Huic ſententiæ fauet nominis Etymologia, Zeta enim dicta ἀπὸ τοῦ ζέειν, quod eſt *feruere*, vel ἀπὸ τοῦ ζῆν, quod in ea commodiſſime viuatur, ob idque Cæcilius eam amores ſuos vocauit. Calepinus in dictione *Zeta*, inquit: *Eſt locus capax vnius lecti, cum ſellis duabus, qui velis obductis & reductis modo adiicitur cubiculo, modo auffertur*, ſed cum nullum habeat authorem, cuius authoritate id confirmet, cumque ex dictis ſuperius conſtet, ſtabilem fuiſſe locum, ipſius opinio penitus reiicienda. Plura de Zeta lege apud Io. Mariam Cataneum *in Commentario ad ſecundum lib. Epiſtolarum Plinii.* Zetæ diminutiuum *Zeticula*, de qua Plinius: *Mox Zetecula refugit quaſi in caminum.* Concludamus itaque, Zetam fuiſſe locum perſimilem illis, qui frequentiſſimi ſunt in Germania, ac ſtuffæ appellantur ab Italis, in quibus moram trahunt, & cœnant, prope etiam eſt cubiculum, in quo cubilia ad dormiendum fabrefacta. Ex dictis Nicolai Perotti *in Cornucopia* error detegitur, ſcribentis:

*Zeta*

*Zeta, quæ in vſu noſtra tempeſtate non ſunt: Veteres autem frequentiſſimas in domibus habebant, loca erat in variis partibus domus, ad quæ per meatus quoſdam inter parietes relictos, qui tubuli dicuntur aſcendentes ex imo ſpiritus frigida ſeu calida aqua in paulmento inferiore ſparſa locum ipſum aut tepefaciebant, aut refrigerabant, prout ratio temporis exigere videbatur.*

## ÆL. LAMPR. IN HELIOGABALO.

*Ad tibias dixit, tuba cecinit, pandurizauit, organo modulatus eſt.*

ΠΑνδούρα, καὶ πανδοῦρις Græcis genus muſici inſtrumenti eſt, & πανδουριστὴς, vel πανδοῦρος, qui eo inſtrumento vtitur, à qua voce verbum *pandurizare* deflexum, quod eſt eo inſtrumento vti. Ariſtophanes *in Themophoriazuſis* Pandorum muſici inſtrumenti meminit. Id autem curuum & cauum fuiſſe, ſicuti nobis lyra, cithara, & quod vulgo *Leuto* dicitur, coniicere poſſumus; nam pando Latinis *incuruo* ſignificat. Plinius lib. 6. cap. 42. *At populus circa omnia inferiora pandatur.* Et paulo poſt: *Facile pandatur iugulans.* Et Vitruuio arbores pandatæ dictæ, quæ in ædificiis curuantur. Et eidem lib. 7. cap. 1. *Pandatio in cauum curuatio.* Hinc & Virg. ſecundo Georg.

*Lancibus & pandis fumantia reddimus exta,*

Id eſt, in cauum curuatis. Ibidem etiam & carinæ pandæ legimus. Et Martialis libro 14.

*Hic tibi donatur panda ruber vrceus anſa.*

Pandati etiam dicuntur, qui oneribus nimiis ſuccumbentes incuruantur. Plinius de apibus: *Tolaque onuſta remeant ſarcina pandata.* Panduram ex lauro marina compegiſſe Troglodytas, Varro & Martianus ſcriptum reliquere. Ab hoc inſtrumento *Panduriſta*, qui illud pulſant, dicti, & *Pandurizare* eſt illud pulſare. Heliogabalus itaque ſicut tuba cecinit, & organo modulatus eſt & ad tibias dixit, ita quoque Pandorum pulſauit, vel ad illius ſonum cantauit, quod pandurizare ſignificat, iure nullo refragante.

ÆL.

## ÆL. LAMPR. IN ALEX. SEVERO.

*Tribunos qui per ſtellaturas militibus aliquid tuliſſent, capitali pœna affecit.*

ANnotauit Ioan. B. Egnatius, in hoc loco, per ſtellaturas intelligendum ſtellionatus crimen, quod in re militari late patet, quodque locum habebat, quum tribuni milites fraudaſſent in annona vel ſtipendio percipiendis. Stellionatus namque appellatur à Iuriſconſultis fraus omnis, crimen, dolus, atque impoſtura, quæ propriam ſignificationem non habet, & in proprium delicti nomen non cadit, *l.7.§.1. D. ad Turpil.* Cœl. Rhodig. *lib.11. cap.8.* ſcribit: *Stellaturam ſunt qui in fraudum vſurpent ratione. Illud grauius, quod eruditis obſeruatum ſcio. Stellaturam in militaris annonæ erogatione videri in frumentariis teſſeris perſimilem, quibus acceptis plebi gratuito diſtribuebatur frumentum, quippe hac contributa vilius conſtabat militibus annona. Meminit in Alexandro Lampridius.* Hactenus Rhodig. Alciatus *in annot. ad tres poſt. lib. C. de erog. mil. Annonæ. l. ſeptem diebus ſtellatura.* ſcribit: *Vocabulum hoc inuentu rariſſimum interpretor, vt fere teſſeram frumentariam ſignificet, niſi quod teſſera gratuitum frumentum plebi dabatur, ſtellatura viliore pretio militibus vendebatur, idque à Parocho ſeu opinatore, qui à munificibus paganis acceptas ſpecies adærabat, id eſt æſtimatas in militare ærarium (magazino vulgo vocant) referebat, vt nomine ſtellaturæ diſtribuerentur.* Wolphgangus Lazius *lib.12. Comm. Reip. Rom. circa fi.* ſcribit: *Quando annona loco pecuniæ in ſolutum militibus dabatur, dicebatur ſtellatura, quæ per teſſeras ſtellatas ſpecies alias pro annona accipiebant.* Ego certe, vt & meam ſententiam in re perdifficili promam, exiſtimo neminem ex ſuperius adductis ſcriptoribus exacte ſtellaturæ ſignificationem enarraſſe. Et inter hos minus qui ad crimen ſtellionatus recurrunt; ſiquidem textus Lampridii verbis & alterius Spartiani *in Peſcennio Nigro*, mox adducendi, minime aptari poſſe hanc interpretationem adeo manifeſtum eſt, vt in ea confutanda laborandum non ſit. Itaque ipſe quam magis probem explicationem huius vocis, ex Iuriſperitis propono; Quæ ſi lectori placuerit non incallum excogitaſſe gratum erit, ſin minus, in diffi-

in difficilib. voluiſſe ſat erit. Teſſeram militare ſignum præcepti ſeu mandati Ducis aut Imperatoris exequendi, fuiſſe manifeſtum eſt, præſertim ex Liuio *lib.* 27. ſcribente: *Teſſera per caſtra ab Liuio Conſule data erat, vt Tribunum tribunus, centurio centurionem, eques equitem, pedes peditem acciperet.* Et lib. 28. *Teſſeram veſperi per caſtra dedit, vt ante lucem viri equique pranſi eſſent, armatus eques frenatos ſtratoſque teneret equos.* Teſſerarii vero dicebantur teſte Vegetio *lib.* 2. *c.* 7. qui teſſeram per contubernia militum nunciabant, vel deferebant. Huiuſmodi namque bellicum ſymbolum ligneæ tabellæ latæ erat inſcriptum; quod teſtatum reliquit Polybius de teſſera militari ſcribens. Fuit & alia teſſera militaris, quæ ſignum erat, quo milites ſinguli frumentum acciperent; cum teſſera enim poterat vnuſquiſque miles certam partem annonæ petere, & tuto recipere *l. mortuo boue, l.* 50. *§.* 1. *de leg.* 2. *l.* 2. *de frumen. Alex lib* 11 *Cod. tit.* 27. *& alibi etiam*, ſtatuto pretio perſoluto, vel ad ſtipendii computum. Fuit tertio teſſera militaris, & hæc ſtellatura dicta, qua milites annonam ex publico commeatu donatiui loco percipiebant, veluti buccellatum, aliumve panẽ, vinum, acetum, lardum, & carnem veruecinã, idque ſtellata teſſera dicebatur, quod colligimus ex l. 12. C. de erog. mil. annonæ lib. 12. *Septem dierum*, inquiunt Impe. ad Anthemium, *per quos reſiſtentes tribuni emolumenti gratia ſolemniter ſtellaturæ nomine conſequuntur ſpecies, non aliter adhibentur, niſi vt in foro rerum venalium diſtrahuntur.* Quod & videtur expreſſum in Codice Theodoſiano in Conſtitutione quadam Honorii & Theodoſii ad eundem Anthemium in hæc verba: *Si quas ſub gratia donationis, à militibus auferunt, quas merentur annonas: Duces ſeu tribuni iuxta nummaria defixa precia ſine vlla dubitatione percipiant.* Ex quib. colligimus, quod ſi populi, aliive publicam adminiſtrationem exercentes, ſeu obtinentes, annonæ ſpeciem donatiui loco debitam militibus non perſoluerint, illis Ducibus ſeu Tribunis prædicti emolumenti gratia ſatisfaciendũ iuxta pretium, quo in foro venali dictę ſpecies vẽduntur, iuxta defixa precia, nã Tribuni poſtea prædictas res, ſeu earum precium militibus ſibi ſubiectis ſigillatim impartiebantur; Quos ſi per ſtellaturas militibus aliquid

aliquid tuliſſent, capitali pœna affecit. Alexan. Seuerus, ex Lampridio, quemadmodum ex Spartiano Peſcennius Niger, tribunos duos quos conſtitit ſtellaturas accepiſſe, lapidibus obrui ab auxiliaribus iuſſit.

Cur autem hæc teſſera ſtellatura dicta ſit, varii varia dixere. Alciatus loco citato inquit deriuatum à columnis, ſeu pilis, in quibus fœdera ſcribebantur, quæ à Plin. *lib. 6. cap. 29.* ſtelæ dicuntur. Quæ tamen ſententia minime recipienda, tum quia deriuatio nimis à lõge petita, tum quia ſtela in hac ſignificatione, per ſimplex l, ſcriptũ obſeruamus apud eundem Plinium & Iſocratem *in Panegyrico*, & Demoſthenem itentidem. Nec minus dicendum cum eodem Alciato, deriuari poſſe à ſuggeſtu regali, ex Am. *lib. 19.* vbi habet: *Stella regalis cum aureo puluinare nullo vetante direpta eſt*; nam eo in loco inemẽdatus eſt codex, & legendum *ſella* non *ſtella*, vt ipſemet adnotauit Pandulphus. Prateius in iuris Lexico rectius ἀπὸ τοῦ στέλλειν, id eſt, mittendo deducit vocabulum, nam per teſſeram ſtellaturæ mittebantur militibus annonæ ſpecies, ſeu earum precium eo pacto, quo diximus. Nos exiſtimamus à figura earundem ita appellatas; nam ſicuti præmemoratæ taleolæ planæ & quadratæ erant & ligneæ, vt ex Polybio diximus, in quibus ſcribebatur, ſeu igne notabatur quod opus erat, ſcribente Plinio *libro 16. capite 18.* teſſeris aptiſſimum liguſtrum, lignum enim eius molle & tractabile, quæ poſtea & aliquando figuræ rotundæ fuerant, ex Dione *in Nerone, & Tito*, ita iſtæ forte ſenum laterum fuere, ſeu in ſtellæ figuram conformatæ, ad hoc, vt à cæteris diuerſæ primo intuitu dignoſcerentur. Hinc fortaſſe apud nos peruenit, vt taleolus paruus à ſtipite ſeu trunco craſſo exciſus, vulgo *ſtellas*, appellemus. Addamus verbum Græcum στέλλω etiam ſignificare *ordino*, ob idque huiuſmodi teſſeram ſtellatam, ſeu ſtellaturam dictam, quia cum ea quid dandum militibus eſſet annonæ, & quantum percipiebatur.

ÆL.

# ÆL. LAMPR. IN ALEX. SEVERO.

*De promouendis etiam ſibi annotabat, & perlegebat cuncta pictatia, & ſic faciebat diebus etiam pariter annotatis, & quis, & qualis eſſet, & quo inſinuante promotus.*

OMnia iudicum nomina per decurias ſcripta erant in loco, qui album dicebatur, Græcis λεύκωμα, ex Demoſthene contra Timocratem, & Suida ex mox dicendis, noſtratibus matrix ſeu matricula dicta, ex Vegetio & Ammiano Marcellino. Erat autem tabella dealbata, ſeu potius paries dealbatus, vbi etiam edicta publica deſcribebantur. Suidæ hæc ſunt verba: λεύκωμα τοιχός ἐστὶν ἀληλιμένος γύψῳ πρὸς γραφὴν, πολιτικῶν πραγμάτων ἐπιτήδειος, id eſt, *Album eſt paries gypſo illitus ad negotiorum politicorum deſcriptionem aptus:* Suidæ aſſentitur Turnebus *in præfatione ad Plinium.* Eiuſdem opinioni fauere videtur Liuius *libro* 40. vbi habet de Lepido loquens: *Theatrum & Proſcennium ad Apollinis ædem Iouis in Capitolio, columnaſque circa poliendas albo locauit, & ab his columnis, quæ incommode appoſita v. debantur, ſigna amouit, clypeoſque de columnis, & ſigna militaria affixa omnis generis dempſit.* His ſe opponit Alciatus *primo Prætermiſſorum*, negans album de pariete dici poſſe. Nos de pariete, & charta, & aliis conſimilibus dici poſſe exiſtimamus. Quod etiam indicare videtur Vlpianus *in l. ſi quis id quod, l. 7. ff. de iuriſdict. omn. iudic.* vbi inquit: *Si quis id, quod iuriſdictionis perpetuæ cauſa, non quidem prout res incidit, in albo, vel in charta, vel in alia materia propoſitum erit, dolo malo corruperit, dabitur in eum quingentorum aureorum iudicium.* Ita etiam *Pictatium*, quod nihil aliud ſignificat, quam tabula ad ſcribendum parata & apta, à voce Græca πυκτίον, πυκτίς, & πυκτός. Vnde *Pyctatium* per y, ſcribendum conſtat, & per *ct*, non per duplex *tt*, quod aliqui perperam faciunt. Et Pictacium accipit Cornelius Celſus *libro tertio, capite decimo,* pro panno albo illito medicamento quodam ad capitis & cordis dolorem ſedandum. Et in decretis Canonicis *in cap. Pictatium, trigeſimo, quæſtione ſecunda*, accipitur pro libello ſeu charta epiſtolari, non ſcripta. Ita & lac, quod coaguli poteſtate coit, vulgo iuncatum, *Picten* dici teſtatur Rhod.

*lib.* 7.

*lib.7.c.29.& lib.9.c.23.* tradit chartulas illas, quæ veluti amuleta ægrotantium collo ſuſpenduntur, Pyctatiola vocari. Sed ad rem noſtram reuertẽtes, dicimus Pyctatium, ſeu album, multi generis fuiſſe apud Romanos, quod ex lectione antiqua obſeruatur; erat enim album promouendorum ad magiſtratus, ſcilicet, in quo promouendi deſcripti erant nominatim. De quo hic Lampridius. Erat etiam album Iudicum, de quo Suetonius *in Claudio, cap.16.* in hæc verba: *Splendidum virum, Graciaque Prouinciæ principem, virum Latini ſermonis ignarum, non modo iudicum albo erafit, ſed etiam in peregrinationem redegit.* Et in Domitiano, cap.8. *Equitem Romanum ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimiſſæ adulterii crimen obiecerat, eraſit iudicum albo.* Meminerunt & iura de albo, in quo iudices deſcripti erant, *l.1. de albo ſcrib. lib.50. P. tit.3.* vbi docetur, quod qui prior in eo ordine ſcribitur, prior etiam dicat ſententiam. Et Senec. *lib.3. de benef.* ſcribit: *Iudex ex turba electorum, quem cenſus in album, & Equeſtris hæreditas miſit.* Fuiſſe autem & album Pontificium, videre eſt apud Liuium *libro* 1. in Anco Martio poſt principium, vbi habet de ſacris verba faciẽs: *Omnia ea ex commentariis Regiis Pontificum Maximorum in album relata, proponere in publico iubet.* Pontificii albi meminit queq; Cic.2. de Orat. *Pontifex Maximus res omnes ſingulorum annorum mandabat literis, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, vt poteſtas eſſet populo cognoſcendi.* Ex quibus tamen percipere poſſumus, album huiuſmodi Pontificum non fuiſſe eius generis, vt in eo Pontificum Maximorum nomina deſcriberentur ſolum, ſed & acta quædam. Senatorii albi meminit Cornelius Tacitus *lib.4.* inquiens, Apidium Merulam, quod in acta D. Aug. non iurauerat, albo Senatorio eraſum. Albi Prætorii fit mentio apud Iuriſtas *in l.1. ff. de eden. & in l. ſi quis id quod, & alibi ſæpe.* Erat & album Decurionum, de quo Vlpianus *in l.1. ff. de albo ſcrib.* Symmachus *lib.1. epiſt. ad Theodoſium Auguſtum* ſcribit: *Sed quum Venerem Stratonis illicitam, vſurpatamque militiam Marcellus argueret, quod Decurionum aſcriptus albo, vt geſta: docuerunt, aduerſus leges & Palatina caſtra tranſiſſet, &c.* Et Sueton. in Tib. lib.51. *Inſtanti ſæpius vt Ciuitate donatum in decurias allegeret, negauit alia ſe conditione allecturum,*

*quam*

*quam ſi pateretur adſcribi albo, extortum ſibi id à matre.* Et Citharædorum albi meminit idem Suetonius *in Nerone, cap.* 21. per hæc verba: *Sine mora nomen ſuum in albo profitentium citharædorum iuſſit aſcribi.* Aliorumque ordinum & profeſſionum aliarum artium apud Romanos alba, nempe matriculas fuiſſe (quod & hodie obſeruatur) non ambigimus. In ſacris paginis *Ioſue 9. cap.* legimus, calceamenta perantiqua ad iudicium vetuſtatis Pytatiis conſuta. Quo loco patet intelligi per *Pytatia* fruſta corii, quibus calcei antiquitate diſrupti & vſu, reſarciebantur.

## ÆL. LAMPR. IN ALEX. SEVERO.

*Quum edulitatem ab ipſo Populo Romano peteret.*

HOc vocabulo edulitatis vſus eſt Papinianus *libro 17. de compenſ.* inquiens; *Ideo condemnatus, quod arctiorem annonam edulitatis tempore præbuit, frumentariæ pecuniæ debitor non videtur, & ideo compenſationem habebit.* Sunt tamen, qui eo in loco *edilitatis*, non *edulitatis* legunt. Sed male, teſtimonio Prateii *in iuris Lexico*, & Duar. *Diſpunct. libro* 10. *cap.* 26. ibidem interpretantium edulitatem, eduliorum largitionem, quæ à Principe in populum, quum magna eſſet annonæ caritas, fieri ſolebat. Horum ſententiam improbare non audeo, mihi tamen videtur ex legis verbis, & ex hoc loco Lampridii affirmari poſſe, edulitatem fuiſſe potius eſculentorum precii moderamen & diminutionem, quam eorundem donationem; ſiquidem cum Populus Romanus edulitatem ab Alexãdro Seuero petiiſſet, ipſe interrogauit per Curionem, id eſt, per præconem, vt alibi oſtendimus, quam ſpeciem earum optarent, illi continuo exclamauerunt, carnem bubulam & porcinam. Tunc ille non quidem edulitatem propoſuit, id eſt, vt ego interpretor, pretii diminutionem, ſed iuſſit, ne quis ſuminatam occideret, hoc eſt, porcam lactẽtem; ex cuius papillis ſumen, vulgo *ſomata* conficitur, ne quis lactentem, ne quis vaccam, ne quis damalionem iuuencã ſcilicet, quæ Græcis *δάμαλις* dicitur, tantumque intra biennium vel prope annũ porcinæ carnis fuit, vt bubulæ, vt quũ fuiſſet octominutalis libra (id eſt, quæ octo minutis nũ[illegible]is,

 [illegible] ſt;

id eſt, minimis vendebatur) ad duos vnumque carnis libra redigeretur. Quibus in verbis nullam edulіatum donationem, ſed pretii tantum diminutionem colligimus. Teſtatur Cœl. Rhodig. *lib. 9. cap. 16.* Edulitatem apud Neotericos pro annona parum Latine poſitam comperiſſe. Quæ interpretatio cæteris memoratis minus recipienda.

## ÆL. LAMPR. IN ALEX. SEVERO.

*Qui de eo fumum vendiderat, & à quodam militari centum aureos acceperat, in crucem tolli iuſſit.*

SVnt quidam Curiales, ſeu in aula verſantes, qui ſplendidis ac magnificis pollicitationibus, quæ tamen congruo carent effectu, ſimulatam apud Principem gratiam ac fauorem precio vendunt, qui fumum vendere, ac fumi venditores per tranſlationem à Martiale *libro 4. Epigram. 5.* ad Fabianum.

*Vendere nec vanum circum palatia fumum.*

Ita & hoc loco Alex Seuerum, qui de eo fumum vẽdiderat, à quodam militari centum aureos accipiens, in crucem tolli iuſſit, per eam viam, qua eſſet ſeruis ſuis ad ſuburbana Imperatoria iter frequentiſſimum. Et paulo infra, ſcribit eundem Turinum fumi venditorem ad ſtipitem ligari præcẽpiſſe, & fumo appoſito, quem ex ſtipulis atque humidis lignis fieri iuſſerat, necauiſſe, præcone dicente, *fumo punitur, qui vendidit fumum.* Adrianus, teſte Spartiano, libertos ſuos nihil apud ſe poſſe publice ſciri voluit, damnatis omnibus, qui ſe de eo iactauerant. Meminit Demoſthenes cuiuſdam legis de re hac Athenienſium in hæc verba: ἔστιν ὑμῖν νόμος ἀρχαῖος τῶν καλῶς δοκούντων ἔχειν, ἐάν τις ὑποσχόμενός τις τὸν δῆμον ἐξαπατήσῃ κρίνειν ἢ ἂν ἁλῷ, θανάτῳ ζημιοῦν, id eſt: *Vobis Athenienſes antiqua lex è probatorum numero, ſi quis aliquid pollicendo verba populo dederit, in iudicium duci, conuictum morte multari.* Et Lampridius ad Conſtantinum Imperatorem in calce vitæ Alexandri ſermonem dirigens, eum commonefacit vt huiuſmodi hominum peſtem deuitet, inquiens, illos à Populo etiam amiciſſimum Principem ſemouere, quique internuncii aliud ſæpe referunt, quam reſponderit Princeps,

ceps, claudentes eum & agentes ante omnia, ne quid ſciat. *Scio Imperator Conſtantine, quo periculo iſta dicantur apud Imperatorem, qui talibus ſeruit, ſed ſalua Repub. poſtea quam intellexiſti quid mali clades iſta habeant, & quemadmodum Principes circumueniant &c.* De Phoca Imperatore legimus: *Secreta cum ſuis aulicis Perſico more diſpoſuit, legatos audiebant, magiſtratus dabant: Quo in eo qui imperat, miſerius, ac deterius eſt nihil. Paulatim enim fumi grauiter lædere ſolent. Gratiores apud eum erant; qui inexplebili rapacitate populos vexabant.*

## ÆL. LAMPR. IN ALEX. SEVERO.

*Oceani ſolium primus inter Principes appellauit, quum Traianus id non feciſſet, ſed diebus ſolia deputaſſet Antonini Caracalli Thermas additis ſortionibus patefecit, & ornauit, &c.*

NOn modo ſolium ſedem præcipue Regalem apud Latinos ſignificat, ſed & vas, quo ad balnea vtimur; Ita Celſus ægros in ſolio aquæ calidæ dimittendos tradit; Et de Auguſto Suet. *Inſidens ligneo ſolio (quod ipſe Hiſpanico verbo Duretam vocabat) manus ac pedes alternis iactabant.* Et Martialis:

*Non vis in ſolio prius lauari.*

Alex. itaque Seuerus in ſuis Thermis ſolium adeo magnum fabricauit, vt in illo quamplurimi lauarentur, quod Oceani ſolium vocauit à magnitudine, quemadmodum in ſacris paginis capaciſſimum illud in templo vas à Salomone Rege dicatum, de quo 3 *Regum cap.* 7. Mare appellatur; Ex vaſis quoque vaſtitate Oceanum ſolum in ſuis Thermis poſitum vocauit Alex. Seuerus, in quo quicunque voluiſſet, quocunque die lauari potuiſſet, quum Traianus in ſuis Thermis diebus ſolum deſtinatis ſolia deputaſſet, & in Caracalli Thermis non pro libito, ſed ſortionibus lauarentur. Legendum enim puto *ſortitionibus*, non *ſortionibus*, quæ vox minus Latina eſt, &c. Sic Nilum eadem de cauſa, Oceanum quandoque vocatum, adnotauit Cœl. Rhodig. *lib.* 20. *c.* 13. ſic & locum in Theatro, in quo ſederent Equites, qui quamplurimi erant, & ideo neceſſario magnæ capacitatis eſſe debebat, Oceanū appellatū puto apud Martial. *lib.* 5. *Epigr.* 3. ad Baſſum:

*Quæ poſtquam placidi Cenſoris cura renaſci*
*Iuſſit, & Oceano certior audit Eques.*

Et rurſus Epigram.27.

*Bis ſeptem tibi iam non ſunt ſubſellia tanti,*
*Vt ſedeas viſo pallidus Oceano.*

Et lib.5.Epigram.6.

*In Pompeiano dormis Leuine theatro,*
*Et quereris, ſi te ſuſcitat Oceanus.*

## ÆL. LAMPR. IN ALEX. SEVERO.

*Conſulatum ter iniit tantum ordinarium, ac primo nundino alios ſemper ſuffecit.*

QVum Comitia habenda eſſent pro lege aliqua ſancienda, ſeu aliquo iudicio exercendo, aut magiſtratu creando, edicto publico indicebantur, & poſt edicta comitia trinundini ſpatium relinquebatur, partim vt ad eam diem populus vndiq; ex Italia conuenire poſſet ad ſuffragia ferenda, partim vt candidati populo frequentiori, & non modo vrbanæ, ſed etiam ruſticanæ multitudini ſupplicare poſſent. Erat autem trinundinum ſpatium dierum, ita appellatum, quoniam homines, quos ex agris ad comitia conuenire oportebat, niſi nundinis, hoc eſt, nono quoque die, non veniebant. Conſulum autem munus fuiſſe cõſtat, edictum comitiorum promulgare, trinundinum aſſignare, & prouidere, vt in diem comitialem dies edicto præſtituta incideret; Quod ſcribit Liuius *libro* 22.& 35. Trinundinum autem obſeruatum in magiſtratibus creandis etiam Reipub. temporibus, conſtat eo eodem Liuio ſcribente lib.3. *Poſtquam Comitia Decemuiris creandis in trinundinum indicta ſunt.* Et ex Cicerone *in epiſtola ad Tyronem* 11. vbi de Cæſare ſcribit: *Ad Conſulatus petitionem ſe venturum, nec ſe iam velle abſente ſe rationem haberi ſui, ſe præſentem trinundinum petiturum.* In legibus quoque ferendis Trinundinum obſeruatum docet Dionyſius *libro* 10. inquiens, Tribunos plebis lege propoſita trinundini ſpatium dediſſe, vt interim ſuadendi legem vel diſſuadendi poteſtas eſſet. Et Cic. in epiſt. *Lex non iure lata dicebatur, niſi trinundino ante eſſet promulgata.* Quod pariter confirmat

mat Macrobius *lib.1. Saturnal. cap.16.* Idem quoque fuiſſe factum in Iudiciis, manifeſtum fit ex Saluſtio de Catilina ſcribente, quod quum ille reus eſſet, non potuiſſe intra trinundini ſpatium iudicium eius perfectum eſſe, propterea inter legitimos dies profiteri non potuiſſe. Et Cicero *in oratione pro domo*, accuſationem quæ tribus nundinis fiebat, trinundinum appellauit. His itaque præmiſſis facilis eſt præſentis loci expoſitio, Alexandrum ſcilicet Suerum primo Trinundini die, quem primum nundinum vocat, cum ageretur de Conſulis electione, ſibi ſemper alios ſuffeciſſe,& ter tantũ Conſulatum ordinarium iniiſſe. Nam Imperatorum tempore in ſe ipſos translata vniuerſa Populi Romani authoritate, & Conſulum deſignationem pro libito fieri volebant; Quod exemplo Cæſaris Dictatoris primi Imperatoris probari poteſt,qui Conſulem ſe,&P.Seruilium Iſauricũ deſignauit, vt ipſemet perhibet per initia libri tertii belli ciuilis, & Plutarchus tradit in illius vita. Poſteriorum vero principum innumera ſunt exempla.

## ÆL. LAMPR. IN ALEX. SEVERO.

*Quum quidam ex honoratis vitæ ſordidæ, & aliquando ſurtorum reus per ambitionem nimiam ad militiam aſpiraſſet, iccirco, quod per Reges amicos ambierat, admiſſus, ſtatim in furto præſentibus patronis detectus eſt, iuſſuſque à Regibus audiri, damnatus eſt re probata. Et quum quæreretur à Regibus, quod apud eos paterentur fures, &c.*

REges ſocios, & ſibi ſubiectos Romanos habuiſſe manifeſtum eſt. At nulli ſub Alexandro Seuero Reges Romæ fuere. Quos itaque Reges appellet Lampridius, indagandum. Regem ſacrorum Romæ fuiſſe poſt Reges exactos qui ſacra obire ſolebat, conſtat ex Liuio *lib.40.* vbi loquitur de Rege ſacrificio ſufficiendo in locum C. Cornelii Dolobellæ. At quum hic vnicus eſſet, de illo Lampridium minime verba feciſſe dicendum eſt. Horat. *lib.1. Ode 35.* Regem magiſtrum appellat tralatitio nomine inquiens:

*Acta non alio Rege pueritiæ, mutatæque ſimul togæ.*

At quæſo, qui magiſtri Romæ adeo potentes, vt honores

procurare, ac iudicia exercere poſſent? Quamobrem hoc loco per Reges interpretandum potentes, diuites, & principes viros, quos quis ſibi patronos elegerit, in quem ſenſum & apud Martialem *lib. 2 Epigr. 15.* legimus:

*Qui rex eſt, regem Maxime non habeat.*
*Quem regem, & dominum prius vocabam.*

Et rurſum eodem lib. Epigram. 48.

*Quod te iam nomine ſaluto,*
*Qui ſe non habet, atque concupiſcit,*
*Quod reges, dominique concupiſcunt,*
*Seruum ſi potes, Ole non habere.*
*Et Regem potes Ole, non habere.*

Et lib. 5 Epigram. 22.

*Rex niſi dormieris non potes eſſe meus.*

Et Columella in præfat. lib. 1. *An honeſtius mercenarii ſalutatoris mendaciſſimum aucupium circumuolitantis limina potentiorum, ſomnumque regis ſui rumoribus aucupantis: neque enim quid agatur intus reſpondere dignantur ſerui.* Ita quoque Horatius libro 2. Carm.

*Siue reges, ſiue inopes erimus coloni.*

Terent. in Phormio.

*Regem me eſſe oportuit.*

Et Cic. de lege agra. *Nihil aliud actum, niſi vt decem reges ærarii, vectigalium, Prouinciarum omnium, &c.* Ex his itaque colligo per Reges præſenti in loco intelligendum viros diuites, potentes, & principes in Vrbe, & apud Imperatorem tam vrbanos quam exteros.

## ÆL. LAMPR. IN ALEX. SEVERO.

*Milites, quos oſtenſionales vocant, non pretioſis, ſed ſpecioſis clariſque veſtibus ornabat.*

OStenſionales milites interpretatur *in Annot.* Egnat. qui ad oſtentationem tantum inſtructi habentur in Vrbe, ab *oſtento* verbo vnde oſtentatio, iactantia, ſcilicet dicta. Eandem ſententiam ſecutus eſt Cœl. Rhodig. *libro 21. capite 31.* inquiens: *Oſtenſionales milites apud Lampridium videntur dici, qui oſtentui modo habentur in vrbibus, non bellicæ rei cauſa.* Horum tamen

tamen clariſſimorum virorum opinio minus forte placere poſſet: nam non per T, ſed per S, ſcriptam legimus vocem hanc. Quare potius deriuatam puto ab *oſtendo*, à quo *oſtenſum*, & *oſtenſionalis*, vnde forte Alex. habuit milites oſtenſionales dictos ab excellentia, eo quod ſtrenui ſemper faciem hoſtibus oſtenderent; nam oſtendo dictum ab *os*, & *tendo*, os vero pro facie ſumitur, quæ & pro toto corpore, vt Donatus interpretatus eſt in illud Terentianum in Eunucho: *O faciem pulchram.* Ita Nero habuit Auguſtanos conſimiles milites nuncupatos, quorum in hæc verba meminit Tacitus *libro decimoquarto Annal.* Neronis geſta ſcribens: *Tumque primum conſcripti ſunt Equites Romani cognomento Auguſtanorum, ætate ac robore conſpicui, & pars ingenio procaces, alii in ſpe potentia.* Habuit & tales Claudius ſecundus, qui poſt Galienum Valeriani filium imperauit, ex Trebellio Pollione *in illius vita.* quos Daciſianos appellauit. Aliter etiam interpretari poſſumus Lampridii textum hunc, nempe milites oſtenſionales fuiſſe honorarios milites, quales milites, ſeu equites, quos ſummus Pontifex, Imperator, aliive principes priuilegio tales efficiunt, quamuis togati aliqui ſint & inermes, & bello exercendo minus apti, oſtentationales potius dicendi. *Hos*, inquit, Alex. *non pretioſis, ſed ſpecioſis clariſque veſtibus ornabat.* Quos & imaginarios ideo aliquando iure vocatos exiſtimo. Suetonius in Claudio, capite vigeſimoquinto. *Inſtituit imaginariæ militiæ genus, quod vocatur ſuper numerum, quo abſentes & titulotenus fungerentur.* Imaginarium enim dicitur, quod verum non eſt, ſed ita animo concipimus, ac ſi verum eſſet. Ita Liuius libro tertio. *Imaginariis faſcibus condere* dixit, & *emptio imaginaria* apud Iuriſconſultos, *imaginaria locatio*, *imaginaria apocha*, *imaginaria ſolutio*, *imaginarii contractus*, *imaginarius colonus*, *imaginarius nuncius*. & *diuortium imaginarium* legimus. Et apud Nonium, *imaginaria coemptio*. Et *Iudex imaginarius* apud Ammianum Marcellinum *libro decimoquarto.* Et *libro decimooctauo*, militem inertem vmbratilem dixit, hoc eſt, oſtenſionalem, ſeu imaginarium, vt ego interpretor, & patet ex ſerie verborum illius eodem in loco.

## ÆL. LAMPR. IN ALEX. SEVERO.

*Et Tunicas Aſemas vel Macrocheras ex purpura non magna, ad vſum reuocauit ſuum, vocales, exoletos, Acroamata.*

EXponit Egnatius *Aſemas* vnicolores, quam expoſitionem licet non improbem, rectiorem tamen exiſtimo, ſi ſimplices, id eſt, nullo opere exornatas interpretemur, ἄσημ@ enim Græcis eſt, quod nos ſine ſigno dicimus. Idem *Macrocheras* explicet manicatas. Nos potius longas manicas habentes declaramus; Nam vox Græca μακρόχειρ *longimanus* Latinis appellatur, & Artaxerxes Plutarcho *in illius vita*, & in Apophtheg μακρόχειρ dictus, quia manu altera lõgior. Idem cognomen Dario attributum à brachiorum & vlnarum longitudine, ex Strabone *lib.* 15. *circa fin.*

*Ex purpura non magna*, intelligendum puto veſtes iſtas ex panno confectas, parum purpura infectas, & non magno purpureo colore & intenſo coloratas; quæ Purpurula à Porphyrione dicta eſt, & minimi precii. Quibus vt Alex. vſus, vt ſui veſtitus nullum luxum oſtenderet, ſicuti inutilia ſeruitia populo donauit, tanquam à bono Principe minime expetenda, Nanos, Nanas, Moriones, vocales exoletos, Pantomimos, & omnia acroamata populo donauit.

Quæ eſſent Acroamata antiquis dicta, non omnibus eadem ſententia. Egnatius interpretatur, quę auditu vocis oblectent. Apud Xenophontem Socrates in Sympoſio Calliæ laudans δεῖπνον ἄμεμπτον, id eſt, cœnam omnibus numeris abſolutam; θεάματα καὶ ἀκροάματα, hoc eſt, quæ oculos & aures paſcant adiicienda monet. Et Ariſt. in quadam ſua ad Alex. Epiſt. auſcultatorios libros ſuos ἀκροαματικοὺς λόγους vocauit, de recondita Peripateticæ ſectæ diſciplina editos. Cic. *lib.* 5. *de Finib.* ἀκροαματικὸν genus librorum limatius, quod in Cõmentariis reliquerat Ariſt. vocat; Alterum vero genus ἐξωτερικὸν dicit populariter ſcriptum. Horũ meminit Gell. *lib.* 20. *c.* 4 in hæc verba: *Commentationum ſuarũ artiumq; quas diſcipulis tradebat Ariſt. Phil. Regis Alexandri magiſter, duas ſpecies habuiſſe dicitur; alia erat quæ appellabatur* ἀκροαματικὰ; *alia erat, quæ* ἐξωτερικὰ

*diceba-*

*dicebatur.* *Hæ ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, ciuiliumq́; rerum notitiam conducebant.* *ἀκροαματικὰ autem vocabantur, in quibus Philoſophia remotior ſubtiliorq́; agitabatur, quæq́; ad naturæ contemplationes, diſceptationesve Dialecticas pertinebant.* Acroamata alii dixere etiam feſtiuas recitationes, ludicrasque narrationes, in quo ſignificatu Cic.in Verr.ſexta: *Hic quaſi feſtiuum acroama, ne ſine corollario de conuiuio diſcederet, emblemata euellenda curauit.* Et in orat.pro Archia: *Themiſtoclem illum ſummum Athenis virum dixiſſe aiunt, quum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius vocem libentiſſime audiret? Eius, à quo ſua virtus optime prædicaretur.* Et ſimiliter Plinius in Epiſt. *Audiebamus*, inquit, *acroamata.* Hoc tamen in loco Lampridius dubio procul acroamata accipit pro hominibus huiuſmodi narrationes lepidas & feſtiuas recitantibus; in quem ſenſum & Suetonius *in Auguſto, cap.*74. vti nos adnotauimus, tradit, illum in conuiuiis ſolitum interponere acroamata, & hiſtriones ludios, & aretalogos. Ita & Cic.in orat.pro Seſtio: *Ille ipſe maxime ludus non ſolum ſpectator, ſed actor & acroama.* Ita & apud Macrobium *lib.2.Saturnal.cap.*4. Turonii ſeu Toranii Mangoni dictum in Auguſtum interpretandum, quamuis Torrentius in præcitatum Suetonii locum, acroamata pueros Symphoniacos interpretetur, de quibus minime hoc in textu Lampridium intellexiſſe conſtat, quum *vocales exoletos* prius coniunxerit. Niſi acroamata generale verbum dixerimus.

## ÆL. LAMPRID. IN ALEX. SEVERO.

*Vectigalia publica in id contraxit, vt qui decem aureos ſub Heliogabalo præſtiterant, tertiam partem auri præſtarent, hoc eſt, triceſimam partem.*

HVius loci perdifficilis, ab omnibusque recentioribus ſcriptoribus, quos ego legerim, adhuc intacti, explanationem vt aſſequamur, nonnulla præmittenda ſunt. Primum, *ſolidum & aureum*, ſynonyma fuiſſe antiquis, ſicuti denarium Romanum cum Græcorum drachma conueniſſe, & aureum apud poſteriores ſcriptores Græcos generali

appellatione νόμισμα dictum, ſicuti Latinis numiſma, quod in Nouellis Iuſtiniani & aliorum Orientalium Conſtitutionibus, atque apud Theophilum, Harmenopolum, Nicephorum, Zonaram, Cedrenum, paſſim obſeruamus. Quod rei nummariæ ſcriptores, vti Budæus, Agricola, Glareanus, Voluſius Metianus, Couarruuias, & cæteri pleriq; vnanimiter recepere. Secundum, Aurei æſtimationem factam aliquando numeratæ pecuniæ modo, nonnunquam ratione ponderis habita. Tertium vero, Non ſemper idem aurei nummi pondus fuiſſe, ſed temporum ſucceſſione variaſſe. Primum pro conſtanti iam poſitum. Secundum facile probari poteſt ex Plinio, *lib.* 33. *cap* 3. vbi habet: *Aureus nummus poſt annos 62. percuſſus eſt, quam argenteus, ita vt ſcrupulum valeret ſeſtertios vicenos, quod efficit in libras ratione ſeſtertij, qui tunc erat, ſeſtertios nongentos. Poſt hæc placuit* 40. *millia ſignari ex auri libris, paulatimq́; Principes imminuere pondus, minutiſsime vero ad quadraginta quinque millia.* Idem quoque comprobare poſſumus ex ipſiuſmet Lampridii verbis hoc in loco, vbi quaternarias, denarias & centenarias formas recenſet ab Heliogabalo inuentas, hoc eſt, quatuor aureis, denis & centenis conſtantes, alias vero bilibres appellat. Tertium quoque ex præcitato Plinii loco manifeſtum fit, licet corruptiſſimus à Budæo & Agricola exiſtimetur non ſolum, ſed & deploratæ fere reſtitutionis, quem tamen Hotom. ſe reſtituiſſe profitetur ſuo de re nummaria libello, colligens primum ex qualiber auri vncia tres formatos aureos nummos, ſecundo loco tres cum dimidio, tertio quatuor, ita vt in qualibet auri libra prædicta fuerint aurei nummi 36. Poſtremo 48. inclinante Imperio longe diſſimilis fuit ratio & qualitas aurei nummi. Nam Conſtantini ætate 84. aurei ex ſingula libra conflati, & per conſequens ſeptem ex qualibet vncia, & eo amplius etiam, quod aureus nummus tunc quatuor tantum ſcrupulos pendebat, quum antea didrachmalis fuiſſet, hoc eſt, ſex ſcrupulorum: nam denarius argenteus drachmalis erat, & aureus nummus cum illo in dupla proportione ſe habebat, vt fere omnes fatentur de re nummaria ſcribentes, præſertim ex inſigni Plinii loco, *libro* 19.

*bro* 19. *cap.*1.vbi inquit: *Quaternis denariis ſcrupula Byſſi permutata quondam, vt auri, reperio.* At Fannius & Priſcianus veteres ſcriptores, in drachma ſeu denario argenteo tria ſcrupula conſtituunt; Itaque efficitur ratione duplæ proportionis, aureum ſex ſcrupulorum pondus habuiſſe, ſique coniungamus ſexies quaternos, efficietur numerus denariorum viginti quatuor, & totidem ratione materiæ, & addito denario altero ratione formæ, hoc eſt, mercede officinæ monetariæ, erunt vigintiquinque, vt diximus, pro ſingulo aureo argentei denarii. Quod autem ſub Conſtantino quatuor ſcrupulos nummus aureus haberet, conſtat ex l.prima, C.Theo.de ponde. *Si quis* (inquit) *ſolidos appendere voluerit auri cocti, ſeptem ſolidos quaternorum ſcrupulorum noſtris vultibus figuratos appendat pro ſingulis vnciis, quatuordecim vero pro duobus, iuxta hanc formam omnem debiti ſummam illaturus*; ita vt ſtatuendum ſit ſecundum prius pondus 84. redigenda eſſe ad 57.ſex ſcrupulorum pro ſingulo. Poſt Conſtantinum Valentinianum ad grauiores aureos rediiſſe obſeruamus, ſtatuens, vt duo & ſeptuaginta pro qualibet auri libra conflarentur, & ita erant ſex nummi aurei pro ſingula vncia, quod colligitur *ex l.quoties*, *C.de ſuſcept.* & clare etiam Harmenop.3.*Epit.* & Zonaras Nicænæ Synodi *cap.*17. Atque hoc eſt, quod Iſidorus his ſignificat verbis: *Solidus apud Latinos alio nomine Sextula dicitur, quod iis ſexuncia compleatur.* Et apud Fannium legimus:

*Sextula quæ fertur, nam ſex his vncia conſtat.*

Hanc tamen ponderis rationem in aureo nummo & Nicephorus Phoca vitiauit, teſte Zonara T.tertio, vbi habet, ſi Græca Latina reddamus: *Erat autem præter alia, etiam ardente auaritia & pecuniæ præter modum appetens, quod vel hinc licet intelligi. Nam quum ſemper antea aurei omnes ſextulam penderent, ipſe quartarium excogitauit pondere leuiori ac diminuto. Exactiones quidem grauiori, largitiones autem & ſumptus leuiore ac mutilato nummo faciebat.* Quam hiſtoriam Cedrenus & ipſe Græcis exponit verbis, quæ ſic Latine ſonant: *Aureum* (inquit) *leuiorem fecit, Quartarium commentus, & quum ex eo tempore duo genera aureorũ eſſent, publicorũ quidem tributorũ functio grauiorem exigebat,*

*exigebat,minor autem ac leuior in ſumptus diſpenſabatur.* Quum itaque nummorum pretium & pondus, quod etiam Ariſt. dixit,ex lege imperantium & populorum inſtitutis proficiſcatur, haud mirum eſſe debet, de re nummaria nil certi eſſe,quo ad pondus & pretium, quod regulam certam faciat, qua æſtimare poſſimus aureorum nummorum pondus aut pretium antiquis Romanorum temporibus.

His ita præſuppoſitis, accedo ad Lampridii verba allegata interpretanda. Si author hic tradit, Alexandrum Seuerum ex tribus vectigaliorum binas exactionis partes remiſiſſe,ita vt qui decem aureos prius præſtiterat, tertiam tantum partem præſtaret, hoc eſt, triceſimam, vtique inuenienda ratio eſt, qua declaremus, quomodo triceſima pars prioris vectigalis, & ſic tertia tantum decem aureorum fuerit perſoluta. Profecto ſi ad aurei valorem reſpiciamus, nullo pacto illi conuenire poſſe Lampridii dicta, manifeſte dignoſcimus, ſiquidem aureum vnum vigintiquinque argenteis denariis æſtimari, omnibus receptum eſt, & præſertim conuincitur ex Dione,*lib.*55.ſcribente,aureum nummum drachmas quinque & viginti valere; & Zonara,*tomo ſecundo*, idem tradente, ita quod decem aurei ducentum quinquaginta denarios continebunt, quorum tertia pars ad triceſimam,hoc eſt, tertiam partem reduci minime poſſe,luce meridiana clarius eſt; Nec minus ad aſſes ſeu ſextertios,qui quum minoris æſtimationis ſint, magis etiam denariis ipſis multiplicari apertiſſimum eſt: namque decem aſſes æneos denarius æreus continet, & totidem æneos denarios argenteus denarius habet, & ſextertii ſeu nummi centeni aureum faciunt. Quod ex Suetonio *in Othone,capite* 4.colligitur, vbi ſcribit, illum, quoties cœna Principem acciperet,excubanti cohorti aureos viritim diuiſiſſe. Tacitus vero *libro Hiſtoriarum primo*, idem ita expreſſit: *Quoties Galba apud Othonem epularetur,cohorti excubias agenti centenos nummos viritim diuiſiſſe.* Plutarchus vero χρυσοῦν ἑκάστῳ διανέμων. Et quod idem Tacitus *libro Annal.*11.tradidit, ſcilicet Claudii inſtituto taxatum aduocationis honorarium decem ſextertium millibus. Vlpianus l.1.D.de extraord.cogn.

*centum*

*centum aureis* interpretatus eſt. Si itaque æſtimationi numeratæ pecuniæ nullo pacto triceſima pars decem aureorum tertiæ parti accommodari poteſt, reliquum erit, vt videamus, an ponderis æſtimationi aptari poſſit. Si ſcrupulos ſex in ſingulo aureo nummo numeremus, in decem aureis erunt ſexaginta, & ita tertia pars vigeſima potius erit, quam triceſima, ſi ad vnciam, quum ex dictis ſeptem ad ſummum Imperatorum temporibus ſingulæ vnciȩ fuerint adſcriptæ, nullo pacto tertiæ parti decem aureorum triceſima nec hoc modo conuenire poterit. Si ad libram auri recurſimus, vtique nonaginta aurei in libra includendi erunt, ad hoc, vt triceſima pars libræ auri fuerint triginta aurei, quod palam eſt iam dictis aduerſari, ſiquidem ſi declinante ſenſim Imperio ſucceſſiuis temporibus multiplicatos aureos in libra ſtatuimus, nec numerum 84. exceſſiſſe deprehendimus, ergo tanto minus exiſtimandum, ſub Alexandro Seuero, qui per multos annos antea imperauit, ex ſingula auri libra nonaginta aureos nummos conflatos. Reliquum igitur eſt, vt aliam expoſitionem cogitemus, quæ eſt huiuſmodi: Quod ſicuti decem aureorum tertiam partem tres aureos dicimus, quamuis & tertia aurei particula addenda eſſet, ita & eadem proportione ſeruata decima, ad centum, licet triginta tres & alterius tertia pars exacte partem tertiam centum conſtituant, nihilominus eadem tertia pars triceſima appellatur: nam extra decennarium numerum nulla numeratorum aureorum intra decem ratio habetur, ſed tantum decima, vigeſima, trigeſima, quadrageſima, quinquageſima, & ſic de ſingulis aliis vſque ad centum in partitione facienda ſeruatur proportio. Itaque Lampridius ſicuti ait, Alexandrum vectigalia ita contraxiſſe, vt qui decem aureos ſub Heliogabalo præſtarent, tertiam tantum ſub ipſo Alexandro præberent, hoc eſt, tres, vel tres cum tertia amplius parte; ita in eadem proportione, qui centum prius ſoluebant, triceſimam tantum partem ſoluerent, quæ tertia centenarii pars eo, quo diximus ſenſu, exiſtit. Sic vſuræ centenariæ etiam dictæ, quamuis duodecim tantum pro ſingulo centenario fructus gratia perſoluantur. Et Zonaras

Nice-

Nicenæ Synodi, *cap.* 17. inquit: *Vt nunc libra auri ſunt ſolidorum 72. ita olim centenaria erant.* Concludamus itaque, per triceſimam partem hoc loco intelligendam tertiam partem centum aureorum ea proportione, qua decem aureorum tres tertiam partem dicimus. Hæc habuimus, quæ in re obſcuriſſima in medium afferremus, non prætermittentes à nonnullis omitti tamquam ſuperfluam hanc textus partem, hoc eſt, triceſimam partem, quod fecit Hotom. de aurei ſolidi partibus tractans. Leonardus de Portis *libello primo tractatus de ponderibus & menſuris*, hanc vidit difficultatem, à qua ſe extricat, inquiens: *Corrigo Argenti ex iis, quæ ſequuntur, quia ſe declarando ſcribit: Hoc eſt, trigeſimam partem, & ſi auri legatur, impoſſibile eſt tertiam partem auri eſſe trigeſimam partem, ſi argenti, computationi Liuianæ congruit. Verbi gratia, ſic ſtatue, quod ſinguli aurei binas drachmas penderent, cuius ponderis fere omnes antiquos vidi. Decem huius ponderis viginti drachmas pendebant, & ſic ſcrupulos ſexaginta, quæ ſumma ratione Liuianâ decies multiplicata ſexcenta efficiet, cuius trigeſima eſt viginti. Et ideo qui ſub Heliogabalo decem aureos præſtabat, videlicet ſexaginta ſcrupulos, ſi ex decreto Alexandri viginti dedit computatione prædicta dici poteſt, quod tertiam partem ponderis auri, & trigeſimam æſtimationis, & ſic argenti præſtiterit: quæ computatio cuiuſcunque ponderis fuerint nummi aurei, conueniet. Cogitabam tamen, quod illa dictio auri, quæ vbiq; in libris impreſſis, quos vidi, reperitur, aurei corrigi poſſit, & forte rectius, quod videlicet, qui ſub Heliogabalo decem aureos præſtitiſſet, tertiam aurei nummi ſub Alexandro præſtaret, quod idem eſſet, quia viginti ſcrupulos argenti eadem ratione præſtaret.* Locus Liuii, cuius meminit Portus, eſt *lib.* 88. *Decadis*, de Etolis, quibus conceſſum, quod denos argenteos nummos pro vno aureo perſoluerent. At certe hæc argenti ad aurum proportio à Porto excogitata, quamuis ingenioſa, minùs videtur authoris intentionem explicare, qui Alexandri Seueri liberalitatem in populum exponere ſatagit.

## ÆL. LAMPRID. IN ALEX. SEVERO.

*Faſciis ſemper vſus eſt.*

MVltiplex faſciarum vſus apud antiquos; Namque coronis ſacrorum & ludorum faſciæ addebantur, quæ & tæniæ, lemniſci, ſtrophea & vittæ dictæ ſunt. Cuius rei teſtem habemus Theocritum *in Pharmaceutria* ſcribentem, *Populeam coronam vndiq; purpureis faſciis implicatam.* Virgilius lib. 5. Æneid.

*Puniceis ibant euincti tempora tæniis.*

Suidas ſcribit: στρόφιον τὸ στρογγύλον ζωνάριον, id eſt, *ſtrophium Zonula eſt rotunda*, ſubdens, ὃ οἱ ἱερεῖς φοροῦσιν, hoc eſt, *quod Sacerdotes geſtant.* Vnde & coronæ ſtrophia dictæ, teſtimonio Plinii, lib. 21. cap. 2. *Tenuioribus vtebantur antiqui coronis ſtrophia appellantes.* Item Plinius eodem lib. cap. 3. *Craſſus diues primus argento auroq; folia imitatus ludis ſuis coronas dedit, acceſſeruntq; & lemniſci, quos adiici coronarum honos erat.* Dictæ quoq; & vittæ Virg. 2. Æneid.

*Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.*

Et iterum 3. Æneid.

——— *Vittaſq; reſoluit*

*Sacrati capitis.*

Luc lib. 1.

*Veſtalemq; chorum ducit vittata ſacerdos.*

Et libro 5.

——— *Tum torta priores*

*Stringit vitta comas.*

Plutarchus *in vita Coriolani* ait; In Metellorum familia fuiſſe, qui Vittatus cognominaretur, ab vſu vittæ, qua vlceris tegendi cauſa procedebat in publicum obligata fronte; Ex his colligimus, priſcos viros faſciis non ſolum vſos in coronis, ſed & pro capillorum tegumento ſeu ornamento, quod & mulieres feciſſe habemus ab Ouidio 1. Amorum, Eleg. 7.

*Sic niſi vittatis quod erat Caſſandra capillis.*

Vnde *in l. argumento, D. de auro & arg leg.* nonnulli legendum putant *faſcia crinales*, vti Nebriſſenſis in Lexico, in verbo

*crinale.*

*crinale*, quam lectionem quoque ſequutus eſt Tiraquellus *in legibus connubialibus, parte* 3. Legit tamen & rectius, (vt infra dicemus) *crurales*, Alciatus, *Prætermiſſorum lib.* 1. Cui & lectio Florentina congruit. Vſæ quoque mulieres faſciis olim ad mammas cohibendas, vti docet Iſidorus *lib.* 20.*c.*32. Ouid.1.*de arte amandi*:

*——— Omne papillæ*
*Pectus habent tumidæ, faſcia nulla tegat.*

Martialis:

*Faſcia creſcentes dominæ compeſce papillas.*

Propertius lib.4.Eleg.10.

*Mollis & hirſutum ſepit mihi faſcia pectus.*

Apuleius lib. 2. Meta. *Roſea faſciola prænitente, altiuſcule ſub ipſas papillas.* De huiuſmodi & Cic. *de Aruſp.reſp.* In hunc ſenſum & in ſacris literis, *Eſaiæ* 3. legimus: *Pro faſcia pectorali ſilicium.* Et Hier.2. *Nunquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, & ſpõſa faſciæ pectoralis*: Quod faſciæ genus pectorale & *ſtrophiũ* dictũ obſeruamus. Turpilius in Philopatre: *Me miſeram, quod inter vias epiſtola excidit mibi, Infelix inter tuniculam & ſtrophium collocaram.* Et Nonius Marcellus *lib. de genere veſtium* inquit, authoritate Turpilii, Plauti, Tullii & Varronis, ſtrophium eſſe faſciam breuem, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet. Et Catullus in Argonaut.

*Nec tereti ſtrophio lactantes vincta papillas.*

De virginali zona plura nos alibi. Faſciis quoque vtebantur antiqui in obuoluendis puellulis infantibus; quod docuit Capitolinus *in Claudio Albino* ſcribens: *Quum pueri eius familiæ ruſſulis faſciolis illigarentur, quum forte lota atq; vda eſſent ruſſulæ faſciolæ, quas mater prægnans præparauerat, purpurea matris illigatus eſt faſcia.* Habuere quoque priſci faſcias ad vſum lecti cubicularis. Cic.2.de Diuinat. *Defert ad conuictorem quidam, ſomniaſſe ſe, ouum pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis.* Vulgaris eſt vſus antiquis faſciarum in medicinæ vſu, quod conſtat ex Oribaſii lib. *de Faſciis*, quem conſcripſit, & paſſim apud medicinæ ſcriptores omnes. Cic. de clar. Orat. *Cn. Octauius, qui deuinctus erat faſciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus.* Spartianus de Antonino Pio: *Sed quum eſſet*

*longus*

*longus & ſenex incuruatusq́, tiliaceis tabulis in pectore poſitis faſciabatur.* Faſcia inſuper priſci Principes viri & mulieres pro diademate vſi ſunt. Ita Plutarchus *in Luculli vita* ſcribit, Mithridatis vxorem Monymam illo deuicto, detracta mitra, quam capite geſtabat, & collo circumdato, ſuſpendio vitam finire voluiſſe. Candidam faſciam tam Romanis, quam exteris gentibus, regium inſigne fuiſſe à Libero patre inuentum, teſtatum reliquit Plinius *lib.7.cap.56.* Sic apud Valerium Maximum legimus, Fauonium dixiſſe Pompeio candida faſcia crus obligatum habente: *Non refert, qua in parte corporis geſtet diadema.* Tigranem quoque Armenium candidam faſciam inſigne regium ante Pompeii pedes abieciſſe, veluti à dominatione ſe abdicantem, teſtati ſunt Dion & Plutarchus. Et Alexander Magnus, quum equo deſcendens caſu Lyſimachum vulneraſſet, diadema detraxit, illaque vulnus deligauit, tradente Iuſtino *lib.15.* In nulla harum ſignificatione faſciarum voce hoc in loco vſum Lampridium cenſemus, ſed pro faſciis, quas ſuperius diximus, intellexiſſe crurales à Iuriſconſultis vocatas, quibus ſcilicet antiqui crura & pedes circumueſtiebant, vnde & *pedales* ſeu *pedulæ* dictæ; Quum enim dixiſſet, Alexandrum vſum faſceis, ſtatim ſubdit, *braccas albas habuit.* Quod autem priſci faſciis pro calceamento vterentur, facile probamus. Plinius *lib.8.cap.57.* ſcribit, mures arroſiſſe Carboni Imperatori faſcias, quibus in calceis vtebatur. Cicero in Clodium: *Tunc quum vincirentur pedes faſciis?* Cato apud Nonium: *Mihi puero modicum fuit vna tunica, ſine faſciis calceamentum.* Valerius Maximus *lib.6.cap.2.* Pompeium, inquit, faſcia candida crus obligatum habuiſſe. Apud Quinctilianum *lib.2.cap 3.* legimus: *Faſcias quibus crura veſtiuntur.* Et Col.lib.7. *Genibus applicantur, & faſciis circumdantur.* Cicero ad Attic.

*Etenim mihi eius caliga, vt faſcia cretata,*
*non placebant.*

## ÆL. LAMPRID. IN ALEX. SEVERO.

*Matronas autem Regias contentas eſſe debere vno reticulo, atq; in auribus, & baccato monili, & corona, cum qua ſacrificium facerent, & vnico pallio auro aſperſo, & Cyclade, qua ſex vnciis aurũ plus non haberet.*

CYcladem veſtem auratam fuiſſe, ex hoc loco dignoſcimus, necnon ex Propertio, lib. 4. Eleg. 7.

*Hac nunc aurata Cyclade ſignat humum.*

Muliebrem vero fuiſſe tradit Seruius, enarrans illud Virg. 1. Æneid.

*Gentemq; togatam.*

Et qua principes mulieres vterentur; namque ait Lampridius, Regias matronas decreto Alexandri, Cyclade vna contentas eſſe debuiſſe. Hanc quoque & tenuem ex Iuuenale, Sat. 6.

*Hæ ſunt quæ tenuì ſudant in Cyclade.*

Fuiſſe quoque figuræ circularis, ſeu orbicularis, ex nomenclatura ipſa palam fit; nam Græci *κυκλὸν circulum*, & *κυκλόω circumdo*, dicunt. Vnde & vocatæ Cyclades inſulæ in Ionio mari, quod in Cycli formam diſponantur: nam à Promontorio Cerasto circa Delum in orbem ſitæ ſunt. Ioſephus *lib. 19 cap. 1.* carpit Caligulam, quod cycladem & alia muliebria veſtimenta indueret. Et Suetonius illum cycladatum appellat *in illius vita, cap. 52.* Trebellius Pollio in Zenobia, illius veſtitum deſcribens: *Media etiam cyclade veluti fibula muliebri aſtricta.*

## ÆL. LAMPRID. IN ALEX. SEVERO.

*Coquos, Piſcatores, Fullones, non niſi ſeruos ſuos habuit.*

FVere antiquitus Fullones, qui veſtimenta polienda, curanda, lauanda, dealbanda, & expurganda, mercede accipiebant, vti colligimus ex *l. 2. D. de cond ſine cauſ. l. 3 §. ſi Fullo, D. locat. l. 12. & l. 82. D de furt. I.C. D. de via publica Theoph.* Et eorum officina fullonica meritoria, *l. 13. §. finali, D. de vſufruct.*

*vſufruct.* & Fullonicas inſtituere officinas, *l.3. D. de aqua pluuia arcenda.* Fullonica item ars ipſa Fullonis dicta. Plautus in Aſin.

*Non didiciſti Fullonicam.*

Quam tamen Plinius *lib.7. cap.56.* Fulloniam appellauit à Nicia Megarenſi inuentam tradens. Hinc dictum puto vulgo *il follo*, locum illum, quo ex decurſu aquatum panni & alia lanea indumenta expurgantur & dealbantur, quaſi dixerimus, officinam fullonicam. Græcis fullo dictus πλυνεὺς & πλύντης à verbo πλύνω, quod eſt *lauo*, necnon λευκαντὴς, hoc eſt *dealbans.* Hinc Varro eleganter dixit ἐν Ταφῇ Μενίππου, Cacodæmonem homines timere quoſdam magis, quam fullonem vlulam, auem ſcilicet inauſpicatam, & mortem portendentem: nam atrum veſtitum Fullonis ipſis aduerſatur, ex eo enim nullum lucrum percipere poſſunt. Fullonicam artem vilem & ſeruilem habitam olim conſtat, quod Lampridius cum coquis, piſcatoribus & balneatoribus Fullones hoc loco commemorat, & paulo antea cum veſtitoribus, pictoribus & pincernis, ſeruis omnibus. Et Ammianus Marcellinus *in calce libri decimiquarti*, obiicit Adramitteno Andriſco, quod licet in Fullonia natus, ob Pſeudophilippi tamen nomen euectus ſit. Immundam quoque & fœtentem, ſcribente Harmenop. lib. 2. epiſtol. Iur. cap. 4. *Opificia infectorum & fullonum abſint ab adibus planis ſex cubitis, & beſſe, vt euaneſcat eorum fumus peſtilens.* Et Vlpianus legem addit ex Trebatio, poſſe prohiberi Fulloni, qui Fullonicas circa fontem perennem currentem inſtituit, ne aquam contineat, neve ſpurcam immittat, ſcilicet apud Trebatium *de aqua pluuia arcenda, libro trigeſimo nono, P. titulo tertio,* & Iulianus *in l. aquiſſimum, l. 17. § finali, de vſufruct. libro ſeptimo, P. titulo primo*, refert, eum cui legatus eſt vſusfructus domus, meritoriam ibi facere non debere, neque Fullonicam. Præterea Plinius *libro vigeſimo octavo, capite ſexto,* Fullones in detergendis pannis vrina vti teſtatur, cui excremento fœtente deterſoriam facultatem ineſſe palam eſt. Ob eandem forte cauſam puto Scarabæos vocatos Fullones, vt adnotauit Plinius *libro 3. capite 11.* quod ſcilicet im-

mundi ſint & fœtentes, vtpote qui ſtercora aſſidue permiſceant, & ex illis pilulas conficiant. Vnde Auſonius aduerſus Marcum quendam emaſculatorem quærit ex Pythagora:

*Peruerſæ Veneris poſtico vulnere foſſor,*
*Lucilli vatis ſubulo pullo premor.*

Cui Pythagoras reſpondens:

*Non Taurus, non Mulus erit, non Hippocamelus,*
*Non Caper, aut Aries, ſed Scarabæus erit.*

Hinc forte coniiciendum, apud ſcriptores Fullonis vocem in re obſcœniſſima obſeruari, vti apud Priſcianũ *lib.* 10. inquit Næuius: *Quando ego plus ſapiui, qui Fullonem compreſſi quinquatribus.* Et apud Plautum *in Pſeud.* vbi introducit lenonis puerum ſeruum conquerentem, quod ſi non inuenerit munus, quod hero ſuo natalem celebranti det, Craſſilli potandus erit fructus Fullonicus, quem quum puer ſit, valde timet, quod id magno cum gemitu fiat, tamẽ id ſe compreſſis dentibus ſufferre poſſe aliquo modo. Idem etiam doctiſſimus Turnebus ſe adnotaſſe ex Tertulliano ſcribit *lib. Aduerſ.* 16. *cap.* 6. Poſſumus tamen & hos locos aliter interpretari, & in æquiorem ſenſum; Ita vt Næuius dixerit, ſe compreſſiſſe Fullonem, hoc eſt, pugnis & calcibus impetiuiſſe Fullonem, qui in dealbandis pannis & expurgandis, eos manibus & pedibus percutiunt & calcant, & ſic plus Fullone ſapuiſſe. Eodem modo & Plauti dicta exponenda, quod ſcilicet puer timeret ſe à lenone hero pugnis & calcibus percuti, quod tamen gemens & ſtrictis dentibus ſe paſſurum inquit. Cui interpretationi fauent eiuſdem Plauti dicta in Aſinariæ poſtrema Scena; vbi Antemonæ vxori Demenetæ ſenis, quæ illum apud Philenium ſcortum vna cum filio conuiuantem deprehenderat, ſuadet Paraſitus, vt non eandem pugnis & pedibus irrpetat, ſed digitis oculos inuadat, inquiens:

*Si non didiciſti Fullonicam, non mirandum,*
*In oculos inuadere optimum eſt.*

Non negauerim tamen, eiuſdem Poetæ dicta ſuperius allata, iocoſe & feſtiue prolata, vtique etiam ad obſcœnum ſenſum

ſum traduci poſſe, quod Comicis familiare & frequentatiſſimum eſſe, nemo ignorat.

## ÆL. LAMPRID. IN ALEX. SEVERO.

*Leges in annos firmauit, easq; ipſe diligentiſſime ſeruauit.*

HÆc Lampridii dicta intelligenda puto de legibus Annariis appellatis, quas Alexander Seuerus firmauerit, ac diligentiſſime ſeruauerit. Has autem in duplici potiſſimum differentia fuiſſe obſeruo, quarum altera verſabatur circa magiſtratuum ſuſceptorum durationem: Iulius namque Cæſar lege annaria ſanxit, ne Prætoriæ prouinciæ vltra annum, neve Conſulares plus biennio obtinerentur, teſte Plutarcho *in illius vita.* Altera vero circa ætatem promouendorum ad magiſtratus publicos, quæ & ipſa annalis dicta, ſeu annaria, qua, teſtimonio Feſti Pompeii *lib.*1. præfiniebantur anni magiſtratus capiendi. De his Cic. *in Ant.*5. inquit: *Legibus annalibus, quum grandiorem ætatem ad Conſulatum ſtatuebant, adoleſcentiæ temeritatem verebantur.* Et de Legibus: *Conſules ciuitatem annali lege ſeruanto.* Et de Orat. *Lex annalis, id eſt, quæ annorum numerum præfiniębat ad capiendos magiſtratus.* De eadem Liuius *lib.*7. vbi diſſerit de Conſulatu ſuperioris Africani & T. Liuii. Et iterum *lib.*10. *belli Macedonici.* Hæc lex quoque dicta *Villia annalis*, quod eam tulit L. Villius Tribunus plebis, L. Manlio & Q. Fuluio Coſſ. anno 570. ab V.C. *ex Liuio, lib.*40. vbi tamen corrupte legitur, *ab L. Iulio Trib. pleb.* vt adnotauit doctiſſimus Sigonius. Et *in lib. Epiſt. Cœlij* 8. pro *L. Iulio annali*, in manuſcriptis legitur *L. Villio.* Et apud Valerium Maximum lib. 9. *L. Tullius annalis*, pro *L. Villius.* Quod Liuius loco citato hanc legem eo primum anno latam ſcribit, mirum profecto eſt, cuius hæc ſunt verba: *Eo anno rogatio primum lata eſt ab L. Villio Tribuno plebis, quot annos nati quemq; magiſtratum peterent, caperentq;. Inde familiæ cognomen inditum, vt annales appellarentur.* Quum vero *lib.*25. de Scipione tradiderit in hæc verba: *Huic petenti Aedilitatē, quum obſiſterent Tribuni plebis, negantes rationem eius habendam eſſe, quod nondum ad petendum legitima ætas eſſet. Si me*

*(inquit) omnes Quirites Aedilem eſſe volunt, ſatis annorum habeo. Tanto inde fauore ad ſuffragium ferendum in tribus diſcurſum eſt, vt Tribuni repente incepto deſtiterint.* Ex his colligi poteſt, tunc, anno ſcilicet 538. ab vrbe condita, leges Annales de magiſtratibus adipiſcendis etiam ſeruatas, & per conſequens non primum latas à L. Villio, quod aſſerit Liuius loco ſuperius adducto, anno nempe 570. Hanc ego difficultatem ſic tolli poſſe exiſtimo; Leges annales de magiſtratibus nonnullas fuiſſe ante L. Villium, veluti erat illa, quod nulli ciui Romano petere & habere vllum magiſtratum vrbanum licebat, ni prius decem ſtipendia annua feciſſet, hoc eſt, per decem annos militaſſet, teſte Plutarcho *in vita C. Gracchi* & Polybio *lib.6.* Ætas autem militaris erat 17. annorum, tradente Liuio, *lib.25.* Erat quoque inter leges annarias; Ne quis eundem magiſtratum intra decem annos peteret, ne duos magiſtratus vno anno gereret, *ex Liuio, libro* 7. Præterea lege Cornelia cautum, teſtatur Appianus *lib.1. bell. ciuil.* ne cui petere Præturam non liceret, qui Quæſtor non fuiſſet, neque Conſulatum, qui Prætor non fuiſſet, neceſſarioque inter Curules magiſtratus biennium interſtitii fuiſſe. Ita & magiſtratus petendi erant ordines, vt prius Quæſtura, mox Ædilitas, deinde Prætura, poſtremo Conſulatus adirentur. Cuius rei teſtis eſt Cic. *in Bruto*, appellans extraordinariam C. Iulii Caeſ. Conſulatus petitionem, quia quum Ædilis fuiſſet, volebat, Prætura omiſſa, petitione Conſul fieri, de qua re plura Aſconius *in com. orat. pro Scauro.* Et quod magis ad rem facit, Liuius *lib.32.* ſcribit, quod Tribuni plebis non patiebantur T. Quinctium Flaminium Conſulatum ex Quæſtura petere, dicentes, iam Ædilitatem Præturamque faſtidiri, nec per honorum gradus documentum ſui dantes, nobiles homines tendere ad Conſulatum, ſed tranſcendendo media, ſumma imis continuare. Huiuſmodi leges annariæ dici poterant, & vniuerſaliori quodam modo, ſeu generice. At L. Villius eas magis ſpecifice conſtituit, nempe, vt annus Quæſturæ obtinendæ eſſet 27. Tribunatus trigeſimus, Præturæ 40 Conſulatus 43. quod omnes de hac re ſcribentes vnanimi conſenſu confir-

confirmant; quamuis nonnullos in hiſtoria obſeruemus ſolutis legibus, vel nimia ipſorum potentia, vel populi Romani fauore ingenti, antea ad Conſulatum perueniſſe, nec magiſtratuum adipiſcendorum ordinem ſeruaſſe. Quod de Scipione, Pompeio, Iulio Cæſare, Africano minore, T. Quinctio Flaminio, aliiſque quamplurimis, præſertim Imperatorum tempeſtate factum obſeruamus.

## ÆL. LAMPRID. IN ALEX. SEVERO.

*Pontificatus & Quindecimuiratus, & Auguratus Codicillares, fecit, ita vt in Senatu allegerentur.*

A Codice fuit diminutiuum *codicillum*, codex autem antiquis fuere tabulæ plures ſimul coniunctæ, vt inquit Varro *lib.3. de vita P.R.* Vnde Seneca *lib. 1. de breuitate vitæ* tradit: *Codex, quia plurium tabularum contextus, quaſi caudex apud antiquos vocatus*, ſic publicæ tabulæ codices dicuntur *in l.3. §.1. D. de tabul. exhibend.* Codex etiam pro teſtamentaria ſcriptura ſumitur à Iuſtiniano, *§. ſed & vnum, Inſtit. de teſtam. ord.* Vnde Iuuenalis:

*——— Nam codice ſæuo*
*Hæredes vetat eſſe ſuos.*

A *Codice* in hac ſignificatione deriuati *codicilli*, quorum frequens apud Iuriſconſultos fit mentio, & definiunt, quod ſunt *teſtati vel inteſtati voluntas minus ſolemnis*; horum autem alios fideicommiſſarios, alios directos dicunt, quorum vſum primus introduxit L. Lentulus, *ex inſtit. de codicill.* Codicilli quoque dicti paruæ literæ ad amicum ſcriptæ. Sulp. ad Cic. *Puer Acidini mihi obuiam venit cum codicillis.* Et Cic. ad Q. Frat. *Epiſtolam hanc conuitio efflagitarunt codicilli tui.* Et alibi in Epiſt. *Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplũ in codicillis exaraui.* Sicuti autem Leo Imperator, *l.3. agent. in reb. lib. 12. C.* Codices appellat tabulas continentes notitias dignitatum & adminiſtrationum ciuilium & militarium, & mandatorum principalium, & promotionum, ita & Codicilli quandoque accipiuntur pro diplomate, ſeu literis Princi-

palibus, vt *in l. adminiſtrantes, in prin. D. de excuſat tut. & l. iudices, C. de dignit. lib.* 12 quo in ſenſu vſus eſt Suet. *in Claud. c.* 29. inquiens, reuocatas libertates, ſeu vt alii, liberalitates, eius iudicia reſciſſa, ſuppoſitos, aut etiam palam immutatos datorum officiorum codicillos. Eadem & in ſignificatione hoc loco Lampridius ſcribit, ab Alex Seuero Pontificatus, Quindecimuiratus & Auguratus codicillares feciſſe, id eſt, vt a Senatu dati publicis literis ſeu diplomatibus firmarentur, vel potius ( vt ego exiſtimo interpretandum ) quod huiuſmodi munia prius eſſent codicillaria, id eſt, codicillis ſcriptis ab Imperatoribus darentur, vt ſupra ex Sueton. *in Claudio* diximus feciſſe, vt per Senatum eligerentur, ita vt punctus ſit faciendus iuxta dictionem *codicillares*, poſtea legendum. *Fecit ita, vt in Senatu allegerentur.* Cæl. Rhodig. *antiq. lect. lib.* 4. *cap. vlt.* codicillares magiſtratus appellat dignitates nomine tantum datas, re vero minime, id eſt, quę carent effectu, ſed quam appoſite, videant docti. Ego ſane non aſſentior.

## ÆL. LAMPRID. IN ALEX. SEVERO.

*Fecerat denique ſibi Argyraſpedas & Chryſonaſpidas.*

Ἀργύριον & ἄργυρον *argentum*, χρυσὸν *aurum*, Græcis dictos palam eſt; ἀσπὶς vero eiſdem eſt ſcutum rotundum, ſeu quod *parma* Latinis dicitur. Fecit itaque Alex. Seuerus, ſeu inſtituit milites geſtantes ſcuta argentea & aurea rotunda. Item *Aſpis* Numidiæ promontorium, & *Aſpis* inſula prope Cycladas, vel etiam maris Mediterranei, authoritate Plinii, *lib.* 5 *cap.* 31. Ita vrbis Argiuæ partem *Aſpidam* vocatam, tradit Plutarchus *in Pyrrhi vita.* Quæ omnes appellationes ex eo, quod rotundi clypei figuram præ ſe ferrent, deriuatæ. Ideo Sillius ſcripſit:

*In clypei ſpeciem curuatis turribus Aſpis.*

Et Strabo inquit: *Coſura inſula eſt ante Aſpidem Carthaginenſem vrbē, quam Clypeā vocant.* Alexandrū Macedonem, cuius geſta pro poſſe imitari conatus eſt Imperator Alex. Seuerus, habuiſſe milites præeuntes argēteis ſcutis armatos, teſtati ſunt Ælian. *lib.* 9. Q. Curtius *lib.* 4. Iuſtinus *lib.* 12. Liuius *lib.* 27.

*lib.27.& 37.* vbi loquitur de Antiochi militib. aduerſus Romanos. De iiſdem & Paulus Oroſius *lib 3. c. 21.* de eadem re. Et Romanæ Reipub. temporibus, quod Seuerus Alex. inſtituit, quoq; factum tradit Liuius *lib.9.* vbi de Samnitibus cum Romanis pugnam inſtruentibus inquit: *Duo exercitus erant, ſcuta alterius auro, alterius argento cælauerunt.* Idem Liuius *libro* 34. argenteorum clypeorũ meminit, vbi de Quinctii triumpho verba facit. Pœnos aureis ſcutis vſq; tradit Plinius *lib.35. c.5.* Treb. Poll. *in D. Claudio*, inter munera illi à Valeriano miſſa recenſet ſcuta Chryſogaphata duo, hoc eſt, auro interſculpta. Liuius lib. 45. *L. Albinus Conſularis ducere aduerſus Leucaſpidem phalangem iuſſus, &c.* hoc eſt, quod ſcutos albos geſtabat.

## ÆL. LAMPR. IN ALEX. SEVERO.

*Quum nihilominus poſt iſta fremerent, exclamauit, Quirites diſcedite, atque arma deponite.*

VNiuerſum Pop. Rom. Quiritum nomine appellatum vbique obſeruamus; non itaque vox contumelioſa, ſed potius honorem præ ſe ferens. Nihilominus hoc in loco Alexandrũ milites ignominiæ cauſa appellare Quirites, haud dubium eſt. Nam Legionariis militibus ſeditionem mouentibus in concione ait: *Quirites diſcedite, atq; arma deponite*, iuxta illud Cæſaris apud Lucanum *lib.5.* Pharſal.

*Tradite noſtra viris ignaui ſigna Quirites,*
*Iam certe mihi bella geram, diſcedite caſtris,*
*Tradite noſtra viris ignaui ſigna Quirites.*

Pro concilio dicamus; Quod, etſi Quiritum appellatione totus P. Romanus comprehendatur, nihilominus, quia maior pars Pop. Rom. plebs erat, ideo Quiritum nomine Plebeios quandoq; accipi; quod patet ex antecedentibus Lampridii hoc in loco verbis; ait namque: *Ne vos hodie omnes vno ore atq; vna voce Quirites dimittam, incertum an Quirites; non enim digni eſtis, qui vel Romanorum plebis ſitis, ſi Ius Romanum non agnoſcitis*; Ita & Ouid. lib. Amor. 1.

*An ſi pulſaſſem minimum de Plebe Quiritem.* Et Perſ. Sat. 1.
*Heu ſteriles viri, quibus vna Quiritem*
*Vertigo facit.*

MARCELLI DONATI

# IN TREBELLIVM POLLIONEM DILVCIDATIONES.

## TREBELLIVS POLLIO IN GALIENIS.

*Perdita Gallia, arriſiſſe, ac dixiſſe perhibetur; Non ſine trabeatis ſagis tuta Reſpublica eſt?*

SAGVM veſtis ſtragulæ genus fuiſſe, colligimus ex Suetonio *in Othone, cap. 2.* ſcribente: *Ferebatur & vagari noctibus ſolitus, & inualidum quemque obuiorum, vel potulentum corripere, ac diſtento ſago impoſitum in ſubl[illegible]e iactare.* Et in eodem ſenſu Cic. in Verr. *Sagum ſumit, lucebat iam fere.* In eadem ſignificatione puto accipi à D. Hieronymo *Exod. 26.* Saga Silicina vndecim. & cap. 36. *Fecit ergo ſaga vndecim de pilis caprarum.* Et Plinius *libro 16.* de viſco loquens *cap. 44.* inquit: *Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce demetit, candido id excipitur ſago.* Sed magis propria ſignificatione ſagum fuiſſe veſtem militarem diſcimus ex Cic. ſcribente in Philipp. 8. *Propter cuius periculum ad ſaga iſſemus.* Et rurſus: *Quum eſſet in ſagis Ciuitas,* & 14. *Tumultum decerni, iuſtitium indici, ſaga ſumi dico oportere.* Liuius in Epit. lib. 118. *Populus Romanus ſaga ſumpſit,* & in Epit. lib. 72. *Saga populus ſumpſit,* vtrobique de populo arma ſumente verba faciens, ſicuti in Epit. libro 73. *Ob eam victoriam Roma ſaga poſita ſunt.* Idem confirmari poteſt ex Suetonio *in Auguſto, capite vigeſimoſexto,* vbi de illo Conſulatum petente ait: *Conſulatum vigeſimo ætatis*

anno

*anno inuaſit, admotis hoſtiliter ad vrbem Legionibus, miſſiſque qui ſibi nomine exercitus depoſcerent. Quum quidem cunctante Senatu, Cornelius Centurio Princeps legationis reiecto ſagulo oſtendens gladii capulum non dubitaſſet in curia dicere; Hic faciet, ſi non feceritis vos.* Ex Capitolino in M. Philoſopho idem demonſtratur, vbi habet: *Per Brunduſium veniens in Italiam, togam & ipſe ſumpſit, & milites togatos eſſe iuſſit, nec vnquam ſagati fuerunt ſub eo milites.* Namque ſagum belli, ſicuti toga pacis indicium Rom. erat. Idem quoque teſtatum reliquit Nonius Marcellus, quo loco tractat de genere veſtimentorum. Trebellius Pollio *in Saturnino vigeſimoſecundo Tyranno*, de illius ſeueritate in re militari inquit: *Huius inſigne eſt, quod conuiuio diſcumbere milites, ac inferiora nudarentur cum ſagis iuſſit, hyeme grauibus, æſtate perlucidis.* Et in Regilliano nono Tyranno: *Arcus Sarmaticos & duo ſaga ad me mittas velim, ſed fibulatoria, quum ipſe miſerim de noſtris.* Et Zenobia vigeſimanona Tyrannorum: *Imperiali ſagulo perfuſo per humeros habitu.* Quinimo id quoque elicimus ex ſacris paginis, præſertim *lib. Iudicum, cap.* 3. vbi legimus: *Qui fecit ſibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextero femore.*

Non ſolum autem ſagum fuiſſe militare indumentum manifeſtum fit, ſed & Gallorum proprium, cuius rei teſtem adducimus, præter præſentem Pollionis locum Suetonium *in Auguſto, cap.* 48. vbi ſcribit: *Conuiuatum aſſidue per Prouincias duobus tricliniis, vno, quo ſagati palliative, altero quo togati cum illuſtrioribus Prouinciarum diſcumberent*; quo loco interpretes vnanimi conſenſu per palliatos *Græcos* interpretantur, ſagatos *Gallos*, ſicuti togatos *Romanos.* Ad hæc Strabo *lib.* 4. *Geograph.* Sagum indumentum Gallorum fuiſſe teſtatur; ait namque, *σαγηφορεῦσι δὲ καὶ κομοτροφοῦσι.* Cui conſentit Virgil. *lib.*8. Gallorum habitum deſcribens,

*Aurea Cæſaries ollis, atque aurea veſtis,*
*Virgatis lucet ſagulis.*

Quod vero addidit Trebellius, *trabeatis ſagis*, ita intelligendum, quod Galli non modo ſagis vterentur, ſed & ſagis trabeatis. Trabeam indumentum Regum fuiſſe docet Plinius *lib.8.*

*lib.*8 *cap.*48.inquiens:*Trabeis accipio vſos Reges.* Et lib.9.cap.39. *Purpura vſum Romæ ſemper fuiſſe video ſed Romulo in Trabea.* Hunc Romulus Trabeatus dictus Ouid.lib.Faſt.1.

*Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini.*

Et Virgil.lib.7 Æneid.

*Ipſe Quirinali trabea,cinctuſque Gabino*
*Inſignis.*

Et libro 11.

*Et ſellam regni,trabeamque inſignia noſtri.*

Et Iuuenal.Saty.8. de Seruio Tullo Rom. Rege 6.

*Ancilla natus trabeam,& diadema Quirini,*
*Et faſces meruit Regum vltimus ille bonorum.*

Suetonius libro *de veſtium generibus*, affirmat, addens ſecundum genus Trabeæ fuiſſe Diis conſecratum,quod tantum è purpura conſtabat, ſicuti regali trabeæ album mixtum erat purpuræ. Tertium trabeæ genus fuit augurale, conſtans ex purpura & cocco.Dionyſ.Halycarn.*lib.*2.TrabeamSacerdotibus Saliis attribuit, & docet fuiſſe circumdiſtinctum purpura ſub tegmine puniceo; & ita coloratum fuiſſe Gallorum ſagum exiſtimandum, quo genere præcipue veſtis vſos equites milites dicendum; namque legimus in funere Germanici apud Tacitum *lib.*3.*Annal.* Trabeatos equites. Et apud Suetonium *in Domitiano* legimus, equites trabeatos præcedere iuſſos,inter apparitores,& lictores,Domitianum Conſulem. Et Romani Equites Idibus Iulii, *ex Val. Max. lib.*2.*c.*1. in tranſactione, Trabea vſi ſunt, ex Q. Fabii inſtituto. Fuit quoque Trabea veſtis Conſularis; Et de Trabea Conſulari Halycarnaſſæus *lib.*5. Am. Marcell. *lib.* 26. & Auſonio ſcribente in Protreptico:

*Vt Trabeam,pictamque togam mea præmia, Conſul*
*Induerer.*

Quam & purpuream fuiſſe non dubitandum. Conſules, belli tempore præſertim, vſos trabea conſtat ex Auſonio, vbi Gratiano Imperatori gratias agens pro Conſulatu,inquit, ſe in procinctu dimicaturum, depoſuiſſe palmatam veſtem, quæ habitus eſſet Conſulis in pace, & in victoria triumphantis, & aſſumpſiſſe Trabeam. Et Liuius lib. 32. *Conſul,* inquit,

inquit, *quum Cercyræ hybernaſſet, vere primo in continente trabeatas ad hoſtem ducere pergit.* Et Ammianus Marcell. *per initia lib.* 23. ait: *Iulianus vero iam ter Conſuli aſcito in collegio trabeæ Salluſtio Præfecto per Gallias quater ipſe ampliſſimum inierat magiſtratum, & videbatur nouum adiunctum eſſe Auguſto priuatum, quod poſt Diocletianum & Ariſtobolum nullus meminerat geſtum.* Ex quibus colligimus, Trabea belli tempore Conſules vſos; nam tunc bellicam expeditionem parabat Iulianus. Vnde ait, Saluſtium ter Conſulem aſcitum ab eo in collegio Trabeæ; Quum in fronte *lib.* 16. ſcripſiſſet, Iulianum Cæſarem à Conſtantio Auguſto in collegium Faſtorum adſcitum, nam tunc nullum bellum parabatur. Et idem Amm. *circa fin. lib.* 25 de Iouiano Imperatore cum exercitu reuertēte à Parthica expeditione: *Adhibito in ſocietatem Trabeæ Varroniano filio ſuo,* & paulo poſt: *Quod ipſi deferretur Trabea Conſularis.* Itaque ſagam Gallorum purpuream fuiſſe non dubitandum, dicente quoque Ammiano *lib.* 26. de Firmo deſertore milites in ardore pugnæ alloquente: *Firmus equo celſiori inſidens, ſago puniceo, porrectius panſo.* Sic Galienus paruifaciens Galliam perditam, & Gallos defeciſſe, in ea verba prorupit: *Non ſine trabeatis ſagis tua Reſpublica eſt*: quaſi Gallorum arma deridens, qui in veſtitu tantum celebres eſſent. A ſago fit *ſagulus*, vnde Tac. *de moribus Germanorum* inquit: *Nudi, aut ſagulo leues, nulla cultus iactatio.* A ſago item *ſagarius*, hoc eſt, ſagorum venditor, deriuatur. Et *ſagaria* eſt ſagorum negotiatio. *Vlpianus de tributo. act. l. cum Procuratoris, & l. cum duobus, §. Quidam pro ſocio.* De ſagis vide quæ ſupra in Auguſto.

## TREBEL. POLLIO IN GALIENIS.

*Conuocatiſque Patribus Decennia celebrauit, nouo genere ludorum, noua ſpecie pomparum, exquiſito genere voluptatum.*

ENcænia legendum conſiderat Cœl. Rhodig. *lib.* 22. *c.* 14. authoritate Suidæ, ſcribentis, ſic dictam celebritatem, quum noui quippiam geſtum fuiſſet, & in textu habeamus, Galienum celebraſſe ludos nouo genere, noua ſpecie pomparum, & exquiſito genere voluptatum. Attamen *Decennia* legi

legi poſſe & debere credendum, quum idem Pollio in Salonino & Decennalium verba faciat. Decennalia ludos publicos fuiſſe non ambigendum; at cur ita dicta, in hoc laborandum. Sicuti Seculares ludi fuere, qui à prima origine ſingulis centum annis fiebant, ex Feſto Pompeio *lib.*17. & Cenſorino de die Natali, *cap.*6. & D. Auguſtino *lib.*3. *c.*18. & Pomponio Læto *in Epit. Rom. Hiſtoria*, & Horatio ſcribente in Carmine Seculari:

*Cenſus vndenos decies per annos*
*Orbis vt cantus, referatque ludos,*
*Ter die claro, totieſque grata*
*Nocte frequentes.*

Sic quinquenales ludi, quod ſingulo quinto anno celebrarentur, quorum Suetonius *in Auguſto, c.*98. *& in Nerone c.* 12. & Tacitus *lib.* 16. Ita & Decennia, ſeu decennales ludos ſingulis decem annis celebrandos inſtituiſſe Galienum contendunt nonnulli. Alii credidere, Decennales ludos dictos, quod decem diebus celebrarentur, quemadmodum de quinquenali ludo ſuperius *in Auguſto*, ex Suetonio ſupra docuimus, ſicuti & denarias ceremonias & tricennarias in hoc ſenſu dixit Feſtus *lib.* 4. Verum neutra harum opinionum recipienda, quod mox, veram huiuſce appellationis cauſam demonſtrantibus, ex re ipſa manifeſtum fiet. Decennalia dixere antiqui ludos ab Imperatoribus decimo Imperii ſui anno celebratos, quod clare patet ex eodem Pollione *in Galienis iiſdem*, circa finem, vbi legitur: *De annis autem Galieni & Valeriani ad Imperium pertinentibus adeo incerta traduntur, vt quum quindecim annos eoſdem imperaſſe conſtet, id eſt, Galienum vſque ad decimumquintum perueniſſe, Valerianus vero ſexto ſit captus, alii nouem annis, alii bis decem annis. alii etiam Galienum imperaſſe in literas mittant, quum conſtet & Decennalia Romæ ab eodem celebrata, & poſt Decennalia Gothos ab eo victos, cum Odenato pacem factam, cum Aureolo initam eſſe concordiam, pugnatũ contra Poſthumum, & contra Lolianum.* Ex quibus ſatis patere puto, Decennalia dicta ab annis decem Imperii, ſicuti in eodem ſenſu etiam Theodoſius Imperator Conſtantinopoli Vicennalia edidiſſe, ſe & Feſto Coſſ. teſte Pomponio Læto Hiſtoriæ Ro-

manæ,

thanæ, compendio *in illius vita*. Et Euſebius in calce ſuorum Chronicorum ſcribit, Conſtantini Vicennalia Nicomediæ acta, & anno ſequenti Romæ edita. Et D. Hieron. in adiectione eorundem Chronicorum inquit: *Tricennalibus Conſtantini Dalmation Cæſar appellatus*. Et Paul. Oroſ. *lib.7.c.19.poſt principium* ait: *Conſtantinus Tricennalibus ſuis Dalmatium Cæſarē legit*. Ex quibus intelligere poſſumus dubio procul, Decennia fuiſſe ludos editos decimo Imperii ſui anno à Galieno.

## TREBEL. POLLIO IN GALIENIS.

*Cyclopea luſerunt etiam omnes Apenarii, ita vt miranda quadam & ſtupenda monſtrarent.*

CYclopas gigantea ſtatura fuiſſe, omnes ſcriptores conſentiunt, hos vero Siculam habitaſſe oram, pleriq; tradidere. Tibullus Eleg.4.

*Ceſſit & AEtnea Neptunius incola rupis.*

Eadem fuit & Thucydidis ſententia, & Maronis *lib.8.AEneid.* & Cic. *in Verrem*, ſcribentis: *Cyclops AEtnam ſolum, & eam partem Siciliæ tenuiſſe dicitur*; Quam tamen ex Homeri authoritate Turnebus *lib.Aduerſ.24.cap.*10 reprobare contendit, eos non Inſulanos, ſed continentis habitatores fuiſſe affirmans. Quinimo & Strabo *lib.*1 Homerum Cylopas ex Hiſt.Scythica trāſtuliſſe tradit. Cui aſſentiri videtur Plin. *lib.7.c.2.* vbi de Scythis; quamuis & Cyclopas in Sicilia & Italia fuiſſe tradat. Illud ſane à nemine improbatur, vno oculo duntaxat prædictos fuiſſe, vnde Virg. de Polyphemi Cyclopis oculo ſcribit:

*Argolici clypei, & Phœbeæ lampadis inſtar.*

Hos primos æris & ferri fabricam adinueniſſe tradidit antiquitas; fabulata quoque eos miniſtros Vulcani, Ioui fulmina fabricare. Vnde Virg. 8. Æneid.

*Ferrum exercebant vaſto Cyclopis in antro,*
*Brontesque, Steropeſque & nudus membra Pyracmon.*

Quamuis poſteriorem Ouid. 4. *Faſtorum libro* Amonidem, & Heſiodus Harpem vocent. Cyclopibus quoque oppidorum munitio attributa. Hinc Maro lib.8.

*— Cyclopum educta caminis*
*Mœnia conſpicio.*

Et

Et Pauſanias ab eiſdem Tirynthea lapideo muro munitam teſtatum reliquit, cuius ſingulos lapides vix mouere potuiſſent pro telis mulorum. A Cyclopibus quoque munitam Micænas Græci ſcriptores docuere. Vnde & Ariſtoteles ipſis turrium fabricam adſcripſit, teſtimonio Plinii *lib.7.c.66.* Hos corpore maximos, & viribus validiſſimis conſtat, ita vt arbores eradicarent, ingentia ſaxa euellerent, & iactarent. Vnde Maro libro Æneid.3.

*AEtnaos fratres cœlo capita alta ferentes.*

Cyclopea itaque interpretanda actiones Cyclopibus conuenientes, quas luſere Apenarii, Galieni iuſſu, miranda quędam & ſtupenda repræſentantes, ad quod ſpect. t Horatianum illud de Sarmento & Oſco; ore fœdo & facie turpiſſima, vt laruam diceres:

*Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,*
*Paſtorem ſaltaret, vti Cyclopa, rogabat,*
*Nil illi larua, aut tragicis opus eſſe cothurnis.*

Verum qui fuerint Apenarii, difficilioris eſt indagationis. Cœlius Rhodig. *lib.24.cap.28.* interpretatur, *Apenarii*, id eſt, vehicularii, nullam interpretationis rationem addens. Ego puto eam deſumpſiſſe à voce Græca *ἀπήνη*, id eſt, *vehiculum, rheda, & currus,* de qua ipſe Cœlius lib.13. c. 17. *Apena* (inquit) *mulos equorum loco iungebat.* At quæſo, quæ conuenientia inter cyclopas & vehicula? Quare expoſitio (quam ibidem vix vno verbo innuit Rhodiginus, explicans *Apenarii*, id eſt, *Arenarii*) magis recipienda; ſed & ipſa amplianda, & clarificanda. Per Apenarios Pollionem intellexiſſe Gladiatores non dubito, qui in arena ferro ad vulnera & necem vſque pugnabant. Explicationis autem ea eſt ratio, quod Gręce *ἀπηνὴς ſæuus, crudelis, immanis* dicatur, quales fuiſſe Gladiatores non dubitandum. Vnde Cyclopum actionibus monſtrandis maxime conuenientes, quos Furnutus tradit Neptuni filios vocatos, quod violenti & audacioris animi eſſent; Verum ego hanc vocem non modo ad animi immanitatem, ſed & corporis, referendam cenſeo, ſiquidem Apenarios iſtos fuiſſe corpore vaſto, & ingenti, nam immane & magnum ſignificare Græcam vocem obſeruamus. Ita Pli-

nius

nius pretium immane dixit *libro 35. capite 11.* & Virgil. *libro 6.* habet:

*Poſuitque immania templa.*

Ita vt Apenarii non modo eſſent gladiaturam exercere ſoliti, & ideo inhumani, ſed & corpore ſuetam & communem hominis ſtaturam valde excedentes. Vopiſcus *in Carino*, vbi ludos ab illo P. R. exhibitos commemorat, inquit: *Exhibuit & Cyclopem adornatum.*

## TREBEL. POLLIO IN GALIENIS.

*Quo comperto Scythæ facta carragine per montem Geſſaſem fugere ſunt conati.*

GOthi & Scythæ curruum multitudinem in bellicis expeditionibus habuere, quam barbara voce carraginem appellauere, quæ adhuc apud Gallos habetur in vſu, Carragium enim vocant. Verum ſicuti curribus propemodum innumeris vſi ſunt, ita & ex vſus diuerſitate diuerſimode carrago à ſcriptoribus accepta; ſimpliciter enim pro multitudine curruum ad belli vſum accepit Trebellius Pollio *in D. Claudio*, vbi Barbararum gentium exercitum numeroſiſſimum deſcribens ait: *Trecenta viginti millia armatorum fuerunt, adde ſeruos, adde familias, adde carraginem, epota flumina, conſumptaſque ſyluas.* Et iterum: *Carraginem tantam, quantam numerus hic armatorum ſibimet aptare potuit, & parare.* Et rurſus: *Ingens carrago deſerta eſt.* Hinc deducta locutio, *Carraginem facere.* Sed nec vnica in ſignificatione; ſiquidem Am. Marcell. *lib. 31.* accipit carraginem pro caſtrorum munimento curribus cõfecto, inquit enim de Gothis verba faciens: *Vnde haud longo ſpatio ſeparatur vulgus inæſtimabile barbarorum, ad orbis rotundi figuram multitudine digeſta plauſtrorum, tanquam intramuranis cohibita ſpatiis, ocio fruebatur, & vbertate prædarum. Præuia igitur ſpe meliorũ Romani Duces (ſi ſors copiam attuliſſet) auſuri aliquid glorioſum Gothos, quicquid molirentur, ſagaciter obſeruabant, id ſcilicet præſtruentes, vt ſi alio caſtra mouiſſent, (quod fecere creberrime) terga vltima adorti, plures perfoderent confiſi, magnamq; ſpoliorum auerterent partem. Hoc intellecto hoſtes, vel transfugarum indiciis docti, per quos nihil latebat incognitũ, in eodem loco diu manſerunt.*

*runt. Sed exercitus oppoſiti metu præſtricti aliorumque militum, quos affluere iam ſperabant, teſſera data gentili per diuerſa prope diffuſas acciuere veſtatorias manus, cuique optimatum acceptas. ſtatimq; incenſis malleolis ad carraginem, quam ita ipſi appellant, aliti velocitate regreſſæ incentiuum audendi maiora popularibus addiderunt.* In eadem ſignificatione accepit Flauius Vopiſcus *in D. Aureliano* in Epiſtola eiſdē à Valeriano Auguſto ſcripta, in qua legimus: *Tuum eſt pro virtutibus tuis, atq; ſolertia illic hyemalia & æſtiua diſponere, vbi tibi nihil deerit, quærere præterea vbi carrago ſit hoſtium, & vere ſcire, quanti qualeſq; ſint.* Accipitur præterea *carraginem facere*, pro eo, quod eſt conclamare vaſa, ſeu colligere ſarcinas & impedimenta. Cic. *in ſexta in Verrem* ait: *Ille ex Sicilia caſtra iam mouerat & vaſa collegerat.* Et Cæſar *lib. 1. bell. ciuil.* ſcribit: *Factus ab hoc certior Cæſar duces aduerſariorum ſilentio copias caſtris educere. Quo cognito ſignum dari iubet, & vaſa militari modo conclamari.* Et lib. 3. *Qui cum magna expectatione veniſſet, temere progreſſus turpem habuit exitum, & noctu, neque conclamatis vaſis flumen tranſiit.* In quem ſenſum Pollionem dixiſſe, carragine facta Scythas per montem Geſſacem fugere conatos, non dubitamus, quamuis alii aliter ſenſerint, quod refert Rhodig. *lib.* 18. *c.* 24. interpretantes Scythas facta carragine, hoc eſt, aperta via, qua plauſtra commearent, per montem Geſſacem fugere tentaſſe; Sic enim & vulgo *fare la carrara* Itali dicunt, quæ expoſitio magis ingenioſa eſt quam vera exiſtimanda. Impedimentis itaque & ſarcinis collectis, curribuſq; impoſitis fugere conatos Scythas Carraginem feciſſe, dicit Pollio hoc in loco, vt mea fert ſententia.

## TR. POL. IN PROOEM. XXX. TYRAN.

*Scriptis iam pluribus libris, non hiſtorico, nec diſerto, ſed pedeſtri eloquio.*

SVnt qui interpretantur, *pedeſtri eloquio*, id eſt, humili & ſimplici oratione, ita dicta; quod ſicut pes inferior pars eſt in homine, ita oratio, quæ cæteris humilior exiſtit, pedeſtris dicatur. Doctius, qui ſolutam orationem exponunt. Quintilianus namque *lib.* 10. *cap.* 1. de Platone verba faciens inquit:

inquit: *Multa ſupra proſam orationem, & quam pedeſtrem vocant Græci, exurgit.* Et Horatius *libro 2. Carm.* ad Mœcenatem ſcribit:

*Tuque pedeſtribus*
*Dices hiſtoriis prælia Cæſaris.*

Econtra vero Græci poeſin, ſeu metricam orationem ἵππεχον, hoc eſt, qui equo vehitur, ob magnitudinem, quam in ſe habet, & ſublimitatem, appellauere, hincq; primum Poeſeos ſcriptores prodiiſſe, mox qui metrum ſoluerint, aſtruxerunt Cadmus Pherecides & Hecatæus, quod prima in Homerum commentatione ſcriptum reliquit Euſtathius. Vtraq; tamen interpretatio conuenit. Vopiſcus *in Probo* dixit: *Longius amore Imperatoris optimi progredior, quam pedeſtris ſermo deſiderat.*

## TR. POL. IN SATVRN. XXII. TYRAN.

*Hic ea die qua eſt amictus à militibus peplo Imperatorio, concione adhibita, dixiſſe fertur, &c.*

PEplum veſtis genus ſolemne antiquis fuiſſe, non modo fœminis, ſed & Xenophontis authoritate viris commune, docet Pollux *lib. 7. c. 13.* Fœminarum quidem exemplum habemus ex Virg. 1. Æneid.

*Crinibus Iliades paſſis peplumque ferebant.*

Et in Claudiano de Nuptiis Honorii:

*Et crines feſtina ligat, peplumque fluentem*
*Alleuat.*

Et ex Homero *libro 6. Iliad.* referente, Hecubam conſilio Heleni vatis, ex ſuis veſtibus pretioſiſſimum peplum ad templum Palladis tuliſſe. Virorum etiam fuiſſe, præſertim Principum, hoc in loco ex Pollione, & infra in Celſo colligimus. Sed & Deorum fuiſſe indumentum facile probatur; tum ex loco citato in Celſo, vbi habet Pollio; Illum peplo Deæ cœleſtis ornatum, præcipue vero Mineruæ, ex Plutarcho *in vita Demetrii*, & Virgilio *in Cyri.* Et Homero *6. Iliados*, quorum dicta infra deſcribemus; Veneris quoque, namq; Homerus *libro Iliad. 5.* ſcribit, Diomedem vulneraſſe manum Veneris, atque lanceam transfixiſſe per peplum,

 quem

quem ei Gratiæ confecerant. Et in Hymno Veneris, illius ornatum deſcribens, quando cum Anchiſa concubuit, πέπλον enumerat. Et Martianus *libro primo*, *de nuptiis Philologiæ*, tradit, Iunonis peplum eſſe caliginoſum, quod tamen ſi appulſu cuiuſdam luminis tangatur, inter obtenebrantes nebulas ſudæ perſpicuitatis gratia præniter. In primo *Epigr. Græcorum* libro, Bacchus Νεβρειδόπεπλος appellatur, id eſt, *peplo ex ceruinis pellibus veſtitus*. Sinuoſum vero & amplum longumque veſtimentum fuiſſe peplum, colligimus ex ipſo Homero *libro 6. 7. & 22.* qui mulieres Troianas ob id vocat ἑλκεσιπέπλους, hoc eſt, *longas veſtes trahentes*. Et *libro* 18. eiuſdem, Thetidem non ſemel τανύπεπλον vocat, id eſt, *longam veſtem habentem*. Ita & Helenum τανύπεπλον *libro* 4. *Odyſſ.* etiam vocat *vltimo libro Iliad.* mulieres εὐπέπλους, hoc eſt, *pulchro peplo indutas*. Quod vero peplum amplum valde fuerit indumentum, comprobare etiam poſſumus ex Claudiani ſuperius allegato loco:

*———Peplumque fluentem*

*Alligat.*

Quinimo pro curruum periſtromate peplum aliquando accepiſſe Homerum, necnon & equorum inſtrato, ad puluerem arcendum; docet Cœlius Rhodig. *libro decimotertio*, *capite decimooctauo*. Et Ariſtophanes peplum etiam dici voluit velum Panathenaicæ nauis, quam quarto quoque anno honore Palladis inſtruebant, ducta pompa à Ceramico ad Eleuſinum. Ex quibus pepli amplitudinem arguere licet. Et Lactantius Placidius interpres Statii *libro decimo*, ſcribit, peplum eſſe veſtem candidam aureis clauis pictam ſine manicis. Seruius enarrans illud Virgilii:

*Crinibus Iliades paſſis peplumque ferebant.*

Peplum, inquit, eſt palla picta fœminea. In peplo expingi conſueuiſſe varia heroum facinora prodidit Iſæus, & repetit Harpocratio. Et de Palladis peplo clare id docet Euripides *in Hecuba*. Et Virg. per initia Cyri ſcribit:

*Sed magno intexens (ſi fas eſt dicere) peplo*
*Qualis Erictheis olim portatur Athenis,*
*Debita cum caſtæ ſoluuntur dona Mineruæ.*

Et

Et paulo poſt:

*Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ,*
*Magna giganteis ornantur pepla tropheis,*
*Horrida ſanguineo pinguntur prælia ſucco.*

Et Plutar. *in Demetrio*, varias in Palladis peplo imagines effinxiſſe Athenienſes tradit. Plato *in Euthyphrone*, inquit: *In magnis Panathenaïs peplum pictum in arce ſuſpendi ſolitum.* Et apud Apuleium legimus *peplos muſtellatos*, quaſi variegatos dixeris. Ex his omnibus exiſtimare licet, Peplum indumenti genus fuiſſe, quale apud nos *Manto* dicitur, quodque ſupremus cæteris veſtiatur, quod Theocriti interpres in Syracuſis innuere videtur, quum *περγατείδα* interpretatus ſit peplum, ac indumentum, quod primo ſuccingeretur. Author eſt Porphyrius, conditum ab Ariſt. Commentarium, cui titulus *Peplum*, in quo Ducum deſcribebat Genealogias, & nauium numerum ad Troiam profectarum; Ad quod pertinet illud Cice. ad Atticum: *Pelographiam Varronis tibi probari non moleſte fero, à quo adhuc ἡρακλείτειον illud non abſtuli.* Ex quibus varietatem etiam in picto peplo conlicere licet.

Illud poſtremo adiicimus, non vulgare, ſed Principum virorum fuiſſe, ſeu Illuſtrium fœminarum & ſolemne indumentum; quod tum ex iam dictis patere puto, tum etiam ex Plauto ſcribente: *Nunquam ad ciuitatem venio, niſi quum infertur peplum.* Et quum Pollio in Celſo ait, illum à militibus Imperatorem vocatum, & peplo Deæ cœleſtis ornatum, exiſtimo intelligendum de Palladis peplo, de quo plura ſuperius. Nam conſueuiſſe priſcos Deos orantes & præcipue Palladem obſecrantes, peplo illorum ſimulachrum ornare, conſtat ex Virgiliano illo ſuperius adducto:

*Interea ad templum non æquæ Palladis ibant*
*Crinibus Iliades paſſis, peplumque ferebant.*

Et ex Homeri interpretis dictis, necnon & Æſchyli verbis, Turneb. *lib. Aduerſ.* 14. *c* 15. comprobat.

## TR. POL. IN ZENOBIA, XXIX. TYRAN.

*Fuit vultu ſubaquilo, fuſci coloris, oculis ſupra modum vigentibus nigris, ſpiritus diuini, venuſtatis incredibilis.*

AQuilum colorem fuſcum, ſeu ſubnigrum eſſe, Calepinus docet, Pompeii Feſti ſententiam ſecutus, qui illius eſſentiam declarat *lib.* 1. ab aqua etymologiam deducens. Nam quum antiqui duos principes colores, & extremos facerent, album, ſcilicet, & nigrum, is quoque qui neutri ſimilis ſit, ab vtroq; tamen medius proprietatem trahat, aquilus dicitur ab aqua, cuius color incertus eſt. Quamobrem Zenobiam vultu ſubaquilo fuiſſe interpretari poſſumus *ſubfuſco* ſeu *nigro*, nam teſte Donato & Varrone, particula (*ſub*) temperamentum & diminutiuum ſignificat. Quam tamen ſententiam haud recipiendam puto, tum quia ſtatim ſubdit Trebellius *fuſci coloris*, quod vtique nō feciſſet, verboſitatem vitans, ſi dictio illa *ſubaquilo* de colore intelligenda eſſet. Ad hæc, quæ ex Feſto adducuntur, haud veritati conſentanea ſunt, ſiquidem obſeruamus, pictores & Poetas conſueuiſſe non inepte fluminibus pallorem quendam aſſignare, mari cæruleum, lacubus candidum, vnde aquam non coloratam, ſeu nullius coloris eſſe abſolute affirmare haudquaquam poſſumus. Itaque fuiſſe Zenobiam *vultu ſubaquilo*, interpretandum exiſtimo, hoc eſt, quoquo modo faciei aquilæ ſubſimili, ſicuti dicimus eodem in ſenſu *nares aquilinas*, quæ ſupra incuruantur in conuexum, infra vero acuminatæ ſenſim deprimuntur, ab aquilæ roſtri ſimilitudine. Et *Aquilo* ventus, quod ſicuti Aquila velociter & impetuoſe volat, ita ventus ille à vehementiſſimo ac præceleri flatu appellationem adeptus eſt; Vnde iure optimo D. Hieronymus ſcopam viarum Aquilonem dixit, quod vehementer difflando vias perpurget. Et Aquilorum Romanam familiam potius ab Aquilis, quam ab Aquilo colore denominatam exiſtimamus, quicquid in oppoſitum ſenſerit Alex. ab Alexandro *libro* 1. *dierum Genialium*, *cap.* 9. niſi & colorem Aquilum ab Aquila deductum dicamus, quam coloris ſubnigri eſſe norunt omnes qui pennas contemplati ſunt. Fatemur enim

enim Plauti dictum de colore interpretandum, dum inquit in Pœnulo:

*Statura haud magna corpore Aquilo,*

Hoc eſt, colore ſubnigro, fuſco ſcilicet. Ita & Suetonii verba *in Auguſto, c.* 79. dum ait, illum fuiſſe colore inter Aquilum & candidum, id eſt, ſubfuſci coloris. At in præſenti loco non ita; nam quum dixiſſet Pollio, Zenobiam fuiſſe vultu ſubaquilo, ſeipſum ſtatim declarat, ſubdens, *fuſci coloris, oculis ſupra modum vigentibus, nigris*, quæ omnia Aquilæ oculis & colori conuenire nemo ignorat; Quod ſi nares addidiſſet, quales in Auguſto Suetonius loco citato depingit, à ſummo eminentiores, & ab imo deductiores, capitis Aquilæ anteriorem partem affabre figuraſſet; dixit autem *vultum*, non *faciem*, eo quod vultus ſit voluntatis indicium, docente Seruio, in quo à facie differre tradit, ex Virg. 4. Æneid.

*Spem vultu ſimulat.*

Subdens itaque poſt vultus expreſſionem, illam fuiſſe ſpiritus diuini, & venuſtatis incredibilis, vocis virilis, & moribus ſeueram, vbi neceſſitas poſtulabat, certe & aquilæ proprietates naturales fere apte cenſere videtur.

## TREBELLIVS POLLIO IN TITO.

*Calphurnia fuit ſancta, & venerabilis fœmina, de genere Cenſorinorum, id eſt, Piſonum, quam maiores noſtri vniuiriam ſacerdotem inter ſacratiſſimas fœminas adorauerunt.*

CEnſorinos, Calphurnios, & Piſones in vna & eadem familia fuiſſe, ex hoc loco clare colligimus. Et Plutarchus *in Numa Pompilio*, ab illo Calphurnios originem duxiſſe teſtatus eſt, à Calpo ſcilicet Numę filio, quod & Pompeius Feſtus *lib.3.* confirmat, ideo *Calpurnii*, non *Calphurnii* ſcribendũ. Horat. *in lib. de art. poet. ad Piſones*, idem tradit inquiens:

*Vos o Pompilius ſanguis.*

Quo in loco Acron & Porphyrion interpretes tradunt, Piſones à Pompilio deſcendiſſe; nam Calpus Numæ Pompilii filius fuit. Dictos autẽ fuiſſe Piſones poſtea à piſendo, quod piſũ in piſtrinis inuenerũt, author eſt *Pli. li. 28. c. 3* Cẽſorinos autem appellatos forte à cẽſura in ea familia præclare geſta.

Inter Piſones fuere viri & mulieres præclariſſimi *Calphurnii & Calphurniæ* nomine donati; Vti L. Calphurnius Piſo Trib. Pleb. qui Calphurniam legem repetundarum primam tulit, L. Marcio & M. Manilio Coſſ. anno V. C. 604. cuius meminit Cic. *ſecundo de Offi. in Bruto, & in quinta in Verrem act.* & Val. Max. *lib. 2. cap. 2.* Fuit quoque C. Calphurnius Piſo Conſul, qui anno 686. ab V. C. Calpurniam legem *de ambitu* tulit, cuius Dion *lib. 26.* & Cic. *pro Murena, & pro Cornelio*, & in eam Aſconius, verba fecere. Fuit & alia lex Calpurnia *de Ciuitate militibus virtutis ergo donanda*, quam & ab aliquo eiuſdem familiæ latam arbitramur, quamuis Ciſenna *Hiſt. lib. 4.* & Nonius in voce, *Ergo*, de ea memorantes, de authore eiuſdem ne verbum quidem protulerint. Fuit quoque Calpurnius Piſo, quem nobilem & ferocem virum appellat Tacit. *lib. Annal. 4.* accuſatorum factionibus ſub Tiberio ſtrenue aduerſatus. Lata quoque à Calpurnio Piſone vrbis Præfecto conſtitutio *de liberis impie non exhæredandis*, teſtimonio Val. Maximi *lib. 7. cap. 7.*

In eadem Piſonum proſapia mulieres Calpurniæ celebres fuere, quemadmodum Calpurnia L. Piſonis filia, C. Iulii Cæſaris vxor, de qua Suet. *in illo, c. 21.* Et Calpurnia Cenſorina, de qua hoc in loco Pollio; Et, vt ego arbitror, Calpurnia Plinii iunioris vxor, ad quam Epiſtola eiuſdem 7. *lib. 6.* quam ſtudiorum mariti miniſtram fuiſſe non deſunt qui teſtentur: Non negauerim tamen, hoc forte nomen ad mulieres & viros alterius familiæ translatum; Nam fuere Calpurnius Agricola, qui bellum aduerſus Britannos geſſit, teſtimonio Capitolini *in M. Antonino Philoſopho.* Et Calpurnius Beſtia Conſul, cum P. Scipione Naſica, qui pacem flagitioſam fecit cum Iugurtha Numidarum Rege, pecunia corruptus, quam poſtea Senatus improbauit, teſte Eutropio *lib. Hiſt. Rom. quarto.* Cui etiam M. Cæcilius obiecit, ab eo dormientes vxores aconito tactis genitalibus, interemptas. Hinc illa atrox peroratio eiuſdem. Nec prætermittendus Calpurnius Craſſus, qui promiſſis ingentibus militum animos pertentans, detectus, & confeſſus, Tarentum relegatus, à Cocceio Nerua Imper. liberatus, patribus lenitatem

eius

eius increpantibus, Sex. Aurel. Vict. ſcribente *in Nerua*. Calpurnium Saluianum addamus, qui quum Sextum Marium coram Druſo vrbis Præfecto Latinarum die, reum poſtulaſſet, in exilium actus eſt, Cornelio Tacito ſcribente *libro Annal.* 4. Poſtremo ſubdamus Calpurnium Lanarium, cui M. Portius Cato cum Claudio arbiter Claudium Centimalum damnauit, quod Claudius ab Auguribus iuſſus altitudinem domus ſuæ, quam in Cælio monte habebat, ſubmittere, quia illis ex arce augurium capientibus officiebat, Calpurnio vendiderat, de induſtria Sacerdotum edictum ſupprimens, ex Valer. Max. *lib.* 8. *cap* 2. & Cic. *Offic.* 3. Fuere quoque mulieres Calpurniæ alienæ familiæ à Piſonorum gente, ſicuti Calpurnia Beſtiæ filia, de qua Paterculus, & Calpurnia cauſidica Licinii Bracteonis vxor, quæ Romæ inſignis impudentiæ fuit, in foroque inuſitatis latratibus tribunalia exercens, in cauſa fuit, quod mulieribus poſtea interdiceretur iudicandi munus, & publice agendi in foro, ex Val. Max. *lib.* 8. *cap* 3. de qua re Iuriſconſulti *l. fin. de arbitr. l. cum prætor, D. de iud. & l.* 1. *§. ſexum, de poſtul.*

Hæc omnia adnotare libuit, vt eorum refellatur opinio, qui Calpurnii & Calpurniæ nomina Romana, vnius tantum familiæ, Piſonum ſcilicet propria fuiſſe, non erubeſcunt contendere. Quorum tamen ſententiæ fauere videtur Tacitus *libro Hiſtor.* 4. vbi de cæde Calpurnii Galeriani, quem tamen C. Piſonis filium fuiſſe tradit. Sed ad ea, quæ potiora ſunt, atque magis ad præſentis loci explicationem faciunt, accedamus. Appellat Calpurniam Pollio *vniuiriam Sacerdotem*, quæ verba enodanda ſunt. Siquidem mulieres apud priſcos gentiles ſacerdotia exercuiſſe, non ambigendum, ſcribente Platone 6. de Legibus: *Sacerdotes tam viri quam mulieres aditui conſtituendi ſunt.* Et Dionyſio Halycarn. *in ſecundo antiq. Roman.* de Romuli inſtituto loquens: *Quoniam autem quædam ſacra fieri oportebat per mulieres, voluit vxores cum ſuis maritis fungi ſacerdotio: & ſi qua ſacra viros obire vetaret mos patrius, ea relinqui fœminis.* Et Vopiſcus *in D. Aureliano*, de illius matre: *Ex palliolo purpureo, quod ſoli ſui temporis Imperator obtulerat ſacerdos, mater crepundia filio feciſſe perhibitum.*

Qua de re Calpurniam fuiſſe ſacerdotem minime mirandum. At cur *vniuiriam* appellet Pollio, deinde perquirendum, ac cuius numinis ſacerdos fuerit, indagandum. Apud ſcriptores ſæpe ſæpius obſeruamus *duouiri, triumuiri, quinqueuiri, ſeuiri decemuiri, centumuiri*, & huiuſmodi magiſtratuum genera, ſed in hoc ſenſu Calpurniam vniuiriam ſacerdotem minime dictam exiſtimamus, quum nullibi in hiſtorica lectione ſcriptum quidpiam adnotauerimus, vnde hanc expoſitionem firmare iure poſſimus; Qua de re illud in memoriæ reuocamus, quod Valerius Maximus *lib.2.cap.1.* dum de nuptiis agit, literis mandauit, eas ſcilicet, quæ vno matrimonio contentæ fuerant, corona pudicitiæ honoratas apud Romanos, quod exiſtimarent, eum præcipue matronæ incorruptum eſſe animum, quæ poſt ſemel depoſitam virginitatem ad ſecundas nuptias tranſire non pateretur; multorum matrimoniorum experientiam, intemperantiæ cuiuſdam ſignum eſſe credentes. Et Plutarchus Problem. 99. *Quid eſt* (inquit) *quod publicis feſtis veteri more virgines non nubunt, viduæ nubunt? An quod virginibus decorum, viduis vero, multis præſentibus, fœdum nubere? felices namq; & fauſtæ primæ nuptiæ, ſecundæ vero triſtes & deteſtandæ: pudet enim, viuis adhuc eis, quibus antea nupſerant, alios accipere, mortuos autem lugent.* Hinc apud Virgilium Dido ſecundas nuptias *culpam* vocat, inquiens:

*Huic vni forſan potui ſuccumbere culpæ.*

Et noſtræ Chriſtianæ Religionis inſtituta, etſi Polygamiam minime prohibeant, nihilominus in Concilio Neocæſarienſi *c.1. de iis qui frequentet*, 31.*q*.1. pœnitentia ſæpe nubentibus iniungitur. Hinc Iura ſtatuunt, ſecundas vel repetitas nuptias ineuntes, non benedici à ſacerdote, quum tamen primæ benedicantur, *cap.1. & cap. vir autem vel mulier, de ſec. nupt lib.4. Decretal. tit. 21. cap. fin. 23. diſtinct.* Quod etiam confirmat D. Ambroſius *tom.4. ſuper cap.3. prioris epiſt. ad Timoth.* Ideo Bigamus, qui duas habuit vxores, vel viduam duxerit, non poteſt ordinari, & ad Dei miniſteria promoueri, quod non ſemel iura Pontificia & ciuilia pariter præcipiunt. Et D. Hieronymus ad Saluiniam: *Neſciat*, inquit, *vidua digamiæ*

*indul*

*indulgentiam.* Et ad Geruntiam: *Non ſolum ab officio ſacerdotij digamus excluditur, ſed & ab eleemoſyna eccleſiæ, dum indigna putatur ſtipe, quæ ad ſecunda coniugia deuoluta eſt.* Et in odium mulierum, quæ ad ſecundas nuptias tranſeunt, lex ciuilis matri, quæ ad ſecundas nuptias tranſierit, vim adimit reuocandi, propter ingratitudinem, donationes prioris matrimonii liberis factas, quum tamen ea vnius matrimonii vidua poſſit, *l.hiſ ſolis, l.7. C.de reuoc.donat.lib 8.tit.56.* Accedit quod bona, quæ relinquuntur pro pauperibus mulieribus dotandis, non poſſunt diſtribui in maritandis viduis, quantumuis pauperibus, vt docuere Bal. & tradit Guliel.Bened. *in cap.Raynutius, verſ.qui cum alia, num.79.1.par. de teſtam.* Neque ſubditi & clientes, qui pro maritandis filiabus virginibus domini ſeu patroni tenentur, pecuniam conferre pro vidua filia iterante matrimonium (vt notat Guid.Papeus, *q.57.in fin.*) obligantur.

Exoſa itaque nuptiarum reiteratio tum legibus noſtris Canonicis, tum ſecularibus, tum etiam gentilium, vt diximus; qua de re haud mirandum, ſi Trebellius in hoc laudat Calpurniam, vniuiriam ſacerdotem eam appellans, hoc eſt, vt ego interpretor, vnico viro contentam.

Sed cuius Dei vel Deæ ſacerdos fuerit Calpurnia, videndum; Nam Veneris ſacerdotem fuiſſe illam, ex verbis textus colligi poſſet, quæ ſunt huiuſmodi: *Cuius ſtatuam in templo Veneris adhuc videmus Argolicam, ſed auratam.* Sed quæſo, quæ conuenientia Veneris voluptatum Deæ cum fœmina ſacratiſſima & venerabili; qua de re ego potius decernendum puto, Calpurniam Dialem flaminicam ſeu flammeam fuiſſe, tum quia mulieri principi nobiliſſimæ & ditiſſimæ, vti quam Cleopatræ vniones habuiſſe perhibebant, & lancem centum librarum argenti, in qua maiorum ſuorum expreſſa erat hiſtoria, huic (inquam) ſacerdotium cæteris præſtans conueniens erat, quale Flamen Diale, quod omnibus aliis antiquius & nobilius fuiſſe, tradidere Gellius *libro 10.cap.15.* Plutarchus *Problem.42 & 48* Varro *lib.5.de lingua Latina.* Dionyſ. Halycarnaſſ. *lib.2.* Liuius *lib.1.* Adhæc quum Flamen & Flamea Diales monogami eſſe deberet, &

ab eo

ab eo ſacerdotio bigami excluderentur, *ex Aulo Gellio loco citato*, Calpurniam vniuiriam talem fuiſſe ſacerdotem iure putandum, præſertim quum habeamus à Plutarcho ſcriptum *in Problematibus*, de Flaminibus Dialibus: *Eodem tempore vxor cum viro conſecratur, quemadmodum multa ſunt in ſacris, quæ abſente viro agi nequeunt. Priore autem amiſſa alteram ſtatim ſuperinducere tum difficile eſt, tum vero iniquum & impium; Quare mortua vxore, Flamen Dialis ſeſe ſacerdotio abdicabat.* Nec obſtat, quod de Tito illius viro ſcribat idem Pollio, vix illius nomen agnitum, nec eum ſacerdotem Dialem fuiſſe memoretur, quinimo militum Tribunum dicat, & à militibus imperare coactum, & Dialis flamen exercitum armatum extra pomœrium videre non poterat, teſte Gellio *loco adducto*; nam non omnia de illo à Dexippo & Herodiano ſcripta, quos authores in Hiſtoria illius ſequitur Trebellius ipſe. Præterea potuit Titus vno tempore militare, & alio à militia vacare, & eodem ſacerdotium Diale Flaminium exercere vna cum vxore, ob idque Aulus Gellius non negat, Conſulem aliquando, licet rarenter, Flamine creatum, quum tamen bella Conſulibus mandarentur.

## TREBEL. POLLIO IN CLAVDIO.

*Nam quum eſſet nuntiatum 9. Kalend. Aprilis, ipſo in ſacrario Matris ſanguinis die, Claudium Imperatorem factum, &c.*

Dis antiquitas *Patris* nomen tanquam diuinitatis plenum, Deabus *Matris*, vt paſſim obſeruamus, attribuit. Sic Maro 2. Georg.

*Huc Pater ô Lenae veni.*

Et 3. Æneid. de Deo Tiberino:

*Da Pater augurium.*

Et octauo eiuſdem de eodem:

*—— Et fortia corpora volues,*

*Tiberi Pater.*

Et primo quoque de Ioue:

*Diuûm Pater.*

Et

Et 4. Georgicorum:

*—— Simul ipſe precatur*

*Oceanumq́; Patrem rerum.*

Et 3. Æneid. de Marte:

*—— Nymphas venerabat agreſtes,*

*Gradiuumq́; Patrem.*

Et de Ioue ipſo 1. Georgic.

*Ipſe Pater media nimbos in nocte coruſca*

*Fulmina molitur dextra.*

Et iterum ibidem:

*Ter Pater extructos disjecit fulmine montes.*

Ita & de Deabus mater *Matuta* dicta, quæ Græcis *Leucothea*, ex Cic. 1. *Tuſcul. & lib. 3. de natura Deorum*. De qua Ouid.

*Leucotheaq́; cum matre Palamona dixit.*

Firmianus lib. 1. c. 21. *Leucothea, materq́; Matuta, filius eius Palemon atq; Portumnus.* Et Terram matrem magnam dictam quis ignorat? Et Lunam matrem appellauit Liuius *lib. 45.* His ſic ſe habentibus, perquirendum, quam Deam in hoc loco Pollio Matrem dixerit. Non enim matrem cum additione *ſanguinis* legendum puto; nam, quæ mater ſanguinis fuerit appellata, ignorare me fateor, niſi dixerimus Matrem magnam, Terram, inquam, quam & almam vocauere antiqui; quod omnia alat, & Deorum matrem, quod omnia generet, & ſanguinis matrem, communi ea appellatione, qua dicimus hunc & illum eſſe huius vel illius ſanguinis, & ipſam quoque nuncupemus. Sed aliter ego Pollionis dicta interpretanda puto; nempe, nono Kalend. Aprilis ipſo in die ſacrario ſanguinis matris, nuntiatum, Claudium Imperatorem factum, hoc eſt, in die, quo non ſolum ſacra fiebant magnæ Matri, ſed & immolabantur victimæ; namque magnæ Matri, de qua non dubito hic intelligendum, quum ſacra fiebant, mactabatur porca prægnans, vti docuit Seruius in illud Virgilii:

*Tibi enim maxima Iuno.*

Et Macrob. *lib 1. Saturnal. cap. 12* Et ideo dies illa vocabatur ſanguinis, dies ſacra ſeu ſacraria. Quod etiam confirmatur; namque huiuſmodi ſacra initium habebant octauo Kalen. Aprilis,

Aprilis, teſte Macrobio, 1.*Saturnal.cap.*21. Hoc vero loco loquitur Pollio de ſecunda die, in qua immolabantur victimæ matri Deûm; ideo inquit *nono Kal. Aprilis*, non *octauo*, & iure eum appellat diem ſanguinis, vt diximus. Ex quibus colligere poſſumus, quod ſicuti diebus nundinarum vel comitialibus Senatus haberi non poterat, ita nec diebus ſanguinis, hoc eſt, in quibus immolabatur & ſacra fiebant. Quorum omnium ratio fere eadem eſt, ne ſcilicet à Comitiis ad ſuffragia ferenda, & à nundinatione & ſacris faciendis Senatores ac Senatus aſſeclæ & miniſtri auocarentur; ſed his omnibus vacare poſſent.

Non me latet, Hadrianum Turnebum *Aduerſ.lib.*30.*capite* 21. interpretari, matrem ſanguinis, quod ea die in ſacris Galli fanatici Matris magnæ ſacerdotes ſe cruentarent, per furorem alienata mente; Nos tamen nullibi legimus, ſibi vulneribus ſanguinem præ furore elicuiſſe: nam ſicuti ſanguine obliniſſe crines capite nutantes & agitantes, ex Lucano, *lib.*1. ſuperius demonſtrauimus, vbi de Gallis plura; Et quia ſono rauco cornua perſonabant, & vndique furorem ſimulabant, ideo ſæua dicta cornua, tympana & ſacra; & eoſdem ſibi quum ſacerdotium aſſumerent, teſtes ademiſſe; ita minus verum eſſe cenſemus, quod in ſacris peragendis vulneribus è corpore ſanguinem elicerent, quod certe ſcriptores non tacuiſſent, ſi verum fuiſſet, nec *Hilaria* appellaſſent huiuſmodi ſacra, in qua non niſi feſta facere & dicere licebat, teſte Lampridio *in D. Aureliano*, quod fuſe ibi docuimus. Qua de re nec huic interpretationi plene acquieſcere poſſum.

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Item in Caueos, & Scyphos, & Zuma pondo vndecim.*

CAueum & ſcyphum, vaſa ad bibendum parata fuiſſe non dubitamus, quibus argenteis vſos primarios viros colligimus tum ex hoc loco, tum etiam ex alio Spartiani *in Peſcennio Nigro*, vbi de eo inquit: *Hic tanta fuit ſeueritatis, vt quum milites quoſdam in caueo argenteo expeditionis tempore bibere*

*lere vidiſſet, iuſſerit omne argentum ſubmoueri ab vſu expeditionali, addito eo, vt vaſis ligneis vterentur.* Ex quibus colligimus caueі argentei vſum priuatum, ſtatum militum exceſſiſſe. Caneum autem fuiſſe multæ capacitatis exiſtimandum; ita enim appellatum à cauea puto, & forte huiuſmodi fuit cantharus Baccho attributus poculum, quod magnum à cantharo nauigii ſpecie dictum, non dubitandum. Vnde Plinius *lib.* 33. *cap.* 11. ſcribit, C. Marium poſt Cimbricam victoriam cantharis potaſſe, Liberi patris exemplo. Scyphos autem fuiſſe minoris capacitatis, manifeſtum eſt, quibus veteres in ſacris & conuiuiis vſi ſunt. Virg. 8. Æneid.

*Et ſacer impleuit dextram ſcyphus.*

Horatius Epod. 9.

*Capaciores adfer huc puer ſcyphos.*

Sed quid per zuma ſit intelligendum, difficilioris inuentionis eſt, præſertim quum de re hac nihil apud recentiores ſcriptores inuenerim, quod mihi lumen aliquod præbere potuerit. Illud tamen, quod ipſe ſentiam, proponam, & doctiorum erit iudicium. Arbitror itaque, zuma fuiſſe vaſis ſeu patinæ ſpeciem, in quo panis menſæ inferretur & apponeretur, vulgo Panettera dicunt, ita appellata à voce Græca ζύμη, id eſt, *fermentum*, ſeu ζυμίτης, quod eſt *panis fermentatus*: υ enim Græcis loco *u*, Latinæ literæ inſeruire palam eſt. Scio Turnebum *Aduerſ. lib.* 15. *cap.* 20. loco *Zuma* legere *Trullas*, quam lectionem ſi receperimus, nulla erit difficultas; nàm trullam & ipſam vas potatorium eſſe conſtat. Horat. 2. Serm. Sat. 3.

*Qui Veientanum feſtis potare diebus*
*Campana ſolitus trulla.*

Iuuenalis quoque Sat. 3.

*Si trulla inuerſo crepitum dedit aurea fundo.*

Plaut. in Amphit.

*Omneſq; trullas hauriam.*

At ſic explicare ſe à difficultatibus mutatis verbis facile admodum eſt.

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Cumacum Cypriam.*

SI ſeriem antecedentium verborum & ſubſequentium perpendamus, diuinare licet, Cumacum fuiſſe genus inſtrumenti ad corporis ornatum pertinens, vti fibulæ, baltheum, brachiale, torques, & ſimilia, & forte è fibularum genere; nam cum fibula coniungit, inquiens, *fibulam auream & Cumacum Cypriam vnam*; dictam *Cumacum*, quod illius ex oppido Aſiæ Cumâ vel Cumis vrbe Lucaniæ, ſit vſus ad Romanos traductus; ſicuti apud Nonium Varro dixit, *Cumanos calices*, & *teſta Cumanæ*. Martialis *lib.4.Epigramm.* 114. Niſi *Comacum* legamus potius à *coma, comæ*, vel à *como*, quod eſt orno, deriuatum. Cypriam autem appellat, hoc eſt, ex ære paratam; nam ex Cypro æs optimum proueniebat, & ad Romanos vehebatur, & pro Cyprio, æs Cyprium intelligebant antiqui. Sic apud Plinium lib.36.cap.26. *Teritur Cyprio ære in Cyprio mortario.*

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Aclides duas.*

ARmorum genus Aclides eſſe conſtat ex Virgil. *lib.7. Aeneid.* ſcribente:

*——— Teretes ſunt aclides illis*
*Tela, ſed hæc lento mos eſt aptare flagello.*

At qualia eſſent aclides arma, non ita notum. Turnebus *Aduerſ.lib.30.cap.21.* quoſdam putare ſcribit ita dictos, quaſi *ἀκίδες*, ab acumine & cuſpide, ipſe iacula aclides fuiſſe exiſtimat, quum teretes dixerit illas, & teres ſit iaculorum haſtile; addit & Græcis *ἀγκύλαι iacula* eſſe, vnde luxata paulo fractaque voce *Aclidis* Latinis appellata.

Ego alterius ſum ſententiæ, & puto clauem ferream aclidem fuiſſe, quales & noſtris temporibus, præſertim antecedentibus, in vſu extitiſſe compertum eſt, circa caput acuminibus quibuſdam circummunitas, ad caſſides præſertim contundendas, & diſrumpendas loricas. Cui noſtræ opinioni fauent Virgilii dicta, qui inquit, hæc ſolita lento aptari

aptari flagello, hoc eſt, loreo amento, brachio vel manibus alligari, ne graues quum ſint, in ictu decidant, & facilius ictu peracto redire poſſint. Ad quid enim religari iaculum, quod iaciendum eſt, & manibus omni ligamento liberum contineri debet. Clauam autem teretem forma eſſe, nemo ignorat. Nec obſtat quod Virgilius idem tela appellat *aclides*, & telum proprie ſit, quod manu iaci poteſt, & in longinquum manu mitti: nam Græcis τῆλε & τηλοῦ *longe* ſignificat, & τηλόθεν *miſſa* dicitur. Et Feſtus *lib.* 1. tela ab armis proprietate ſignificationis hoc diſtare ſcribit, quod tela ſint ea, quibus procul præliamur, arma vero ab humeris dependentia. Nam largiori ſignificatione telum accipitur pro quolibet armorum genere. Ita Virgilius gladium telum appellauit 9. Æneid.

*At non hoc telum, mea quod vi dextera verſat,*
*Effugies.*

Et generice magis Cic. 6. Verr. *Nemo Agrigenti neq; ætate tam affecta, neq; viribus tam infirmus fuit, qui non illa nocte eo nuntio excitatus ſurrexerit, telumq; quod cuiq; ſors offerebat, arripuerit.* Aclidem autem clauam ferream puto appellatam voce Græca parum mutata ἀκλινὴς, quod eſt, *immobilis*, non vacillans, quale id armorum genus eſſe manifeſtum eſt.

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Cocum, quem refundat, Mulionem, quem refundat, Notarium, quem refundat, Structorem, quem refundat, latum clauum, quem refundat.*

VErbum *refundo* ſignificare Latinis propria ſignificatione *rependere, reſtituere*, manifeſtum eſt. Seneca: *Id erat non tam accipere beneficium, quam refundere.* Et iterum: *Quicquid dederit, ex meo refundam.* At certe non eſt credendum, Valerianum in Claudium liberaliſſimum, voluiſſe eum reſtituere quicquam, quod ab eo accepiſſet, præſertim veſtes, puta togam & laticlauum, viles quidem reſpectu donantis & donati. Quamobrem ego interpretor hoc in loco *refundere*, hoc eſt, *renouare*, quo in ſenſu vſus eſt Cic.

*lib. de nat. Deorum.* inquiens: *Vaporibus altæ renouataq́; ſtellæ refundunt eoſdem.* Renouant ſcilicet, vti interpretatus eſt Marius Nizolius. Sic Ammianus Marcellinus *Oceanum reſurſum*, hoc eſt, cuius motus fluxu & refluxu, incremento & decremento renouatur.

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Pateras gemmatas, Diſcum Corymbiatum, Lancem pampinatam, Patinam hederatam, Voletá balienticum.*

HÆc omnia vaſa fuiſſe, quibus eſculenta & poculenta miniſtrarentur, non ambigendum, at nec ſynonyma dicenda, ſed potius aliqualis inter ipſa differentia ſtatuenda. *Patera* vas patens, & ad bibendum quoque aptum, patens & latum, quaſi patula dicta. Virg. 1. Æneid.

——— *Impiger hauſit*
*Spumantem pateram.*

Hac autem in ſacrificiis & libationibus potiſſimum vſi ſunt antiqui. Cic. 6. Verr. *Patera, qua mulieres ad res diuinas vterentur.* Idem de clar. Orat. *Mortuus è patera ſanguinem viſus eſt effundere.* Et iterum: *Pateræ coronaq́; quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur.* Et, *excipere ſanguinem patera*, in Parad. Virg. 1. Æneid.

*Impleuitq́; mero pateram.*

Ad ſacra itaque facienda Galienus Claudio pateras gemmatas miſit, hoc eſt, gemmis ornatas, ſiquidem thuribulum, patellam & pateram dicit in omnibus fere locupletibus ædibus Siculorum fuiſſe. Cic. in Verr. *In patella Diis apponebantur epulæ cum Laribus & Penatibus ſacra fiebant, patera vinum libabatur, thuribulo thus adolebatur.*

Sequitur, *Diſcum Corymbiatum.* Diſcus vas latum fuit ad portandas carnes aptum, ſi Iulio Polluci id tradenti credimus, vt interim huius vocis alias ſignificationes omittamus, Cic. de Orat. *Quorum auditores diſcum audire malunt, quam Philoſophum.* Et in ſacro Euang. Marci, cap. 6. *In diſco caput Ioannis Baptiſtæ allatum.* Vnde & à Diuo Hieronymo dictus eſt *Diſcophorus*, qui Danieli prandium portauit. Dicit vero

vero *Corymbiatum*, id eſt, Corymbis in argento opere expreſſis. Virg. Eclog. 3.

*Diffuſos hedera veſtit pallente Corymbos.*

*Lancem pampinatam.* Lanx fuit antiquis eſcarium vas, minus patina excauatum, in quo carnes menſæ, tam toſtæ, quam elixæ inferebantur. Iuuenalis Sat. 5.

*Aſpice quam magno diſtendat pectore lancem,*
*Quæ fertur domino ſquilla, & quibus vndiq; ſepta*
*Aſparagis.*

Ex quo magnam fuiſſe lancem deprehendimus. Vnde Plinius lib 33. *Lances è centenis libris argenteis tunc ſupra quingentas numero Romæ fuiſſe conſtat.* Et iterum: *Seruus Claudij nomine Rotundus, diſpenſator Hiſpaniæ citerioris, quinquagenariam lancem habuit, & comites eius octingentas quinquaginta octo librarum.* Hanc fuiſſe figuræ rotundæ, colligimus ex Horatio, 2. Serm. Sat. 4.

*Iligna nutritus glande rotundas*
*Curuat aper lances.*

Dixit autem *pampinatam*, eo pacto, quo diſcum corymbatum Virgilius loco citato:

*Lenta quibus torno facile ſuperaddita vitis.*

*Patinam hederatam.* Patina vaſis genus, quo dapes iurulentæ in menſam feruntur. Vnde Plaut. in Aſin. *Quouis pacto conditas, vel patinarium, vel aſſum verſes.* Id quoque ex Horatio intelligi poteſt, ſcribente lib. 2. Sat. 3.

*Si quis eum ſeruum patinam qui tollere iuſſus*
*Semeſos piſces tepidumq; ligurierit ius.*

Maximam patinam habuiſſe Vitellium, teſtatur Suetonius *in illo, cap.* 13. quam ob immenſam magnitudinem clypeum Mineruæ dictitabat. In hac ſcarorum iecinora, phaſianorum & pauonum cerebella, linguas phænicopterum, murænarum lactes commiſcuit. De hac Plinius *lib. 35. cap.* 12. illam ducentum ſexteriis conditam, & cui faciendæ fornax in campis ædificata erat; fictilem enim aliquando fuiſſe conſtat, quum ſubdit: *Eo enim peruenit luxuria, vt etiam fictilia plus conſtent, quam murrhina.* Et lib. 10. *Maxime tamen inſignis eſt in hac memoria Clodij Aeſopi tragici hiſtrionis, patina ſex-*

*centis ſextertiis t sxata, in qua poſuit aues cantu aliquo aut humano ſermone vocales, nummûm ſex millibus coemptas.* Ex quibus patet, non modo magnitudinem vaſis admirandam, ſed & ferculi ingens pretium, quod & ipſum patinam dixerint antiqui. Hiſpani *ollam potridam* frequenti nomine appellant; Nota & eſt Domitiani patina, in qua rhombus immenſæ magnitudinis integer condiendus erat, de qua Iuuenalis *Satyr.*4. Sed ad rem noſtram reuertamur. Fuit patina argentea hederata, hoc eſt, hedera exſculpta.

*Voleta, Halieuticum.* Hoc opus, hic labor eſt. Egnatius (vt ſui moris eſt) duobus verbis interpretatur iaculum piſcatorium. Sed quæſo quid reti piſcatorio cum argento? quum voleta viginti librarum argenti fuiſſe ſcriptum ſit. Deceptus vir, alias multæ literaturæ, à voce Græca βόλος, quod eſt rete piſcatorium. Præterea ad quid Trebellius addidiſſet, *Halieuticum*, quod eſt piſcatorium, ſi à βόλος voleta deriuanda; ἁλιευτικὸς ſiquidem piſcatorius dicitur. Adhæc haud rationi conſonum videtur, inter vaſa argentea & aurea & gemmata connumeraſſe Pollionem rete piſcatorium. Melius ſane & aptius Turnebus *lib. Aduerſ.* 15. *cap.* 20. non *Voleta*, vti legit editio Germanica, quam vt plurimum ſequimur, ſed *Boletera*, aut *Bolitera*, vel *Boletare* legendum tradit, ita vt vas fuerit, ita primum dictum à Boletis, quod ſcilicet in illo condirentur vel apponerentur comedenda: vaſa enim aliqua à re illa, cuius in vſum parata erant, nomen deſumpſiſſe, ſupra docuimus, vbi de Fabatariis diſſeruimus. De Boletariis verba fecit Martialis lib. 14. Epigram. 106.

*Cum mihi Boleti dederint tam nobile nomen,*
*Prototomis, pudet heu ſeruio colliculis.*

Legimus quoque apud Apicium lib. 2. *Exinanies in boletari.* Legendum itaque *Boletare halieuticum*, hoc eſt, vas Boletare dictum, piſcibus condiendis accommodatum, ſiquidem pondus ingens librarum viginti efficit, vt putem potius coquinarium vas fuiſſe, quam menſale; Quod vero vaſa alicui rei particulari deſtinata in alterius vſum traherentur, ex verſibus Martialis colligitur, & ex ſuperius dictis de fabatariis.

TRE-

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Chlamydes veri luminis limbatas.*

TVrnebus *lib. Aduerſ.* 30. *cap.* 21. interpretatur *veri luminis*, id eſt, veri coloris, & nitidi, ex Tertulliano *lib. de Pallio*, ſcribente: *Et quidem in fama de ſubtegminis ſtudio, conſilio, & menſuræ temperamento.* Et rurſus *lib.* 50 *cap.* 20. interpretatur, *luminoſi caloris & flagrantis ardentiſq́, qualis puniceus & coccineus.* Baptiſta Egnatius *veri luminis ſplendidiſſimas* exponit, quod non ad colorem referendum putamus, ſed ad materiam ipſam, ex qua conſtabant & contextæ erant, puta aurum, argentum, ſericum, quæ ſplendorem & lumen verum, vt ita dicam, veſtibus dare ſolent. Quod vero *limbatas* ait, ego expono, in extremitatibus limbis exornatas. Et paulo antea, vbi legimus *ſagachlamydes*, interpretamur medium indumenti genus inter ſagum & chlamydem, vtriuſque ſcilicet formam mixtam præ ſe ferens.

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Albam ſubſericam, paragaudem triuncem.*

PAragaudæ veſtis fit mentio apud Iuriſconſultos, l. 1. & 2. C. de veſt. olobe. & aura. lib. 11. *Nemo auratus habeat in tunicis aut in lineis paragaudas.* Ex quo ex Iuriſtis quidam, vna cum Turnebo *lib.* 9. *Aduerſ. cap.* 11. paragaudes interpretati ſunt, quod ſint faſciæ, vel auratæ, vel ſericæ, quæ veſtibus intertexerentur, non autem inſitæ adſuerentur. Alciatus vero *in annot. in tres poſteriores lib. Cod.* explicat, paragaudes eſſe genus veſtimenti virilis, vtplurimum linei, quod ſub alia veſte gerebatur, vinctum nunc vnico nexu, nunc pluribus loris, auratis fortaſſe: ita enim intelligit *dilores, monolores*, & ſimilia. Ego vero neutri interpretationi omnimodo aſſentior, licet ex vtraque genuinum ſenſum me elicere potuiſſe non diſſimilem. Namque paragaudam indumentum interpretor, vtplurimum lineum, quod interius ſub aliis veſtibus geſtabant antiqui, at circa extremitates opere Phrygio, acu aliquando & textura pictum, præſertim ad manus & collum, quod & in vulgaribus noſtris interulis lineis fieri conſueuiſſe norunt omnes, modo aureo, modo ſerico,

qui pede manco, vel crure decurtato ſunt, vt commodius & ſtabilius incedant, vti ſolent. Adhæc *Zanchon* corrigam calceamēti antiquis fuiſſe tradit Tiraq. *in ſuis Legib. connubia. lib.* vocat autem Parthicas, quod calceamenta huiuſmodi elatiora eſſent ligno vel ferro aliquo ſoleis ſuppoſito, vt proceriores illis calceati videātur, cuiuſmodi & hodie Parthos, Perſas, Turcas, & Pannones vti conſpicimus, & præcipuus vſus noſtris temporibus mulieribus, præſertim Venetiis, quæ in huiuſmodi Calapodii genere maxime delinquunt. Quod vero *noſtris* addidit, intelligendum à Galieno luxus ſtudioſiſſimo in vſum tractos tzanchas à Græca voce, ſed ad euitandam cacophoniam & duritiē pronuntiationis demptum T. Hanc noſtram opinionem confirmare poſſumus ex verbis libelli, cui titulus, *de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ*, quæ ſunt iſta: ἔστι καὶ ἕτερον εἶδος ὑποδημάτων, ἃ καλοῦνται τζάγγια, hoc eſt, *Eſt & alia calceamentorum ſpecies, quæ vocatur* τζάγγια. Vnde & *Tzanchas* hoc loco legendum puto, non *Zanchas*. Nam & Moſcoph. *in lib.* περὶ σχεδῶν, τζαγγάριον cerdonem coriarium vocat. Ita *in l. 3. & l. vlt. quo quemq; habitu eſſe opor. in C. Theod.* appellatione Tzancharum calceāmenti genus intelligendum cenſeo, quicquid alii ſenſerint; Erat autem proprium Regum, vt ex libello Græco ſupradicto conſtat, & Galienus Imperator ideo noſtras appellauit.

Verumenimuero, quid per Singiliones intelligere debeamus, valde obſcurum, quum nec ab antiquis, nec à recentioribus ſcriptoribus quicquam dictūm viderim, quod aliqualem nobis lucem aperire poſſit. Vulgo *ſaglione* dicunt amictus genus illud, quod thoracibus ferreis ſuperinduunt milites, quos forte *Singilliones* appellauit Pollio. Vel dicamus intellexiſſe cooperimentum illud, quod ad aeris iniuriam & inclementiam vitandam faciei ſuperinducere, præſertim in aperto & iter facientes, ſolemus: *Baute* noſtri vulgares dicunt. Legendum quoque potius *Sigaliones*, quam *Singiliones*. Nam Harpocratem ſilentii Deum, quem figurabant digito os prementem, *Sigalion* quoque ab Ægyptiis vocatum, legimus apud Auſonium Epiſt. 12.

*Et tua Sigalion Aegyptius oſcula ſignet.*

Quod

Quod itaque munimentum illud os contegat, forte ab Ægyptiis *Sigalion* dictum, quam vocem vna cum indumento Romam tranſuectam arbitrandum.

*Chlamydem Dardanicam Mantuelem.* De Chlamyde alias fuſe diſſeruimus; Cur vero Dardanicam vocarit, optime notum, non ita cur *mantuelem*, *μανδύη* penulæ genus Græca voce, vſu vero & Romanis, conſtat ex Suida & Dione *in Tiberio, & Domitiano*, Latini *Mantellum* dixere, Plinii teſtimonio *lib. 7. cap. 2.* vbi Scythas cutibus humanorum capitum cum capillo pro mantellis vti tradit, quod & Herodotus *in Melpomene* confirmat, à mantelo, *mantelio*, vel *manteli*, vt alii ſcribunt, *mantuelem* deductum, ita vt hoc loco intelligendum ſit; *Chlamys Dardanica Mantuelis*, hoc eſt, qua tanquam mantelo vtendum ſit, mantelum enim ponit metaphorice pro quolibet tegmine. Plautus in Capt.

*Nec mendaciis ſubdolis mihi vſquam mantelum eſt meis.*

*Mantelo* vulgo dicimus Itali, & Galli *Manteo*. De Bardocucullo abunde ſuperius egimus.

*Cucutia villoſa* Cucullia villoſa duo & recte legendum docet Turnebus *libro Aduerſ. 51. cap. 20* vt ſit diminutiuum à cucullo, de quo ſuperius plura. *Capitia* legit Egnatius. Vtraque lectio literæ ſenſui accommodata, magis tamen Turnebi ſententia placet.

*Oraria ſarbadena*, Saraptena legit Turnebus eodem in loco, ab vrbe Phœnicis. Egnatius vero *Sambadana* vela ſubtiliſſima, id eſt, ex Oriente, nam Sambata, inquit, genus eſt veſtis Perſicæ, & Sarabaitę Hæretici, DD. Auguſtino & Hieronymo. Addimus nos forte legendum *Sambræa oraria*, nam Sambræa eſt ciuitas Cappadociæ, Ptolemæo *lib. 5. c. 6.* Orarium vero ſyndonem Romanis fuiſſe, Rhodiginus docet *lib. 19. c. 25.* & nos alias fuſe demonſtrauimus. Egnatio fauere videtur Liuius *lib. 28.* ſcribens: *In ipſis quoque trepidatum nauibus, dum ne hoſtes cum ſuis irrumperent, trahuntq; ſcalas, oraque & anchoras.* Et apud Quintilianum legimus, *ora ſoluentibus*, quamuis nō ignorem, non deeſſe, qui vtrobiq; per *oram* interpretentur funem nauticum. De re hac lege etiam Rhodiginum *lib. 27. cap. 7.*

Qua de re Calpurniam fuiſſe ſacerdotem minime mirandum. At cur *vniuiriam* appellet Pollio, deinde perquirendum, ac cuius numinis ſacerdos fuerit, indagandum. Apud ſcriptores ſæpe ſæpius obſeruamus *duouiri, triumuiri, quinqueuiri, ſexuiri, decemuiri, centumuiri*, & huiuſmodi magiſtratuum genera, ſed in hoc ſenſu Calpurniam vniuiriam ſacerdotem minime dictam exiſtimamus, quum nullibi in hiſtorica lectione ſcriptum quidpiam adnotauerimus, vnde hanc expoſitionem firmare iure poſſimus; Qua de re illud memoriæ reuocamus, quod Valerius Maximus *lib.2.cap.1.* dum de nuptiis agit, literis mandauit, eas ſcilicet, quæ vno matrimonio contentæ fuerant, corona pudicitiæ honoratas apud Romanos, quod exiſtimarent, eum præcipue matronæ incorruptum eſſe animum, quæ poſt ſemel depoſitam virginitatem ad ſecundas nuptias tranſire non pateretur; multorum matrimoniorum experientiam, intemperantiæ cuiuſdam ſignum eſſe credentes. Et Plutarchus Problem 99. *Quid eſt* (inquit) *quod publicis feſtis veteri more virgines non nubunt, viduæ nubunt? An quod virginibus decorum, viduis vero, multis præſentibus, fœdum nubere? felices namq; & fauſtæ primæ nuptiæ, ſecundæ vero triſtes & deteſtandæ: pudet enim, viuis adhuc eis, quibus antea nupſerant, alios accipere, mortuos autem lugent.* Hinc apud Virgilium Dido ſecundas nuptias *culpam* vocat, inquiens:

*Huic vni forſan potui ſuccumbere culpæ.*

Et noſtræ Chriſtianæ Religionis inſtituta, etſi Polygamiam minime prohibeant, nihilominus in Concilio Neocæſarienſi *c.1.de iis qui frequentet*, 31.*q.*1. pœnitentia ſæpe nubentibus iniungitur. Hinc Iura ſtatuunt, ſecundas vel repetitas nuptias ineuntes, non benedici à ſacerdote, quum tamen primæ benedicantur, *cap.1. & cap. vir autem vel mulier, de ſec. nupt lib.4.Decretal.tit.21.cap.fin.23.diſtinct.* Quod etiam confirmat D. Ambroſius *tom.4.ſuper cap.3.prioris epiſt.ad Timoth.* Ideo Bigamus, qui duas habuit vxores, vel viduam duxerit, non poteſt ordinari, & ad Dei miniſteria promoueri, quod non ſemel iura Pontificia & ciuilia pariter præcipiunt. Et D.Hieronymus ad Saluiniam: *Neſciat*, inquit, *vidua digamiæ*

*indul*

*indulgentiam.* Et ad Geruntiam: *Non ſolum ab officio ſacerdotij digamus excluditur, ſed & ab eleemoſyna eccleſiæ, dum indigna putatur ſtipe, quæ ad ſecunda coniugia deuoluta eſt.* Et in odium mulierum, quæ ad ſecundas nuptias tranſeunt, lex ciuilis matri, quæ ad ſecundas nuptias tranſierit, vim adimit reuocandi, propter ingratitudinem, donationes prioris matrimonii liberis factas, quum tamen ea vnius matrimonii vidua poſſit, *l. his ſolis, l. 7. C. de reuoc. donat. lib. 8. tit. 56.* Accedit quod bona, quæ relinquantur pro pauperibus mulieribus dotandis, non poſſunt diſtribui in maritandis viduis, quantumuis pauperibus, vt docuere Bal. & tradit Guliel. Bened. *in cap. Raynutius, verſ. qui cum alia, num. 79. 1. par. de teſtam.* Neque ſubditi & clientes, qui pro maritandis filiabus virginibus domini ſeu patroni tenentur, pecuniam conferre pro vidua filia iterante matrimonium (vt notat Guid. Papeus, *q. 57. in fin.*) obligantur.

Exoſa itaque nuptiarum reiteratio tum legibus noſtris Canonicis, tum ſecularibus, tum etiam gentilium, vt diximus; qua de re haud mirandum, ſi Trebellius in hoc laudat Calpurniam, vniuiriam ſacerdotem eam appellans, hoc eſt, vt ego interpretor, vnico viro contentam.

Sed cuius Dei vel Deæ ſacerdos fuerit Calpurnia, videndum; Nam Veneris ſacerdotem fuiſſe illam, ex verbis textus colligi poſſet, quæ ſunt huiuſmodi: *Cuius ſtatuam in templo Veneris adhuc videmus Argolicam, ſed auratam.* Sed quæſo, quæ conuenientia Veneris voluptatum Deæ cum fœmina ſacratiſſima & venerabili; qua de re ego potius decernendum puto, Calpurniam Dialem flaminicam ſeu flammeam fuiſſe, tum quia mulieri principi nobiliſſimæ & ditiſſimæ, vti quam Cleopatræ vniones habuiſſe perhibebant, & lancem centum librarum argenti, in qua maiorum ſuorum expreſſa erat hiſtoria, huic (inquam) ſacerdotium cæteris præſtans conueniens erat, quale Flamen Diale, quod omnibus aliis antiquius & nobilius fuiſſe, tradidere Gellius *libro 10. cap. 15.* Plutarchus *Problem. 42 & 48* Varro *lib. 5. de lingua Latina.* Dionyſ. Halycarnaſſ. *lib. 2.* Liuius *lib. 1.* Adhæc quum Flamen & Flamea Diales monogami eſſe deberet, &

ab eo

ab eo ſacerdotio bigami excluderentur, *ex Aulo Gellio loco citato*, Calpurniam vniuiriam talem fuiſſe ſacerdotem iure putandum, præſertim quum habeamus à Plutarcho ſcriptum *in Problematibus*, de Flaminibus Dialibus: *Eodem tempore vxor cum viro conſecratur, quemadmodum multa ſunt in ſacris, quæ abſente viro agi nequeunt. Priore autem amiſſa alteram ſtatim ſuperinducere tum difficile eſt, tum vero iniquum & impium; Quare mortua vxore, Flamen Dialis ſeſe ſacerdotio abdicabat.* Nec obſtat, quod de Tito illius viro ſcribat idem Pollio, vix illius nomen agnitum, nec eum ſacerdotem Dialem fuiſſe memoretur, quinimo militum Tribunum dicat, & à militibus imperare coactum, & Dialis flamen exercitum armatum extra pomœrium videre non poterat, teſte Gellio *loco adducto*; nam non omnia de illo à Dexippo & Herodiano ſcripta, quos authores in Hiſtoria illius ſequitur Trebellius ipſe. Præterea potuit Titus vno tempore militare, & alio à militia vacare, & eodem ſacerdotium Diale Flaminium exercere vna cum vxore, ob idque Aulus Gellius non negat, Conſulem aliquando, licet rarenter, Flamine creatum, quum tamen bella Conſulibus mandarentur.

## TREBEL. POLLIO IN CLAVDIO.

*Nam quum eſſet nuntiatum 9. Kalend. Aprilis, ipſo in ſacrario Matris ſanguinis die, Claudium Imperatorem factum, &c.*

Dis antiquitas *Patris* nomen tanquam diuinitatis plenum, Deabus *Matris*, vt paſſim obſeruamus, attribuit. Sic Maro 2. Georg.

*Huc Pater ô Lenae veni.*

Et 3. Æneid. de Deo Tiberino:

*Da Pater augurium.*

Et octauo eiuſdem de eodem:

—— *Et fortia corpora volues,*
*Tiberi Pater.*

Et primo quoque de Ioue:

*Diuûm Pater.*

Et

Et 4. Georgicorum:

*—— Simul ipſe precatur*
*Oceanumq́; Patrem rerum.*

Et 3. Æneid. de Marte:

*—— Nymphas venerabat agreſtes,*
*Gradiuumq́; Patrem.*

Et de Ioue ipſo 1. Georgic.

*Ipſe Pater media nimbos in nocte coruſca*
*Fulmina molitur dextra.*

Et iterum ibidem:

*Ter Pater extructos diſiecit fulmine montes.*

Ita & de Deabus mater *Matuta* dicta, quæ Græcis *Leucothea*, ex Cic. 1. *Tuſcul. & lib. 3. de natura Deorum*. De qua Ouid.

*Leucotheaq́; cum matre Palæmona dixit.*

Firmianus lib. 1. c. 21. *Leucothea, materq́; Matuta, filius eius Palæmon atq; Portumnus.* Et Terram matrem magnam dictam quis ignorat? Et Lunam matrem appellauit Liuius *lib.* 45. His ſic ſe habentibus, perquirendum, quam Deam in hoc loco Pollio Matrem dixerit. Non enim matrem cum additione *ſanguinis* legendum puto; nam, quæ mater ſanguinis fuerit appellata, ignorare me fateor, niſi dixerimus Matrem magnam, Terram, inquam, quam & almam vocauere antiqui; quod omnia alat, & Deorum matrem, quod omnia generet, & ſanguinis matrem; communi ea appellatione; qua dicimus hunc & illum eſſe huius vel illius ſanguinis, & ipſam quoque nuncupemus. Sed aliter ego Pollionis dicta interpretanda puto; nempe, nono Kalend. Aprilis ipſo in die ſacrario ſanguinis matris, nuntiatum, Claudium Imperatorem factum, hoc eſt, in die, quo non ſolum ſacra fiebant magnæ Matri, ſed & immolabantur victimæ; namque magnæ Matri, de qua non dubito hic intelligendum, quum ſacra fiebant, mactabatur porca prægnans, vti docuit Seruius in illud Virgilii:

*Tibi enim maxima Iuno.*

Et Macrob. *lib* 1. *Saturnal. cap.* 12 Et ideo dies illa vocabatur ſanguinis, dies ſacra ſeu ſacraria. Quod etiam confirmatur; namque huiuſmodi ſacra initium habebant octauo Kalen. Aprilis,

Aprilis, teſte Macrobio, 1.*Saturnal.cap.21.* Hoc vero loco loquitur Pollio de ſecunda die, in qua immolabantur victimæ matri Deûm; ideo inquit *nono Kal. Aprilis*, non *octauo*, & iure eum appellat diem ſanguinis, vt diximus. Ex quibus colligere poſſumus, quod ſicuti diebus nundinarum vel comitialibus Senatus haberi non poterat, ita nec diebus ſanguinis, hoc eſt, in quibus immolabatur & ſacra fiebant. Quorum omnium ratio ferè eadem eſt, ne ſcilicet à Comitiis ad ſuffragia ferenda, & à nundinatione & ſacris faciendis Senatores ac Senatus aſſeclæ & miniſtri auocarentur, ſed his omnibus vacare poſſent.

Non me latet, Hadrianum Turnebum *Aduerſ.lib.*30.*capite* 21. interpretari, matrem ſanguinis, quod ea die in ſacris Galli fanatici Matris magnæ ſacerdotes ſe cruentarent, per furorem alienata mente; Nos tamen nullibi legimus, ſibi vulneribus ſanguinem præ furore elicuiſſe: nam ſicuti ſanguine obliniſſe crines capite nutantes & agitantes, ex Lucano, *lib.*1. ſuperius demonſtrauimus, vbi de Gallis plura; Et quia ſono rauco cornua perſonabant, & vndique furorem ſimulabant, ideo ſæua dicta cornua, tympana & ſacra; & eoſdem ſibi quum ſacerdotium aſſumerent, teſtes ademiſſe; ita minus verum eſſe cenſemus, quod in ſacris peragendis vulneribus è corpore ſanguinem elicerent, quod certe ſcriptores non tacuiſſent, ſi verum fuiſſet, nec *Hilaria* appellaſſent huiuſmodi ſacra, in qua non niſi feſta facere & dicere licebat, teſte Lampridio *in D. Aureliano*, quod fuſe ibi docuimus. Qua de re nec huic interpretationi plene acquieſcere poſſum.

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Item in Caueos, & Scyphos, & Zuma pondo vndecim.*

CAueum & ſcyphum, vaſa ad bibendum parata fuiſſe non dubitamus, quibus argenteis vſos primarios viros colligimus tum ex hoc loco, tum etiam ex alio Spartiani *in Peſcennio Nigro*, vbi de eo inquit: *Hic tanta fuit ſeueritatis, vt quum milites quoſdam in caueo argenteo expeditionis tempore bibere*

*lere vidiſſet, iuſſerit omne argentum ſubmoueri ab vſu expeditionali, addito eo, vt vaſis ligneis vterentur.* Ex quibus colligimus cauei argentei vſum priuatum, ſtatum militum exceſſiſſe. Caueum autem fuiſſe multæ capacitatis exiſtimandum; ita enim appellatum à cauea puto, & forte huiuſmodi fuit cantharus Baccho attributus poculum, quod magnum à cantharo nauigii ſpecie dictum, non dubitandum. Vnde Plinius *lib.33.cap.*11. ſcribit, C. Marium poſt Cimbricam victoriam cantharis potaſſe, Liberi patris exemplo. Scyphos autem fuiſſe minoris capacitatis, manifeſtum eſt, quibus veteres in ſacris & conuiuiis vſi ſunt. Virg. 8. Æneid.

*Et ſacer impleuit dextram ſcyphus.*

Horatius Epod. 9.

*Capaciores adfer huc puer ſcyphos.*

Sed quid per zuma ſit intelligendum, difficilioris inuentionis eſt, præſertim quum de re hac nihil apud recentiores ſcriptores inuenerim, quod mihi lumen aliquod præbere potuerit. Illud tamen, quod ipſe ſentiam, proponam, & doctiorum erit iudicium. Arbitror itaque, zuma fuiſſe vaſis ſeu patinæ ſpeciem, in quo panis menſæ inferretur & apponeretur, vulgo Panettera dicunt, ita appellata à voce Græca *ζύμη*, id eſt, *fermentum*, ſeu *ζυμίτης*, quod eſt *panis fermentatus*: *υ* enim Græcis loco *u*, Latinæ literæ inſeruire palam eſt. Scio Turnebum *Aduerſ. lib.15. cap.*20. loco *Zuma* legere *Trullas*, quam lectionem ſi receperimus, nulla erit difficultas; nam trullam & ipſam vas potatorium eſſe conſtat. Horat. 2. Serm. Sat. 3.

*Qui Veientanum feſtis potare diebus*
*Campana ſolitus trulla.*

Iuuenalis quoque Sat. 3.

*Si trulla inuerſo crepitum dedit aurea fundo.*

Plaut. in Amphit.

*Omneſq; trullas hauriam.*

At ſic explicare ſe à difficultatibus mutatis verbis facile admodum eſt.

TREBELL

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Cumacum Cypriam.*

SI ſeriem antecedentium verborum & ſubſequentium perpendamus, diuinare licet, Cumacum fuiſſe genus inſtrumenti ad corporis ornatum pertinens, vti fibulæ, baltheum, brachiale, torques, & ſimilia, & forte è fibularum genere; nam cum fibula coniungit, inquiens, *fibulam auream & Cumacum Cypriam vnam*; dictam *Cumacum*, quod illius ex oppido Aſiæ Cumà vel Cumis vrbe Lucaniæ, ſit vſus ad Romanos traductus; ſicuti apud Nonium Varro dixit, *Cumanos calices*, & *teſta Cumana*. Martialis *lib.*4.*Epigramm.* 114. Niſi *Comacum* legamus potius à *coma, comæ*, vel à *como*, quod eſt orno, deriuatum. Cypriam autem appellat, hoc eſt, ex ære paratam; nam ex Cypro æs optimum proueniebat, & ad Romanos vehebatur, & pro Cyprio, æs Cyprium intelligebant antiqui. Sic apud Plinium lib.36.cap.26.*Teritur Cyprio ære in Cyprio mortario.*

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Aclides duas.*

ARmorum genus Aclides eſſe conſtat ex Virgil. *lib.*7. *Aeneid.*ſcribente:

——— *Teretes ſunt aclides illis*
*Tela, ſed hæc lento mos eſt aptare flagello.*

At qualia eſſent aclides arma, non ita notum. Turnebus *Aduerſ.lib.*30.*cap.*21. quoſdam putare ſcribit ita dictos, quaſi ἀκίδες, ab acumine & cuſpide, ipſe iacula aclides fuiſſe exiſtimat, quum teretes dixerit illas, & teres ſit iaculorum haſtile; addit & Græcis ἀγκύλαι iacula eſſe, vnde luxata paulo fractaque voce *Aclidis* Latinis appellata.

Ego alterius ſum ſententiæ, & puto clauem ferream aclidem fuiſſe, quales & noſtris temporibus, præſertim antecedentibus, in vſu extitiſſe compertum eſt, circa caput acuminibus quibuſdam circummunitas, ad caſſides præſertim contundendas, & diſrumpendas loricas. Cui noſtræ opinioni fauent Virgilii dicta, qui inquit, hæc ſolita lento aptari

aptari flagello, hoc eſt, loreo amento, brachio vel manibus alligari, ne graues quum ſint, in ictu decidant, & facilius ictu peracto redire poſſint. Ad quid enim religari iaculum, quod iaciendum eſt, & manibus omni ligamento liberum contineri debet. Clauam autem teretem forma eſſe, nemo ignorat. Nec obſtat quod Virgilius idem tela appellat *aclides*, & telum proprie ſit, quod manu iaci poteſt, & in longinquum manu mitti: nam Græcis τῆλε & τηλοῦ *longe* ſignificat, & τηλόθεν *miſſa* dicitur. Et Feſtus *lib.* 1. tela ab armis proprietate ſignificationis hoc diſtare ſcribit, quod tela ſint ea, quibus procul præliamur, arma vero ab humeris dependentia. Nam largiori ſignificatione telum accipitur pro quolibet armorum genere. Ita Virgilius gladium telum appellauit 9. Æneid.

*At non hoc telum, mea quod vi dextera verſat,*
*Effugies.*

Et generice magis Cic. 6. Verr. *Nemo Agrigenti neq; ætate tam affecta, neq; viribus tam infirmis fuit, qui non illa nocte eo nuntio excitatus ſurrexerit, telumq; quod cuiq; ſors offerebat, arripuerit.* Aclidem autem clauam ferream puto appellatam voce Græca parum mutata ἀκλινὴς, quod eſt, *immobilis*, non vacillans, quale id armorum genus eſſe manifeſtum eſt.

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Cocum, quem refundat, Mulionem, quem refundat, Notarium, quem refundat, Structorem, quem refundat, latum clauum, quem refundat.*

VErbum *refundo* ſignificare Latinis propria ſignificatione *rependere, reſtituere*, manifeſtum eſt. Seneca: *Id erat non tam accipere beneficium, quam refundere.* Et iterum: *Quicquid dederit, ex meo refundam.* At certe non eſt credendum, Valerianum in Claudium liberaliſſimum, voluiſſe eum reſtituere quicquam, quod ab eo accepiſſet, præſertim veſtes, puta togam & laticlauum, viles quidem reſpectu donantis & donati. Quamobrem ego interpretor hoc in loco *refundere*, hoc eſt, *renouare*, quo in ſenſu vſus eſt Cic.

Sss *lib. de*

*lib.de nat.Deorum*, inquiens: *Vaporibus altæ renouataq́; ſtellæ refundunt eoſdem.* Renouant ſcilicet, vti interpretatus eſt Marius Nizolius. Sic Ammianus Marcellinus *Oceanum refuſum*, hoc eſt, cuius motus fluxu & refluxu, incremento & decremento renouatur.

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Pateras gemmatas, Diſcum Corymbiatum, Lancem pampinatam, Patinam hederatam, Voletá halieuticum.*

HÆc omnia vaſa fuiſſe, quibus eſculenta & poculenta miniſtrarentur, non ambigendum, at nec ſynonyma dicenda, ſed potius aliqualis inter ipſa differentia ſtatuenda. *Patera* vas patens, & ad bibendum quoque aptum, patens & latum, quaſi patula dicta. Virg. 1. Æneid.

——— *Impiger hauſit*

*Spumantem pateram.*

Hac autem in ſacrificiis & libationibus potiſſimum vſi ſunt antiqui. Cic. 6. Verr. *Patera, qua mulieres ad res diuinas vterentur.* Idem de clar. Orat. *Mercurius è patera ſanguinem viſus eſt effundere.* Et iterum: *Patera coronaq́; quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur.* Et, *excipere ſanguinem patera*, in Parad. Virg. 1. Æneid.

*Impleuitq́; mero pateram.*

Ad ſacra itaque facienda Galienus Claudio pateras gemmatas miſit, hoc eſt, gemmis ornatas, ſiquidem thuribulum, patellam & pateram dicit in omnibus fere locupletibus ædibus Siculorum fuiſſe. Cic. in Verr. *In patella Diis apponebantur epulæ cum Laribus & Penatibus ſacra fiebant, patera vinum libabatur, thuribulo thus adolebatur.*

Sequitur, *Diſcum Corymbiatum.* Diſcus vas latum fuit ad portandas carnes aptum, ſi Iulio Polluci id tradenti credimus, vt interim huius vocis alias ſignificationes omittamus, Cic. de Orat. *Quorum auditores diſcum audire malunt, quam Philoſophum.* Et in ſacro Euang. Marci, cap. 6. *In diſco caput Ioannis Baptiſtæ allatum.* Vnde & à Diuo Hieronymo dictus eſt *Diſcophorus*, qui Danieli prandium portauit. Dicit

vero

vero *Corymbiatum*, id eſt, Corymbis in argento opere expreſſis. Virg. Eclog. 3.

*Diffuſos hedera veſtit pallente Corymbos.*

*Lancem pampinatam.* Lanx fuit antiquis eſcarium vas, minus patina excauatum, in quo carnes menſæ, tam toſtæ, quam elixæ inferebantur. Iuuenalis Sat. 5.

*Aſpice quam magno diſtendat pectore lancem,*
*Quæ fertur domino ſquilla, & quibus vndiq; ſepta*
*Aſparagis.*

Ex quo magnam fuiſſe lancem deprehendimus. Vnde Plinius lib. 33. *Lances è centenis libris argenteis tunc ſupra quingentas numero Romæ fuiſſe conſtat.* Et iterum: *Seruus Claudij nomine Rotundus, diſpenſator Hiſpaniæ citerioris, quinquagenariam lancem habuit, & comites eius octingentas quinquaginta octo librarum.* Hanc fuiſſe figuræ rotundæ, colligimus ex Horatio, 2. Serm. Sat. 4.

*Iligna nutritus glande rotundas*
*Curuat aper lances.*

Dixit autem *pampinatam*, eo pacto, quo diſcum corymbatum Virgilius loco citato:

*Lenta quibus torno facile ſuperaddita vitis.*

*Patinam hederatam.* Patina vaſis genus, quo dapes iurulentæ in menſam feruntur. Vnde Plaut. in Aſin. *Quouis pacto conditas, vel patinarium, vel aſſum verſes.* Id quoque ex Horatio intelligi poteſt, ſcribente lib. 1. Sat. 3.

*Si quis eum ſeruum patinam qui tollere iuſſus*
*Semeſos piſces tepidumq; ligurierit ius.*

Maximam patinam habuiſſe Vitellium, teſtatur Suetonius *in illo, cap.* 13. quam ob immenſam magnitudinem clypeum Mineruæ dictitabat. In hac ſcarorum iecinora, phaſianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes commiſcuit. De hac Plinius *lib. 35. cap.* 12. illam ducentum ſextertiis conditam, & cui faciendæ fornax in campis ædificata erat; fictilem enim aliquando fuiſſe conſtat, quum ſubdit: *Eo enim peruenit luxuria, vt etiam fictilia plus conſtent, quam murrhina.* Et lib. 10. *Maxime tamen inſignis eſt in hac memoria Clodij Aeſopi tragici hiſtrionis, patina ſex-*

*centis ſextertiis taxata, in qua poſuit aues cantu aliquo aut humano ſermone vocales, nummûm ſex millibus coemptas.* Ex quibus patet, non modo magnitudinem vaſis admirandam, ſed & ferculi ingens pretium, quod & ipſum patinam dixerint antiqui. Hiſpani *ollam potridam* frequenti nomine appellant; Nota & eſt Domitiani patina, in qua rhombus immenſæ magnitudinis integer condiendus erat, de qua Iuuenalis *Satyr.*4. Sed ad rem noſtram reuertamur. Fuit patina argentea hederata, hoc eſt, hedera exſculpta.

*Voleta, Halieuticum.* Hoc opus, hic labor eſt. Egnatius (vt ſui moris eſt) duobus verbis interpretatur iaculum piſcatorium. Sed quæſo quid reti piſcatorio cum argento? quum voleta viginti librarum argenti fuiſſe ſcriptum ſit. Deceptus vir, alias multæ literaturæ, à voce Græca βόλος, quod eſt rete piſcatorium. Præterea ad quid Trebellius addidiſſet, *Halieuticum*, quod eſt piſcatorium, ſi à βόλος voleta deriuanda; ἁλιευτικὸς ſiquidem piſcatorius dicitur. Adhæc haud rationi conſonum videtur, inter vaſa argentea & aurea & gemmata connumeraſſe Pollionem rete piſcatorium. Melius ſane & aptius Turnebus *lib. Aduerſ.*15. *cap.*20. non *Voleta*, vti legit editio Germanica, quam vt plurimum ſequimur, ſed *Boletera*, aut *Bolitera*, vel *Boletare* legendum tradit, ita vt vas fuerit, ita primum dictum à Boletis, quod ſcilicet in illo condirentur vel apponerentur comedenda: vaſa enim aliqua à re illa, cuius in vſum parata erant, nomen deſumpſiſſe, ſupra docuimus, vbi de Fabatariis diſſeruimus. De Boletariis verba fecit Martialis lib. 14. Epigram. 106.

*Cum mihi Boleti dederint tam nobile nomen,*
*Prototomis, pudet heu ſeruio colliculis.*

Legimus quoque apud Apicium lib. 2. *Exinanies in boletari.* Legendum itaque *Boletare halieuticum*, hoc eſt, vas Boletare dictum, piſcibus condiendis accommodatum, ſiquidem pondus ingens librarum viginti efficit, vt putem potius coquinarium vas fuiſſe, quam menſale; Quod vero vaſa alicui rei particulari deſtinata in alterius vſum traherentur, ex verſibus Martialis colligitur, & ex ſuperius dictis de fabatariis.

TRE-

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Chlamydes veri luminis limbatas.*

TVrnebus *lib. Aduerſ.* 30. *cap.* 21. interpretatur *veri luminis*, id eſt, veri coloris, & nitidi, ex Tertulliano *lib. de Pallio*, ſcribente: *Et quidem in fama de ſubtegminis ſtudio, conſilio, & menſura temperamento.* Et rurſus *lib.* 50 *cap.* 20. interpretatur, *luminoſi caloris & flagrantis ardentisq́ue, qualis puniceus & coccineus.* Baptiſta Egnatius *veri luminis ſplendidiſſimas* exponit, quod non ad colorem referendum putamus, ſed ad materiam ipſam, ex qua conſtabant & contextæ erant, puta aurum, argentum, ſericum, quæ ſplendorem & lumen verum, vt ita dicam, veſtibus dare ſolent. Quod vero *limbatas* ait, ego expono, in extremitatibus limbis exornatas. Et paulo antea, vbi legimus *ſagachlamydes*, interpretamur medium indumenti genus inter ſagum & chlamydem, vtriuſque ſcilicet formam mixtam præ ſe ferens.

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Albam ſubſericam, paragaudem triuncem.*

PAragaudæ veſtis fit mentio apud Iuriſconſultos, l. 1. & 2. C. de veſt. olobe. & aura. lib. 11. *Nemo auratus habeat in tunicis aut in lineis paragaudas.* Ex quo ex Iuriſtis quidam, vna cum Turnebo *lib.* 9. *Aduerſ. cap.* 11. paragaudes interpretati ſunt, quod ſint faſciæ, vel auratæ, vel ſericæ, quæ veſtibus intertexerentur, non autem inſtitæ adſuerentur. Alciatus vero *in annot. in tres poſteriores lib. Cod.* explicat, paragaudes eſſe genus veſtimenti virilis, vtplurimum linei, quod ſub alia veſte gerebatur, vinctum nunc vnico nexu, nunc pluribus loris, auratis fortaſſe: ita enim intelligit *dilores, monolores*, & ſimilia. Ego vero neutri interpretationi omnimodo aſſentior, licet ex vtraque genuinum ſenſum me elicere potuiſſe non diſſimulem. Namque paragaudam indumentum interpretor, vtplurimum lineum, quod interius ſub aliis veſtibus gerebant antiqui, at circa extremitates opere Phrygio, acu aliquando & textura pictum, præſertim ad manus & collum, quod & in vulgaribus noſtris interulis lineis fieri conſueuiſſe norunt omnes, modo aureo, modo ſerico,

modo lineo filo, modo vnius coloris, modo plurium. Cui ſententiæ fauere videtur Cæl. Rhodig. *lib. 16. c. 10.* ſcribens: *Paragaudas legimus indumenta ex lino virilia, veſtibus aliis ſubyci conſuetas.* Vnde legimus apud Vopiſcum in Probo: *Interulas paragaudas duas*, hoc eſt, interulas opere Phrygio circa extremitates pictas. Et *in Valeriano* lineas appellat. Et Imperatorum Gratiani, Valentiniani & Theodoſii reſcriptum his verbis: *Nemo auratas habeat aut in tunicis, aut in lineis paragaudas*, ſententiam noſtram confirmare videtur. Necnon & Valentis, Valentiniani & Gratiani decretum: *Auratas & ſericas paragaudas auro intextas viriles priuatis vſibus contexere conficereq́; prohibemus.* Ex his enim conſtat, Imperatores luxui nimio cauentes prohibuiſſe, præſertim viris, vt interulas lineas faſciis intertextis, aut acu, auro vel ſerico confectas haberent. Vopiſcus in Probo: *Interulas paragaudas duas à Valeriano Probo inter cætera munera donatas.* Non negauerim tamen paragaudæ nomen, & ad alias veſtes translatum aliquando, vti apud Vopiſcum *in Aureliano* obſeruamus, cum inquit: *Paragaudes veſtes ipſe primus militibus dedit, quum antea niſi rectas purpureas accepiſſent.* Namq; militibus primum dediſſe Aurelianum veſtes Phrygiato opere, acu, vel textura exornatas, intelligendum, quum antea purpureas tantum rectas, id eſt, ſine vllo ornamento acciperent. Has autem paragaudes veſtes nonnullis datas monolores, aliis dilores, trilores aliis, & vſq; ad pentalores, quales hodie lineæ ſunt, ſubdit item Vopiſcus, hoc eſt, vnius, duorum, trium vel quinq; colorum, vt adnotauit *in Plinianis caſtigationibus* doctiſſimus Hermolaus Barbarus, quod ſcilicet variis coloribus eſſent Phrygiatæ veſtes illæ: non vero, quod docuit Alciatus, ita dictæ, quod vincirentur vnico vel pluribus loris, auratis ſcilicet vel ſericis. Nec minus cum Turnebo dicendum, ita vocatas, quod in illis vna, duæ, tres, & quinque eſſent paragaudæ, ſcilicet faſciæ depictæ. Nec quod alii tradidere, legentes *monicoros, dicoros, tricoros, pentacoros*, quia toties colore ſaturarentur infectione percellenti. Quod vero ad nominis rationem pertinet, ſiue ſit è Græco & Latino fonte compoſitũ, à *παρὰ* & *cauda*, quod veſtes ſcilicet iuxta caudam,

caudam, hoc eſt, in extrema ora pictam vel contextam paragaudem haberent, ſeu à παρὰ & *gaudium*, quod ſcilicet veſtis ornamentum iſtud gaudium eſſet, ſeu à παρὰ καὶ γαυρίαν, quod Heſychius λάμπειν interpretatur, quod ſcilicet, qui iis veſtibus vterentur, ſplendide ſeſe oſtentarent; parum ego quidem facio, nam ſingulorum verborum nomenclaturæ rationem aſſignare æque ſuperfluum ac impoſſibile ſemper exiſtimaui. Verum vt & in re curioſa aliquid afferam & ipſe, dico, quod ſicuti interulam Latini quoque ſubuculam dixere, eo quod ſub culo connectatur, fœmoralibus ſuperpoſitis, ita forte paragaudem interulam Phrygiatam quoque dictam, quod iuxta caudam inuicem implicaretur: caudam enim dici os illud extremum ſpinæ, quod circa nates deſinit (*Coccygis* eam appellant medici Anatomici) palam eſt. Verum hæc friuola admodum, vt dixi, ſunt. Paragaudem itaque ſubſericam, hoc eſt, non ſimplici ſerico contextam, ſed & lineo filo permixto interulam interpretamur, opere Phrygio exornatam, iuxta extrema, triuncem, hoc eſt, pondere tantum trium vnciarum; quod adiectum, vt veſtis excellentia magis innoteſceret, ſubtiliſſimum enim fuiſſe ex hoc innuit Pollio.

## TREBEL. POLLIO IN D. CLAVDIO.

*Zanchas de noſtris Parthicis paria tria, Singiliones Dalmatenſes decem, Chlamydem Dardanicam mantuelem vnam, Cucutia villoſa duo, Oraria Sarbadena quatuor.*

VEſtes Parthicas ex Imperatoris veſtiario deſumptas, & Claudio miſſas, *Zanchas* Turnebus interpretatus eſt *libro* 15 *cap.* 20. vocem Parthicam *Zancham* eſſe dicens; Qua in re vel nullo negotio in re perdifficili ſe extricat. Nos veſtis genus minime fuiſſe arbitramur, ſed potius calceorum ſpecies triplici ratione moti, quod Pollio ſcribat; *Zanchas de noſtris Parthicis paria tria*, indumenta enim pedum & manuum per paria communiter appellari conſueuere. Præterea vulgo *Zancham* appellamus ligneum illud inſtrumentum, quo pede ſuperpoſito, vt elatiores progrediantur, vel genu ſuperpoſito & alligato,

qui pede manco, vel crure decurtato ſunt, vt commodius & ſtabilius incedant, vti ſolent. Adhæc *Zanchion* corrigiam calceamēti antiquis fuiſſe tradit Tiraq. *in ſuis Legib. connubial. lib.* vocat autem Parthicas, quod calceamenta huiuſmodi elatiora eſſent ligno vel ferro aliquo ſoleis ſuppoſito, vt proceriores illis calceati videātur, cuiuſmodi & hodie Parthos, Perſas, Turcas, & Pannones vti conſpicimus, & præcipuus vſus noſtris temporibus mulieribus, præſertim Venetiis, quæ in huiuſmodi Calapodii genere maxime delinquunt. Quod vero *noſtris* addidit, intelligendum à Galieno luxus ſtudioſiſſimo in vſum tractos tzanchas à Græca voce, ſed ad euitandam cacophoniam & duritiē pronuntiationis demptum T. Hanc noſtram opinionem confirmare poſſumus ex verbis libelli, cui titulus, *de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ*, quæ ſunt iſta: ἔστι καὶ ἕτερον εἶδος ὑποδημάτων, ἃ καλοῦνται τζάγγια, hoc eſt, *Eſt & alia calceamentorum ſpecies, quæ vocatur τζάγγια.* Vnde & *Tzanchas* hoc loco legendum puto, non *Zanchas.* Nam & Moſcoph. *in lib. περὶ σχεδῶν, τζαγγάριον* cerdonem coriarium vocat. Ita *in l. 3. & l. vlt. quo quemq; habitu eſſe opor. in C. Theod.* appellatione Tzancharum calceamenti genus intelligendum cenſeo, quicquid alii ſenſerint; Erat autem proprium Regum, vt ex libello Græco ſupradicto conſtat, & Galienus Imperator ideo noſtras appellauit.

Verumenimuero, quid per Singiliones intelligere debeamus, valde obſcurum, quum nec ab antiquis, nec à recentioribus ſcriptoribus quicquam dictūm viderim, quod aliqualem nobis lucem aperire poſſit. Vulgo *ſaglione* dicunt amictus genus illud, quod thoracibus ferreis ſuperinduunt milites, quos forte *Singilliones* appellauit Pollio. Vel dicamus intellexiſſe coopertimentum illud, quod ad aeris iniuriam & inclementiam vitandam faciei ſuperinducere, præſertim in aperto & iter facientes, ſolemus: *Baute* noſtri vulgares dicunt. Legendum quoque potius *Sigaliones*, quam *Singiliones.* Nam Harpocratem ſilentii Deum, quem figurabant digito os prementem, *Sigalion* quoque ab Ægyptiis vocatum, legimus apud Auſonium Epiſt. 12.

*Et tua Sigalion Aegyptius oſcula ſignet.*

Quod

Quod itaque munimentum illud os contegat, forte ab Ægyptiis *Sigalion* dictum, quam vocem vna cum indumento Romam tranſuectam arbitrandum.

*Chlamydem Dardanicam Mantuelem.* De Chlamyde alias fuſe diſſeruimus; Cur vero Dardanicam vocarit, optime notum, non ita cur *mantuelem*, *μανδύη* penulæ genus Græca voce, vſu vero & Romanis, conſtat ex Suida & Dione *in Tiberio, & Domitiano*, Latini *Mantellum* dixere, Plinii teſtimonio *lib. 7. cap. 2.* vbi Scythas cutibus humanorum capitum cum capillo pro mantellis vti tradit, quod & Herodotus *in Melpomene* confirmat, à mantelo, *mantelio*, vel *manteli*, vt alii ſcribunt, *mantuelem* deductum, ita vt hoc loco intelligendum ſit: *Chlamys Dardanica Mantuelis*, hoc eſt, qua tanquam mantelo vtendum ſit, mantelum enim ponit metaphorice pro quolibet tegmine. Plautus in Capt.

*Nec mendaciis ſubdolis mihi vſquam mantelum eſt meis.*

*Mantelo* vulgo dicimus Itali, & Galli *Manteo*. De Bardocucullo abunde ſuperius egimus.

*Cucutia villoſa* Cucullia villoſa duo & recte legendum docet Turnebus *libro Aduerſ. 51. cap. 20* vt ſit diminutiuum à cucullo, de quo ſuperius plura. *Capitia* legit Egnatius. Vtraque lectio literæ ſenſui accommodata, magis tamen Turnebi ſententia placet.

*Oraria ſarbadena*, Saraptena legit Turnebus eodem in loco, ab vrbe Phœnicis. Egnatius vero *Sambadana* vela ſubtiliſſima, id eſt, ex Oriente, nam Sambara, inquit, genus eſt veſtis Perſicæ, & Sarabaitę Hæretici, DD. Auguſtino & Hieronymo. Addimus nos forte legendum *Sambræa oraria*, nam Sambræa eſt ciuitas Cappadociæ, Ptolemæo *lib. 5. c. 6.* Orarium vero ſyndonem Romanis fuiſſe, Rhodiginus docet *lib. 19. c. 25.* & nos alias fuſe demonſtrauimus. Egnatio fauere videtur Liuius *lib. 28.* ſcribens: *In ipſis quoque trepidatum nauibus, dum ne hoſtes cum ſuis irrumperent, trahuntq; ſcalas, oraque & anchoras.* Et apud Quintilianum legimus, *ora ſoluentibus*, quamuis nō ignorem, non deeſſe, qui vtrobiq; per *oram* interpretentur funem nauticum. De re hac lege etiam Rhodiginum *lib. 27. cap. 7.*

# MARCELLI DONATI
# IN FLAVIVM VOPISCVM DILVCIDATIONES.

## FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Hilaribus, quibus omnia feſta & fieri debere ſcimus & dici, impletis ſolemnibus, vehiculo ſuo me, & iudiciali carpento præfectus Vrbis vir Illuſtris, ac præfata reuerentia nominandus Iunius Tiberianus accepit.*

HILARIA quæ Romanis dicta ſint feſta & ſolemnia, non omnibus eadem ſententia. Cœl. Rhodig. *lib. 7. c. 16.* ſcribit: *Hilaria vero feſta erant, quibus læta omnia*, vt ſcribit Flauius Vopiſcus, *& fieri conſueuerant & dici celebrabantur*; Macrobio authore, *octauo Kal. Aprilis, quando iam productiores ſentiuntur dies.* Deo Pani credebantur ſacra, quem vt omnium authorem coluit priſcorum vanitas. Io. Baptiſta Egnatius Hilaria & ipſe Pani Deo dicata ſacra ſeu Feſta *in Annot.* tradit, in hoc Rhodig. conſentiens. Verum hæc Rhodigini dicta bifariam peccant; Primo, quod Vopiſco aſſignat dicta, quæ Pollionis ſunt; Secundo, quod ex proxime dicendis manifeſtum euadet, Hilaria ſacra non Panis, ſed alterius deitatis fuiſſe. Turnebus Aduerſ. *lib. 24. cap. 45.* Martis ſacra fuiſſe videtur affirmare. Verum illius ſententia vitio Typographi tranſporta *r*, & *t*, immutata, dum *matris* vel *Martis* legendum ſeries verborum oſtendit, ſicque illius opinio licet prima facie videatur falſa, nihilominus re ipſa veriſſima exiſtit. Quod

enim Hilaria matris Deum fuerint ſolemnia, conſtat ex ipſo Lampridio *in Alexandro* ſcribente, Alexandrum diebus feſtis faſcianum in menſa habuiſſe, inter quæ Hilaria matris Deum enumerat. Et Maximus Diui Dionyſii Græcus interpres Hilaria plura tum priuata tum publica enumerans, inter publica Romanorum Hilaria recenſet *ἱλαρεία τῆς μητρὸς τῶν θεῶν*. Ad hæc ipſemet Pollio *in Claudio*, Deæ matris ſacra celebrata nono Kalen. Aprilis Romæ tradit. Et Macrobius lib. Saturnal. c. 21. *Simulatione*, inquit, *luctus peracta celebratur lætitiæ exordium ad octauum Kalen. Aprilis, quem diem Hilaria appellant, quo primum tempore Sol diem longiorem nocte protendit.* Nec tamen Pollio Macrobio contrariatur, quod ille 9. & 8. Kal. Aprilis ſacra matris Deum celebrari dixerit. Nam Pollio de ſecundo die ſacrorum progredientium quo immolabantur victimæ loquitur, & ob id diem ſanguinis vocat, de qua re plura ibidem, hic vero de primo incipientium.

## FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Adeo vt etiam Balliſtea pueri, & ſaltatiunculas in Aurelianum tales componerent.*

DVplici, L, ſcribendum, non vno duntaxat, vt habet textus Germanicus, quo vtimur, voluit Egnatius, interpretatus quæ iacularentur in illum iocantes, ἀπὸ τοῦ βάλλειν. Turnebus *libro Aduerſ.* 18. *cap.* 17. inquit: *Baliſtea cantica, quæ ſaltantur intelligo*; Nam βαλλίζειν hoc ſignificat. Ego Turnebo magis aſſentior, ſed & quod ſentio, addo; Vocem hanc ſcilicet ſignificare tripudium, hoc eſt, choream, & ſaltatiunculã, ad vocis ſeu ſoni concentum, à verbo Græcos βαλλίζω, quod eſt *tripudio*, vel βάλλω, quod eſt *iacio, vibro*, & Τιός quod eſt *ſonus*, ſeu *vox*, quod ſcilicet pueri ad cantum ſeu ſonum tripudiantes verſus illos modularetur. Ita βαλλισμός *tripudium*, ſeu *ſaltatio* quæ ad tympana crepitantia, vel ad Cymbala ſaltabatur, teſte Athenæo *libro* 8. quod ex recentioribus confirmat Rhodig. *lib.* 5. *cap.* 4. Vnde & hodie Itali & Hiſpani in vſum traxere vocem *Balare*, *Bailare*. Hinc & *Balliones* apud Latinos, non lenones à Plautino Ballione, quod ſenſit Rhodig. *lib.* 13.

*lib.* 13. *cap.* 2. ſeu tripudii magiſtros interpretari iure optimo poſſe arbitramur.

## FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Arma terſa ſint, ferramenta Samiata, calceamenta fortia.*

EXacuta & mucronata interpretatus eſt Egnatius, *in Annot.* & Turnebus *Aduerſ. lib.* 18. *cap.* 17. ſamiata ferramenta explicat acuta & mucronata; vtrique innixi authoritati Nonii ſcribenti, veteres *Samium* pro acuto poſuiſſe, & *Samiare* pro acuere, & quaſi Samiæ teſtæ acumen inducere; nam Samias teſtas acutie præpolluiſſe conſtat ex Plinio ſcribente *lib.* 35. *c.* 12. Gallos Sacerdotes matris Deorum, caſtrari ſolitos teſta vaſis Samii, nec aliter citra perniciem, authoritate M. Cœlii. Nonnulli Samiata ferramenta exponunt ad nitorem fricata & terſa, authoritate Plinii ſcribentis *lib.* 35. *cap.* 21. Lapidem Samium poliendo auro vtilem; Quam explicationem minime reiicere videtur Turnebus *lib.* 27. *cap.* 21. inquiens, Samarios, de quibus in inſcriptione antiqua: SAMARIIS DORIPHORON, illos fuiſſe, qui ferramenta & arma ad nitorem fricabant, tergebantque. Verum quum antecedentia verba ſint huiuſmodi: *Arma terſa ſint*, & ſtatim ſubiungat *ferramenta Samiata*; non vtique Samiata arma in eundem ſenſum accipienda ſunt; fruſtra enim inutilem repetitionem verborum Vopiſcus appoſuiſſet. Prior itaque magis recipienda expoſitio, quam quoque recepiſſe Didacum à Couarruuia lib. . . . non ignoramus.

## FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Equum ſaginarium ſuum defricet.*

LAmpridius *in Heliogabalo* equi Saginarii meminit, quo in loco, non *ſaginarium* equum, ſed *ſagmarium* legēdum contendit Turnebus *Aduerſ. lib.* 24. *c.* 8. hoc eſt, clitellarium, doſuarium, ſeu ſarcinarium, à ſagmate, id eſt, ſtrato, cui onera ferenda aptantur, clitella ſcilicet, quam *baſto* vulgo dicimus, quod pariter confirmat *lib.* 30. *c.* 16. Quam ſententiam ante ipſum Turnèbum ſequutus eſt Cœlius Rhodig. *lib.* 21.

*cap.* 4.

*ap.* 14. Fateor ego authoritate Suidæ & Iſidori, quæ dicuntur de equo ſagmario & ſagmate, vera eſſe; at mēdum eo in loco Lampridii, nec in hoc Vopiſci, minime eſſe. Quis enim quæſo exiſtimare iure poterit, in Senatulo illo muliebri, quem Semiamira Heliogabali mater mulier ambitioſiſſima inſtituit, ſtatutum, vt matrona aliqua equo ſarcinario ſeu ſagmate ſtrato per vrbem equitaret, & Aurelianum voluiſſe militem equum ſarcinarium ſuum defricare? Addo, ſtatim Vopiſcum ſubdere; *mulum centuriatum comiter curet*, quem exponit Egnatius *in Annot.* quod ſingulis centuriis ad onera ferenda aſſignatus erat; quod & Turnebus, *lib. Aduerſ.* 18. *c.* 19. quoque confirmat, quo in ſenſu, & ager centuriatus dictus Feſto *lib.* 3. qui à Romulo centenis ciuibus aſſignatus, hoc eſt, ducenta iugera. Si itaque ex publico mulus militibus ad ferenda impedimenta aſſignabatur, non ergo legendum *Equum ſagmarium*, ſed vti vtroque in loco communis habet lectio, *ſaginarium.* Ita autem appellatum puto à ſagina, quod ſcilicet equis ſuis carne implendis & ſaginandis milites, equites ſcilicet, ſtuderent, vt fortiores & pulchriores haberent in vſum belli, & præſertim pugnæ & prælii tempore, in quem ſenſum dixit Seruius *mulus ſaginarius*, & *mula ſaginaria.* Et verbo *ſagino* pro *pinguem facio*, non ſemel vſus eſt Columel. nam *lib.* 6. *cap.* 38. habet: *Et herba viridis, nec tarde tamen arida fœni vice ſaginat iumenta*; Et ibidem *cap.* 27. inquit: *Hordeo ſaginandus equus.* Et Porcum ſaginatum appellauit Propertius lib. 4. Eleg. 1.

*Parua ſaginati luſtrabant compita Porci.*

Ita & Patricii viri & Matronę equos ſaginarios appellauere, quibus per Vrbem ſuperequitarent eadem de cauſa, quod ſcilicet illis impinguandis ſtuderent, quodque maiori in pretio eſſent, qui carne & pinguedine plurima redundarent, & pulchriores eſſent, quod & noſtris temporibus obſeruatum quoque norunt omnes, vnde communi prouerbio dicunt, equi carnem quauis alia carius æſtimari.

FLAVIVS

# FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Tunc enim Vlpius Crinitus publice, apud Byzantium, ſedente Valeriano in thermis, egit gratias, dicens magnum de ſe iudicium habitum, quod eidem vicarium Aurelianum dediſſet, quare ſtatuit eum arrogare.*

ADoptio, ſeu arrogatio, actus legitimus dicitur, per quē in alienam familiam quis recipitur, vt ait Modeſtinus, *l. 1. de adopt. libro primo, D. tit ſeptimo*, & Gellius *libro 5. cap. 19.* quaq; in locum liberorum extranei ſumuntur, idque Theophilus addit in ſolatium eorum, qui liberos non habent. Hoc Ariſtoteles 2. *Politicor.* eſſe dixit θέσιν παίδων, vbi loquitur de legibus quibuſdam, quas Thebanis Philolaus Corinthius ſcripſerat de liberis adoptandis; in hoc enim actu filium alienum adſciſcimus, cuius cauſam eſſe tradunt Imperatores *in l. 3. C. de adopt.* orbitatem liberorum. Noſtra enim intereſt, ſi filios naturales non habemus, in eorum locum aliquos cooptare, vt habeamus ſucceſſores certos. Sic Iſocrates orat. 17. *Dignum eſt* (inquit) *lege ſuccurrere, qua nobis adoptare filios licet, ac de noſtris conſulere rebus, reputantes apud nos, quod deſertis nominibus, puerorum loco ſit lex huiuſmodi; propter hanc enim agnati, ac nullo ſe ſanguinis gradu reſpicientes magis inter ſe mutuo curantur.* Huius actus originem apud Romanos antiquiſſimam fuiſſe teſtatum reliquit Gellius loco citato, & quamplurima docent exempla. Cocceius Nerua Cæſar, Marcum Vlpium Traianum, quamuis extraneum, adoptauit, & in curia Cæſarem optauit, vt ait Xiphilinus ex Dione *in illius vita.* Sic Adrianus adoptatus à Traiano, ex eodem Xiphilino & Spartiano. Et Adrianus ſucceſſorum ſibi delegit Antonium, cui quum nulla virilis ſtirps fieret, Commodi filium adoptauit, adiuncto etiam M. Annio Vero, ex Xiphilino *in Adriano*, & Spartiano *in Vero.* Demumque mortuo Vero Cæſare, rurſus adoptauit Adrianus Arrium Antoninum, qui poſtea *Pius* dictus eſt, ea tamen lege, vt idem ſibi adoptaret Annium Verum & Marcum Antonium, teſte Spartiano *in Adriano*, & Capitolino *in Antonino Pio.* Iulius Cæſar adoptauit Octauium ex Actia nepo-

ſtem,

tem, tradente Dione *libro* 44. *&* 45. *Hiſt.* Octauianus adoptauit Lucium & Caium filios Agrippæ & ſororis ſuæ, ex eodem Dione *libro quinquageſimoquarto*, & hoc loco Vlpius Crinitus Aurelianum, quod & alii plures Rom. Principes fecere. Græcos quoque adoptaſſe ſibi filios manifeſtum eſt ex Plutarcho *in vita Theſei*, dum ait, à Pandide Ægeum, ab Ægeo Theſeum adoptatum. Et Platonis lex extat *libro nono de legibus*, vt qui plures liberos habeat, vno retento, non habentibus alios in adoptionem daret. Hebræi quoque adoptione vſi ſunt, Ioſephi teſtimonio *lib.* 1. *Antiq. Iud. cap.* 15. ſcribentis, Abrahamum adoptaſſe ſibi in filium natum ex fratre ſuo Aaramo, & germanum vxoris ſuæ Saræ. Adoptabant etiam Hebræi ſibi filias, vt Mardocheus Heſter filiam fratris ſui, *Heſter cap.* 1. Qui mos & apud Ægyptios ſeruatus, exemplo filiæ Pharaonis, quæ adoptauit Moſem in filium, *Exod. c.* 1. Apud Longobardos quoque adoptandi mos inualuit, ex Paulo Diacono *libro ſexto, de geſtis Longobard. cap.* 15. Neque Franci adoptionis vſum ignorauerunt, tradente Trithemio *lib. Breuiar. Annal. Franc. in Rege* 52. Sigibertum, Regem Galliarum in Auſtraſia filium Dagoberti anno Domini 652. adoptaſſe Hildericum filium Grimualdi maioris domus, in filium, & regni ſucceſſorem. Apud Aſſyrios etiam adoptandi vetuſtiſſimum fuiſſe morem tradit Beroſus *libro* 5. & Diodorus Siculus *libro* 4. *Biblioth.* Idem confirmant, loquentes de 3. Rege Nino Babyloniæ, adoptiuos præferendos naturalibus eſſe, Adrianus Cæſar perſuaſum habuit, teſte Xiphilino *ex Dione in eiuſdem vita*; Et Plinius *Paneg. Traiani*, idem affirmat, forte ea ratione, quod præſtantes viri ſolum in filios adoptabantur. Sic D. Ambroſius ad Siſinium ſcribit: *Aut natura filios ſuſcipimus, aut electione; natura caſus eſt, in electione iudicium.* Sic Theodoricus Rex Gothorum adoptans in filium Regem Herulorum, *ex Caſſiodoro lib.* 4. *Epiſt. var.* 2. ſcribit, quod nō eſt dignus adoptari, niſi qui fortiſſimus meretur agnoſci, ignaui autem eſſe neſciūt, quos iudicia pepererunt; ii enim gratiam non de natura, ſed de ſolis meritis habent, quando animi vinculo obligantur extranei. Quod pariter cõfirmare poſſumus ex Tac. *lib. Hiſt.* 1.

vbi

vbi Galbam cum Piſone de illius adoptione diſſerentem deſcribit. Cuius oratio digniſſima eſt, vt à quouis Principe legatur, atque memoriæ mandetur, cordique inſeratur, vbi inter cætera inquit Galba; Non generari & naſci à Principibus fortuitum, nec vltra æſtimatur adoptandi iudicium integrum, & ſi velis eligere, conſenſu monſtratur. Idem quoque ex ipſomet Vopiſco hoc in loco elicimus, vbi Vlpius Crinitus inquit: *Apud maiores noſtros Valeriane Auguſte, quod & familia mea antiquum & proprium fuit, ab optimis quibuſque in locum filiorum fortiſſimi viri electi ſunt ſemper, vt vel ſeneſcentes familias, vel fœtus matrimoniis caducos ſubſtituta fœcunditatis prolis ornaret.*

Illud poſtremo adnotandum, Iuriſperitos inter adoptionem & arrogationem differentiam ſtatuere, quod adoptantur qui in aliena ſunt poteſtate, patria ſcilicet, arrogantur vero qui ſunt ſui iuris, *ex Modeſt. l. 1. de adopt. in P. §. 1. eod. apud Iuſtinia.* Adoptio nihilominus apud ſcriptores Latinos accipitur abſolute, & pro ipſa adoptione ſimplici, & pro arrogatione quoque ipſa, ſicuti apud Iuriſconſultos. Adoptio genus eſt ſub ſe continens adoptionem ſpecialem, & arrogationem, quod & ex hoc loco præſertim comprobari poteſt, nam Vopiſcus de Aureliani adoptione ab Vlpio facta verba faciens, verbis arrogare, arrogationem, de arrogatione, in arrogando vtitur, poſtremo tamen inquit: *Adoptio vt ſolebat impleta.* Pro cuius declaratione illud quoque adnotandum, apud Romanos factam adoptionem ſeu arrogationem eorum, qui ſui iuris erant, vel principis decreto, vti paſſim in iure ciuili, vel per populum, vt Gellius loco citato, vel lege Curiata in Comitiis arbitris Pontificibus, ex Tacito loco allegato, & Suetonio, vbi de adoptione Tiberii, & Cicerone in oratione *pro domo ſua*; vel apud Prætorem magiſtratum, vel alium, penes quem eſſet legis actio, de qua re paſſim Iuriſconſulti. Quin etiam & teſtamento, ex Suetonio ſcribente *in Tiberio, cap. 6.* illum adoptatum à M. Gallio Senatore. Lege autem actum in adoptando Aureliano ex textu ipſo conſtat, vbi legimus dictum ab Vlpio Crinito ad Valerium Imperatorem: *Iube igitur, vt lege agatur, ſitq; Aurelianus hæres*

*hæres ſacrorum, nominis, & bonorum, totiuſque iuris Vlpio Crinito viro Conſulari. ipſe actu Crinitę Iudex Conſularis*; Ex quibus & illud conſtare puto, adoptatum ab adoptante ſumere denominationem conſueuiſſe; Vnde Græci, teſte Suida, adoptatum quod in alienam familiam tranſiret, ἐκποίκτον, id eſt, à familia ſua abalienatum dixere.

Verum obſcurius illud certe, *hæres ſacrorum*. Nam quæſo quæ bona ſacra alicuius priuati dicenda propria, quum res ſacræ in nullius bonis vnquam fuerunt? *ex l in tantum, §. ſacræ res, de rerum diuiſione, & § Nullius, Inſt. eod. tit.* quod & Macrobius *libro 3. Saturnal. cap. 3.* confirmat. Exiſtimabam prima facie intelligendum de ſacris Bonæ Deæ, quæ in domo Conſulis fiebant, teſtimonio Plutarchi *in Cicerone, & in Cæſare*; nam adoptans Conſularis, & Conſularis adoptatus. Verum rem intimius perſcrutatus, mutare ſententiam coactus ſum. Siquidem ſciẽdum, res quaſdam Romanis ſacras dictas fuiſſe, quæ rite per Pontifices Deo cõſecratæ erant, veluti ædes ſacræ, donaria, quæ ad Deorum miniſteria dedicata ſunt, quod ait Imper. *§. 6. de rerum diuiſ.* Sic Trebatius: *Sacrum eſt*, inquit, *quicquid eſt quod Deorum habetur*, & Gallus Ælius apud Feſtum: *Sacrum*, inquit, *quodcunque modo & inſtituto Ciuitatis conſecratum ſit, ſiue ædes, ſiue ara, ſiue ſignum, ſiue locus, ſiue pecunia, ſiue quid aliud quod Diis dedicatum & conſecratum ſit. Hæ res publicæ, ſacræ, nullius priuati eſſe poterant. Sed erant aliæ res ſacræ appellatæ, quæ & priuatæ erant cuiuſque gentis, quibus paterfamilias Diis penatibus ſacra faciens vtebatur*, quod conſtat ex Cic. *lib. 2. de Leg.* Emancipati autem liberi arbitratu ſuo ſibi ſacra conſtituebant. Hinc filiifamilias in ſacris paternis eſſe dicuntur, *l. 2. C. de bonis, quæ liberis.* In ſacris manere, *l. filiæ. 12. Cod. de collat. l. pen. C. de adopt.* In ſacris parentum conſtituti, *l. vltima, C. de inoff. teſtam. l. vlt. C. ad Tertull. l. vlt. C. de cur. fur.* In ſacris poſiti, *l. in coniunctione, 20. C. de nuptiis.* In ſacris retineri, *l. 3. C. de bo. mater.* Hinc adoptati, qui in alterius gentem tranſibant, in eius gentis ſacra tranſire dicebantur, vt apud Val. Max. *lib. 7. cap. 7.* Et qui per emancipationem de familia demigrabant, à ſacris paternis dimitti, & abſolui dicebantur, *l. quidam 31. C. de fideicom. l. 1. C. de annal. except. l. de emanci-*

*patis* 13.*C.de legiti.hared.* Sicuti autem res, quæ publice conſecratæ erant, vere & proprie ſacra dicebantur, ita minus proprie, ſi quis ſibi ſacrum conſtituiſſet, ita vt profanum appelletur, *l.6.§.2.D.de rerum diuiſ.* Ex his patet, quorum ſacrorum hæredem dicat Vlpius Crinitus futurum Aurelianum ſibi in filium adoptatum.

## FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Et ego Domine Valeriane Imperator Auguſte, ideo cuncta feci, ideo vulnera patienter excepi, ideo & Equos & Cantherios meos laſſaui, vt mihi gratias ageret Reſpublica, & conſcientia mea.*

CAntherios ſcribendum, non *Canterios*, ſine aſpiratione, quod fecit Turnebus, niſi mendum in textu Typographi, docet vocis Græca deriuatio, nam κανθήλιος ſcribunt, non vtique *Cantherii* dicti, quod canterio teſtes equis adimi ſoleant, vt nonnulli commenti ſunt teſtimonio Rhodigini *libro* 8.*c.*4. Cantherium rei ruſticæ ſcriptores pedamentum, ſeu haſtam, cui vites innituntur, vocauere, vti Columella *lib.* 4.*c.*12. Plinius *lib.* 17.*c.*21. prope finem, à quo diminutiuum *Cantheriolum*, ex eodem Columella *lib.*11.*c.*3. Vitruuius *lib.*5. Cantheria vocauit ligna, quæ in tectis à nobis *Cantheri* vulgo dicuntur. Inquit namque: *Et Cantherii prominentes ad extremam ſuggrundinationem, ſupra Cantherios templa.* At hoc in loco certe neutra ſignificatio accommodari poteſt. Qua de re dicamus, per Cantherinos intelligendum eſſe equos caſtratos, qui enim integri ſunt, generoſiores euadunt, & proprie equi appellantur, econtra ignaui magis illi, quibus teſtes execti. Hinc quum quis laceſſit ad pugnam, mox linquitur animo; *Cantherium in foſſa*, dixere communi Adagio, *Prouerb.Chiliad.*1.*Cent.*6.*c.*21. Varro *de agricult.lib.*2.*c.*7. *in fi.* de equis & equabus loquens inquit: *Demptis enim teſticulis fiunt quietiores, & ideo quod ſemine carent, ii Cantherii dicti, vt in ſuibus Maiales gallis gallinaceis Capi.* Feſt.Pomp.li.3. *Cantherius hoc diſtat ab Equo, quod Maialis à Verre, Capus à gallo, Veruex ab ariete.* A Cantherio *cantherinus* adiectiuum. Ita Plaut. *in Mene.* ſcribit:

*Sine fores,*

*Certe hæc mulier Cantherino ritu adſtans l.ic ſomniat.*

Namque

Namque equi ſtantes ſolent ſomniari, authoritate Plinii *lib. 10. cap vlt.* Et Cantherii magis, qui quod caſtrati ſunt, ſomniculoſi magis ob torporem videntur, & ſomniari pro delirare, & incongrua effutire, accipit Plautus hoc loco, & in Gurgulione ſcribit:

*Non ego nunc inquiens, quos ſomnos ſomniat.*

Cantherini hordei, hoc eſt, alendis equis conuenientis, meminit etiam Col. *lib. 2. c. 9.* Seneca de Catone verba faciens *epiſto. 13.* inquit: *Vehebatur hippoperis quidem impoſitus, vt ſecum vtilia portaret.* Quem locum interpretatus Plautinus interpres, cantherium pro vehiculo accipit, ridicula enarratione, quod Rhodig. loco allegato adnotauit. Nam paulo poſt Seneca ſeipſum interpretatur ſubdens: *O quantum erat ſeculi decus Catonem vno caballo eſſe contentum.* Gallios Cantherios dixit Plautus *in Aulularia*, viliores dicens:

*Ego faxim, muli precio, qui ſuperant equos,*
*Fient viliores Gallicis Cantheriis.*

## FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Libet ipſius Senatuſconſulti formam exponere, quo libros inſpici clariſſimorum iuſſit authoritas.*

Mirum ſane, quantum inter ſe Iuriſconſulti digladientur in numero, ſpeciebus, ordine, & præeminentia dignitatum tradendis, pluries meras nugas effutientes. Et inter cæteros Speculator *in prima parte, libro primo, particula prima, tit. de iuriſd. omn iud. §. iudicum igitur.* Caſſaneus *ſeptima parte Catal. Gloriæ mundi, quinta conſideratione*; Iaſ. & Purp. *in l. prima, ff. de offic. eius*, & author libri qui inſcribitur *Notitia Imperii.* Sed his omnibus longe melius doctiſſimus Alciatus *Diſpunct. libro tertio, capite quarto.* Verum nos his omiſſis, quod ad prę̨ſentem locum facit, tantum adnotamus, nempe *Clariſſimos* proprie dictos Senatores, à quibus Senatuſconſultum de inſpiciendis libris Sibyllinis factum, tradens Vopiſcus, *clariſſimos* vocat. Conſtantinus *l. 2. C. de his. qui ven. ætat. impetr.* clariſſimos viros Senatores appellat, cui accedit authoritas Vlp. tradẽtis *l. 8. ff de Senator.* fœminã nuptam Senatori clariſſimã eſſe, quod pariter habemus *l. 22. §. 1. ad municip.*

Præterea Senatores clariſſimos vocatos patet quoque *ex l. deferre. D. de adult. l ſpecioſas, D de verb. ſignif. & Nouell. 52. & alibi ſæpiſſime.* Quod pariter confirmari poteſt ex Plinio *lib. 7. cap. 5.* ſcribente: *Veſtilia C. Herdicii, ac poſtea Pomponii atque Orfiti clariſſimorum virorum coniux, quos Senatores fuiſſe cõſtat.* Lampridius *in Alexandro Seuero* inquit: *Præfectis Prætorio ſuis Senatoriam addidit dignitatem, vt viri clariſſimi eſſent, & dicerentur.* Non negauerim tamen, præter Senatores & alios quoque clariſſimos appellatos. Ita Ambroſius *in Epiſt. ad Valent.* præfectum Vrbis clariſſimum vocat; Et Seuerus *in l. 1. ſi ex falſ. inſt.* Proconſulem clariſſimum appellat. Et dignitatem Conſularem clariſſimatum, *l. 2. C. de Dot.* Et Duces aliquando clariſſimos dictos, colligere poſſumus ex Amm. Marcellino ſcribente *lib. 21.* ſub Conſtantio neminem Ducum cum clariſſimatu prouectum.

Nec minus ambigendum, Senatores quoque aliquando Illuſtres, aliquando & Spectabiles dictos, non ſemper Clariſſimos. Nam Iulius Maternus *in principio ſui Operis*, etiã Senatores vocat Superilluſtres, de qua re non multum laborandum. Namq; hoſce titulos iure exiſtimãdum ex arbitrio imperantium mutatos aliquando. Illud profecto ſuſpiciendum, Iuſtinianum *in §. 1. Nouell. 71.* *μεγαλοπρεπεστάτους ἰλλουστρίους*, hoc eſt, *Magnificos Illuſtres* dixiſſe. Clariſſimatus tradendi formulam habemus à Caſſiodoro *lib. 6. var.* Venetiis Clariſſimos Senatores dici adeo manifeſtũ eſt, vt nulla prorſus indigeat probatione. Clariſſimos vocatos & pueros & mulieres aliquando, Senatorios tamen, vt ego cenſeo, ex antiquis inſcriptionibus ſeu Epitaphiis dignoſcimus. Extat vna in via Ardeatina ad aquas Saluias in S. Anaſtaſio, in qua legitur:

CÆCILIÆ VERISSIMÆ CLARISSIMÆ,
ET FEMINÆ MEMORIÆ.

Altera eſt in via Caſſia in ſuburbano D. Marii de Mellenis huiuſmodi.

C. ANNIVS. FVNDANVS.
CLARISSIMO PVERO. QVI VIXIT.
ANN. X. MENS. III.

FLAVIVS

## FLAVIVS VOPISC. IN D. AVRELIANO.

*Inter hæc fuit tetricus chlamyde coccinea, tunica galbina, braccis Gallicis ornatus, adiuncto ſibi filio, quem Imperatorem in Gallia nuncupauerat, &c.*

TVnicam Galbinam ita dictam inquiunt Ambroſius Calepinus, & Nicolaus Perottus à colore albo, & ſublucido. Ego magis probarem à colore ſubluteo; Galbanum enim gummi ſpecies, cuius vſus frequens medicis & ſeplaſiariis, lutei coloris eſt, cuius meminere Lucanus lib. 9.

*Hic ebulum ſtridet, peregrinaque galbana ſudant.*

Et Plinius lib. 12. cap. 25. *Dat Galbanum Syria,* &c. à quo Galbano, ſeu Galbeo, vt ait Tranquillus *in eo*, quum diurna valetudine vteretur, Galba Imperator appellatus eſt, ſeu quod Galbano facibus illitis Hiſpaniæ oppidum diu fruſtra oppugnatum ſuccenderit. Caſſiodorus Galbam Imperatorem ita à colore lurido appellatum tradit, legunt alii, *lucido*. Eſt enim (inquit) Galbeus, vel Galbulus (vt alii legunt) paſſeris nomen luteis pennulis. Quæ Caſſiodori opinio & noſtræ fauet ſententiæ; De qua aue Plinius *libro* 30. *cap.* 11. In Lexico Latino Græco legimus, Galbeum dici χλωρόν, hoc eſt, *flauum palleſcentem*, qualem in ſegetem palea à viridi in flauum tranſeuntem conſpicimus. Quo in ſenſu Plinius *libro* 37. *capite* 10. Chloritem lapidem herbacei coloris dixit. Sic Chlorion auis, eodem authore *libro decimo, capite* 29. totus luteus eſt. Sic Vegetius *in Veterinaria*, florem Eringii, ait eſſe Galbinei coloris. Sic Habentius Grammaticus Achatem lapidem Galbini coloris eſſe ſcripſit. His ſic ſe habentibus, ego ſane aliter atque cæteri, quos hactenus legerim, Martialis carmina interpretor *libro* 3. *Epigram.* 40. vbi de Zoilo inquit;

*Iacet occupato Galbanatus in lecto.*

Non enim (vt alii) *Galbanatum* interpretor effœminatum & mollem, ſed potius colore ſubluteo infectum, quales eſſe ſolent, qui animi vel corporis aduerſa valetudine laborant. Ita & *libro* 1. *Epigram.* 64. quum inquit: *Galbanos*, ſeu (vt alii) *Galbinos habet mores*, non expono (vt alii) molles, & ef-

fœminatos, ſed potius malos, & malignos, quales eſſe ſolent in illis, qui naturaliter colore ſubflauo, cum aliquali virore præditi ſunt; mores enim ſequuntur temperaturam corporis, vti libello aureo docuit Galenus; tales autem mores ineſſe ſolent illi, cuius corpus bile flaua & porracea redundat. Huius coloris fuiſſe veſtem, qua indutus erat Tetricus, non dubito, ſicuti & chlamyde coccinea. Ad quod ſpectat illud Iuuenalis Saty. 2.

*Carulea indutus ſ. utulata, aut galbana raſa.*

Ioannes Baptiſta in ſuis adnotationibus adnotauit, à tunica galbina, *Gabano* vulgo dici exteriorem tunicam.

## FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Vectigal ex Aegypto Vrbi Romæ Aurelianus Vitri, Charta, Lini, Stupa, atque Anabolicas ſpecies æternas conſtituit.*

TExtus quidam *Ambolicas* legunt, quaſi dicat nauticas, nam ἄμβολα medium antennæ Græcis ſignificat. Egnatius reponit in ſuis Annot. *Anatolicas*, hoc eſt, Orientales, namq; ἀνατολικός Orientalis dicitur. Turnebus lib. Aduerſ. 18. cap. *Embolicas* legendum putat, vt in ſacro Codice *embole* legitur, & interpretatur *ſpecies embolicas*, ſpecies, quibus ornatæ naues quotannis Romam mittebantur ex Ægypto, annuo vectigali. Embole tamen quid in ſacris literis eſſe dicat Turnebus, nos ignorare fatemur, ἔμβολος certe Plutarcho roſtrum nauis dicitur. Impreſſio Germanica habet *Anabolicas ſpecies*. Quæ lectio minime diſplicet, ſiue deriuemus à voce Græca ἀναβολῆς, quæ *ſcala* authoritate Suidæ dicitur, ſiue à dictione ἀναβολεύς, qua ſignificatur qui equum inſcenſuris adiumento eſt, ex Plutarcho *in vita Craſſi*. Ita vt ſenſus ſit, Aurelianum non ſolum vectigal æternum vitri, chartæ, lini, ſtupæ, quæ ex Ægypto Romam veherentur impoſuiſſe, ſed & vniuerſis alijs rebus, quæ in naues huiuſcemodi tranſuectionis gratia importarentur, nam vulgo *far' ſcala* naues dicuntur, quæ in aliquem locum appellentes, ibidem mercibus onerantur, vel exonerantur. Præterea ſicuti equum inſcenſuris ἀναβολεύς præſto eſt, ita & mercibus nauibus imponendis

ponendis erant qui præeſſent, ne vectigal defraudaretur, vnde ſpecies Anabolicæ dictæ. Poſſumus etiam deriuare hanc vocem *Anabolica* à verbo *ἀναβολαίω*, quod eſt *induo*, vnde & *ἀναβολαῖα* ornamenta & indumenta mulierum, vt ſenſus ſit, æternum vectigal conſtitutum ſuper indumenta, ſeu res indumentis inſeruientes, quæ ex Ægypto Romam conueherentur. Senſum profectò genuinum eſſe exiſtimo, qualiſqualis ſit vocis deriuatio; Aurelianum inſtituiſſe vectigal æternum rebus, quæ ex Ægypto Romam nauibus veherentur, namque paulo infra ſubdit Vopiſcus: *Panibus vrbis Romæ vnciam de AEgyptio vectigali auxit*. Et rurſus de illius epiſtola verba faciens: *Nihil mihi eſt magnificentius, quam quod additamento vnicæ omne annonarum vrbicarum genus iuui, quod vt eſſet perpetuum, Nauicularios Niliacos apud AEgyptum nouos, & Romæ Amnicos poſui.* Quo in loco per Nauicularios intelligendum puto, nō communi ſignificatione pro nauclero, hoc eſt, nauis gubernatore, ſeu domino meritoriæ nauis, quo in ſignificatu accepit Cic. *in Epiſt. & in 7. Verr.* & Nauiculatorem dixit quoq; *in orat. pro Lege Manilia.* Sed pro exactore vectigalis rerum, quæ naui onerantur. Sicuti enim Iuriſconſulti *tot. tit. de Nauic. C. lib.* 11. accipiunt nauicularios, non ſolum pro nauium dominis, ſed & pro his, qui accipiunt obuentiones & redditus omnes earum, ita haud mirum eſt vectigalia earundem onerariarum nauium vecturæ exigentem, nauclerium ſeu nauiculatorem dici poſſe. Namque Ammonio & Heſychio nauclerus non ſolum nauis Dominus, ſed & ædium locator dictus, ſicuti & Naulū pro hoſpitii precio, teſte Cœl. Rhodig. *lib. 15. c.* 17. dictum. Et Vlpianus, *l. Mercedes, 29. de pet. hered.* naulum pro vectura nauium & iumentorum accepit, *nolo* vulgo dicimus. Et Vegetius *libro 4. de re mili.* Nauarchos, qui ſcilicet in claſſe ſingulis nauibus præſunt, Nauiculatios etiam appellauit. Species autem accipit pro variis mercibus. Ita Ammianus Marcellinus *lib.* 27. de Lampadio Romæ præfecto: *Non ex ſolitis titulis parari iubebat impenſas, & ſi ferrum quærebatur, aut plumbum, aut (æs) aut quicquam ſimile, apparitores immittebantur, qui velut ementes diuerſas raperent ſpecies.*

## FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Idem conceſſit vt blacteas matronæ tunicas haberent, & cæteras veſtes, quum antea coloreas habuiſſent, & vt multum Oxypæderotinas.*

BLacteas purpureas interpretandas manifeſtum eſt, à blatteis ſcilicet vermiculis, ex quibus floridiſſimus inficitur purpureus color, *Cremeſe* vulgo dicunt. Sic Sidonius in Panegytico: *Pontus Caſtorea, Blactam Tyrus, AEra Corinthus.* Sic Caſſiodorus in Epiſtolis: *Chamæleon, modo Praſina, modo Cyanea, modo Blattea varietate ſe commutat.* Eutropius ſcribit, Neronem ſolitum piſcari rete, blatteis funibus annexo; Oroſius purpureas dixit. Et Suetonius purpureas vocauit.

At quæ coloreæ fuerint tunicæ, non ita apertum. Turnebus Aduerſariorum *lib.* 18. *cap.* 19. interpretatus eſt, cuiuſuis alterius coloris, præter purpureum. Valla *lib.* 6. *cap.* 53. coloreas explicat, ex lana non tincta, ſed natiuo colore confectas veſtes, & ſic nigras, vel albas. Album enim & nigrum proprie colores dicuntur, cæteri vero medii ex horum participatione, & mixtura. Vtraque explanatio rationi conſona, prior tamen iudicio noſtro præferenda.

At quæ eſſent Oxypæderotinæ veſtes, à nullo hactenus explicatum obſeruaui. Nos talem nomenclaturæ rationem arbitramur. Apud Græcos ὀξὺ plerumq; ſignificat magnum & vehemẽs, & in compoſitione vim & acumen addit, quod Dionyſius Lambinus *in Horatium* obſeruauit, & Turnebus *Aduerſ. lib.* 11. *c.* 26. Pæderos vero gemmæ ſpecies eſt. Opalum dicunt quoque, de qua Plinius *lib.* 37. *cap.* 6. de Opalis in hæc verba: *Eſt enim in iis carbunculi tenuior ignis & Amethyſti fulgens purpura eſt, ſmaragdi virens more, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia. Et deinde hanc gemmam propter eximiam gratiam plerique appellauere Pæderota.* Ex quibus mihi videtur dici poſſe, quod ſicuti in Opalo varii colores reperiuntur, ita & oxipæderotinas fuiſſe veſtes dictas, quæ varii coloris eſſent, vulgo *miſchie* dicimus, in eiſque plures colores excellentes permixti eſſent; Ita vt purpureas à coloreis, ſcilicet coloratis diſtinxerit, hoc eſt, diuerſorum colorum ſimplicium, has

vero

vero oxypæderotinas à ſuperius dictis omnibus, quod varicolores eſſent. Subiicimus, quod ſicuti Opali ſpeciem *pæderotim*, vocauere antiqui propter eximiam eius gratiam, & ob eandem cauſam Iaſpidis genus Pæderotim quoque appellauere, *ex Plinio*, *libro eodem capite nono*, ita & huic nomini adiuncta particula *oxy*, excellentiam addens, oxypæderotinas veſtes vocauerint, quæ in vnoquoque colorum genere valde ſplendidæ eſſent, & excellenter coloratæ, collucentes.

## FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Facta erat ratio dochæ, cupparum, nauium, & operum.*

DOgæ legit Egnatius *in annotat.* at nullam interpretationem addit, ſed corruptam lectionem tantum fatetur. Turnebus *Aduerſariorum lib.* 18. *cap.* 19. ait, ſe aliquando putaſſe legendum *doliorum*, nam ad vocis vicinitatem accedit, & conuenit cum cuppis. Sed poſtea Dogæ vocem retinendam cenſet, quum in antiquo Lexico legerit, *Doga* βύτλιν. *Dogarius* βυτλοπιὸς. Huic Turnebi explanationi fauere videntur veteres gloſſæ, Dogas exponentes βύτλεις. Impreſſio Germanica habet *Dochæ*, non *Dogæ*, quæ lectio magis accommodata ſenſui videtur: nam δόχαι Græcis, quæ capacitati alicuius parata ſunt, & capacitates ipſæ, vel menſuræ dictæ, quinimo δοχεῖον vas ſeu receptaculum ſignificat, ſi priorem ſignificationem ſequamur, & ſi *cuppoſa dochæ* coniunctim legamus, erit ſenſus, factam rationem capacitatis cupparum, quibus contineri poſſet vinum perceptum ex vitibus plantatis, iuſſu Aureliani, & conſertis in locis illis prius incultis, ſicuti nauium, quibus Romam veheretur, & operum, quæ ad id munus neceſſaria eſſent, vt vinum populo Romano ſine pretio diuideretur. Si autem vocem Dochæ à cupparum dictione ſeiungamus, Docham interpretabimur dolia ſeu vaſa alia grandia in terram defodi ſolita, quibus vinum primum reconderetur. Vnde Vlpianus *lib.* 3. *D. de trit. & vin.* tradit: *Non puto in doliis, verum vt vino le-*

*ſato & dolia debeantur, maxime ſi depreſſa in cella vinaria fuerint, aut ea ſint, quæ per magnitudinem difficile mouentur.* Ita & Doliarium vas ampliſſimum & capaciſſimum, apud Caium, *l.15.§ penult.D.de contrahen.empt.* & Doliare vinum, *l.1.§ final. D.de per.& com.rei vēd.* dictumq́; ꝙ adhuc in doliis eſt, nouũ, ſcil. ad differentiã vini diffuſi, hoc eſt, repurgati & defæcati, ex doliis in cupas, cados & amphoras diffuſi, qui maioris pretii & ſuauior erat doliario. Vini doliarii meminit Cicero *in Bruto*, inquiens: *Non igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio ſibi hauriendum putet.* Et doliaris vini vendendi legem Cato *in lib. de re ruſt. cap.148.* exponit. Et *cap.147.* vinum doliare, vino pendenti opponit, hoc eſt, vuis nondum vindemia collectis. Ita Plaut. in Trinummo:

*Tum vinum priuſquam coactum eſt, pendet putridum.*

Vini diffuſi verba facit Horat. lib.1. Epiſt.5.

*Vina bibes iterum Tauro diffuſa.*

Et Iuuenalis Sat.5.

*Ipſe capillato diffuſum Conſule potat.*

Et rurſus Horat. lib.2. Sat.2.

*Et niſi mutatum parcit defundere vinum.*

Et Cic. lib.2. de Finibus: *Quibus vinum defuſum ſit pleno Oenaphoro.* Huiuſmodi quoque fuiſſe dictum vinum de Cupa, conſtat ex Cic. in Piſon. *Panem & vinum à propala & de cupa.* Quæ omnia adnotauimus, vt demonſtraremus, Dogas ſeu Dochas dolia magna fuiſſe, in quibus vinum recenter vindemiatum colligeretur, cupas vero minora, in quibus depurgatum transfunderetur.

## FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

*Ipſumq́; primum donaſſe populo Romano Oraria, quibus vteretur populus ad fauorem.*

ORaria, ſeu orarium, vocem infrequentem ſcriptoribus eſſe, nemo ambigit, ideo illius ſignificatio ſatis obſcura. Egnatius *in annotat.* inquit: *Oraria ad fauorem, qui mos emunctoriis euentilandis hodieq́; retinetur: nam oraria lintea tenuiora ſignificant.* Turnebus *lib. Aduerſ.19.cap.21.* D. Hieronymi locum explicans huiuſmodi: ( *Alioqui ridiculum & plenum*

*num dedecoris eſt, referto marſupio, quod ſudarium orariumq́; non habeas, gloriari* ) inquit : *Orarium multis videtur eſſe linteum, quo ori fauemus*, ſubdens ex Heſychio, σιμικίνθια φακόλια, ζωνάρια, ὠρόρια τῶν ἱερέων, *ita ei eſt ſemicinctium, vt ex D. Ambroſio de ſancto Geruaſio & Protaſio ſcribente : Quanta oraria iactitantur? quam ſententiam veriorem puto.* Hactenus Turnebus. Cælius Rhodig.*lib.*19.*cap* 25. ſcribit : *Phoſſorium pro ſyndone reperias, orarium vocant Romani.* Hæ omnes explicationes mihi ſubobſcuræ videntur, nec ſatis rem ipſam aperire. Quare ego per oraria puto intelligendum vittas, vulgo *bande*, quibus corpora cingere ab humero ſurſum, deorſum vero ad oppoſitum ileum ſolent, vel collo circumdare milites, vt cuius centuriæ ſeu legionis ſint, dignoſcatur, & ſub quo Duce militent. Eiſdem noſtris temporibus tum viri tum mulieres mutuo ſe donant, tanquam amoris & beneuolentiæ ſignum fauorisque ergo gerunt. Vnde & communi appellatione *fauori* vocantur. Huiuſmodi Aurelianum pop. Rom. donaſſe ad fauorem, inquit Vopiſcus, vt ego interpretor, vt ſcilicet popularium animum in ſui amorem alliceret, & popularem auram captaret. Oraria autem dicta exiſtimo à ſimilitudine, quam habent cum nauium ſeu anchorarum funibus, *ora* dictæ : nam ex ſyndone lato multiplicibus flexuris inflexo fieri ſolent, capitibus nodo aliquo vel lemniſco colligatis. Quod autem funes nauticæ *ora* appellentur, conſtat ex Quinctiliano ſcribente ad Tryphonem : *Permittamus, vel à ventis oram ſoluentibus bene precemur.* Et Liuio *lib.*28. tradente : *In ipſis quoq; trepidatum nauibus eſt, dum, ne hoſtes cum ſuis ſimul irrumperent, trahunt ſcalas, ponteſq́; oraſq́; & ancoras.* Scio nonnullos interpretari Quinctiliani dicta, *ſoluere ora* pro *ſoluere à littore*, & apud Liuium contendere, legendum *lora*, non *ora* ; ſed quæſo, quid nauibus cum loris conuenit ? Et ſoluere nonne magis proprium funi, quam littori ? Ab ora itaque orarium deriuare non inconuenit, tum ex ſimilitudine dicta, tum etiam ex vſus conuenientia : nam & fune & orario circumdamus & circumligamus.

FLAVIVS

# FLAVIVS VOPISCVS IN AVRELIANO.

***Calceos mulleos, & cereos, & albos. & hederatios viris omnibus tulit, mulieribus reliquit.***

FEſtus Pompeius *lib.*11.tradit, calceos mulleos fuiſſe calceamentorum genus, quibus Albani Reges primum, deinde Patricii Romani vſi ſunt, quod comprobat authoritate Catonis, *lib.de Origin.*7.vbi habet: *Qui magiſtratum curulem cœpiſſet, calceos mulleos ballucinatos, cæteri perones.* Necnon & authoritate Titinnii in Seciana: *Iam cum mulleis te oſtendi-* [illegible] *nos tibiatu in calceos. Hos putant à millando, hoc eſt, ſuendo di-* [illegible] Hæc Feſtus. Nos tamen, quum nullibi apud Latinos [illegible]cosve ſcriptores *millare* pro *ſuere* obſeruemus, ridicu-[illegible]uc interpretationem arbitramur, nec huius loci ex-[illegible]ioni accommodandam. Quamobrem aliam indagare conati ſumus. Coloratos profecto mulleos calceos fuiſſe non dubitandum, ſed quo colore, non ita facile, quum *albos* recenſeatur, *cereos*, & *hederatios*, qui ſcilicet ceræ vel hederæ colores imitantur. Nonnulli à mullo piſce calceos mulleos dictos arbitrati ſunt, qui purpurei coloris eſt, ſicq; purpureos intelligendos. Mullum piſcem Romæ Trigliam vocant, voce fere Græca τρίγλα, noſtrates vulgo *Barbone* appellant, quæ vulgaris appellatio rationi conſentanea eſt, quum barbatus oculata fide dignoſcatur, &, teſte Plinio, piſcis hic barba gemina inſigniatur inferiori labro. Hinc à Cic. *in Paradox.* Barbatulus & Barbatus, à Varrone *lib.*3.*de re ruſt.* dictus eſt. Verum quum multa ſint purpuram magis referentia, præter piſcem mullum, non poſſum ego credere, calceos mulleos ob id appellatos, ſed alia de cauſa. Quam vt facilius aſſequamur, præmittendum, piſces huiuſmodi priſcis Romanis magno in pretio fuiſſe, quum referat Suetonius *in Tiberio, cap.*34.tres piſces mullos triginta millibus nummum veniſſe. Et Plinius *lib.*8.*cap.*17. Aſinium celerem virum Conſularem Claudii Cæſaris temporibus mullum vnum octo millibus nummorum emiſſe. Seneca *Epiſt.*15.*ad Lucillium* ſcribit: ***Tiberius Cæſar miſſum ſibi mullum, quum in macellum deferri & venundari iuſſiſſet, Amici (inquit) omnia me fallunt,***

*fallunt, niſi iſtum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octauius; vltra ſpem illi coniectura proceſſit, ambo licitati ſunt, vicit Octauius, & ingentem conſequutus eſt inter ſuos gloriam, quum quinq; ſeſtertiis emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, nec Apicius emerat.* Cur autem adeo ingenti pretio mulli emerentur antiquitus, nobis vero vili & communi pretio copioſiſſimi habeantur, cauſam puto, præter pecuniarum ingentes cumulos, quibus Romani totius orbis domini affluebant, quod non cuiuſuis generis mulli maximo eſſent in pretio, ſed duntaxat illi, qui ingentis ponderis & inuſitati reperiebantur, quod rariſſimi erant illis & à noſtris quoque temporibus. Piſces enim parui mulli ſunt natura, quoniam bilibres & trilibres rariſſimi, qui ſi quandoque tales reperiebantur temporibus priſcis, ingenti pretio emebantur, vt diximus. Quod comprobare facile poſſumus ex ipſomet Plinio, ſcribente loco citato: *Maxima eſt copia mullis, ſicut magnitudo modica, vt hic piſcis raro duarum librarum pondus excedat.* Vnde Iuuenalis Satyra 4.

*——— Mullum ſex millibus emit*
*Aequantem ſane paribus ſeſtertia libris,*

Id eſt (vt inquit Merula) pendentem libras ſex, pro numero ſeſtertiorum; nam mille nummos ſeſtertius valebat. Et rurſus:

*Nolo mihi ponas rhombum, mullumq; bilibrem.*

Et Horatius lib. 7. Serm. Satyr. 2. *Laudas inſane trilibrem mullum?* Licinius Mutianus, teſte Plinio *lib. 9. cap.* 18. prodidit, mullum octoginta libratum in mari rubro captum. Ad hæc adnotanda, quæ à Seneca ſcribuntur *lib. 3. Quæſtionum*, qui caſtigans Romanorum luxuriam ait: *Parum recens mullus, niſi qui in conuiua manibus moritur, vitreis ollis incluſi offeruntur, & obſeruatur morientium color, quem in multas mutationes morte luctante ſpiritus vertit, alios necant in garo, & condiunt viuos: Ad hoc faſtigium peruenere ventres delicatorum, vt guſtare non poſſint piſcem, niſi quem in ipſo conuiuio natantem palpitantemq; viderint: Ad mortem mulli concurritur, nihil mullo moriente formoſius, non ſunt ad popinam dentibus, & ventre & ore contenti oculis quoque guloſi ſunt.* In eandem ſententiam Plinius loco iam dicto inquit

quit: *Mullum expirantem verſicolori quadam & numeroſa varietate ſpectari proceres gulæ narrant, rubentium ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem, vtiq; ſi vitro ſpectetur incluſus.* Ex quibus, ſi per mulleos calceos purpureos non intelligamus, varicolores vel mixti coloris dicendi, quod vulgo *meſchi* appellant, quæ interpretatio mihi magis placet priore; Nam quum vox *purpureus* elegans & communi in vſu ſit apud Latinos, cur non dixiſſet *purpureos*, ſicuti dixit *albos*, Vopiſcus? Et ſi per ſimilitudinem explicare malebat, cur ad mulli colorem recurrit, cum tot alia purpureum colorem referentia ſint? Qua de re quum mixtum multis coloribus exprimere voluiſſet, dixit *mulleos*, id eſt, verſicolores, ea de cauſa, quam ſupra mox retulimus. In arcu C. Marii in inſcriptione obſeruatum fuit, calceos puniceos triumphantium fuiſſe; Legimus enim ibi:

VICTOR VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICEIS.

## FLAVIVS VOPISCVS IN TACITO.

***In eadem oratione cauit, vti quis argento publice priuatimq́; æs miſcuiſſet, ſi quis auro argentum, ſi quis æri plumbum, capitale eſſet, tum bonorum proſcriptione.***

ROmanis ex probo argento nummos ſeu pecuniam per initia cuſos, ex Plinio conſtat, *lib.33. cap.3.* vbi tradit etiam, quod Liuius Druſus in Tribunatu plebis octauam partem æris argento miſcuit primus, inde cepit argenti puritas corrumpi. Et eodem libro inquit: *Miſcuit denario Triumuir Antoninus ferrum, miſcuit æri falſæ monetæ, quum ſit iuſtum 84. libris ſignari*; Quo loco docet Budæus *lib.3. de aſſe*, legendum, *miſcentur æra*, & recte. Libripens ſeu magiſter probandi nummos vocatur Iuriſperitis Zigoſtates, *l. vltima, C. de ponder. lib. 11. l. 2. eod. tit. in C. Theod.* Inde Zigoſtaſii munus, *in l. 1 de frument. vrb. Alexand. in C. Theod. & in C. Iuſtiniani.* Xiphilinus ex Dione *in Antonino Caracalla* ſcriptum reliquit: *Antonino Caracallæ quum cætera omnia, tum nummus adulterinus erat, nam pro argento aurove, quod nobis dares, plumbum*

*bum inargentatum, & as inauratum parabat.* Cæſar in primo Conſulatu tria millia pondo auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris repoſuit, ſi Suetonio credimus *in illius vita, cap* 54. Quamuis Plinius *lib.33.cap.3.* ſcribat, primo introitu vrbis in ciuili bello ſuo ex ærario protuliſſe laterum aureorum 26.millia, & in numerato pondo 300. nil de ſuppoſito ære tradens inaurato. Hippius Athenienſis, quum pecunia egeret, nummum Athenienſium fecit improbum, & ad ſe eorum argentum conſtituto pretio adferri iuſſit, & poſtea figuratam pecuniam nouo charactere ex eo argento dedit, vt narrat Ariſtoteles 2.*Oeconom.* Quare oportuit, vt publicæ vtilitati conſuleretur, & lege animaduerteretur in eos, qui nummos adulterinos cuderent, vel expenderent. Vnde, tradit Plinius, legem latam à Mario Gratidiano, vt ludus, id eſt, ſchola Romæ inſtitueretur probandi numiſmatis, vt ægre fallere poſſent adulteratores nummi. Igitur ars facta denarios probandi tam iucunda legẽ plebi, vt Mario Gratidiano vicatim totas ſtatuas dicauerit, mirumque, in hac artium ſola vitia diſcuntur, & falſum denarii ſpectatur exemplar, pluribusque veris denariis adulterinus emitur. Et lege Cornelia cauetur, eum, qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos conflauerit, falſi crimine teneri, ex Vlp. *in l. Corn. l.9. ad l. Corn. de fal. in P.* Tenetur & l. Iulia *peculatus*, qui in aurum argenti ærisve publici quid indiderit, vel immiſcuerit, & vt quid cudatur, immiſceatur, fecerit ſciens, dolo malo, quo id peius fiat. Adulteratur materia tincturis, quæ imitantur veri metalli colorem, minuitur raſione. Authoritas cudendi ſine licentia Principis vſurpata, etiam punienda in proba materia & in improba, & qui hanc vſurparit, ſi liber, ad beſtias dari, ſi ſeruus, ſupremo ſupplicio affici debeat, ex Vlp. *l. quicunq. l.8. eo.* Conſtantinus Cæſar eos, qui nummos falſa fuſione formauerint, flammarum exuſtionibus vult mancipari, eorumque bona fiſco Cæſareo addici, *ex l.1. & 2. de falſ. mon. C.* Extat tamen alia conſtitutio Conſtantini, quæ pœnam pro diſcretione ſexus & conditionis delinquentium ſtatuit, *l.2. de falſ. mon. lib.9. Cod. Theod. tit.21.* Valent. Theod. & Arcad.

& Arcad. falſæ monetæ reos maieſtatis crimine, & pœna teneri ſtatuerunt, *l falſa moneta*, *8.de falſ.monet.eodem tit.* Iubent etiam Cæſares Valent. Val. & Gratian. *l.ſolita,l.7.eodem*, quicquid ex auro hominum priuatorum in monetis publicis inueniretur figuratum, largitionibus vindicari Imperatoriis.

Fuit & capitalis pœna ſtatuta in Cheimiſtas, quos flaturarios dicit Conſtantinus, qui, vt ipſe loquitur, maiorinam pecuniam non minus criminoſe, quam crebre ſeparato argento ab ære purgabant, *l.comperimus*, *l.5.de falſ.monet.lib 9. Cod.tit.21.* Sanxit idem Conſtantinus *l 1.* ſi qui ſolidi circulum, *lib.9.C.Theod.tit.22.* maiori vel minori pretio æſtimantem pecuniam eiuſdem ponderis, quam ſtatuerit Princeps, item eos, qui menſuram circuli exterioris arroſerint, vel minuerint quantitatem, quive figuratum ſolidum adultera imitatione in vendendo ſuppoſuerint, capite puniri, aut flammis tradi, aut alia pœna mortifera affici. Extat lex Orientalium apud Conſtant. Harmenopulum *lib.6.prompt. iuris,tit.14.* huiuſmodi: *Qui adulterinam monetam cudunt, & ipſis, & qui eis in ea re miniſterium exhibuerunt, manus amputantur.* Lex Longobardorum à Rotario Rege lata, huic fere ſimilis legitur, *lib.de legib.1.Longobard. tit. de iis qui falſ.monet. fec.* l.1. & 2. *Si quis aurum ſine iuſſione Regis figurauerit, aut monetam confinxerit, manus ei incidatur.* Idipſum firmauit lege Carolus Magnus *titul. de falſa moneta.* Et lege Wiſogothorum: *Si ſeruus circumcidiſſet, raſiſſet, vel adulteraſſet ſolidos, ei dextera manus amputabatur, ſi ingenuus, diues, mediam bonorum partem fiſco deberet, ſi ſine bonis, in ſeruitutem à Rege daretur ei, cui elegerit Rex*, l.2. de falſar. metall. lib.8. C. Wiſogoth. tit.5. Sanctio Conſtantini & Iuſtiniani. C.C. l.1. *ſi quis pecu. conſla. aut mercandi cauſa tranſtulerit, aut vetitam contrectauerit*, lib.9.C. Theod.tit.23. *Ne liceat alicui emere, vel vetitam contrectare, quia eam in vſu publico conſtitutam pretium oporteat eſſe, non mercem.* Placuit denique, vt ſi quis forſitan nummus, præter eum, qui in vſu publico probaretur, apud aliquem mercatorem fuiſſet inuentus, ſieri domino cum omnibus delinquentis facultatibus vindicaretur. In oppoſitum tamen Plinius

*lib.33.*

*lib.33.c.3.*ſcribit: Pecuniam,quam Victoriatam appellabant, impune ex Illyrico Romam mercis loco aduectam. Aufrerius *in deciſ.162. Capel.Toloſ.* docet, pœna falſæ monetæ non tam teneri authores, quam qui eam expendant.

Non ſolum autem Romani legislatores, ſed & alii falſam monetam deteſtati ſunt. Sic Demoſthenes contra Timocrat. ait, Solonem ſtatuiſſe, non minus ſeuerè à iudicibus ſummis eſſe plectendum, qui leges corrupiſſet, & adulterinas induxiſſet, quam qui numiſmata adulteraſſet. Idem circa finem orationis in Leptinem inquit: *Miror eos, qui monetam adulterant, apud vos capite multari Athenienſes, illis vero, qui totam ciuitatem adulterinam & infidam reddunt, dicendi fieri poteſtatem.* Laertius in vita Diogenis ſcribit: *Diogenes Cynicus cognominatus feſtimenſarij filius Synopeus fuit, ambo quum deprehenſi fuiſſent de ciuili moneta æs adulteraſſe exilio damnati ſunt.* Aryandes Ægypti Prætor Darium, qui ex puriſſimo auro monetam cuderat, imitatus, & ipſe ex puriſſimo argento fecit, cuius rei inſimulatus, morte affectus, teſte Herodoto *in Melpomene, ſeu lib.4.* Eadem de cauſa animaduerſum in Perennium apud Herodianum. Non ſolum autem legislatores memorati monetam falſam ſeu nummos adulterinos appellant, ſed ita Cic. *lib.3. de Offic.* inquiens: *Si ſapiens adulterinos nummos acceperit, imprudens pro bonis.* Cæl.Rhodig. *lib.10. antiq.lect.cap.2.* ait, Cybdela vocari numiſmata oblæſa & adulterata. Græci χαραϰτῆρας appellant monetarios, & falſos monetarios παραχαράϰτας. Ex quo ſciendum, monetarios dici, qui in moneta publica operantur, ex *l.6. §.1. D. ad legem Iul.pecul. & l.2. C. qui ex cauſ.ſer.pro præ.libert. & l.6. C. de dignita. lib.12.* Ita & vocantur à Vopiſco *in Aureliano*, vbi etiam ait, eos feliciſſimum bellum duce Imperatore Aureliano excitaſſe; quos tandem ſubiugans inauditis affecit ſuppliciis. Suidas inquit: *μονητάριοι οἱ περὶ τὸ νόμισμα τεχνῖται*, quod quam diuerſum ſit à communi appellatione, nemo ignorat, quum vocentur vulgo *Monetarij*, qui falſam monetam operantur. Quamuis Egnatius *in annotat.* aliter, ſed perperam ſenſerit, monetarios interpretatus textores veſtium, & lanam ducentes, cui iure Turnebus *libro Aduerſ. 18. cap.17.*

Suidæ authoritatem opponit. D. Hieronymus in vita Antonii Eremitæ tradit, falſæ monetæ authores, ne ipſo ſtrepitu deprehendantur, ad eum vſum in eremis antra ſibi paraſſe, & furtiuæ falſæque monetæ officinas. Quæ omnia eo libétius adnotare libuit, vt qui publicã curam gerũt, oculis non conniuentibus ſibi inuigilandum ſciant, ne fraus in re pecuniaria fiat. Quod munus Reipublicæ Romanæ temporibus præſtantiſſimis viris olim iniunctum, ex hiſtorica lectione obſeruamus. Namque triumuiros cudendæ monetæ præficiebant, quorum fit mentio apud Pomponium *l.2. de orig. iur.* §.16. Et meminit Cicero 7. *Epiſt. famil. ad Trebatium*, de Treuiris Gallis iocans: *Treuiros audio capitales eſſe, mallem auro, argento, ære eſſent.* Et 3. de Legib. *Aes, argentum, aurum publice ſignato.* Namque in quamplurimis numiſmatibus antiquis legimus nomen vnius vel plurium monetalis Triumuiri, cum huiuſcemodi literis, A.A.A.F.F. id eſt, *æris, auri, argenti flati ferendi*, & in nonnullis ex illis etiam inſigne eorum malleum inſculptum obſeruamus. A Liuio hos triumuiros menſarios vocari quidam putant, ſed perperam (vt ego exiſtimo) namque Triumuiros menſarios publicas rationes & pecunias attigiſſe tantum & tractaſſe, ex eodem Liuio coniicimus, non autem fabricandæ monetæ præfuiſſe; nam *lib.*23. L. Poſthumio & T. Sempronio Coſſ. ſcribit, quod Romæ propter penuriam argenti Triumuiri menſarii ratione Minutii Trib. pleb. facti, L. Æmilius, qui Conſul Cenſorque fuerat, & M. Attilius Regulus, qui bis Conſul fuerat, & L. Scribonius Libo, qui tum Tribunus plebis erat. Clarius autem id patet ex eiuſdem dictis, *lib.* 26. vbi habet: *Aeris ſignati quina millia in ſingulos patresfamilias relinquamus, cæterum omne aurum, argentum, æs ſignatum ad Triumuiros menſarios extemplo deferamus.* Et paulo poſt ſubdit: *Pro ſe quiſq; aurum, argentum & æs in publicum conferunt, tanto certamine iniecto, vt prima inter primos nomina ſua vellent in publicis tabulis eſſe, vt nec Triumuiri accipiendo, nec ſcribæ referendo ſufficerent.* Si itaque æs, argentum & aurum ſignatum recipiebant menſarii, non ergo ſignandis illis præfuiſſe dicendum. Alciatus *lib.*4 *Diſpunct. cap.*22. docet, in re nummaria

Argen-

Argentarios, Menſarios, Numularios, Campſores, Trapezitas, Collybiſtas idem eſſe & ſignificare. Addamus nos ex Vlpiano in l.7. *Sicuti argentarius & nummularius iidem ſunt, ita ad nummularios ſpectaſſe pecuniam probare vel improbare*, ex l.39. D. de ſolut.

Poſtremo addamus, quod ærosa pecunia dicta ſubærata, quæ aurea vel argentea videtur, & habet in ſe æris plurimum, Græcis χαλκόχρυσα Sic Plinius *lib.*34. *cap.*1. æroſum lapidem dixit, & aurum æroſum, *lib.*33. *cap.*35. id eſt, cui æris vena ineſt. Et Feſtus *lib.*1. ſcribit, Cyprum Inſulam æroſam veteres appellaſſe, quod in ea plurimum æris naſcatur. Hinc male Alciatus *lib Diſpunct.*2. *cap.*25. *in l. creditor*, 102. *de ſolut.* pro æroſa ἔρανον repoſuit, id eſt, mercedem vel collationem pecuniæ, vice cuiuſdam tributi indictam. Quod vt facilius percipi poſſit, libet legis verba ſubnectere à Serbidio Scæuola prolata: *Creditor obligatam à debitore pecuniam, vt alia die accepturus diſtulit, mox pecunia, qua illa Reſpublica vtebatur, quaſi eroſa iuſſu Principis ſublata eſt. Reſpondi, detrimentum creditoris non eſſe.* Male ſane in textu ſcriptum legitur *heroſa*, quum *eroſa* ſeribendum ſit. Quod forte Alciato animaduertendi in eum fuit cauſa.

## FLAVIVS VOPISCVS IN TACITO.

*Diuorum templum fieri iuſſit, in quo eſſent ſtatuæ Principum bonorum, ita vt iiſdem natalibus ſuis, & parilibus, & Kalendis Ianuariis, & votis libamina ponerentur.*

PAlilia nonnulli legendum putant, inter quos Feſtus Pompeius *libro* 14. à Pale Dea, & Propertius libro 4. Eleg.4.

*Vrbi feſtus erat, dixere palilia patres.*
*Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.*

Et Ouid. lib.14. Metamorph.

———*Feſtiſq́ palilibus vrbis*
*Mœnia conduntur.*

Et lib.2. Eleg.6. Tibullus:

*At madidus Baccho ſua feſta Palilia paſtor*
*Concinet.*

Idem quoque confirmant Cenſorinus *lib.1 de die natali*, & Euſebius *de temporibus*, & inter recentiores Beroaldus in ſuis Comment.in Suetonium, *in Caligula, c.16. & in 4.Propertij Comment.* De Pale Dea Ouid.meminit 4.Faſt.

*Syluicolam tepido lacte precare Palem.*

Et rurſus:

*Alma Pales faueas paſtorum ſacra canenti.*

Et iterum:

*Paſtorum domina grandia liba Pale.*

Et Virg.lib.3.Georg.

*Te quoq; magna Pales.*

Quam Paſtoream appellat Lucius Florus *geſtorum Rom.lib.1. cap.*20.in bello Salentino: Quibus omnibus non obſtantibus, Mario Victorino placet dici *Parilia*,non *Palilia*, non à Pale Dea, ſed quod eo tempore animalia,ſata, arboresque & herbæ parturiant. Addimus nos, ita & die 11.Kalend. Maii, quo die vrbis Romæ iacta ſunt fundamenta, parilia celebrata, quaſi quod ea die Romulus eam pepererit, ex Seruio *in tertium Georgicorum.* Et Caligula primum ſui Imperii diem *parilia* vocati voluit, veluti argumentum rurſus conditæ vrbis, teſte Suetonio *in eo, cap.16.* Hanc quoque ſententiam approbauit Athenæus *lib.8.* παρίλια vocans, quod & Vopiſcus eodem hoc in loco facit,& Cicero *ad Attic.*Parilia dixit diem feſtum, quo vrbs Roma condita eſt. Inter recentiores vir doctiſſimus Cælius Rhodig.*lib.5.c.4.* ſcribit de Balliſmo ſaltatione: *Cuiuſmodi Parilibus fieret Roma,quæ mox Romæ adiici cepere, ciuitatis Fortunæ templum ſtatuente Adriano.* De Kalendarum Ian.& dierum natalium feſtis alias fuſe in noſtris hiſce dilucidationibus pertractauimus, ad quæ loca lectorem relegamus.

## FLAVIVS VOPISCVS IN TACITO.

*Cornelium Tacitum ſcriptorem hiſtoriæ Auguſtæ, quod parentem ſuum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iuſſit, & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi publicitus in Euicis Archiis iuſſit, & in bibliothecis poni, &c.*

MEndoſum textum eſſe, contendit Egnatius *in annot.* & legendum putat, *in publicis archiuis.* Cæteri ne verbum quidem, quod ſciam, quo ſubobſcuro loco lucem afferant. Ego ſeparandam puto literam *e* à *vicis*, & legendum *è vicis Archiis*, ita vt ſenſus ſit, qui ex infra dicẽdis palam fiet. ἀρχεῖον Græci dixere proprie Curiam, Palatium, Regiam, & forum iudiciale, & ex Plutarcho & Xenophõte *in caſtris Pretorium.* Archia quoque dicta publica tabularia, Græcis *Carthophilatia*, poſterioribus Latinis *Archiuia*, in quibus ſcilicet publicæ ſcripturæ adſeruantur, dicente Suida, ἀρχεῖα ἔνθ' οἱ δημόσιοι χάρται ἀπόκεινται, καὶ χαρτοφυλάκια, de quo Archiuio Iuriſconſulti, *l. moris*, § *nonnunquam*, *D. de pœn.* & apud Iuſtinian. *Nouell.* 15. §. παρὰ τάξεις, vbi καὶ εἶναί τι παρ' αὐτοῖς ἀρχεῖον. Iulianus vertit *ſcrinium.* Sic *Nouell.* 74. ἀποτίθεσθαι χάρτιν ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἀρχείν. Præterea & illud ſciendum, olim vrbem Romam in plures vicos diſtributam; vicus autem ex pluribus domibus cohærentibus & ædificiis connexis conſtitutus, teſte Varrone. Cic. pro Milone: *Nullum in vrbe vicum, nullum angiportum eſſe dicebant, in quo Miloni non eſſet conducta domus.* Fuit Romæ vicus Cyprius, vicus Africus, & vicus Sceleratus, de quo Ouid. Faſt. 6.

*Certa fides facti, dictus ſceleratus ab illa*
*Vicus.*

Fuit & vicus vnguentarius è regione fori Romani, de quo Horat. 2 Epiſt. 1.

*Deferar in vicum vendentem thus & odores.*

Fuit & vicus Æmilianus, cuius meminit Suetonius *in Claudio, cap.* 18. qui, teſte Rufino, fuit in regione ſeptima viæ latæ. Fuerunt & alii. Hodiernis temporibus Roma quatuordecim vicis ſeu regionibus partitur, vulgo *Rioni* dicuntur,

Latina voce *regione* corrupta, quorum rectores *Caporioni* dicti, ſunt autem appellatæ *Monti*, cuius inſignium tres montes, *Colonna* quæ habet columnam, *Treio* tres enſes, *S. Euſtachio*, crucifixum inter duo cornua, *Ponte* pontem, *Regola* ceruum, *Ripa* rotam, *Transteuere* caput Leonis, *Campidoglio* caput Draconis, *Parione* Griffum, *Pigna* pineam, *Campo Marzo* Lunam, *S. Angelo* Angelum, *Burgo* arcem magnam, in cuius ſummitate Leo. Vicos itaque antiquitus ſingulos particulares archiuos habuiſſe & proprios exiſtimandum, in quibus ſcripturæ ad vnumquemque illorum ſpectantes exſcriberentur, & ſcriptæ adſeruarentur; in his itaque Taciti hiſtoriæ libros transſcribi decies ſingulo anno ſtatuit Tacitus Imperator, atque in bibliothecis reponi. *In archiis* itaque *è vicis*, hoc eſt, *in archiis vici cuiuſcunque*, legendum. Quod ſi etiam legamus, *in ciuicis archiis*, idem erit quoque ſenſus; *ciuicos*, inquam, ad differentiam publicorum, in quibus totius vrbis ſcripturæ fiebant & adſeruabantur. Sicuti enim Neapolis vrbis familiæ diuiſæ ſunt per partes illas, quas vulgo *ſeggi* vocant, in quorum ſingulo particulares familiæ continentur, & horum vnuſquiſque particulares habet ſcripturas, quæ in propriis archiis repoſitæ conſeruantur, ita & Romæ antiquitus factum non inconuenit, vt ſcilicet ſinguli vici propria haberent archiuia. Siue itaque legamus *è vicis*, ſiue *ciuicis*, vtraque lectio conueniens exiſtimanda.

## FLAVIVS VOPISCVS IN TACITO.

*Seruos vrbanos omnes manumiſit vtriuſq; ſexus, intra centum tamen, ne Caniniam tranſire videretur.*

HOc loco Vopiſcus legis Caniniæ tantum meminit, quæ tamen *Furia* vel *Fuſia Caninia* dicta fuit, quia à P. Furio Camillo & C. Caninio Gallo Coſſ. anno 752. lata fuit, Auguſti Imperatoris temporibus, & ea cautum, ne teſtamento ex tribus ſeruis plures, quam duos manumittere liceret, ex decem quinque tantum, ſcilicet dimidiam partem,

tem, ex triginta tertiam partem, hoc eſt, decem, ex centum quartam partem, hoc eſt, vigintiquinque à centum, vſque ad quingentos quintam partem, & vltra ex quouis numero non plus quam centum, idque ne ciuitas repleretur ſordidis hominibus. Huius legis meminere Iulius Paulus *lib.4. recep.ſent.c.14. Vlp.tit.1. Theoph.in* §.1.*de lege Fuſ. Caius lib.1.Inſt. tit.2. Cic.in 3 in Verr.act.* Hæc autem lex fuit ſublata à Iuſtiniano ſpeciali tit. qui habetur *lib.7.Cod.* tanquam Iuri inuida & iniqua, ad fauorem libertatis.

At duæ in hac re non contemnendæ inſurgunt difficultates, quarum prima eſt, quod à nonnullis hanc legem *Fuſiam Caniniam*, ab aliis *Furiam* dictam obſeruamus. Cui ſic ſatisfaciendum putamus, quod antiqui, ſicuti Valerios & *Valeſios* nuncuparunt, ita & Furios *Fuſios* dixere, cuius rei teſtis eſt Liuius *per initia lib.3.* ita ſcribens: *Furios Fuſios ſcripſere quidam, id admoneo, ne quis immutationem virorum ipſorum eſſe, quorum nominum eſt, putet.* Altera difficultas eſt, quod manifeſtum fit ex locis citatis, Legem Fuſiam Caniniam tantum reſpicere manumiſſiones, quæ teſtamentis fiebant, at hoc loco Vopiſcus verba facit de manumiſſione facta à Tacito Imperatore viuente ſine teſtamento. Cui obiectioni ita reſponderi poſſe exiſtimamus, quod Tacitus legum obſeruantiſſimus, quamuis ſciret, ſibi lege licere, dum vitam traduceret, quot vellet ſeruos manumittere, nihilominus intra centum ſe continuit, ne videretur legem tranſire Fuſiam Caniniam, quæ teſtantibus vltra centum ſeruos manumittendi facultatem adimebat.

## FLAVIVS VOPISCVS IN TACITO.

*Nec vnquam noctem intermiſit, qua non aliquid vel ſcriberet, vel legeret, præter poſterum Kalendarum diem.*

KAlendas aliquando obſeruamus abſolute ſcribi à Latinis authoribus, aliquando vero cum additione *primæ, ſecundæ, tertiæ, quintæ*, & tunc dici putantur, præſertim à Iuriſconſultis pro vno, duobus, tribus, & quinque menſibus.

Ita Celſus, l.liber, 59. §.ſi ita, de hæred. inſtit. *Titius ſi intra tertias Kalendas nauis ex Aſia venerit, hæres eſto.* Et Vlpianus *l.1.§. ſi qui, D.de verb.oblig.* ait: *Si ita interrogatus intra Kalendas quintas reſponderit, Dabo Idibus, non obligabitur.* In eodem ſignificatu accepit Martialis lib.1.

*Atq; intra puto ſeptimas Kalendas,*
*Mortes hæc tibi quattuor dederunt.*

Nihilominus & Cato *lib.de re ruſtica,* primas Kalendas dixit, pro primo die cuiuſque menſis; hinc *tertio Kalendas, quarto Kalendas,* pro aliis diebus prioris menſis, communi ſignificatione accipi, nemo ignorat. Kalendis quoque additum reperimus menſis nomen, vti *Kalendis Ianuarij,* pro primo anni die, teſte Plutarcho *in Problemat.* quod eo die primi Conſules Regibus exactis creati ſunt; vnde etiam conſtitutum, vt Conſules deinceps omnes eo die magiſtratum inirent; quod tamen ſemper poſtea minime obſeruatum, authoritate Liuii, *lib.*8. vbi ſcribit, L. Æmilium Mamercinum, & C. Plautium Conſules Kalendis Quinctilibus magiſtratum iniiſſe. Ita & Tribunos milit. Conſulari poteſtate Kalendis Octobribus magiſtratum accepiſſe, tradit idem Liuius *lib.*5. & rurſus *eodem libro,* alios Kalendis Quinctilib. Sed ad id vnde digreſſi ſumus reuertentes, dicimus, Kalendas Ianuarias diem feſtum ac religioſum fuiſſe, necnon & ſolemnem ſtrenis dandis & recipiendis, teſte Suetonio *in Auguſto, cap.*1. *& in Tiberio, cap.*33. *& in Caligula, cap.*42. & Dione Caſſio, *lib.*57. Et Kalendas Ianuarias ſupplicio funeſtare nefas erat, teſtimonio Macrobii *lib.*1. *cap.*10. Vnde Suetonius Tiberii Imperatoris ſæuitiam deteſtatus, *cap.*61. *in illo,* tradit, ineunte anno nouo animaduerſum in quoſdam. Eiſdem Kalendis Ianuariis in acta Imperatoris iurabatur, ex Dione *lib.*57. & poſt Kalen. Ian. die 3. pro ſalute Principis vota ſuſcipi ſolita, ſcribit Plutarchus *in Cicerone,* & Caius *in l. ſi calumnietur,* 233. *de verborum ſignificat.* Quamuis poſtea Kalendæ Martii primus dies anni habitus, in quo ignem nouum Veſtæ aris incendebant, & eiſdem perſoluebantur mercedes magiſtris, quas completus annus debe- ri fecerat. Eiſdem quoque comitia auſpicabantur, & vecti-

galia

galia locabantur, ſi Macrobio credimus hæc ſcribenti *lib. 1. Saturnal.cap.12.* Eiſdem quoque munera miſſa, & ſtrenæ datæ, vnde illud apud Pomponium, l. ſed ſi, 31. §. ſi erit, D. de donat. inter vir. & vxor. *Si vir munus immodicum Kalendis Martiis, aut natali die dediſſet, donatio eſt.* Et Suetonius in Veſpaſiano, cap. 14. *Kalendis Martii apophoreta fœminis dabant.* Tibul. libro 3.

*Martis Romani feſtæ venere Kalendæ,*
*Exoriens noſtris huic fuit annus auis.*
*Et vaga tunc certa diſcurrunt vndique pompa,*
*Perque vias vrbis munera, perque domos.*

Plautus in milite glorioſo:

*Da mihi vir Kalendis, quæ mittam quum Martiæ venerint.*

Et Tibul. libro 4.

*Sulpicia eſt tibi culta tuis Mars magne Kalendis,*
*Spectatum è cœlo, ſi ſapis ipſe veni.*

Et Horatius . . . . . . .

*Martiis cœlebs quid agam Kalendis?*

Et Iuuenal.

*Munera fœmineis tractat ſecreta Kalendis.*

Eiſdem Kalendis Martii penſionis agrorum præſtari ſolitas, patet *ex l. defuncta* 58. *D. de vſufruct. & l* 3. 19. *C. Theod. de exactio.* Fuere & Kalendæ Quintiles, ſeu Iuliæ, celebres, eo quod dies illa erat ſolemnis migrandi ex habitatione conducta, vel prædiis conductis, *ex l. qui balneum, nona, ff. qui pot. in pign. hab.* Qui balneum ex Kalendis proximis conduxerat, pactus erat, vt homo Eros pignori eſſet locatori, donec mercedes ſoluerentur. Idem ante Kalendas Iulias eundem Erotem pignori dedit alii ob pecuniam creditam; Et paulo poſt: *Licet eo tempore homo pignori datus eſſet, quo nondum quicquam pro conductione deberetur*, id eſt, ante proximas Kalendas Iulias. Idem *in l cum in plures*, 60. *ff. locati, & l. cum ab eodem*, 41. *de contrah. emp. l. cum precario.* 12. *D. de preca.* Vnde Martialis Epigram. 82. lib. 12.

*O Iuliarum dedecus Kalendarum,*
*Vidi Vacerra, ſarcinas tuas vidi,*
*Quas non retentas penſione pro bina,*

*Portabat vxor.*

Cicero epiſto. 11. ad Quintum Fratrem: *Domus tibi ad Lucum Piſ... is Luciniana conducta eſt; ſed vt ſpero paucis menſibus poſt Kalendas Quintiles in tuam commigrabis.* Ita Tiberius ex Suetonio *in illo*, cap. 35. *Senatori latum clauum ademit, quem cognouiſſet ſub Kalendis Iulii demigraſſe in hortos, quo vilius poſt diem ædes in Vrbe conduceret.* Hæc omnia recenſere libuit, vt textus ſenſum genuinum indagare poſſemus. Verum quum ex ſerie verborum dignoſcatur, nullo præmemoratorum modo, Kalendas à Vopiſco acceptas hoc in loco, tum ex eo quoq;, quod abſolute Kalendarum diem poſterum dixit. Ob id aliam interpretationem venari cogimur. Quumq; apud Suetonium *in Auguſto capite* 35. legerim ab Auguſto decretum, ne pluſquam bis in menſe legitimus Senatus ageretur, Kalendis ſcilicet & Idibus, in eam veni ſententiam, Tacitum poſtero die Kalendarum cuiuſque menſis à lectione & ſcriptione vacaſſe, vt animum & corpus Senatoriis laboribus feſſos recrearet, ſed cur non idem feciſſet & die poſtero Idibus, non videbam. Qua de re poſtremo in eam profectus ſum ſententiam, quam mox ſubiiciam, tanquam textus ſenſui magis accommodatam. Solebant antiqui Romani ſingulis menſium Kalendis pecunias fœnori dare, & exigere quoque à debitoribus, quibus fœnori ante pecunias dediſſent. Quod oſtendit Horatius Saty. 3. lib. 1.

*Odiſti, & fugis vt Riſſonem debitor æris,*
*Qui niſi cum triſtes miſero venere Kalendæ,*
*Mercedem aut nummos vnde, vnde extricat amaras,*
*Porrecto iugulo hiſtorias captiuus vt audit.*

Et rurſus libro Epod. 2. Ode 2.

*Hæc vbi loquutus fœnerator Alphius,*
*Iamiam futurus ruſticus,*
*Omnem relegit Idibus pecuniam,*
*Quærit Kalendis ponere.*

Et Martialis 8. Epigram.

*Superbia denſis pateat nummis,*
*Centum explicetur pagina Kalendarum.*

Et

Et Ouid.lib.2.de remed. Amor.

*Qui puteal, Ianumque timent; celereſque Kalendas,*
*Torqueat hunc æris mutua ſumma ſui.*

Quum enim menſtrua eſſet vſura, quod qui tabulas conficerent, menſtruas pene rationes in eas transferrent, vt ait Cic. *pro Q. Rab.* ſolebant debitores Kalendarum diem execrari, quod fuſe docet Plutarchus *in lib. cui tit. Non eſſe fœnerandum*, inquiens: *Dies Kalendarum etſi ſacratiſſimi exiſtant, execrandos tamen ab vſurariis reddi.* Quod pariter ex Iuc. ſc. probatur. Paulus in formula ſtipulationis vſurarũ inquit: *Lucius Titius ſcripſit me accepiſſe à P. Mæuio quindecim mutua numerata mihi de domo ſua, & hæc quindecim proba recte dari Kalendis futuris ſtipulatus eſt P. Mæuius. ſpopondi ego Lucius Titius, &c.* Hinc Kalendarium dictus Codex in quo ratio deſcribebatur pecuniarum fœnori collocatarum. Seneca lib.13. Epiſt. *Diuitem illum putas, quia in omnibus Prouinciis erat, quia magnus ei Kalendarii liber voluitur.* Et Kalendariis præpoſitus, qui illius curam gerebat, *in l. pen. ff. de re. cred.* pro fœnerandis, exigendiſque pecuniis. Meminit & Papinianus, *l. fin. §. item reſcripſerunt*, curatoris Kalendarii Reipub. & Kalendarium exercere legimus, *l. vxorem, 41. §. Legauerat. D de leg. 3.* Hinc Kalendario deſtinatæ pecuniæ, id eſt, fœnerationi, *l. 62. D. de leg. 3.* Ita Kalendario conuerſa pecunia, id eſt, fœnerationi tradita, *l. 39. §. negligentia, D. de admin. tut.* Sic accipitur Kalendarii nomen *in l. vlt. D de peculio, l. 6. D. de inſt. vel ſubſt. l. 3. C. de compenſat. l. vlt. D. de muner & hon.* & alibi perſæpe apud Iuriſconſultos. Quum itaque Tacitus, optimus Imperator, auaritiæ ac cupiditatis notam ſubterfugere vellet, quamuis lectioni & ſcriptioni quotidie ſine intermiſſione incumberet, nihilominus poſtero die Kalendarum hæc munia intermittebat, nõ alia de cauſa, (vt ipſe reor) niſi quód nolebat ab aliquo dici, quod lectioni & ſcriptioni eo tempore vacaret, vt rationes dati & exacti Kalendarum diė antecedenti perpenderet. Optabat enim, & omni ratione curabat non ſolum criminis culpam, ſed etiam ſuſpicionem effugere. Illud præterea non reticendum, quod Kalendis omnibus fiebant ſacrificia, vnde illud Virgil. *Eglo.* 10. in Bucol.

*Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.*

Quamob-

Quamobrem forte Tacitus in honorem ac reuerentiam peractorum ſacrificiorum à ſcribendi & legendi munere vacabat etiam die ſubſequenti.

## FLAVIVS VOPISCVS IN FLORIANO.

*Tantum illud dico, Senatores omnes ea eſſe lætitia elatos, vt domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati ſederent.*

IN Larario, ſeu domus ſacratio, Romanos Patricios Deorum & præclariſſimorum imagines habuiſſe, alibi fuſe demonſtrauimus, vnde forte quis arbitrari poſſet, Vopiſci ſententiam eſſe, Senatores in publica lætitia Lararia aperuiſſe, ac imagines Deorum oſtendiſſe, præſertim quum ſubdat, albatos ſediſſe, & albas hoſtias cædiſſe. Nihilominus quum imaginibus Deorum adiectiuum non adiunxerit, ego potius arbitror eum loquutum de imaginibus maiorum, quos Senatorii viri in atriis ſeruare ſolebant ad nobilitatis natalia demonſtranda, eaſdemque (vt teſtis eſt Polybius *lib.6.*) feſtis diebus apertis armariis ligneis, in quibus aſſeruabantur, in domus atrio exornaſſe, atque etiam in domeſticorum funere extuliſſe. Cic. *in Verrem*, ſcribit eſſe ius ponendi imagines ad memoriam poſteritatemque prodendam. Et in orat. pro Rab. *Delectat* (inquit) *imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita*, & in orat. pro Plantio: *Non dubitas quin omnes, qui fauent nobilitati, qui imaginibus, qui nominibus veſtris ducuntur, te Ædilem fecerint.* Et in Piſonem: *Obrepſiſti ad honores commendatione fumoſarum imaginum.* Et pro Sulla: *Si quæris qui ſint Romæ regnum occupare conati ex domeſticis imaginibus, inuenies*; Intelligens M. Manlium Capitolinum, qui ideo de ſaxo deturbatus eſt. Hoc idem indicat Liuius quum dicit: *Ancum Martium nobilem vna imagine Numæ.* Item: *Appium Claudium honoratiſſimæ imaginis ad poſteros.* Et Iuuenal. Saty 6.

*Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice longo,*
*Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus*
*Maiorum.*

Et iterum alibi:

*Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.*

Martia-

Martialis vero . . . . . .

*Tota licet veteres exornent vndique ceræ*

*Atria.*

Et Horatius:

*Famæ ſeruit ineptus,*

*Qui ſtupet in titulis, & imaginibus.*

Sicuti itaque imagines huiuſmodi nobilitatem & antiquitatem familiæ demonſtrabant, ita qui eiſdem carebant, noui homines dicebantur. Suetonius in Veſpaſiano cap... *Flauia gens obſcura, & ſine imaginibus.* Et Cice. de ſe ipſo homine nouo, in Rullum dixit ad Populum: *Quemadmodum quum petebam, nulli me vrbis authores generis mei commendarunt, ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me à vobis deprecentur.* Ob id apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 2. legimus, Meſſalam Oratorem graui oratione prohibuiſſe inſeri gẽti ſuæ Læuinorum alienam imaginem. Et Meſſala ſenior indignatus, quum Scipionis Africani tranſiſſet atrium, vidiſſetque, adoptione teſtamentaria Salutionis (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore notam irrepentem Scipionum nomini. Has imagines cereas fuiſſe conſtat, pictas tamen, & coloratas, quod ex Martialis & Iuuenalis locis citatis ſupra manifeſtum fit. Et ex Ouidio in epiſtola Laodamiæ ad Proteſilaum:

*Quæ referat vultus eſt mihi cera tuos.*

Sed clarius ex Plinio ſcribente loco præallegato: *Apud maiores in atriis imagines erant, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, nec æra, aut marmora, expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, ſemperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat, populus.* Hæ autem imagines non integri totius corporis effigies erant à capite ad pedes, membris omnibus & lineamentis conformatæ, ſed humerorum tenus oris ſimulachrum effingebant; Quod inter recentiores docuit Turnebus *Aduerſariorum lib* 26. *cap* 3. & ex vetuſtioribus Polybius *lib.* 6. ſcribens huius generis imagines ita effictas, vt magnitudine quam ſimillimæ apparerent, reliquo corporis trunco. Harum vſum multiplicem fuiſſe apud ſcriptores reperio, nempe ad nobilitatem teſtandam, quod ſuperius ample

ple probatum. Præterea & ad ſucceſſorum animos ad auitas virtutes imitandas excitamentum quoddam erant. Vnde Valerius Maximus de Torquato Silani patre ſcripſit in hæc verba: *Videbat ſe in eo atrio cõſediſſe, in quo illius imperioſi Torquati ſeueritate conſpicua imago poſita erat, prudentiſſimoque viro ſuccurrebat effigies maiorum ſuorũ cum titulis ſuis, iccirco in prima ædium parte poni ſolere, vt eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur.* De hac re plura apud Tiraquellum *in Commentar. de nobilitate cap.20. num.150.* Tacitus *lib. Annal.2.* de Libone Druſo Scriboniano: *Proauum Pompeium, amitam Scriboniam, quæ quondam Auguſti coniux fuerat, conſobrinos Cæſares, plenam imaginibus domum oſtentat.* Alter quoque vſus erat harum imaginum, vt ſcilicet in funere gentilium portarentur, quod iam ex Plinio oſtendimus; & confirmatur ex Cicerone *in 2. de Oratore*, vbi habet: *Quum caſu funere efferretur anus Iunia, tum Craſſus: Brute quid ſedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus quorum imagines duci vides?* Et Tacitus *in calce lib.3 Annal.* de funere eiuſdem Iuniæ Catoni auunculo genitæ C. Caſſii vxoris M. Bruti ſororis, verba faciẽs inquit: *Viginti clariſſimarũ familiarũ imagines antelatæ ſunt, ſed præfulgebant Caſſius, atq; Brutus, eo ipſo quod effigies eorũ non viſebãtur.*

Poſtremo has imagines ſummo ſtudio cõſeruauerunt, ac coluerunt. Narrat enim eo ipſo, quem ſupra commemorauimus loco, Polybius, feſtis diebus apertis armariis illas exornaſſe, ſi Conſulares, aut cum imperio fuiſſent, prætextis, ſi Cenſorii, purpureis veſtibus, ſi Triumphales, auro intextis, addamus etiam coronatas, vt colligimus ex Cic. orat. *pro Murana*, ſcribente: *Domum ne ſe verteret? vt eam imaginem clariſſimi patris ſui, quam paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videret.* His ita ſe habentibus, Vopiſci ſententia clara ſatis redditur, quæ prima facie obſcura nimis videtur, & eſt huiuſmodi; Quod Senatores in publica lætitia, quod lætarentur priſtinam authoritatem ſibi redditam, in ſuis domibus hoſtias albas cæderent, albati ſederent, ac imagines frequenter aperirent, hoc eſt, recluſis armariis imaginum, eas conſpiciendas ornarent, quod feſtis diebus fieri ſolebat.

FLAVIVS

## FLAVIVS VOPISCVS IN PROBO.

*Triumphauit de Germanis & Blemyis.*

BLemyi inter populos Africæ recenſentur à Ptolemæo *lib. Geograph.* 4. & inter Æthiopes connumerantur. Quod pariter facit Plinius *lib.* 5. *c.* 8. Ammianus Marcellinus *lib.* 14. vbi de Saracenorum moribus inquit: *Initium ab Aſſyriis ad Nili catarac̃tas porrigitur, & confinia Blemyarum.* At quod idem Plinius ibidem de Blemyis ſcribit, & Gellius quoque videtur affirmare ex veterum Græcorum authorum ſententia, ipſis ſcilicet capita abeſſe, ore & oculis pectori affixis, vel humeris, vt Gellius, ex hoc loco falſum deprehenditur; namque ſi Probus Imperator de monſtruoſis adeo populis triumphaſſet, non tantam ille laudem, nec rem tanti momenti adeo ieiune deſcripſiſſet hoc loco, & infra *in Firmo,* vbi illum cum Blemyis ſocietatem tenuiſſe ſcribit. Excuſandus tamen Plinius, qui ex aliena ſententia, non ſua, id protulerit, addita voce *traduntur.* Puto tamen, quod de Blemyis tradit Plinius, magna ex parte falſum, ſed non omnino; nam exiſtimo breuiſſimo collo fuiſſe, ita vt in pectore oculos habere viderentur & os, quum caput thoraci veluti iunctum eſſet, nam quod in aliquo certe admirandi eſſent, me mouet eiuſdem Vopiſci authoritas, cuius hæc ſunt verba in Probo: *Blemyas etiam ſubegit, quorum captiuos Romam tranſmiſit, qui mirabilem ſui viſum ſtupente Populo Romano præbuerunt.*

## FLAVIVS VOPISCVS IN PROBO.

*Omnium gentium Drungos, vſque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit.*

QVum in huius loci lectionem incidiſſem, fateor me vocis nouitate hæſiſſe, dumque pro illius intelligentia antiquorum & recentiorum ſcripta peruoluerem, reperi Turnebum *Aduerſ. lib.* 24. *cap.* 25. Vegetii locum *lib.* 3. *de re militari, cap.* 16. enarrantem, pauca de hac re ſcripſiſſe. Locus Vegetii eſt huiuſmodi: *Scire Dux debet, contra quos drunos, hoc eſt, globos hoſtium, quos equites oporteat ponere,* vnde colligit

vocis

vocis ſimilitudine hoc in loco per *Drungos* globos intellexiſſe, præſertimq; ex eo, quod tradit, Probum omnium gentium Drungos vſque ad quinquagenos homines ante Triumphum duxiſſe, quæ interpretatio haud diſplicet, præſertim quum obſeruauerim, à Græcis *Δρόγγα manipulum* dici, vnde forte corrupta dictione *Drungi* dicti. At certe rectius Drungos exponemus *Duces*, præſertim, ſi verum eſſe receperimus, quod idem Turnebus tradit, ſe in nonnullis libris legiſſe *Drungarius claſſis*, *Drungarius biga*, apud Imperatores Conſtantinopolitanos, quod ſcilicet Ductor vel Dux ſignificare videtur. At certe libenter legiſſem, à docto viro libros citari, & librorum locos, vbi hæc obſeruarit, quum mihi quamuis diligentiſſime perquirenti, id hactenus reperire haud contigerit.

## FLAVIVS VOPISCVS IN SATVRNINO.

*Omnes certe Lymphiones cuiuſcunque artis videntur, & habentur.*

QVæ fuerint Lymphiones, & quid pro illis ſit intelligendum, varii varia ſcripſere. Egnatius *in ſuis annotat.* ſatagentes & curioſos innuere Vopiſcum opinatus eſt, vel *diuinaculos* interpretandum, qui Græca voce .... dicuntur. Huic accedit Turnebi expoſitio *lib.* 30. *cap.* 20. *Aduerſ.* qui exiſtimat, vt Græce νυμφῶνες & νυμφεῶνες appellantur antra & ſpecus Nympharum, vbi Deabus illis res diuina fiebat, ſed & Thalami, ſic Lympheones vocari Latine mutata litera, vt pro Nympha *Lympha* dicit Latinus, ſicque per tranſlationem Lympheones accipiendum pro officinis ac ſacrariis artium, vel pro thalamis, ſeu quod cuique arti fuiſſet ſua curia & ſua ſacra, ex cuiuſque artis collegiis. Alii *Linteones* legendum cõtendunt, cuius generis multa ſunt artificia. Sunt & qui *Lymphiones* explicent omnes eos, qui artes tractant, quæ aqua egent. Hæ ſunt omnes huius vocis expoſitiones, quas mihi hactenus legere contigit. Prior Egnatii expoſitio cæteris magis arrideret, nam antecedentibus & ſubſequentibus maxime accommodatur & connectitur, ni eſſet penitus arbitraria, & quia vocis deriuationem nullam habet annexam.

nexam. Secunda eiuſdem minus textus antecedentis & ſubſequentis ſeriei conuenit, nec video, cur diuinaculos, vel officinas ſacrorum, & alia huiuſmodi inſolito verbo deſcribere voluerit Vopiſcus. Sed nec Linteones ſingulares artifices voce vniuerſali cuiuſcunque artis aptari poſſunt. Eadem de cauſa, nec poſtrema explanatio recipienda, quum aquæ inſtrumenta non omnibus artibus ſint neceſſaria; Quis enim dicet, aquam vitrum conflantibus neceſſariam? cuius artis paulo antea meminerat. Quamobrem, quum mihi ipſi ſatisfacere non poſſet vlla prædictarum interpretationum, cœpi mecum cogitare, an alium intellectum huic voci rationi cõſonum dare poſſem; reque ipſa exacte, quantum in me fuit, perpenſa, in eam veni ſententiam, quod vera lectio eſſet *Phylopones*, hoc eſt, induſtrioſi, ac laboris amici. Verum vt plerumque fit impreſſorum vitio, vno vel altero loco per initia vocis permutata litera, vice *Phylopones* reſtitutum à quopiam vitium dignoſcente, *Lympheones*. Quod autem hæc lectio genuina ſit cenſenda, illud potiſſimum ſuadet, quod miro quodam modo ſententiæ priorum & ſubſequentium verborum congruat; verborum ſeriem ſubdimus, vt veritas innoteſcat: *Ciuitas opulenta, diues fœcunda, in qua nemo viuat otioſus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur, omnes certe Phylopones cuiuſcunque artis & videntur & habentur. Podagroſi quid agant habent, cœci quid agant habent, cæteri quid faciant, ne chiragrici quidem apud eos otioſi viuunt.* Profecto hæc omnia Ægyptiorum induſtriam, ac diligentiam, & ad laborem artibus propenſionem demonſtrant. Quare mihi videtur, vel bona fide deierare poſſe, hanc veram eſſe lectionem, quæ mendum & difficultatem omnem adimit.

## FLAVIVS VOPISCVS IN SATVRNINO.

*Calices tibi alaſſontes verſicolores tranſmiſi.*

CViuſmodi ſint calices allaſſontes, à nemine vidi declaratum. Hos Ægyptios fuiſſe non dubitamus, quum ex ea regione, Seruiano Cõſule, ab Hadriano fuerint tranſmiſſi. Ægyptios autẽ calices vitreos extitiſſe, docet Cœl. Rhod.

*lib.& cap.* 27. Excellentes autem vitri conflatores ibidem reperiri, ex verbis eiuſdem Epiſtolæ Hadriani colligimus. Hos vero vocauit *Allaſſontes*, verbo à Græcis dictionibus compoſito, nempe ἀλλοῖος, quod eſt, *varius, & diuerſus*; & participio ὄντες, à verbo εἰμὶ, hoc eſt, *exiſtentes*, ita quod Ægyptii calices huius generis, quoad materiam vniformes eſſent, vitrei inquam, varii vero, quo ad figuram ſpectat, vnde Allaſſontes. Et etiam quo ad colorem; diuerſorum enim colorum particula illa ſtatim ſubſequens *verſicolores* indicat.

## FLAVIVS VOPISCVS IN PROCVLO.

*Nam quum in quodam conuiuio ad latrunculos luderetur, atque ipſe decies Imperator exiſſet.*

QVis latrunculorum ludus fuerit antiquis, non omnibus eadem ſententia. Turnebus *Aduerſariorum libro* 27. ſcribit: *Ludus autem latronum erat, vt duos concolores, vnum diſcolorem includerent, & perimerent*, quod à viro doctiſſimo ſobrie nimis, nec forte veritati conſentaneum dictum. Huiuſque aſſertionis habuiſſe puto Ouidium authorem *lib.* 3. *de arte amandi*, quum ait:

*Cautaque non ſtulte latronum præmia ludat,*
*Vnus cum gemino calculus hoſte perit.*
*Bellatorque ſuo penſus ſine compare bellet,*
*AEmulus inceptum ſæpe recurrat opus.*

Alii latronum ſeu latrunculorum ludum exiſtimant illum, in quo ludimus ſexdecim ſcrupis gemina acie vtrinq; diſtinctis in tabula luſoria 64. taleolis diſtincta, nouem lineis ex vnaquaque parte ſe mutuo interſecantibus, in quibus ſcrupis duo ſunt Reges inuicem contendentes, duæ Reginæ, quatuor Equites, quatuor Satellites, totidem Centuriones, & ſexdecim pedites, vulgo *Gioco de Scachi* nobis dicitur. Cui ſententiæ fauere videtur nomenclatura ipſius ludi, namque latrones antiquitus vocati conductitii milites ἀπὸ τοῦ λατρεύειν, quod *inſeruire* ſignificat, quod ſcilicet mercede in bello ſeruiebant, vel quod (vt ait Varro *de lingua Latina libro* 6.) appellatos tradat à latere latrones, vt qui circa latera aſſiſte-

aſſiſterent Regi in bello ; ad quod pertinet illud Plauti in milite glorioſo:

*Nam Rex Seleucus me opere orauit maximo,*
*Vt ſibi latrones cogerem & conſcriberem.*

Et alibi:

*Qui apud Regem in latrocinio fuiſti. ſtipendium acceptitaſti.*

Et Ennius: *Fortunaſque, quas cœperunt latrones inter ſe memorare.* Latronum diminutiuum eſt *latrunculi*, qua voce etiam appellati calculi ſuperius dicti. Ita eos vocauit Seneca *Epiſt. ad Lucillium lib.* 18. *Epiſt.* 106. Latrones nuncupauere, tum Ouidius loco citato, tum Martialis *lib.* 14. *cap.* 2. vbi pulchre hunc ludum deſcribit lib. 14. cap. 2.

*Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,*
*Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.*

Alexander ab Alexandro *lib. Genialium* 3. *c.* 21. ita ſcribit: *Ludus calculorum veteribus præcipuus fuiſſe traditur, qui & Latrones dicti. Hi enim in duas diuiſi turmas erant, colore diuerſi, quorum alii milites, alii hoſtes. Horum luſus erat, vt turmis inſtructis, veluti qui congredi acie parant, hinc inde ſub hoſtium imagine procederent, ac præſcripto fine, quoad quiſq; progredi debeat, ita cauere oportebat, vt dum hoſtem quiſque inuadere nititur, alterius non pateat incurſibus.* Ex quibus videtur elici poſſe ſenſus verborum Vopiſci, nempe Proculum, veluti ioco Imperatorem factum, quum in conuiuio latrunculis ludens, decies Imperator exiſſet. Namq; Calculus, cui *Rex* ſeu *Imperator* nomen, pugnam non amittit, niſi ab aduerſariis ita claudatur, vt ſe amplius loco mouere nequeat. Et Proculus Rex ſeu Imperator in ludo decies exiens, id eſt, non circumuentus ita ab oppoſitis latrunculis, quin euaderet, omen illi ad Imperium fecit, quod ex ſequentibus manifeſtum fit.

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Roſis Mediolanenſibus & triclinia & cubicula ſtrauit.*

NOn alibi memini me legiſſe Mediolanenſes roſas celebres. Siquidem Plinius libro 21. cap. 4. vbi de roſarum excellentia ex profeſſo tractat, inquit: *Genera eius noſtri fecere celeberrima Prænestinam, & Campanam, addidere alii Mileſiam,*

Pithaulas vero puto fuiſſe tibiæ ſpecie concinentes, ita vt mulcerent aures; Et quaſi audientes ſuaderent, nam *πείθω* eſt Latinis *perſuadeo*, & in ſententiam meam adduco, & *πειθὼς perſuaſio*.

Ita & Cheraulas à voce Græca *χορὸς* deductam arbitror, quod Latinis tripudium & chorum ſignificat, vt eſſet tibiæ ſeu muſici inſtrumenti genus, quod ſpiritu ſufflato tripudia excitaret. Nec mirum, nam & noſtro ſeculo fiſtularum ſeu huiuſmodi muſicorum inſtrumentorum varias ſpecies obſeruamus, & in varias formas conformatas, quibus multis modis modulantur homines, & vulgo communi appellatione dicuntur, *inſtrumenti dà fiato*.

Sed non ſatis mirari poſſum doctiſſimum Turnebum ſcribentem *Aduerſ. lib.* 11. *c.* 25. Camptaulæ vocem plane Græcam à Græcis ipſis nō agnoſci, & ideo tanquam irreptitiam, non accipere, & eius loco *Aſcaulæ* reponere, vt ſint, quæ inſtrumentum muſicum vtriculum imitarentur, rectius ſane Pythaulas ipſe explicans tibicines qui Pythia canerent, ex Hygino *Mythologicon c.* 271. ſcribente: *His quoque ludis Pythaulæ, qui Pythia cantauerunt*, quorum meminit & Horatius in arte Poetica inquiens:

*Qui Pythia cantat Tibicen.*

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Matris tunicam dedit Mimæ, Lacernam Patris Mimo, & recte ſi auiæ pallio aurato, atque purpurato pro Syrmate Tragœdus vteretur.*

SYrma veſtis fuit fluxa & prolixa, humum verrens, ſeu cum cauda, quæ humo trahebatur, cuiuſmodi varii antiquitus vſi ſunt. Namque Reges Inſulæ Traprobanæ Syrmate vſos, teſtis eſt Solynus *cap.* 66. Fuit quoque muliebre indumentum. Seneca de Baccho: *Qui habitu muliebri nonnunquam ſe ornabat, auro decorum Syrma Barbaricum*; Et ſi rem ipſam, non nomen tantum ſpectemus, vniformem cum palla veſte dicta fuiſſe dignoſcimus; Huiuſmodi enim veſtis caudata & oblonga quoque in vſu fuit tibicinibus, & fidicinis. Sic Horatius in arte Poetica:

*Traxit-*

*Trxxitque vagus per pulpita veſtem.*

Et rurſus:

*Poſt hunc perſona, pallæque repertor honeſtæ*
*AEſchilus.*

Et Iuuenal.Saty.10.

*Et quibus aurata mos eſt decurrere palla.*

Fuit quoque Sacerdotum veſtis, nam eam Orpheo tribuit Virg.6.Æneid.

*Nec non Threicius longa cum veſte Sacerdos.*

Hanc etiam veſtem videtur ſignificaſſe Tibull. lib.3. Eleg.4.

*Iamque videbatur talis illudere Palla.*

At cæteris omiſſis, Syrmiam flexam (vt diximus) veſtem Tragœdorum propriiſſimam fuiſſe colligimus ex mox dicendis. Martial.lib.4.ad Flaccum:

*Muſa nec inſano Syrmate noſtra tumet.*

Et lib.12. Epigram.95. in Tuccam:

*Tranſtulit ad tragicos ſe noſtra Thalia cothurnos,*
*Aptaſti longum tu quoque Syrma tibi.*

Et Iuuenalis *Saty.* 8. vbi Neronem irridet, qui Tragœdias egit, inquit:

*Ante pedes Domiti longum tu pone Thyeſte*
*Syrma, vel Antigones, ſeu perſonam Menalippes.*

Quinimo *Saty.* 15. poſt principium, Syrma ponit pro ipſis Tragœdiis, dum ſcribit:

*Nam ſcelus à Pyrrha, quamquam omnia Syrmata voluas,*
*Nullus apud tragicos populus fecit.*

Quod vero Syrma Tragicorum eſſet indumentum, clariſſime docent Vopiſci verba, inquientis: *Si auia pallio atque purpurato pro Syrmate Tragœdus vteretur.*

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Iam, quid lineas petitas AEgypto loquar? quid Tyro, & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles.*

DE plumandi arte varii varia in huius loci expoſitione tradidere. Turneb.*lib.Aduerſ.11.c.25.* ſpeciem ait eſſe acu pingendi, quũ claui, aut patagia, aut ſegmẽta, aut ſcutulæ, aut

 taſſellæ,

taſſellæ, quæ ſic aliæ aliis in veſte ſuperaſſuuntur, vt plumam auium referant; Cui interpretationi fauere videtur Maro lib. *AEneid.* 11. inquiens:

*———— Quem pellis ahenis*
*In plumam ſquammis auro conſerta tegebat.*

Et Saluſtius apud Seruium eodem 11. Æneid. *Equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Et Papinius Theb. 11.

*Quà male iam plumis imus tegit inguina thorax.*

Hæc tamen explicatio, pace doctiſſimi viri, & quem ſemper honoris gratia nomino, minime textui accommodari poteſt; ſiquidem quis hoc pacto conſutam veſtem, tenuitate perlucidam, quod ait Vopiſcus, affirmare iure poterit? Alii *plumare* interpretati ſunt, veſtimenta auium plumis conficere, quo genere priſca luxuria delectata eſt. Ita Prudentius in Harmatigenia:

*—— —— Auium quoque verſicolorum*
*Indumenta nouis texentem plumea telis.*

Huiuſmodi autẽ opera ex Indiis ad nos exportari notiſſimũ quoq; eſt. Sunt etiam qui interpretantur plumandi artẽ, qua quis acu vel textura fingit vel exprimit animalium, auium, & plãtarum varias figuras, quales ſunt periſtromatum expreſſiones. Ita & D. Hieron. in Chronicis inquit: *Macedonius artis plumariæ.* Et in verſione Exodi ſæpe. Et Firmicus lib. 3. c. 13. *Faciunt linteones, aut tunicarum textores, & plumarios*; & cap. 10. *Qui erunt etiam linteones, aut plumarii.* Vnde & apud Iuriſc. *L.* 1. *C. de excuſ. artif. lib.* 10. non *plumbarios*, ſed *plumarios* legendum cenſet Iac. Cuiacius; Cuius generis veſtium meminit Amm. Marcellinus *lib.* 14. in hæc verba: *Vt longioris fimbriæ tunicæ perſpicuæ luceant varietate liciorum, effigiatæ in ſpecies animalium multiformes.* Cogitabam ego aliquando plumãdi artem eſſe panni conficiendi ſerici illius artem, qui vulgo *Veluto* nobis Italis dicitur, Gallis vero *Verons*, vel *Volours*, Hiſpanis *Tertiopelo*, à villis ſcilicet & pilis, quibus ſplendentibus ac tenuiſſimis veluti plumeis conſtat. Ita Cicero *in Arat.* ſcribit:

*Extrema nitens plumato corpore Taurus.*

Huiuſmodi autem veſtes, quis tenuitate villorũ perlucidas negare

negare poterit, oculorum fide obſtante? Veniebat etiam in mentem, forte artem plumandi eam eſſe, qua veſtes variis coloribus acu vel textura conficiuntur inſtar quarundam auium plumas; vti Cic. *de Fin.* inquit: *Plumæ verſicolores columbis.* Et in Arat.

*Quem rutila fulgens pluma præteruolat ales.*

Serici autem hoc pacto contexti *panni Cangianti* vulgo dicuntur, quæ tamen omnia lectoris doctiſſimi cenſuræ lubens ſubmitto.

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Donati ſunt ab Atrebaticis Birri petiti, donati Birri Canuſini, Africanæ opes in ſcena non prius viſæ.*

BIrrum veſtem ſericam fuiſſe, colligere poſſumus: nam Zonaras & Balſamon interpretantur σηρικὰ ὑφάσματα, id eſt, *ſerica veſtimenta.* Harum veſtium fit mentio in Concilio Gangrenſi, κατεψηφίσαντο τῶν τὰς βήῤῥους φερόντων: ex quo colligere poſſumus, molle ac luxui dicatum fuiſſe Birrum indumentum. Et Euagrius ſcribit, βήῤῥους τὲ γαμηλίους ἐξάπτοντας. Vnde & nuptiale veſtimentum quoque fuiſſe intelligimus. Birrum fuiſſe Romanam veſtem, ex Græcorum autoritate, tradit Rhodig. *lib.* 16. *c.* 10. Martianus lib. 4. *Birrus* (inquit) *& tunica, nomen veſtis habent.* Miror ſane, Turnebum *lib. Aduerſ.* 22. *c.* 30. Birrum in laneis veſtibus reponentem. Quinimo & *lib.* 18. *cap.* 26. craſſum veſtimentum appellat, quod ex iam dictis falſum conuincitur, tum etiam ex præſenti textu, in quo Vopiſcus Carini prodigalitatem & luxum deteſtatus, tradit eum mimis & ſcenicis donaſſe etiam Birros Atrebatenſes & Canuſinos; præterea & antea ſolum veſtium multi pretii meminerat. Adhæc D. Hieronymus *in Iouin.* veſtes Atrebaticas fuiſſe pretioſas indicat; quis tales laneas craſſas dicet? Nec obſtat, quod ab ipſo Turnebo ſcribitur, Birrum non fuiſſe ſericam veſtem, eo quod in Gallia ſericum non texeretur, in qua Atrebates populos eſſe omnibus receptum eſt; namque id tanquam ipſius placitum, nulla authoritate ſuffultum verum eſſe negamus. Nec minus repugnat, quod quis poſſet obiicere, Canuſi-

*Portabat vxor.*

Cicero epiſto. 11. ad Quintum Fratrem: *Domus tibi ad Lucum Piſo-is Luciniana conducta eſt; ſed vt ſpero paucis menſibus poſt Kalendas Quintiles in tuam commigrabis.* Ita Tiberius ex Suetonio *in illo*, cap. 35. *Senatori latum clauum ademit, quem cognouiſſet ſub Kalendis Iulii demigraſſe in hortos, quo vilius poſt diem ædes in Vrbe conduceret.* Hæc omnia recenſere libuit, vt textus ſenſum genuinum indagare poſſemus. Verum quum ex ſerie verborum dignoſcatur, nullo præmemoratorum modo, Kalendas à Vopiſco acceptas hoc in loco, tum ex eo quoq; quod abſolute Kalendarum diem poſterum dixit. Ob id aliam interpretationem venari cogimur. Quumq; apud Suetonium *in Auguſto capite* 35. legerim ab Auguſto decretum, ne plusquam bis in menſe legitimus Senatus ageretur, Kalendis ſcilicet & Idibus, in eam veni ſententiam, Tacitum poſtero die Kalendarum cuiuſque menſis à lectione & ſcriptione vacaſſe, vt animum & corpus Senatoriis laboribus feſſos recrearet, ſed cur non idem feciſſet & die poſtero Idibus, non videbam. Qua de re poſtremo in eam profectus ſum ſententiam, quam mox ſubiiciam, tanquam textus ſenſui magis accommodatam. Solebant antiqui Romani ſingulis menſium Kalendis pecunias fœnori dare, & exigere quoque à debitoribus, quibus fœnori ante pecunias dediſſent. Quod oſtendit Horatius Saty. 3. lib. 1.

*Odiſti, & fugis vt Riſſonem debitor æris,*
*Qui niſi cum triſtes miſero venere Kalendæ,*
*Mercedem aut nummos vnde, vnde extricat amaras,*
*Porrecto iugulo hiſtorias captiuus vt audit.*

Et rurſus libro Epod. 2. Ode 2.

*Hæc vbi loquutus fœnerator Alphius,*
*Iamiam futurus ruſticus,*
*Omnem relegit Idibus pecuniam,*
*Quærit Kalendis ponere.*

Et Martialis 8. Epigram.

*Superbia denſis pateat nummis,*
*Centum explicetur pagina Kalendarum,*

Et

Et Ouid.lib.2.de remed.Amor.

*Qui puteal, Ianumque timent; celereſque Kalendas,*
*Torqueat hunc æris mutua ſumma ſui.*

Quum enim menſtrua eſſet vſura, quod qui tabulas conficerent, menſtruas pene rationes in eas transferrent, vt ait Cic. *pro Q. Rab.* ſolebant debitores Kalendarum diem execrari, quod fuſe docet Plutarchus *in lib cui tit. Non eſſe fœnerandum,* inquiens: *Dies Kalendarum etſi ſacratiſſimi exiſtant, execrandos tamen ab vſurariis reddi.* Quod pariter ex Iuriſc. probatur. Paulus in formula ſtipulationis vſurarũ inquit: *Lucius Titius ſcripſit me accepiſſe à P. Meuio quindecim mutua numerata mihi de domo ſua, & hæc quindecim proba recte dari Kalendis futuris ſtipulatus eſt P. Meuius. ſpopondi ego Lucius Titius, &c.* Hinc Kalendarium dictus Codex in quo ratio deſcribebatur pecuniarum fœnori collocatarum. Seneca lib.13. Epiſt. *Diuitem illum putas, quia in omnibus Prouinciis erat, quia magnus ei Kalendarii liber voluitur.* Et Kalendariis præpoſitus, qui illius curam gerebat, *in l. pen. ff. de re. cred.* pro fœnerandis, exigendiſque pecuniis. Meminit & Papinianus, *l fin. §. item reſcripſerunt*, curatoris Kalendarii Reipub. & Kalendarium exercere legimus, *l. vxorem, 41. §. Legauerat. D de leg. 3.* Hinc Kalendario deſtinatæ pecuniæ, id eſt, fœnerationi, *l. 62. D. de leg. 3.* Ita Kalendario conuerſa pecunia, id eſt, fœnerationi tradita, *l. 39. §. negligentiæ, D. de admin. tut.* Sic accipitur Kalendarii nomen *in l. vlt. D de peculio, l. 6. D. de inſt. vel ſubſt. l. 3. C. de compenſat. l. vlt. D. de muner & hon.* & alibi perſæpe apud Iuriſconſultos. Quum itaque Tacitus, optimus Imperator, auaritiæ ac cupiditatis notam ſubterfugere vellet, quamuis lectioni & ſcriptioni quotidie ſine intermiſſione incumberet, nihilominus poſtero die Kalendarum hæc munia intermittebat, nõ alia de cauſa, (vt ipſe reor) niſi quod nolebat ab aliquo dici, quod lectioni & ſcriptioni eo tempore vacaret, vt rationes dati & exacti Kalendarum die antecedenti perpenderet. Optabat enim, & omni ratione curabat non ſolum criminis culpam, ſed etiam ſuſpicionem effugere. Illud præterea non reticendum, quod Kalendis omnibus fiebant ſacrificia, vnde illud Virgil. *Eglo.* 10. in Bucol.

*Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.*

Quamob-

Quamobrem forte Tacitus in honorem ac reuerentiam peractorum ſacrificiorum à ſcribendi & legendi munere vacabat etiam die ſubſequenti.

## FLAVIVS VOPISCVS IN FLORIANO.

*Tantum illud dico, Senatores omnes ea eſſe lætitia elatos, vt domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati ſederent.*

IN Larario, ſeu domus ſacrario, Romanos Patricios Deorum & præclariſſimorum imagines habuiſſe, alibi fuſe demonſtrauimus, vnde forte quis arbitrari poſſet, Vopiſci ſententiam eſſe, Senatores in publica lætitia Lararia aperuiſſe, ac imagines Deorum oſtendiſſe, præſertim quum ſubdat, albatos ſediſſe, & albas hoſtias cædiſſe. Nihilominus quum imaginibus Deorum adiectiuum non adiunxerit, ego potius arbitror eum loquutum de imaginibus maiorum, quos Senatorii viri in atriis ſeruare ſolebant ad nobilitatis natalia demonſtranda, eaſdemque (vt teſtis eſt Polybius *lib. 6.*) feſtis diebus apertis armariis ligneis, in quibus aſſeruabantur, in domus atrio exornaſſe, atque etiam in domeſticorum funere extuliſſe. Cic. *in Verrem,* ſcribit eſſe ius ponendi imagines ad memoriam poſteritatemque prodendam. Et in orat. pro Rab. *Delectat* (inquit) *imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita,* & in orat. pro Plantio: *Non dubitas quin omnes, qui fauent nobilitati, qui imaginibus, qui nominibus veſtris ducuntur, te Ædilem fecerint.* Et in Piſonem: *Obrepſiſti ad honores commendatione fumoſarum imaginum.* Et pro Sulla: *Si quæris qui ſint Romæ regnum occupare conati ex domeſticis imaginibus, inuenies;* Intelligens M. Manlium Capitolinum, qui ideo de ſaxo deturbatus eſt. Hoc idem indicat Liuius quum dicit: *Ancum Martium nobilem vna imagine Numæ.* Item: *Appium Claudium honoratiſſima imaginis ad poſteros.* Et Iuuenal Saty 6.

*Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice longo,*
*Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus*
*Maiorum.*

Et iterum alibi:

*Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.*

Martia-

Martialis vero . . . . . .

*Tota licet veteres exornent vndique ceræ*

*Atria.*

Et Horatius:

*Famæ ſeruit ineptus,*

*Qui ſtupet in titulis, & imaginibus.*

Sicuti itaque imagines huiuſmodi nobilitatem & antiquitatem familiæ demonſtrabant, ita qui eiſdem carebant, noui homines dicebantur. Suetonius in Veſpaſiano cap... *Flauia gens obſcura, & ſine imaginibus.* Et Cice. de ſe ipſo homine nouo, in Rullum dixit ad Populum: *Quemadmodum quum petebam, nulli me vrbis authores generis mei commendarunt, ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me à vobis deprecentur.* Ob id apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 2. legimus, Meſſalam Oratorem graui oratione prohibuiſſe inſeri gẽti ſuæ Læuinorum alienam imaginem. Et Meſſala ſenior indignatus, quum Scipionis Africani tranſiſſet atrium, vidiſſetque, adoptione teſtamentaria Salutionis (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore notam irrepentem Scipionum nomini. Has imagines cereas fuiſſe conſtat, pictas tamen, & coloratas, quod ex Martialis & Iuuenalis locis citatis ſupra manifeſtum fit. Et ex Ouidio in epiſtola Laodamiæ ad Proteſilaum:

*Quæ referat vultus eſt mihi cera tuos.*

Sed clarius ex Plinio ſcribente loco præallegato: *Apud maiores in atriis imagines erant, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, nec æra, aut marmora, expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, ſemperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat, populus.* Hæ autem imagines non integri totius corporis effigies erant à capite ad pedes, membris omnibus & lineamentis conformatæ, ſed humerorum tenus oris ſimulachrum effingebant; Quod inter recentiores docuit Turnebus *Aduerſariorum lib.* 26. *cap* 3. & ex vetuſtioribus Polybius *lib.* 6 ſcribens huius generis imagines ita effictas, vt magnitudine quam ſimilimæ apparerent, reliquo corporis trunco. Harum vſum multiplicem fuiſſe apud ſcriptores reperio, nempe ad nobilitatem teſtandam, quod ſuperius am-

ple

ple probatum. Præterea & ad ſucceſſorum animos ad auitas virtutes imitandas excitamentum quoddam erant. Vnde Valerius Maximus de Torquato Silani patre ſcripſit in hæc verba: *Videbat ſe in eo atrio cõſediſſe, in quo illius imperioſi Torquati ſeueritate conſpicua imago poſita erat, prudentiſſimoque viro ſuccurrebat effigies maiorum ſuorũ cum titulis ſuis, iccirco in prima ædium parte poni ſolere, vt eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur.* De hac re plura apud Tiraquellum *in Commentar. ii de nobilitate cap.* 20; *num.* 150. Tacitus *lib. Annal.* 2. de Libone Druſo Scriboniano: *Proauum Pompeium, amitam Scriboniam, quæ quondam Auguſti coniux fuerat, conſobrinos Cæſares, plenam imaginibus domum oſtentat.* Alter quoque vſus erat harum imaginum, vt ſcilicet in funere gentilium portarentur, quod iam ex Plinio oſtendimus; & confirmatur ex Cicerone *in 2. de Oratore*, vbi habet: *Quum caſu funere efferretur anus Iunia, tum Craſſus: Brute quid ſedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus quorum imagines duci vides?* Et Tacitus *in calce lib.* 3 *Annal.* de funere eiuſdem Iuniæ Catoni auunculo genitæ C. Caſſii vxoris M. Bruti ſororis, verba faciẽs inquit: *Viginti clariſſimarũ familiarũ imagines antelatæ ſunt, ſed præfulgebant Caſſius, atq; Brutus, eo ipſo quod effigies eorũ non viſebatur.*

Poſtremo has imagines ſummo ſtudio cõſeruauerunt, ac coluerunt. Narrat enim eo ipſo, quem ſupra commemorauimus loco, Polybius, feſtis diebus apertis armariis illas exornaſſe, ſi Conſulares, aut cum imperio fuiſſent, prætextis, ſi Cenſorii, purpureis veſtibus, ſi Triumphales, auro intextis, addamus etiam coronatas, vt colligimus ex Cic. orat. *pro Murana*, ſcribente: *Domum ne ſe verteret? vt eam imaginem clariſſimi patris ſui, quam paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem d formatam ignominia, lugentemque videret.* His ita ſe habentibus, Vopiſci ſententia clara ſatis redditur, quæ prima facie obſcura nimis videtur, & eſt huiuſmodi; Quod Senatores in publica lætitia, quod lætarentur priſtinam authoritatem ſibi redditam, in ſuis domibus hoſtias albas cæderent, albati ſederent, ac imagines frequenter aperirent, hoc eſt, recluſis armariis imaginum, eas conſpiciendas ornarent, quod feſtis diebus fieri ſolebat.

## FLAVIVS VOPISCVS IN PROBO.

*Triumphauit de Germanis & Blemyis.*

BLemyi inter populos Africæ recenſentur à Ptolemæo *lib. Geograph.* 4. & inter Æthiopes connumerantur. Quod pariter facit Plinius *lib.* 5. *c.* 8. Ammianus Marcellinus *lib.* 14. vbi de Saracenorum moribus inquit: *Initium ab Aſſyriis ad Nili cataractas porrigitur, & confinia Blemyarum.* At quod idem Plinius ibidem de Blemyis ſcribit, & Gellius quoque videtur affirmare ex veterum Græcorum authorum ſententia, ipſis ſcilicet capita abeſſe, ore & oculis pectori affixis, vel humeris, vt Gellius, ex hoc loco falſum deprehenditur; namque ſi Probus Imperator de monſtruoſis adeo populis triumphaſſet, non tantam ille laudem, nec rem tanti momenti adeo ieiune deſcripſiſſet hoc loco, & infra *in Firmo*, vbi illum cum Blemyis ſocietatem tenuiſſe ſcribit. Excuſandus tamen Plinius, qui ex aliena ſententia, non ſua, id protulerit, addita voce *traduntur.* Puto tamen, quod de Blemyis tradit Plinius, magna ex parte falſum, ſed non omnino; nam exiſtimo breuiſſimo collo fuiſſe, ita vt in pectore oculos habere viderentur & os, quum caput thoraci veluti iunctum eſſet, nam quod in aliquo certe admirandi eſſent, me mouet eiuſdem Vopiſci authoritas, cuius hæc ſunt verba in Probo: *Blemyas etiam ſubegit, quorum captiuos Romam tranſmiſit, qui mirabilem ſui viſum ſtupente Populo Romano præbuerunt.*

## FLAVIVS VOPISCVS IN PROBO.

*Omnium gentium Drungos, vſque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit.*

QVum in huius loci lectionem incidiſſem, fateor me vocis nouitate hæſiſſe, dumque pro illius intelligentia antiquorum & recentiorum ſcripta peruoluerem, reperi Turnebum *Aduerſ. lib.* 24. *cap.* 25. Vegetii locum *lib.* 3. *de re militari, cap.* 16. enarrantem, pauca de hac re ſcripſiſſe. Locus Vegetii eſt huiuſmodi: *Scire Dux debet, contra quos drunos, hoc eſt, globos hoſtium, quos equites oporteat ponere,* vnde colligit vocis

vocis ſimilitudine hoc in loco per *Drungos* globos intellexiſſe, præſertimq; ex eo, quod tradit, Probum omnium gentium Drungos vſque ad quinquagenos homines ante Triumphum duxiſſe, quæ interpretatio haud diſplicet, præſertim quum obſeruauerim, à Græcis Δρέγγμα *manipulum* dici, vnde forte corrupta dictione *Drungi* dicti. At certe rectius Drungos exponemus *Duces*, præſertim, ſi verum eſſe receperimus, quod idem Turnebus tradit, ſe in nonnullis libris legiſſe *Drungarius claſſis*, *Drungarius bigæ*, apud Imperatores Conſtantinopolitanos, quod ſcilicet Ductor vel Dux ſignificare videtur. At certe libenter legiſſem, à docto viro libros citari, & librorum locos, vbi hæc obſeruarit, quum mihi quamuis diligentiſſime perquirenti, id hactenus reperire haud contigerit.

## FLAVIVS VOPISCVS IN SATVRNINO.

*Omnes certe Lymphiones cuiuſcunque artis videntur, & habentur.*

QVæ fuerint Lymphiones, & quid pro illis ſit intelligendum, varii varia ſcripſere. Egnatius *in ſuis annotat.* ſatagentes & curioſos innuere Vopiſcum opinatus eſt, vel *diuinaculos* interpretandum, qui Græca voce . . . . dicuntur. Huic accedit Turnebi expoſitio *lib.* 30. *cap.* 20. *Aduerſ.* qui exiſtimat, vt Græce νυμφῶνες & νυμφαῶνες appellantur antra & ſpecus Nympharum, vbi Deabus illis res diuina fiebat, ſed & Thalami, ſic Lympheones vocari Latine mutata litera, vt pro Nympha *Lympha* dicit Latinus, ſicque per translationem Lympheones accipiendum pro officinis ac ſacrariis artium, vel pro thalamis, ſeu quod cuique arti fuiſſet ſua curia & ſua ſacra, ex cuiuſque artis collegiis. Alii *Linteones* legendum cõtendunt, cuius generis multa ſunt artificia. Sunt & qui *Lymphiones* explicent omnes eos, qui artes tractant, quæ aqua egent. Hæ ſunt omnes huius vocis expoſitiones, quas mihi hactenus legere contigit. Prior Egnatii expoſitio cæteris magis arrideret, nam antecedentibus & ſubſequentibus maxime accommodatur & connectitur, ni eſſet penitus arbitraria, & quia vocis deriuationem nullam habet annexam.

nexam. Secunda eiuſdem minus textus antecedentis & ſubſequentis ſeriei conuenit, nec video, cur diuinaculos, vel officinas ſacrorum, & alia huiuſmodi inſolito verbo deſcribere voluerit Vopiſcus. Sed nec Linteones ſingulares artifices voce vniuerſali cuiuſcunque artis aptari poſſunt. Eadem de cauſa, nec poſtrema explanatio recipienda, quum aquæ inſtrumenta non omnibus artibus ſint neceſſaria; Quis enim dicet, aquam vitrum conflantibus neceſſariam? cuius artis paulo antea meminerat. Quamobrem, quum mihi ipſi ſatisfacere non poſſet vlla prædictarum interpretationum, cœpi mecum cogitare, an alium intellectum huic voci rationi cõſonum dare poſſem; reque ipſa exacte, quantum in me fuit, perpenſa, in eam veni ſententiam, quod vera lectio eſſet *Phylopones*, hoc eſt, induſtrioſi, ac laboris amici. Verum vt plerumque fit impreſſorum vitio, vno vel altero loco per initia vocis permutata litera, vice *Phylopones* reſtitutum à quopiam vitium dignoſcente, *Lympheones.* Quod autem hæc lectio genuina ſit cenſenda, illud potiſſimum ſuadet, quod miro quodam modo ſententiæ priorum & ſubſequentium verborum congruat; verborum ſeriem ſubdimus, vt veritas innoteſcat: *Ciuitas opulenta, diues fœcunda, in qua nemo viuat otioſus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur, omnes certe Phylopones cuiuſcunque artis & videntur & habentur. Podagroſi quid agant habent, cœci quid agant habent, cæteri quid faciant, ne chiragrici quidem apud eos ocioſi viuunt.* Profecto hæc omnia Ægyptiorum induſtriam, ac diligentiam, ac laborem in artibus propenſionem demonſtrant. Quare mihi videtur, vel bona fide deierare poſſe, hanc veram eſſe lectionem, quæ mendum & difficultatem omnem adimit.

## FLAVIVS VOPISCVS IN SATVRNINO.

*Calices tibi alaſſontes verſicolores tranſmiſi.*

CVius modi ſint calices allaſſontes, à nemine vidi declaratum. Hos Ægyptios fuiſſe non dubitamus, quum ex ea regione, Seruiano Cõſule, ab Hadriano fuerint tranſmiſſi. Ægyptios autẽ calices vitreos extitiſſe, docet Cœl. Rhod.

*lib.& cap.* 27. Excellentes autem vitri conflatores ibidem reperiri, ex verbis eiuſdem Epiſtolæ Hadriani colligimus. Hos vero vocauit *Allaſſontes*, verbo à Græcis dictionibus compoſito, nempe ἀλλοῖος, quod eſt, *varius, & diuerſus*; & participio ὄντες, à verbo εἰμί, hoc eſt, *exiſtentes*, ita quod Ægyptii calices huius generis, quoad materiam vniformes eſſent, vitrei inquam, varii vero, quo ad figuram ſpectat, vnde Allaſſontes. Et etiam quo ad colorem; diuerſorum enim colorum particula illa ſtatim ſubſequens *verſicolores* indicat.

## FLAVIVS VOPISCVS IN PROCVLO.

*Nam quum in quodam conuiuio ad latrunculos luderetur, atque ipſe decies Imperator exiſſet.*

QVis latrunculorum ludus fuerit antiquis, non omnibus eadem ſententia. Turnebus *Aduerſariorum libro* 27. ſcribit: *Ludus autem latronum erat, vt duos concolores, vnum diſcolorem includerent, & perimerent*, quod à viro doctiſſimo ſobrie nimis, nec forte veritati conſentaneum dictum. Huiuſque aſſertionis habuiſſe puto Ouidium authorem *lib. 3. de arte amandi*, quum ait:

*Cautaque non ſtulte latronum præmia ludat,*
*Vnus cum gemino calculus hoſte perit.*
*Bellatorque ſuo penſus ſine compare bellet,*
*AEmulus inceptum ſæpe recurrat opus.*

Alii latronum ſeu latrunculorum ludum exiſtimant illum, in quo ludimus ſexdecim ſcrupis gemina acie vtrinq; diſtinctis in tabula luſoria 64. taleolis diſtincta, nouem lineis ex vnaquaque parte ſe mutuo interſecantibus, in quibus ſcrupis duo ſunt Reges inuicem contendentes, duæ Reginæ, quatuor Equites, quatuor Satellites, totidem Centuriones, & ſexdecim pedites, vulgo *Gioco de Scachi* nobis dicitur. Cui ſententiæ fauere videtur nomenclatura ipſius ludi, namque latrones antiquitus vocati conductitii milites ἀπὸ τοῦ λατρεύειν, quod *inſeruire* ſignificat, quod ſcilicet mercede in bello ſeruiebant, vel quod (vt ait Varro *de lingua Latina libro 6.*) appellatos tradat à latere latrones, vt qui circa latera aſſiſte-

aſſiſterent Regi in bello; ad quod pertinet illud Plauti in milite glorioſo:

*Nam Rex Seleucus me opere orauit maximo,*
*Vt ſibi latrones cogerem & conſcriberem.*

Et alibi:

*Qui apud Regem in latrocinio fuiſti, ſtipendium accepit aſti.*

Et Ennius: *Fortunaſque, quas cœperunt latrones inter ſe memorare.* Latronum diminutiuum eſt *latrunculi*, qua voce etiam appellati calculi ſuperius dicti. Ita eos vocauit Seneca *Epiſt. ad Lucillium lib.* 18. *Epiſt.* 106. Latrones nuncupauere, tum Ouidius loco citato, tum Martialis *lib.* 14. *cap.* 2. vbi pulchre hunc ludum deſcribit lib. 14. cap. 2.

*Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,*
*Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.*

Alexander ab Alexandro *lib. Genialium* 3. *c.* 21. ita ſcribit: *Ludus calculorum veteribus præcipuus fuiſſe traditur, qui & Latrones dicti. Hi enim in duas diuiſi turmas erant, colore diuerſi, quorum alii milites, alii hoſtes. Horum luſus erat, vt turmis inſtructis, veluti qui congredi acie parant, hinc inde ſub hoſtium imagine procederent, ac præſcripto fine, quoad quiſq; progredi debeat, ita cauere oportebat, vt dum hoſtem quiſque inuadere nititur, alterius non pateat incurſibus.* Ex quibus videtur elici poſſe ſenſus verborum Vopiſci, nempe Proculum, veluti ioco Imperatorem factum, quum in conuiuio latrunculis ludens, decies Imperator exiſſet. Namq; Calculus, cui *Rex* ſeu *Imperator* nomen, pugnam non amittit, niſi ab aduerſariis ita claudatur, vt ſe amplius loco mouere nequeat. Et Proculus Rex ſeu Imperator in ludo decies exiens, id eſt, non circumuentus ita ab oppoſitis latrunculis, quin euaderet, omen illi ad Imperium fecit, quod ex ſequentibus manifeſtum fit.

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Roſis Mediolanenſibus & triclinia & cubicula ſtrauit.*

NOn alibi memini me legiſſe Mediolanenſes roſas celebres. Siquidem Plinius libro 21. cap. 4. vbi de roſarum excellentia ex profeſſo tractat, inquit: *Genera eius noſtri fecere celeberrima Prœneſtinam, & Campanam, addidere alii Mileſiam,*

*cuius ſit ardentiſſimus color, non excedentis duodena folia, proximam ei Tarchiniam minus rubentem, mox Alabandicam viliorem, albicantibus foliis, viliſſimam vero plurimis, ſed minutiſſimis Spineolam;* Et poſtea, Cyrenis odoratiſſimam naſci. Omitto enim omnes, quas ſine odore commemorat. Cic. in Verrem: *Puluinus perlucidus Mytilenſi roſa farctus.* In Pæſto oppido Lucaniæ celebres naſci roſas teſtatum reliquit Virgilius 4. Georg. inquiens:

*Biferique roſaria Paſti.*

Et Ouid. 2. de Ponto:

*Caltbaque Paſtanas vincat odore roſas.*

Roſarum Babylonicarum meminit Galenus lib. illi attributo *de Dynamidiis.*

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Quicunque oſtiatim cupit noſcere, legat etiam Fuluium Aſprianum, vſque ad tædium, geſtorum eius vniuerſa dicentem.*

HOſtiatim alii perperam ſcribunt, nam aduerbium ab *oſtio*, non *hoſte*, & metaphorice dicitur de his, qui minutiſſime rem aliquam perquirunt mendicantis inſtar, & panis fruſtula per ſingula oſtia perquirentis. Hac voce vſus eſt Cic. *in Verrem*, inquiens: *Nolite expectare dum ego hoc crimen agam oſtiatim*, hoc eſt, nominatim, ac ſingulatim. Et rurſus: *Vno imperio oſtiatim totum oppidum compilarit.* Et Quintilianus dixit: *Neque ſectanda ſingula, & velut oſtiatim pulſanda.* Quamobrem iniuria affirmant quidam hac dictione minus Latine & eleganter vſum Vopiſcum.

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Nam & Neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit Toichobaten, qui per parietem vrſo eluſo cucurrit.*

IN *neruis* non *in ventis* legendum cenſuit Turnebus oculatiſſimus *libro* 11. *cap.* 25. vt ſenſus ſit, Carinum exhibuiſſe veluti mirabile valde, qui velut neruis, hoc eſt, minutis funiculis, non iuſtis funibus cothurnatus ferretur. Subdens, quod ſi quis *in ventis* legendum contenderit, immutandam

vocem

vocem *Neurobaten*, & ſcribendum *Anemobaten*, hoc eſt, qui velut ventos ſcandat, & quum ipſe nomenclaturę huius cauſam reticeat, eam ego exiſtimo, quod ἄνεμος Græcis eſt *ventus*, & βατὸς *peruius* ſignificat. Sed ego non video, cur & prior communiſque lectio non ſit retinenda, *Neurobaten* ſcribet, hoc eſt, qui neruis & viribus peruius velut in ventis eſſet; nam νευρόω Græcis ſignificat, quod Latine ſonat, *vires & neruos addo*. Sicuti & *Tachobiten* vocat ibidem Vopiſcus, qui peruius per murum cucurrit; nam τοῖχος murus Gręcis eſt Nec illud prætermittendum, hoc in eodem textu, itidem eundem Turnebum fateri, ſe non intelligere quid ſibi velint verba illa: *Vt rete Flauo & pallio aurato*; vel vt alii legunt, *rete Flauiæ pallio*. Quod viro alioquin perſpicaciſſimo condonandum. Nam mendoſum textum habuit; legendum enim iuxta Germanicam lectionem, & recte, *ſi auiæ pallio*, quę pulchre cum ſuperiorıbus connecti, vbi de matris tunica, & patris lacerna, quis aperte non videt?

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

***Item & centum Salpiſtas vno crepitu concinentes, & centum Camptaulas, Cheraulas centum etiam, Pithaulas centum.***

PEr *Salpiſtas* Vopiſcum intellexiſſe tubas exiſtimo; nam & Cœlius Rhodiginus *libro 16. cap. 19.* tubarum genera Salpiſtica vocari docet. Ita & Turnebus *Aduerſ. libro 28. c. 6.* ex Lexico veteri, *Salpiſta* tubicen interpretatur, etſi textus habeant *Salpicta*, mendoſe, vt arbitror. Erant autem *Salpiſtæ* tubæ ſeu buccinæ in ſumma parte amplæ & concauæ, in infima vero arctæ; qua de cauſa acutum & ſtridulum ſonabant, quemadmodum Ariſtophanis interpres docet, à voce Græca σάλπιγξ quod *tuba* eſt, *lituum, buccina*, vel à verbo Græco σαλπίζω, id eſt, *buccino*.

Camptaulas interpretatus eſt Rhodiginus *lib. 12. c. 5.* qui flexibili tibiarum cantu vtuntur, rectius mea ſententia exponemus, qui tibiis ſeu fiſtulis obliquis ſeu flexis concinnunt, ſiquidem αὐλὸς Græcis, *tibia vel fiſtula* Latinis dicitur. Καμπτὸς *flexibile*, in orbem ſcilicet, ſignificat.

Pithaulas vero puto fuiſſe tibiæ ſpecie concinentes, ita vt mulcerent aures; Et quaſi audientes ſuaderent, nam πείθω eſt Latinis *perſuadeo*, & in ſententiam meam adduco, & πειθὼς *perſuaſio*.

Ita & Cheraulas à voce Græca χορὸς deductam arbitror, quod Latinis tripudium & chorum ſignificat, vt eſſet tibiæ ſeu muſici inſtrumenti genus, quod ſpiritu ſufflato tripudia excitaret. Nec mirum, nam & noſtro ſeculo fiſtularum ſeu huiuſmodi muſicorum inſtrumentorum varias ſpecies obſeruamus, & in varias formas conformatas, quibus multis modis modulantur homines, & vulgo communi appellatione dicuntur, *inſtrumenti dà fiato*.

Sed non ſatis mirari poſſum doctiſſimum Turnebum ſcribentem *Aduerſ.lib*.11.*c*.25. Camptaulæ vocem plane Græcam à Græcis ipſis nõ agnoſci, & ideo tanquam irreptitiam, non accipere, & eius loco *Aſcaulæ* reponere, vt ſint, quæ inſtrumentum muſicum vtriculum imitarentur, rectius ſane Pythaulas ipſe explicans tibicines qui Pythia canerent, ex Hygino *Mythologicon* c. 271. ſcribente: *Hi quoque ludis Pythaulæ, qui Pythia cantauerunt*, quorum meminit & Horatius in arte Poetica inquiens:

*Qui Pythia cantat Tibicen.*

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Matris tunicam dedit Mimæ, Lacernam Patris Mimo, & recte ſi auiæ pallio aurato, atque purpurato pro Syrmate Tragœdus vteretur.*

SYrma veſtis fuit fluxa & prolixa, humum verrens, ſeu cum cauda, quæ humo trahebatur, cuiuſmodi varii antiquitus vſi ſunt. Namque Reges Inſulæ Traprobanæ Syrmate vſos, teſtis eſt Solynus *cap*. 66. Fuit quoque muliebre indumentum. Seneca de Baccho: *Qui habitu muliebri nonnunquam ſe ornabat, auro decorum Syrma Barbaricum*; Et ſi rem ipſam, non nomen tantum ſpectemus, vniformem cum palla veſte dicta fuiſſe dignoſcimus; Huiuſmodi enim veſtis caudata & oblonga quoque in vſu fuit tibicinibus, & fidicinis. Sic Horatius in arte Poetica:

*Traxit-*

*Traxitque vagus per pulpita veſtem.*
Et rurſus:
*Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ*
*AEſchilus.*
Et Iuuenal. Saty. 10.
*Et quibus aurata mos eſt decurrere palla.*
Fuit quoque Sacerdotum veſtis, nam eam Orpheo tribuit Virg. 6. Æneid.
*Nec non Threicius longa cum veſte Sacerdos.*
Hanc etiam veſtem videtur ſignificaſſe Tibull. lib. 3. Eleg. 4.
*Iamque videbatur talis illudere Palla.*
At cæteris omiſſis, Syrmiam flexam (vt diximus) veſtem Tragœdorum propriiſſimam fuiſſe colligimus ex mox dicendis. Martial. lib. 4. ad Flaccum:
*Muſa nec inſano Syrmate noſtra tumet.*
Et lib. 12. Epigram. 95. in Tuccam:
*Tranſtulit ad tragicos ſe noſtra Thalia cothurnos,*
*Aptaſti longum tu quoque Syrma tibi.*
Et Iuuenalis *Saty.* 8. vbi Neronem irridet, qui Tragœdias egit, inquit:
*Ante pedes Domiti longum tu pone Thyeſte*
*Syrma, vel Antigones, ſeu perſonam Menalippes.*
Quinimo *Saty.* 15. poſt principium, Syrma ponit pro ipſis Tragœdiis, dum ſcribit:
*Nam ſcelus à Pyrrha, quamquam omnia Syrmata voluas,*
*Nullus apud tragicos populus fecit.*
Quod vero Syrma Tragicorum eſſet indumentum, clariſſime docent Vopiſci verba, inquientis: *Si auia pallio atque purpurato pro Syrmate Tragœdus vteretur.*

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Iam, quid lineas petitas AEgypto loquar? quid Tyro, & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles.*

DE plumandi arte varii varia in huius loci expoſitione tradidere. Turneb. *lib. Aduerſ.* 11. *c.* 25. ſpeciem ait eſſe acu pingendi, quũ claui, aut patagia, aut ſegmẽta, aut ſcutulæ, aut

taſſellæ, quæ ſic aliæ aliis in veſte ſuperaſſuuntur, vt plumam auium referant; Cui interpretationi fauere videtur Maro lib. *AEneid.* 11. inquiens:

*——Quem pellis ahenis*
*In plumam ſquammis auro conſerta tegebat.*

Et Saluſtius apud Seruium eodem 11. Æneid. *Equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Et Papinius Theb. 11.

*Quà male iam plumis imus tegit inguina thorax.*

Hæc tamen explicatio, pace doctiſſimi viri, & quem ſemper honoris gratia nomino, minime textui accommodari poteſt; ſiquidem quis hoc pacto conſutam veſtem, tenuitate perlucidam, quod ait Vopiſcus, affirmare iure poterit? Alii *plumare* interpretati ſunt, veſtimenta auium plumis conficere, quo genere priſca luxuria delectata eſt. Ita Prudentius in Harmatigenia:

*——Auium quoque verſicolorum*
*Indumenta nouis texentem plumea telis.*

Huiuſmodi autẽ opera ex Indiis ad nos exportari notiſſimũ quoq; eſt. Sunt etiam qui interpretantur plumandi artẽ, qua quis acu vel textura fingit vel exprimit animalium, auium, & plãtarum varias figuras, quales ſunt periſtromatum expreſſiones. Ita & D. Hieron. in Chronicis inquit: *Macedonius artis plumariæ.* Et in verſione Exodi ſæpe. Et Firmicus lib. 3. c 13. *Faciunt linteones, aut tunicarum textores, & plumarios*, & cap. 10. *Qui erunt etiam linteones, aut plumarii.* Vnde & apud Iuriſc. *L. 1. C. de excuſ. artif. lib.* 10. non *plumbarios*, ſed *plumarios* legendum cenſet Iac. Cuiacius; Cuius generis veſtium meminit Amm. Marcellinus *lib.* 14. in hæc verba: *Vt longioris fimbriæ tunicæ perſpicuæ luceant varietate liciorum, effigiatæ in ſpecies animalium multiformes.* Cogitabam ego aliquando plumãdi artem eſſe panni conficiendi ſerici illius artem, qui vulgo *Veluto* nobis Italis dicitur, Gallis verò *Verons*, vel *Volours*, Hiſpanis *Tertiopelo*, à villis ſcilicet & pilis, quibus ſplendentibus ac tenuiſſimis veluti plumeis conſtat. Ita Cicero *in Arat.* ſcribit:

*Extrema nitens plumato corpore Taurus.*

Huiuſmodi autem veſtes, quis tenuitate villorũ perlucidas

negare

negare poterit, oculorum fide obſtante? Veniebat etiam in mentem, forte artem plumandi eam eſſe, qua veſtes variis coloribus acu vel textura conficiuntur inſtar quarundam auium plumas; vti Cic. *de Fin.* inquit: *Pluma verſicolores columbis.* Et in Arat.

*Quem rutila fulgens pluma præteruolat ales.*

Serici autem hoc pacto contexti *panni Cangianti* vulgo dicuntur, quæ tamen omnia lectoris doctiſſimi cenſuræ lubens ſubmitto.

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Donati ſunt ab Atrebaticis Birri petiti, donati Birri Canuſini, Africanæ opes in ſcena non prius viſæ.*

BIrrum veſtem ſericam fuiſſe, colligere poſſumus: nam Zonaras & Balſamon interpretantur σηρικὰ ὑφάσματα, id eſt, *ſerica veſtimenta.* Harum veſtium fit mentio in Concilio Gangrenſi, κατηψηφίσαντο τῶν τοὺς βήῤῥους φερόντων: ex quo colligere poſſumus, molle ac luxui dicatum fuiſſe Birrum indumentum. Et Euagrius ſcribit, βήῤῥους τε γαμηλίους ἐξάπτοντας. Vnde & nuptiale veſtimentum quoque fuiſſe intelligimus. Birrum fuiſſe Romanam veſtem, ex Græcorum autoritate, tradit Rhodig. *lib.* 16. *c.* 10. Martianus lib. 4. *Birrus* (inquit) *& tunica, nomen veſtis habent.* Miror ſane, Turnebum *lib. Aduerſ.* 22. *c.* 30. Birrum in laneis veſtibus reponentem. Quinimo & *lib.* 18. *cap.* 26. craſſum veſtimentum appellat, quod ex iam dictis falſum conuincitur, tum etiam ex præſenti textu, in quo Vopiſcus Carini prodigalitatem & luxum deteſtatus, tradit eum mimis & ſcenicis donaſſe etiam Birros Atrebatenſes & Canuſinos; præterea & antea ſolum veſtium multi pretii meminerat. Adhæc D. Hieronymus *in Iouin.* veſtes Atrebaticas fuiſſe pretioſas indicat; quis tales laneas craſſas dicet? Nec obſtat, quod ab ipſo Turnebo ſcribitur, Birrum non fuiſſe ſericam veſtem, eo quod in Gallia ſericum non texeretur, in qua Atrebates populos eſſe omnibus receptum eſt; namque id tanquam ipſius placitum, nulla authoritate ſuffultum verum eſſe negamus. Nec minus repugnat, quod quis poſſet obiicere, Canuſi-

nam lanam laudatiſſimam,ex Plin.*lib.8.c.48.*& ob id Birros Canuſinos laneos cenſendos; facilis enim eſt reſponſio, & Plinium ibidem multas alias vrbes lanis celebres commemorare,quas ſericis caruiſſe pannis, & eorum textura,non ob id iure affirmandum.

## FLAVIVS VOPISCVS IN CARINO.

*Ne patrimonia ſua proſcriptis legitimis hæredibus Mimis & Balatronibus deputarent.*

REponendum *Blaterones*,quidam exiſtimauere,quos deſcribit ex Ariſtophane Gellius *lib.1.c.15.* inquiens, eſſe homines in verba prouectos, locutuleios & linguaces,hoc eſt,incondite & inaniter loquentes; nam cum Mimis coniunxit Balatrones,ſeu potius *Blaterones*, dicunt iſti, qui eiuſmodi ſunt & ipſi. At parcant mihi, fruſtra verba immutamus, quum ſenſus rationi conſentaneus ex ipſiſſimis textus verbis elici poſſit. Namque ſi Balatrones cum Feſto accipiamus pro nihili hominibus & nullius pretii, & cum Varrone,*lib.de re ruſt.2.c.5.*inquiente: *Videbo iam vos Balatrones, & tunc afferam meum corium & flagra*, à blateis ſcilicet, quæ ſunt bullæ luteæ,ex itinere contractæ,quæ à ſoleis deraduntur; qua voce & nos Itali *Balatroni* homines nequam, & Galli *Belitrones* etiam dicunt, non bonæ frugis, & nihili faciendos viros, verbum Vopiſci ſententiæ maxime conueniens erit. At ſi etiam vaniloquos,quod iſti faciunt,intelligamus, nec minus vox *Balatrones*, quam *Blaterones* accommodatiſſima erit, ſiquidem in hunc ſenſum accepit Diuus Hieronymus,inquiens: *Ne me putes in modum ruſtici Balatronis cuncta Origenis reprobare.* Et Horat.

*Balatro ſuſpendens omnia naſo.*

Et *Serm 1.Sat.*1.cum Mimis quoq; coniungit; ait namque:

*Mendici,Mimæ,Balatrones hoc genus omne*
*Mæſtum ac ſollicitum eſt cantoru morte Tigelli.*

Hinc Porphyrion interpres ait, balatrones dictos à balatu & vaniloquentia.

MAR-

MARCELLI DONATI

# IN ÆLIVM SPARTIANVM DILVCIDATIONES.

## *AELIVS SPARTIANVS IN ADRIANO.*

***Statim curſum fiſcalem inſtituit, ne Magiſtratus hoc onere grauarentur.***

IOannes Baptiſta Egnatius *in ſuis annotat.* non *inſtituit*, ſed *inhibuit* legendum putat, ſenſu tali; Prohibuiſſe Adrianum ad conciliandam ſibi famam boni Principis, ne fiſcus acerbius pecunias exigeret. Quæ expoſitio ( pace viri doctiſſimi ſit dictum, ) nimis extorta conuincitur. Quia paulo poſt inquit Spartianus, Adrianum ad colligendam gratiam nihil prætermittentem, infinitam pecuniam, quæ fiſco debebatur, priuatis debitoribus in vrbe atque Italia, in prouinciis vero etiam ex reliquis ingentes ſummas remiſiſſe, ſyngraphis in foro D. Traiani incenſis. Adrianus Turnebus *Aduerſ. lib. 29. cap. 12.* aliter exponit, & inquit, Adrianum inſtituiſſe curſum fiſcalem, id eſt, vt fiſcales curſus fiſci ſumptibus tolerarentur, quum antea illud eſſet magiſtratuum onus. Quæ explanatio certe manca & mutila eſt. Quis enim eſſet curſus fiſcalis, prætermittit, in quo magis erat elaborandum. Cælius Rhodig. *lib. 21. cap. 24.* inquit: *Curſus publicus aut fiſcalis dicebatur, quum ab Imperatoribus certis locis equi preceleres deſtinabantur, quibus non vtebantur alij, niſi facultate impetrata, quam vocant tractatoriam.* Vir hic peritiſſimus antiquæ lectionis propinquius rem tetigit; at certe nec

nec exacte, nec ſat bene rem ipſam aperit: namque curſum fiſcalem publicum fuiſſe, nulli dubium eſt, quod equis præceleribus conſtaret, quos ipſe ibidem veredos appellat, non vndequaque verum; ſiquidem ſatis conſtat ex Procopio *lib.2.belli Perſici*, equos publicos in eum vſum fuiſſe inſtitutos, vt Veredarii celeribus equis inuecti Regum literas proueherent. Hodie *correre la poſta* vulgo dicimus, quod diſpoſitis equis curſitare antiquiores dixere. Amm. Marcell. *lib.*20. vbi de Florentii præfecti fuga: *Charitates eius cum re familiari intacta, publico curſus vſu permiſſo ad Orientem redire tutius imperauit.* Et lib.21. vbi de Tauro Præfecto Prætorio: *Vectusq; mutatione celeri curſus publici.* Cuius inſtituti Xenophon *lib.8.Cyripadiæ*, Cyro tribuit laudem. Herodotus Xerxi *in Vrania.*

Verum ſicuti veritati conſentaneum fatemur, curſus fiſcalis ſeu publici ſpeciem fuiſſe curſum, qui fit diſpoſitis equis frequenter mutatis, ita non omnem curſum fiſcalem huiuſmodi fuiſſe, ex mox dicendis luce meridiana clarius palam fiet; Siquidem curſus nomine hoc loco intelligendum iter quodcunque, fiſcalis vero ſeu publicus, id eſt, fiſci, vel publici impenſa factus, qui non ſolum equis, ſed & vehiculis & nauibus perficiebatur. Hinc verſuales equi, Caſſiod.*lib.4.var.epiſt.ad Godiſcalcum, l.9.C.Theod.de leg. & dec.leg.* quibus ſcilicet in cauſa principis vtebantur. Horum item meminit Amm. Marcell. lib.28. *Tranſeo*, inquit, *quod quidam per ampla vrbis ſpacia, ſubuerſoſq; ſilices ſine periculi metu properanter equos velut publicos ſignatis (quod dicitur) calceis agitant.* Et per initia *lib.*15. de Apodomio ad Conſtantium Galli necem perferente: *Equorum*, inquit, *permutatione veloci.* Fuit quoque curſus publicus vehicularis, de quo *l.1. & vltima.D. de mun. & hon.cur.publ.* Sueton. in Aug. cap.49. *Iuuenes primo modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit.* Spartianus in Seuero: *Poſt hæc quum ſe vellet commendare hominibus, vehicularium munus à priuatis ad fiſcum traduxit*, hoc eſt, quod priuatorum impenſa fiebat, publica fieri ſanxit. Et Amm. Marcell. *lib.*14. de Gallo Cæſare vocato à Conſtantio: *Decem vehiculis publicis, vt præceptum, eſt vſus.* Et paulo

poſt:

poſt: *Itineribus per mutationem iumentorum emenſis venit Peſobionem.* Et iterum de Conſtantio Imperatore: *Delegit potiſſimum, vt vehiculis publicis impoſitum paulatim permitteret militem imminenti caſus atrocitati velocius occurſurum.* Liuius lib.43. *Vehicula Mictoni publice locata, quæ eum Brunduſium commode perueherent.* Et *l.4.C.de offic.præſid.* δημοσίαν ὁδὸν Græci appellant. Fuit quoque curſus publicus, qui nauibus perficiebatur, ex Amm.Marcell.*lib.*20.ſcribente, Iulianum milites cum familiis ad Orientem proficiſci præcepiſſe, Clauularis curſus facultate permiſſa. Ibi enim per Clauularem curſum iter nauibus faciendum intelligendum conſtanter affirmo, ſiquidem longum iter ex Galliis in Orientem nauibus perficiendum erat, quod quum ægre ferrent milites, illis publica impenſa naues, ad eos cum familiis transfretandos, Iulianus indulſit; namque ibi loquitur de Herulis, Batauis, Petulantibus, Celſis, & aliis, qui ex Galliis auxiliares à Conſtantio in Orientem tranſuehendos cum familiis ſuis, qui quum innumeri propemodum eſſent, non alio pacto publico curſu eo traduci poterant. Dicitur autem curſus clauularis à clauo, quo naues reguntur & diriguntur per maria & flumina. Scio profecto, Turnebum *lib.*26.*Aduerſarior. cap.*34. clauularem curſum interpretari hoc loco curſum publicum militibus caligatis conceſſum, quorum caligæ clauulis confixæ erant. Verum, quam parum hic ſenſus verbis textus aptetur, non eſt qui non videat. Sed ne milites, qui in Orientem proficiſci cum familiis renuebant, itineris maximam expenſam cauſarent, voluit Iulianus eos publica impenſa nauibus conuehi. Curſum autem dici non ſolum de itinere terreſtri, ſed & de nauigiis facto, conſtat ex Plin. ſcribente lib.12.cap.19. *Hi recto curſu per ſinus inſtituent*, vnde & nauis curſoria Sidonio: *Typhim curſoriam aſcendi.* His ita ſe habentibus, iure affirmare poſſum, hic apud Spartianum per curſum fiſcalem intelligendum, publica expenſa, ſeu fiſci pecunia factum iter; Siquidem Adrianus ad captandam omnium gratiam, nihil prætermittens, Senatores vniuerſos allicere ſtuduit, iurans ſe nunquam Senatorem, niſi ex ſententia Senatus puniturum. Illud inſuper addens, quo

magi-

magiſtratus omnes, qui per prouincias mittebantur, in ſui amorem alliceret; vt illi publica pecunia itineris impenſam explerent. Hi enim in prouinciam profecturi Auguſti decreto, cuius Suet. *in illo c 36.* meminit, certa pecunia recepta ad malos & tabernacula, quæ antea publice locari ſolebant, digrediebantur. At Adrianus totam expenſam ad fiſcum pertinere voluit. Eadem de cauſa paulo infra refert idem Spartianus, eundem his, quos ad militiam vocaſſet, equos, mulos veſtes, ſumptus, & omnem ornatum ſemper exhibuiſſe. Capitolinus in Pertinace: *Dein præfectus cohortis in Syriam profectus, T. Aurelio Imperatore à Præſide Syriæ, quod ſine diplomatibus curſum vſurpauerat, pedibus ab Antiochia ad legationem ſuam iter facere coactus eſt.* Vina fiſcalia, hoc eſt, fiſci, apud Vopiſcum in Aureliano obſeruamus.

## ÆLIVS SPARTIANVS IN ADRIANO.

*Seruiano ſororis viro, cui tantum detulit, vt ei venienti de cubiculo ſemper occurrerit, tertium Conſulatum, nec ſecum tamen, quum ille bis ante Adrianum fuiſſet, ne eſſet ſecundæ ſententiæ, non petenti, ac ſine precatione, conceſſit.*

TVrnebum, cuius ingenium ſummopere admirari ſoleo, hunc locum enarrantem hæſiſſe exiſtimo. Iccirco, ne veritas detrimentum patiatur, aliter explicanda Spartiani dicta cenſeo. Ait doctiſſimus vir lib. Aduerſ. 29. cap. 12. *Secunda ſententia eſt, qui poſt alium ſententiam ſecundo loco dicit. Prima enim ſententia eſt, verbi gratia Conſularis, qui tertium Conſulatum geſſit, ſi qui toties Conſul fuerit, in Senatu, reperiatur, alij ſecundæ. Itaq; ſi plures totidem geſſerint Conſulatus, qui ante eum honorem adeptus eſt, prima ſententia erat Imperatorum ætate.* Proinde Adrianus tertium Conſulatum Seruiano detulit, non ſecum tamen, ne quum ille bis ante Adrianum Conſul fuiſſet, Adrianus ſecundæ eſſet ſententiæ; Nos tamen aliter ſentiendum exiſtimamus, Adrianum, inquam, Seruiano tertium Conſulatum ſecum non detuliſſe, ne Seruianus, quem maxime colebat, & qui ante ipſum quoq; bis Conſul fuerat, eſſet ſecundæ ſententiæ, hoc eſt, ſecundo loco ſen-

tentiam ferret. Nam primus locus ferendæ ſententiæ Adriani fuiſſet, qui iam tertium Conſulatum adeptus antea, & Imperator dubio procul primæ ſententiæ fuiſſet, & ſic Seruianus ſecundæ; quod placere non poterat Adriano, volenti ſummo honore afficere ſororis ſuæ virum; ob id, quum eundem tertio Conſulem faceret, voluit & ei collegam aſſignare, qui vel non ter Conſul fuiſſet, vel ſi ter, poſterior ordine eſſet Seruiano, cui ius primæ ſententiæ ferendæ vel dicendæ eſſe volebat. Et hoc eſt, quod paulo ſupra ſcribit idem Spartianus: *Tertio Conſules, quum ipſe ter fuiſſet, plurimos fecit, infinitos autem ſecundi Conſulatus honore cumulauit.* Illud autem obiter ſciendum, ante Imperatorum tempus, vel ſaltem adhuc ſub Imperatoribus, vigente Repub. Romana, ius primæ ſententiæ fuiſſe illius Conſulis, qui & maior ſeu prior dicebatur, de quo Plinius *lib.7.* vbi de Balbo Cornelio. Et Cic. de ſemetipſo *in orat. in Piſ.* & Liuius *lib.29.* vbi de Scipione. Erat autem Conſul maior, penes quem erant faſces, aut qui priori loco à centuriis Conſul renuntiatus erat. Honor autem hic ſeniori tradi ſolebat, ex Plutarcho & Val. Max. quod ſi pares ætate fuiſſent, ille maior Conſul erat, cui plures liberi fuiſſent; quod ſi par fuiſſet vtrique filiorum numerus, præferebatur, qui maritus. Aliter tamen obſeruatum procedentibus temporibus, conſtat ex præſenti loco, in quo ille ex binis Conſulibus præferebatur, qui dignior erat, & plures Conſulatus geſſerat, primæque etiam ſententiæ vocabatur. De re iſta plura, vbi de iure quintæ relationis verba facimus.

## ÆLIVS SPARTIANVS IN ADRIANO.

*Poſt hac profectus in Gallias, omnes cauſarios liberalitatibus ſubleuauit.*

CAuſarios legendum ex propria & aliorum ſententia, tradit Turnebus *lib.29. Aduerſarior. cap.12.* Ita & Ioan. Baptiſta Egnatius *in annotat. ſuis in Aelium Spart.* vt ſenſus ſit, Adrianum in Galliis omnes milites cauſarios ſubleuaſſe. Erant enim cauſarii milites, qui ſenecta vel valetudine

aduerſa,

aduerſa,aliove vitio corporis aut mentis,militia ſoluebantur, quorum meminit Liuius lib.7.*Tertius* ( inquit ) *exercitus ex cauſariis ſenioribusq;*. Eorum etiam meminit *lib.16.* & Tacitus *in orat.Druſi ad legiones Illyricas tumultuantes.* Quæ expoſitio,ſicuti minime diſplicet, nihilominus quum milites huiuſmodi à militia remoti ob benemerita præterita in colonias mitterentur, vt agros acciperent, vel domi ſuæ manerent,etiam ſtipendia accipientes ob ſtrenue nauatam operam Reipublicæ,dum militiæ habiles fuerant, non ob id exiſtimandum, indigentes omnes ita in Galliis fuiſſe,vt liberalitate Imperatoris ſubleuandi eſſent, ideo & iure optimo magis arridet, vt nihil de textu mutetur, ſed dicamus, ſcriptorem noſtrum explicaſſe omnes in Galliis cauſariis liberalitatibus Adrianum proſequutum, oppreſſos ſcilicet vel bellorum incommodis vel tributorum aut vectigalium immodicis oneribus. Dixit autem,*cauſariis liberalitatibus*,hoc eſt,liberalitates, quæ ex cauſa fierent & prouenirent,Imperatoriſq; animũ iuſta cauſa mouente.Ita *cauſaria miſſio*, de qua alibi fuſe diximus, & *cauſarie* aduerbio in eodem ſignificatu vſus eſt Martianus *in l.milites agrum*, *§.is etiam,D.de re milit.* Quam interpretationem nec ipſe Turnebus reiicit. Et *cauſare* pro cauſam afferre,Cic.pro Q.Rabirio: *Nunquid cauſare, quin ab iudicio abeas turpiſſime victus.* Et Sueton.in Nerone, cap.49. *Cauſatus nondum adeſſe fatalem horam.* Item: *Syllanum ad necem compulit,cauſatus, quod ſe ingreſſum turbatius mare non eſſet ſecutus.* Et Gellius: *Negotium ſibi eſſe cauſatur.* Et Virg.

*Cauſando noſtros in longum ducis amores.*

Cauſari etiam eſt cauſam dicere vel defendere. Accius in Medea:

*Qui potis eſt repelli quiſquam, vbi nullus eſt cauſandi locus.*

Afranius in Emancipato:

*Facunde cauſaris patrem.*

Pacuuius in armorum iudicio:

*Qui ſeſe ad finem eſſe ad cauſandum volunt,*

*De virtute is ego cernendi do poteſtatem omnibus.*

Sic itaque interpretari poſſumus etiam *cauſariis liberalitatibus,*

*tibus*, hoc eſt, audita cauſa militum indigentium & grauatorum, eos liberalitatibus Adrianum ſubleuaſſe.

## ÆLIVS SPARTIANVS IN ADRIANO.

*Toparcas & Reges ad amicitiam inuitauit, inuitato etiam Coſdroe Rege Parthorum, remiſſaq; illi filia, quam Traianus ceperat, ac promiſſa ſella, quæ itidem capta fuerat.*

TOparcas locorum Principes interpretandum non ambigendum, ſiquidem Græca nomenclatura demonſtrat. Hanc eandem ſellam Regiam, quam Traianus cepit, & Adrianus remittere promiſit, Antoninus Pius, teſte Capitolino *in illo*, Parthorum Regi repetenti pernegauit. Vocatum autem Cyri ſolium, ex Plutarcho in Alexand. *μηδεὶς ἄλλος ἀνθρώπων καθίσειεν εἰς τὸν κύρου θρόνον πλὴν Ἀλεξάνδρου.* Appellauere enim Græci Regale Solium, *θρόνον βασιλικόν.* Et Horat. lib. 3. Ode 2.

*Redditum Cyri ſolio Phraathem;*

Significans, reſtitutum illum in Imperium Parthorum vel Perſarum. Non itaque mirum, ſi Coſdrus eorundem Rex adeo anxius erat de ſede iſta recuperanda, vtpote ſine qua ex longo vſu Reges in ea ſedentes, minime honorifice regnare poſſe putarentur.

## ÆLIVS SPARTIANVS IN ADRIANO.

*Catacrianos libros obſcuriſſimos, Antimachum imitando ſcripſit.*

EGnatius fatetur ſe neſcire, quid intelligendum per Catacrianos libros, nec aliũ ſcimus id explicaſſe. Nos vocem à Græcis deriuatam Spartianum mutuatam non dubitamus, nempe, compoſitam ex *κατὰ* præpoſitione, & *κρείων*, quod *Princeps* ſignificat, & *νοῦς mens* Latinis, ita quod Catacrianos libros ſcripſerit Adrianus Imperator, qui ſe optimum Principem profeſſus eſt, *de mente Principis*, obſcuriſſime tamen id explicans, imitatus Antimachum Colophonium Poetam Græcum, qui, quum poema ſuum quondam in auditorio recitaret, atque omnes auditores, vno

dempto Platone, quum non intelligerent, diſceſſiſſent; *Plato*, inquit, *mihi pro omnibus*. Cuius rei meminere Cic. & Plutarchus *in Lyſandro*. Fuerunt quidem & alii Antimachi; nam Suidas duorum meminit, nempe Ægyptii Hieropolitani, & Melii Pſecæ, & Homerus alterius, Troiani, *lib.* 10. *Iliad.* Verum dubio procul hoc intelligendum de priori, Colophonio ſcilicet Poeta. Poſſumus etiam interpretari Catacrianos, hoc eſt, contra vſum: Catachreſis enim ſignificat *abuſio*, ſeu contra vſum, ex κατὰ, quod eſt *contra*, & χρῆσις, id eſt, *vſus*.

## ÆLIVS SPARTIANVS IN ADRIANO.

*Frigora & tempeſtates ita patienter tulit; vt nunquam caput tegeret.*

EX hoc præcipue loco eorum ſententiam fulciri video, qui Romanos priſcos nullo capitis tegumento ordinarie vſos affirmant, quam aſſertionem Turnebum tueri ſcio, *Aduerſ. lib. 8 cap.* 4. & poſt eum fuſius Iuſtum Lipſium, *libello de Amphitheatro*, proſequutum eſſe, qui tamen nec ita exacte rem hanc pertractauere, quin & nobis aliqua ſuperaddenda reliquerint, præſertim quum locum hunc non obſeruarint. Si itaque Adrianus nec etiam tempeſtatum & frigoris tempore vnquam caput tegebat, ergo nec etiam ſereno & calido aere, quum intecto capite incederet, iuxta Romanum morem. Quod pariter confirmari poteſt ex Suet. *in Iulio Cæſare*, ſcribente *cap.* 42. illum ex omnibus honoribus ſibi decretis non alium libentius vſurpaſſe, quam ius perpetuo geſtandæ laureæ coronæ, idque ad caluicium celandum, cuius quidem coronæ nullus vſus, ſi alio tegmine caput cooperire mos Romanis fuiſſet. Quinctilianus & ipſe... quum veſtium omnium ſingillatim meminit vſque ad calceos, in capite ſolum capillum format. Et Euſtathius Homeri interpres *lib.* 1. *Odyſſ.* author eſt, ad Romanos à priſcis Græcis tranſiiſſe, capita retecta habere. Adhæc nullam ſtatuam antiquam Romanam inueniemus aliter effictam, quam capite detecto. Nec alibi Homerus de aliquo capitis tegumento meminit. His tamen non obſtantibus, aliis plu-

ribus

tibus autoritatibus & rationibus hanc opinionem diruere conantur. Inquiunt enim, Martialem ſcripſiſſe lib.11.Epigram.7.

*Permittis puteo pileata Roma.* Et iterum:

*Dumq́; decent noſtrum pilea ſumpta Iouem.*

Et Plaut.in Amph.

*Ego habeo vſq; in petaſo pinnulas.*

Cic.in Epiſt.ad Caſſium: *Sed petaſati veniunt, comites ad portam expectare dicunt.* Suet.in Aug. c.82. *Solis vero hyberni quidem patiens, domi quoq; non niſi petaſatus ſub dio ſpatiabatur.* Vegetius inquit: *Vſq; ad præſentem ætatem conſuetudo permanſit, vt omnes milites pileis, quos Pannonicos vocant, ex pellibus vterentur.* Quod ſerui qui libertate donabantur, pileati eſſent, adeo manifeſtum eſt, vt nulla egeat probatione. Vnde illud, *ad pileum vocare*, id eſt, ad libertatem, & Bruti ſtatuis & numiſmatibus pileus additus, vti libertatis aſſertori. Præterea ſeruos pileatos venum iri ſolitos, quorum nomine venditori nihil præſtarent, ſcribit Gell.*lib.7.c.4.* ex ſententia Cælii Sabini I.C. Ouid.1.de arte amandi:

——— *Nec turpe putaris*

*Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.*

Et Plato 3 *de Repub.* pileum capiti imponi debere docet. Varro *lib.1.de vita P.R.* inquit: *Minores natu capite aperto erant, capillo pexo, vtiq; innexis crinibus.* Ergo maiores natu aliter ſe habebant, nempe caput tegebant. Horat.epiſt.1.

*Vt cum pileolo ſoleas conuiua tribulis.*

Apud Athenæum Larenſius laudans ſuos Romanos, ait: *Veſtes etiam habemus, & calceatus, frugi ac ſimplices, & pileos capitibus circumponimus, ex ouium pellibus denſos ac villoſos.* Inſuper habemus, caput aperuiſſe in honore habendo Romanis familiare, ergo caput tegebant. Salluſtius ſcribit, Sullam Dictatorem in victoria equo deſcendere, Pompeio vni adſurgere de ſella, & caput aperire ſolitum. Et Seneca: *Si Conſulem videro, aut Prætorem, omnia quibus honor ſolet haberi, faciam; equo deſiliam, caput aperiam.* Addamus etiam, primis Romanorum pilei vſum familiarem, ex Liuio *per initia lib.1.* vbi ita ſcribit, Aquilam Lucomoni, qui poſtea fuit L. Tarqui-

nius,carpento ſedenti, cum vxore pileum abſtuliſſe, mox repoſuiſſe. Cui rei ſimile illud, quod Lampridius *in Antonino Diadumeno* ſcribit: *Hinc eidem Aquila pileum in agro ambulanti tulit.* Harum ſententiarum varietatem vt conciliemus, illud præmittendum; Dubio procul ſtatuendum, Romanos priſcos capita tegere conſueuiſſe, non ſemper & communi vſu, ſed aliquando tantum, veluti in publicis ſpectaculis, ludis, & ſacrificiis, in peregrinationibus, in bello, ad cœli iniurias arcendas, puta ventos, imbres & æſtus. Idem mos quoque ægris, vel qui integram valetudinem non haberent, vel etiam decoris gratia, & ad tegendum vitium aliquod capillorum, qui etiam mos conuiuantibus à balneo præſertim. Hos autem non iiſdem tegminibus indifferenter vſos clare patet; nam vel pileo, vel galero, vel galerico, ſeu capillamento, vel pileolo, vel petaſo vel cauſia, vel velo, vel veſte, ſeu veſtis parte, puta lacinia. Pileolo vſi ſunt conuiuantes à balneo, & ægrotantes, qui nullo margine donabantur, ſed quales noſtrates dormitorii ſeu nautici pileoli, vnde forte Hippoc. *Statuæ pileolus impoſitus.* Petaſo vſi ſunt valetudinarii, & iter facientes, & milites. Erant autem hi craſſiores cæteris, & iniuriis aeris & inclementiæ arcendis habiliores, quales & militares fuere Vegetio. Cucullionem viatorium obſeruamus apud Capitolinum *in Vero*, vbi ait: *Obtecto capite cuculione viatorio, &c.* Quæ omnia ex iam dictis palam fiunt. Cauſia capitis tegmen fuit ex velis paratum, leue ſcilicet, arcendo calori aptum, quo mulieres vſas coniicere poſſumus ex Plauto in Perſa:

*Tunicam atq; zonam & chlamydem afferto, & cauſiam.*

Et Valerius Max. *lib.* 5. tradit, Antigonum caput Pyrrhi texiſſe cauſia, vt velatum caput more Macedonum haberet; ex quo etiam Regium capitis tegmen fuiſſe, coniicere poſſumus, præſertim Herodoto de Antigono idem ſcribente, & forte tale, quod *Turbante* Turcarum. Velo caput operiebant ſacrificantes, ex Virg. 3. Æneid.

*Et poſitis aris iam vota in littore ſoluis,*
*Purpureo velare comas adopertus amictu.*

Idem ex Plutarcho *in Problem. cap.* 11. & Liuio lib. 1. *Vbi legatus* (inquit)

(inquit) *ad fines eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato* (filum lanæ velamen eſt) *Audi Iupiter* (inquit) *audite fines, audiat Fas.* Et iterum: *Augur ad læuam eius capite velato ſedem cepit galericulo, ſeu capillamento ornamento capiti adaptabatur ad contegendam caluiciem ſeu raritatem capillorum*, ex Suetonio *in Othone & Caligula*, quod Corona feciſſe Iulium Cæſarem diuinus, de qua re alibi fuſius. Pileo ſeu galero (parum enim vel nihil differre arbitror) in ſpectaculis publicis & ludis vſi ſunt Romani. Statius lib.1. Thebaid.

*Et temperat aſtra galero.*

Et Iuuenalis Sat.6.

*Flauo crinem abſcondente galero.*

In communiori vſu fuiſſe Romanis conſtat caput veſte circumtegere, eamque amouere aperiendo caput in alicuius honorem, quod tradit Plutarchus *in Problem.* inquiens: *Romani ſi cui obuiam facti ſunt, cui honor habendus, ſi forte caput veſte iniecta habeant, id reuelant.* Idem author in Gracchis de Naſica: *Laciniam togæ reijciens in caput.* Et Seneca de Mœcenate: *Hunc eſſe, qui in Tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu ſic apparuerit, vt pallio velaretur caput, excluſis vtrinque auribus.* Plutarchus quoque Demetrii Pompeiani liberti ſuperbiam taxans ait, illum accubuiſſe habentem caput pallio obuolutum. Et Petronius deſcribens accubitum molliſſimum omnium: *Melchionum pallio* (inquit) *coccino adraſum inuoluerat caput.* Liuius lib.23. *Statua eius iudicio fuit Præneſte in foro ſtatuta loricata, amicta toga, velato capite.* Capitolinus in Pertinace, vbi de Læto Præfecto Prætorii ab eo ad milites miſſo, ait: *Sed ille declinatis militibus per porticus adaperto capite domum ſe contulit.* Et paulo poſt de cæde Pertinacis: *Ille precatus Iouem v'torem toga caput operuit.* Liuius in Epitome lib.89. *Mutilus ex proſcriptis velatus clam capite adoperto ad poſticas ædes Baſtiæ vxoris quum acceſſiſſet, admiſſus non eſt, quia illum proſcriptum diceret. Itaque ſe transfodit, & ſanguine ſuo fores vxoris reſperſit.* Ex quibus concludendum, Antiquis Romanis caput obtegere pileo, minime in communi vſu fuiſſe, ſed intecto capite proceſſiſſe, & ſi quando tegere volebant, pallio obuoluiſſe, ſeu eius lacinia, præterquam tamen in iam memoratis ca-

ſibus. Cooperiendi autem pileo caput morem cum Romano Imperio Byzantium translatum, teſtatus eſt Nicephorus Greg. inquiens: *De capitis tegmine moris apud ſuperiores Principes erat, vt ætate prouectiores aulici pileis turbinatis vterentur ſerico tectis, iuniores autem omnes prorſus nudi eſſent capitibus.* Andronico autem Imperatore is mos adeo exoleuit, vt paſſim omnes, & ſeniores & iuniores pileis vterentur, non minus in palatio, quam in agris, iiſque variis & peregrinis. Ex quibus facilis reſponſio ad authoritates in oppoſitum adductas.

## ÆLIVS SPARTIANVS IN ADRIANO.

*Lenoni & Laniſtæ ſeruum vel ancillam vendi vetuit, cauſa non præſtita.*

QVid ſit cauſam præſtare, ex Iuriſconſultorum fonte hauriendum, apud quos inter cætera ſignificata cauſa accipitur pro conditione & iure cuiuslibet rei, vti *l. ſi conuenerit, 18. §. ſi fundus, D. de pign. l. alienatio, 67. D. de contrahen. emp. l. ſi debitor, 12. C. de diſtract. pign. & in Conſtitutione Seueri & Antonini, l. vnica, C. rem alien ger. & Paulus in l. via, § fundus, D. de ſer. ruſt. & Vlpian. l. Pomponius, 13. §. 1. D. de acquir. poſſeſſ.* Et præter Iuriſperitos Cicero etiam in eadem ſignificatione accepit cauſam, *in orat. pro lege Agraria*, inquiens: *Soluta in meliore cauſa ſunt, quam obligata.* Ita quoque familiaris locutio eſt Iuriſperitis, *præſtare culpam, caſum, dolum, periculum, bonam fidem, diligentiam, cuſtodiam, factum*, pro euentum horum cuiuslibet in ſe recipere, ſeu cautionem dare exitus eorundem. In quem ſenſum quoque Cic. *lib. 3. Offic.* dixit: *Quicquid eſſet in prædio vitij, id ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtare oportere.* Ex quibus elicimus, ſenſum verborum Spartiani eſſe, ab Adriano inter cætera optima decreta, & illud ſancitum, ne quis vendere poſſet lenoni vel laniſtæ ſeruum vel ancillam, niſi præſtita cauſa, hoc eſt, niſi periculo in ſe recepto vel probato, quod ille, ſeu ſeruus, ſeu ancilla ſeruilis generis eſſet, forte enim vſu venerat, quod laniſtæ vel lenones infames homines lucri gratia etiam

emerent

emerent ingenuos, vel libertinos, vel aliquos, cuius generis nulla certa haberetur notitia; cui malo occurrere voluit Adrianus, decernens, vti iam dictum eſt.

## ÆL. SPARTIANVS IN AVRELIANO.

*Decoctores bonorum ſuorum, ſi ſuæ authoritatis eſſent, catamidiari in Amphitheatro, & dimitti iuſsit.*

DEcoctores bonorum ſuæ authoritatis appellat, qui ſui iuris eſſent: frequens enim apud Iuriſtas authoritas pro iure dominii accipitur. Vnde ius ſui vel alieni, non ſui, inquam, id eſt, ſuæ poteſtatis, facultatis, liberi arbitrii. Sic ſui mancipii eſſe, id eſt, ſui, & non alieni dominii. Homo itaque ſuæ authoritatis ſeu iuris ſui eſt, qui alteri non paret, nec in aliena poteſtate eſt, ſed ſuus eſt, & ſuam, non alienam, ſequitur ſententiam. Si quis itaque ſui iuris exiſtens ſua bona decoxiſſet, hunc cantamidiari voluit Adrianus; ex quo diſtinguit ab illis, quos ſupra non vitio ſuo decoxiſſe inquit. Vtitur autem verbo Græco Spartianus; καταμειδιᾶν enim eſt deridere vel ludibrio habere. Ita & noſtris temporibus ob varia delicta quidam in publicis locis mitellati in ſcalari ſuggeſto, vel ii, qui non ſunt ſoluendo, ſilicem natibus percutientes, vel ferro aut palo alligati, populi exſibilationibus & aliis iniuriis exponuntur. Et catamiti dicuntur probroſi pueri, qui pudorem vendunt, & corpora proſtituunt. Sic Ganymedes Iouis concubinus *Catamitus* ab antiquis vocatus. Et Catamitum Cic. *in 2. Philipp.* Antonium dixit. Infamia autem olim damnatos, qui ſua prodige & luxurioſe decoquebant & conſumebant, patet etiam ex Solonis lege, referente Diogene Laertio *lib.* 1 *Decretorum Philoſophorum*. Erat autem lex huiuſmodi: τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν διαπανήσων ἄτιμος ἔστω, hoc eſt: *Qui patrimonij ſui verſuram fecerit, ignominioſus eſto.* Budæus *in ſuis annotat. in Pandect.* exiſtimat, *catamidiare* conſimile eſſe, quod Latini *traducere* dixere. Liuius *lib.* 2. vbi loquitur de Volſcis, publico conſilio & præconis voce à ſpectaculis exactis: *Vos*, inquit, *omnibus ciuibus peregrinis, populis, ſpectaculo abeuntes fuiſſe;*

*veſtras coniuges, veſtros liberos traductos per ora hominum.* Et Veſpaſianus, referente Paterculo, vbi de delatoribus: *Hos aſſidue in foro flagellis ac fuſtibus caſos, ac nouiſſime traductos per amphitheatri arenam, paſſim ſubijci in ſeruos, ac vanire imperauit, partim in aſperrima inſularum aduchi.* Quod ſicuti nobis probatur, ita ſane minus recipiendum videtur, quod ex ſacro Euangelio Matthæi, *cap.1.* traditur, in eadem ſignificatione accipiendum, ſcilicet: *Ioſeph autem vir ipſe iuſtus, nolens eam traducere, voluit occulte dimittere.* Illud enim *traducere* Græci παραδειγματίζειν nil aliud ſignificat, quam palam extra ducere, id eſt, illi libellum repudii, vti Hebræis mos erat, dare & dimittere de domo ſua, iuxta præceptum Deuter.24.

## ÆL. SPART. IN DIDIO IVLIANO.

*Inter viginti viros electus eſt ſuffragio Matris Marci.*

VIgintiuiratus meminit Tacitus *lib.3.* per hæc verba: *Per idem tempus Neronem è liberis Germanici iam ingreſſum iuuentam commendauit Patribus, vtq; munere capeſcendo Vigintiuiratus ſolueretur.* At quis eſſet hic magiſtratus, Dion ſolus *lib.53.* docet, inquiens: *Vigintiuiri erant Triumuiri capitales, Triumuiri monetales, & quatuoruiri curatores viarum vrbis, & decemuiri, qui haſtam centumuiralem cogebant.* Ex quibus colligimus, vigintiuiratum magiſtratum fuiſſe, ex quatuor aliis magiſtratibus collectum. Ex Neotericis Carolus Sigonius *de antiquo iure Italiæ, lib.2.cap.2.* ſcribit, Vigintiuiros Cæſarem intuliſſe in primo Conſulatu, quum legem Agrariam tulit, quod inter omnes ſubdit, ſe videre conuenire. At quum nec Dion, nec Suetonius, qui vitam Iulii Cæſaris diligentiſſime ſcripſere, quicquam de re hac literis mandarint, quamuis de lege Agraria ab eodem lata verba fecerint, qui ſint qui in re hac omnes conueniant, neſcio. Eandem expoſitionem recipit Turnebus *lib. Aduerſar.1. cap.25.* eadem Dionis authoritate Budæus *in poſt. annotat. in Pandect.* Vigintiuiratus meminit, ſed qui eſſent, non meminit. Illud ſane nos adnotamus, quod quum antea primus magiſtratus, qui peteretur, eſſet Quæſtura, vt alias abunde docui-

docuimus, poſteà à Iulio Cæſare Vigintiuiris electis, magiſtratus ſcilicet conſtans ex iam dictis, hic primus erat ante Quæſturam petendus, & obtinendus. Quod clare colligimus ex Tacito loco citato ſcribente, Tiberium Neronem patribus commendaſſe, vt eum à munere capeſcendi Vigintiuiratum ſoluerent, & quinquennio maturius, quam per legem, Quæſturam peteret.

## ÆLIVS SPARTIANVS IN SEVERO.

*Quæſturam diligenter egit, omnibus ſortibus natus militari, poſt Quæſturam ſorte Beticam accepit.*

IOan. Baptiſta Egnatius lectionem corruptam fatetur, at quomodo reſtituenda ſit, ſilet. Nos arbitramur ita legendum: *Quæſturam diligenter egit, omnibus ſortibus nactus militarem*, ibique ſit punctus. Quis ſenſus vero ſit, perquirendum. Per initia lege curiata Regibus permiſſa eſt Quæſtorum electio, quibus extinctis, id munus Conſulare fuit; Poſtmodũ populi ſuffragiis comitiis curiatis quæſtores creati, quod ex Dionyſio ad finẽ *li.*4.&Tac.*lib. Annal.*2.manifeſtũ fit. Sciẽdum prꝛterea, ſortem cõmuniori ſignificatione accipi pro fortuito cuiuſcunq; rei euẽtu. His ſic ſe habentib. dictorum Spartiani ſenſus erit: Seuerum nactum Quæſturam militarem omnibus ſortibus, id eſt, Quæſtorem factum, ſorte omnium ſuffragiorum, nam quum ſuffragiorum euentus fortuitus eſſet, & incertus, ſortes appellari ſuffragia poſſunt. Addamus ſorte etiam poſtea eidem Quæſturam militarem obueniſſe, nam creatis Quæſtoribus, Quæſturas vrbanas, & prouinciales inter ſe ſortiebantur ipſi, quod ex Cic. probari poteſt, ſcribente in Verrem: *Quæſtor ex Senatuſconſulto Prouinciam ſortitus eſt.* Et ad Q. Fratrem: *Quæſtorem habes, non tuo iudicio delectum, ſed eum, quem ſors dedit.* Et pro Mur. *Quæſtura vtriuſque propemodum pari momento ſortis fuit.* Et pro Seſtio; *Quæſtor hic C. Antonii collega mei fuit ſorte.* Non negauerim tamen, Quæſturas authoritate aliquando S. C. vel lege aliqua, vel principis viri decreto, ſine ſorte datas. Sic Cic. in Antonium: *Quæſtor es factus, deinde continuo ſine S. C. ſine ſorte, ſine lege ad Cæſarem cucurriſti.* Et in Epiſt. ad Att. *Pompeius Q.*

*Caſſium Quæſtorem ſine ſorte delegit, Cæſar Antonium*. Ordinarie tamen ſorte dabantur Quæſturæ. Erit itaque ſenſus verborum Spartiani, Seuerum ad quæſturam militarem perueniſſe omnibus ſortibus, id eſt, ſorte ſuffragiorum Quæſtorem factum, mox ſorte illi militarem Quæſturam obueniſſe. Dicebatur autem Quæſtura militaris, quam Quæſtor obibat, qui ſtipendia militibus perſoluebat; Nam Aſinius Pollio inter Epiſt. fam. Cic. *lib.* 10. *Epiſt.* 31. queritur, quod Balbus Quæſtor, magno pondere auri & argenti coacto de publicis exactionibus, ex Hiſpania fugerit, ne ſtipendio quidem militibus reddito. Et apud Liuium lib. 42. *Quæſtores, quorum ſtipendia, quæ à Regibus aut Nationibus pendebantur, accipiunt*. Vnde in caſtris *Quæſtorum* legimus apud eundem, Quæſtoris ſcilicet habitationem, *lib.* 10. Huic noſtræ interpretationi obiici poteſt, Imperatorum temporibus, præſertim poſtremorum, populi, Senatuſque Romani potentia omni in illos tranſlata, eos pro libito magiſtratus omnes dediſſe, & ſorte Quæſtorias Prouincias minime partitas. Cui obiectioni facilis reſponſio, quum ſtatim ſubiungat idem Spartianus, Seuerũ poſt Quæſturã Beticam Prouinciam accepiſſe ſorte. Verum libet & addere, ſecundum eandem lectionem poſſe interpretari, *omnibus ſortibus*, id eſt, omnibus votis & ſuffragiis, vt ſcilicet (quod aiunt) nemine diſcrepante, Quæſtor fuerit creatus. Addamus, ſortes etiam oraculorum reſponſa dictas. Val. *lib.* 1. Cuius rei explorandæ gratia legati ad Delphicum oraculum miſſi, retulerunt, præcipi ſortibus, vt aquam eius lacus emiſſam per agros diffunderent. In eodem ſignificatu Capitolinus in Clodio Albino: *Quare ſortem illam, qua Seuerum laudatum in Peſcennii vita diximus, ad ſe trahebat*. Et rurſus: *Quod quum ille ſortem de fato ſuo tolleret, &c.*

Quibus ſic ſe habentibus poſſumus etiam afferre hunc ſenſum, quod ſcilicet Seuerus adeptus fuerit Quæſturam, omnibus ſortibus, id eſt, omnibus oraculis prædicentibus ei, vt interim omittamus ſortis genus illud, quod vulgo *Lotto & Ventura* dicitur, cuius ſæpe meminit Lampridius *in Heliogabalo*. Aliam quoque ſubdimus interpretationem, litera non mutata, vt ſcilicet legamus *natus*, (non *nactus*) nam mi-

litarem

litarem pro militari legendum conſtantiſſime credimus, & ſenſus erit, Seuerum omnibus ſortibus natum, id eſt, eum aptum natura, & genitum, & habilem ad quæcunque munia publica, ſiquidem ſors quandoque Latinis accipitur pro munere vel officio. Liuius: *Si ita videretur Patribus, mitterent ad collegam, vt is, qui profligatum bellum haberet ad comitia Romam rediret, ſi id facere grauaretur, quod non ſuæ ſortis id negotium eſſet, ſe quidem facturum, quod Senatus cenſuiſſet.*

## ÆLIVS SPARTIANVS IN SEVERO.

*Poſt Quaſturam ſorte Beticam accepit, atque inde Africam petiit, vt mortuo patre rem domeſticam componeret; ſed dum in Africa eſt, pro Betica Sardinia attributa eſt, quod Beticam Mauri populabantur.*

QVidam interpretantur Beticam, id eſt, Hiſpanicam, eo quod Betis fluuius Hiſpaniam præterfluens, eam diuidat. Vnde Auſonius Epiſt. 15.

*Qua Betis Oceanum Tirrhenumque vrget Iberus.*

Verum, etſi nos fateamur Beticam aliquando accipi pro tota Hiſpania, nihilominus hoc loco non dubitamus interpretandum pro ſpeciali Hiſpaniæ Prouincia, ita à Beti, ex ea demiſſo flumine, dicta, ab incolis *Turdetania* appellata, authore Strabone *lib.* 3. Ea nunc *Granata* dicitur, à Grano tinctorum, quæ Græcis κόκκος vocatur, vulgo *Grana* dicitur, de qua Plinius *lib.* 21. *c.* 8. cuius copia in hac Hiſpaniæ parte naſcitur, teſte Strabone *lib.* 10. & in ea lanas pulchro colore tingi oſtendit Martialis inquiens:

*Betis oliuifera crinem redimite corona,*
*Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.*

Eandem Prouinciam optimi ſalis feracem elicimus ex Sereno in Heroum tumulis ſcribente:

*Sal niueum ſumes, Beticum quem nomine dicunt.*

Huic autem noſtræ expoſitioni fauent verba ipſiuſmet Spartiani, quæ ſtatim ſubdit, pro Betica ſcilicet Seuero Sardiniam attributam, quod Mauri Beticam populabātur; Huius enim

enim Prouinciæ etiam noſtro æuo incolæ vt plurimum Mauri ſunt; quamuis Ferdinandi & Eliſabeth Hiſpaniarum Regum imperio, quorum auſpicio debellati fuere, Chriſtianam fidem profeſſi ſint.

## ÆLIVS SPARTIANVS IN SEVERO.

*Ita vt mortuus ictu plumbea crederetur.*

PLumbeam ſubſtantiuum nullibi obſeruamus, quare ſi adiectiuum dixerimus, ſubſtantiuum aliquod ſubintelligendum erit, cui adnitatur, veluti *pila*. Sic Martialis dixit *Plumbea ſelibra*, vt ſenſus ſit, pilæ plumbeæ funda vel alia machina bellica iacta Seuerum perculſum. Vel & forte rectius, legendum loco plumbeæ, *plumbata*, ſiquidem duas plumbatarum ſpecies apud ſcriptores legimus, quarum alterá ſupplicium eſt, altera vero telum bellicum. Priori in ſenſu, *plumbata* ſunt verbera cum plumbo facta, quibus certis criminibus ſontes cędebantur. Plumbatarum verbera legimus apud Iuriſconſultos *in l. 2. de exact. tributo lib.* 10. *Cod.* ita enim illic legendum docet lex tertia *de exactor. in C. Theod & l. 2 ff de quæſt. & l.* 8o. *de Decurio in eod. Cod.* Et *in l. 7. de exact. eod Cod.* appellantur plumbi verbera, & *in l. vni. C. de his qui potentiorum nomine*, præcipiunt Imperatores, eos qui in potentiores litẽ transferunt plumbo affectos relegari. In eodem ſenſu apud ſacros ſcriptores legimus. Ambroſius *lib. 5. Epiſt.* ſcribit, aliquos Chriſtianos gladio, aut fuſtibus, aut plumbis necatos. Idem in lib de paſſione Geruaſii & Protaſii inquit: *Tunc indignatus Comes Aſtatius, iuſſit eum tamdiu plumbatis contundi, quamdiu exhalaret ſpiritum.* In libello quoque paſſionis Valeriani, Tiburtii, & Maximi martyrum, ita ſcribitur: *Igitur quum perueniſſet ad Almachum, quod Maximus Cornicularius cum ſuis omnibus eſſet factus Chriſtianus, iuſſit eum tamdiu plumbatis tundi, quandiu ſpiritum redderet.* Et in paſſione quatuor coronatorum martyrum habemus: *Illis autem reluctantibus renunciatum eſt Diocletiano Augusto, qui ipſos iuſſit ante ſimulachrum ictu plumbatarum deficere.* Et Prudentius περὶ στεφάνων habet:

*Tundat tergum crebris ictibus,*
*Plumboque ceruix verberata extuberet.*

Pulſatus

*Pulſatus ergo martyr illa grandine,*
*Poſtquam inter ictus dixit hymnum plumbeos.*

Verum in hac ſignificatione *plumbatam* minime accipi poſſe in præſenti loco, clariſſimum eſt. Plumbata etiam fuit antiquis iaculi genus, cuius duo genera facit author libelli *de rebus bellicis*, qui *notitia Imperii Ro.* inſcribitur. Vnum, cuius ligno ferrum ad formam venabuli infigebatur, fiſtula eiuſdē ferri parumper extenſa, ſuper quam modico interiecto ſpatio, plumbo adhærentes aculei, vel ut tribuli, emergebant, quæ plumbata tribulata appellabatur. Altera vero erat mamillata, quæ bene extenſa & directa virga accipiebat in extremitate ſui rotundum & in acutum deductum ferrum, ſimilibus locis quibus ſuperior, in tribulata, plumbo & pennis adhærentibus. De eiſdem meminit Vegetius *lib.1.c.17.& lib 11.c.15* inquiens: *Plumbatarum quoque exercitatio, quas Martiobarbulas vocant, eſt tradenda iunioribus.* De his etiam inter recentiores Alciatus *Prætermiſſorum lib.1.*

## ÆL. SPART. IN PESCENNIO NIGRO.

*Hunc in Commodianis hortis, in porticu curua pictam de Muſiuo inter Commodi amiciſſimos videmus ſacra Iſidis ferentem.*

SPartianus ait, ſe vidiſſe Peſcennium Nigrum in Commodianis hortis in porticu curua pictum de Muſiuo, inter Commodi amiciſſimos ſacra Iſidis ferentem. Quæ vero pictura Muſiua, ſeu de Muſiuo fuerit antiquitus, perquirendum, cum vox hæc infrequens valde ſit, nec alibi forte obſeruata, præterquam apud D. Auguſt. *de Ciuitate Dei*. Vulgo *Moſaico* dicitur, & eſt opus ex varicoloribus lapillis ſimul compactis figuram quamuis repræſentans. Cuius operis meminit Scholaſticus *Epigram.lib.4.* Verſus Græcos non appono, binos tamen Latinos redditos in medium affero ad rem præſentem facientes:

*Admiror qua arte ex aliis, aliiſque lapillis*
*Tam cito compoſitum transierim in Satyrum.*

De huiuſcemodi opere quoque Plinius libro 37. *Interraſo*, inquit, *marmore, vermiculatiſque ad effigiem rerum, & animalium cruſtis.* Huiuſmodi pulcherrima opera in Italia conſpiciuntur

ciuntur in Æde Senenſi Cathedrali, & in D. Marci Templo Venetiis. Cur autem opus iſtud ita appelletur, colligere poſſumus ex Plinio *libro 36. cap. 21.* ſcribente: *Non prætermittenda & pumicum natura, ſiquidem ita appellant quidam ita & eroſa ſaxa. In ædificiis vocant Muſæa dependentia ad imaginem ſpecus arte reddendam.* Noſtris temporibus Romæ & Florentiæ pluribus locis videmus ſpeluncas huius generis cum fontibus, in quorum parietibus, lapillis verſicoloribus inuicem connexis, variæ animalium figuræ, veluti ſi depictæ eſſent, configurantur. Quæ omnia Muſiuum opus Latine dici poſſe non ambigimus. Cuiuſmodi loca Muſis & ſtudiis dicata olim, & muſæa vocata ſcimus. Ita Strabo *lib. vlt.* ſcribit, apud Alexandriam fuiſſe nobiliſſimum Muſæum. Stephanus *de Vrbibus*, eſſe tradit apud Olympum in Macedonia, ex authoritate Polybii. Spartianus *in Adriano* Muſiuum appellat, inquiens: *Apud Alexandriam in Muſiuo multas quæſtiones profeſſoribus propoſuit, & propoſitas ipſe diſſoluit.* Et Plinius lib. 1. Epiſt. ad Fundanum inquit: *O mare, o littus, verum ſecretumque muſæum, quam multa inuenitis?* Ita Philoſtratus in vita Apollonii Thianei μουσεῖον vocat locum Muſis ſacratum, quod & Pollux affirmat. Varro *lib. 3. de re ruſt. cap. 5.* dixit, directum eſſe fluuium ab inſula ad Muſæum, ita vocat locum Muſis & ſtudiis dedicatum, proinde de Caſinate fundo Varronis ita ſcribit Cic. in Antonium: *Studiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum diuerſorium.* Hinc adnotare libet, iure merito doctiſſimum Alciatum in Annot. Cod. in tres poſteriores libros, l. 1. C. de excuſ. artif. lib. 10. *Muſiuarios* legere, quod alii *Muſcarios*, alii *Muſarios*, Cuiacius *Muſinarios* legunt, ſed perperam hi omnes. Ita & apud Firmicum *lib. 2. c. 4.* vbi habet: *Aut inauratores, aut Muſinarios*, haud dubie reponendum *Muſiuarios*, artifices ſcilicet operum Muſiuorum, ſeu Muſiuo dictorum. Inter Muſiui opera enumerandum *Lithoſtratum*, hoc eſt, pauimentum lapillis varii coloris ſtratum. Alarotam etiam dixit Græca compoſita voce Xenodorus, qui primus clatuit in faciendis pauimentis miro artificio, paruulis teſtulis in varios colores tinctis, & imagines repræſentantibus. Pap. lib. Syluarum:

*Sub erat que nouis aſarota figuris.*
De his plura apud Plinium *lib.36.c.25.* Dictum autem fuit *Lithoſtratum* dictione compoſita ex λίθος, id eſt, *Lapis,* & στρωτὸς, id eſt, *ſtratus.* Legimus in Euangelio Ioannis: *Et ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos.* Et Varro lib. 3. de re ruſt. *Quum villam haberes opere tectorio, atque inteſtino, ac pauimentis nobilibus Lithoſtrotis ſpectandam.* Sicuti autem Muſiuum in parietibus appellamus hoc opus, ita & in pauimentis Lithoſtrotum, vel Aſaroton, & vermiculatum opus, etiam communiori appellatione dictum in lapidibus, quod in lignis teſſellatum appellamus, quum ſcilicet ex ligneis ſegmentis varii coloris variæ rerum figuræ conformantur, vnde vulgo *opus de Tarſia.* Trebel. Pollio ait *in Tetrico Iuniore* 24. Tyr. de Tetricorum domo in Monte Cœlio, in qua Aurelianus pictus eſt, vtrique prætextam tribuens, Senatoriam dignitatem, accipiens ab his ſceptrum, coronam ciuicam, picturatam de Muſæo.

## ÆL. SPART. IN PESCENNIO NIGRO.

*Idem piſtores ſequi expeditionem prohibuit, bucellato iubens milites & omnes eſſe contentos.*

COElius Rhodig. *lib. lect. antiquarum 9. c. 16.* bucellatum interpretatur frumentum excoctum ad vſus diuturnitatem, idq; authoritate Am. Marcellini, cuius hæc ſunt verba, lib 17. *Viginti dierum frumentum, ex eo quod erat in ſedibus conſumendum, ad vſus diuturnitatem excoctum bucellatum, vt vulgo appellant, humeris impoſuit libentium militum.* Sed quæſo, quis in annona militari excocti frumenti vſus? & quæ ad diuturnitatem proficere poteſt excoctio? niſi & eundem in panem redactum dixerimus. Ad hæc, cur Peſcennius piſtores ſequi expeditionem prohibuiſſet, niſi id genus frumēti in panem *bucellatum* dictum redactū fuiſſet? Quare per *bucellatū* dubio procul intelligendū id genus panis, quod nos biſcoctum appellamus, cuius rei in expeditionib. bellicis, præſertim nauticis, frequēs apud omnes & nūc vſus, vnde & panis nauticus dictus. Volcat. de Auidio Caſſio tradit: *Præter laridū, ac bucellatum, & acetum militem portare prohibuit.* In eadē ſignificatione accipi-

accipitur à Iuriſtis *in l. 1. C. de erog. milit. ann. lib. 12.* ſcilicet pro genere panis biſcocti. Ita & Alciatus *in annot. in Cod. poſt. lib.* interpretatus eſt. Vnde non inepte Paulinus & Theraſ. in Epiſt. Auguſt. 36. *De buccellato Chriſtianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi miſimus.* Dictus autem buccellatus panis, eo quod in bucellas & quaſi teſſellata fruſta formetur, ad hoc vt facilius iterum coqui & exſiccari melius poſſit. Bucella enim buccæ diminutiuum eſt, & *bucea* fruſtulum eſt alicuius rei comeſtibilis, quantum bucca commode capere poteſt. Vnde buccellas dixit Tertullianus *lib. de Monogamia*, panis portionem, quam miniſtri Eccleſię mulieribus dabãt domum perferendam, Græcis δίπυρος, & ξηρὸς ἄρτος, & παξημαδιόν, ſcilicet panis biſcoctus & ſiccatus. Apud Georgium Turonenſem legimus, ab Ætii bucellario Valentinianum interfectum fuiſſe, quamuis P. Diaconus à milite interfectũ ſcribat, & Pomponius Lætus à Tranſtyla & Octila, Ætii militibus. Turnebus tradit *Aduerſ. lib. 24. c. 16.* Mauritii neſcio cuius ſcriptoris Græci authoritate innixus, Bucellarios equites fuiſſe armatos Zabis, & manicis ferreis, contatos, & ſagittarios, qui ante Imperatorem exercitus equitabant. Alciatus *Diſpunct. lib. 3. c. 20. in l. fi. C. ad l. Iul. de vi publ.* quam Leo & Anthemius Imperatores lege Iulia *de vi publica*, eos teneri ſanxere, qui vel Iſauros vel Bucellarios domi haberent, & inquit, ex authore, qui ſub Theodoſio iuniore militiam Romanam deſcripſit, equites in exercitu Romano fuiſſe, quibus magiſter militum per Orientem præerat, quorum alii iuniores, alii ſeniores dicti, vt exiſtimare liceat milites hoſce latrocinatos, & rapto viuere ſolitos, hoſque ex Gallogræcis fuiſſe, quibus Iſauri proximi, quum Suidas Gallogræcos βουκελλαρίους, & βουκελλάριον Gallogræciam appellet. Hos certe latrones fuiſſe, ſicuti & Iſauri, conſtat, quia lege prouinciarum, *l. 9. C. de epiſc. aud.* Honorius & Theodoſius tolli citius quam potuerit latrones ſtatuere, potiſſimum Iſauros; Nec obſeruandum, in illis torquendis & inquirendis, etiam ſacroſanctum Paſchatis diem, quia ſalus multorum ex eorum pœna pendeat; & Iſauria ſubacta à Seruilio Iſauro, ob id pyratarum

munitio-

munitiones deletas teſtatus eſt Strabo *lib.*12. Cogitabam etiam Bucellarios milites dici potuiſſe illos, quibus bucellati publici in procinctu & caſtris militaribuſque expeditionibus cuſtodia erat demandata, qui ſi forte rem minime fideliter geſſiſſent, latronum loco haberentur, ac contra illos, ſicuti & aduerſus Iſauricos prædones, *lege Iulia de vi publica*, agi poſſet, quemadmodum & contra eorundem fautores, quique domi ſuæ eos alerent, vt tanto odio legis & metu, bucellati adminiſtrationem fidam gererent. Obſeruamus certe apud Zonaram Ducem Bucellariorum Gallogræcos quidem fortiſſimos & ferociſſimos, ac indomitos bellatores fuiſſe, ex Liuio *lib.* 38. habemus; at nullibi eos prædones vocatos. Poſtquam hęc ſcripſeram ad manus meas peruenit libellus Græcus Conſtantini Regis Porphyrogennetæ de Thematibus, ſiue de agminibus militaribus per Imperium Orientale diſtributis, cuius verba ſunt per initia Thematis 6. Ὁμοίως δὲ καὶ τὸ θέμα τῶν βουκελλαρίων, οὐκ ἀπὸ τόπου τινὸς τὴν προσηγορίαν ἐκτήσατο, οὔτε μὴν ἀπὸ ἔθνους οὕτω καλιμένου, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐπακολουθεῖν τοῖς στρατιώταις, καὶ τὰς τροφὰς αὐτῶν ἐπιφέρεσθαι. βουκελλάριος γάρ κατὰ Ρωμαίων διάλεκτον ὁ φύλαξ τοῦ ἄρτου καλεῖται, ὥστε εἶναι τε τοὺς στρατιώτας ἐλάφρους, καὶ ἀβαρεῖς πρὸς τὸν πόλεμον βούκελλος γὰρ τὸ κρικελοειδὲς ψωμίον καλεῖται κελλάριος δέ ὁ φύλαξ τοῦ ἄρτου. Quæ Bonauentura Vulcanus ita interpretatus eſt: *Similiter & Thema Bucellariorum non à loco aliquo appellationem accepit, neque à gente aliqua, quæ ita vocaretur, ſed quum militum aſſeclæ eſſent, & commeatus eis veherent. Bucellarius enim lingua Latina vocatur is, qui rei panariæ cuſtodiam gerit, vt milites expediti, & ab omni onere liberi ad bellum eſſent. Bucellus enim vocatur cibarium, circularem formam præſe ferens, cellarius autem cuſtos panis.* Quibus perlectis in libello Græcolatino nuper edito, mirum quanta lætitia affectus ſim, quod in re obſcura coniectura ductus genuinũ ſenſum diuinatus quodammodo fuerim. Non ſemper tamen milites bellantes tantum bucellato pane vſos colligimus clare ex Vopiſco *in Aureliano*, ſcribente in Epiſtola Valeriani Imperatoris

Cicinio Albino Vrbis præfecto de Aureliano: *Supradicto viro efficies quandiu Roma fuerit panes militares mondos ſexdecim. panes militares Caſtrenſes quadraginta decernendos.* In expeditionibus ſane militaribus, in quibus de annonæ defectu timebatur Bucelato vſi ſunt milites Romani. Vopiſcus de Tacito Imper. *Panem niſi ſiccum vnquam comedit.*

ÆLIVS SPARTIANVS IN ANTONINO CARACALLA

*Inde quum in Aſiam traiiceret, naufragii periculum adiit antẽna fracta, ita vt in ſcapham cum protectoribus deſcenderet. Et paulo poſt: Occiſus aut in medio itinere inter Carras & Edeſſam, quum leuanda veſica gratia ex equo deſcendiſſet, atque inter protectores ſuos coniuratos cadis ageret.*

HVIVS vocis *protectores* nullibi, quod meminerim, primæ claſſis Latini ſcriptores verba fecere. Apud I. C. non ſemel eam legimus; Adeſt enim tit. Cod. *de domeſticis & protectoribus lib.* 12. Erant vero, qui armati, non ſolum ſe defendendi, ſed & Imperatoris corpus tutandi ſolicitudinem gerebant, vnde illis protectorum nomen. Horum binum genus erat, nam eorum alii in acie militabant, alii inter familiares Imperat. ideo domeſtici protectores dicebantur, vt aiunt, *l.* 8. *&* 9. *tit. eod. in C. Theod.* Ex iis vero fuere aliqui equites, aliqui pedites, *l. vlt. C. eod. l. reſtituenda. C. de aduo. diuerſ. iud.* De eiſdem Caſſio dorus *lib.* I. *Var.* inquiens. *Domeſtici partis equitum & peditum, qui noſtra Aula videntur iugiter excubare.* De his domeſticis verba facere vtrobiq; Spartianum non dubitamus; Imperatorem enim Antoninum Caracallam in naufragio non eſt veriſimile cum bellicis protectoribus, ſed cum domeſticis, qui pauciores erant, ſe recepiſſe, & ab eiſdem in illius cædem coniuratum. In aula Rom. frequens protectorũ ſit mẽtio, ſed in alio ſenſu, nam in ſacro Senatu *Conſiſtorio* dicto, vnaquæque Prouincia ſingulaque Regularium ſodalitia habent ſuos patronos Cardinales ſcil. tutelares, quos protectores, vocant quorum munus eſt electiones & alias Prouinciæ ſuæ regulæ ſibi addictæ cauſas in ſacto Senatu proponere, & oppoſitionibus

nib.reſpondere. Protectorum meminit non ſemel Am. Marc.li.14.*Primũ ſoliſq; accolis iuſſit eſſe contentum Palatinis & protectorum cum ſcutariis,*Et iterum. *Praefecti cuſtodiã Protectoribus mandauerat fidis.*Et paulo infra: *Exindeque per protectores retractus arctiſſime tenebatur.* Et rurſus: *Aduenit Arculanus protector domeſticus.*Et li.15. *Miſſi igitur ad eos corripiendos Teutomates protector domeſticus cum collega.*Et mox addit:*Protectores vero pronunciati vertere ſolum exilio.* Quinimo & ipſemet Am.Marcell.fuit protector domeſticus Conſtantii Imper. vt refert *li.15.*in hæc verba.*Protectores domeſticos decem vt poſtularat,ad iuuandas publicas neceſſitates ſecũ duxit, inter quos ego quoq; eram cum Veriano collega,reſidui omnes propinqui, & familiares.*Idẽ li.18.*Tribuni cum protectorib.miſſi.* Ex quib.conſtat, ꝓtectores milites fuiſſe ſe lectos & primarios inter cæteros.Ex iis vero domeſtici dicebantur,quib.principis,aut Imperatoris,aut Ducis cuſtodia demãdata erat, qualis Verianus domeſticus protector,quẽ ſui collegam vocat Ammianus paulo poſt.quod clare patet ex eodem Ammian.li. 21.ſic ſcribente: *Inducta in iudiciũ fœmina quadam, quũ Palatinium aduerſariũ ſuum, è numero protectorũ cinctum præter ſpem conſpexiſſet,hoc factũ inſolens querebatur tumultuando. Et Imper. Proſequere(ait)mulier,ſi quid læſam te exiſtimas: hic enim ſic cinctus eſt, vt expeditius per lutũ incedat, parum nocere tuis partibus poteſt.*Quod vero protectores,& domeſtici appellarentur, patet ex ipſomet Amm.qui *lib.25.*de Iouiano ad Imperium aſſumpto,illum inter domeſticorũ ordinis primũ enumerat.Et paulo poſt:*Iouianum*(inquit)*ad vmbram Imperii adhuc protectorẽ adſcitum.*Et li.26.*Maſaucionẽ domeſticum protectorem.* Officium protectoris dignitatem fuiſſe conſtat ex Amm. *li.30.*ſcribente de Gratiano maiore: *Poſt dignitatem protectoris,atque Tribuni,Comes præfuit rei caſtrenſi per Africam.*Protectores Rom.Regũ tempore Celeres appellatos colligim⁹ ex Liuio *li.1.*ſcribẽte de Romulo:*Trecentoſq; armatos ad cuſtodiã corporis,quos Celeres appellauit,non in bello ſolũ,ſed etiã in pace habuit.*Et rurſus de Bruto Tarquinium è Regno expellẽte ait: *Præco ad Tribunũ Celerum,in quo magiſtratu forte Brutus erat,populum aduocauit.*

 ÆLIVS

MARCELLI DONATI

# IN VULCATIUM GALLICANVM, DILVCIDATIONES.

## VULCAT. GALLICAN. IN AVIDIO CASS.

*Auidio Caſſio legiones Syriacas dedi, luxuria & Daphnicis moribus agentes.*

FVIT Daphnis Antiochiæ ſuburbanũ, quod octoginta ſtadiorum ambitu claudebatur, teſte Srabone, in quo amœniſſimum quidẽ & delitioſiſſimum fuiſſe nemus teſtatur. De hoc Iulius Capitolinus: *Verus poſtquam in Syriam venit, in delitiis apud Antiochiam & Daphnen vixit.* Et Ammianus *lib.19. Apud Daphnem amœnum illud & ambitioſum Antiochiæ ſuburbanum.* De hoc loco legislatores *l. 1. de cupreſſ. lib.11. C. titulo* 77. vbi habemus, quod ementes & vendentes ex arboribus lucorum Daphnes in Syria, vel Perſidesin Ægypto 50. libras auri fiſco debebant. *Daphnicis* itaque *moribus agere* dicit, in delitiis ſcilicet viuere. Ita Scribonius Largus *cap.*180 Caſſiam Daphnitidem ponit in compoſitione medicamenti ad calculoſos, ideſt, quæ ex nemore Daphnes prope Antiochiam colligebatur, vti male interpretatus eſt Turnebus *lib. Aduerſ.17. cap.16.* nam prope Antiochiam nullam Caſſim nec ligneam nec fiſtularem naſci manifeſtiſſimum eſt. Quare potius interpretandum, Caſſiam quæ lauri folia ſimilia habeat; tales enim habere caſſiam ligneam ſcribunt omnes. In Daphne autem Antio-

chię ſuburbano, authore Auſonio, erant ſpectatiſſimæ lauri, à quibus & nomen ſumpſit. Addit Philoſtratus, in eo naſci Cupreſſus in ſolitos, in memoriam Cypariſſi, quem Apollo dilexit cui ille locus ſacer, cuius etiam meminere Arrianus, Pauſanias, Cæſar Iulianus, in Oratione quę inſcribitur Miſopogon. Et Claudianus de eodem:

*Ambit Apollinei nemoris nutritor Orontes*

Fuit & munimentum *Daphne* appellata prope quod caſtrametatus eſt Valens, authoritate Ammiani Marcelli *lib.* 27. Daphnen locum lauris conſitum vocauit Petronius, inquiens: *Flexitq; ſe in eum Daphnona, qui ambulationi hærebat.* Liuius de Anibale *in calce lib.* 33. Antiochũ conuenientem inquit: *Quum audiſſet filiũ eius ſolemne ludorum ad Daphnen celebrantem* Huius loci deſcriptam Iconem apud Ortelium in poſtrema Theatri orbis terrarum editione conſpicari licet, quo tamen in loco perperam numiſma æreũ Conſtantini interpretatus eſt, cuius in oppoſita parte exculptæ ſunt arbores trophæis bellicis exornatæ, & Reges deuicti genuflexi, cum literis in illius orbe huiuſmodi

CONSTANTINIANA DAPHNE.

Cuius inſcriptionis rationem aſſignat Ortelius, quod Cõſtantinus eum locum excoluerit, & multis delitiis exornauerit. Nos è contra interpretamur, per Conſtantini Daphnē ſignificari trophæa illa & Reges deuictos, quod ſcilicet ſicuti alii Imperatores, preſertim Græci, voluptatibus Daphnis marceſcentes, ignauam vitam ac deſidem traduxerant, ſic ille è contra in belli laboribus conſenuerat, vndè victorias & Trophæa parta ſuas voluptates & ſuam Daphnem Conſtantinianam appellat. Sic Vulcatius ait, Auidiũ Caſſium Syriacas legiones difluentes luxuria Daphnicis moribus ſeueritate ſua emendaſſe, & programma in parietibus fixiſſe, vt ſi quis cinctus inueniretur apud Daphnen diſcinctus rediret. De hoc plura apud Ortelium eundem cognoſcat lector.

VVLCA

## VULCAT. GALLICAN. IN AVIDIO CASS.

*Quas totas excaldantes ſe reperiſſe Caſonius Veſtilianus ſcripſit. Et paulo poſt: Ille ſane omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, & ſinu, militi excutiet.*

HAS voces *excaldare*, & *excaldationes* non alibi apud Latinos ſcriptores me obſeruaſſe memini. Sed paſſim legimus *excalefacere*, & *excalfacere*. Sciendum tamen, quod ſicuti calidus ſimpliciter dicitur ita per ſyncopam dici *caldus* Matt.

*Frigida non deerit, non deerit calda petenti.*

Sunt tamen qui differentiam faciant inter calidum & caldum; vt ſit calidum, ſponte & ex ſui natura, nullo extrinſecus adminiculo adueniente, vt ignis ipſe & ſpiritus noſter animalis, qui ex ſe ipſis calidi dicuntur, & ſunt. Caldum vero quod extrinſecus & ab alio deriuatur, & mutuatur, quo modo dixit Pædianus: *Corpus nudum caldatum, ſicuti in lecto erat poſitum vt vulnera videri poſſent, in forum detulit.* Antiquis tamen frequentiorem vſum vocis caldi, quam, calidi conſtat ex Auguſto in Epiſtolis ad Cæſarem ſcriptis, vbi emendauit illum quod *calidum* ſcribere maluiſſet, quam *caldum*, & *calidam* quam *caldam* non quia id non eſſet Latinum, ſed quia eſſet odioſum, & vt ipſe verbo Græco ſignificauit περίεργον hoc eſt curioſum, & nimis affectatum. Ita & hoc loco Vulcatius ſcribit, Auidium Caſſium Syriacas legiones totas ſe excaldantes reperiſſe. Et paulo poſt de eodem *Ille ſane omnes excaldationes excutiet.* Eſt autem ſenſus quod quum Auidius Caſſius repperiſſet Syriacas legiones diffluentes luxuria, etiam ſe ex caldantes, hoc eſt, ad ignem, vel potius in apoxariis & hypocauſtis ſe excalefacientes frigoris tempore, id illis interdixiſſe, vt ad priſtinã militiæ diſciplinã reuocaret, quod clarum ſit ex his, quæ mox ſubdit, nempe eundem iuſſiſſe, niſi corrigerẽt ſuos mores ideſt, niſi abſtinuiſſent ab excaldationibus, eos hyemem ſub pellibus agere iuſſurũ, quod eſt in aperto degere. Nec obſtat Syriã Aſiæ Regionem Orientalem eſſe, & ob id minime opus fuiſſe militib. vt ſe excaldarent. Nã de hac Ptolomæus ait, in medio Orbis cõſtitutã, quo fit, vt nec calore

AB Ære *æruſcare* verbum, & ab eo *æruſcatores* voces ſunt ſatis Latinis ſcriptoribus infrequentes. Gellius *libr. 9. c. 2.* vbi de Palliato quopiam crinito, barbaq; ad pubem vſque porrecta, Philoſophum ſe eſſe profitenti, ab Herode Attico Conſulari viro, æs ad panes emendos petenti, Muſonius inquit: *Aeruſcanti cuipiam id genus Philoſophum ſeſe oſtentanti, dare iuſſit mille nummum.* Ex quib. colligimus *Aeruſcare* nil aliud eſſe, quam fallaciis pecunias vndiq; colligere. Vnde æruſcatores, qui id faciunt dicti inter quos qui Chaldæi ſeu Genethliaci appellantur, ex eodemmet Gellio *lib. 14. c. 1* qui de motu deq; poſitu ſtellarum, quæ futura ſunt, prædicere poſſe profitentur, ſicque pecunias ab inſipientibus & credulis emungunt, aures alienas verbis ditantes & loculos ſuos nummis diſtendentes. Tales fuiſſe Mathematicos, qui Auidio Caſſio Imperium affectanti, prædixere eundem imperaturum, adulantes, ac ſitum ſtellarum ac ſyderum ex libito ementientes; Hos itaque iure Vulcatius Æruſcatores appellauit, in quos inuehitur Gellius loco poſtremo citato, & boni quique hominum à ſacroſancta Eccleſia Catholica Romana deteſtatos abominantur. Capitolinus *in Pertinace* ait, illius Patré Chaldæum conſuluiſſe, qui quum illi futura ingentia prædixiſſet, ſtipem ſe perdidiſſe reſpondit.

*FINIS.*

# INDEX RERVM MEMORIA ET NOTATV DIGNARVM:

*Quæ iu hiſce Dilucidationibus Marcelli Donati continentur, ſerie Alphabetica miro ordine digeſtus.*

A.


A. AB vel Ad. præpoſitiones in officiis, ſeu dignitatibus ſignificādis vſurpatas à Latinis ſæpe obſeruamus, vt à commētariis, à manu, à pedibus, à pugione, à ſecretis, à ſtudiis, à voluptatibus, & his ſimilibus 466. & ſeq. ſic

Ab, vt abaurarutis, ab ærario, ab bibliotheca, ab epiſtolis ibid. ſic

Ad, vt ad cenſus, ad cyatum, ad memoriam, ad manum ibid.

Huiuſmodi omnium officia vt plurimū Seruis vel Libertis collata conſtat, vel ſaltem non nobilibus 469.

Abella quodnam fuerit priſcis veſtimēti genus, cui ordini familiare, & vſitatum 620, 621

Accenſis æque vt viatores munus erat vocādi Senatores ac Senatorios viros in agris Vrbi vicinis ruſticantes 184

In quibus inter ſe differebant ibid.

Accenſi dicti, quod Decurionibus attribuebantur hoc eſt eorum miniſtri, quos nunc Commentarienſes, & Cornicularios vocant 24

Iidem ab acciendo dicti, eo quod mandata proferrent & accirent

Achilles fœmineo habitu latens aſtutia Vliſſis detectus 586. 587

Quo nomine mentito ſexus habitu vtens fuerit appellatus 588

Acroama, etſi Auditionem ſignificet, accipitur tamen aliquando profeſtiua ludricaque narratione, ſæpius vero & ſemper pro ipſis hominibus Acroamata recitantibus 497. 498

Acroamata, quæ eſſent antiquis dicta non omnibus eadem ſententia 972

Vide variorum varias de hac re authorū ſententias ibid.

Hoc quidem loco pro hominibus accipitur narrationes lepidas, & feſtiuas recitantibus ibid.

Acroamata, & pueros Symphoniac. ſignificare ex Macrobio colligere licet 497

Acroamaticos Ariſtot. libros vocat Cicero Auditorios, vel Auſcultarios, tāquam limatiores, quum alios ipſius libros Exotericos appellet, tanquam populariter ſcriptos 497

Actio apud Iuriſperit. multiplex eſt 334

Stricte nomine vſurpato quomodo accipiatur ib.


Actio,

Actio nil aliud eſt vt definiuit Iuſtinianus, quam ius proſequendi in iudicio quod ſibi debetur 71.72
Actio iudiciaria Ciceroni Dica appellata quænam fuerit 335.336
Actiones iudiciariæ antiquitus non quibuſlibet diebus concipiebantur, ſed tantum diebus Faſtis, in quibus licebat iudiciũ exercere 334
Actiones quãuis multiplices ſint Iuriſconſ. multaſque diuiſiones & ſubdiuiſiones ſortiantur ea tamẽ præcipua eſt diuiſio, quæ eas partitur in rem, actionem, & perſonam 335.336
Actiones, quæ Romanis dicebantur, eas Athenienſes δίκας nominabant 334
Actiones autem dicuntur, eo quod improbos, & perfidos ad iudicia agamus ibid.
Actores ſcenicos inuicem ſeſe alloquẽtes hypocritas dici Cælius Rhodiginus docet 711
Actiaci Ludi in memoriam victoriæ Actiacæ partæ ab Antonio & Cleopatra celebrabantur 603.604
Actiacæ victoriæ aduerſus Antonium obtentæ potiſſimam cauſam fuiſſe dixit Xiphilinus, quod Antonii naues erant hoſtium nauibus longe maiores, Cæſarianorum minores & velociores 627.628
Accurſii Iuriſconſulti error 46
Eiuſdem error in centeſimarum vſurarum deſcriptione 868.869
Accuſationes publicas quã rariſſimas eſſe oportere in Repub. monet Ariſtoteles, magna pœna in falſos accuſantes conſtituta 936
Admiſſionum magiſtri quinam eſſent apud Cæſares Imperatores, & quam honorificum ipſorum munus, & quibus concedi ſolitum 804
Admiſſionum magiſtros conſueuiſſe in acta referre, quæ in Curia corã Principe agerentur, patet ex Vopiſco 805
Admiſſionum ſeu admiſſionalium facilitatẽ Plinius in Panegyrico Traiani laudat: vt Vopiſcus in Aureliano, difficultatem deteſtatur 805
Hinc vituperatum legimus Deiocem Regem Macedonum, qui neminem admittebat, ſed ſed per nuncios i. cuncta tranſigebat ib
Adonidem ardentiſſime adamatum à Venere deſcripſit decimo Metamorph. Ouid. 957
Adoptio ſeu arrogatio actus legitimus dicitur per quem in alienam familiã quis recipitur 1026
Adoptio vel arrogatio quorum fieri apud Romanos ſolita erat Imperio, vel authoritate 1027. & ſe.
Adoptionis cauſam eſſe tradidere Imperatores orbitatem liberorum 1026
Adoptionis arrogationiſue originem apud Romanos antiquiſſimã fuiſſe teſtatum reliquit Gellius ibid.
Adoptionis & arrogationis hanc differentiam ſtatuere Iuriſconſulti, quod adoptantur qui in aliena ſunt poteſtate, patria ſcilicet, arrogantur vero qui ſui iuris ſunt 1027.1028
Adoptione in locum liberorum, vel arrogatione, extranei ſumũtur 1026
Adoptiones arrogationeſque à variis principibus varias factas videatis ibidem
Græcos etiam, Hebreos, Ægyptios, aliosque populos ſibi exteros adoptaſſe in filiorum orbitate videatis ibidem & p. ſeq.
Adoptatus ab adoptante nomen, & denominationem more Romano olim ſumere ſolebat 1029
Adoptati teſtamento olim more Romano teſtatoris adoptantis ſibi nomen adſcribebant 557.558
Quamuis in famoſis nominibus hoc facto à Prætore fieret remiſſio conditionis ibid. & p. ſe q.
Adrianus Imperator inter bonos optimus in ſuo Sacrario Chriſti maginẽ habuit 196
Quid ne Chriſtianorum cauſa reſcripto ſuo fauorabili ſtatuerit ibid
Adriani Imperatoris in Senatum beneficentia, & liberalitas videatur 1074
Adulatio populorũ in Auguſtum Cæſarem admiranda 728
Adulteras ducentes Lex Iulia de adulteriis puniebat & infamabat 704
Adulterinam monetam qui cudunt & ipſi, & qui eis ea in re miniſterium exhibuẽrunt, manuũ amputatione puniebantur lege quadam Orientalium 1044

ciuntur in Æde Senenſi Cathedrali, & in D. Marci Templo Venetiis. Cur autem opus iſtud ita appelletur, colligere poſſumus ex Plinio *libro 36. cap. 21.* ſcribente : *Non prætermittenda & pumicum natura, ſiquidem ita appellant quidam ita & eroſa ſaxa. In ædificiis vocant Muſæa dependentia ad imaginem ſpecus arte reddendam.* Noſtris temporibus Romæ & Florentiæ pluribus locis videmus ſpeluncas huius generis cum fontibus, in quorum parietibus, lapillis verſicoloribus inuicem connexis, variæ animalium figuræ, veluti ſi depictæ eſſent, configurantur. Quæ omnia Muſiuum opus Latine dici poſſe non ambigimus. Cuiuſmodi loca Muſis & ſtudiis dicata olim, & muſæa vocata ſcimus. Ita Strabo *lib. vlt.* ſcribit, apud Alexandriam fuiſſe nobiliſſimum Muſæum. Stephanus *de Vrbibus*, eſſe tradit apud Olympum in Macedonia, ex authoritate Polybii. Spartianus *in Adriano* Muſiuum appellat, inquiens: *Apud Alexandriam in Muſiuo multas quæſtiones profeſſoribus propoſuit, & propoſitas ipſe diſſoluit.* Et Plinius lib. 1. Epiſt. ad Fundanum inquit: *O mare, o littus, verum ſecretumque muſæum, quam multa inuenitis?* Ita Philoſtratus in vita Apollonii Thianei μουσεῖον vocat locum Muſis ſacratum, quod & Pollux affirmat. Varro *lib. 3. de re ruſt. cap. 5.* dixit, directum eſſe fluuium ab inſula ad Muſæum, ita vocat locum Muſis & ſtudiis dedicatum, proinde de Caſinate fundo Varronis ita ſcribit Cic. in Antonium : *Studiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum diuerſorium.* Hinc adnotare libet, iure merito doctiſſimum Alciatum in Annot. Cod. in tres poſteriores libros, l. 1. C. de excuſ. artif. lib. 10. *Muſiuarios* legere, quod alii *Muſcarios*, alii *Muſarios*, Cuiacius *Muſinarios* legunt, ſed perperam hi omnes. Ita & apud Firmicum *lib. 2. c. 4.* vbi habet: *Aut inauratores, aut Muſinarios,* haud dubie reponendum *Muſiuarios*, artifices ſcilicet operum Muſiuorum, ſeu Muſiuo dictorum. Inter Muſiui opera enumerandum *Lithoſtratum*, hoc eſt, pauimentum lapillis varii coloris ſtratum. Aſarotam etiam dixit Græca compoſita voce Xenodorus, qui primus clatuit in faciendis pauimentis miro artificio, paruulis teſtulis in varios colores tinctis, & imagines repræſentantibus. Pap. lib. Syluarum :

*Suberat-*

*Subcrataque nouis aſarota figuris.*

De his plura apud Plinium *lib.36.c.25.* Dictum autem fuit *Lithoſtratum* dictione compoſita ex λίθος, id eſt, *Lapis*, & στρωτὸς, id eſt, *ſtratus*. Legimus in Euangelio Ioannis: *Et ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos.* Et Varro lib. 3. de re ruſt. *Quum villam haberes opere tectorio, atque inteſtino, ac pauimentis nobilibus Lithoſtrotis ſpectandam.* Sicuti autem Muſiuum in parietibus appellamus hoc opus, ita & in pauimentis Lithoſtrotum, vel Aſaroton, & vermiculatum opus, etiam communiori appellatione dictum in lapidibus, quod in lignis teſſellatum appellamus, quum ſcilicet ex ligneis ſegmentis varii coloris variæ rerum figuræ conformantur, vnde vulgo *opus de Tarſia.* Trebel. Pollio ait *in Tetrico Iuniore* 24. Tyr. de Tetricorum domo in Monte Cœlio, in qua Aurelianus pictus eſt, vtrique prætextam tribuens, Senatoriam dignitatem, accipiens ab his ſceptrum, coronam ciuicam, picturatam de Muſæo.

## ÆL. SPART. IN PESCENNIO NIGRO.

*Idem piſtores ſequi expeditionem prohibuit, bucellato iubens milites & omnes eſſe contentos.*

COElius Rhodig. *lib. lect. antiquarum 9. c.16.* bucellatum interpretatur frumentum excoctum ad vſus diuturnitatem, idq; authoritate Am. Marcellini, cuius hæc ſunt verba, lib 17. *Viginti dierum frumentum, ex eo quod erat in ſedibus conſumendum, ad vſus diuturnitatem excoctum bucellatum, vt vulgo appellant, humeris impoſuit libentium militum.* Sed quæſo, quis in annona militari excocti frumenti vſus? & quæ ad diuturnitatem proficere poteſt excoctio? niſi & eundem in panem redactum dixerimus. Ad hæc, cur Peſcennius piſtores ſequi expeditionem prohibuiſſet, niſi id genus frumēti in panem *bucellatum* dictum redactū fuiſſet? Quare per *bucellatū* dubio procul intelligendū id genus panis, quod nos biſcoctum appellamus, cuius rei in expeditionib. bellicis, præſertim nauticis, frequēs apud omnes & nūc vſus, vnde & panis nauticus dictus. Volcat. de Auidio Caſſio tradit: *Præter laridū, ac bucellatum, & acetum militem portare prohibuit.* In eadē ſignificatione accipi-

accipitur à Iuriſtis *in l. 1. C. de erog. milit. ann. lib. 12.* ſcilicet pro genere panis biſcocti. Ita & Alciatus *in annot. in Cod. poſt. lib.* interpretatus eſt. Vnde non inepte Paulinus & Theraſ. in Epiſt. Auguſt. 36. *De buccellato Chriſtianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi miſimus.* Dictus autem buccellatus panis, eo quod in bucellas & quaſi teſſellata fruſta formetur, ad hoc vt facilius iterum coqui & exſiccari melius poſſit. Bucella enim buccæ diminutiuum eſt, & *bucca* fruſtulum eſt alicuius rei comeſtibilis, quantum bucca commode capere poteſt. Vnde buccellas dixit Tertullianus *lib. de Monogamia*, panis portionem, quam miniſtri Eccleſię mulieribus dabãt domum perferendam, Græcis δίπυρος, & ξηρὸς ἄρτος, & παξημαδιόν, ſcilicet panis biſcoctus & ſiccatus. Apud Georgium Turonenſem legimus, ab Ætii bucellario Valentinianum interfectum fuiſſe, quamuis P. Diaconus à milite interfectũ ſcribat, & Pomponius Lætus à Tranſtyla & Octila, Ætii militibus. Turnebus tradit *Aduerſ. lib. 24. c. 16.* Mauritii neſcio cuius ſcriptoris Græci authoritate innixus, Bucellarios equites fuiſſe armatos Zabis, & manicis ferreis, contatos, & ſagittarios, qui ante Imperatorem exercitus equitabant. Alciatus *Diſpunct. lib. 3. c. 20. in l. fi. C. ad l. Iul. de vi publ.* quam Leo & Anthemius Imperatores lege Iulia *de vi publica*, eos teneri ſanxere, qui vel Iſauros vel Bucellarios domi haberent, & inquit, ex authore, qui ſub Theodoſio iuniore militiam Romanam deſcripſit, equites in exercitu Romano fuiſſe, quibus magiſter militum per Orientem præerat, quorum alii iuniores, alii ſeniores dicti, vt exiſtimare liceat milites hoſce latrocinatos, & rapto viuere ſolitos, hoſque ex Gallogræcis fuiſſe, quibus Iſauri proximi, quum Suidas Gallogræcos βουκελλαρίους, & βουκελλάρειον Gallogræciam appellet. Hos certe latrones fuiſſe, ſicuti & Iſauri, conſtat, quia lege prouinciarum, *l. 9. C. de epiſc. aud.* Honorius & Theodoſius tolli citius quam potuerit latrones ſtatuere, potiſſimum Iſauros; Nec obſeruandum, in illis torquendis & inquirendis, etiam ſacroſanctum Paſchatis diem, quia ſalus multorum ex eorum pœna pendeat; & Iſauria ſubacta à Seruilio Iſauro, ob id pyratarum munitio-

munitiones deletas teſtatus eſt Strabo *lib.*12. Cogitabam etiam Bucellarios milites dici potuiſſe illos, quibus bucellati publici in procinctu & caſtris militaribuſque expeditionibus cuſtodia erat demandata, qui ſi forte rem minime fideliter geſſiſſent, latronum loco haberentur, ac contra illos, ſicuti & aduerſus Iſauricos prædones, *lege Iulia de vi publica*, agi poſſet, quemadmodum & contra eorundem fautores, quique domi ſuæ eos alerent, vt tanto odio legis & metu, bucellati adminiſtrationem fidam gererent. Obſeruamus certe apud Zonaram Ducem Bucellariorum Gallogræcos quidem fortiſſimos & ferociſſimos, ac indomitos bellatores fuiſſe, ex Liuio *lib.* 38. habemus; at nullibi eos prædones vocatos. Poſtquam hęc ſcripſeram ad manus meas peruenit libellus Græcus Conſtantini Regis Porphyrogennetæ de Thematibus, ſiue de agminibus militaribus per Imperium Orientale diſtributis, cuius verba ſunt per initia Thematis 6. Ὁμοίως δὲ καὶ τὸ θέμα τῶν βουκελλαρίων, οὐκ ἀπὸ τόπου τινὸς τὴν προσηγορίαν ἐκτήσατο, οὔτε μὴν ἀπὸ ἔθνους οὕτω καλουμένου, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐπακολουθεῖν τοῖς στρατιώταις, καὶ τὰς τροφὰς αὐτῶν ἐπιφέρεσθαι. βουκελλάριος γὰρ κατὰ Ῥωμαίων διάλεκτον ὁ φύλαξ τοῦ ἄρτου καλεῖται, ὥστε εἶναί τε τοὺς στρατιώτας ἐλαφροὺς, καὶ ἀβαρεστέρους τὸν πόλεμον. βούκελλος γὰρ τὸ κρικελοειδὲς ψωμίον καλεῖται, κελλάριος δὲ ὁ φύλαξ τοῦ ἄρτου. Quæ Bonauentura Vulcanus ita interpretatus eſt: *Similiter & Thema Bucellariorum non à loco aliquo appellationem accepit, neque à gente aliqua, quæ ita vocaretur, ſed quum militum aſſeclæ eſſent, & commeatus eis veherent. Bucellarius enim lingua Latina vocatur is, qui rei panariæ cuſtodiam gerit, vt milites expediti, & ab omni onere liberi ad bellum eſſent. Bucellus enim vocatur cibarium, circularem formam præſe ferens, cellarius autem cuſtos panis.* Quibus perlectis in libello Græcolatino nuper edito, mirum quanta lætitia affectus ſim, quod in re obſcura coniectura ductus genuinũ ſenſum diuinatus quodammodo fuerim. Non ſemper tamen milites bellantes tantum bucellato pane vſos colligimus clare ex Vopiſco *in Aureliano*, ſcribente in Epiſtola Valeriani Imperatoris

Cicinio Albino Vrbis præfecto de Aureliano: *Supradicto viro efficies quandiu Roma fuerit panes militares mondos ſexdecim. panes militares Caſtrenſes quadraginta decernendos.* In expeditionibus ſane militaribus, in quibus de annonæ defectu timebatur Bucelato vſi ſunt milites Romani. Vopiſcus de Tacito Imper. *Panem niſi ſiccum vnquam comedit.*

## ÆLIVS SPARTIANVS IN ANTONINO CARACALLA

*Inde quum in Aſiam traiiceret, naufragii periculum adiit antẽna fracta, ita vt in ſcapham cum protectoribus deſcenderet. Et paulo poſt: Occiſus aut in medio itinere inter Carras & Edeſſam, quum leuandæ veſicæ gratia ex equo deſcendiſſet, atque inter protectores ſuos coniuratos cædis ageret.*

HVIVS vocis *protectores* nullibi, quod meminerim, primæ claſſis Latini ſcriptores verba fecere. Apud I. C. non ſemel eam legimus; Adeſt enim tit. Cod. *de domeſticis & protectoribus lib.* 12. Erant vero, qui armati, non ſolum ſe defendendi, ſed & Imperatoris corpus tutandi ſolicitudinem gerebant, vnde illis protectorum nomen. Horum binum genus erat, nam eorum alii in acie militabant, alii inter familiares Imperat. ideo domeſtici protectores dicebantur, vt aiunt, *l.* 8. *& 9. tit. cod. in C. Theod.* Ex iis vero fuere aliqui equites, aliqui pedites, *l. vlt. C. eod. l. reſtituenda. C. de aduo. diuerſ. iud.* De eiſdem Caſſio dorus *lib.* I. *Var.* inquiens. *Domeſtici partis equitum & peditum, qui noſtra Aula videntur iugiter excubare.* De his domeſticis verba facere vtrobiq; Spartianum non dubitamus; Imperatorem enim Antoninum Caracallam in naufragio non eſt veriſimile cum bellicis protectoribus, ſed cum domeſticis, qui pauciores erant, ſe recepiſſe, & ab eiſdem in illius cædem coniuratum. In aula Rom. frequens protectorũ fit mẽtio, ſed in alio ſenſu, nam in ſacro Senatu *Conſiſtorio* dicto, vnaquæque Prouincia ſingulaque Regularium ſodalitia habent ſuos patronos Cardinales ſcil. tutelares, quos protectores, vocant quorum munus eſt electiones & alias Prouinciæ ſuæ regulæ ſibi addictæ cauſas in ſacro Senatu proponere, & oppoſitionibus

nib.reſpondere. Protectorum meminit non ſemel Am. Marc.li.14.*Primũ ſoliſq; accolis iuſsit eſſe contentum Palatinis & protectorum cum ſcutariis*,Et iterum. *Præfecti cuſtodiã Protectoribus mandauerat fidis*.Et paulo infra: *Exindeque per protectores retractus arctiſsime tenebatur.* Et rurſus: *Aduenit Arculanus protector domeſticus*.Et li.15. *Miſsi igitur ad eos corripiendos Teutomates protector domeſticus cum collega*.Et mox addit:*Protectores vero pronunciati vertere ſolum exilio.* Quinimo & ipſemet Am.Marcell.fuit protector domeſticus Conſtantii Imper. vt refert *li.15.*in hæc verba.*Protectores domeſticos decem vt poſtularat,ad iuuandas publicas neceſsitates ſecũ duxit, inter quos ego quoq; eram cum Veriano collega,reſidui omnes propinqui,& familiares*.Idẽ li.18.*Tribuni cum protectorib.miſsi*. Ex quib.conſtat, ꝓtectores milites fuiſſe ſe lectos & primarios inter cæteros.Ex iis vero domeſtici dicebantur,quib.principis,aut Imperatoris,aut Ducis cuſtodia demãdata erat, qualis Verianus domeſticus protector,quẽ ſui collegam vocat Ammianus paulo poſt.quod clare patet ex eodem Ammian.li. 21.ſic ſcribente: *Inducta in iudiciũ fœmina quadam, quũ Palatinum aduerſariũ ſuum, è numero protectorũ cinctum præter ſpem conſpexiſſet,hoc factũ inſolens querebatur tumultuando. Et Imper. Proſequere(ait)mulier,ſi quid læſam te exiſtimas: hic enim ſic cinctus eſt, vt expeditius per lutũ incedat, parum nocere tuis partibus poteſt*.Quod vero protectores,& domeſtici appellarentur, patet ex ipſomet Amm.qui *lib.25.*de Iouiano ad Imperium aſſumpto,illum inter domeſticorũ ordinis primũ enumerat. Et paulo poſt:*Iouianum*(inquit)*ad vmbram Imperii adhuc protectorẽ adſcitum*.Et li.26.*Maſaucionẽ domeſticum protectorem.* Officium protectoris dignitatem fuiſſe conſtat ex Amm. li.30.ſcribente de Gratiano maiore: *Poſt dignitatem protectoris,at que Tribuni,Comes præfuit rei caſtrenſi per Africam*.Protectores Rom.Regũ tempore Celeres appellatos colligim⁹ ex Liuio *li.1.*ſcribẽte de Romulo:*Trecentoſq; armatos ad cuſtodiã corporis,quos Celeres appellauit,non in bello ſolũ,ſed etiã in pace habuit*.Et rurſus de Bruto Tarquinium è Regno expellẽte ait: *Præco ad Tribunũ Celerum,in quo magiſtratu forte Brutus erat,populum aduocauit.*

MARCELLI DONATI

# IN VULCATIUM GALLICANUM, DILUCIDATIONES.

## VULCAT. GALLICAN. IN AVIDIO CASS.

*Auidio Caſſio legiones Syriacas dedi, luxuria & Daphnicis moribus agentes.*

FVIT Daphnis Antiochiæ ſuburbanũ, quod octoginta ſtadiorum ambitu claudebatur, teſte Srabone, in quo amœniſſimum quidẽ & delitioſiſſimum fuiſſe nemus teſtatur. De hoc Iulius Capitolinus: *Verus poſtquam in Syriam venit, in delitiis apud Antiochiam & Daphnen vixit.* Et Ammianus *lib.19. Apud Daphnem amœnum illud & ambitioſum Antiochiæ ſuburbanum.* De hoc loco legiſlatores *l. 1. de cupreſſ. lib.11. C. titulo* 77. vbi habemus, quod ementes & vendentes ex arboribus lucorum Daphnes in Syria, vel Perſidesin Ægypto 50. libras auri fiſco debebant. *Daphnicis* itaque *moribus agere* dicit, in deliciis ſcilicet viuere. Ita Scribonius Largus *cap.*180 Caſſiam Daphnitidem ponit in compoſitione medicamenti ad calculoſos, ideſt, quæ ex nemore Daphnes prope Antiochiam colligebatur, vti male interpretatus eſt Turnebus *lib. Aduerſ.*17. *cap.*16. nam prope Antiochiam nullam Caſſim nec ligneam nec fiſtularem naſci manifeſtiſſimum eſt. Quare potius interpretandum, Caſſiam quæ lauri folia ſimilia habeat; tales enim habere caſſiam ligneam ſcribunt omnes. In Daphne autem Antio-

## VULCAT. GALLICAN. IN AVIDIO CASS.

*Quas totas excaldantes ſe reperiſſe Cæſonius Veſtilianus ſcripſit. Et paulo poſt: Ille ſane omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, & ſinu, militi excutiet.*

HAs voces *excaldare*, & *excaldationes* non alibi apud Latinos ſcriptores me obſeruaſſe memini. Sed paſſim legimus *excalefacere*, & *excalfacere*. Sciendum tamen, quod ſicuti calidus ſimpliciter dicitur ita per ſyncopam dici *caldus* Matt.

*Frigida non deerit, non deerit calda petenti.*

Sunt tamen qui differentiam faciant inter calidum & caldum; vt ſit calidum, ſponte & ex ſui natura, nullo extrinſecus adminiculo adueniente, vt ignis ipſe & ſpiritus noſter animalis, qui ex ſe ipſis calidi dicuntur, & ſunt. Caldum vero quod extrinſecus & ab alio deriuatur, & mutuatur, quo modo dixit Pædianus: *Corpus nudum caldatum, ſicuti in lecto erat poſitum vt vulnera videri poſſent, in forum detulit.* Antiquis tamen frequentiorem vſum vocis caldi, quam, calidi conſtat ex Auguſto in Epiſtolis ad Cæſarem ſcriptis, vbi emendauit illum quod *calidum* ſcribere maluiſſet, quam *caldum*, & *calidam* quam *caldam* non quia id non eſſet Latinum, ſed quia eſſet odioſum, & vt ipſe verbo Græco ſignificauit *περίεργον* hoc eſt curioſum, & nimis affectatum. Ita & hoc loco Vulcatius ſcribit, Auidium Caſſium Syriacas legiones totas ſe excaldantes reperiſſe. Et paulo poſt de eodem *Ille ſane omnes excaldationes excutiet.* Eſt autem ſenſus quod quum Auidius Caſſius reperiſſet Syriacas legiones diffluentes luxuria, etiam ſe ex caldantes, hoc eſt, ad ignem, vel potius in apoxariis & hypocauſtis ſe excalefacientes frigoris tempore, id illis interdixiſſe, vt ad priſtinā militiæ diſciplinā reuocaret, quod clarum ſit ex his, quæ mox ſubdit, nempe eundem iuſſiſſe, niſi corrigerēt ſuos mores ideſt, niſi abſtinuiſſent ab excaldationibus, eos hyemem ſub pellibus agere iuſſurū, quod eſt in aperto degere. Nec obſtat Syriā Aſiæ Regionem Orientalem eſſe, & ob id minime opus fuiſſe militib. vt ſe excaldarent. Nā de hac Ptolomæus ait, in medio Orbis cōſtitutā, quo ſit, vt nec calore

AB Ære *æruſcare* verbum, & ab eo *æruſcatores* voces ſunt ſatis Latinis ſcriptoribus infrequentes. Gellius *libr.9. c.2.* vbi de Palliato quopiam crinito, barbaq; ad pubem vſque porrecta, Philoſophum ſe eſſe profitenti, ab Herode Attico Conſulari viro, æs ad panes emendos petenti, Muſonius inquit: *Aeruſcanti cuipiam id genus Philoſophum ſeſe oſtentanti, dare iuſſit mille nummum.* Ex quib. colligimus *Aeruſcare* nil aliud eſſe, quam fallaciis pecunias vndiq; colligere. Vnde æruſcatores, qui id faciunt dicti inter quos qui Chaldęi ſeu Genethliaci appellantur, ex eodemmet Gellio *lib. 14.c.1* qui de motu deq; poſitu ſtellarum, quæ futura ſunt, prædicere poſſe profitentur, ſicque pecunias ab inſipientibus & credulis emungunt, aures alienas verbis ditantes & loculos ſuos nummis diſtendentes. Tales fuiſſe Mathematicos, qui Auidio Caſſio Imperium affectanti, prædixere eundem imperaturum, adulantes, ac ſitum ſtellarum ac ſyderum ex libito ementientes; Hos itaque iure Vulcatius Æruſcatores appellauit, in quos inuehitur Gellius loco poſtremo citato, & boni quique hominum à ſacroſancta Eccleſia Catholica Romana deteſtatos abominantur. Capitolinus *in Pertinace* ait, illius Patrē Chaldæum conſuluiſſe, qui quum illi futura ingentia prædixiſſet, ſtipem ſe perdidiſſe reſpondit.

*FINIS.*

# INDEX
# RERVM MEMORIA ET NOTATV DIGNARVM:

*Quæ in hiſce Dilucidationibus Marcelli Donati continentur, ſerie Alphabetica miro ordine digeſtus.*

## A.


A. AB vel Ad. præpoſitiones in officiis, ſeu dignitatibus ſignificãdis vſurpatas à Latinis ſæpe obſeruamus, vt à commẽtariis, à manu, à pedibus, à pugione, à ſecretis, à ſtudiis, à voluptatibus, & his ſimilibus 466. & ſeq. ſic

Ab, vt abauraturis, ab ęrario, ab bibliotheca, ab epiſtolis ibid. ſic

Ad, vt ad cenſus, ad cyatum, ad memoriam, ad manum ibid.

Huiuſmodi omnium officia vt plurimũ Seruis vel Libęrtis collata conſtat, vel ſaltem non nobilibus 469.

Abellą quodnam fuerit priſcis veſtimẽti gęnus, cui ordini familiare, & vſitątum 620.621

Accenſis æque vt viatores munus erat vocãdi Senatores ac Senatorios viros in agris Vrbi vicinis ruſticantes 184

In quibus inter ſe differebant ibid.

Accenſi dicti, quod Decurionibus attribuebantur hoc eſt eorum miniſtri, quos nunc Commentarienſes, & Cornicularios vocant 24

Iidem ab acciendo dicti, eo quod mandata proferrent & accirent

Achilles fœmineo habitu latens aſtutia Vliſſis detectus 586.587

Quo nomine mentito ſexus habitu vtens fuerit appellatus 588

Acroama, etſi Auditionem ſignificet, accipitur tamen aliquando profeſtiua ludricaque narratione, ſæpius vero & ſemper pro ipſis hominibus Acroamata recitantibus 497.498

Acroamata, quæ eſſent antiquis dicta non omnibus eadem ſententia 972

Vide variorum varias de hac re authorũ ſententias ibid.

Hoc quidem loco pro hominibus accipitur narrationes lepidas, & feſtiuas recitantibus ibid.

Acroamata, & pueros Symphoniac. ſignificare ex Macrobio colligere licet 497

Acroamaticos Ariſtot. libros vocat Cicero Auditorios, vel Auſcultarios, tãquam limatiores, quum alios ipſius libros Exotericos appellet, tanquam populariter ſcriptos 497

Actio apud Iuriſperit. multiplex eſt 334

Stricte nomine vſurpato quomodo accipiatur ib.


Actio,

Actio nil aliud eſt vt definiuit Iuſtinianus, quam ius proſequendi in iudicio quod ſibi debetur 71.72

Actio iudiciaria Ciceroni Dica appellata quænam fuerit 335.336

Actiones iudiciariæ antiquitus non quibuſlibet diebus concipiebantur, ſed tantum diebus Faſtis, in quibus licebat iudiciū exercere 334

Actiones quāuis multiplices ſint Iuriſconſ. multaſque diuiſiones & ſubdiuiſiones ſortiantur ea tamē præcipua eſt diuiſio, quæ eas partitur in rem, actionem, & perſonam 335.336

Actiones, quæ Romanis dicebantur, eas Athenienſes δίκας nominabant 334

Actiones autem dicuntur, eo quod improbos, & perfidos ad iudicia agamus ibid.

Actores ſcenicos inuicem ſeſe alloquētes hypocritas dici Cælius Rhodiginus docet 711

Actiaci Ludi in memoriam victoriæ Actiacæ partæ ab Antonio & Cleopatra celebrabantur 603.604

Actiacæ victoriæ aduerſus Antonium obtentæ potiſſimam cauſam fuiſſe dixit Xiphilinus, quod Antonii naues erant hoſtium nauibus longe maiores, Cæſarianorum minores & velociores 627.628

Accurſii Iuriſconſulti error 46

Eiuſdem error in centeſimarum vſurarum deſcriptione 868.869

Accuſationes publicas quā rariſſimas eſſe oportere in Repub. monet Ariſtoteles, magna pœna in falſos accuſantes conſtituta 936

Admiſſionum magiſtri quinam eſſent apud Cæſares Imperatores, & quam honorificum ipſorum munus, & quibus concedi ſolitum 804

Admiſſionum magiſtros conſueuiſſe in acta referre, quæ in Curia corā Principe agerentur, patet ex Vopiſco 805

Admiſſionum ſeu admiſſionalium facilitatē Plinius in Panegyrico Traiani laudat: vt Vopiſcus in Aureliano, difficultatem deteſtatur 805

Hinc vituperatum legimus Deiocem Regem Macedonum, qui neminem admittebat, ſed per nuncios i. cuncta tranſigebat ib

Adonidem ardentiſſime adamatum à Venere deſcripſit decimo Metamorph. Ouid. 927

Adoptio ſeu arrogatio actus legitimus dicitur per quem in alienam familiā quis recipitur 1026

Adoptio vel arrogatio quorum fieri apud Romanos ſolita erat Imperio, vel authoritate 1027.& ſe

Adoptionis cauſam eſſe tradidere Imperatores orbitatem liberorum 1026

Adoptionis arrogationiſue originem apud Romanos antiquiſſimā fuiſſe teſtatum reliquit Gellius ibid.

Adoptionis & arrogationis hanc differentiam ſtatuere Iuriſconſulti, quod adoptantur qui in aliena ſunt poteſtate, patria ſcilicet, arrogantur vero qui ſui iuris ſunt 1027.1028

Adoptione in locum liberorum, vel arrogatione, extranei ſumūtur 1026

Adoptiones arrogationeſque à variis principibus varias factas videatis ibidem

Græcos etiam, Hebræos, Ægyptios, aliosque populos ſibi exteros adoptaſſe in filiorum orbitate videatis ibidem & p.ſeq.

Adoptatus ab adoptante nomen, & denominationem more Romano olim ſumere ſolebat 1029

Adoptari teſtamento olim more Romano teſtatoris adoptantis ſibi nomen adſcribebant 557.558

Quamuis in famoſis nominibus hoc facto à Prætore fieret remiſſio conditionis ibid. & p.ſe q.

Adrianus Imperator inter bonos oprimus in ſuo Sacrario Chriſti imaginē habuit 196

Quid ne Chriſtianorum cauſa reſcripto ſuo fauorabili ſtatuerit ibid

Adriani Imperatoris in Senatum beneficentia, & liberalitas videatur 1074

Adulatio populorū in Auguſtum Cæſarem admiranda 723

Adulteras ducentes Lex Iulia de adulteriis puniebat & infamabat 704

Adulterinam monetam qui cudunt & ipſi, & qui eis ea in re miniſterium exhibuērunt, manuū amputatione puniebantur lege quadam Orientalium 1044

Ædes

Ædes liberæ, quæ apud Romanos veteres dicerentur 25.26
Quibus ea concedebātur, & quibus minime, ibidem
Ædilium cura quænam eſſet apud antiquos 369
Æditiliæ dignitatis paritas ſuffragiis collata Tribuum ſorte decernebatur 63
Affectus, ſeu affectiones propriè ſunt animi paſſiones, quos Græci πάθη, Poetę pro deſiderio quandoque accipiunt, quæ ſi rectæ ſunt, virtutes, ſi è contra, vitia appellantur 904 905
Apud Iuriſconſultos pro liberis aliquando affectus accipi adnotatum ibidem
Sic apud Capitolinum legitur Affectus ſuos vnice dilexit, filium & nepotem vltra morem, filiam & neptem religioſe ibidem
Pro vxore etiam capi aliquando obſeruatum, præſertim apud Vulcatium Gallicanum; vbi hæc: Nec in eius liberos aut Affectus ſæuitum ibidem
Sic Affectio pro affinitate ibidem pagina ſeq.
Affectus etiam pro liberis charitates dici authoritate comprobatur 906
Neceſſitudines præterea pro liberis, vide ibidem
Africanas ſimplici prolatione pro feris illis, quæ Pantheræ dicuntur acceptas author eſt Plinius 91.92
Has vetuit Senatuſconſultū olim in Italiam aſportari ibid.
Circenſium gratia ludorum permiſſæ importari Rogatione Tribunitia Cn. Aufidii ibid.
Quis eas primus Pop. Rom. ſpectandas & quot numero præbuerit p. eadem
Quot item numero Pompeius Magnus ibidem
Quot præterea Octauianus Auguſtus ibidem
Cæſar Caligula eaſdem Ludis Circenſibus tanquam in venatione exhibuit, vt & Troiæ decurſionem, ibidem, & 98
Africanæ cur ita dictæ ibid.
Variæ cur etiam appellatæ ex Plinio ibidem
Agema & Agemata quid 99.100
Ager Centuriatus dictus, qui à Romulo centenis ciuibus aſſignatus eſſet, hoc eſt ducenta iugera 1025
Ægeriam Nympham in Aricino nemore, vbi Dianæ templum erat cum Numa Romanorum Rege colloqui ſolitam fabulatur antiquitas p. 249
Ageſilai Spartanorum regis cadauer vt à putredine præſeruaretur in melle Spartam delatum 94
Ageſipolidis item Regis cadauer melle conditum domum fuiſſe reportatū ibidem 94
Agipedem Senatorem dicit Lucillius, qui tacitus tranſeundo ad eum cuius ſententiam probat, quid ſentiat indicat 149.150
Agentes in rebus erant, qui actu per Prouincias ſpeciebus annonariis, quæ fiſco aut Vrbibus pręſtabantur ex Canone aut indictione conuehendis, ac importandis præerant 811
Agonotheta in Gladiatoriis ſpectaculis & numeratius, quis, & cur ita diceretur 425.426
Agrippæ in Populum Romanum munificentia in aquis abunde eidē ſubminiſtrandis 924.925
Agrippinæ Neronis matris in Burrhum Cohortis prætoriæ præfectum & Senecam Senatorem implacabile odium vnde nam originem duxerit 169
Agrippinæ matri ſtruens inſidias Nero, eam Baias euocauit ad ſolemnia Quinquatrium ſimul celebranda 113
Agrippinam dominandi auidam virilibus curis præditam, fœminarum vitia exuiſſe ſcripſit Tacitus 163
Agrorum termini Lapides ſacri veteribus dicti 97
Ægyptia ſacra ſub Auguſto needum Romani ſuſceperant 896.897
Ælia Catula fœmina nobiliſſima, & ditiſſima iā grādis natu, vtpote octuagenaria Iuuenalibus in ludis inſpectante Nerone publicè ſaltauit 692 693
Æmiliana familia Romæ potentiſſima

ma, & viris præclariſſimis inſignita vt prædiis Æmilianis,ita & vicui Æmiliano, qui fuit in regione Vrbis ſeptima viæ latæ, Tribui etiam Æmilianæ,viæ præterea Æmilianæ quæ à Placentia Ariminum vſque producta fuit ab Æmilio Conſule nomen dedit 181
Vnde hæc familia originem traxerit ibidem
Æquimelium in Vrbe area quænam, & cur ita appellata 69
Æs graue quod nam dictum Romanis quondam p.10. & quare p.11.circa finem
In hoc erroneè opinati ſunt Budæus, & Alex.ab Alexandro pag.ead. vi & Franciſcus Hotom. 12.13
Æs pro aſſibus ab antiquis ſumptum 11
Æs primus ſignauit prius rude apud Rom.Seruius Tullus Rex 10
Æra dicati milites,quinam priſcis Romanis dicerentur 127.128
Ære diruti dicebantur milites, quibus ſcilicet ſtipendium ignominiæ cauſa non eſſet datum,eo quod æs diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculum 447 448
Æreos omnes fuiſſe nummos Regum tempore Romanorum cuſos 507
Ærarium militare ex quibus fuerit vectigalibus ab Octauiano Auguſto conſtitutum 449
Eiuſdem Auguſti iuſſu Agrippæ abdicati & in Inſulam relegati pecuniam ad ærarium militare relatam Dion & Zonaras teſtantur ibidem
Ærarii curam non ſolum prætores apud veteres Romanos gerebant, ſed & viri Conſulares ſūmiſque honotibus antea functi 364.365
Ærarium facere,ſeu ærarium relinquere,vel in ærarios referre,quidnam ſit 134 & p. ſeq.
Ærarii alii ab illis, qui ære diruti appellabantur 34
Vt diuerſi ab illis, qui in Cæritum tabulas eſſent relati 35.36
Ærarii milites Romanis, qui & cur ita appellati 449
Qui item Tribunii ærarii ibid.
Ærarios faciebant Cenſores Romani quos nota afficiebant, vel Tribu mouebant,vel in Cærites tabulas referebant triplici hac pœna afficientes 38.39
Ærosum lapidem dixit, & aurum ærosum Plinius cui æris vena ineſt 1047
Sic Ærosam Inſulam Cyprum quidam veteres appellauere, quod in ea plurimum æris naſcatur 1047
Ærosa pecunia dicta ſubærata, quæ aurea vel argentea videtur, & habet in ſe æris plurimum ibid.
Æruſcare verbum ab æro, & ab eo æruſcatoris, voces ſunt ſatis Latinis infrequentes 1099
Æruſcare nil aliud quam fallaciis pecunias vndique colligere 1099
Huiuſmodi ſunt Chaldęi, qui & Genethliaci dicuntur ibidem
Aeſchylus à Sophocle ſuperatus Ludis quinquennalibus mœrore extinctus eſt:Philippides, é contra victor in Poetarum certamine renunciatus lętitia nimia exanimatus fuit 299
Ætas aliquando accipitur pro eo quod (Diu)dicimus 867
Ætas annorum 17.veteribus Romanis Legū præſcriptione togę virili aſſumendę erat deſtinata 290
Quamuis principum virorum filii ante preſcriptum tempus illam aſſumere ſępe ſolerent, vt in exemplis ibidem
Ætas militaris apud veteres Romanos erant ann.17. 381
Ætas Quæſtoria, Ædilitia, Prætoria, Conſularis quænam 595
Et circa quæſtoriam Pauli Manutii error & lapſus ibidem
Ætas Tribunitia erat annus trigeſimus 294 295
Ætatem agere pro viuere dixit Cicero de Claris oratoribus 867
Æthiopes in bellum profecturi corpora minio inficiunt forte, ne à vulneribus ſanguinem effluentem agnoſcant, minuſq; ideo terreantur 601

Ætolis à Romanis debellatis penſione nummaria impoſita, conceſſum vt pro argenteis decem aureum darent
Ala equeſtris Legionum Romanarum quare ſic dicta 384
Vnde Alarii equites dicti ibid.
Albini Imperatoris exceſſiuam admirandamque voracitatem notat Capitolinus 59
Album quod nobis matrix, vel matricula dicitur, quidnam eſſet veteribus Romanis 963
Albo iudicum eraſit Domitianus Imperator Equitem Romanum ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimiſſæ adulterii crimen obiecerat 964.965
Album aliud Pontificium erat aliud Senatorium, & quænam illa ibidem
Aleam erat & Prætorium & Decurionum ſic & Album erat Citharædorum vt & aliorum ordinum & profeſſionum aliarum artium ibidem
Alleam impune diebus Saturnalitiis exerceri apud veteres Romanos ſolitam Martialis in Xeniis, & Apophoretis oſtendit 637
Alexandri ab Alexandro error pagina 15.16
Alex. ab Alexandro, Cęlii Rodigini, Beroaldi, & aliorum recentiorum error detectus ab authore 735
Alexander magnus mortuo Epheſtione amito inter cætera mæſtitiæ ſigna iuſſit equos, & multos tonderi 256.257
Alexander magnus moribundus detractum digito ſuo annulum Perdicæ tradidit in ſignum declarandi illum regni ſucceſſorem 592
Alexand. Seuerus Imperator Chriſto Saluatori templum facere voluit, quod & Adrianum cogitaſſe fertur ex Lampridio, 196
Alexandri Seueri in ſtudiis literarum aſſiduitas 683
Alimentaria Compendia quæ nouem annorum, ex inſtituto Traiani debebantur Pertinax Imperator obdurata verecundia ſuſtulit 890
Alimentariæ puellæ quænam dicerentur antiquis apud Amianianum vide p. 574
Alimentarii Iuriſconſultis dicti quibus alimenta teſtamento legata ſunt ibidem
Alimentorum autem nomine non ſolum cibaria, ſed & veſtitus, & habitatio continentur ead.
Allium in cibum dari ſolitum gallis gallinaciis ante certamen, vt pugnatiores efficerentur refert apud Xenophontem Socrates 224.225
Hinc locutio prouerbialis probatorum authorum vſu orta eſt, vt paſſim dicatur Allio paſtus, de eo qui ad pugnam procliuior eſt ibid.
Alpium montes aduerſus Gallorum aſcenſum tranſgreſſumq; vallum dixit Cic. in Piſonem 120
Alueus quamuis aliquando veteribus in hiſtoriis nauim ſignificet, vt præſertim Propertio, Iuriſtis tamen quid ſit & dicatur ſat clare videri poteſt iu l. adeo, §. quid ſi. ff. de acquiſ. rer. dom. 41
Alueola vaſa vſui nautico deſtinata ead. 41
Aliis tabula luſoria latrunculorum vulgo ſcachi nuncupata 15.16
Quid autem ſi ipſit Varroni, quid item authori ibid.
Sic & ligna concauata in quibus apes mellificant aluei dicti, & alueola ibidem
Amanuenſes dicti qui erant à manu, ſeu ad manum, quorum manu, vel opera Principes ad ſcribendas litteras vtebantur, 466 467
Amazones Aſiaticæ ne an Africanę bellatrices fœminæ fuerint 220
Athenienſibus manus intulere ſibi tamen metipſis damnoſas ibidem
Ambitioſa decreta Iuriſconſultis ea dicuntur, quæ fauore, & gratia elicita fuere 199
Ambitus Candidatorum Iulia lege lata coerciti 705.706
Ambræ etiam electrum dictæ copioſus in Septentrionalibus plagis prouentus, 743.744
Amphippi Barbari ad Iſtrum amnem cognominati à mutatione equo-

equorum ex aliis enim equis in alios tranſilire conſueuerunt 230
Tales & Numidi Africæ populi fuere ibidem
Amphitheatrum quare Arena dictum fuerit 601.& ſeq.
Amphoram vas vinarium fuiſſe notiſſimum, cuius autem capacitatis varii varia dixere 908.909
Hanc & Metretam alii appellauere 910
Ampliare in antiquis iudiciis forenſe verbum erat, & ſignificabat interloqui ſeu ſententiam differre, cum cauſa adeo eſſet obſcura 105
Vnde veteribus politioris literaturæ viris Ampliari dicti, quorum abſolutio vel damnatio differebatur 106.107
Ampliatio cum eſſet iudicii prorogatio ſicut & comperendinatio, tamen inter ſe diſcrepabant, quod hæc neceſſaria erat & legis Seruiliæ imperio conſtituta, illa vero libera erat, & in Iudicum poteſtate poſita Ampliatio quoque ſæpius fieri poterat comperendinatio ſemel tantum, 106.107
Vide & tertiam differentiam 108
Anatas Indicas clariſſimus author coniecturare dicit veterum eſſe Phænicopteros 608
Ancillariolus officium ancillæ ſubiens aut ancilla ſectans libidinis explendæ cauſa Martiali ſatyrice dictus quidam Alauda 511 512
Ancus Martius principio Reipublicæ Romanæ inter reges quartus in ordine numeratur 536
Androlipſia quid ſit 18
Perſonarum eccleſiaſticarum Androlipſiam prohibuit in Concilio Lugdunenſi Gregor.9 ibid.
Animalia bruta demptis teſtibus fiunt quietiora, idque ideo quod ſemine carent, vt in equis cantherii in ſuibus Maiales, in gallis gallinaceis capi, inter Arietes veruex 1030
Annuli traditione à moribundo facta proximo aſſiſtenti, quid priſcis denotabat 592
Annuli ſignatorii in hoſtium poteſtate poſiti quanta cura habenda 259 & pag.ſeq.
Annulos ſignatorios pluteа antiquitus Principes habuiſſe, & qua de cauſa, quorumque curæ commiſſos 593 594
Annulos ſignatorios Romani Imperatores olim & principes viri digito geſtabant & quo fine 592
Annus alius Lunaris, Solaris alius, Tertius omnium Planetarum, quem magnũ dixere, quum ſcilicet omnia ſimul errantia ſydera adſua quæque loca recurrunt 101
Lunaris quadrupliciter acceptus, & quomodo ibidem
Solaris quis ſit. Quis item Biſſextus ſeu intercalaris ibidem & pag.ſeq.
Annus à Romulo conſtitutus quot fuerit dierum ibid. 102
Quot item à Numa præſcriptus ibidem
Menſis intercalaris quis Budæo hodie Februarius ibidem
Annum ſolarem Cæſar Dictator curad normam redegerit genuinam 103 104
Annuaria lex ſeu annalis, quæ & Villia dicta fuit, erat qua definiebantur anni magiſtratus capiendi ibidem
Annuariæ leges quænam dicebantur veteribus Romanis, & quam ob rem inuentæ fuerint, vel ſancitæ pag. 985.986
Anteambulones atrati ſeu ferales præcones dicti, quinam in funerum pompis veteribus, ex Budæo. ibid.
Hos & Codonophoros vocat idem à tintinabulorum geſtatione ibidem
Antennæ nauium Dolones dictæ Liuio 59
Antimachi Colophonii Poetæ, obſcuriſſime ſcripti libri Catacriani appellati 1077
Antiquarii quinam dicantur Iuriſconſultis, & de eorum varia acceptione 528
Antiſtites, qui ſacris faciendis carminibusq; Sybillinis interpretandis ac Deorum iræ placandæ præ-

rant apud Romanos primo bini e-rant, poſt ad decennalem numerum redacti 278
Hinc Duumuiri Liuio appellati ibidem
Horum tandem excreuit numerus ad ſexageſimum vſq; ibidem
Sacris faciendis præerant, vt & Supplicationibus, & Lectiſterniis, Expiationibus, Placationibus, Officiiſque Cæremoniarum ibidem
Antonii Conſulis in Cęſarem Dictatorem Adulatio regio diademate in Lupercis ſedentem ornantis 275
Antonomaſtice Vrbs ſolum dicitur de Romana ob eius præſtantiam 800
Vrbem itaque quum ſimpliciter prolatam legimus Romanam ſignificari palam eſt ibidem
Et varia vrbis Epitheta, variaſque denominationes, multipliceſque eiuſdem titulos, caſus, & infortunia, direptiones, incendiaque, ibidem
Aclides armorum quoddam genus erat priſcis, & telorum, at qualia eſſent Aclides arma non ita notum 1097.& ſeq.
Vide Turnebi opinionem, & quid præterea author ſentiat ibid.
Apparitoris vocem pro viatoris vſurpatum aliquando vide 184
Apparitores erant Magiſtratuum miniſtri, qui eorum iuſſa exequebãtur, ſicque vocati fuere à verbo apparere, quod in forenſi vſu teſte Budæo idem eſt exhibendi officii, & obſequii gratia pręſto eſſe 806 807
Apparitores à Lictoribus minime differre ex Liuiana lectione colligere licet 806.807
Erant autem diuerſorum officiorum, vt præfectorum annonæ, præfecti Vrbis, Præfecti Prætorio, Proconſulis, Legati, & aliorum ibidem
Apparitorum in numero non ſolum ſcribæ, ſed viatores, lictores & præcones, continebantur vt Cicero in Oratione pro Cluentio ſcribit ibidem
Apelli præſtantiſſimo pictori in deliciis habitam ſuam pallacam Campaſpem dono dedit Alexander Magnus, quam ob formæ præſtantiam quum nudam ille pingendam tradidiſſet, Apelles ſummopere adamarat 773
Apenarii erant vehicularii, vt Apena vehiculum, Rheda, Currus. pag. 996
Alii ſunt Arenarii, vel gladiatores nec ſine ratione probabili cum ἀπηνής Græcis ſit ſæuus, crudelis, immanis, quales fuiſſe gladiatores non dubitandum ibidem
Author ad corporis verius vaſtitatem & molem refert appellationem: ita vt Apenarii non modo eſſent, gladiatoriam exercere ſoliti, & ideo inhumani, ſed & corpore ſuetam, & communem hominum ſtaturam valde excedentes 997
Apes tinnitu æris gaudere author eſt Plinius 709.710
Apicius Nepotum omnium altiſſimus gurges Phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe docuit 608
Apollo Sandaliarius cur ita dictus fuerit 461
Apollinis cognomina plura recenſet Alexander ab Alexandro ab antiquis illi tanquam Numini ſolita attribui 461
Apollinis tamen Sandalarii nullam mentionem facit ibi.
Aprugnum antiqui, aprinum dixere 860.861
Aqua calida lauari delitiarum cauſa vitioſum erat apud veteres vt Ammianus teſtis eſt 1099
Aquilo ventus dictus, quod ſicut Aquila velociter, & impetuoſe volat ita vetus ille à vehementiſſimo, & per celeri flatu appellationem adeptus eſt 1001
Vnde iure optimo D. Hieronymus ſcopam viarum Aquilonem dixit, quod vehementer diſſlando vias perpurget ibid.
Aquiliorum Romanam familiam ab Aquilis potius quam ab Aquilo colore denominatam exiſtimat

exiſtimat author, contra quod ſenſit Alexander ab Alexandro. 100.3
Arboris proceritas immenſa & quaſi incredibilis à Tiberio Cæſare expoſita. pag. 60
Arbores infelices Plinio dictæ, quæ neque feruntur unquam neque ferunt fructum.pag. 794.795
Dicitur, & infelix Arbor furca ſontium ſupplicio deſtinata. ibid.
Archia publica tabellaria dicta Græcis Cartophilatia poſterioribus Latinis Archiuia. 1048.1049
Archigallus erat appellatus ſummus Sacerdos Matris Deum Cybeles.pagina 470.471
Archiuia loca publica dicta in quibus ſcripturæ publicæ aſſeruantur.pagina. 1048.1049
Area non ſolum locum ab ædificio vacuum, vel planitiem ſignificat, ſed & verticis partem depilem morbo. pagina 797
Aretalogi quinam fuerint Suetonio dicti quos author uerius Areſtologos dicendos putat. ibid.
Argentum, & aurum quando primum ſignata fuerint apud Romanos. pag. 502.503
Argentum Oſcenſe qualenam fuerit veteribus Romanis 52
Argentum purum, putum dicitur, quod expurgatiſſimum eſt ab omni ſorde, & ſocietate alterius metalli alienum, quod Cinerarium vocat Budæus.pag. 737.738
Tale in fœdere, quod inter Populum Romanum, & Carthaginenſes factum fuit dandum à Carthaginenſibus Romanis ſtatuum ibid.
Argentum poſtulatum puriſſimum, quod erat antiquis dictum 737.738
Argento ſignato ante Pirrhũ Epirotarum Regem deuictum Pop. Rom. nõ eſt vſus 10
Argenti fodinis Hiſpaniam abunde iu eaque Oſcenſes præcipue eaſdem celebres habuiſſe coniectura aſſequi licet 54.55
Vnde Argentum Oſcenſe, & Nummi Oſcenſes 54.55
Argentarius, Nummularius Menſarius, Collybiſta Trapezita authori ſunt Synonyma aliquando. pagina. 287.288
Argyraſpidas, & Chryſonaſpidas quod eſt milites argenteos, & aureos Clypeos geſtantes Alexander Seuerus ad Alexandri Magni imitationem inſtituit 988
Arrhas ſponſalium argumentum eſſe tradunt juriſtæ. Vnde Arrhæ ſponſalitiæ dictæ munera, quæ ſponſis dabantur quaſi coemptionis futuræ prærogatiua 915.916
Arrhabonem etiam Arrham dixere Latini ibid.
Pro obſide etiam Arrhabonem accepere ibidem
Arrhæ etiam pignora dicuntur ibidem.
Arrhas Regias Iuniæ Fadillæ dedit Maximius Imperatoris filius maximæ æſtimationis 917
Armorum exercitatio rudis ad palum facta, Ariſtoteli & Platoni probata. pag. 226
Armorum magiſter, quinam diceretur. pag. 805
Armiluſtrum Varro appellauit exercitium luſtrationes 116
Armiluſtrium, quid fuerit antiquis pag. 687
Quid item Tubiluſtrium. ibidem pagina ſeq.
Arpa Gallis, Hiſpanis Italis, idem quod Sambuca 77.78
Lyrophœnicam vocat Athenæus ac fuiſſe Ibici Poetæ Rhegini inuentum tradit.pag. eadem
Sambuca item mulier appellata Sambucam pulſans 77.78
Artaxerſes, Longimanus Latinis dictus Græcis vocabatur Μακρόχειρ; quia manu altera longior 972
Artium vſum viciſſitudo temporum, & rerum eo redegit, vt quæ aut quis familiares erant, nobis peregrinæ ſint; & vice verſa quæ noſtra ætate florent, antiquis omnino fuerint ignota. pagina 522.523
Arundinem exſiccantis; & digerentis vſque ad tertium gradum eſſe facultatis Galenus, Dioſcorides, ipſique Arabes Serapio & Raſis tradidere. p. & ſeq. 513

Aruſpex pullarius priſcis quinam dictus pag. 21
Aſcopera marſupii quoddam genus 243.244. & ſeq.
Aſemas tunicas Egnatius exponit vnicolores, author autem rectius ſimplices, id eſt nullo opere exornatas interpretatur 972
Aſſerere in libertatem, eſt liberum ſe profiteri, ſeque in libertatem vindicare 887
Et Aſſertor libertatis, vindex dicitur, ibidem.
Et Aſſertio eſt libertatis cauſa iudiciũ, ibidem.
Hinc lex de Aſſertionibus, qua cauebatur ne liberi pro ſeruis haberentur, & vice verſa 888.889
Aſinii Galli conſularis viri ſenis acerba mors inedia Tiberii Cæſaris opera crudeliter procurata 162
Aſſis partes, & earundem nomenclaturas vide pag. 283
Aſſem eiuſque partes copioſè deductas vide pag. 871
Athenienſium lex, vt iuuenes coturnices & gallos pugnantes inſpicerent cur lata. 223
Athenienſium vrbs præcipua Athenæ etiam Aſtu dicebatur 602
Athletæ quinam dicantur Galeno. pag. 437.438
Corpore craſſi, & pingues mente hebetes & torpidi reddebantur ibid.
Athletæ, vt plurimum paleſtritæ quare fuerint appellati 439
Athletarum habitum tanquam periculoſum maximiſque ægritudinibus obnoxium Hippocrates deteſtatus eſt pag. 439
Athletarum omnium exercitationes certamina ſeu certationes, gladiatorũ vero pugnas Suetonius appellauit. 44.441
Athletas D. Hieronymus perbelle ſuis coloribus depinxit 439
Athletas & cætera Græcorum ſpectacula Sylla Romam euocauit veluti ſolamina quædam belli Mithridatici, aut Itali, excuſatione adhibita, quaſi populum à calore reſpicare, & refrigerare cuperet 462
Athletas pugiles, & gladiatores nonnulli confundunt erroneè licet. 437. 438
Quomodo autem differant, vide ibidem.
Attribuere pro aſſignare ſumptum Ciceroni 111.112
Atrium quodnam ædificii genus apud priſcos 321
Atriolum ab atrio dictum tanquam minus diminutiue Ciceronis authoritate. pag. 321
Atrienſes ſeruos inter nobiliores ſeruos habitos conſtat ex Iuriſconſultis pag. ibid.
Auaritia magiſtratuum Calphurnia lege lata compreſſa. 702. 703
Auctorare, nil aliud eſt quam obligare, & ſacramento adigere aliquem, nomen militiis frequens. pag. 564. 565
Auctoratus proprie dicitur gladiator, qui mercede pacta, vel accepta ſe obligat, vt depugnet in arena ibidem.
Hinc auctoratio accipitur pro gladiatorum venditione ſeu obligatione. ibid.
Auctorati milites dicuntur ſacramento militiæ, & ſtipendio obligati, ſicut exauctorati obligatione, & ſacramento ſoluti. 564. 565
Auernus, & Lucrinus Lacus Baiis contermini ita ſibi mutuo ſunt propinqui vt in maximis tempeſtatibus coniungi ſoleant. 294. 295
Auernus Lacus dictis ab α, & ὄρνις quaſi auib. carens quod aues ſuperuolitantes graui ſulphuris odore necentur. 296
Vnde graueolens Auernus à poetis dictus. ibid.
Auerni lacus profunditas immenſa, & aquarum eius ſalſedo vnde cauſata. pag. 297.298
Augurium ab auium volatu captum. 324
Augurale indumentum Trabeam fuiſſe auctoritate Seruii comprobatur. 142.143
Auguſtus Cæſar ad minuendam ſterilitatè Laniſtas ex Vrbe exegit. 422.423

# INDEX.


Auguſtus per æs & libram emptos à patre Caium, & Lucium adoptauit. 463. 464

Aurum, argentum, & æs ſignatum pro pecunia accipi ſolet, ſicuti factum pro elaborato, & cælato 636

Signatum pro nummis etiam accipitur, ſicut ſimulachra & vaſa factum appellatur. ead.

Aurũ copellatum ſeu de copella quodnam dicatur. 740

Ad ſummam & exactam puritatem reduci nequit ibid.

Aurum coronarium quodnam apud veteres dictum 726.727

Et à quibus illud exigebatur, ibid. ead. 726

Et qua de cauſa ita dictum. 741

Quidve Toloſanum, quamve id contingentib. pernitioſum. 741.742

Quid item Luſtrale, quod & negotiatorium appellatur. ibid.

Quid præterea Iudaicum ob ius Sinedrii ſeu Sanhedrin penſitari à Iudæis ſolitum Occidentalibus Patriarchis ibid.

Quod etiam Glebale dictum. ibid.

Aurum expurgatiſſimum vigintiquinque caractorum vocatur 740

Viceſimarium quodnam fuerit dictum. ibid.

Aurum obriyzum quodnam ſit & dicatur 739.740

Aurum viceſimarum vnde ſic fuerit vocitatum 109

Auri certam quantitatem perſoluebant vrbes quondam Popul. Roman. ſubiectæ, quo exercituum Ducibus aut Imperatoribus aureæ coronæ quas in triumpho geſtarent patta victoria parabantur 726

Auri ad argentum quotuplex Platonis tempore fuerit proportio 250. 251

Auri pondo millia tria furatus è Capitolio Cæſar primo Conſulatu tantundem æris inaurati, & ſic adulterati repoſuit Suetonio teſte in vita illius. pag. 1042. 1043

Auro opibuſque omnia paſſim cedunt. 421

Aureus veterib. Romanis erat centum nummorum ſeu aſſium libralium 759

Aurei nummi pondus non idem ſemper fuit, ſed temporum ſucceſſione variauit 973.974

Aurei apud Romanos veteres vſitati in militaribus præſertim ſtipendiis verus valor quiſnam fuerit ex modernorum præcipuè doctiſſimi Budæi ſupputatione videte pag. 759

Aureorum veterum valorem, pondus, vſumque eiuſque cum noſtro collationem. vide late pag. 973.974. & tribus ſeqq.

Aurea pompa quæ, & vnde ſic dicta pag. 267.268

Auſpicium pullarium tanquam ſuperſtitioſum antea ſacroſanctum tandẽ Romani repudiauere 22. 23

Auſpicia ſecunda proſperi euentus quomodo pullarius Auruſpex ex pullorum paſtu ſuperſtitioſe prædicebat. 21.22


## B.


Babylonicarum Roſarum tanquam excellentis præſtantiæ meminit Galenus libro illi attributo de Dynamidiis 1064

Bacchi imitatione ſeu Liberi patris in memoriam Cantharis potaſſe C. Marium poſt Cimbros feroces Germaniæ populos bello ſuperatos Plinius nemoriæ noſtræ teſtatum reliquit 1010

Baccho attributum poculum bibitorium cantharum appellatum magnum fuiſſe opinandum quod à cantharo nauigii ſpecie deducatur. 1010

Baiæ olim celeberrima Campaniæ vrbs aquarum celebritate & amœnitate famoſa 294.295

Baiæ olim celeberrimæ vrbis tractus Campaniç hodie penitus dirutæ ruinę ſolum quænam cõſpiciuntur. 296

Belatrones Feſto ſunt homines nihili & pretii plane nullius 1070

Hac voce & Itali moderni vocant homines nequam *Balatroni.* ibid.

Galli etiam dicunt *Belitrones* non bo-

næ frugis, & nihili faciendos viros. pag. ead.
Vaniloquos vocauit Diuus Hieronymus accommodate ſatis ibid.
Dictos Porphyrion Horatii interpres vult balatu & vaniloquentia ibidem
Baleares excellentiſſimi funditores, & funda bellicoſi Plinii authoritate 71. 72
Balliones apud Latinos non lenones à Plautino Ballione quod ſenſit Rhodiginus, ſed tripudii magiſtros vera interpretatione dicendos authoris eſt ſententia 1023 1024
Balliſtea quid eſſent doctiſſimo Turnebo, quidve oculatiſſimo authori noſtro vide. pag. 1023. 1024
Balnea, Thermæ, & Nymphæa, loca fuere lauationibus deſtinata, munditiarum vel ſanationis gratia, inter ſe tamen differentia 919. 920
Quamuis differentia ſæpe confundatur. ibid.
Balteum, Brachiale, Cumacum, Fibulæ, Torques & ſimilia inſtrumenti genera ad corporis ornatum ſunt pertinentia Cumacum autem de quo hoc loco, Pollio, dictum, quod illius ex oppido Cuma, vel Cumis Vrbe Lucaniæ ſit vſus ad Romanos traductus. 1011. 1012
Barbæ & capilli depoſitionem, deditionis & ſubiectionis deiectioniſque indicium aliquando extitiſſe ex hiſtoriæ lectione obſeruatur. 259
Barbæ & crinium ſuarum quondam primitias Athenienſes quum ex Ephebis exceſſiſſent Delphos deferebant. 698
Barbam & capillum deponere olim ſanctioris cuiuſdam deditionis erat indicium. 698
Barbam & capillos abraſos aliquando lætitiæ nonnunquam mæſtitiæ priſcis indicia fuiſſe. 256. 257
Barbam & capillos ſubmittere in mœrore mos fuit olim Romanorum. pagin. 259
Barbam & comam nutrire ſeruis olim vetitum in ſignum ſeruitutis. 698
Barbam Hadrianus Cæſar nutriuit ad tegenda vulnera quæ illi in facie naturalia erant. 699. 700
Barbã poſuiſſe ad vulgaris amicitiæ arbitrium Vero Imperatori à Syris vitio datum. 698
Barbam veteribus radendi cauſam videto. 698. & ſeq.
Barbas cur per raſuram depoſuerint Romanorum Imperatores vſque ad Hadrianum Cæſarem. 699
Bardus à Nonio appellatur hæbes ingenio & ſtultus; ſed Ammianus Bardos inter Gallos enumerat, quos fortia virorum facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantitare tradit. 208. 899
Bardo ſtrenuus & Bellicoſus aut à Zaſio Iuriſconſulto oppoſitus. 208
Barditus clamor vel cantus quis, 208
Bardocucullus erat habitus Gallorum Bardorum poetarum qui facta illuſtrium virorum heroica ad lyræ dulces modulos canebant. 899
Barritus quid, Barrire item & Barrus Latinis. 208
Baſiliſci, & Amphisbenæ ſerpentum deſcriptionem remiſſiue apud Plinium vide pag. 831
Baſterna quod vehiculi, vel pilenti genus fuerit antiquis; vndeque ſic dictum; qui item Baſtagiarii appellati. 803.
Bathillus & Pylades nobiles Pantomimi; hic Comicus, ille Tragœdus. pagina. 436
Bellariorum quoddam genus Cic. Sportellas appellauit. 781. 782
Belluata cur dicta ſtragula & tapetia. pagin. 75. 76
Bellum primum Punicum quod Carthaginienſes cum Romanis geſſere quo anno conditę Vrbis incęperit. pagin. 502. 503
Bellum indicturi populo alicui veteres Romani, Fecialem mittebant haſtam ferentem ferratam, ſanguineam, & præuſtam, eamque in finibus eiuſdem populi ſtatuebant. 605
Mos etiam hic Carthaginienſium erat. ead.
Bella deditione aduerſariorum confecta ouatione talionabantur, denegato pe-

to penitus triumpho. 570
Bellatores magnos viros adnotatũ inuocare haſtam, & iurare per illam apud ſcriptores legi. 605
Bellenus Deus qui ſuã fuerit antiquis, & quæ Bellona Dea. 914
Belli crepam ſaltationem Pyrrhicam vocauit Sextus Pompeius 696. 697
Idem eam à Romulo inſtitutam dicit. ibidem.
Et quare. ibid.
Benedici ſecundas, vel repetitas nuptias quare iura Canonica vetent. 1006
Beneficiarii milites quinam dicebantur pag. 458. & ſeq.
Qui item Beneficiarii, & beneficiati Canonico iure dicãtur. ibid.
Berecynthiam Deam quam & Cybalẽ & Matrem Deum, & Phrygiam, & Peſſinuntiam dicunt, à Monte Berecyntho Phrygiæ, vel vrbe ſic dicta eiuſdem Prouinciæ ita vocaram Seruius & Alton Porphyrionque Virgilii interpretes authores ſunt. 470. 471
Beroaldi error licet viri doctiſſimi ab authore indicatus. 585
Beticam quidam pro tota Hiſpnia accipiũt proprie tamen accipiẽdum pro Regno illo, quod Granata dicitur, à grano tinctorum cuius in eo copioſus eſt prouentus, ex quo pulchro co lore lana tingitur. 1087. 1088
Huius incolæ, vt plurimum etiam noſtro æuo Mauri ſunt. Quamuis Ferdinandi & Eliſabeth Hiſpaniarum Regũ imperio, quorum auſpicio debellati fuere Chriſtianam fidem profeſſi ſint. ibid.
Bibaces & eorum præmia vide pagina 908. & ſeq.
Bigamus qui duas habuit vxores, vel viduam duxerit quare non poſſit ordinati & ad Dei miniſteria promoueri, 1007. 1008
Bigami vt apud nos qui Chriſto nomina dedimus a Sacerdotio ârcẽtur ita apud Ethnicos veteres, Flaminem & Flaminicam Dialẽ Monogamos eſſe oportebat. 1007
Birrum veſtem ſericam fuiſſe colligere licet ex Zonara & Balzamone qui σηρικὰ ὑφάσματα ſerica veſtimẽta interpretantur. 10069
Harum veſtium fit mentio in Gangrenſi Conſilio ibid.
Molle fuiſſe & delicatum Veſtimentũ hinc colligitur ibid.
Erat & nuptiale indumentum. ibid.
Veſtem Romanam Birrũ fuiſſe ex Græcorum authoritate tradit Cælius ibidem.
Attrebaticam veſtem autem Birrum vocat quod apud eos populos præſtãtiſſimæ conficerentur. ibid.
Biſontes ſunt boues Syluestres pagina. 828. 289
Biſturnicem quadrupes animal coniectura ductus ex Ammiano, putat author: vel aues quaſdam 828
Quamuis hoc loco aliter legendum exiſtimet & fortaſſis non præter rationẽ vide ibid.
Biſturnices equos appellauit Vegerius male conformatos ibid.
Biſturnicia Camelos, ſeu dromedarios denotare hoc loco cur arbitretur acutiſſimus author. 549
Blactam ex qua purpureus præſtantiſſimus color Tyrus excellentiſſimam promebat, vnde Sidonius in Panegyrico Pontus Caſtorea, Blactam Tyrus, Aera Corinthus. 1036
Blacteas tunicas purpureas interpretandum, à blatteis, ſcilicet vermiculis ex quibus floridiſſimis inficitur purpureus color. ibid.
Blaterones ex Ariſtophane deſcribit Gellius, inquiens eſſe homines in verba prouectos, locutuleios, & linguales, hoc eſt, incondite & inaniter loquentes pag. 1070
Blemi quales populi eſſent apud hiſtoriæ veteris ſcriptores, qua forma, quo ſub Clymare conſtituti, à quo Imperatore ſubacti, vide pagina. 1058. 1059
Bohemiæ regis in Imperatoris Occidentalis Imperii præſidiis electione inter ſeptem viros Principes Germaniæ electores prærogatiua authoritas videatur 884
Boletare Halieutieum non Volcta Halieuticum hoc Pollionis loco legendũ contra quam voluit Egnatius concordi voro decernunt doctiſſimi viri Turneb. & author huius operis. pag. 1015. 1016
Hoc quidem ex ponderis immenſitate

 vas

dictos ibid.
Eratq; proprium gregariorum militum epitaetun ibid.
Caligula Cæſar caſtrenſi ioco id nomen quare nactus fuerit. 313
Calipodiis elatis, & magnæ molis vt elatiores appareant plerunque Veneriis mulieres præſertim nobiles frequentiſſime imo quotidie vtuntur, vel verius abutuntur. 1020
Calices allaſſontes fuiſſe Ægyptios vitreos Seruiano Conſule Hadriano tranſmiſſos author exiſtimat. 1061
Allaſſontes autem dicti fuere à compoſita dictione Græca nempe αἰόλος, quod eſt varius, & diuerſus, & participio ἐόντες à verbo εἰμὶ idem exiſtentes, quaſi verſicolores, ibid.
Calpurnius Beſtia Conſul eum P. Scipione Naſica pacem fecit flagitioſam cum Iugurta Numidarum Rege pecunia corruptus quam poſtea Senatus improbauit. 1004.1005
Calpurnia de qua hic Pollio quam vniuiram Sacerdotem vocauit Dialis erat Flamminica, vel Flaminea. 442
Ditiſſima fuit, & nobiliſſima, vt quæ vniones Cleopatræ Ægyptiæ dicebatur habere, & lancem centum librarum argenti, in qua maiorum ſuorum expreſſa erat hiſtoria. ibid.
Calpurnia cauſidica inſignis impudentiæ fuit, in foroque inuſitatis latratibus tribunalia exercens, in cauſa fuit, vt mulieribus iudicandi munus interdiceretur. 1006
Calpurnia ſcita pepererunt cupiditates nimiæ auarorum magiſtratuum. pagina 702.703
Caluus Calui variam acceptionem, & quomodo hoc Suetonii loco capiatur vide. 564.565 & ſeq.
Caluos libidinoſos, & Veneri nimium addicto, & ideo vitioſos habitos, vel ex eo conſtat, quod Venerem caluam celebrabant Romani. 762
Cauſam caluitii nimium eſſe rei Venereæ vſum, multis & Medicorum & aliorum authorum teſtimoniis comprobatur. ibid.
Caluitiem inter corporis turpitudines numerari pulchrâ gradatione in Hexamero docet Diuus Ambroſius. 760.761
Caluitiem, qua arte Cæſar Dictator occultarit. 762
Qua item Otho Imperator 760.761
Camelus ſitim in quatriduum tolerat impleturq; bibendi quum adeſt occaſio in præteritum & futurum, ex Plinio. pag. 827
Camelaſia erat munus alendorum Camelorum. 813.814
Camelarii, qui curam illorum habebãt. ibid.
Camelaſium, quodnam eſſet genus tributi. 813.814
Campagum fuiſſe barbarum calciamenti genus interpretatur in Capitolino, Cœlius Rhodiginus. 917
Cruribus, vel tibiis obtegendis, & armãdis erat aptiſſimum. ibid.
Campum Martium olim extra vrbem licet nunc in vrbe ſit, fuiſſe, ex Liuio patet. 548.549
Camptaulas interpretatus eſt Rhodiginus, qui flexibili tibiarum cantu vtũtur, rectius authoris ſententia qui tibiis ſeu fiſtulis obliquis ſeu flexis concinunt, ſiquidem αὐλὸς Græcis tibia, vel fiſtula Latinis dicitur, & καμπτός flexibile ſignificat. 1065
Candidam faſciam tam Romanis, quam exteris gentibus Regium inſigne fuiſſe à Libero patre inuentum teſtatum reliquit Plinius. 981
Hinc Tigranem Arm. Regem cãdidam faſciam inſigne Regium ante Pompei pedes abieciſſe veluti à dominatione ſe abdicantem teſtati ſunt Dion, & Plutarchus. ibid.
Candidati communiori appellatione dicebantur antiquitus Magiſtratuum ſeu dignitatum petitores, eo quod veſte candida poſtulationis tempore induebantur. 833.834
Quamuis non omnes candido amictu magiſtratum petentes vterentur. ibi.
Quare autem alba veſte poſtulantes vterentur docet Plinius remiſſiue. ibi. pag. ſeq. 835
Magiſtratus autem quomodo peterent Cice. docet late in Orat. pro Plantio. ibidem.
Candidati quoque dicebantur, qui toga alba Tyrones die Tyrocinii induebantur. ibid.
Candidatu Principum dicebantur quos prin-

principes populo in magiſtratus petitione commendabant. ibid.
Quamuis Vlpianus candidatos principis appellet, qui epiſtolis ſine orationibus principis in ſenatu legendis vacabant; quos & Quæſtores candidatos principis nominat. ibid.
Candidati fidei apud D. Hieronymum Catechumeni appellantur. ibid.
Candidati Imperatorum erant milites in bello fortes, & ſtrenui. inſignesq́; qui in pugna Imperatorem circuibant, & propugnabant candida veſte induti & exornati. ibid. ead. pag. 835
Candidatorum ambitus lege Iulia coerciti, pag. 702.703
Canephoræ Athenienſes virgines, quænam, & cur ita dictæ. 267.268
Canephoræ Palladis Atticæ miniſtræ virgines, 502.503
Canibus a locis & nationibus indita paſſim nomina vulgatiſſimū eſt. Ab inſula Melita Meliteos canes dictos; à Laconia Laconicos, & ſic de cæteris, vide pag. 863
Canes Paripoos dixere antiqui, eo quod velocitate currentes equos ſequantur, vel præuertant potius, & equino curſu ſint velociores. 864.865
Caninia lex quæ Furia, vel Fuſia dicta fuit, de ſeruorum numero manumittendorum teſtamento lata fuit, cuius Imperio ſancita. 1050
Cantharus erat poculum Baccho attributum magnum, à Canthare nauigii ſpecie ſic denominatum. 1010
Cantherios Gallicos viliores dixit Plautus in Aulularia. 1030
Cantherium rei ruſticæ ſcriptores pedamentum ſeu haſtam, cui vites innituntur, vocauere. 1030
Cantheriolum ab hoc diminutiuum eſt. ibid.
Cantheria Vitruuius vocauit ligna, quę in tectis ab Italis *Canteri* vulgo dicuntur. ibid.
Cantherium hoc loco Vopiſci ſignificat equum caſtratum, qui integris, quos vere equos vocamus, minus eſt generoſus, eum exectus equus magis ſit ignauus, pag. ead. 1030
Cantherini hordei, hoc eſt, alendis equis conuenientis, meminit Plinius, 1030
Cappadoces infidos admodum Romanis atteſtatur Suidas. 725
Capitis diminutio triplex apud Iuriſconſultos. 54.55
Capite cenſos quis primus inter milites ſcripſerit difficillimis Reipublicæ temporibus. 37
Capite nudo incedere antiquis Romanis, an recto mos fuerit, vide pag. 1078.1079. & paginis duab. ſeqq.
Capillos & barbam priſcos modo in lætitiæ, modo in mœſtitiæ indicium abraſiſſe, & ſacris & profanis literis comprobatur. 256.257
Capitolinus collis cur ita vocatus. 237
Quæ in eo erant antiquitus Templa. ibid.
Capua cum antea Colonia eſſet Romanorum, in Præfecturam redacta fuit tanquam vrbs ipſis inimica. 402.403
Capys Capuæ Campaniæ vrbis fertiliſſimæ conditor. 280.281
Varii varia in hoc cenſuete. ibid.
Capys Capuæ conditoris meminere Dictys Cretenſis & Dares Phrygius. 280.281
Alii Romulum ipſius conditorem faciunt à Proaui nomine, Anchiſe patre. ibid.
Nonnulli à campeſtri agro ſic vocatam tradidere. ibid.
Carraginem facere quid ſignificet. 997
Diuerſas diuerſorum vide ſententias. ibid.
Carmeli Dei oraculum conſultum à Veſpaſiano quid ei portenderit. 195
Carmeli montis fit mentio frequens in ſacris literis, illumq́; Deo fuiſſe locum gratiſſimum conſtat. 195
Carmeli montis Deus conſultus à Veſpaſiano verus Deus fuit, qui ſine fine viuit & regnat. ibid.
Huic Deo æterno in monte illo Carmeli Hebræi ſacrificiū offerebant. ibid.
Carmelos montes eſſe duos, author eſt D. Hieronymus, & quinam illi, quove loco ſiti. ibid.
Caroli Langii error ab authore detectus. 394
Carolus Sigon. inſignis erroris, aut potius falſitatis ab authore modeſte tamen notatur. 118.119
Carpentum erat vehiculi genus Romanis præſertim Matronis conuehen-

cenſum non habentibus auctarium liberaliter conrulerit. ibid.
Cenſum Equeſtrem fuiſſe olim quadringenrorũ, id eſt, decem millium aureorum, remiſiſſe docet author. 420
Centones ſunt panni lanei cirros habentes, è quibus lectorum fiunt præcipue cooperimenta, quibus inuoluuntur nautæ, & alii viles pauperesque homines, Venetis vulgo *Schaune* dicuntur. 899
Centenarii dicebantur Iuriſconſultis, qui in Centena dignitate, de qua paſſim in Codice Theodoſiano gradum in Schola agentium in rebus tenebant. 938.939
Variam huius dictionis acceptionem vide ibi, & pag.ſeq.
Centenaria vaſa quænam, & cur ita dicta, cuiuſve vſus eſſent. 938.939
Quid item millenaria vaſa Catoni, Columellæ, & Palladio. ibid.
Centenaria vaſa putat author ſalua aliorum ſententia vaſa ingentia, & magna. 940
Centenariæ cœnæ quænam eſſent, & dicerentur apud antiquos. ibid.
Centurio dictus, quod centum præeſſet militibus. 129
Centuriorum erat munus caſtigandi milites vite, non virga. 125
Centurias non explere, quid apud Liuium, pag.63.& duab.ſeqq.
Quid item Tribus non explere. ibid. pag.63.44
Centuriatus Mulus dicebatur, quod ſingulis centuriis ad onera ferenda aſſignatus eſſet. 1025
Centurionatum agere, quid ſit ex Tacito. 131.132
Eius & centuriatus di. Terentia. ibid.
Ceraunia, quæ gemmæ erant ſpecies, nouis luxurians ſemper inuentis Heliogabalus lentibus miſcebat, vt aurum piſis. 944
Cereri Libero Liberæq; matri ſcilicet filio & filiæ, ædes votiuas feciſſe Aulum Poſthumium dictatorem authores ſunt Halicarnaſſ. & Tacit. 52
Cetui quid eſſent in re bellica Iulii Cæſaris, docent de bello Gallico commentarii. 109
Quare ſic appellati. ibid.
Ceratis tabulis more ſuo veteres Romani ſcribebant, quas pugillares vocabant. 284.285
Ceratis tabulis ſcribendi antiquiſſimus mos fuit, quæ & codicilli & pugiles plurali numero vocabantur. 234.235
Cereis accenſis Romani non tam in funebri pompa vtebantur, quam in aliis pompis plauſibilibus & triumphis. 540
Ceruleus color, id eſt, Marinus, Venerus etiam cur fuerit appellatus. 314.315
Cetra ſcuti genus quoddam erat, quo quondam Hiſpani armabantur, vnde milites cetrati dicti. 899
Cetratæ autem veſtes erant, quæ ex cetraro panno laneo ſerico, vel aureo confectæ eſſent. ibid.
Chamulci erant, vt inquit Pollux, machinæ quædam & inſtrumenta, quibus naues trahebantur; verum quales eſſent, non tradit. 815
Authori acutiſſimo, quid ſit chamulcum, vide ibid.
Charondæ Sibaritis lex lata in nouercarum ſuperinductores, qualis. 121
Cheimiſtis, quos & Flaruarios dicit Conſtantinus Imperator, pœnam ſtatuit capitalem, qui vt ipſæ dicit maiorinam pecuniam, non minus criminoſe, quam crebre ſeparato argento ab ære purgabant. 1042.1043
Cheraulas à voce Græca χορὸς deductam arbitratur author, quod Latinis tripudium & chorum ſignificat, vt eſſet tibiæ ſeu muſici inſtrumenti genus, quod ſpiritu ſufflato tripudia excitaret. 1066
Vide ibi notatum Turnebum.
Chlamys Dardanica manruelis Pollioni hic nil aliud erat, quam quod vulgo Itali vocant *mantellum*. 1021
Chlamydes Limbaras vocant author in extremitatibus limbis exornatas. 1017
Chlamydes veſtes militares fuiſſe, ex Capitolino conſtat, qui chlamydes caſtrenſes vocat. 900.901
Hinc Plautus ad ornatum militis dicit opus eſſe Chlamyde, Machera, & Petaſo. ibid.
Pollux etiam inter apparatus militares enu-

enumerat Chlamydes. ibid.
Quamuis & Regum indumentum fuiſſe purpuream Chlamydem legamus. ibid.
Chlamydem à Numa Romanorum Rege antiquitus reperram, Suidas author eſt. ibid.
Inter puellaria etiam veſtimenta Chlamys recenſetur à Vlpiano. ibid.
Chlamydis etiam vſus præterquam, quod à Catone puellis tributus fuit, etiam adultis fœminis conceſſus. pag.ead. 511.512
Choragus quis dicatur, & vnde id nomen deductum. 476.477
Choraules monumentarii, quinam dicantur. 735
Chorus Diuo Hieronymo Muſici inſtrumenti genus. 476.477
Chriſtianis autem clericorum pſallentium conuentus. ibid.
Sic & à Iuriſtis accipitur. ibid.
Chorodectis quis à Suida appellatus fuerit. 476.477
Chreſtologus pertinax Imperator (vt Capitolinus teſtatur) vocatus fuit, quod bene loqueretur, maleq; faceret, blandusq; eſſet verbis, re non item. 674.675
Chreſtum per contumeliam homines impios Redemprorem noſtrum æterni patris æternum filium appellare ſolitos, Tertullianus & Lactantius docent. 674.675
Chriſtus Saluator noſter ſub Imperio Tiberii paſſus eſt. 164.& ſeq.
Phœnicis vnicæ auis typum repræſentat. ibid
Vide ibi pulchram ſimilitudinem, & proprietatum cum Phœnice ex Diuo Ambroſio, & Chriſto coaceruationem.
Chriſtum Saluatorem nunquam Romæ fuiſſe ex eo patet, quod illius rei nulla apud ſacros profanosq; authores extet atteſtatio. 674.675
Chriſto impulſore Iudæos Romæ tumultum Claudii Imperio excitaſſe, quomodo intelligendum. 674.675
Chriſocolla, & Minio pauimenta Amphiteatri, in quo gladiatorium ſpectaculum exhibebatur principum luxu, & prodigalitate aliquando ſternebatur. 602
Chryſurgici quinam dicti Budæo. 28.29
Ciceronis in Antonium exprobratio, qua eum decoctionis nota voluit inuſtum agnoſci. 400
Ciceronis in Liberium Equitem Romanum nouo gradu à Cæſare; cuius nimium egerat ornatum, contemptus, & iocus. 398.399
Salſaq; eiuſdem Liberi in Ciceronem retalionatio. ibid.
Cincia lex de donis & muneribus lata populum vectigalem, & ſtipendiarium Senatui tutata eſt. 702.703
Cincia & Titia lex differunt, quamuis vtraque eadem de cauſa lata fuerit. 704
Circi maximi apud Romanos veteres ornamenta. 86
Citratas veſtes militares Lampridius in Alexandro vocauit Chlamydes hirtas, hoc eſt, villoſas & piloſas, ſeu ſetoſas. 900.901
Circumpedes Latinis ſunt curſores, vulgo dicti *Staffieri, ouero Palafrenieri.* 725
Ciſtiferi apud veteres contemptui, vt vilis homines ſortis habiti apud Martialem. 502.503
Ciuium Romanorum prærogatiua ne inconſulto populo flagris cæſi necarentur. 404
Et ibi eorundem varia priuilegia videto per totam.
Ciuitatis Romanæ ius diuerſis prærogatiuis conſtabat; & non omnibus ciuitate donatis eædem erant conditiones. 402.403
Et quænam ciuium fuerint Romanorum, & ciuitatis ius habentium prærogatiuæ & immunitates. ibid. & pag. ſeq.
Ciuitatem dari à Romanis aliud erat à conceſſione Iuris Latii, ſeu Latinitatis. 407
Ciuitatem Romanam, vt quis exterus plene aſſequeretur, quidnam requirebatur. 408.409
Ciuitatem Romanam vſurpantes in campo Eſquilino, qui quidem in vrbe erat, Claudius Cæſar ſecuri percuſſit. 673
Ciuitate Romana Liuius dum profert abſolute gentem aliquam donatam, & ius ſuffragandi, vel ſuffragia ferendi ci-

di eidem conceſſum aſſerere pro more habet: cum multis gentibus ciuitatis ius donatum ſine ſuffragandi iure fuerit. 19.20

Clades inſignis Romanis ab Annibale illata apud Trebiam fluuium Galliæ togatæ, ſeu Ciſalpinæ prope Placentiam. 572

Clamor ingens caſtrorum cur in bellicis congreſſibus vſurpari ſolitus. 209

Clarigationem varie à variis acceptam, vide pag. 17. & 18.

Decretales Epiſtolæ Pignerationem vocarunt. ead. pag. 18

Authoris opinio & authorum diſſidentium eiuſdem concilium. ibid.

Calepini detectus error, qui Clarigationem belli denuntiationem erronee interpretatus eſt, vt & clarigare bellum indicere. ibid.

Clariſſimi, qui fuerint appellati, quive illuſtres, ſpectabiles, magnifici, vide pag. 1031. 1032

Clariſſimatus item, quæ fuerit dignitas. ibid.

Clariſſimatus tradendi formulam habemus à Caſſiodoro. ibid.

Claſſis communiſſima ſignificatione licet multitudinem nauium denotet, nonnunquam tamen pro vna ſola naui accipitur. 585

Accipitur & aliquando pro terreſtri exercitu: ſic Iſydorus & Seruius, illud Virgilii claſſibus hic locus exponunt. pag. ead. & ſeq.

Claſſis præcincta hinc dicebatur antiquis exercitus confeſtim pugnaturus; & claſſis clypeata exercitus Feſto; ſic Liuio militum ordines claſſes dictæ. ibid.

Claſſiarii milites quinam dicti fuerint. 200

Hi Suetonio & Hircio ita appellati Tacito claſſici vocati fuere. ibid.

Claſſici oratores erant primæ claſſis ſcriptores Gellio & claſſici teſtes Feſto primæ authoritatis homines, qui ſignandis teſtamentis adhibebantur. 586. 587

Clauo veſtis genere nobili nec lato, nec anguſto vſus fuit Octauius, ſed medio modo ſe habenti, vt vtriq; ordini Senatorio ſcilicet, & Equeſtri placeret, quorum ille latoclauo induebatur, hic anguſtum clauum veſtiebat. 384

Clauarius Suetonii pater fuit appellatus, eo quod præfectus fuerit Clauario donatiuo Imperatorio inter milites diſpartiendo. 771. 772

Clauularem curſum vocabant antiqui, vt opinatur author iter aliquot nauibus conficiendum. 1072. 1073

Cleopatræ generoſum factum voluntaria morte ſibi aſcita, ne in triumphũ ludibrio ſpectatoribus futura duceretur. 708

Coactilia quænam eſſent veſtimentorum genera, & ex qua materia confecta. 896. 897

Coctilia ligna erant idem, quod exiccata. 898

Codex, quam varie accipiatur, quidve hoc loco per Codicem intelligendum. 987

Codicillus à Codice deducitur, & eſt vſus eius plurali numero frequens Iuriſconſultis. ibid.

Codicilli ſic definiuntur à Iuriſprudentibus; quod ſunt teſtari vel inteſtati voluntas minus ſolemnis. ibid.

Eſt tamen varia dictionis codicilli acceptio. 988

Codicillares magiſtratus appellat Cœlius Rhodiginus dignitates nomine tantum datas, re vero minime, id eſt, quæ carent effectu; ſed quam appoſite videant docti, inquit author. ibid.

Codonophori erant tintinnabula, in funerum pompa geſtantes doct. Budæo, quos & Anteambulones atratos, ſeu ferales præcones vocat. 735

Cœlius Rhodiginus & Egnatius ab authore erroris notati 940

Cœlii Rhodigini laus, ab authore decantata, & ipſius tamen lapſus indicatus. 832

Cœlii Rhodigini error detectus ab authore. pag. 539. & 919. 920

Coercere varia acceptio Grammaticorum & Iuriſtarum. 431. 432

Pro animaduerſione acceptum variarum eſt ſpecierum; alia enim capitalis eſt coerctio; alia modica; alia leuis. ibid.

Coerctio nõ ſolum pecuniaria animaduerſio, ſed etiam in corpus eſt caſtigatio.

gatiō. 437.438
Cœna recta quænam fuerit Romanis veteribus. 492
Quibus huiuſmodi cœnæ exhiberentur, & à quo. ibid.
Eadem à Nerone intermiſſa aut abolita. à Veſpaſiano reintegrata, rectè à priſcis Romanis ignobilioribus dabatur. 493.494
Cœna popularis, item quænam iiſdem dicta, quibusq; dari ſolita. ibid. pag. eād. 492
Cœna præterea lauta, quæ dicta, quæve dapſilis, & vtrum idem ſint, an diſcrepent. ibid.
Cœnam rectam dictam, quod erecti ſedentes, non in lectis decumbentes cœnarent. ſacris & profanis reſtibus comprobatur. 496
Cœnis domeſticis excepti in lectis decumbebant proſtrati: principum autem cœnis admiſſi Senatores, magnateſq; recte ſedentes menſæ accumbebant. 493.494
Hinc recte cœnæ dictæ antiquis. ibid.
Cœnas ſeruis ſuis ponere ſolitas Martio menſe veterum Romanorum matronas, vt Saturnalibus feſtis Dominos, illas, vt honore promprius obſequium prouocarent, hos quaſi gratiam rependerent perfecti laboris, Solinus author eſt. ibid.
Collegia opificum primus Romæ Numa Pompil. Rex inſtituit; & quęnam illa. 808. & ſeq.
Videri poteſt Cuiacius lib. 7. obſeruat. cap. 43. ibid.
Colles ſeptem in vrbe Romana: præcipuum autem eorum Capitolinum Saturnium primum appellatum eſt vulgatiſſimum. 237
Coloniæ olim Romanorum, vt certam penſionem annuam populo penderent, fuit conſtitutum. 413
Ilienſibus tamen, vel Troianis quaſi Romanæ gentis authoribus Tributa in perpetuum remiſit Claudius Imp. ibid.
Coloniæ quot numero fuerint Syllæ dictatoris ætate, quæ non pleno iure ciuitatem Romanam haberent. 405 406
Colores proprie album & nigrum ſoli dicuntur: cæteri vero medii ex horum participatione & mixtura. 1036
Colorex veſtes dicebantur, vel tunicæ cuiuſuis alterius coloris præter purpureum, Turnebo. 1036
Coloſſus Rhodius maxime celebratus Soli dicatus Charetis Lyndii Lyſippi diſcipuli opera fabrefactus, quantæ molis fuerit. 930.931
Coloſſos plures celeberrimos recenſet Plinius. ibid.
Coloſſos vocarunt antiqui, & vocamus nos ſtatuas maiores giganteas. 929
Zenodorus ex ære Coloſſicam Neronis ſtatuam, vel imaginem fabrefecit. ibid.
Coloſſas ſtatuas omnibus Imperatoribus in foro D. Neruæ collocaſſe Alexandrum Seuerum Imp. Lampridius teſtatur. 930.931
Coloſſica onera Budæo metaphorice dicta, quæ magnæ molis ſunt. ibid.
Collum obſtringere, vel obtorquere, pro vim inferre. 14
Torquere iura eſt eadem peruertere, illiſq; vim inferre. ibid.
Collybus Græcis Nummus eſt, authoritate Cœlii Rhodigini. 290
Collybum, doctiſſimus Budæus interpretatur, eſſe id detrimentum pecuniæ, quod in ratiociniis permutandarum pecuniarum, vel ad exteras nationes exportandarum fit, vulgo *Cambio* dicunt. 289
Collybiſta Argentarius, Menſarius, Nummularius, Trapezita authori aliquando ſunt ſinonyma. 278.279
Coma reuerenda eſt in Senibus, veneranda in Sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adoleſcentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris: tolle arboris comam, arbor ingrata eſt: tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flacceſcit.
Comæ primitias virgines olim cum matrimoniū iniiſſent, Deabus conſecrabant. 698
Comas nutrire antiquis, præſertim nobilibus Francorum mos fuit. 259
Commeatus dicebatur licentia ſeſe abſentandi ab vrbe, & Italia excedendi, & redeundi intra certum tempus Senatoribus concedi ſolita ab ipſo Senatu. 651.652

Erat

Erat & Comeatus præcipue militaris, licentia à Ducibus ſeu Tribunis in exercitu militibus dari ſueta. ibid.
Comeatus varia acceptio. 589.590 591
Commentarium condidiſſe Ariſtotelem, author eſt Porphyrius, cui titulus Peplum, in quo Ducum deſcripſit genealogiam, & nauium numerum ad Troiam profectarum. 1003
Commentaria Latini libros dixere, in quibus non fuſe lateq; res, ſed tantum quaſi per capita deſcriberentur. 204
Commentarios non dici apud Claſſicos authores explanationes in aliquem probatum ſcriptorem, ſed commentationes. 205.206
Commentarienſes dicti, qui principis commentaria ſcribebant. 205.206
Qui item in caſtris militum munia, excubias, commeatusq;, & alia huiuſmodi in commentarios referebant. ibid.
Apud Iuriſtas vero, qui ita vocentur, vide ibid.
Commentatio paſſim Ciceroni meditatio eſt ibid.
Cometa terrificum ſydus Plinio, dirum Æthiopibus & Ægypti populis. 684
Cometas Græcis nobis cincinnatas vocitaras magnarum ferunt calamitatum prænuntias. 684. & pag. ſeq. per tot.
Cometas ſemper malum portendere Aſtrologorum eſt opinio, & qua de cauſa. 685.686
Paruæ durationis eſſe Ariſtotelis teſtimonio comprobatur. 687
Comitia Conſularia dicta, quibus conſules creabantur, quod fiebat Comitiis centuriatis. 138
Ea primo per vrbis præfectum habita, deinde per conſules haberi ſolita, etiam nonnunquam ab Interrege interregni tempore habebantur. ibid.
Habebantur & aliquando per Dictatorem. 139.140
Ne deſunt, qui per Prætores habita aſſerant aliquando. ibid.
Poſtremo ius illud ad ſe Imperatores cæteri Cæſaris exemplo Dictatoris tranſtulere. ibid.
Comitia habenda edicto publico indicebantur, & quare. 961.969
Comitiorum edictum promulgare conſulum erat. ibid.
Comitialis morbus ob id dictus ita fuit, (quem Epilepticum vocamus) quod Comitia diſſoluerentur, ſi quis iis coadunatis ab hoc morbo inuaſus corruiſſet. 355
Committere, & Commiſſiones, quam varie accipiantur. 377. & trib. pag. ſeqq.
Comœdi ſoccis vtentes humiles repræſentant Tragœdi cothurnis induti turgidos, vtpote cum principibus agentes & elatos. 857
Commoratio & commorari ad tempus dicuntur, habitatio & habitare ad perpetuitatem referuntur, quamuis ſæpe confundantur. 227
Compendio verbo lucrum, quæſtum, & vtilitatem ſignificari iuris interpretes docent. 888.889
Compendio quod lucrum, vtilitatem, & quæſtum indicat, opponitur diſpendium. ibid.
Comperendini dies appellabantur, quibus vadimonium dicere, & vadare, iudiciaq; addicere licebat. 859
Comperendinata res ſignificat iudicium in diem tertium conſtitutum. ibid.
Comperendino autem eſt de die in diem protrahere, ſeu differre. ibid.
Comperendinari cauſam quid ſit, vide ibid.
Sumitur Comperendinari pro qualibet quantumuis longa iudiciali dilatione. ibid.
Comperendinatio magis propter accuſatorem, quam defenſorem inſtituta cur fuerit. ibid.
Comoactum licet proprie, & vt plurimum pro coagmentato & compoſito obſeruetur, hoc tamen Suetonii loco ſumitur pro eo, quod eſt pacto conuentum & firmatum. 219
Compitalitia ſacra erant, quæ Diis Laribus ſeu Geniis fiebant. 328
His ſerui nō ingenui adhibebantur ſacrificantes, & qua de cauſa. ibid.
Et hoc ſeculo noſtro apud Romanos ſunt in vſu. ibid.
Initium ſumpſete regnante Tarquinio Priſco, Plinio authore. ibid.

Conci-

Conciliabulum à foro male diſtinctum fuit à Carolo Sigonio. 90
Conciliabula quæ proprie dicantur, & quid ſint. 62.& 63
A vico, municipio, colonia, caſtello, oppido, præfectura ſeparari & diſtingui, docet Paulus Iuriſconſultus lib. 4. ſeptent. tit. 6. 90
In Conciliabulis iſtis olim ius dicebatur. ibid. & pag. ſeq.
Sunt & Conciliabula frequentes hominum conuentus aliquando. ibid.
Conditio ſponſaliorum apud Iuriſconſultos & nuptiarum coniunctionem & Veneris vſum ſignificat. 891
Hinc in ſponſalium renuntiatione hac formula antiqui vtebantur: Conditione tua non vtar. ibid.
Eodem ſenſu legitur pariter, Emiſſarios habebat Heliogabalus Imperator, qui ſibi bene naſatos perquirerent, eosq; ad aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui poſſet. ibid. pag. ead.
Conditionis verbum in bonam & in malam partem accipi ſolet. 891
Videatis exempla vtriuſque apud eundem Suetonium. ibid.
Confarreatio nuptialis cæremonia ſic à farre ſacris adhibito dicebatur antiquis. 155
Confarreatione apud priſcos initæ nuptiæ indiſſolubiles erant. 156. 157
Confarreatis parentibus orti, quibus priuilegiis fruebantur. ibid.
Confiſcatio quæ nunc dicitur, olim Sectio Latinis appellabatur. 172
Conradi Lycoſthenis error ab authore detectus. 304. 305
Conſcutarii dicti, qui ex vna erant Scutariorum ſchola. 851
Conſectare idem, quod Deo dicare. 217. 218
Conſiſtorium à conſiſto formatum eſt, nouum quidem verbum, vel ſaltem infrequens, quum raro apud antiquos obſeruetur, elegans tamen diebus noſtris vocabulum pro loco ſcilicet, in quo patres cum ſummo Pontifice conſultandi gratia conſiſtunt, 811
Conſiſtoriani etiam quinam dicantur. ibid.
Conſiſtorialia beneficia, quænam dicantur. ibid. pag. ſeq.
Conſiſtoriales aduocati qui etiam ſint, vide ibid.
Conſiſtoriales patroni quales hodie ſunt Cardinales. ibid.
Conſiſtorianos Comites antiqui dicebant, qui tranquillitati principis proſpiciebant. 812
Ex his iudicium aulicum olim conflari ſolitum, ex Iuriſconſultorum traditionibus patet. ibid.
Conſtantini Imperatoris lex de crucis ſupplicio ſuis temporibus frequentiſſimo in Saluatoris noſtri venerationem non exercendo. 204
Conſulares, & Prætoriæ prouinciæ non ſemper ab ipſis Conſulibus & Prætoribus actu adminiſtrabantur: ſed eorum vice alii viri Conſulares ad prouinciam adminiſtrandam mittebantur. 359
Conſulare Imperium & Prætorium in prouincia licet ſummum eſſet, Proconſulare tamen maius erat Proprætorio. 358
Conſus gentilium Deus conſiliorum dictus, quod ſalutaria conſilia ſuggereret. 851
Ab hoc Deo feſta Conſualia dicta fuere, in quorum celebratione Sabinæ raptæ à Romanis fuere. ibid.
Contentus deriuatum à contendo, ſignificat idem quod intenſum. 566
Connubiorum cauſa magnum olim apud Romanos fuit Patribus conſcriptis cum plebe certamen. 84. 85
Conuiuantium mos antiquorum erat præ reliquis ſortiri quempiam, qui conuiuantibus præſidens nomina daret, id eſt, leges, quæ nomina vocabantur, niſi forte nomi legendum ſit, quod leges Græcis ſignificat, vide pag. 902
Conuiuarum numerum incipere oportet à Gratiis, & progredi vſq; ad Muſas, quid ſit. 495
Corinna Muſica Lyrica tanta claruit eruditione, vt Thebis cum Pindaro carminibus certans quinquies victrix fuerit renunciata. 299
Cornelia lege quondam apud Romanos cautum fuit, eum, qui in aurum vitii quid addiderit, quive argenteos nummos adulterinos conflauerit,

rit, falſi teneri. 1042.1043
Corniculum militaris ornamenti genus quale, in ambiguo eſt. in fine. 22.23.& 24
Cornicularius miles quiſnam fuerit appellatus, ibid.& 17. ex Sigonio. & ibi per totam, & pag. 25.26.
Cornicines à cornu dicti 1.2
Corollarium communi ſignificatione, quid Varroni dicatur. 428.429
Pecuniarium corollarium quidnam dixerit Cic. in Verrem ibid. & ſeq.
Aliquando accipitur pro corollis. vt ibidem ead. p. 430
Non raro pro ſupernumerario poſitum obſeruatur apud Plinium ibid.
Symbolicos pro poſtica, uel pręposteta Venere accepit Apuleius. ibid.
Coronæ aureæ dari ſolitę in Conuiuiis Romanis Imperatoribus honoris gratia à Regibus ſociis & amicis author eſt Tacitus in Annalibus. 726
Coronæ triumphales antiquitus aureę principio dabantur poſtea ex auro fieri cœptæ. 726
Corybantes, qui & Galli dicti, Cybeles Deę Sacerdotes, per furorē motu capitis comam rotantes vlulatu olim futura prędicere ſuetos Seruius teſtatur. pag. 470.471
Cotis diſſectæ miraculo plena ſi non falſa ab augure Antio Nauio facta Romulo inſtante relatio 95.96
Couinum vehiculi falcati eſt genus, quo Britanni in prælijs uti conſueuere. 210
Vnde Couinarium aliqui deductum putant Couini rectorem ſeu aurigā, ibidem.
Rectius author Couinariū putat militem ex Couino pugnantem. ibid.
Cremutius Cordus iniuſtis accuſationibus petitus ſibi mortem cibi abſtinentia nimia conſciuit 159
Crepi quare fuerint dicti Veteribus Luperci 275
Crepos Lupercos dicebant à crepitu plagarum quas infligebant obuiis. 638.639
Creta inuentrix Enſis, Galeę & cum armis ſaltandi moris 696.697
Cretenſium conſuetudinem refert Caryſtius in commentariis hiſtoricis in ſacris ſeu feſtis Hermeis dictis, vt conuiuantibus ſeruis inſeruirent, & miniſtrarent 633.
Cretēſiū feſta Mercurialia quænā erant quaque de cauſa celebrari ſolita. 633
Crines in deditionis & ſubiectionis ſignum virgines Deo ſe vouentes detondere ſolent, quod fecerūt Priſcilla & Aquila de quibus Actorum Apoſtolicorum cap. 22.26. 260.261
Crocota veſtis muliebris genus de qua Cic. lib. de Aruſpic. reſponſ. 618
Infectores veſtium Crocelarii in Aulularia à Plauto appellati ibid
Crocutæ animalia erant fera ex cane, lupaque concepta, omnia dentibus frangentia, protinuſq; deuorata vētre conficientia 875
Vnde aduecta, cuius coloris & figuræ, quando primum in ſpectaculis, & à quo exhibita ibid.
Plinii de earum ortu ſententiam vide ibidem.
Crucis patibulum ſeruile ſupplicium à Tacito fuit appellatum 201.202
Quamuis aliquando crucis ſupplicio homines liberi, & ſummi viri fuerint perempti, vt Polycrates Samiorum Tyrannus, Bomilcar Pœnorum Dux & de multis aliis 203
Crucis ſuppliciū, & mors eo acerbiora, & duriora, quod duriùs, & diutius cruciabant, & omnes crucifixi longa morte necabantur 204
Crudelitas Tiberii Cęſaris in Aſinium Gallum Conſularem virum ſenem inedia mori cogentem 162
Cauſę autem illius crudelitatis in virū alioquin magnę authoritatis, & ſanguinis varie enumerantur, ibidem. pag. ſeq. & 163
Prima fuiſſe dicitur odii ipſius Tiberii in Gallum cauſa, quod Aſinius Gallus Viſpaniam Agrippę filiam alias Tiberio coniunctam, at non in eius iniuriam quum eam iam dimiſiſſet Tiberius, duxiſſet vxorē ibid.
Altera fuit quod nimis libero vſus fuerit Tiberio de Reipubl. adminiſtratione ſibi tradita neſcio quid dicente, ſermone quod ſiniſtre tuliſſe fertur Cęſar. ibid.
Tertia odii cauſa fuiſſe perhibetur quod Gallo obiecerit Tiberius Polli onis

onis Aſinii patris retentam quaſi quandam ferociã, nixam vt dicebat Imperii affectati ſuſpicione. ibid.
Tacitus & aliã ſubiunxit odii cauſam quam video ibid.
Cuculli Bardiaci erãt capitis tegmina, vel ſaltem veſtis genus, cui cucullus in ſuperiore parte ãnecteretur, vnde & Monachi hodie eadem ratione cucullati appellantur 898
Quales autem eſſent cuculli Bardiaci & cur ſic dicti fuerint, vndeque deriuati, vide ibid. & pag. ſeq.
Cucullati moriones, ſtulti & fatui qui Principibus hodie in delitiis ſunt ut plurimum incedunt ibid
Cucullis vſus Bardos Gallorum Philoſophos Lyriſtas tradidere Strabo, & Diodor. Siculus. ibid.
Cucullia villoſa duo nõ Cucutia apud Pollionem legendum bene animaduertit Turneb., vt diminutiuũ à Cucullati 1021
Cucullati quare Poetę eſſe fingũtur, vt in imaginibus pictis Petrarchę, & Dantis videre eſt 899
Cuppa ſeu, vt alii rectius ſcribũt Cupa ſpecies eſt quędam Nauis Heſychio. 914.
Eſt & vas quoddam Neuio potatorium, ibidem
Dolium prętetea vinarium in quo vina deferuntur. ibid.
Cupis naues in mari ſuſtinentur quum ipſarum latera reſarciuntur ibid.
Harum meminit Cęſar in Commentariis, dum in hæc verba prorumpit, Cupas teda, ac pice referias incedũt. 915.916.
Cupedia dicebantur lautiores cibi, cupiditas quoq; lautorum ciborum cupedia Ciceroni vocatur. 956
Huius diminutiuum eſt cupedula, ibid.
Hinc Cupes qui lautiores cibos frequentat. ibid.
Cupedinarium forum erat apud Romanum, & à quo ſic appellatum ibidem.
Cupedinarius abſolute pro rerũ eſculentarum venditore accipitur. 956
Cupediarius autem & Cupediarius idẽ ſignificãt, ambo à Cupedia deriuati: Niſi per Cupediariũ interpretemur eum, qui lautiores dapes excogitaret ibidem.
Cupedipetas iudices vocat Budęus Cupediis inhiantes, qui ſcilicet mũeribus eſculentorũ, & poculentorũ lautiorum ad iudicia ferenda incitantur 956.
Curatores operum publicorũ quinam, quod eorum munus, à quo apud Romanos Octauio imperante conſtituti ad quęnam ſe ſuoſq; heredes obligabant. 367.368
Hi aliquando Curatores Reipublicæ dicti à Iuriſperitis, fuiſſeq; municipalem Magiſtratum ex Decurionibus creatum. 369
Curiam, Palatium, Regiam, & forum iudiciale, & in caſtris prętorium Gręci vna voce πραιτώριον complectuntur. 1048.1049.
Curiales Flamines quinam fuerint. vid. 354
Curſus publicus aut fiſcalis quiſnam diceretur. 1071
Curſus publici varia interpretatio & acceptio videatur 1071. & ſeq.
Curſum non ſolum de itinere terreſtri dici, ſed etiam de nauigiis facto. vide 1072.1073. in fine.
Curſores quinam olim, qui hodierna tempeſtate. 796
Curſoribus pedeſtribus vſos priſcos Imperatores docet Ælius Spartian. in Ælio Vero. 725
Horum ſeruitiis crudeliter Nero abutebatur ibid.
Currum trahere prouerbiali locutione dicitur qui in re aliqua enixe laborat. 743.744.
Cybeles Dea quare frequenter Phrygia, & Peſſinuntia dicta: Frequentiori tamen nomine Cybele à Cybelo Phrygiæ monte fuit appellata. 470. 471.
Cycladem veſtem fuiſſe auratam ex hoc loco dignoſcimus, & pariter ex Propertio, mulicbrem autem fuiſſe tradit Seruius. 981. & ſeq
Vtebantur autem ea præcipuè mulieres principes bid.
Cuius fuerit figurę orbicularis ſcilicet. ibidem.
Caligula, & ea uſus eſt quem ob id carpit hiſtoricus. ibid.
Zenobia pariter Regina ibid.

Cyclopas gigantea fuiſſe ſtatura omnes ſcriptores conſentiunt, eoſq; Siculam inhabitaſſe oram pleriq; tradidere. 994.995

Quamuis contrarium ſentiat Turnebus, eos non Inſulanos, ſed continentis habitatores fuiſſe affirmans. ibid.

Vno fuiſſe oculo omnes conſentiunt, licet de origine ſedibusq; diſcrepent. 996

Æris & ferri primos fuiſſe inuentores, fabulatur antiquitas. ibid.

His & oppidorum munitio attributa. ibid.

Et fabricam turrium ipſis Ariſtoteles adſcripſit. ibid.

Cyclopea interpretandum actiones Cyclopibus conuenientes, quas luſere A enarii Galieni iuſſu miranda quædam & ſtupenda repræſentantes. 996

Cymbros Germaniæ populos olim fuiſſe, omnibus in confeſſo eſt, quales autem fuerint, & quomodo noſtro ſeculo vocentur, non parua eſt inter auctores varietas & controuerſia. 306

Hodie Cymbrorum nomine complectuntur Dani, Holſatii, Daci, Selandi. ibid.

Cymbrica victoria adepta C. Marium cantharis potaſſe, refert Plinius, idq; Liberi Patris exemplo. 1010

Cymbricum bellum à C. Mario difficilimo Reipub. tempore confectum capite cenſis, etiam præter morem militiæ adſcriptis. 37

Cynœdi Deæ Cybeles erant facti, & in eiuſdem ſacris interuenire ſoliti e[illegible] iuuenes molles, pueri fœminæ luxuriantes & puellæ. 472

Cynegirus Athenienſis tantæ fuit in nauali prælio pertinaciæ, vt nauem hoſtium dextra iniecta vi retinuerit, eaq; amputata inieceerit ſiniſtram, quam & ipſam, cum amiſiſſet, mordicus nauem arripuit. 262

Cyzicenos, quod nonnullos ciues Romanos in ſeditione flagris cæſos necaſſent, Octauianus Auguſtus in ſeruitutem redegit. 404

D.

DAmalion erat Iuuenca, à dictione Græca δάμαλις. 966

Date, à quo datio deriuatur, apud Iuriſconſult[illegible] proprie accipitur, quum dominii translationem ſignificat. 54 55

Vnde apud eoſdem frequenti vſu receptum dare in ſolutum. ibid.

Daphnis fuit Antiochiæ ſuburbanum, quod octoginta ſtadiorum ambitu claudebatur, teſte Strabone, amœniſſimum nemus & delicioſum complectens. 1097

Hinc Daphnicis moribus agere deductum locutione prouerbiali pro eo, quod eſt in delitiis viuere. ibid.

Daphne etiam fuit munimentum, prope quod caſtrametatus eſt Valens Imperator, authoritate Ammiani Marcellini. ibid.

Daphnem ſuam quid appellarit Imperator Conſtantinus vera coniectura authoris contra Ortelium, vide ibid. & pag. ſeq.

Decembrem Veſtæ ſacrum dixit Plutarchus; Saturno autem Macrobius. 637

Decempeda quid, quidve decempedator. 311.312

Decemuiri, qui apud priſcos Rom. qua de cauſa creati; quanto tempore magiſtratum gerebant; quot eorum ſpecies; quando deſiere. 364.365

Decennalia ludi publici fuere, & quare ita dicti. 993. & ſeq.

Qui eos inſtituerit. 994.995

Decimatio & fuſtuarium duo præcipua ſeditioſorum militum apud veteres militaris diſciplinæ obſeruantiſſimos ſupplicia. 8.9

Decimarum nomine quid apud Suetonium in Caligula cap. 37. intelligendum. 609. & ſeq.

Decumani decimæ Legionis milites præſtantiſſimi etiam ab ipſo Cæſare Dictatore habiti, portæ caſtrorum Decumanæ nomen dedere. 713

Decumani milites quinam dicti Suetonio. 261

Decumanos ſeu Decimanos milites, & Decimam Legionem principem locũ apud Cæſarem, tanquam maximæ ſtrenuitatis habuiſſe, ipſe Cæſar in Comment. bell. Gall. author eſt. 264. 265.

Decuria quid ſit, quid item Decuriones. 337
Decuriæ Iudicum Auguſti tempore quatuor fuere, quibus Quintam Caius Caligula adiecit, ſextam petentibus Galba denegauit. 338.339
Diuerſis nominibus diſcretæ fuerunt, cum aliæ eſſent Tribunorum æris; Selectorum aliæ; nonnullæ iudicum. ibid.
Decoctores bonorum ſuorum antiquitus probroſos fuiſſe, & infamia notatos, patet ex legibus Solonis. 1083
Decoctores bonorum ſuæ authoritatis vocat Spartianus, qui ſui iuris eſſent. 1083
Eſt autem homo ſui iuris vel ſuæ authoritatis, qui alteri non paret, nec in aliena poteſtate eſt. ibid
Decoctoribus in theatro Roſcia lege locus ludibrii cauſa à priſcis quondam Romanis aſſignatus. 400
Decolorare verbũ apud probatos Scriptores ſemper in malam partem acceptum reperitur. 289
Decreta fauore & gratia elicita Iuriſconſultis ambitioſa dicta fuere. 199
Dedititii Liberti, quinam erant veteribus, & cur ita vocitati. 416
Qui item Larini Iuniani, & quare ſic appellati. ibid.
Deiocem Medorum Regem vituperatum legimus, quod neminem admitteret, ſed per internuntios cuncta tranſigeret. 805
Deiugo idem, quod ſecerno & ſeparo, cum deiugationem inducat, & iugo idem quod coniungo ſit. 207
Delator ne quis eſſet priuatus, & ne ſine aduocato fiſci vlla delatio fieret, lege Conſtantinus Imp. cauit. 936
Delatorum præmia Nero Imp. ad quartam bonorum damnatorum, Suetonio teſte, redegit. 934.935
Eos autem omnes vna die occidi iuſſit antea multum ipſis fauens Tiberius Imperator. ibid.
Pertinax autem vrbe exegit, & vbi inuenirentur, puniri imperauit. ibid.
Ab [illegible] is malis Impp. male etiam habitos fuiſſe, vide pag. ſeq. 936
Delegare nomen apud Iuriſc. idem eſt, quod aſſignare debitorem alium, qui pro te ſoluat. 769
Delicatos priſci pro dedicatis & Diis ſacratis vſurparunt aliquando. 767. 768
Denarius argenteus antiquitus apud Romanos decem aſſibus æreis permutabatur. 127.128
Auguſti licet temporibus decem & ſex aſſes valuerit. ibid.
Depoſitum pecuniarium in templo Delii ſolebant facere Athenienſes; Annibal in templo Dianæ; Alexander Magnus in Cilicia apud Solem in Delubro. 784.785
Depoſitum vero milites faciebant eorum, quæ ſupra quotidianum vſum, & neceſſarium victum ſuperfluebant ad ſigna in caſtris militaria. ibid.
Depoſito in reddendo fides inuiolabiliter ſeruanda eſt. 784.785
Idq; ſacris paginis, & ciuilibus legibus eſt ſancitum. ibid.
Depoſitum autem quando non reddendum ipſi, qui depoſuit, vide ibid.
Depoſitum, quod alicui cuſtodiendi cauſa datũ eſt, inter cætera verbi deponere ſignificata reperitur Iuriſc. vſitatum. ibid.
Depoſitum pecuniarũ facere ſolebant veteres Romani in templo Pacis. ibid.
Depoſitum fieri in æde ſacra, ſæpe Iuriſconſulti iubent. ibid.
Moris fuiſſe id facere Hebræis Machabæorum libri teſtantur. ibid.
Deprecationis definitio qualis apud Cic. ad Heren. 575.576
Deſignatores inter Libitinarios quinam eſſent olim apud Romanos. 733 734
Hodie magiſtri cæremoniarum vocantur Budæo. ibid.
Deſultorem Grecis μεταβάτην dictum, hoc eſt, tranſitiuum ſeu tranſmutatiuum, eo quod de vno equo in aliũ ſe transferat, aſſerit Turnebus. 230
à Deſultore, per tranſlationem Deſultorium, dicitur pro inſtabili, & in alium facile commeanti. 230
Deſultores, & Deſultorii equi, quinam in Circenſibus ludis dicerentur. 228. 229
Vnde ſic dicti. ibid. in fine.
Dei Opt. Max. ſumma elucet omnipotentia, qui ex ore Taciti & Suetonii

acerrimorum alioquin Hebraicæ, & Chriſtianæ Religionis ſubſannatorum,& irriſorum, & gentilium aliorum ſuam gloriam & honorem inuitis ipſis & caligine ignorantiæ perſtrictis mentis oculis elicere potuerit. 196

Deos miniatos vocabat Varro ſimulachra eorum antiqua conſuetudine minio depicta. 661

Dialis Flamen exercitum armatum extra pomerium videre non poterat. 1007.1008

Diana dicta à ſuperſtitioſa Gentilitate Tauropolon, & Taurica; eiuſdemque ſacrificia Tauropolia nuncupata. 49

Diana Viarum Dea putata ab antiquis. 695

Dibaphum purpra bis tincta, qua vtebantur Magiſtratus principes gerentes. 221.222

Dictatori Romanorum quare equo vti non concederetur. 385.386

Didaci Couarr. Budæi, & aliorum quorundam preclariſſimorum virorum in re nummaria errores. 250.251

Dido ſecundas nuptias apud Virgilium quare culpam vocauerit. 1008

Dies aliquando vt ſumitur pro tempore indeterminato, ita & hora aliquando capitur pro die. 452.453

Diem in epiſtolis preſcribere, vt antiquis uſitatum ita & noſtris temporibus vulgatum eſt quod, datam vulgo appellamus. 452.453

Dies in iudiciis quondam non ſolum, ſed & horæ Accuſatori & Reo orandi conſtituebantur aſſignabanturque. 454

Dies quinam veteribus dicerentur Faſti, qui item nefaſti. 334

Dies ſanguinis, quinam erat antiquis, & quare ita appellaretur. 1010

Dies ſigillarii, qui nam eſſent veteribus Romanis quove fine inſtituti, & vnde ita dicti. 634.635

Dies rebus agendis litibuſque diſceptandis quot numero olim inſtituerit Auguſtus Cæſar. 337

Dies iſtos Iudiciarios vocauit Capitolinus, Tacitus Negotioſos appellauit. ibidem.

Diurnū militare ſtipendium erat olim Denarius valoris aſſium decē 610.611

Diæta eſt ędificium, vel membrum domus cœnationem, & cubiculum habens. 957.958

Sic alibi Lampridius in Alexandro tradit eum ſtruxiſſe Diętas quas Mammeas vocauit. ibid.

Strabo ab Antonio poſt Actiacam cladem Alexandriæ Regiam conſtructā tradit, quā Timonium nuncupauit, quod Timoniam ſolitariamque uitam propter perpeſſam cladem eſſet acturus. ibid.

Et Lucullus Diętam ædificauit Apollinis nomine celebrem. ibid.

Dignitatū ſpecies ordine, & pręeminētia conſtituunt Iuriſconſulti varii varias multiplici digladiatione 1031 1032

Dii magni quot potiſſimum Romanis veteribus eſſent, & quib. nominibus appellati. 308

Sexus vtriuſque erant mares, & fœminæ. ibid.

Supernumerarium addidit Herodotus Herculem. ibid.

Cur autem θεοὶ μεγάλοι vocitati fuerint docuit in Saturnalibus ſuis Macrobius. ibid.

Hos, & Penates dictos author eſt Seruius, quod Vrbi, & Latio præſideret.

Diis antiquitas Patris nomen tanquam diuinitatis plenum, Deabus Matris, ut paſſim obſeruamus, attribuit. 1009

Dimicandi præcepta, & plagas euitandi & inferendi nobiliſſimus apud Romanos P. Rutilius Conſul primus dedit. 224.225

Diocmitæ milites erant ſemiermes, vel leuis armaturæ, qui ad fugientes perſequendos ipſa leuitate habiles erāt Turnebo. 893.894

Author fuiſſe putat dictos ſemiermes quod ſcilicet ſolis armis ad offenſionem paratis eſſent inſtructi, nullis vero ad defenſionem facientibus munirentur. ibid.

Diuerſi erant hi à Dimachis de quibus Q. Curtius de geſtis Alex. quos alii eoſdem cum Diocmitis ſtatuere, quia illi grauis erant armaturæ, hi Diocmitæ ſemiermes. ibid.

Diogenes Cynicus cognominatus veſtimentarii filius, Synopæus fuit am-

bo cum deprehenſi eſſent de ciuili moneta æs adulteraſſe exilio damnati ſunt. 1044
Diribitoris officium exercentes probro non carebant. 649
Diribitores quinam eſſent Romanis, 647.648
Quid item Diribitorium ibid. & p. ſeq. Varias vide opiniones, & authoris ſententiam ibid. & p. 649
Diribitorium autem apud Romanos prope Septa erat conſtitutum, vbi cõuenire ſolebat populus ad Comitia habenda. 649
Diribitores, & diuiſores an idem fuerint, 649
Dirimachii orientalis Monachi indigna nex qui lapidibus à populo obrutus expirauit quod, Gladiatorium munus, vt cruentum deteſtans populo vt Laniſtas vrbe pelleret, perſuadere fuerit conatus. ...
Diſcus vas latum fuit ad importandas menſæ carnes aptum. 1014
Diſcophorus D. Hieronymo dictus Habacuch qui Danieli prandium in lacum leonum apportauit. 1014
Diſpenſatoris nomen à diſpenſo deductum eſt Diſpenſario etiam pro munere diſpenſatoris apud Cic. inuenitur. 465
Diſpenſatores vocauere antiqui qui pecunias Domini diſpenſabant quiq; impendia, & expenſa rationibus notabant, & neceſſaria inter familiam diſtribuebant. 463.464
Diſpenſatores etiã dicebantur qui pecunias Principum curant theſaurique adminiſtrationem gerunt. ead. 465
Hi qui familiæ rationes diſpenſabant erant ex numero ſeruorum. ibid.
Aliqui ordinarii erãt, aliqui vero extraordinarii, & quinam illi. ibid,
Et quidem iſtis diſpenſatoribus quãuis ſeruis, præſertim vero extraordinariis, ingens peculium erat, & munus iſtud non contemnendæ vtilitatis, & prouentus erat, ibid & pag ſeq.
Doctores artium liberalium & Medicinæ profeſſores præcipui mũeris loco pleno iure Ciuitate Romana Cæſar Dictator munifice admodum donauit. 413
Documentum pro exemplo ſumptum Saluſtio, & Cicer. p. 187
Doga quid ſit, quid item Dogarius. 1037
Et quomodo differat à Cuppis. 1038 1039
Doleare vinum quodnam ſit, & dicatur, 1037
Huius Cicero meminit in Bruto. ibid.
Dolearis vini vendendi legem Cato in lib. de re ruſtica exponit. ibid.
Idem Cato vinum doleare vino pendenti opponit, hoc eſt vuis nondum vindemia collectis. ibid.
Dolones quænam bellica tela Varroni & Beroaldo. 57.58
Quid item Heſychio Dolones. ibid.
A Liuio quomodo loco citato ab authore accepti. ibid.
Nauium item vela ſunt. 59
Dominus dictus quaſi qui domui præeſt, & eidem dominatur. 454
Domini nomen ſoli Deo Opti. Max. conuenit, ſacrarum teſtimonio literarum. 454
Domini nomine ſolebant veteres aliquem honoris gratia ſalutare. 454
Dominum pro marito apud Iuriſcõſul. accipi manifeſtum eſt. 86
Dominum & Deum quod ſe appellari voluerit Domitianus Imperator nimium elatus magnum in ſe pop. Romani odium concitauit. p. 454
Et tamen alii Imperatores multi ſe orbis, & vrbis Dominos appellari paſſi ſunt. ibid.
Dominum ſe appellari cur edicto promulgato vetuerit Auguſtus. 454
Quod & feciſſe Alexand. Seuerum Lampridius teſtatur. ibid.
Domini patresfamilias antiquitus, vt contumelia ſeruorum tolleretur dicti fuere 454
Dominos, & Dominas Deos Deasque antiquitas vocabat. 454
Ideo edicto Auguſtus Cæſar cauit abhorrens Domini appellationem ne Dominus appellaretur. ibid.
Domitius Nero Tyranni Neronis pater Lepidam ſororem inceſtuoſo ſtupro violauit, 167
Eadem Lepida Neronis iuſſu medicorũ opera interempta. ibid. & ſeq.
Domus ſacroſancta Ciceroni dicta, in qua

qua tutum eſſet omnibus refugium, vt inde eripi non poſſent. 43
Donatiuum militibus ad Imperium promori exhibere ſolebant. 932
Draconem ſeu Dracunculum vulgo Mantuanis vocatum, olus vini appetentiam excitans, illudq; ſapidiſſimum reddens, aliud eſt ab eo, quod Dracontion hic Ammianus Marcellinus vocat, vtpote cuius qualitas venenata eſui omnino inepta eſt. 836. 837
Dromicus quis ſit, quis item palæſtricus, quisve Pliticus, quis præterea pancratiaſticus, quis tandem Pentathlus, vide pag. 439
Ducenarii procuratores quinam Romanis veteribus fuerint olim. 668. 669
Ductus aquarum aliqui tubos, aliqui euripos vocant. 846
Duplares armaturæ quænam, quæ item ſimplares. 7
Duplicarii dicti Romanis veteribus, quibus ob virtutem duplicia dabantur cibaria. ibid.
Duplicarii, aut dupliciarii, vel duplarii milites quinam olim. ibid.
Druidæ qui qualesq; eſſent Gallis, & Britannis Cæſar lib. 6. belli Gallici, & Ammian. Marcellin. docuerunt. pag. 176. 7
Quodnam illorum munus, qui cultus, quævè ſacrificia, quanta illorum veneratio, vbi ſedem præcipuam habeant in Galliis, vnde ortum duxerint, & multa memorabilia vide ibi, & duab. pag. ſeqq.
Druidarum cauponatrix mulier Diocletiano adhuc gregario militi exiſtenti Imperii habenas regendas vaticinata eſt. 178. 179
Druides à militia vacuos dixit Cæſar, quamuis pugnæ aliquando dicantur intereſſe, ibid. 177
Druidas conſulens Adrianus Imperator ſciſcitando, vtrum apud poſteros ſuos Imperium eſſet remanſurum, quid reſponſi vice tulerit ab iiſdem. 178. 179
De Druidibus ſcripſere multa Diodorus Siculus, Strabo, & Laertius. 753
Drungi qui ſint, quidve Drungatii. 1060
Dynaſtæ quinam dicti, & cur ſingulariter non reperiatur apud Claſſicos ſcriptores. 574
Dynaſtas quos Græci vocant, Latini poteſtates appoſite appellant. 574
Dypſas ſerpentis genus morſu ſuo ſitim maximam inducendo perimit. 831
Eius deſcriptionem & figuram ex Soſtrato vide. ibid.

E.

EGnatius, Oldendorpius, & Spiegelius erroris admiſſi, ab authore notantur. 896. 897
Edulitas quid ſit, contra ſententiam Pratei & Duareni authoris opinio. 966
Electrum auri genus, in quo quinta argenti portio inerat, Alexandro Seuero Cæſari vſitatum. 741. 742
Electri triplex reperitur ſpecies: primum, gummi eſt omnibus notiſſimum, præſertim ſeptentrionalibus Boruſſis, vel Prutenis: ſecundum, metallicum: tertium, naturale, id eſt, à natura ita generatum, quod eſt præſtantiſſimum, & argento præualet, non tamen auro. 945
Ex tertii generis electro nummi parabantur, electri dicti. ibid.
Eloquium pedeſtre dicitur aliquibus ſimplex humileq; orationis genus. Aliis ſoluta oratio appellatur, & accommodate magis, fultis Quinctiliani authoritate.
Emanſorem è fugitiuo tempus diſcernit, vt effractorem vel furem diurnum à nocturno. 50. 51
Emiſſarii à tyrannis inuenti ſunt, quibus omnia noſſe neceſſe eſt, Plutarcho authore. 936
Emiſſarii dicti, quod ad inquirendum extra mitterentur, vnde & mandatores dicti. ibid.
Hinc optime Sueton. mandatores, & delatores coniunxit. ibid.
Iuriſconſultis etiam mandator dicitur, qui mandat alicui, & inſtruit eum ad accuſationem. ibid.
Emiſſarios apud Ciceronem interpretatur Aſconius Pædianus, conciliatores furtorum atque internuntios ſtuprorum. 933
Quanto amplior ſit vocis huius ſignificatio, authoris ſententia. ib. p. ſeq.

Emiſſitios quoque hos aliquando appellatos conſtat ibid.
Varias ſignificationes huius vocis emiſſarium vide ibid.& pag.ſeq.
Emiſſarios etiam peſſimum hominum genus & è Republica minime eſſe docet Tacitus & perniciofiſſimum vocari 934.935
Horum opere in immenſum auctas fuiſſe opes Tiberii Cæſaris tradit Dion. pag. ead.
Verum quum ſæpe hos ob leue, vel ſimulatum, confictumque crimen, ira, odio, vel pretio, proborum mores falſo criminari, & eorum vitam & patrimonium in diſcrimen adduci multoties obſeruatum eſſet, ſublati omnino è Republica fuere. Quia & Tiberius ipſe illis tantum tribuerat omnes vna die occidi iuſſit ibidem.
Enſem & Galeam ac cum armis ſaltandi morem Creta inuenit 696. 697
Enuprio quidnam ſit & qua de cauſa Hiſpalæ à Patribus conceſſa 84.85
Epaminundas Thebanus an ſparo trãſfixus occubuerit 56
Eiuſdem generoſa mors heroico dicto concomitata ibid.
Elepticus morbus Comitialis dictus quod Comitia diſſoluerentur ſi quis in iis Epileptico morbo corruiſſet pagina. 355
Epilepticus morbus ſacer apud Medicos vocatus id eſt execrandus 5.6
Epiſtolæ cruentæ quænam dicebantur Taciro, pag. 148
Epulum populo Romano quinam quoue tempore dederint 351
Epulæ literatæ quænam dictæ apud Plutarchum. pag. 820
Epulæ publicæ quare apud Romanos & quando parabantur 348
Epulæ publicæ Romanis veteribus exhiberi ſolitæ, non ob id publicæ dicebantur, quod in propatulo fierent, ſed etiam quod publicis pararentur impenſis. pag. 351
Epulis in publicis diſcumbendi integrum eſſe voluit ius Cæſar Auguſtus Senatoribus iis qui ſe ſponte à Senatu abdicaſſent 351
Epulis publicis diſcumbere ſolitos Senatores ex Romuli inſtituto author eſt Cœlius Rhodig. 351
Epulones quinam apud Romanos veteres: quod eorum munus; Quot numero inſtituti primum: Quibus viris id munus concedi ſolitum 349. 350
Epulari in ſacris ædibus veteres ſolebant Romani idque ſacrificio peracto hoſtiarum extis, & carnibus ſacrificabilibus varii authores tradidere 267.268
Vnde Iouis Epulum de quo Liuius ibidem
Epulandi publice ius etiam exauthoratis Senatoribus ab Auguſto relictum pag. 492
Quem publice Epulandi morem, & exhibendi Senatoribus conuiuium Romulus primum inſtituit ibidem.
Equuleum apud antiquos tormenti genus erat, ſed quale, non plane conſtat pag. 842
Equus ſaginatius opinione authoris dictus à ſagina, quod ſcilicet equis ſuis carne implendis, & ſaginandis milites equites ſcilicet ſtuderent, vt fortiores & pulchriores haberent in vſum belli, & præſertim pugnæ, & prælii tempore. pag. 1025
Equi ſaginarii meminit Lampridius, & ita hic legendum contra Turnebum, & Cælium non ſagimarii author cõfirmat. pag. 1025
Equi publici in quem vſum fuerint inſtituti. pag. 1071
Equi verſuales dicebantur quibus antiqui in cauſa Principis vtebantur ex Caſſiodoro. pag. 1072.1073
Equorum nimie celebratorum, curatorum, adamatorumque ad ſuperſtitionem vſque & ſtoliditatem, ab Imperatoribus quibuſdam & Regibus varia vide exempla. ibid. & ſeq. 630
Equis diſpoſitis curſitare quod veteres, & quidem eleganter dicebant moderni Italiæ populi vulgare dicunt *correre la poſta*. pag. 1071
Equos ex publica pecunia, & emptos, & alios Equitibus olim Romanis aſſignatos quibus militando vrerentur clare conſtat ex Liuii hiſtoriis. 389. & ſeq.

Hi equi à Cenſorib. notæ cauſæ aliquãdo equitib. adimebãtur.ib.388.389

Vide ibid.exempla.

Et præcipue poſt Cannenſem pugnam iis Cenſores equos ademere qui Remp. deſeruiſſe Italiaque exceſſiſſe velle dicebantur. ibid.

Nonnunquam tamen Equitibus permiſſum in præmium, vt ſponte equũ publicum redderent. ibid.

Sic aliquando ob grauem ætatem vel corporis labem aliquam, Equiti ſine nota remittendi equum publicũ venia dabatur. ibid.

Equites qui decem ſtipendia feciſſent Republica veteri ſubſiſtente, non vlterius vt mererentur, cogi poterant. 309.

Equites ſingulares quinam apud priſcos dicerentur, & quare ſic appellati fuerint. 230

Item Auguſtales, & cur ſic dicti 231.232.

Equitum numero adſcripti, vel inter Equites cenſi quum primum ad ſeptimum decimũ annum perueniſſent, militare cogebantur, & ſi non feciſſent inter ærarios referebãtur & ſeq. 110

Ergaſtula quidnam fuerint ex Beroaldi ſententia 567

Quid item Sabellico licet vterq; erroneè ſenſerit ibid.

Quid præterea Ergaſtulanus.ib.568.569

Ergaſtula ſeruorũ, & libertorũ ſuſtulit Adrianus Imperat. 568.569

Non ſolum carceres ſed & ſerui iis detenti Ergaſtula appellati ibid.

Erix mons Siciliæ memorabilis ob Veneris Ericinæ delubrum in ipſa radice conſtructum ab Erice Veneris filio & Æneæ fratre 160.161

Error detectus ab authore Iſidori Alex. ab Alexandro; Zaſii & Beroaldi qui legem Papiam; Poppeam, Papeam Pompeiam appellarunt 147

Euripis vino plenis nauales Circenſes exhibuit, Heliogabalus imperat. 948

Euocati milites quinam dicerentur antiquis 456.457. & ſeq.

Et Euocare Deos quid eſſe veterib, ibid. 456.457

Quibuſue conceptis verbis hæc euocatio fieri conſueta ibid.

Εὔζωνος Græcis dictus non qui bonã zonam habet, ſed qui ſtrenuus & fortis eſt 311.312

Exaurhorare erat inſignia militaria detrahere, & militari facultate abdicare 446

Excalciari nomen viliſſimum vt olim erat ita & hodie eſt, ideo ignominia notabantur qui excalceati procedere iubebantur 855.856

Excaldare & excaldationes vt minus Latinas voces reiiciendas putat author 1098

Excetra Hydra Lernea eſt appellata 73

Venenatus erat anguis Diui Hieronymi teſtimonio ibid.

Executores Reipublicæ Romanæ ſtante libertate, pœnarum capitis erant Lictores; ſub Imperatorib. autem Carnifices 794.795

Exodia in arte poetica Ariſtoteli ſunt quæ præter argumentum fabulis inſeruntur 857

Sic olim Græcarum fabularum actioni Satyra interponi ſolebat ibid.

Exercebantur hæc Exodia aliquando à Mimis ibid.

Alii & rectius Exodia ab exitu dicta opinantur ibid.

Sic in Sacris Exodi libri eſt hiſtoria quo exitus Iudæorum ex Ægypto perſcribitur ibid.

Extrarius ab innominato, vt vox minus Latina notata, maxime tamen Latinam comprobat oculatiſſimus author. 770

Extrarius autem dicitur qui extra focũ iuſque noſtrum ac Sacramentum eſt. ibid.

Differt ab extero, externo, & extraneo; vt ibid. videndum

Extrariam litem legimus apud Lucretium. ibid.

Extrarium pro non domeſtico & non ex eadem familia prognato apud Terentium habemus in Phormione ibid.

Sic extraria vis apud Iuriſconſultos. ibidem.

Exulem ignominioſe vocabat Senecam Agrippina Neronis mater, odio eiuſdem implacabili contabeſcens. 170. 171


FABA-

F.

Fabataria erant permagna vaſa quidem,ſed qualia ambiguum. 941
Fabulæ Togatę vocabantur quæ Romanorum more ſcribebantur, ſicuti Palliatæ,quæ iuxta Græcorum more, quibus geſtandi pallium ita peculiare fuit, ſicut Romanis induendi togam. 434.435
Fabulas paſſim Græcos quaſcunque ſaltare ſolitos tradit author remiſſiue. 696.697
Facellares,quid ſint compoſita ex Græca dictione authori. 941
Factio licet aliquando honeſtum eſſet vocabulum,modo vero arma,& ſeditionem ſignificat. 584
Hinc factiones non niſi malas ſemper fuiſſe Feſtus inquit. ibid.
Sic & Saluſtius in Iugurtha ſcribit inter bonos amicitia, inter malos factio. ibid.
Factio autem pro facultate alium habet ſignificatum: nam factio teſtamenti pro facultate teſtandi Ciceroni,& Iuriſtis vſitatum legimus. 585
Capitur interdum factio pro potentia, opulentia,& authoritate alicuius, & Plauto hoc familiare eſt. ibid.
Factiones, quænam proprie dicantur. 581
Quomodo differant à partibus. ibid.
Sæpe hæc duo confunduntur, vt patet Ciceronis multiplici allata authoritate. ibid.
Factiones duas præcipuas fuiſſe Athenis Pedios, & Paralos tradit Plutarchus in Solone. 582.583
Fuere & apud eoſdem Magnatum factiones ſiue potius Optimatum cui præerat Caſſander,&Plebeiorum cui Polyarchon,vt tradidit Probus Æmilius in Phocione. ibid.
Et Plutarchus inPericle meminit duarum factionum Athenienſium,vnius Thucydidis,Periclis alterius. ibid.
Factionibus quatuor Circenſibus duas addidiſſe alias Domitianum Imperatorem author eſt Suetonius. pagin. 584
Factionibus ſtudentes factioſi àSaluſtio in Catilina appellati. 582.583
Factionarii dicebantur, qui ex factione erant,vel illam exercebant. 582.583
Quamuis Iuriſtis hi factionum Domini dicantur. ibid
Aliis Factionum capita. ibid.
Falacer Deus authori Priapus hortorum Deus, Flaminem habebat Falacerem dictum, quamuis alii ſic à Falacore Pomorum Deo dictum velint. pag. 270.271
Falarica quodnam teli genus ex Liuio. pagin. 57.58
Falſæ Monetæ authores ne ipſo ſtrepitu deprehendantur, ad eum vſum in Eremis antra ſibi paraſſe, & furtiuæ falſæque monetæ officinas Diuus Hieronymus in vita Antonii Eremitæ ſcriptum reliquit. 1045.1046
Falſam monetam non ſolum Romani legiſlatores deteſtati ſunt, ſed & alii aliarum Prouinciarum Nomotheti. pagin. 1044
Famæ appetens adeo fuit Hadrianus Imperator, vt libros vitæ ſuæ ſcriptos à ſe,libertis ſuis literatis dederit,iubens,vt eos,ſuis nominib.publicaret 524.527
Famoſum, vox illa vt plurimum in malam partem accipitur, quamuis aliquando in bonam ſumatur 173.174
Hinc famoſa mulier famæ parum integræ,& impudica ibid.
Largitionem ſic famoſam dixit Saluſtius impudentem ibid.
Familiæ Venalitiæ quænam dictæ à Suetonio 427
Quid idem Venale dicatur. ibid.
Fanum Saturni ærarium erat populi Romani 237
Far adoreum in ſacris nuptiarum ceremoniis adhiberi à veterib. Romanis ſolitum,ab adolendo dictum 154
Farris voce, & frumentum aliquando comprehenſum 155
Eius duo genera alit Gallia. ibid.
Farre non ſolum in ſacrificiis vtebantur antiqui, ſed etiam frugibus cæteris 155
Vnde&Hordeo litatum docuit Halicarnaſſeus ibid.
Farreaceas nuptias Romani veteres cur ſacras nominarent 154

Faſciam candidam regium fuiſſe inſige vel diadema, multis authoritatibus comprobatur 981
Faſciæ pedales, vel pedulæ dictæ erant, quibus antiqui crura, vel pedes circumueſtiebant.pag. 981
Faſciis pro diademate vſos reges patet in Mithridatis vxore, & Alexandro Magno 981
Faſciis pro calceamentis antiqui etiam vtebantur ibid.
Faſciis vſas quondam mulieres non ſolum ad capillos innodandos, ſed ad mammas cohibendas 979.980
Faſti dies quinam antiquis dicti, qui item nefaſti,pag. 334
Faſtos, & feſtos dies eoſdem eſſe, ex Macrobii Saturnalibus clare colligi 551.552
Socratis Natalis dies à Ciuitate inter Faſtos habitus,& luſtratus pag. 551. 552
Natalitia date pro ſoluere feſtum natalis diei Cicero vſus eſt 553
Erant autem Natalitia conuiuia luxurioſa ad celebrandum natalem diem peculiariter ſtructa ibid.
Sic, & Natalia pro celebritate diei Natalis obſeruamus ex Iuuen. Sat. 6. pagina 553
Fauſtina, Antonini philoſophi Imperatoris vxor, adeo diſſolutæ impudētiſque libidinis fuit, vt apud Caietam conditiones ſibi nauticas, & gladiatorias elegerit, hoc eſt ſui copiam nautis, & gladiatoribus fecerit 890
Fauſtulus paſtor Romuli, & Remi educator,& enutritor 507
Feles virginalis quid, quid idem Feles pullaria pag. 599.60
Feralis cœna Iuuenali funeralis interpretari ſolet, quæ aliis dicta eſt exequialis 348
Hanc & Silicernium vocatam obſeruatur ibid.
Quamuis Donatus Terentii commentator Silicernium interpretetur Cœnam, quæ Diis Manibus infertur, quod eam ſilentes cernant vmbræ. ibid.
Ferales præcones ſeu anteambulones atrati quinam erant antiquis 735
Ferdinandi Neapolis, & Siciliæ regis liberalis munificentia in remiſſa peſiratione annuæ ſtrenæ antecessorib. offerri ex conſueto iure & uſu ſolitę. pag. 578.
Feſta Quinquennalia, vel potius Quinquatria dicta, quod quinque diebus continuis Palladi fiebant, vt Ludi quinquennales qui ſingulo quinto anno repetebantur 300
Fibulam imponere, quid ſit 81.82
Et Fibulam laxare oppoſitum ibid.
Fibulæ non ſolum mulierum, & delicatorum ſunt ornamentum, ſed & militare quoque. 80
Fibularum varia multiplexq; acceptio videatur. 81.82
Fibulas aureas, vt geſtarent præter morem gregarii milites, Aurelianus Imperator conceſſit. 81.82
Fibulas & alia muliebria ornamenta, ſicut & inaures primordio Fabricam Deam factitaſſe Plinius author eſt 52
Ficus Calliſtrathias exteris præſtare omnib. in vrbe Roma Athenæus ſcriptum reliquit 906
Ficus autem haſce Paſſarias quare dixerit idem Atheneus vide ibid.
Vide pariter doctiſſimi Turnebi laudatam interpretationem ibid.
Fidiculę Iſidoro dictæ à fide, eo quod ad fidem inueniendam hoc tormenti genere veteres vterentur, ſed erronee vt opinatur author, qui magis ſe à fidibus ſeu chordis, & neruis dicēdas indicat. 619
Fidiculas fuiſſe vt antiquis, ita & modernis tormenti genus palam eſt, quale autem fuerit non omnibus eadem ſententia.pag. 619. & ſeq.
Fiſcus pro pecunia fiſcali 131.132
Fiſcus quare ſemper ſit ſoluendo. pag. 131.132
Fiſco parum fauere boni principis partes præſtans ſolebat Adrianus Imperator, decernens lege, & decreto ſtatuens ne acerbius fiſcus pecunias exigeret.p. 1071
Fiſcum veluti Lienem eſſe dicebat Bonus Imperator Traianus quod eo excreſcente artus reliqui contabeſcerent.p. 131.132
Fiſci ſaculi quinam dicti 130. & 131. 132

Fiſca

Fiſcarii quinam dicti, & quod eorum munus.p. 131.132
Flagelli genus quodnam cui Scorpio nomen.p. 46
A quibus iuuentum. ibid.& pap.ſeq.
Flagellum horribile appropriato epitheto vocauit Horatius. 46
Virgilius ſanguineum ibid.
Flagella ex quibus parabantur 46
Flagella ſeruilis pœna nudatis corporibus inferebatur Fuſtibus aut liberi verberabantur veſtiti,& in flagellarione ſanguis eliciebatur, in fuſtigarione nequaquam.pag. 46
Flamen Dialis quis, à quo ſic dictus, quis eum conſtituerit 269
Hic aliis Viminalis dictus ibid.
Sic vocatus quod in colle Viminali Romæ Ioui ſacrificaret ibid.
Erat, & Flamen Martialis, Quirinalis, Vulcanalis, Carmentalis quoque,& Herculis erat Sacerdos, & vide de multis aliis ibid.
Flaminem,& FlaminicamDialem apud gentiles oportebat eſſe monogamos, quia ab eo Sacerdorio bigami excludebantur 1007.1008
Flamines non ſolum Diis Gentilib.cõſtituerat ſuperſtitioſa idolorum cultrix antiquitas,ſed ambitioſis etiam Imperatoribus non poſt mortem ſolum,ſed in vita etiam attribuit, vnde Martianum, Helianum,ſeu Heluianum, & Alexandrinum, & Aurelianum Flaminem legimus,pagin. 270. 271
Flamines tres Numa veterib.Romanis conſtituit, Flaminem aſſiduum Ioui vnum, alterum Marti, tertium Quirino 269
Follis multiplex,& varia ſignificatio videatur.p. 945.& duab.ſeq.
Inter reliquos ſignificatus ferreum,æreum, argenteum & aureum moneræ genus follem appellatum vide ibid.
Formæ iuramenti militaris varias ſpecies uideatis. pagina 751.& ſeq. 752
Formula licet diminutiuũ ſit à forma, hoc tamen loco non ita accipiendum 71.72
Latinis ſcriptorib. plerumque quid ſit, vt & Iuriconſultis. ibid.
Proprie pro actione ipſa accipiatur,ibidem.
Formula excedere, pro cauſa cadere, & rem amittere 71.72
Formulam intendere idem,quod actionem dictare ſeu inſtituere iudicium. 71.72
Forum Vlpium idem eſt cum foro Traiani,quod & forum Neruæ & tranſitorium appellatum exiſtimamus, & quare ita dictum vide 893. 894
Fora multiplicia Romæ fuerunt,præcipuum tamen erat forum vetus Romanum, & Latinum nuncupatum. pag. 354
Frumentarii qui, & veredarii eſſent antiquis Roman. ex D. Hieronymo.p. 811
Non ſolum publici erant,ſed etiam priuati. ibid.
Fucinus Lacus in qua Italiæ ſit regione, quantæ amplitudinis, quo nomine modernis dictus. 340
Fuga pro exilio aliquando à Iuriſconſultis accepta 49
Vt & fugitiuus pro exule ab iiſdem capitur ibid.&pag.ſeq.
Fugam vendere dicebantur ii qui ſeruos fugitiuos vendebant, quod Senatuſconſulto vetitum erat, ne ſerui ad fugam inuitarentur 50.51
Fugitiui pro ſeruis qui à Romanis Dominis ad Carthaginenſes confugerant accepti 50.51
Fugitiuos ſeruos bellum excitantes in Sicilia C.Marius prælio vicit 50.51
Et M. Craſſus de fugitiuis ſeruis, & Spartaco eorum Duce, laurea coronatus inceſſit ibid.
Fugitiuarii dicti, qui ſeruos fugitiuos mercede reducebant. 50.51
Vel qui dominis indicabant vbi ſerui fugitiui celarentur ibid.
Aut Floro qui ſeruos fugitiuos perſequebantur ibid.
Fullones quinam antiquis;quidue fullonica meritoria, & Fullonia 982. 983
Fullonica ars vilis, & ſeruilis olim habebatur,& quare 982.983.& ſeq.
Fumum vendere quid ſit, qui idem fumi venditores per tranſlationem di-

cti. Et quomodo aliquot eorum puniri 966
Familiare & quaſi proprium hoc Curialium eſt, ſeu in Aula verſantium, qui ſplendidis & magnificis pollicitationib. quæ tamen congruo carent effectu, ſimulatam apud Principem gratiam, ac fauorem pretio vendunt, ibid.
Fundamenta à Romulo Vrbis Romæ iacta 17. Kalend. Maii, variis auhorum conteſtationibus comprobatur. 553
Fundamenta vrbis Romæ 17. Kalend. Maii iacta fuere eoque die Parilia celebrari conſueta 1048.1049
Funes nauticos ex papyro factos ab Antigono nondum communicato Sparto, Plinius auctor eſt 31.32.
Funes nauticos Oras appellari ex Quinctiliano conſtar 1040
Vnde ſoluere ora, pro ſoluere à littore ibid.
Funalis cereus quid, & cuius vſus antiquis. 539
Funalis equus quis, & cuius in Triumphis vſus 561.562
Hic & habenalis aliis dictus fuit, & quare. ibid.
Funales equi aliquibus dicti in quibus inſiderent ante currum triumphi qui faces ſeu funalia geſtarent, 561. 562
Sed vide authoris, & aliorum ſententiam. pag. ſeq.
Funale à fune dictum, vt funalem cereum pro face, compoſita ex fune autcera, vel alia re pingui. 561. 562
Funus à fune dictum, vt & funalia à fune pariter appellata 539
Funus Syllæ Campo Martio illatū ſcribit Appianus, quo loco Reges tantū humari conſueuerant. 548.549
Funeris iuſta cæſo porco apud veteres Ethnicos perſoluebantur 4
Funebres antiquorum pompas, cæremonias, faces, tedas, cereos, parentalia 539
Fuſtib. cædi liberorum pœna erat antiquis Romanis, vt ſeruorum flagella, 44.45. & 46
Licet fuſtigatio dum eſſet ad mortem grauius eſſet ſupplicium flagellatione. ibid. 46

G.

Gabano tunica exterior à tunica Galbina dicitur vt Egnatius adnotauit 1034.1035
Galbam Imperatorem ita à colore luri do appellatum tradit Caſſiodorus, 1033
Galbanatum in Epigrammate Martialis, quod alii interpretantur mollem, & effœminatum author veritus, & approprietate magis colore ſubluteo infectum interpretatur, quales eſſe ſolent qui animi vel corporis aduerſa valetudine laborant 1033
Galeam, Enſem, & eum armis Pyrrhicam ſaltationem Creta inuenit 696 697
Galericulo ad caluitium occultatum vſum Othonem Suetonius inquit, id eſt adulterina coma ex alienis ſcilicet capillis inſtar galeri cōpacta. 760. 761
Calgulus ſeu Galbulus Latinis Icterus Græcis Ἰκτερός dictus à coloris lurei ſimilitudine 282
Galiambus verſus ſic dictus fuit à Gallis Cybeles ſacerdotibus qui in huius Deæ ſacris eo plurimum vtebantur 469
Gallos fuiſſe matris Deum Cybeles Sacerdotes nemo ambigit, ita dictos à Gallo Galatiæ ſeu Phrygiæ fluuio vbi potiſſimum hæc Dea colebatur, pag. 469
Quam dictionem, & auem gallinaceam & gentem Gallicam alio ſignificatu indicare manifeſtum eſt. ibid. 469
Gallos hos Cybeles Sacerdotes, non ſolum viros, ſed & fœminas Gallas dictas, vide ibid.
Gallos etiam hos Deæ huius Sacerdotes caſtrati ſolitos teſta Samii vaſis Martialis author eſt. ibid.
Gallos Matris Deum Cybeles, Sacerdotes, Coribantes etiam dictos, motu capitis comam rotantes vlulatu olim futura prædicere ſuetos Seruius teſtatur. 470.471
Gallos etiam Cybeles Sacerdotes tympaniſtas vocauit de Dæmonio Socratis Apuleius 472
Gallogræci milites ſtren ui & fortes fue-

ræ Liuio teſte neque vllibi prædones vocatos conſtat contra Alciati opinionem 1093
Gallis vt pugnaciores efficerentur ante certamen allium in cibum dari ſolitum refert apud Xenophontem Socrates 224.225
Ganymedes Iouis concubinus à veteribus Catamitus dictus quaſi probroſus,& proſtitutus 1083
Garum ſalſamenti genus fuiſſe antiquis omnes tradunt, at quale,perpauci ſcriptum reliquere 949
Fiebat ex piſcium inteſtinis ſale maceratis iuxta Plinium ibid.
Ex aliorum etiam animalium ſalitis carnib. fieri ſolitum tradidit Dioſcorides,lib.2.3.cap.24. ibid.
Quamuis ibi Dioſcoridem non de vero garo,ſed de omni ſalis liquamine ſeu Muria abſolute locutum ſit dicendū. ibid.
Hydrogarum, & Eleogarum ſunt eius ſpecies,ſicut & Oxygarum. ibid.
Gari dulcis, & acidi meminit Galenus dulcis quidem libro primo de alim. facul.cap.1. acidi vero lib.7.de compo.pharm.ſec.loc. ibid.
Garum ſimplex vilis pretii erat. 952
Compoſitum immenſi, & plene incredibilis paulo ante 672.in fine.
Modum conficiendi Garum docet Cōſtantinus Cæſar in Geoponico. 953.954
Excellentiſſimum ex Hiſpania Romam aduehebatur,dictum ſociorum, & quare ibid.
Caſtrenſis apparitor is erat, & dicebatur,qui ventris voluptatib. præſto erat. 508
Geniſtam vinculi vſum præſtaſſe antiquis author eſt Plinius. 31.32
Gens proprie de patriciis dicta patreſque dicti minorum,& maiorum gentium 84.85
Hinc apud Romanos Gens Cornelia, Gens Claudia, Gens Valeria, Gens Ælia,Gens Flauia,&c. ibid.
Hinc etiam Gentilitas nobilium ius,& Gentiles agnati in familia nobili.ibi.
Gentiles priſci Virginum Veſtalium violatores in foro ſub furca flagris prius cæſos,necabant. 212
Gentilium Deorum innumeram farraginem fuiſſe ſuperſtitioſę antiquitati author eſt Diuus Auguſtinus. 22.23.& 114.115
Gentilium mulieres apud veteres Sacerdotia exercuiſſe nemini dubium eſſe poteſt 1006
Hinc Pollio hic Calpurniam appellat vniuiram Sacerdotem ibid.
Gentilitatis,adoptionis,agnationiſque iure ſoli ciues Romani vtebantur. 404
Genus veſtimenti quodnam fuerit antiquis Romanis Trabea. 141. & pag. ſeq.
Quare ita dicta 142.143
Genera certaminum quibus in publicis ludis, & ſpectaculis certabatur olim apud Romanos quinque numero erant, nempe, Lucta, Pugillatus,Curſus, Saltus,& Diſcus, vnde Luctatores,Pugiles, Curſores,Saltatores, & Diſcoboli nuncupabantur. 439
Genera,vel cauſæ generales miſſionum militarium triplici partitione ſecta ex hiſtorica obſeruatione Iuriſconſultorum opera conſtituuntur; Honeſta ſcilicet Cauſaria, & Ignominioſa 444.445
Singularum deſcriptionem videto ibidem.
Genitale adoleſcentulorum conſeruādę vocis gratia fibula traiiciebant antiqui; Cuius operationis rationem deſcribit Cornel. Celſus lib.10. 81.82
Genitiuum quid; quid item Genitiuæ notæ Suetonio 511.512
Germani ducētis,& decem prope annis ſub iugum Populi Romani miſſi 306
Quinque Conſulares exercitus Romanorum authore Tacito fudere. ibid.
Superati tandem fuſique ingenti clade,à C. Mario, & Q. Catulo collega fuere. 307.308
Germani in prælio ineundo religioſe Lunam nouam obſeruabant authore Plutarcho in Iulio Cæſare. 116
Germani veteres nemorib. pro templis vtebantur Tacito authore. 136
Germanis olim Nemora,& ſacra,& pro templis habita Tacitus de eorum morib.refert 547

Geſſatæ

Geſſatæ erant Galliæ populi quorundã opinione, viri fortes, mercenariam militiam exercentes 653
Hinc Geſſos viros fortes Galli ſoliti ſunt appellare ibid.
Verius autem Geſſatæ dicti ſeu Geſſi nõ à loco, ſed genere haſtæ quo vtebantur ead.
Licet præter Gallos huiuſmodi haſtis & Hetruſci olim fuerint vſi. i. idem
Geſſoriacum antiquis, hodie Cales, eſſe dicitur in Morinis Gallorum regum oppidum perquam munitum pagin. 156.157
Geſſoriacum antiquis, variorum reprobata opinione, author ſtatuit, vel Caleſium, vel Bononiam maritimos hodie portus Morinorum Belgii populorum pag. 653. & ſeq.
Gladiator eximius fuit Commodus Imperator, & in publicis theatris etiam Imperatoria dignitate ſpreta gladiatoris partes adimpleuiſſe teſtis eſt Iulius Capitolinus 226
Gladiator propriè auctoratus dicitur, qui mercede pacta, vel accepta ſe obligat vt depugnet in arena. 564. 565
Hinc auctoratio accipitur pro gladiatorum venditione ſeu obligatione ibid.
Gladiatores cum armis incidentib. & pungentib. vſque ad mortem prœmio conducti dimicarent, quantum ab Athletis, & Pugilib. diſtent clarum eſt ſatis 440.441
Gladiatores haſta vtentes Xiſtici antiquis fuere appellati 693. 604
Gladiatores ob lucrum pecuniarium infames erant teſtib. Diuo Auguſtino, & Iuriſconſulto Vlpiano. pag. 226
Gladiatores rude & pileo donabantur, quum & libertate donabantur, & ferro dimicandi neceſſitate liberabantur, ſed tantum batuere rudib. cogebantur 564.565
Gladiatorum fortiſſimis Myrmillonib. opponebantur Thraces. 623
Gladiatorum inſtitutores, & magiſtros Laniſtas veteres appellabant. pagin. 422.423
Horum ingentem Romæ antiquitus fuiſſe copiam indicio eſt, quod ob ſterilitatem minuendam eos ab Vrbe Auguſtus abegerit 422. 423
Gladiatorum ſpectacula adeo magna cum voluptate ſpectabat Nero Imperator, vt ad refocillandum viſum acutioremque reddendum, ac robuſtiorem, per Smaragdi lucidum vitrem intueretur 427
Gladiatores athletas, & pugiles aliqui non ſine errore manifeſto confundunt. 437.438
Quomodo autem differant, vide ibid.
Gladiatores Pegmates Caligula rabidis feris ſumma crudelitatis nota innocuos obiecit 615
Gladiatores ſpongias geſtare ſolitos ad vulnerum inflictorum ſanguine manantium exſiccationem ex Tertulliano docet Turneb. 527
Gladiatorium munus primum Romæ datum fuit in foro boario Conſulatu Appij Claudij, & Q. Fuluii 223
Gladiatorium munus, qui prætereaRomæ dederint, & qua de cauſa pag. eadem. 223
Dabatur & Gladiatorium ſpectaculum à Ducibus in bellum profecturis, vt Tyrones vulnera cernere aſſueſcerẽt ibid.
Eius frequentiſſimus apud Romanos veteres vſus ibid.
Gladiatorium munus breue ſportulam vocabat Claudius Imperator Suet. teſte. pag. 493.494
Gladiatorium munus aliquando eorum pecunia celebrandum proponebatur qui Quæſturam adipiſcerentur. 427
Gladiatorium munus non ſolum mercede ad id conductis exhibebatur, ſed etiam aliquando per captiuos, & voluntarios pugnatores 424
Gladiatorum ſpectaculum Gallorum Gallinaciorum Pergami quotannis edi ſolitum. 224.225
Gladiatorium ſpectaculum fuit variũ, & multiplex olim apud Romanos, & à variis pariter vario fine exercitatum 424
Exercebantur eodem munere gladiatorio alii gloria inducti, & vt ſpecimen inſi-

inſitæ virtutis præberent alii æmulatione, pacto & conuentione alii, cupiditate ducti nonnulli; & ſic de cæteris. ibid.
Quib. potiſſimum in locis præſtari ſolitum munus hoc gladiatorium à Romanis & Tyrrhenis ibid.
Quando vetitum, & intermiſſum, ac penitus ſublatum. ibid.
Illud tanquam cruentum prohibuit exhiberi Imperator Iuſtinianus. ibid.
Gladiatorium etiam ſpectaculum ne amplius præſtaretur deuicto Licinio prohibuit Conſtantinus Magnus 425 426
Gladiatoria munera in funere magnatum exhibita vide. 302. & 303
Eadem deteſtata à Lactantio Firmiano ibidem, vt à Franciſco Petrarcha. 425. 426
Sublatâ itidem Chriſtianæ fidei lumine irradiante ibid.
Eadem diſſuadentis Tribunitia quadā facundia Orientalis Monachi iniqua nec lapidibus immiſſis furente populo procurata ibid.
Vetita Conſtantini Magni poſt deuictū Licinium Decreto 425. 426
Gladiatorias operas exercuiſſe cum Auguſto Equites Romanos ipſo imperante Sueton. author eſt 226
Glebale aurum dictum Iuriſconſultis quod pro poſſeſſionib. pendebatur 741. 742
Gordiani maieſtatem vultus eum energia qualiter deſcribat Capitolinus. 918
Hinc Pompalem vultum dixit fuiſſe eidem Capitolinus, nouo ſane, ſed non inepto ſcribendi genere ibid.
Gordianorum domus ſumptuoſiſſima columnis magni ſumptus ducentis adornata Periſtyllum ampliſſimum oſtentabat 918
Gothi, & Scythę curruum multitudinē in bellicis expeditionib. habuere quam barbara voce carraginem appellauere 998
Gradus à ſcala differunt, eo quod minoris aſcenſus ſint gradus, maioris vero ſcalæ; quamuis non negandum, gradus aliquando ſcalas, & ſcalares dictos 764. 765
Gradus Gimonii Romæ erant ad quos damnatorum ignominioſa cadauerā tradebantur 764. 765
Gradiuus Mars cur fuerit dictus. ex Feſto Pompeio 236
Gradiuus Mars aliquando dicitur, quū ſcil. ſæuit, aliquando Quirinus, dum tranquillus eſt, & idcirco duo ſibi habet templa conſecrata, in vrbe vnum. aliud extra eandem 236
Gradilis panis quis, & quare ſic dictus 473. 474
Gratia fauoreque elicita decreta Iuriſconſultis ambitioſa dicta fuere 199
Graminis voce Verbena à Liuio vſurpata 2. 3
Granata quæ & Betica dicta, Regnum in Hiſpania dicta à Grano tinctorum cuius copia in ea parte Hiſpaniæ ingens ex qua lana pulchro colore tingitur. 1087. 1088
Græca certa mina Suetonio non ob id dicta, quod in Græcia eſſent facta, ſed quod ab Athletis Grçcis Romæ exhibita, vel Grçco more facta 430
Græca certamina quatuor præcipua fuere: Olympia, Pythia, Nemea, & Iſthmæa eaque ſumma apud eoſdem Græcos ſpectacula habebantur. 431. 432
Græcorum mores tanquam leuiſſimorum vanorumq; hominum Romani quondam aſpernati ſunt 178. 179
Hinc vitiorum omnium genitores non immerito eos Plinius appellauit. pa. 180
Gregatiis militibus præter morem fibularum aurearum vſum ornatus cauſa conceſſit Aurelianus Imperator. 81. 82
Gurges omnium Nepotum altiſſimus Apitius Phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe docuit 608
Gurgulio vermis genus eſt in horreis naſcens, frumentaque abſumens & corrumpens 266
Gymnicum certamen quinquennale honori ſuo inſtitutum Neapoli ſpectaſſe Octauianū Auguſtum legitur apud Suetonium in eodem 300
Gymnicum agonem Plinius iunior quā deteſtatus fuerit. 425. 426

H.

Habitatio, & habitare ad perpetuitatem referuntur; commorari, & com

commoratio ad tempus ; quamuis ſæpeconfundantur. 227

Hadrianus Cæſar præter præceſſorum ſuorum morem, qui raſas barbas habuere, eam aluit promiſſam, vt tegeret vulnera, quæ illi in facie naturalia erant 699.700

Halicarnaſſæi error in Chronologia detectus ab authore. 387

Harpocratem Silentii Deum quẽ figurabant digito os prementem Sigalion ab Ægyptiis vocatum legitur apud Auſonium. 10.20

Haſta donari honorificum erat, & quinam haſta, vel haſtis in re militari ob egregium aliquod facinus donabantur 603.604

Sic è conuerſo ignauis militibus & qui grauiter deliquiſſent, in pœnam haſtam ademptam obſeruamus, qui actus cenſio haſtaria vocabatur ibid.

Haſtarum vſus in bello duplex olim erat & quiſnam 605

Haſtati milites dicti haſtis pugnantes, Pilani, qui pilis, Principes qui à principio gladiis 756

Haſtici ludi ab haſta authoris ſentẽtia, ſicut Gladiatorii à gladio, quib. paria pugnantium in ſpectaculis publicis inuicem dimicabant, dicendi; & cõtra doctiſſimum alioquin Turnebũ non Attici, vel Actii hoc loco, apud Suet. legendum 603.604

Hebræos tributum pendere ſolitos Romanis argenti ſignati, patet ex Euangelica lectione 508.509

Et hi nummi Imperatorum Roman. effigie ſignati erant ibid.

Hedui Galliæ populi Senatorium ius in Vrbe Claudii Cæſaris Imperio adepti 344

Heliogabalus Senatus Romani maximus contemptor, omnes Vrbe expulit, ſeruos appellans rogatos 278

Senatulum in ſexta Vrbis regione ex mulierib. in colle Quirinali inſtituit ibid.

Heliogabalus piſces comedebat coctos ad luxum conditura Veneta 314. 315

Heliogabali impuriſſimi & maxime prodigi luxus immenſus indicatur 945

Heliogabali luxus, & profuſio prodigaliſſima in hoc maxime enituit, quod Palatinis ingentes exhibuerit dapes, extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterum 608

Hepteris nauis ſeptem remorum ordinib. acta. 50

Hexeris vero, quæ ſex. ibid.

Heraclitum Philoſophum Cicero tenebroſum appellauit, quia de induſtria ſtylum adeo obſcurabat, vt eius volumina philoſophi non niſi ſudantes intelligerent 628.629

Heres ſacrorum quomodo quis eſſe dicatur, quum res ſacræ in nullius vnquam bonis fuerint 1029

Heredes teſtamento tres inſtituit ſororum nepotes, & quos, & quota ex parte Aſſis C. Cæſar Dictator 283

Hereditatis repudiationem elegantiſſima phraſi Latina Suetonius ſignificauit Nominis abſtinentiam 356

Hereditatem Ciuis Romani non niſi eiuis Romanus, non peregrinus aliquis adire poterat. 404

Heſiodum carminib. cum Homero contendiſſe, victoremque Heſiodum Epigramma cum tripode in Helicone poſuiſſe author eſt Gellius 299

Hilaria, quæ Romanis dicta ſint feſta, non omnib. eadem eſt ſententia 1022

Quando apud eoſdem celebrentur ib.

Cui numini, vel Deo, aut Deæ ſacra eſſent. ibid.

Hippius Athenienſis, quum pecunia egeret, nummũ primus apud eos fecit improbum eum adulterando. 1042. 1043.

Hippolytus ab Æſculapio in vitam reuocatus Dianæ Aricinæ templum dicauit prope Ariciam 249

Hirquetuli pueri dicti Sexto Pompeio, & Cenſorino, quum primum venereis initiantur 866

Hiſtriones, vt virgis Prætorum iuſſu cęderentur, Patrum ſententiis decretũ 437.438

Hiſtrionum nimiam licentiam coercere lege vetere cum Magiſtratib. Romanis fuiſſet permiſſum, id fieri vetuit Auguſtus, vt in publicis ſpectaculis, præſertim ſcenicis liberè publica & priuata malefacta redarguere poſſent, ex quo homines erubeſcere pudereq; diſcerent 431.432. & ſeq.

Hiſtrionum ſcenicorum, & Pantomimorum differentia quænam ſit. 437. 438
Hiſtrionib. tanquã infamia notatis olim ſtipendia facere vetitum erat. 88. & 89
Hiſtriones fabulas in Scena ſaltare ſolitos author eſt in Caligula Sueton. 434. 435
Saltare autem fabulas nihil aliud erat, quam motu & geſticulatione illas explicare, atq; imitatione proponere. ibid.
Hyacinthi radix bulbacea eſt mangonicis venalitiis pulchre nota, quæ e vino dulci illita pubertatem coercet, & non patitur erumpere 475
Hypocritæ quinam dicantur 711
Et quid hypocriſis. ibid.
Holographum teſtamentum quodnam ſit, & cur ita dictum 340
Homo abominandus priſcis, & Liuio, excommunicatus noſtris, quem impune violare fas erat olim Ethnicis 5. 6
Hominis appellatione maſculus & fœmina continetur. 4
Honores Cæſari Dictatori à Senatu Romano ampliſſimi licet eſſent decreti, tamen ante Ædem Veneris genitricis ſedens, eidem aſſurgere arroganter eſt dedignatus 276. 277
Honorandi benemeritos virtutis ergo antiquis mos in dupla cibariorum collatione conſiſtebat 7
Honorarium, hæc vox apud Latinos pluribus ſignificationibus donata & ſeq. 331
Præcipue pro donatiuis munerib. accipitur ibid.
Vnde Honoraria Principum vrbes ſuas primo ingreſſu luſtrantium. ibid.
Honorarium præterea militum erant donaria, quæ à Ducib. ob ſtrenue nauatam in bellis operam militib. dabantur.
Vide multa notatu digna. ibid.
Honorarii ludi liberalia dicti fuere Hermolai Barbari ſententia, ab honore illorum qui eos Ludos populo edebant. 332. 333
Quamuis alii ideo liberalia vocari aſſerant, quod in honorem Liberi patris fiebant. ibid.
Authoris vero ſententia ſic vocitati fuere à liberalitate illorum qui eos Ludos edebant. ibid.
Hoplomachia ficta armorum eſt conflictio. 224. 225
Hoplomachus gladiator erat vndiq; armis contectus, cum inermes vt plurimum ſoliti eſſent gladiatores decertate. 623
Et quid Hoplomachus Galeno ibid.
Horatii cuiuſdam in depalmandis hominib. liberis paſſim obuiis impudẽtia ex Valer. Max. 12. 13
Hoſtiam ab Anco Marcio Rege Romanorum conditam tradit Eutropius 907

I.

IAmbico verſu antiqui conuiciari, & contumeliari ſolebant 864. 865
Iani in foro Romano duo; primum occupabant fœnerantes pecuniam ad ſecundum reddebatur fœnus 797
Iani tria Romæ templa erant diuerſis Regionib. conſtituta, & à quibus cõſtructa 796
Per Ianos loco Suetonii allato non templa illa, ſed portas viarum intelligendas, quæ nimirum in earum capitib. ædificari ſolebant, opinatur author, ibid.
Fornices Dion vocauit, id eſt, peruias tranſitiones. ibid.
Ichneumonem varii varie deſcripſerũt 541. 542
Serpentis, vel anguium genus eſſe tradit Plinius & virulentum animal. ib.
Nicander Aquilæ ſpeciem facit, Herculi ſacram, ſed falſo. ibid.
Dicitur Crocodilum necare, & cum Aſpide dimicare, nulloque propoſito præmio natura ſua ad victoriam aſpirate. ibid.
Ignobilitas ſtirpis Octauiano Auguſto à M. Antonio, & aliis eius inimicis obiecta. 287. 288
Iliaci Ludi in littore Actio à Troianis celebrabantur nondum Roma ædificata 602
Lienſib. vel Troianis qui Romanorum Colonia erant, & ob id annuam certam penſionem populo penderent, quaſi Romanæ gentis authorib. tributa in perpetuum remiſit Claudius Imperator 413

Illyrici situs, Illiricaque tota à Tiberio Cæſ. perdomita. 570
Ima cera quid denotarit Sueton. ubi de Cæſaris Dictatoris teſtamento verba facit, 284.285
Imagines maiorũ veteres Patricios Romanos in atriis ſeruare ſolitas ad nobilitatis natalia demonſtranda publice oſtentaſſe, & Lararia ob id aperuiſſe in publica lætitia refert Vopiſcus hic pag. 1056
Imagines propterea has Cicero fumoſas vocat oratione habita in L. Piſonem. ibid.
Imagines maiorũ antiquitatem familiæ & nobilitatem ita Patriciorum demonſtrabant, vt qui talibus carerent, noui homines dicerentur. 1057
Hinc appoſite Suetonius in Veſpaſiano. Flauia gens obſcura, & ſine Imaginib. ibid.
Imagines illæ Patriciorum veterum Romanorum Atrii, & Lararii ornamenta ex cera potiſſimum componebantur ad viuum tamen colorata, quæ & in funerib. ad pompam offerebantur. 1057
Imaginum talium deſcriptionem delineationemq;, & qualitatem pariter, vide ibid.
Quo etiam fine in atrij veſtibulis collocabantur pubica lætitiæ ſolemnitate ib. vide multa non parumcurioſa. Cultum præterea earundẽ, & ad põpam oſtentationem ornatumq; vide pag. ſeq.
Imaginariua virtus ſemper in motu eſt, & continua actione, tam in ſomno quam in vigilia 282
Imaginari haud incongrue pro ſomniare quidam vſurparunt 282
Imperatores Romanorum vſque ad Hadrianum Cæſarem cur barbas depoſuerint. 699.700
Imperii Romani ſceptra mulier quædã Druidarum apud Gallos Tungros vaticinio veraci poſtmodum facto gregario adhuc milite exiſtente Diocleriano prædixit 168.179
Inaures fibulas, & alia muliebria ornamenta primordio Fabricam Deam factitaſſe Plinius author eſt 80
Incitatus mulionis, & Aurigæ propriũ nomen erat apud Martialem, quod erroris cauſam præbuiſſe Beroaldo, & Sabellico in hoc Suetonii loco aſſerit author 630
Equus Caligulæ incitatus ab eo vocitatus, præter rationem ad dementiã vſque nimium cultus, adamatuſque fuit. vide riſu digna, & notatu, ibid. & ſeq.
Infame quondam vt mulierib. in Scena, ita viris in Arena verſari 778.779
Infibulatio quidnam Medicis, quidue fibulæ 81.82
Ingenium in animatis pro morib. induſtria, ſolertia, & intellectus acie à Cicerone, & reliquis acceptum, in inanimatis nonnunquam pro inſita, & ingenita natura inuenitur vſurpatũ. 207
Hinc Virg. in Georg. aruorum ingenia dixit, vt & Plinius Cæli mores ſoliq; ingenia ibid.
Inimicitias iuſtas pro magnis accepit Aſconius Pedianus 379.380
Inſtituere primam originem ſignificat, at conſecrare non ita 134
Intercalandi Menſes modum in Anno Solari inuenit Cæſar Dictator authore Ammiano Marcellino 103.104
Mos iſte vitio non caret, ibid. in fine.
Interula quare etiam ſubucula appellerur 1018.1019
Inuidia C. Ceſari parta, quod honorib. amplis ſibi à Senatu delatis, eidem non aſſurrexerit ſedens ante Ædem Veneris genetricis 276.277
Iocus Ciceronis in Vatinii Conſulatum perbreuem 221.222
Iſopolitia quis ſit, & cur Latini nominis populis permiſſu Magiſtratuum, & populi Romani fuerit vrbanitate cõceſſa 411.412
Iſthmus, quis dicatur, & ſit 243
Huic opponitur Porthmus, eſtque fretum anguſtum inter duas continentes quale eſt Gaditanum, exiguo interuallo Europam ab Africa diuidens ibid.
Iſthmi plures, ſed celeberrimus omniũ Corinthiacus, qui & Achaius, & Peloponenſiacus eſt vocatus, in cuius faucib. olim erat nobiliſſima Vrbs Corinthus ibid.
Quiuam Principes illum reſcindere fuerunt conati, Plinii relatione, quam

vas

vis infelici ſucceſſu omnes, infauſtoque & fruſtraro exitu ib. & ſeq.
Iſthmum fodere in prouetbium vulgatum abiit dicere de re difficili, & impoſſibili 244.245
Italicorum à Romanis defectionis cauſa, & concitati aduerſus eoſdem belli videto 408.409
Iudęos ſuis ſacris tympanis concinere ſoliros ex pentateucho colligere licet 472
Iudices duplices, ordinarii ſcilicet, & delegati 134
Iudices, & Magiſtratus maiores, quinā dicti, & de quib. rebus aut controuerſiis iudicabant 233
Iudices minora iudicia exercentes ſicut Tribuni, Triumuiri, & Quæſtores, in ſubſellis iudicia exercētes ſedebāt; maiores vero, vt Prætores in ſedibus curulib. & pro tribunalib. ius dicebāt 708
Iudices Pedanei Iuriſconſultis dicti, qui viliora, & humiliora minimique momenti negotia iudicando determinant 149.150
Iudicum multas eſſe differentias, quomodo autem hoc loco capiantur vide 862
Iudicum nomina omnia olim per Decurias ſcripta erant, in loco, qui Album dicebatur 963
Iudicum ſumptus, & ſportulas ad certum quid Adrianus Imperator redegit 791.792
Iudicum tria conſtituta antiquis genera Cæſaris opera Dictatoris ad bina fuere redacta 337
Ea Auguſtus iterum ad tria reuocauit ibid.
Iudices fuiſſe Romanorum Reges Dionyſ. Halicarnaſſ. tradit 862
Iudicium eriam iuſtum Iudici vendere licet nequaquam; Aduocato tamen iuſtum vendere patrocinium licet. 702.703
Iudicia populi Romani in tres ordines erant diuiſa ſcilicet, Senatorum, Equitum, & Tribunorum Ærariorum. 231. 232
Quartum ordinem, ſcilicet Ducenariorum, adiecit Auguſtus 233
Iudicia illa populi Romani ſic partia erant, vt Senatorius Ordo de maximis cauſis iudicaret, Equeſter vero de mediis, Tribuni ęrarii de minoribus de minimis Ducenarii. ead. pag. 233
Cæſare interempto, legem tulit M. Ant. vt ad duas Decurias Senatorum, & Equitum quas Cæſar conſtituerat ante, tertia adiungeretur Centuriconum, & Manipulariorum militū Legionis Alaudæ ead. pag. 233
Iudicia proferendi mos apud Romanos veteres per tabellas, in quib. A. litera abſolutionis nota erat; C. condemtionis. N. L. non liquere ſignificabat. Sic D. damnationis nota erat; θ litera Græca mortis 106.107
Iudiciariis dies quos vocauit Capitolinus, Tacitus negotioſos, Suetonius actui rerum deſtinatos, vocauere 750
Iudicialia iudicumque verba erant antiquis tria, Do Dico, Addico; & quid iiſdem ſignificaretur 193.194
Iulia lex de maritandis ordinib. quam ob cauſam lata fuerit pagina & ſeq. 144.
Varia ea Lex capita continebat, & quænam illa. ib. 145.146
Sępius ab Auguſto eadem lex fuit emēdata modo leuius modo ſeuerius, & quate ibid.
Iuliæ Legis Theatralis aurhor Auguſtus Cæſar fuit, non Iulius Dictaror. 400
Quidve ea fuerit decretum. ibid.
Iulia lege de adulteriis coniuges accipientes adulteras, & puniebantur, & infamabantur 707
Iuliæ leges plures cum paſſim à probatis aurhorib. referantur, nullius tamē Iuliæ legis de veneno authores tam veteres, quam recentiores mentionē fecere 731.732
Iulias leges quamplures fuiſſe veterib. Romanis, & quales 144
Dictæ omnes quodammodo à Iulio Cęſare Dictatore ibid.
Iuramentum à militib. ducibus datum, iuſiurandum dictum, ſicut quod ſpōte aut vſu inter ſe milites faciebant, Sacramentum dicebatur 753
Iuramentum militare à Sacramento nonnulli authores diſcreuere ead. 753
Iuramentum militare ita concipiebatur, vt accitus miles ſemper præſto eſſet

eſſet,& adeſſet, trib. ſolummodo additis exceptionib. quæ continebant Funus familiare, Ferias vindemiales, & Kalendas 753
Fiebat autem iuramentum militare nō modo pollicibus eleuatis, verumetiam ſtrictis gladiis, ceruicibusque admotis perficiebatur ibid.
Ius Ciuitatis alicui populo, aut prouinciæ municipiove concedere ante Cānenſem ab Hannibale patratam cladem, aut pleno iure dare, maximum reputabant olim Romani 413
Ius Ciuitatis Romanæ donandæ cum antea populi eſſet, & Senatus, poſtea Imperatores ſumma rerū potiti in ſe ipſos, quemadmodum plura alia trāſtulere, poteſtate populi & Senatus Romani ſibi ipſis arrogata 414. 415
Hoc autem ius Octauianus Auguſtus parciſſime Suetonio teſte donabat, id eſt Ciuitatem pleno iure, ſeu ius Quiritum proprium. ibid.
Ius Ciuitatis Romanæ initio Reip. à populo Comitiis, vel Senatu dabatur 414.415
Ius Romanæ ciuitatis quib. dabatur antiquitus, iis pariter & togæ deferendæ ius concedebatur 434.435
Ius Italicum à populo dati nil aliud erat, quam immunes illos quib. concedebatur. facere à præſtatione tributorum, tum agris, tum capitibus imponi ſolitorum 411.412
Et quænam olim fuerint apud Romanos Coloniæ hoc Italico iure donatæ, aliquot enumerantur. ibid.
Ius proprium Quiritum erat, liberos habere in poteſtate 404
Iura Ciuium Romanorum non omnia concedebantur iis, qui Senatus populiq; beneficio Ciuitate donabantur 405.406
Exempla ibidem varia videto per totam.
Iuriſconſultis quantum pro patrocinio à clientibus accipere permiſſum 707
Iuſiurandum Cicero definiuit eſſe affirmationem religioſam 751.752
Iuſtinianus Imperator ſeſe ſeruum appellauit in l. 1. de offic. Præfect. Prætorio Africæ 454
Iuſtitium quid, & iuſti dies, qui debitoribus, creditorum permiſſu aut Iudicum indulgentia concedebātur 790
Iuſtitium indicere quid ſit, & quando indicebatur 390
Iuſtitium iuriſdictionis intermiſſionē ſeu iuris ceſſationem dixere antiqui, quo tempore lege agi non poterat. 850
Iuuenalis adiectiuum, à iuuene idem ſonat, quod iuuenilis 488
Iuuenalis fama apud Liuium. ibid.
Iuuenales Ludi quando veterib. celebrati 692.693
Vnde dicti, à quove inſtituti, & celebrati, ibid. & 694. circa finem pag.
Iuuenalibus Ludis quinam antiquitus potiſſimum intereſſent 692.693
Iuuentutis ſacra pro iuuenib. inſtituta ex Feſto Pompeio 695

K.

Kalendarium pro libro rationum accipi aliquando, vide 870
Kalendarium pro Codice rationum acceptum obſeruare licet 544
Hinc curatores Kalendarii dicti ibid.
Et fœneratorum Codices kalendarii appellati, & quare ibid.
Kalendario propoſitus ſeruus, & kalendarium exercere, iiſdem Iuriſconſultis eſt, libris rationum præponi, & talib. inſudare 545.546
Kalendæ Ianuarii ſacræ, & religioſæ priſca ætate Romanis 576.577
Kalendæ Ianuarii feſtiuæ erant, & religioſæ ſolemneſque ſtrenis dandis, & recipiendis 1051.1052
Eiſdem kalendis in acta Imperatoris iurabatur ibid. & ſeq.
Principis vota iiſdem ſuſcipi ſolita ſcribit Plutarchus ibid.
Et quamuis kalendæ Ianuarii primus dies anni eſſent, poſtea tamen kalendæ Martii primus dies anni habitus in quo ignis nouus Veſtæ aris incendebatur multaque alia fiebant, quæ ibidem vide.
Kalendarum Ianuarii, & dierum natalium feſta veterum Romanorum remiſſiue vide 1048.1049
Kalendis Ianuarii pro primo die anni vtebātur Romani, quod eo die primi Conſules Regib. exactis creati ſunt. 1051.1052
Kalendis Ianuarii Conſules olim apud Roma-

Rom. omnes magiſtratum in ibant in memoriam exactorum Regum quibus expulſis ipſis kalendis primi Conſules creati fuere 1051.1052
Quamuis id poſtea non ſemper fuerit obſeruatum, cum authore Liuio, L. Æmilius Mamercinus, & C. Plautius kalendis Quinctilibus magiſtratum inierint ibid.
Kalendis Martii apophoreta fœminis dabantur 1053
Et agrorum penſiones iiſdem pariter kalendis præſtabantur ibid.
Kalendis præterea omnib. à veteribus Romanis ſacrificia fiebant 1056
Kalendas aliquando obſeruamus abſolute ſcribi à Latinis authorib. aliquādo vero cum additione primæ, ſecundæ, tertiæ &c. 1051.1052
Kalēdas Ianuarias ſuppliciis funeſtare nefas erat, ideoque Tiberii ſæuitiam deteſtatus Suetonius, dicit eius iuſſu ipſis kalendis in quoſdam animaduerſum 1051.1052

*L.*

LAcedæmonii Reges in communi & propatulo Lycurgi legibus adſtricti conuiuabantur, & quare 347
Idem fecēre Indi teſtante Strabone. ibidem.
Ægyptiis mos idem fuit, vt ſcribit Herodotus. ibid.
Moſſynecos populos idem factitaſſe Pomponius Mela author eſt ibid.
Romani vero Auguſti tempore & aliorum Imperatorum, priuatis in comeſſationib. domi comedebant; Publice autem tribus de cauſis aliquando veſcebantur, & quænam illæ fuerint, enumerantur. & ſeq. 347
Lacerna virilis veſtis erat, quam ita à lacerando dictam quidam inſulſe, & erroneè ſcripſerunt 417
Militaris erat veſtis, & viatoria, ad aeris iniurias propulſandas ſuper toga indui ſolita ibid. & ſeq.
Cuius coloris fuerit, eadem 418.419. & 420
A Lacerna pulla veſtis, quoad formam non multum differebat, ſed colore 420
Lacernis depoſitis Equites Romanos Claudio Cæſari ſpectaculis aduenienti aſſurgere conſueuiſſe Suetonius author eſt 420
Lacinia togæ pars eſt omnium confeſſione, & quæ fuerit à nullo recte hactenus explicatū putat author 624.625
Laconicum Romanis erat quod Septētrionalib. Hypocauſtum Senecæ Sudatorium 921
Lancearii milites olim qui, qui item Martiarii 825.826
Laniſtæ antiquis erant magiſtri, & inſtitutores gladiatorum 422.423
Laniſtæ numero nimio adaucti ad minuendam ſterilitatem ab Auguſto Vrbe pulſi ibid.
Laniſtæ auium dicti, qui aues ad certamina præparabant. 224.225
Laniſtæ ſeruos coemptos olim apud Romanos in gladiatoria arte exercitabant, vt eorum operam venundarent iis, qui gladiatorium ſpectaculum populo exhibere volebant. 223
Laniſtas, qui magiſtri, & inſtitutores erāt gladiatorū, ad ſterilitarē minuendam Auguſtus Cæſar Roma exegit, vt & eos, qui ſeruos venales habebant 422.423
Lanx antiquis erat eſcarium vas, minus patena excauatum, in qua carnes menſæ tam toſtæ, quam elixæ inferebantur 1014
Romanorum ſumptuoſas, & pretii immenſi vſibus aptatas lances ampliſſimas, & magnas librarum centum argenti, ſuo tēpore fuiſſe in Vrbe quingentas refert Plinius ibid.
Cuius fuerit figuræ, orbicularis ſcilicet, ibid. & ſeq.
Lares Deos inter innumeros Gentium Deos, ſeu potius Dæmones cæca antiquitas agnouit, nunc Lares, nunc Genios appellatos 876.877
Larium Deorum multas ſpecies fecit ſtulta illa priſcorum vanitas, ne dicā ſuperſtitio. ibid.
Hinc Lares Cōpitales habebant quib. ludos Compitalitios celebrabāt. ib.
His Larib. Sacrificia Computalia faciebant veteres ſeruorumque officiis vtebantur 878
Sacræ his etiam ædes publicæ dicatæ erant in vrbe, teſtimonio Cic. in lib. de Nat. Deorum. ibid.

Lares Querquetulani à Sacello in Cœlio monte iis conſtituto Querquetulano dicto ibid.
Lares marinos obſeruamus apud Nonium ex Varrone ibid.
De Larib. multa ibid. & ſeq.
Lararium quid antiquis, cuique vſui deſtinatum, remiſſiue 1056
Latini ſuo iure in Comitiis ſuffragia nō ferebant, ſed benignitate, & beneficio magiſtratuum Romanorum, & populi vrbanitate id ipſis permittebatur 291. & 294
Latrunculorum ludus quiſnam fuerit antiquis non omnib. eadem ſententia 1062. 1063
Laticlaui apud ſcriptores paſſim legūtur exempla, anguſti non ita frequēs mentio 384
Latum Clauum veſtis genus fuiſſe Senatorum proprium ex Suetonii aliquot locis clare elicitur 244. 245. & 382. 383
Eo tamen vſi ſunt alii beneficio Romanorum 246
Et viri principes, & mulieres quoq. 246 248
Imperio florente ſolum Senatores eo vtebantur, & præfecti Prætorio. ibid.
Quale fuerit veſtimenti genus non patet ex antiquis, vel modernis ſcriptorib. authoris aſſertione ibid.
Vide ibid. varias variorum coniecturas, & opiniones authorum
Ab hoc veſtimenti genere Laticlauii vi ri dicti etiam fuere Senatores 382. 383
Sic & Laticlaui tunicæ habitus ex Plinio Senatorem ab Equite Equeſtrem ordinem à Plebe annuli delatio diſtinguebat ibid.
Laticlauia veſtis in vſu erat militantib. Senatorii ordinis viris Anguſticlauia vero Equeſtris 382. 383
Lauicanum ſuburbanum Cæſaris voluptuoſum, ſic dictū, q nō longe eſſet poſitū à porta Lauicana hodie dicta maiore ab ædificii magnificentia 283
Lauicanæ viæ meminit Strabo quam inquit incepiſſe ab Exquiliana, & in Appiam diſcurriſſe ibid.
Lautia munera erant, quæ à P. R. Legat. vel princip. externis dabantur 28. 29
Sed videto opinionem authoris ibid. in fine.
Lautia quaſi lauta, ſeu lautitia ſunt dicta ibid.
Laxare fibulam, idem quod anſam præbere 81. 82
Leandri, & Beroaldi lapſus ab authore detectus in homonomia vocabuli Marſi pag. J 306
Lectica, quod vehiculi genus apud priſcos Romanos 508. 509
Lecticæ quoddam genus Hexaphoron dictum, & Octophoron, & cur ita appellatum 510
Harum vſus Principib. viris priſca ætate familiaris ibid. & ſeq.
Lecticam non omnes licite quondam in vrbe vſurpabant 510
Lectica per Vrbem vehi antiquitus perhonorificum, Legati Calci denſum pedib. capti exemplo. 510
Lectica Cōſules, & Conſulares viri præ cæteris uehebātur frequētiori vſu. ib.
Lecticarum vſus frequens apud Rom. eur apud veteres inductus 510
Antiquiſſimus is eſt Sacrarum teſtimonio literarum ibid.
Olim prohibitus, vt & margaritarum mulierib. viro, & filiis deſtitutis minoribuſq; annis 64. 65
Probroſis item fœminis paſſim Domitiani iuſſu ademptus ibid.
Claudii Cæſaris indulto ſummi loco beneficii Liberto Harpocrati conceſſus ibid.
Lecticula diminutiuum lecticæ, & Cicero, & Liuius vſurparunt. 510
Lecticula in aciem illatus Scipio Africanus tragula femur confixum habens, haud dubia cum Pœnis victoria conflixit. 510
Lecticarii olim quinam dicti 510
Vt plurimum ſeruilis conditionis apud veteres ibid.
Lecticariola officium Lecticarii ſubiēs, vel cum Lecticariis rem habens Martiali dicta Alaudæ cuiuſdam vxor parum pudica 511. 512
Lecticariola cū lecticula erronee à quibuſdam confunditur ibid.
Lectulus Regius apud Perſas ita ſtratus erat vt capiti incumberet pentaclina habitatio in quo perpetuo aſſeruarentur auri talenta quinque millia. 275
Legatis exterarum Nationum, quos in Vr-

In vrbem admittere nolebant in æde Bellonæ, quæ extra mœnia erat, Senatum dari ſolitum à Romanis, author eſt Feſtus. 354
Obſeruatum etiam fuit magiſtratibus, qui ad vrbem redibant, in eodem templo datum Senatum. ibid.
Legiones plures apud veteres Romanos à numeri ordine nominatæ, vnde Primani, Secundani, Tertiani, &c. 263
Legiones Romanorum priſca ætate, ex quibus militibus conſtabant. 384
Legionum varia nomina à prouinciis impoſita, vide 264.265
Legiones Romanorum militum non ſemper vno eodemq; numero peditum fuiſſe, ſed temporum ſucceſſione, mutatas ex antiquorum ſcriptis, elicimus. 129
Lemuralia feſta erant, quando Lemurum, id eſt, laruarum nocturnarum & imaginum terrificatione nocte faba iaciebatur. 941
Lenoni, vel Laniſtæ, ne venderentur ſerui vel ancillæ, lege cauit Adrianus Imperator. 1083
Lenones tantum dici ſcortorum, productores vero etiam inuitarum perſonarum, & in quibus ſtupra exercita legibus puniuntur, Pædianus ſcribit. 720.721
Lex Fuſia Caninia teſtantibus vltra centum ſeruos manumittendi facultatem adimebat. 1051.1052
Lex Iulia adulteras ducentes in vxores puniebat, infamabatq;. 707
Lex Iulia de maritandis ordinibus cur lata fuerit. 144.& ſeq.
Varia & multiplicia capita eiuſdem, vide copioſe ibid.
Sæpius ab Auguſto Iulii ſucceſſore fuit lex eadem emendata, modo lenius, modo ſeuerius. ibid.
Lex Papia Poppea pariter de maritandis ordinibus varia habet capita, & quænam illa. 147
In tranſgreſſores iſtius legis ſeueras pœnas ſtatuit Auguſtus. ibid.
Lex Licinia vel Mutia Lucio Licinio Craſſo, & Quincto Mutio Scæuola conſulibus, lata fuit aduerſus eos qui ſe pro ciuibus, quum ciues non eſſent, gererent. 407.& ſeq.
Lex Papia Poppea Sexagenarios, eo quod generare non poſſent, a matrimonio arcebat, fuitque Octauii Auguſt. Imperio lata. 668.669
Lex Papia Poppea ab Iſidoro, Alexandro ab Alexandro, Zaſio, & Beroaldo erronee lex Papia Pompeia appellata. 147
Lege Cornelia quadam cautum fuit, eum, qui in aurum vitii quid addiderit, quive argenteos nummos adulterinos conflauerit, falſi teneri. 1042 1043
Lege Iulia peculatus tenetur, qui in aurum argenti æriſve publici quid indiderit vel immiſcuerit, & vt quid eudatur, immiſceatur, fecerit ſciens dolo malo, quo id peius fiat. 1045. 1046
Lege Iulia, quam Auguſtus tulit, vel antiquatam emendauit, cautum fuerat, ne Libertina Senatoris filiũ, nec Libertinus Senatoris filiam ducerent. 48.49
Leges annariæ quænam dicebantur antiquis, & cur inuentæ vel ſancitæ fuerint. 985.986
Legibus cautum quod fuerat, tollere Conſulum nequaquam erat in poteſtate. 411.412
Leges Cornelias, à Cornelio Sylla latas, plures fuiſſe Iuriſconſultorum teſtimonio comprobatur, & quænam illæ. 345
Leges Iulias plures apud Romanos fuiſſe, & quaſnam. 144
Et quænam à Iulio Cæſare dictatore denominatæ. ibid.
Legiſlatores non ſolum Romani falſam monetam deteſtati ſunt, ſed & alii aliarum prouinciarum Nomothetæ. 1044
Liber in diſciplina militari, ex quibus cauſis fuſtibus cæditur, ex his ſeruus flagellis laceratur. 126
Libros de vita ſua Auguſtus conſcripſit non 43. vt mendoſe textus habet, ſed tres, & decem. 524.525
Libros quoſnam præter eos, quos de vita propria compoſuit Octauius Auguſtus Imp. conſcripſerit. 526
Libros à ſe ſcriptos de vita ſua Hadrianus Imperator famæ auidiſſimus, libertis ſuis literatis dabat, iubens, vt eos

eos ſuis nominibus publicarent. 524 525.

Librarii munus apud antiquos Romanos non ſolum viros, ſed & mulieres adeptas, marmor antiquum Domitiæ cuiuſdam indicio eſt. 681.682

Librarii quinam fuere veteribus Romanis varii varia ſenſere. 680. & ſeq.

Librarii quinam eſſent Caſtrenſes, vel militares. 683.

Librarii magiſtratuum pene omnium quinam olim 683

Qui item Librarii impreſſores hac noſtra ætate & bibliopolæ, ibid.

Librariorum Caſtrenſium munus, & officium 683

Liberos habere in poteſtate proprium ius erat Quiritum. 404

Liber pater aliquando pro Sole ab antiquis acceptus, Virgilii authoritate 52.

Quamuis proprie pro Baccho accipiatur. ibid.

Liber pater Bacchus aliis dictus Cereris filius fuiſſe perhibetur, & Liberæ frater. 52.

Liberi patris exemplo cantharis poſt Cymbricam victoriam C. Marium potaſſe ſcribit Plinius 1010.

Libera etiam Venus dicta D. Auguſtini authoritate. 52.

Libera legatio quid ſignificet apud Suetonium in Tiberio 571.

Et cur ita dicta. ibid.

Liberi Equitis Romani in Ciceronem modice carpti retalionatio. 398.399.

Libertas, vt triplex erat, ita, & triplici modo Libertinis olim ſolita erat cōcedi. 416.

Maior quædam erat, minor ſeu media altera: tertia infima dicebatur. ibid.

Et quinam haſce libertates apud veteres aſſequebantur ibid.

Libertatis Definitio à Iuriſconſultis qualis tradatur 414. 415.

Libertus patrono egenti ad alimenta præſtanda tenetur. 197.198

Libertus primus apud Romanos Icelus iure aureorum annulorum à Galba Cæſare donatus, mox & Equeſtri peculio ab eodē ditatus ordini Equeſtri adſcriptus fuit. 748.

Libertum ingratum ac contumacem patronus in ſeruitutem poterat reuocare. 197.198.

Liberti Latini Iuniani, quinam erant veteribus, & cur ita vocitati. 416.

Qui item deditirii erant, & quare ſic appellati. ibid.

Liberti manumiſſi, qui teſtamentum facere poſſent, quiue nequaquam teſtari. 416.

Liberti patrono mortuo filiis eius tutorem petere tenebantur, 86.

Libertorum filii tenebantur petere tutorem à patronis. 197.198.

Et multa de libertis eorumq; liberis videro ibid.

Libertorum aſtū in patronis ſuis fraudē circumuenieudis. 197.198

Liberta ab inuito patrono diuertens alii nubere eo inuito nō poterat. 81

Libertini quinam dicebātur antiquis, & quotuplici medio in libertatem aſſerebantur. 560

Libertini an ſolum eſſent deſcripti in quatuor Vrbis Tribubus, an & aliqui in ruſticis 117. & ſeq.

Libertini quicunque aureis annulis donabantur, per annulorum ius ad ingenuitatem adſciſcebantur, non tamen antea Equites efficiebantur, quam cenſum Equeſtrem quadringentorum millium obtinuiſſet. 748.

Libertini ſemper plebei, Senatores, vt plurimum ex patricia gente. 84 85.

Libitinæ Ædis miniſtri varii varie pro officii, & muneris varietate appellati. 735.

Libitinæ rationibus nomina morientium olim Romæ inſerebantur, & adnotabantur, vt naſcentium in Faſtis Actiſq; publicis. 733.734

Libitinæ Deæ templi miniſtri, apparatus exequiarum locabant olim, & morientium nomina adnotabāt. ibid

In illius Deæ Æde quæ ad funus & ſepulturam pertinebant, condi & locari antiquitus ſolebant. ibidem 735

Eiuſdem Deæ templi miniſtri Libitinarii appellati ibid.

Libitinenſis porta apud Romanos non Vrbis, ſed Amphitheatri per quam interfecti gladiatores extra efferebantur. 736.

Libra pro aſſe vſurpata ex Priſciano. 11


Libri

Libripendes dicti qui militum ſtipes, vel ſtipendia antiquitus penſabant. 10.

Liburnica genus nauis eſt velociſſimũ, & bellicum, ita à Liburnis in Illyrico populis dictum, qui conſimili nauium genere Ionium mare, & eiuſdem Inſulas deprædabantur. 627 628.

Liburnicarum partem demerſarũ amiſiſſe Auguſtum poſt Actiacam victoriam, dum in Italiam traiiceret biſque tempeſtate conflictatum, ſimulq; eius Liburnicæ in qua vehebatur fuſis armamẽtis, & gubernaculo diffracto, Suetonius in eius vita author eſt. 627.628

Liburnicis nauibus vſi ſunt Romani in pugna maritima, tanquam aptiſſimis, quas roſtratas dicere ad differẽtiam paruarum Liburnicarum. 627 628.

Quando autem Romani primo nauali bello decertarint, quibuſue Conſulibus ibidem.

Licos Græcis licet lupum ſignificet, eſt tamen etiam inſtrumentum coquinarium 953.954.

Lictores Reipub. temporibus ſontes capitis pœna afficiebant, Imperatorum vero dominio vigente Carnifices noxios morte plectebant. 794. 795.

Sic & lictores miniſtri pœnæ in nobilioribus erant, in vilioribus vero carnifices. 796.

Limbaras chlamydes vocat author in extremitatibus limbis exornatas. 1017.

Limitanei milites quinam eſſent in Romano Imperio, cur ita dicti, quod eorum munus. 854

Linteatus quiſnam dicatur. 21.

Linteata legio cur ita dicta. 19.20.& 21

Authoris opinio aliorũ reprobata. ibid.

Linteata legio Samnitum cur ita appellata ex Liuio. ibid.

Decem & ſex millium militum numerum continebat ibid.

Lipſii doctiſſimi lapſus adnotatus. 209.

Literas Græcas Romani veteres quibus Latinæ maternæ erant, addiſcebant, ſicut nos Latinas docemur patriis vna cum educatione à primis annis adeptis. 820

Literati ſerui quare aliquando fuerint appellati 819.

Literatos literarum eruditos vocari doctos notiſſimum eſt, literator etiam, qui literas nouit, nõ perfecte tamen dicitur, ſed & illis tãtũ imbutus. ibidem.

Literoſus etiam obſeruatur pro literato apud Latinos dici. ibid.

Literionem vero ſe non legiſſe alibi inquit author, quam hoc loco. ibid.

Quare autem ſic carpendo appellarint Iulianum obtrectatores aulici, vt & Simiam purpuratam ibid.

Literatæ epulæ quænam dictæ Plutarcho. 820

Lithoſtratum eſt pauimentum, lapillis varii coloris ſtratum 1090

Huius artis excellens fuit inuentor Xenodorus, qui primus claruit in faciendis pauimentis, miro artificio paruulis reſtulis in varios colores tinctis & imagines repræſentantibus. ibid.

Species eſt Muſiui operis, ſicut enim Muſiuum in parietibus appellamus hoc opus, ita & in pauimentis Lithoſtratum. ibid.

Locare promiſcue accipi ſolitum videtur. 33.

Locus doctiſſimo Lipſio difficilis explicatu facile authoris labore diſſolutus. 187.

Locus, vel loca, quid apud Liuium ſignificent. 27.

Loci difficilis, & variis expoſitionibus in Vopiſco torti, genuina lectio oculatiſſimi haud dubie authoris. 161.

Loci Suetonii varia lectio, & quænam tenenda 638.639.

Locum dare in Senatu, quid, 27. 28.29.

Honoris maximum fuiſſe iudicium. ibidem.

Locuſta quædam venenaria famoſa, hoc eſt venenorum confectrix, & miniſtra inſtigante Agrippina Claudium Imperatorem veneno ſuſtulit. 731.732.

Logarium Vlpiano idem quod Breuiarium rationum 545.546.

Logiſterium militare vocatum à Strabone, locus is erat in quo exercitus recenſebantur, & ſtipendia militibus

ſibus numerabantur, aliis Deribitorium vocabatur. 649
Logographi dicebantur, qui libros rationum ſcribebant. 545.546
Logiſtæ vero, qui eos curabant. ibid.
Longobardis quibuſdam per Francorum Reges priſca ætate in contumeliam, & ſeruitutis ſignum capillos, & barbam detonſam, refert Paul. Æmilius in Carolo Magno, &c. 698
Luam Deam à luendo dictam, & expiando, eamque præfuiſſe luſtrationibus, & luſtris aſſeruit Turnebus, quamuis erroneè ſententia authoris. 114.115
Lucar antiquis pretium erat, quod à populo Romano ex Lucis percipiebatur. 137
Et Lucaris pecunia, quæ in luco dabatur. ibid.
Et Lucaria feſta, quæ in Luco Romani faciebant, qui permagnus erat inter viam Salariam ac Tiberim memoriam, quod victi à Gallis fugientes è prælio ibi ſeſe occultauerant. ibid.
Dicitur, & vectigal abſolute Turnebo, authori vero, quod ex luci alicuius prouentibus percipiebatur. ibid.
Lucrinus, & Auernus lacus, Bais arabo contermini ita ſibi mutuo ſunt propinqui, vt in maximis tempeſtatibus coniungi ſoleant. 294.295
Luctam Latini, vt plurimum palæſtram appellauere, & Luctatores athletas Palæſtrites. 439
Lucullum Xerxem togatum Pompeius appellare ſolebat ob iniectas moles mari, & recepta ſub foſſis montibus in terras maria. 823
Lucus nequaquam cæduus eſt, Valla atteſtante, quin potius manu conſitus religioſuſq; atq; vel alicui Deo, vel alicuius hominis cineribus conſecratus, ideoque aut circa Delubra Deorum, aut circa ſepulchra hominum poſitus eſt. 547
Sacræ etiam literæ teſtantur apud Hebræos ſepulturæ traditos nonnullos in lucis ſeu nemoribus. ibid.
Ludi Taurii olim inſtituti, & Diis inferis conſecrati ex Feſto Pompeio. 47.48
Quo tempore inſtituti, quove apud Romanos regnante. ibid.
Ludi votiui veteribus quinam erant, quo fine inſtituti, belli potiſſimum tempore fiebant; quibus Diis vel numinibus gentilium deſtinabantur. Magni, qua de cauſa dicerentur. 301.302. vſque ad 304.305
Ludis quinquennalibus ingeniorum certamini deſtinatis nonnulli mœrore exanimati ſunt, alii lætitia nimia extincti exemplo memorabili. 299
Ludos miſcellos Suetonius appellauit, quod ex variis ludorum generibus confecti Lugduni præbiti à Caligula fuere. 606.607
Ludos Romanos cum antea promiſcue ſedentes, omnes paſſim ſpectarent Cenſorum iuſſu Sexti Ælii Peti, & C. Cornelii Cethegi ædilibus Curulibus, (quo facto ingentem ſibi gratiam apud Senatum peperetunt) imperatum, vt loca Senatoria à populo ſecernerentur. 395.396
Equites vero, vel Equeſtris ordinis viros eorundem ludorum ſpectatores, à populo diſiunxit Lucius Roſcius Otho Tribunus plebis. ibid. & ſeq.
Lugduni Galliæ Emporio cur argenteam cudi facere monetam Romani quodam Imperatores ſoliti. 508.509
Luna mundi ſpiritus recte à Plinio appellata. 117
Luna matris attributo à veteribus cur fuerit donata. 118
Lupercal cur dictus mons Palatinus apud Romanos. 276.277
Lupercalia vnde dicta. 275. & ſeq.
Cui numini conſecrata. ibid.
Lupercus Antonius Triumuir inſectarus à Tullio ob id in Philippica ſecunda. 275
Lupercum ſe exhibuit in Lupercalibus Antonius Iulio Cæſari ſedenti in ſella aurea coronato, & purpura amicto, cum ignominiæ nota Ciceronis aſſertione ſecunda Philippica. ibid.
Luperci, quinam fuerint veteribus Romanis, & quæ functio eorundem. 275
Luperci nudi & vncti curſitabant, accincti quoq; aliquando pelle caprina paſtorum inſtar. 275
Varie cognominati ab auctoribus eorum

rum & inſtitutoribus. ibid.
Crepi etiam dicti, & vnde. ibid.
Luperci, vt nudi ſacrificabant, ſic & vncti curſitabant. 275
Hos, vt pudori conſuleret, vetuit nudos curſitare ſaltem imberbes Auguſtus Cæſar. ibid.
Varie à variis inſtitutorib. cognominati. ibid.
Horum ſodalitas tertio in Cæſaris honorem inſtituta, Iuliaq; vocata. ibid.
Luperci ſodales erant & ſacerdotes Panos Dei paſtorum, qui ſacra faciebant in Lupercalibus ſacrificiis, nudiq; ſacrificabant. 275
Lupercorum ſodalitas in Cæſaris dictatoris honorem inſtituta. 275
Hæc Iulia dicta ab eodem. ibid.
Luſtrico die infantes à Romanis Igne, aqua, & ſulphure expiari ſolitos, vide 691
Eodem & nomina iiſdem imponebantur. ibid.
Luſtricis diebus nomina recenter natis imponi ſolere, remiſſiue etiam videatur. 902
Luſtrationem varia priſcis genera fuerunt, & quænam illa. 687. & ſeqq.
Lyceus Mons Pani Arcadiæ Deo conſeeratus, quod λύκως, id eſt, Lupos non ſinat in oues ſæuire. 276. 277
Lycurgus in funere Archemori filii comam et barbam totondit in mœſtitię grauis ſignum. 256. 257
Lycurgi inſtituto Reges Lacedęmoniorum duplici parte in cœna honorabantur, et quare. 7
Lycurgi leges, item Athenienſium, et Solonis quibus nominibus à Græcis fuerint appellatæ. 809. 810
Lymphiones, qui fuerint, et quid pro liſlit intelligendum varii varia ſcripſere. 1060
Lyrophenica Atheneo idem quod Gallis, Hiſpanis, Italis, arpa dicitur, Ibici Poetæ Rhegini inuentum. 77. 78
M.
MAcellum Romæ & Forum Cupedinis à quibus originem appellationis traxerint. 956
Macchabæo Simoni Sacerdoti magno Ius cudendi propriam monetam cōceſſit Rex Antiochus. 508. 509
Machera breuis gladii ſpecies cæſim potius quam punctim feriendo potior. 15. 16
Macrocheras Egnatius manicatas interpretatur, author potius longas manicas habentes exponit. 972
Macrohir Græcis, Latinis Longimanus appellatus fuit Artaxerxes, quod vnam manum altera longiorem habe ret. 972
Magiſter officiorum idem erat, qui & Præſes Aulæ ſeu Regiæ dicebatur. 842
Erant autem duo Arcadii, & Honorii tempore, vnus per Orientem, & Illyricum, & per Occidentem alter. 824
Magiſter officiorum is dicebatur, qui Aulicorum cauſas diſceptabat, & cognoſcebat, illiſque ius dicebat. 580
Magiſtri admiſſionum erant apud Imperatores, qui quos oporteret ad ipſos deducerent, non admittendos expellerent. 804
Hos magiſtros admiſſionum ſeu admiſſionales ianuæ principum habitationis aſſiſtere conſueuiſſe ex Marcellino colligitur. 805
Horum officium erat ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum, ut patet ex libro cui inſcriptio Notitia Imperii Pancirolii Iuriſconſulti, ibid.
Magiſterium dignitatem Principem Imperatorum ætate Ammianus ſcribit. 806. 807
Magiſtratus petendi ordo, quiſnam eſſet veterū Romanorū temporib. 879
Magiſtratu, quo quiſpiam digniori Romanorum vteretur, maiori pariter frequentia apparitorum ſtipatus procedebat. 808
Magiſtratus alii annui apud Romanos cum eſſent, ſola Cenſura erat quinquennalis; hinc Liuius dixit Quinquennalem Cenſuram. 300
Magiſtratus legem miniſtri, interpretes autem legum Iudices. 238
Magiſtratus præſertim maiores quare iudices dicti. 862
Magiſtratuum auaritia Calpurina lege lata compreſſa. 702. 703
Magiſtratus Codicillares appellat Cœlius Rhodiginus dignitates nomine tantum datas, te uero minime, ideſt quæ carent effectu; ſed quam appoſite, videant docti, inquit author. 988

Ma-

Magnæ matri Gentilitatis Deæ, & Numini quum ſacra fiebant, mactabatur porca prægnans. 1009
Mammeanas puellas Alexander Seuerus in Mammeæ matris honorē ſicuti Fauſtinianas Antoninus in Fauſtinæ vxoris honorem Alimentarias inſtituit. 874
Manceps quiſnam dicatur, quiſve Conductor, & Redemptor. 766
Mancipia veterana, quænam eſſent; & in quo à nouitiis differrent. 428 429
Mangones antiquis erant, qui ſeruos coëmebant, vendebantque, & pueros præcipue, nulloque modo mercatores ob id dici merebantur. 475
Mangones medicamentis adhibitis pubertatem puerorum venalium coërcebant. 475
Mangones venalitii, vel venalitiarii, quinam dicti Iuriſconſultis 428.429
Mangonum officium quodnam erat ex Quinctiliano. 475
Mangonium à mangone deriuatum pro quo accipiendum. 475
Mangonizare quidam ſit. ibid. & ſeq. 475
Manipulares quinam eſſent Romanis, & ſeq. 309
Aliquibus ſigniferi, aliis, cui milites viginti obtemperabant, & qui duabus decuriis imperabant, ibid.
Mantellum quid ſit vide. 1021
Mantellis vſos Scythas, aut pro, mantellis cutibus humanorum capitum cū capillis, ſcripſit Plinius. 1021
Mantuæ, & Montisferrati Sereniſſimi Ducis munificentia, & liberalitas etiam vltra mōtes extenſa commendatur. 903
Manus aliquando poteſtatem ſignificat indeq; manumiſſio à poteſtate liberatio eſt, 916
Manus aliquando pro fide capitur, vnde Capitolinus dum inquit Maximinum ad Heliogabali manus, non acceſſiſſe, interpretandum, fidei eius ſe non commiſiſſe, Imperatoris impuriſſimi timens perfidiam, 913
Manus pro multitudine & copia aliquando accipitur. 170.171
Item pro militari multitudine vſurpatur ibid. & ſeq. 879
Item pro hominum collectione, eadem 124
Manus item pro poteſtate capitur, vt in illo tritiſſimo: an neſcis longas Regibus eſſe manus. 172
Manu regia aliquid facere nil Latinis aliud eſt quam abſoluta poteſtate agere, 821. 822
M. Fuluius Flaccus, & Tiberius Gracchus quare Senatus decreto interfecti, 407
M. Antonii Mureti laus. 575.578
Maritus vxorem ob hauſtum e dolio vinum necauit & cædis impunitatem à Romulo obtinuit. 677
Maritum Dominum appellari ab vxore apud Iuriſconſultos receptum. 94
Marmor Numidicum maculoſum hodiernis temporibus vocamus Africanum. 286
Marmoris, & ferarum abundantia eſt ferax Numidia Africæ prouincia 286
Mars θούριος dictus, quod eſt bellicoſus & pugnax. 49
Vide ibi alia eiuſdem nomina.
Mars quum ſæuit. Gradiuus, quum tranquillus eſt, Quirinus dicitur, vnde duo templa habet ſibi dicata, in Vrbe vnum, aliud extra eandem 236
Martis templum & extra & intra vrbem olim apud Romanos extabat. 236
Et qua de cauſa extra vrbem fuerit ædificatum ibid.
Marti vltori Auguſtum in Palatio Ædem extruxiſſe Suetonius teſtatur 236
Marſi Italiæ populi quinam fuerint, 304.305
Difficilibus, & magnis Populum Romanum bellis non ſemel fatigarunt. ibid.
Belligeri admodum Silii teſtimonio fuere, ibid.
Veneficia & herbarum vires optime calluerunt. ibid.
A quib. olim victi Romanis Ducibus fuerint. ibid.
Quinquennali tandem bello ſuperati ſub pop. Romani iugū miſſi ſūt. ibi
Marſi alii Germaniæ populi finiti mi-

Cattis nunc Heſſis, contra quos pop. Rom. infeliciter Variana, & Lulliana clade pugnauit. 306

Marſi alii Scytharum populi ſumma pedum agilitate celerrimi, teſte Herodoto 306

Marſia ab Apolline victus platano ſuſpenſus interiit. 794.795

Maſtiges flagella iiſq; cæſi maſtigiæ appellati, 47.48

Matara quid ſit variorum auctorum opiniones, 15.16

Auctoris opinio. ſeq.

Materiarius is dicitur qui ligna ad ædificia ſuppeditat. 898

Vnde materiarius faber, lignarius faber appellatus, & fabrica materiaria, id eſt lignaria à Plinio dicta. ibid.

Materiarii, & frumentarii milites apud Cæſarem quinam fuerint. 17

Materiarii Plauto qui dicti. 17

Mathematici qui, & Chaldæi à Gellio dicti, à D. Auguſtino Planetarii, ab aliis Genethliaci appellati, cum artem ſuam profiterentur, & exercerent in hominum natiuitatibus, & genituris prædicendis, & perſcrutandis ſub dio, cælo aperto ambulabant 536

Mathematici Vitellio Cæſari exoſi ab eodem Italia pulſi ſunt, 763

Mattiarii a Mattia, vt Clauarii à Claua, & Lancearii à Lancea dicti fuere, 827

Matrona quod loculos in quibus erant claues vinariæ cellæ reſignauiſſet à ſuis in pœnam inedia mori coacta eſt, 677

Matronæ olim Romanæ Virginiam Auli filiam, Patriciam, plebeio nuptã quod è Patribus enupſiſſet, ſacris arcuerunt, 84.85

Matronas Martio menſe cœnas ſeruis ſuis ponere ſolitas, vt Saturnalibus Dominos, illas vt honore promptius obſequium prouocarent, hos, quaſi gratiam rependerent perfecti laboris Solinus author eſt. 631.632

Maximini Cæſaris robur, & fortitudo ingens [illegible] teſtata vt amaxas manibus traheret, rhedam onuſtam ſolus moueret. 720.721

Maximini Imperatoris Giganteam ſtaturam ex pedis magnitudine coniectura licuit aſſequi, 917

Maximinum bibaciſſimum fuiſſe ait Capitolinus, adeo quidẽ, vt vna die ſæpe vini amphoram Capitolinam ſcripſerit potaſſe. 908.909

Mazacæ an Africæ fuerint populi an Aſiæ, vel Cappadociæ vide. 723.724

Medicinæ profeſſores, & liberalium artium Doctores præcipui muneris loco pleno iure ciuitate Romana Cæſar Iulius Dictator donauit. 413

Mel & cera putredinis præſeruatiua, pa. 94

Mel Nemorenſe ex omnibus deterrimę notæ 247.248

Meleagrides Africanæ gallinæ veteribus, nobis ſunt vt opinatur author, gallinę Turcicę dictę ſeu quę Cairinę appellantur 608

Melopepones ſeu Melones maximi, & præſtantiſſimi ob ſoli lentorem, & tenuitatem ſunt apud Hoſtienſes Vrbi ad ſextumdecimum milliarum vicinos 907

Melos bipartitum quomodo cum aſſa voce & organico. 77.78

Menſæ Pantherinæ dictæ fuerunt illæ quæ varietate ciborum inſignes erant. 91.92

Menſarius, Argentarius Collybiſta, Nummularius, & Trapezita authori aliquando ſunt Synonima 278 288

Mercator vrbibus prodeſt, Medici ægris Mango venalibus. 437

Mercatus, & Nundinæ quomodo diſcrepent 646

Mercurialis impenſe à doctrina multiplici laudatus. 695

Mercurialia feſta Cretenſium quænam erant, quaque de cauſa celebrari ſolita. 633

Metallorum maxima apud Hiſpanos fœcunditas. 54.55

Milliares, vel Milliarenſes porticus quorum Suetonius & Vopiſcus meminere magnæ erãt porticus, & ſpatioſæ, 940

Miles vmbratilis dictus Ammiano, iners imaginarius, ſiue oſtẽſionalis. 971

Milites à ſuis principibus denominati varie, 133

Milites antiquorũ Romanorũ ſtrenui præcincti no diſcincti, qui ignaui habebantur in prælia prodibant, & ſeq. 310

Hinc

Hinc diſcinctus pro negligente, & luxu diffluente ab Acrone, &, Prophirione ponitur. ibid.
Milites Auguſtani quinam fuerint Neronis Imperio, quiue Daciſiani Claudio ſecundo, qui poſt Galienum Valeriani filium habenas Imperii rexit, 971
Milites Decumanos quoſnā dicit Sueonius 363
Milites ærarii veteribus Romanis qui, & cur ita appellati. 449
Qui item ęrarii Tribuni. ibid.
Milites honeſta miſſione miſſi, Sacramento ſolui dicebantur militari, pagina 444.445
Cauſaria autem in miſſione dicebantur remoueri ſacramento. ibid.
Inignominioſa vero Sacramento abiiciebantur. ibid.
Militum ob egregie in pręliis nauatam operam prěmia multiplicia 22 23
Militum ſeditioſorum varia, & multiplex pœna. 8.9
Militum Tribuni apud Romanos olim à quibus creari ſoliti. 213.214
Milites delinquentes qua ignominię pœna afficere ſolitus fuerit Octauianus Cæſar Auguſtus. 311.312
Milites oſtenſionales quoſnam interpretentur Egnatius & Cœlius. 971
Quos vero Clariſſimus author. ibid.
Milites qui artem ludicram exercuiſſet leges antiquæ capite plectebant. 125
Militiæ adſcribi non potuiſſe quam fuerit ignominioſū apud Romanos, quales erant qui capite cenſi dicebantur. 38.39
Militæ adſcribebantur aliquando apud Romanos etiam ante 24. ętatis annū inopia iuniorum, modo ſatis roboris ad arma ferenda habere viderentur 381
Hinc conſtat quod
Militaris ætas apud veteres Romanos erat anorum 24 ibid. 381
Militia miſſus ignominioſe, & ſacramento militari ob facinus turpe ſolutus neq; Romæ, neq; in ſacro Comitatu eſſe poterat. 444.445
Militia miſſi ignōinię cauſa milites Aere diruti dicebantur, quibus ſcilicet ſtipendium ignominiæ cauſa non eſſet datum eo quod æs diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculum. 447 448
Militia ſolui honeſta miſſione apud veteres Romanos honorificū erat. 449
Militaris diſciplina duo præcipue ſuppliciorum genera ad militum delinquentium pœnam adinuenit, & quænam illa, 8.9
Militaris ſtipendii rationes antiquitus more inducto non ad denarios argenteos, ſed ad æreos aſſes computabantur. 127.128
Militares expiationes quæ, & quales, 116
Militarium Tribunorum duo genera, Rufuli alii, vel Rutulii Comitiati alii 213.214
Militare Sacramentum quale erat, remiſſiue. 447.448
Militare ſacramentum duplex in hiſtorica lectione obſeruatur, & quodnam illud 751.752
Militare ſacramentum non ſolum ita præſtabatur, vt in Imperatoris verba iurarerur, ſed & in Senatum, magiſtratuſque alios. 754.755
Militare equites apud Romanos qui & qua ætate cogerentur 382.383
Militare in Legione Romana non aliis quam ciuibus Romanis licebat, pagina 404
Milium antiquis fuiſſe milium ex Plinio conſtat, 601
Miniambos conflare quidnam ſit vide 864.865
Minio corpora inficiunt in bellum profecturi Æthiopes, & quare. 601
Minio & Chriſocolla pauimentum Amphitheatri in quo Gladiatorium ſpectaculum exhibebatur Principum luxu, & prodigalitate aliquando ſternebatur. 602
Miniatam Iouis effigiē fuiſſe ob id tradit Plinius quod fictilis eſſet. 601
Minitos Deos appellare ſolebat Varro eorum ſimulachra antiqua cōſuetudine minio depicta. 601
Mirobrichis quid, & Mirobrichorii, vel Mirobaptarii quinam. 528.529
Miſcelli Ludi quinam fuerint & quare ita dicti. 606.607
Miſcellæ vuæ ſunt ex quib. præliganeū vinum quod ruſtici bibūt conficitur

mi-

miſchiato, vel torchiato vulgo dicimus 606.607
Miſcellionis appellati authore Feſto qui non certæ ſunt ſententiæ, ſed variorum mixtorumque iudiciorum ſunt 606.607
Miſſio cauſaria militaris quænam diceretur, & quare concedebatur. 446
Et ab hac Cauſarii milites dicebantur ead.
Miſſio militaris honeſta quæ erat, qua de cauſa fiebat, qua ætate, quot emeritis ſtipendiis. 444.445
Miſſio militaris honeſta aliquando ante tempus emeritorum pro more ſtipendiorum à principe ex Priuilegio dabatur 446
Miſſionem à militia honeſtam qui nanciſcebantur, iis pariter & pręmia dabantur, exauthorati vero tantum militia ſoluebantur ſine pręmii aliqua largitione, 447.448
In colonias pręterea mittebantur priores, vbi agri iiſdem aſſignabantur poſteriores adhuc ſub vexillis retinebantur donec coloniæ & pręmia aſſignabantur. ibid.
Miſſionem militarem expletis ſtipendiis conſecuti ii etiam vocationis tēpore, ſcuta, gladium, & cętera arma Laribus dicabant. 446
Miſſione ignominioſa exauthorabātur milites ob delictum in pœnam. 446
Et quid erat exauthorare. ibid.
Modus ſalatii conſtitutus à Claudio Imperatore patrocinantibus aduocatis ad dena ſeſtertia. 704
Mæcenas, & Iulius Cæſar delicati habiti, & amatores, quod diſcincti, vel parum præcincti incederent, 310
Mætore occubuit Æſchilus à Sophocle victus in Quinquennalibus Ludis, in iiſdem Philippides poëta victor renunciatus præ gaudio extinctus eſt. 299
Mola frequens in ſacris gentilium pulmenti genus, ex quibus conficeretur apud ipſos idololatras. 291.292
Monaſticæ, & Clericalis tonſuræ præcipua ſignificatio. 699.700
Monetæ cudendæ munus præſtantiſſimis viris Republica ſtante olim apud Romanos, ne adulterina ſubreperet iniunctum & commiſſum hiſtorica lectione obſeruatur, iiq; triumuiri monetales dicebantur. 1045 1046
Monetæ falſę authores ne ipſo ſtrepitus deprehendantur ad eum vſum in Eremis antra ſibi paraſſe, & furtiuæ falſæ quæ monetæ officinas Diuus Hieronymus in vita Anthonii Eremitæ ſcriptum reliquit 1045.1046
Monetam adulterinam qui cudunt, & ipſi, & qui eis ea in re miniſterium exhibuerunt, manuum amputatione puniuntur lege quadam Orientalium 1044
Monetam falſam non ſolum Romani legiſlatores deteſtati ſunt, ſed & alii aliarum prouinciarum, & nationem Nomotheti. 1044
Monetarii dicuntur, qui in moneta publica operantur. 1045.1046
Quamuis Id diuerſum ſit à vulgi opinione, qui eos monetarios appellat, qui falſam monetam cudunt. ibid.
Monolium Capitolino idem eſt, quod aliis Monile, quamuis minus ſit Latinum Monoliū, vt Egnatius, & Cœlius Rodiginus adnotarunt. 917
Monomachia rudibus armis facta iuuentutis exercendę cauſa inducta 226
Monomachiam rudibus armis factam quis inuenerit primus 226
Monomachiam, ut & Torneamenta prohibuit Cōcil. Tridentium. 425.426
Monomachiam ſeu ſingulare certamen in Iouis ſacris vſque ad mortem deuictorum cadentiumque iugulationem procedere conſueuiſſe anthor eſt Plutarchus in Sympoſio, eadem 425.426
Monopoiium vnde dictum, & quid ſit. 588
Monopolia, vt abolerentur plurimū laborauit olim Rom. Senatus. 588
Puniuntur legibus Cęſareis bonorum confiſcatione. ibid.
Vt & Monopoliſtæ Caroli V. conſtitutione ibid.
Gallię Rex vltimi ſupplicii pœnam Monopoliſtis ſtatuit. ibid.
Mons Palatinus quare Lupercal dictus. 276.277
Monymam Mithridatis uxorem illo deuicto detracta mitra quam capite

geſtabat, & collo circumdato ſuſpendio vitam finire voluiſſe author eſt Plutarchus in vita Luculli. 981
Mortuos extra vrbem ſepelire mos non ſolum veteribus Romanis proprius fuit ſed etiã à Græcis in vſum traductus 550
Hinc ex Darete Phrygio habemus Priamum Ilienſium ſeu Troianorum Regem Hectoris cadauer ſuorum more ante Portas Ciuitatis ſepeliiſſe ibidem
Mos veterum fuit nõ illaudatus in ſternutamentis (quemadmodum & hodie) ſalutem precari 322.323
Vt & in epiſtolis ibid.
Vide de Tiberio Cæſare ibi factum memorabile de Rhodiis magiſtratibus. eadem
Moſcouitarum, & Rhutenorum mos in hoſpitibus mutuo oſculo excipiendis 575
Mulier, quæ euitandæ pœnæ adulterii gratia lenocinium facit, aut operas ſuas Scenę locauit, adulterii accuſari damnarique Senatuſconſulto poterat antiqua memoria Maiorum, Papiniano atteſtante 778.779
Mulier Romanis priſcis moribus ſui iuris non erat, ſed ſub perpetua tutela vel patris aut mariti, aut proximorum vel tutoris dati à Iudice 58
Mulierum nuditatem valde ſacrę literę deteſtantur 922.923
Mulieribus Græcorum omnium legibus ſacrorum interdictum erat, ne ſe Olympicis certaminibus ſpectandi gratia immiſcerent, cum non leui Romanę diſſolutionis nota 778. 779
Mulieres apud priſcos gẽtiles ſacerdotia exercuiſſe non eſt ambigendum 1006
Hinc Pollio hic Calphurniam appellat vniuiram ſacerdotem, pagina eadem
Mulieres etiam nobiles in publicis Ludis apud veteres Romanos operam ſuam feciſſe memoriæ proditum eſt 777
Mulieres pugnantes in Circo, vel Amphitheatro à Domitiano inductas pudore omni ſublato varii atteſtantur authores ead. 778.779
Mulieres vno matrimonio cõtentas corona pudicitiæ honoratas apud Romanos multorum matrimoniorum experientiam intemperantiæ cuiuſdam ſignum eſſe credentes author eſt Valerius Maximus, pagina 1060
Muliebrem ſexum Athletarum ſpectaculo penitus voluit Octauianus Cæſar ſubmotum p.
Mulus Centuriatus erat quod ſingulis cẽturiis ad onera fere[n]da aſſignatus eſſet 1025
Mulis potius quam equis antiqui in trahendis curribus, rhedis, carrucis carpentiſque vtebantur, pagina 720 721
Mullus piſcis Romanis Triglia reliquis Italiæ populis Barbone dictus non præteritionem, cum adſit oculata fides 1040
Magno in pretio erat veteribus Romanis ibid.
Mullus emptus ab Aſinio Celere viro Conſulari Claudii Imperatoris temporibus octo millibus nummum, quantæ olim fuerit æſtimationis ſat indicat 1040. & ſeq.
Natura paratus eſt vt raro bilibres rariſſime trilibris inueniatur 1041
Mullum tamen octoginta librarum in mari rubro captum Licinius Mutianus Plinio teſte prodidit 1041
Mullei calcei vnde ſic dicti fuerint antiquis ex Feſto 1040
Mulleos calceos fuiſſe calceamentorũ genus quibus Albani Reges primum deinde Patritii Romani vſi ſunt 1040
Municipes ciues ex Gellio quinam antiquis dicerentur eſſentq; Romanis & ſeq. 40.
Qui item Ciues Coloni, qui præterea Ciues ex præfecturis ibid
Munia vel officia Codicillaria quænã dicerentur 99.100
Munus gladiatorium non ſolum per Laniſtarum familias & mercede ad id conductas, exhibebatur, ſed etiam aliquando per captiuos, & voluntarios pugnatores 424
Muneralis lex quænam, & quare ſic dicta à Feſto 702.703
Muſicæ Choros apud veteres ex venalitius

tiis ſeruis conſtare ſolitos Iuriſtarum atteſtatione confirmatur 475

Muſices nimium ſtudium principibus viris indecorum exemplo Alexandri Magni à patre ob id reprehenſi, & Neronis Cæſaris iccirco Romanis exoſi oſtenditur, 522.523

Muſiua pictura quænã fuerit antiquis ſeu de Muſiuo, & quænam dicatur & ſit noſtris temporibus, 181. & ſeq.

Cur autem ſic appelletur, vide ibidem eadem 1090

Hinc Muſiuarii artifices, id eſt operum marmoreorum, ſeu de muſiuo dicti. ibidem

Muſiuorum operum ſpecies eſt Lithoſtraton hoc eſt pauimentum lapillis varii coloris ſtratum 1090

Myrmillones quinam erant gladiatores, vndeq; ſic appellati 618

Myrmillonum genus pugnæ à quo fuerit inuentum 618

Myrmillonibus gladiatorum fortiſſimis opponebantur Thraces 623

Myrmillones vt plurimum fuiſſe Gallos, vel ſaltem Gallicæ armaturæ genere munitos, 618

Fuere tamen, & aliarum nationum Myrmillones; de Aſiatico quodam meminit Cic. in Philippicis. ibid.

N

NATALIS dies Socratis à Ciuitate inter faſtos habitus, & luſtratus 551.552

Natalitia dare, pro ſoluere feſtum Natalis diei Cicero vſus eſt 551.552

Erant autem Natalitia conuiuia luxurioſa ad celebrandum Natalem diem peculiariter ſtructa ibid.

Sic & Natalia, pro celebritate diei Natalis obſeruamus ex Iuuenale Sat. 6. eadem

Natatio, & natandi vſus antiquiſſimus fuit Romanis exercitationis gratia, 895

Nationum omnis generis, & variarum populi integro iure Ciuium Romanorum donati enumerantur 413

Naues de cedris ſumptuoſe ad luxum fabrefecit Caligula laxitate magna continentes thermas, porticus triclinia & penſiles hortos, profuſa & ſtolida prodigalitate 627.608

Naues miræ magnitudinis obeliſcos ex Ægypto Romam aduehentes 60

Nauali victoria quod eſſet potitus Agrippa in Cilicia ab Octauiano fuit vexillo meriti ingẽtis cauſa cœruleo donatus potius quam alterius coloris 314.315

Nauicularius non ſolum pro Nauclero, vel nauis gubernatore ſumitur, ſed etiam pro exactore Vectigalis rerum quæ naui onerantur 1034 1035

Ædium locatorem etiam vocarunt Nauclerum Ammonius, & Heſychius, vt Naulum pro hoſpitii precio, ibidem

Naumachia à Claudio Cæſare in lacu Fucino inſtituta quot nauium claſſe conſtiterit, diuerſa diuerſorum opinione diſceptatur 165.166

Concilium doctiſſimi authoris video ibidem, vt & textus Taciti difficilis enodationem facilimam, & ſeq.

Nautas Veneta veſte induendos cur ſuadeat Vegetius 314.315

Nauticos funes Oras appellari ex Quinctiliano conſtat 1040

Nefaſti dies antiquis dicebantur in quibus non reddebatur ius nec fari licebat 193.194

Vt & faſti dicebantur in quibus licebat iudicia exercere, & Iudici illa tria verba effari Do, Dico, Addico, pagina eadem

Nefaſti dies littera N. apud veteres notabantur. ibid.

Nefaſti dies dicti quod iis Prætori fari non liceat, 644.645

Nefaſtos faſtoſque dies primus apud Romanos inſtituit Rex Numa Pompilius, 335.336

Nemeſin ſeu Adraſtiam Deam quomodo deſcripſerit Ammianus 204

Nemora antiquis Germanis & ſacra, & pro templis habita Tacitus de eorum motibus refert 547

Nemoribus pro templis antiquitus vtebantur Germani, Tacito authore 137

Nemorenſis Rex is dicebatur, qui Dianæ Aricinæ ſacrificiis præerat 249

Nemorenſe ex omnibus meliis ſpeciebus deterrimæ notæ, ex Columella 247.248

Nepotrum omnium altiſſimus gurges Apicius, Phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe docuit. 608
Neptunus non ſolum maris Deus, ſed etiam ipſum mare. 49
Neptuno epitheton ἐνοσιγαῖον à terræ concuſſione impoſitum, quod antiquorum opinione ſuperſtitioſa tridente ſuo non ſolum mare, ſed & terram moueret, concuteret atque abrumperet. 816
Neptunalia Neptuni ſacra fuêre appellata, quæ & ſalaria à ſalo dicta. 89
Neptunia à Neptuno dicta ea, quæ ad Neptunum ſeu mare ſpectant. 89
Neptuniæ aquæ quænam fuerint appellatæ, & cur ita dictæ 89
Nero Imperator Gladiatores concertátes adeo magna cum voluptate ſpectabat, vt ad refocillandum viſum acutioremque reddendum, ac robuſtiorem, per Smaragdi lucidum virorem intueretur 427
Neronis primi anni Agrippinæ matris præceptis, Burrhi, & Senecæ diſciplina exercitati 186
Neronis Cæſaris in Iſthmo Corinthiaco perfodiẽdo pertinax conatus quáuis irritus 243
Neronis Imperatoris in Romanos nobiles patritios Tyrannis infamia eorundem ſtudioſe procurata 692.693 & ſeq.
Neronem Caluum Domitianum crudelem, & ſæuum Pop. Rom. eidẽ malè dicens appellabat caluiciei turpitudine præcipue obiecta 760.761
Nicolai Perotti error ab authore detectus 629
Nicopolis Vrbs victoriæ ciuitas dicta ab Auguſto in Epiro ſita apud Actiũ promontorium, quod Antonium ibi & Cleopatram bello nauali ſuperarit 301.302
Plures eius nominis vrbes enumerantur ibid.
Niues apud Armenios aliquando conſpici rubentes, eo quod loca illa minio ſcateant ex Homeri interprete Euſtachio colligitur 605
Nomen delegare vſurpatur apud Iuriſconſultos pro aſſignare debitorem alium qui pro te ſoluat 769
Nomen facere Iuriſtis eſt in tabulas referre, quod actui debeatur, & debitũ in ſe contrahere, & ſe debitorem conſtituere 902
Nomen pro obligatione, & debito Ciceroni, & probatis authoribus frequentiſſimum & ſeq. 59
Sic nomen bonum pro bonæ fidei debitore & qui ſoluendo ſit, eſt apud Iuriſconſul. ibidem
Sic etiam Ciceroni nomina exigere in Verrinis ibid.
Econtra nomina deteriora peiora ve dicuntur, quorum difficilis eſt exactio, quique bonis facultatibusque lapſi non ſoluendo facti ſunt, eadem 560
Nomenclatores principum ſeruitiis ad dicti, quo munere olim fungerentur 678.679
Erant & Nomenclatores, qui candidatis, & petitoribus in Comitiis operam ſuam præſtabant. ibid.
Nominatores alii à Nomenclatoribus ſunt Iuriſconſultis ſententia authoris contra aliorum opinionem 680
Notis ſcribere, quid ſit, & quam vatie accipiatur 776
Hinc Notarii dicti à notis ibid.
Notarii à notis quibus compendioſe ſcribebant notarii dicti 847.848
Notarii militares, quinam dicti p. & ſeq. 847.848
Nouerca dicta quaſi noua arca licet potius quaſi να ἀρχὴ quod eſt noua princeps 121
Nouercale odium prouerbiali locutione dicitur, & pro inſigni malo Nouerca 121
Nouitii ſerui veteratoribus oppoſiti à Iuriſconſultis, quinam eſſent 428 429
Nubere iterato apud Veteres Regem & Pontificem maximum nefas erat. 155
Nucum ludum pueris antiquitus fuiſſe frequentiſſimum Catulli teſtimonio oſtenditur 520
Numa Pompilius duobus ſeculis quod eſt annis bis centum Pythagoram antecesserit 525
Numa Pompilius Rom. Rex Veſtales à poteſtate paretũ cõſanguineorũ tutorũque cũ reliquis omnib. apud Rom. mulierib. ſui iuris non exiſtentibus exemit.

exemit. 152.153

Numa veteribus Romanis tres Flamines conſtituit Flaminem aſſiduum Ioui unum: alterum Marti: tertium Quirino. 269

Numam Romanorum Regem condendæ Religionis pop. Romano authorẽ præceptoremq; fuiſſe atque Religioſiſſimum habitum & vocatũ ſemper ex Liuio & Plutarcho colligere licet, 94

Numerum priſcis innumeram fuiſſe farraginem Auguſtini authoritate confirmatur. 114.115

Numerus ternarius in Magiſtratu, nec deficiens nec abundans videtur. 369

Numeri in re militari appellantur militum ordines, ſeu cætus, puta Cohortes, Centuriæ, Turmæ, Legiones, & alia huiuſmodi 831.

Hinc milites nondum in numeros relatos dicimus quum delecti quidem ſunt, nondum tamẽ in ſuos ordines deſcripti 831.

Numerarii quinam Iuriſcõſultis dicantur, & quod eorum munus. 823

Qui item ſupernumerarii. 824.

Numidia Africæ prouincia nil memorandum P.R. dedit præter Marmora, & ferarum copiam. 286.

Auium tamen Numidicarum multæ æſtimationis meminit Plinius. ibid.

Numidicos vrſos in Ædilitiæ dignitatis adeptione quot numero in Circo Romanis exhibuerit Domitius Ænobarbus 286.

Numidicas gallinas putat author eſſe nobis eas quæ Alexandria ad nos transferuntur, Venetiiſq; Pharaonis Gallinæ vocantur 608

Numiſmatis probãdi vt ludus ſeu ſchola Romæ inſtitueretur cauſa fuere. nummi expenſibilis adulteri, & falſificatores 1045.1046

Numus adulterinus vt multa alia pop. Rom. dabatur Antonino Caracalla Imperatore. 1042.1043

Nummus aſper à veteribus quiſnam fuerit dictus 736

Nummi vſum fuiſſe antiquiſſimum & à Caino inuentam fuiſſe pecuniam Ioſephus in antiquitatum ſuarum lib.1. author eſt 500. 501

Numum appellationem ſumpſiſſe à Numa Pompilio qui primus apud Romanos, ex ære & ferro nummum percuſſit cum antea coriaceis, oſtreaceis & ſcorteis vterentur, inſulſe ineptequę dictum aſſeruit Diuus Hieronymus. 500.501

Nummum apud Athenienſes primus adulterauit quidam Hippius. 1042. 1043.

Nummi antiquorum Regia effigie cuſi, vt memoria gentilitatis repararetur, 508.509.

Peregrini nummi qui dicti quondam 508.509.

Nummi apud veteres Romanos triplicis materiæ, æris nimirum, argenti & auri. 502.503

Nummi aſpri alti à Serratis contra Frãc. Hotom. 736.

Nummi ex auro obryzo & argento puſtulato quod eſt ex optima materia fabrefacti dicti. 736.&ſeq.

Nummorum apud veteres Rom. põdus & valor varia fuere. 207.

Numõrum materia adulteratur tincturis quæ imitatur veri metalli colorem, minuitur raſione 1042.1043

Nummis nouis, & recenter cuſis Turcæ delectantur 736

Nummos argenteos qui adulterinos conflauerit, & in aurum vitii quid addiderit, lege Cornelia eum teneri falſi apud Romanos quondam cautum fuit 1042.1043

Nummos probandi Magiſter Iuriſconſultis vel libripens, vocatur zegoſtates 1042.1043

Nummos ſeu pecuniã per initia Romanis ex probo argento cuſos ex Plinio conſtat 1042.1043

Æris autem primam partem miſcuit Liuius Druſus in Tribunatu plebis, indeque cępit puritas argenti corrumpi ibid.

Ferrũ miſcuit deinde denario Triumuir Antonius ibid.

Nummarii iudices qui, Nummariumque quod eſſet iudicium, quæve numaria cauſa, & nummarium tribunal, vide 789.&ſeq.

Nummerii Sacerdotes, Nummariique iudices lucri auidi, & pecuniæ accumulandæ ſtudentes dicebantur 790

Nummarios Iudices Romani decemuiralibus legibus hoc eſt conuictos ob rem iudicandam pecunias accepiſſe, capite plecti iubebant 790

Nummaria in re an ſint Synonima, vt voluit Alciatus Argentarius, Campſor, Collybiſta, Menſarius, Numularius, & Trapezita 1047

Nundinæ ſeu celebre emptionis genus negotiatio ſeu mercatus quo tempore primũ apud Romanos, & Græcos cępere, 644. 645

Nundinæ veterum genus nomen noſtris dedere mercatorum congreſſibus ſeu mercatis (vulgo fiere appellantur) qui ſtatutis temporibus aliquo in loco immunes à vectigalibus celebrantur 646

Nundinæ quomodo à Mercatu differant 646

Nundinarum diebus, vel Comitialibus Senatus vt haberi non poterat, ita nec diebus ſanguinis, hoc eſt in quibus imolabatur, & ſacra Magnæ matri Deorum fiebant 1010

Nundinarum ius à Conſulibus, & Senatu peti ſolebat, & quidem à Cõſulibus, tanquam iis qui caput erant Senatus & principes viri eiuſdem, 649

Nundinis Comitia haberi non licebat apud Romanos ne plebs ruſtica auocaretur 664

Nundinis domeſticis Antonii vectigalia pop. Romani diminuta fuiſſe ſecũda Philippica conqueritur Cic. 646

Nundinas antiquitus alias publicas fuiſſe, quæ ſcilicet in vrbe, vel oppido aliquo habebantur qualium Cic. meminit Capuæ haberi ſolitatũ, alias priuatas, quæ in agris priuatorum exercebantur quales Claudius Cæſar à Senatu impetrauit 646

Nundinas feriatum diem volebant eſſe antiqui 644. 645

Nundinas frequentantibus, & ad eaſdẽ concurrentibus multa priuilegia cõceſſere Valens, & Valentinianus Cęſares 646

Nundinas Iouis ferias eſſe, ſiquidem Flaminica omnibus nundinis in Regia Ioui Arietem ſolebat immolare, ſcripſit Caius Licianus 644. 645

Nuptiæ minus legitimę veteribus Romanis erant, vbi pater, & mater peregrini erant 404

Nuptias vſu, coemptione, & confarreatione quomodo à priſcis apud Romanos contrahebantur 152 153 & ſeq.

Nuptiarum reiteratio vel ſecunde nuptie tam Pontificio quam Cæſareo noſtro iuri ſunt exoſæ, adde & Gentilium legibus 1007. 1008

Nuptias olim Veteres Romani tribus modis contrahebant & quibus 152 153 & ſeq.

Nuptias ſecundas vel repetitas quare Canonica iura à Sacerdote benedici vetent 1006

Nuptias ſecundas ineuntes mulieres quibus pœnis mulctet ius Cæſareum 1007 1008

Nymphis deabus Lympharum, Montium Syluarum, Speluncarum, Antrorum loca ſacra olim 924. 925

Nymphas quare mulieres dictas velit Celius Rhodiginus 922. 923

Nymphea quid proprie fuerint Romanis contra aliorum multorum opiniones 922. 923

O

OBELISCI ex Ægypto Romã nauigiis miræ magnitudinis aduecti 60

Obryzum aurum quodnam ſit, & dicatur 739

Obſoleta nimis antiqua vocat, & reprobat Cicero in Actionibus Verrinis 528. 529

Oceani variam acceptionem vid. 967

Oculis anima inhabitat, hinc morum humanorum indices ſunt 567

Ocellum oculi diminutiuum eſt 518 519

Ocellatæ nuces quęnam dictæ Suetonio 517. & p. ſeq

Occidere veneno plus eſt quam gladio necare 341

Et veneno aliquem è medio tollentes Lege Cornelia de ſicariis plectebantur ibid.

Odæum à Domitiano Imperatore fabrefactum Romæ erat in quo Muſicorum chori, & Poetarum recitationes, & commiſſiones Muſicæ populo

Io edebantur; Quod vnicum inter cætera magnæ molis quæ Romæ videbantur, admiratus eſt Conſtantinus, vt Ammianus teſtatur 812

Odia Vatiniana iure merito Tacitus quo Liuia Druſum proſequebatur nouercalia appellauit 122

Oenanthe[illegible]n vnguentum in Cypro maxime laudatum ſummeq; odoratum quomodo conficiatur, ex Plinio vide 948

Oeſtrum inſecti genus illud volatile eſt Apibus perſimile, vulgo dictū Aſellum, quo addito Iuno vaccam Ino ſimulaſſe ac in furorem vertiſſe fabulata eſt antiquitas 854

Accipitur pro punctione ſeu ſtimulo, & irritamento p ead.

Oeſtrum pro furore accipiunt à Græcis Latini, ſicq; Oeſtrum furorem poeticum Statius appellauit 852 853

Officia vel munia Codicillaria quęnam dicerentur 988

Officiorum magiſter is dicebatur qui Aulicorum cauſas diſceptabat, & cognoſcebat, illiſq; ius dicebat 824

Olympici ludi quales, & quo quantoq; tempore, & à quibus celebrari ſoliti, 461

Quando & à quo primum Romam traducti ibid.

Olympiaci ludi quinquennales apud Græcos celeberrimi ſingulo quinquennio reperebantur, quod tēporis interſtitium, iidem Olympiadem appellauere 299

Omen triſtis euentus pullarius auruſpex proferebat pullis oblato cibo vel offæ è cauea exire renuentibus, aut exeuntibus oblata non attingētibus 21

Onera coloſſica dixit doctiſſimus Budæus metaphorice quæ magnæ molis ſunt 930.931

Ophyr Inſula laudatiſſimum aurum largitur, hinc optimum, & expurgatiſſimum aurum ophyrizum dictum 736

Opera aliquando ædificia dicta tam publica quam priuata Græcis ἔργα 367.368

Opere ſeu operis apud Latinos multæ obſeruantur ſignificationes, & quo modo hoc loco accipiantur 367.368

Operæ campeſtres dicti antiquis qui in Campo Martio in Comitiis operam ſuam præſtabant, inter quos erant Diuiſores, quos & Diribitores vocatos nequaquam dubitat author 649.

Operæ Iuriſconſultis duplici differētia partitæ, aliæ officiales, aliæ vero artificiales dictæ 367.368

Oppida multa à vicinis aquis denominata 89

Optio maſculini generis dici ſolet qui muneris alicuius militaris adminiſtrandi vices gerit, quem alii vicariū, ſeu vices gerentem vulgo locum tenentem appellant 191

Orarium quid fuerit veteribus Romanis 1021

Oratio putatiſſima pro expurgatiſſima vſurpauit Cicero 739

Orcheſtra quinam locus fuerit in Theatro apud veteres Romanos 264.265

Popularibus is locus non patebat, ſed Senatoribus principibuſq; viris ibidem

Vnde dicta Orcheſtra ex Vitruuio ibidem

Orcheſtræ locus podium appellatum Imperatoribus, & Conſulibus erat deſtinatus 266

Ordines magiſtratus petendi quinam eſſent apud Veteres Romanos 987

Ordines in exercitu Alexandri Seueri nemo niſi Sexagenarius duxit 757 758

Ortus filiorum diem veteres Romani cur in actis publicis profiterentur 553

Oſcum ſerpentem dixere Hetruſci vnde Oſci populi à Rege Oſco ſic dicti qui ſerpentis inſigne gerebat 52.53

Oſci ludi quinam, & quales fuerint 53

Oſci populi Latii in Campania, vnde & à quibus oſcenſe argentum dictum 52

Oſcis populis deletis Latina gens immiſſa Latio nouo nomen dedit 53

Oſcenſe argentum qualenam fuerit veteribus Romanis 52

Oſceaſos nummos, & oſcenſe argentū

vnde vere proprieque denominare debeamus, authoris ſententia, 53. 54
Oſcina auis nomen dedit Oſcenſi argento inſculpta effigie eiuſdem nūmo argenteo 53
Oſculum, ſuauium, & baſium inter ſe diſtinguuntur 573. 574
Oſculum officiorum eſt: Baſium pudicorum affectuum, ſuauium libidinum, nonnullorum diſtinctione licet authori nonprobata 573. 574
Confundi hæc inter ſe authoritate Ciceronis oſtenditur ibid.
Oſculi genus ridiculum Græcis χύτρα dictum, quodnam & quale 576. 577
Oſculū mulieri quondam in vrbe quę famoſa erat, cognati minime deferebant 677
Oſculum mulieribus datum in ſacra Geneſi obſeruare licet 677
Oſculum mulieribus apud Italos, & Hiſpanos dare niſi maritis vxoribus, & patribus filiabus, ſumme vetitum, ita quidem vt adulterii arguatur doteque apud eos priuanda iudicetur quæ aliis oſcula quam prædictis communicarit: in Gallia, & Belgio alia eſt conſuetudo. 677
Oſculo honoris venerationiſque cauſa Traianus Imperator Senatum Romanum excepit & dimiſit 575
Oſcula ſalutationis & honoris gratia veteres Romani licet ſe mutuo exciperent, non tamen oſcula eum mulieribus promiſcua erant. 676. & ſeq.
Oſculo tamen frontem conſanguineorum virorum mulieribus delibare, & viris mulierum fuiſſe conſuetum, Plutarchus in Romulo teſtatum reliquit ibid. & 677
Oſculo autem os mulierum vt coniungerent viri cognati, Cato author fuit Cenſorius, cuius decreto vini vſus fœminis erat ademptus, quo facilius ſi temetum bibiſſent, halitus odore explorare poſſent ibidem. 677
Oſculo quod vxotem filia præſente ſuauiaſſet Manlius coniunx Senatu motus à Cenſorio Catone ſummi viro exempli 572. 575
Idem Cato nunquam niſi tonaret à ſua vxore oſculum paſſus ibid.
Oſculorum apud Megarenſes Veteres puerile certamen præmio Corolla, rum victori propoſito vide 576. 577
Oſcula Numidarum Reges more ſuæ gentis nulli mortalium ferebant, 576. 577
Oſcula quotidiana cur prohibuerit Tyberius Imperator ibid.
Romanis quōdam à Diuo Paulo Apoſtolo in prima ad eoſdem epiſtola exprobrata ibid.
Oſcula & Suauia Græcis maximo & celebri vſu comprobrata 576. 577
Oſculationem vel deoſculationem Hebræi iuxta linguæ ſuæ proprietatem pro veneratione ponunt 573. 574
Oſculari in diſceſſu, & regreſſu cognatos affines, beneuoloſq; quam fuerit mos vetuſtus author eſt Xenophon in Ciripedia 575
Oſtenſionales milites erant qui ad oſtentationem tantum inſtructi habebantur ex Ignatii interpretatione, & Cęlii ab oſtento verbo, vnde oſtentatario ſiue iactantia dicta 971
Oſtenſionales milites author potius oſtendo non ab oſtento dictos, quod ſtrenui eſſent vultum hoſtibus oſtendentes, & nequaquam tergauertentes 971
Oſtiatim pro nominatim, ac ſingulatim vſus eſt Cicero in actionibus Verrinis 1064
Otho Imperator libidinoſiſſimus infami & mutuo ſtuprę cū Nerone pariter libidinoſiſſimo cōmixtus, nō iniuria turpiſſimam caluitiem paſſus eſt 762
Oues puſulatæ dictę quod morbo ſacro laborarent, puſtulato vel puſulato vocitato 737. 738
Oua Circenſium curriculorum cuius vſus fuerint 97. & 98
Ouatio cum triumpho pluries à Dione hiſtorico confuſa 570
Ouatio qua de cauſa quaue triūphus à Romanis olim decernebatur 568. 569
Ouationē apud Romanos veteres quis primus fuerit aſſecutus. 570

Ouans

Ouis vrbem ingreſſus redux è bello Tigranis Tiberius cur inſignib. triumphantium vſus fuerit 570
Oxypedertinæ veſtes eſtrvarii coloris quas vulgo miſchias Itali appellant 1036.& ſeq.

P.

PÆdagogia Iuriſconſultis eſt ſeruorum puerorum cætus 719
Hos in aulis principum noſtrates paggios corrupta voce quaſi pædagogianos diceres,exiſtimat author. ibid.
Quos & Caſtrenſes pueros ſeu miniſtros vocatos monnulli arbitrati ſunt ibid.
Pædagogium locum in quo huiuſmodi pueri verſantur, vocauit Plutarchus in Pompeio ibid.
Pædagogianos pueros nobiles appellatos qui principibus viris inſeruiunt, eiſque etiam ſunt in delitiis, nemini eſt ignotum 860.861
Horum cætus Pædagogia dictus eſt à Seneca ibid.
Continebantur autem Pædagogiani ſub Caſtrenſianis & miniſterianis aulicis ſacro Imperatoris miniſterio deputatis ibid.
Pædagogiani Caſtrenſes vocantur à Lãpridio in Alexandro, & erant ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Caſtrenſis Sacri palatii. ibid.
Paganus, dictio hæc, varia ſignificata apud Latinos obtinet 316
Paganus à Iuriſtis opponitur militi, & pro eo qui omnino militiæ ſacramẽto non tenetur 317
Paganus etiam alia acceptione nominis apud Eccleſiaſticos ſcriptores ſumitur pro eo qui Chriſti pietatem nõ colit, quia Chriſti non ſunt milites 318.319
Pagana lex, pagana fercula ſimiliter à pago deriuata 317
Paganalia feſta à pago dicta Id eſt ruſticorum in pagis commorati ſolitorũ. 316
Pallaca ea dicitur proprie quæ cum cœlibe conſueſcit, vt pellex quæ cum vxorato rem habet. ibid.
Pallacem Iuriſconſulti dixere eam quæ in domo vxoris loco ſine iuſtis nuptiis eſt, & iniuſta vxor appellatur à Iuriſconſulto in l.ſi vxor, §. ſed ſi ea ſit 773
Palatinus mons quare Lupercal dictus 276.277
Ad pallium reuerti prouerbiali locutione de eo dicitur, qui ad priuatam vitam & ſtudia philoſophiæ à publicis functionib. regreditur 836.837
Pallium Græcorum proprium vt Toga Romanorum indumentum fuit, & præſertim philoſophorum 836.837
Palliati Græci quare dicti, & quare palliatæ Comœdiæ, & quænam illæ, 836.837
Pallio philoſophos veſtiri ſolitos antiquorum temporib. teſtis eſt Gellius 622
Palliatæ fabulæ quænam dictæ fuerint quæue togatæ,& quare 434.435
Paludamentum Imperatorium erat veterib. indumentum 253.254
Aliis etiam qui bellis cum Imperio præerant vſitatum ibid.
Erant & Lictores paludati. ibid.
Et paludatos Duces dixit Iuuenalis ibidem.
Et omnia ornamenta militaria etiam legimus paludamenta dici ibid.ſeq.
Fuit & muliebris veſtis ibid.
Paludamentum Imperatorium militare veſtimentum vt plurimum purpureum erat 253.254
Quamuis & aureum & album & pullũ fuerit aliquando ibid.
Paludamentum veſtem Imperatoriam, dixit Cæſar, Plutarchus Prætoriam Dion Militarem 224 225
Pani Arcadiæ Deo Lupercalia fiebant ſacra quod lupos non fineret in [illegible]es ſæuire 276.277
Pani Arcadiæ Deo Lyceus mons cur cõſecratus 276.277
Pan Deum vt omnium authorem [illegible] coluit Priſcorum ſuperſtitione plena vanitas 1022
Panarchi quinam dicti Iuſtiniano in Nouellis Conſtitutionib. 317
Panathenæa in honorem Mineruæ Athenis celebrari ſolita ſingulo quinto anno authores multi atteſtantur, 299
Quamuis Suidas duas Panathenæorum

feſtiuitates fuiſſe tradit, alteram anniuerſariam, alteram quinquennalē ibid.
Pando Latinis idem eſt, quod incuruo, vnde Carinæ pandæ, quod naues incuruæ ſint. 959
Pandatio, idem quod in cauum curuatio ibid.
Sic a Vitruuio dictę Arbores pandatæ quæ in ædificiis curuantur ibid.
Pandariſtis eſt, qui panduro hoc inſtrumento ſcil. muſico vtitur, qui & panduros dicitur ibid.
Pandati etiam dicuntur, qui onerib. nimiis ſuccumbentes incuruantur ibidem
Pandurizare eſt illud inſtrumentum pulſare ibid.
Pandorum quale fuerit muſicum inſtrumentum 959
Pantagati, qui ſint, quidue pantalauon, quid etiam panthicon, panoratiuum, panurgium panagatos, panagios vide 932
Panthera Iuriſconſultis non ſolum animal illud variis coloribus maculoſum Africæ familiare ſignificat, ſed & retis & aucupii quoddam genus 105
Pantheras Africanas in Italiam aduehi, veterum olim Senatuſconſulto 105
Sed Ludorum cauſa Circenſium aduehi permiſſum Tribunitia Cn. Aufidii rogatione ibid.
Quis eas primus populo ſpectandas, & quot numero præbuerit ibid.
Pantherium genus vocauit Plautus homines ingenii inconſtantis, & varii 105
Pantherinæ Menſæ ſic dictæ, quod inſtar pantherarum verſicolorium & variorum ciborum eſſent appoſitorum varietate inſignes 105
Pantomimi licet inter hiſtriones connumerari poſſint, non tamen inter ſcenicos hiſtriones reponendi 437. 438
Pantomimi veterib. erant, qui omnium perſonas in Scena hiſtrionice imitabantur, quiq; perſonas per ſingulorum actuum ſimulationes oſtendebant, & effingebant 436
Horum excellentiſſimus Claudii Imperio fuit quidam Mneſter ibid.
Pantomimorum ars adeo Tiberio Imperatori exoſa fuit ac diſplicuit, vt Roma pantomimos eiecerit 436
Scribit etiam Tacitus eundem ſanxiſſe ne domos pantomimorum Senator intraret 436
Nero præterea eorum factiones vna cũ ipſis relegauit 437. 438
Hos, & Traianus Imperator abegit. ibid.
Pantomimorum, & hiſtrionum ſcenicorum, quæ ſtatuatur differentia 437 438
Papia lege vxorem ducentibus præmia conſtituta 704
Papiriæ leges variæ, & multiplices enumeratæ 18. 19. 20
Paragauda veſtis eſt genus, cuius mentionem facit Iuriſconſulti. l. prima, & ſecunda, C. de veſtibus olober & aurat. lib. 11. 1017
Turnebo quid fuerit quidue Alciato, & tandem oculatiſſimo authori. ibidem
Huius & mentio fit à Vopiſco inquiente: Interulas paragaudas duas. ibid. & ſeq.
Tranſlatum & ad alias veſtes non ambigendum. ibid. 1018. 1019
Erant paragaudæ varicolores etiam monolores namq; dilores, trilores & pentalores ibid.
Nominis huius rationem videatis ibidem
Parricidarum pœna quænã fuerit olim vide 745
Parilia quid ſint, & qua de cauſa inſtituta, & quando à Romanis veteribus celebrari conſueta 1048. 1049
Parotidę à Medicis vocantur tumores poſt aures aut ſub auribus, quæ ſi nõ recte tractentur ſæpe mortem afferunt
Pariliter aduerbio vſus eſt Cœlius Rhodiginus quo dixit genituram cognoſco 804
Parthumeius venter Horatio erat ſumma cum facilitate parturiens, ac ſi fętum meieret 804
Partula Dea dicta antiquis quod puerperiis præeſſet 804
Patauini in Venetia Italiæ regione locati Liuio authore 79
Pater patratus quiſnam priſcis Latinis fuerit appellatus 1
A Feciali is creabatur Fecialibus licet præ-

præficeretur ibid.
Cur ſic dictus ibid.
Patres quare appellati Senatores Romani 1
Patres familias antiquitus Domini, vt contumeliæ ſeruorum tollerentur dicti fuere 454
Patena vaſis genus erat quo dapes iurulentæ menſis inferri ſolebant 1015
De hac plenius multa, & mira tradita videat curioſus lector ibid.
Patenam inſignem maximi & ingentis pretii fercula continentem Clodii Æſopi tragici Hiſtrionis fuiſſe, refert Plinius 1015.1016
Nota eſt & Domitiani patina in qua Rhombus immenſæ magnitudinis integer condiendus erat ibid.
Patera vas patens,& ad bibendum quoque aptum,patens, & latum quaſi patula dicta 1014
In ſacrificiis & libationibus potiſſimum vſi hac ſunt antiqui ibid.
Patera vinum in ſacrificiis libabatur Diis Gentilium, vt in patella iiſdem epulæ apponebantur & rhuribulo thus adolebatur ibid.
Patrocinia, vt tenuioribus gratuita præſtarentur lege Titia cautum fuit,702 703
Patronus libertum ingratum,ac contumacem in ſeruitutem poterat reuocare 197.198
Patrono egenti ad alimentorum præſtationem tenebatur libertus 197. 198
Pauire eſt vſque ad ſatietatem aliquem paſcere 942.943
Heliogabalus maxime prodigus, & ſumme libidinoſus Imperator anſerum iecinoribus canes pauit, pſittacis atque faſanis, Leones atque animalia, murenarum lactibus,& Luporum in locis mediterraneis ruſticos ibid.
Pauire etiam & quidem communiori ſignificatu ponitur pro ferire, percutere,tundere.ibid. 859
P.Manutius doctiſſimus lapſus errorisne admiſſi notatus 595
Pauſam hoc loco apud Spartianum ſellam ſignificare in qua Sacerdotes & ſacra facientes ſedentes quieſcerent ſignificari iudicat author 1095.1096
Pauſam etiam Deum apud Arnobium obſeruamus, cũ ſcilicet,qui pauſam afferre & quietem ſcil. bellis aduerſarium, & Bellonę poteſtati repugnantem ibid.
Pauſa etiam Muſicis eſt quietis intermedium in canendo ibid.
Pecunia ærosa dicta ſubærata, quæ aurea,vel argentea videtur, & habet in ſe æris plurimum 1047
Pecunia attributa, quænam proprie olim dicebatur ex Budæo 111. 112
Pecuniæ attributæ, & vectigalis differentiam male poſuit Sigonius iudice authore 110.& ſeq.
Pecuniæ publicæ ærarii, & fiſci nomine comprehenduntur 130
Differunt tamen, & quomodo ex Budæo ibid.
Quamuis aliquando confundantur ibidem
Pecunias in exercitu degentes milites priuati apud ſigna Aquilaſque deponebant 131.132
Pecunias militares ad ſigna militaria deponi ſolitas duplici potiſſimum de cauſa Liuius author eſt 786
Pedanei Iudices Iuriſconſultis dicti, qui viliora,& humiliora minimique momenti negotia iudicant 149. 150
Pedarii Senatores ii dicebantur, qui nõ à Cenſoribus in Senatum allecti eſſent 148.& ſeq.
Pedarii Senatores Agipedes cur à Lucillio appellati 149.150
Pedeſtres copiæ Romanis veterib. præſtantiores, validiores maioriſq; roboris erant equeſtribus,teſte Plutarcho in Fabio Maximo 385.386
Pederaſtia Græcis, Latinis eſt amor in puetos laſciuus,& Pederaſtis puerorum amator 719
Pegmates, qui antiquis, quę item pegmata iiſdem 612.& 615
Pellicis pœna, & multa ex legibus antiquis Numæ hęc erat: Pellex Ædem Iunonis non tangito, ſi tangit, Iunoni crinibus demiſſis agnum fœminã cędito
Peloria feſta Theſſalorum eadem cum Romanorum Saturnaliis fuiſſe Athenæus teſtis eſt 633

Peju-

Pelusiotæ inter omnes Ægyptios superſtitioſiſſimi cæpas non commedebant quod ſolæ ex cunctis oleribus contra Lunæ incrementa & decrementa vires augẽdi, & diminuendi habeant contrarias 895
Peplum veſtis genus ſolemne antiquis fuiſſe non modo fœminis, ſed & viris commune, exemplis authoritatibuſque comprobatur 998.999
Fuit etiam Deorum indumentum, vel Dearum, præcipue autem Mineruæ Plutarchi authoritate ibid. & ſeq.
Peplum pictum in magnis Panathenæis in arce ſuſpendi Athenis ſolitum author eſt Plato 1001.1002
Ad quod pertinet illud Cic. ad Atticum peplographiam Varronis tibi probari non moleſte fero ibid.
Perfectiſſimus vere is, qui omnes virtutis gradus impleuerit ex Lactantio Firmano 539
Perfectiſſimatus dignitas, quænã erat, quo gradu conſtitutus inter dignitates, quibus poterat conferri, quiue ab ea excluderentur, qui etiam præſidum prouinciarum dignitatis honore fouerentur 827
Perſugus, & fugitiuus vnum idemq; an ſint an vero ſignificatione differãt 49
Perfugarum quinam emanſores & remanſores dicti 50.51
Pergula quid eſſet antiquis, & vnde dicta 538. & ſeq.
Quid item pergulanus adiectiue dictum ibid.
Quid præterea pergulæ magiſtrales, & cur ita dictę 539
Periſtyllum quid ſit, cuius vſus, vnde deductum, quid item Epiſtyllium, Tettaſtyllion, Decaſtyllion, & Picnoſtyllium 919.920
Perſę Ruſſeis ſeu ruſſis in bello cur vſi fuerint indumentis 904.905
Perſas in feſtis cubantes cibos aſſumpſiſſe antiquitus, tradidere Herodotus libro 12.13. & Plutarchus in Apophtegm. Pauſaniæ & Cleombroti 495
Perſica Campana præ reliquis maxima fuiſſe, & ſapidiſſima ex Plinio colligere licet 907
Perſonaie aliis capitale dicebarur, ſeu C pitatio, & quare ibid.
Pertinaci cur nomen Heluius Succeſſus pater filio indiderit, qui poſtea Imperator fuit 896.897
Pertinacem Imperatorem quare Chreſtologum appellarint antiqui, vide 674 675
Peruigilium quodnam diceretur apud antiquos, & quid eſſet peruigilium agere 629
Huius, & noſtris temporib. hilaritatis gratia retentus vſus. ibid.
Phalerę non tantum equorum ſunt ornamenta, vt recentiores plurimi (inter quos Aldus Manutius in ſuis quæſitis) tradiderunt, ſed etiam hominum ſunt 722
Vide de hoc ibid. varias probatorum virorum authoritates ibid.
Phaleris donatos Equites victores ſcribit à Cn. Calphurnio Plinius 722
Phaleras aliquando ex indignatione & annulos Equites Romani in Comitiis deponebant 722
Philippides Poeta in certamine Poetarum Quinquennalibus Ludis victor renũciatus præ gaudio extinctus eſt 299
E diuerſo Athenis ad Theſei ſepulchrũ celebratis his Ludis ad quos eloquẽtiſſimi ex omni Græcia confluxere, inter quos Æſchilus à Sophocle victus mærore occubuit ibid.
Philopones ſunt induſtrioſi, ac laboris amici 1061
Phœnicis auis hiſtoria verane an fabuloſa ſit 164
De eius apparitione in Ægypto varii varia ſcripſere authores ibid.
Authoris de hac re opinio ibid.
Phœnicopteri linguã præcipui ſaporis eſſe Apicius docuit Nepotum omniũ altiſſimus gurges 608
Phœnicopteros author nobis eſſe putat Pſittacos illos magnos, qui ad nos ex Indiis adferuntur 608
Phonaſcus quiſnam diceretur antiquis & quodnam eius munus 711.
Phonaſcia vocis formandæ ars erat antiquis, & phonaſci formandæ, moderandæ, & regendæ magiſtri dicebantur 522.523
Qui hodie Muſices magiſtri ſeu præfecti,

ĉti, vulgo magiſtri Capellæ appellantur ibid.

Pictarium quid ſit, quid picten, quid demum pictarioſa 963

Pilentum vehiculi genus erat quo Matronæ Romanæ vehebantur, Carpento ignobilius 933

Plagum, ſtragulum, & tapetia confundit erronee licet Budæus, authoris ſententia 75 76

Plagulæ quidnam ſint Liuio 75.76

Plotius Lugdunenſis Gallus Ciceronis, Quincti Fratris in Latinis literis Doctor 215

Plumarius quid ſit, & plumandi ars, diuerſa eſt authorum ſententia vide 1067.1068

Quid de hac re exiſtimet author noſter vide 1069

Plumbata antiquis fuit iacula genus duplicis ſpeciei, diuerſique vſus 1089

Plumbatæ ſunt verbera cum plumbo facta, quibus certis criminibus ſontes cædebantur 1089

Plumbatarum apud ſcriptores duas ſpecies obſeruamus quarum altera ſupplicium eſt, altera vero telum bellicū 1087.1088

Pluteum, quid Suetonio Cap. 26. in Caligula 608

Et quid plutei hodie proprio ſignificatu ſint 606

Quid item veteribus Iuriſconſultis. ibidem.

Ciceroni etiam quid ſigilla Plutealia. ibidem.

Polenta, & polentarum inter eſculenta reponuntur non inter poculenta, ideo male huic loco accommodata à Cœlio, & Egnatio 940

Pollentia Dea cuius ſtatua à Romanis in Circo poſita 87.88

Idem quod potentia ſignificat. ibid.

Polidori Virgilii Vrbinatis defectus error 178.179

Polygamiam licet Chriſtiana religio nō prohibeat, nihilominus in Concilio Neocæſarienſi pœnitentia ſæpe nubentibus iniungitur. 1006

Pollinctores e Libitinari familia erant, qui mortuos lauabant, vngebant, & curabant 1007. 1008

Pompalis vox noua eſt non alibi obſeruata, à pompa formata, ſicuti enim à triumpho triumphalis, ita à pompa pompālis deflexit Capitolinus 918

Pompaliter aduerbiali voce vſus eſt Trebellius Pollio in Galienis, inquiens: mille gladiatores, & pompaliter ornati ibid. 918

Pompabilius comparatiuo idem vſus eſt in Zenobia, ita ſcribens: ducta eſt itaque per triumphum ea ſpecie, vt nihil pompabilius Populo Romano videretur ibid.

Pontifices ſummi, & Imperatores quomodo Iudices dici poſſint 862

Pontina palus vnde dicta, à quibus exſiccata licet fruſtraneo labore & in agri formam olim reducta 238 239. & ſeq.

Popinionem quare Leneus Pompeius magni Pompeii libertus Saluſtium appellarit Iugurthinæ hiſtoriæ ſcriptorem 530

Porcia lex virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouebat 402 403

Eadem lex libertatem ciuium lictori eripuit ibid.

Porcus ſilice in fœdere olim feriendo occidebatur 4

Porci ſacris dicti antiquis, qui in ſacris cedebantur ſeu ſacris faciendis deſtinabantur 4

Porticus milliares, vel milliarenſes quorum Suetonius & Vopiſcus meminere quinam fuerint 940

Portorium vinarium quodnam vectigal apud Ciceronem 683

Poſteriola, quid ſit, & vnde deductum vocabulum 863

Præteus & Duarenus Iuriſconſulti ab authore notati 964 965

Pratei Iuriſconſulti, & Ludouici Charundæ lapſus ab authore detectus 398.399

Præfecti Prætorio potentia, amplitudo & maieſtas Cæſarum temporibus ad vnius officium ſpectabat, poſt multo plures Præfecti Prætorio effecti 749

Imperii Conſtantinopolitani tempore quatuor fuiſſe Præfectos Prætorio legitur ibid.


Præ-

tio & demiſſio 573.574

Pſallocythriſtæ apud Suetonium in Domitiano, quænam erant 77.78

Pſalterium quodnam fuerit Muſicum inſtrumentum Sanctis patribus Auguſtino, & Ambroſio 77.78

Quid item Iuriſconſulto Paulo. ibid.

Pſaltrites quænam dicendæ authori 77 78

Pſaltria Græcis æque ac Latinis fidicina dicitur 75.76

Pſeudaula ea dicitur aula, quæ verâ aulam mentitur 799

Pſeudovortus, & pſeudoporticus non veri qui ſunt portus, & porticus appellamus 799

Pſeudourbana ædificia vocauit ruſtica ædificia Vitruuius de Architectura elegantia tamen vrbana extructa 799

Pſeudotyrum eſt palatii ianua occulta ſeu poſticum, quæ hodie porta falſa Italis appellatur 799

Pubertatem coercet, & non patitur erũpere Hyacinthi radix, quæ bulbacea eſt, mangonieis venalitiis pulchre nota, è vino dulci illita 475

Et quibus aliis medicamentis retardetur vide ibid.

Publicum abſolute poſitum pro vectigali 175

Hinc publicorum conductores, id eſt vectigalium ibid.

Vnde vectigalium, & publicorum conductores publicani dicti Suetonio in Veſpaſiano ibid.

Publicani vectigalia redimere dicebãtur quod eſt pretium pro iis ſoluere; & redemptores vocitabantur 33.

Publicanorum ordo Romæ potentiſſimus erat, qui redẽpturas exercebat, plurimumq; authoritate valebat 33.

Is tamen male apud Romanos audiebat. pag ſeq.

Pueri, & ſpadones quare non calueſcãt. pag 762.

Pugillares erant tabulæ ceratæ in quibus veteres Romani ex more ſcribebant teſtamentaque conficiebant. 284.285.

Pugiles, Athletas, & Gladiatores, qui confundunt errant 437.438

Quomodo autem differant vide ibid.

Pugilice valere, & Athleticè apud Plautũ, eſt robuſtum & pinguem eſſe 439

Pullatos vocauit Suetonius pulla veſte indutos, qua vti ſolebant non ſolum lugubrem habitum deferentes, ſed & vilis ſtatus homines, & perſonæ humiliores 417

Pullati etiam atrati dicebantur quaſi atro habitu amicti ibid.

Pulla tunica non ſolum colore, ſed & forma vile indumentum erat 417

Hinc veterum nobiliores principum funera facientes pulla prætexta vtebantur ibid.

Puluinar ſeu puluinus vnde dicatur 704. & ſeq.

Ex quibus conficiatur, cuiuſue vſus ſit. ibidem 273.274

Puluinaria Deorum quid, & an differat à Lectiſterniis ibid.

Pullus & puppus ambiguæ voces à ſcriptoribus paſſim, & in bonam & malam acceptæ partem obſeruantur 598

Pullarius aruſpex quinam veteribus dictus 21

Pullaria infelix vaticinium, & eiuſdem mendacis merces occiſio 22. 23

Pullipremones apud Lucilium erant compreſſores puerorum ſeu pædicones 599.600

Pupæ ſunt imagunculæ ſeu ſimulachra puellaria ex lino inſuta, & tomento infarcita ad luſum puellarum deſtinata 599.600

Pupillum cuius vulgatiſſima eſt ſignificatio Iuriſconſultis, diminutiuum dixit pupæ Caius Iuriſconſultus 599. 600

Papones ſeu puones per ſuperlatiuum dicuntur ſtolidi viri, & inepti 599. 600

Purpuræ vſus Romæ fuit maxime, ſed Romulo in Trabea 991.992

Puſtulatum argẽtum vocabant antiqui puriſſimum, eo, quod multiplici excoctione vi ignis in eo velut puſtulas excitari experimento compertum ſit 584

Alii hoc puſulatum nõ puſtulatum dici contendunt ibid.

Sed de hoc non laborandum, eum puſtula, & puſula idem ſignificent. ibidem, hinc

Sacer ignis, qui puſtulas excitat puſula &

la etiam vocatur ibid.
Sic & oues puſilatæ quæ eo morbo laborant ibid.
Pyrrhica ſaltatio quid ſit, à quo reperta, quam varii vſus, præſertim in re militari 695
Pyrrhica ſaltatio fieri ſolita per nobiles Ephebos 696.697
Pyrrhica ſaltatio Polluci Enoplia vocata Feſto vero Pompeio Bellicrepa 696 697
Pyrrhichiarii dicti à pyrrhiaca, qui pyrrhichiam exercent 696.697
Pyracia erant fruſta corii quib. calcei antiquitate diſrupti, & vſu, reſarciebantur 964.965
Pythaulæ erant, qui pythiam cantauerunt, quorum meminit Horatius in arte poetica 1066
Pythaulas tibiæ ſpecies putat author concinentes ita vt mulcerent aures, & quaſi audientes ſuaderent 1066

Q.

Quadrageſimum ſextum apud Romanos veteres annum agentes olim Seniores appellabantur, & à miliria immunes eſſe poterant 390
Quadruplatores erant antiquis eorum reorum accuſatores qui conuicti quadrupli damnari ſolebant 872. 873
Quadruplatores Liuio erant Litis alienæ interceptores ibid.
Per Quadruplatores autem communi paſſim appellatione omnes delatores intelligi ſolere author arbitratur ibid.
Hinc verbum Quadruplari, quo vſus eſt Plautus in alia tamen ſignificatione 874
Quartareus aureus quis eſſet, à quo inuentus, quoue fine 975
Quatuor genera ſpectaculorum à Græcis exhiberi ſolita leguntur, Olympica nimirũ Iſthmia, Pythia, & Nemea 603.604
Quatuor ſolum portæ iñ Caſtris olim Romanorum conſtitui ſolebant, authoris opinione variis licet nominib. inſignitæ 713
Quæſitores quinam fuerint olim Romanis, quando creari cœpti, & an à Quæſtoribus, vt nomine ita & officio differant 443
Quæſtiones pluraliter dictum, à cauſa differentes ſunt, quia Quæſtiones publica ſunt iudicia, vndeq; dictæ 763
Trium autem ſunt generum, an ſit, quid ſit, quale ſit, prima quæſtio facti eſt, & probationib. & coniecturis expeditur, reliquæ binæ Iuris ſunt, quæ per artem boni & æqui explicantur ibid.
Quæſtura prima dignitas, quæ à Patritiis viris adibatur apud veteres Romanos 701
Iuuenum patriciorum velut Tyrociniũ quoddam fuit ibid.
Quæſtura primus erat magiſtratus, qui à patritiis adoleſcentibus gerebatur 363
Creabantur tamen & ex plebe, idque effectum, vt ex quatuor populi importunitate tres plebei, vnus ſolum Patricius crearetur ibid.
Quæſturæ cura, & munus, vel ærarii potius à Quæſtoribus ad Prætores, & Ædiles ærarii aliquando tranſlata eſt 364.365
Quæſturæ candidatum ignotiſſimum licet, ob epotam in conuiuio propinante ſe vini amphoram Tiberius Imperator nobiliſſimis competitoribus antepoſuit 910
Nouellus hic fuit dictus Trieongius Mediolanenſis, qui per honorum gradus vſque ad Proconſulatum prouectus eſt, tricungius cognominatus, quod tres congios epotarit vno impetu, ſpectante miraculi gratia Tiberio Principe
Quæſtor legum & iuſtitiæ cuſtos cur appellatus 701
Quæſtorem in Aula Latini Cancellarium appellant. 701. & ſeq.
Quæſtores candidati quinam antiquis 701
Quæſtores candidati ſub Imperatorib. Conſtantinopolitanis Quæſtores ſacri palatii dicti, & quod eorum officium 701
Quæſtores parricidii quinam fuerint, quodue illorũ munus, & officiũ 443
Quæſtores quo modo quaue occaſione Faſces haberent Conſulare alioquin Proconſulareue & Prætorium inſigne 442
Vtrum autem habuerint lictores, viato-

res vocationem, vel prehenſionẽ vide 443
Eoſdem etiam in vrbe Faſcib. aliquando vſos Liuius docet ibid.
Quæſtores varii multiplicisque denominationis ab effectu, & opera præſtita 699.700 & duabus ſeq.
Quæſtores publicarum pecuniarum erant miniſtri, Sectores autem æſtimatores redemptoresq; bonorum damnati & proſcripti 172
Quæſtorũ ærariorum munus erat mulctas recipere à capite cenſis, & aliis ciuibus Romanis 37
Quæſtorum electio initio Romani populi penes Reges erat, quibus extinctis, munus fuit effectum Conſulare, poſtmodum Comitiis curiatis populi ſuffragio is magiſtratus candidatis conferebatur 1084 & ſeq.
Vide multa ibi non ingrata
Quæſtorum munus, quodnam apud veteres Romanos 233
Quæſtorum prouinciæ, quænam olim propriæ fuerint 671.672
Quæſtorum veterum apud Romanos officium 699.700
Et quodnam Cæſarum & Imperatorum temporibus vide ſeq.
Quæſtoribus aliquando per abſentiam Proconſulum, vel Prætorum Prouinciarum regimen demandabatur 442
Quæſtores veterib. Romanis principio præter Vrbanos, & Prouinciales alios non fuiſſe author docet remiſſiue 699.700
Quæſtorium in Caſtris erat militaribus, Quæſtoris ſcil. domus ſicut & Prætorium 1086
Quæſtorium munus inductum ab ipſis vſque Regibus in Rempublicam Iuriſconſulti aliquot tradidere 363
Bini à Valerio Publicola, qui cum Bruto Conſul fuit in Saturni æde primum condito ærario illius cuſtodiæ fuere attributi ibid.
Poſtmodum in maiorem numerum pro amplitudine imperii, & Prouinciarum adiectione varia excreuere ibidem
Vrbani Quæſtores reliquis erant digniores ibid.
Quintus Fuluius Flaccus Cenſor Fuluium patrem Cohortem legionis in qua Tribunus militum erat iniuſſu Conſulis domum dimittere auſum, ſenatu amouit, inſigni militaris diſciplinæ obſeruantiæ exemplo 449
Quintus Metellus Cenſor à Caio Attinio Labione, e ſaxo præcipitatus, quod in ſenatu legendo ab ipſo fuiſſet præteritus 69
Quinquatria feſta fuere, quæ Mineruæ ſeu Palladi fiebant, ita appellata, quod per quinq; dies poſt Idus, qui inter atros connumerabãtur fiebant 79.& 80
Quinquatria Domitianum Mineruæ quotãnis in Albano celebraſſe teſtatur Suetonius in illius vita 113. & 299
Quinquatria licet proprium fuerint Mineruæ feſtum quinq; dierum poſt Id. Martias, aliud tamẽ erat poſt Idus Iunias, quæ vocabantur quinquatriæ minuſculæ ſeu minores, eratque feſtum Tibicinum Mineruam colentium 113.114 & 115
Quinquennalis magiſtratus nomen etiam erat cuiuſdam Municipalis 462
Quinquennalem Cenſuram appellauit Liuius per quinq; annos perdurantem, cum alii magiſtratus annui eſſent 300
Quinquennales Ludi, qui Romanis veteribus fuerint varii varia tradidere 297.298
Quando primum inſtituti in Vrbe, à quo, quidue illis peragebatur ibid.
A Græcis ad Romanos fuiſſe deriuatos, multiplici authoritatum ſerie comprobatur 299
Quinquennales ludi Græcis percelebres cur ita dicti 461
Quinquennales ludi in honorem Auguſti decreti ſolum Gymnici fuere 462
Quinquennales ludi non ſolum erant certaminis ingeniorum Poetarum, & Oratorum, ſed etiam Gymnaſticorũ 299
Quinquennales vt Ludi dicebantur antiquis, qui ſingulo quoque quinquẽnio repetebantur, ſic Quinquennalia dicta ſunt feſta quæ quinque diebus continuis Palladi fiebant 300

Quinquennalibus Ludis ingeniorum certamini deſtinatis, nonnulli mœrore exanimati ſunt, alii letitia nimia extincti exemplo memorabili 299
Quinquennale certamen primus omnium apud Romanos inſtituit Græco more triplex Muſicum, Gymnicũ & Equeſtre Nero, quod Neronia appellauit 300
Quintæ relationis ius quodnam fuerit antiquis 882.883
Vide variorum de hoc ſententias, & Alciati penitus exploſam ibid.
Auctoris pariter opinionem deciſiuam vide ibid. & ſeq.
Quintana porta caſtrorum quænam erat, quæue Prætoria, quę item Quæſtoria & Decumana 712
Quirinalis Flaminis meminit Cicero in Orat. de Aruſpicum Reſponſis 240
Quiritum ius proprium erat liberos habere in poteſtate 404
Quiritium ius proprium ſeu Ciuitatis plenum Auguſtus Cæſar Suetonio teſte quam parciſſime donabat 414. 415
Ita quidem, vt Liuiæ pro quodam tributario Gallo roganti Ciuitatem negarit, immunitatem eidem potius offerendo, affirmandoque ſe facilius paſſurum fiſco detrahi aliquid, quam Ciuitatis Romanæ vulgari honorem ibid.
Quiritum nomen generale & omnibus Romanis commune, honorificum erat, quamuis hoc loco tanquam ignominioſe prolatum, vel ad ignominiã referatur 989
Plebei etiam ſolum aliquando Quiritũ nomine continentur ibid.
Quiritare quid fuerit apud veteres Romanos 105
Quid item Quiritatus, Quiritatioq. ibidem

R.

Rationator Ciceroni idem qui aliis rationarius apparitor, & Iuriſtis rationalis 544
Rationales quinam Iuriſconſultis dicti 544
Rationarius aliquãdo accipitur, & hoc præcipue Marcellini loco pro ratiocinatore, hoc eſt qui rationes tractat 105
Falſo hi dicti aliis rationales: nam rationales, & Cæſaris procuratores iidem erant ibid.
Rationarius apparitor, qui rationes cõficit, vel qui rationibus præeſt Marcellino dictus 544
Rationarium, Breuiarium, & Kalendarium quorundam opinione, vt ſynonyma ponũtur erronee licet ſi ſic abſolute proferantur 543
Et quid proprie acceptum rationarium ſignificet. ibid.
Rectum quid proprie dicatur ex Cicer. ad Herennium 493.494
Recuperatores quo iudicio, quibuſue in cauſis dabantur olim 134. 135. & 136
Recuperatores dabantur ſtatim quæſtione propoſita nulla interpoſita dilatione 137
Recuperatoribus perſimiles habebant Iudices Athenienſes, qui δικασταὶ vocabantur 135.136
Recuperatores Iudices dabant potiſſimũ apud Romanos Prætores 135.136
Quamuis ex veteribus eliciatur legibus etiam aliquando per Conſules datos ibid.
Sic & Imperatores, & exercituũ Duces eos nonnunquam dabant ibidem
Vt & Romani Imperii ſummos Imperatores ibid.
Senatum autem nunquam eos dediſſe reperitur, quamuis eo iubente per prætores datos fuiſſe legatur ibid.
Recuperatorium iudicium quodnam antiquis 135.136
Teſtib. potiſſimum non perſuaſionibus innitebatur ibid.
Redemptores quinam antiquis diceretur ex Feſto 33. Hinc
Redemptura, quæ eſt redemptio, vel cõductio publicorum operum à redemptore deriuatur ibid.
Redimere varie Iuriſconſultis acceptũ 33
Refugii feſtum Romani veteres celebrabant in memoriam Tarquinii fugæ. Eo ſcilicet die quo Roma profugit, quod erat 7. Kalend. Mart. 103. 104

Refundo verbum propria ſignificatione Latinis rependere, & reſtituere ſignificat 1013
Loco Pollionis præſenti pro renouare ponendum authoris noſtri eſt opinio ibid.
Regaliolus auicula quænam 280
Vtrum ſit paſſer Troglodites negatiue concluditur ibid.
Nec eſt Icterus, vt falſo putauit Beroaldus 282. & ſeq.
Regaliolum auem licet minimam præſidem tamen auium Ariſt. appellauit τρόχιλον 280. 281
Eam quare inſectetur, & perſequatur Aquila ibid.
Regni affectati ſuſpicione Spurius Melius ob frumentum plebi elargitum in magna annonæ caritate obtruncatus, bona publicata, domuſque eiuſdem diruta 69
Rheda vehiculi genus antiquis, & Rhedarius ipſius ductor 98
Hac Romani primo in Circenſib. curriculis vſi fuerunt ibid.
Rhedis argentatis, & carrucis Senatores vt vterentur indulſit Alex. Seuerus Imperator 276. 227
Rheti, & Vindelici Germaniæ populi 570
Relinquere Conſulem, & ſigna, & decedere præſidio, non inter minora apud Romanos delicta reputabatur, & de his conuicti fuſtuarium pati cogebantur 125
Remigii Florentini craſſiſſima, & admirãda inſcita, iure merito à doctiſſimo oculatiſſimoq; authore notata & reprehenſa eſt 816
Repudii nota affecit Sempronius Sophus coniugem non alia de cauſa, quã quod ipſo ignorante ludos ſpectare auſa fuerit 780
Repudiare vir vxorem poteſt ſi Circenſibus, vel Theatralib. vel Arenarum ludis, & ſpectaculis in illis locis in quib. hæc aſſolent celebrari, marito prohibente adfuerit 780
Rem amittere dictum, pro eo, quod eſt litem amittere, & cauſa cadere. ibid. 201. 202
Rem pro lite veteres vſurpauere, vt apud Cic. in Orat. pro Muræna 201. 202
R. A. Re, id eſt lite Reus dictus arce quis 201. 202
Reus non modo accuſatus, & conuentus, & ſed & accuſator & voror dictus 201. 202
Res ſacræ olim apud veteres Romanos quęnam dicerentur, & eſſent 1029
Erant autem quædam Res ſacræ publicę quę in nullius bonis eſſe poterant, aliæ autem priuatæ quę hereditate ad poſteros tranſmittebantur. ibidem.
Hinc filiifamilias in ſacris paternis eſſe dicebantur ibid.
Et in ſacris manere, in ſacris parentum conſtitui, in ſacris poni, in ſacris retineri, paſſim apud Iuriſconſultos inuenire eſt ibid.
Sic etiam qui per emancipationem de familia demigrabant, à ſacris paternis dimitti & abſolui dicebantur ib. 1029
Reſcripta principum quibus, vel ad præſentium poſtulata, vel ad abſentium conſultationes reſpondebant Epiſtolas fuiſſe appellata, Iuriſconſulti teſtantur 148
Reum quem Latini ſcriptores proprie appellarint 200. & ſeq.
Reum facere pro accuſare ibid.
Sic reum agere pro eodem ibid.
Rex ſacrorum fuit Romæ poſt Reges exactos 970
Regem ſicuti Pontificem Maximum apud veteres iterato nubere nefas erat 155
Regibus extra manicas ſolis olim manus perferre licuiſſe teſtatum reliquit Xenophon lib. 2. rerum Græcarum, ideoq; Cyrum Perſarum Regem Antobiſacem, & Metteum filios Darię ſororis Xerxis Patris Darii occidiſſe, quod ſibi occurentes manus intra manicas non contraxerant 911. 912
Reges ſocios, & ſibi ſubiectos habuiſſe Romanos manifeſtum eſt, at nulli tamen ſub Alexandro Seuero Reges Romę fuere 970
Ideoque per Reges præſenti loco intelligendi potentes, diuites, & principes viri. ibid. 970
Romani Ciues quinam vicini fuere populi ad Ciuitatis naſcentis augmentum

tum à Romulo creati, & in Vrbem recepti 401
Romani Græcorum mores tanquam leuiſſimorum hominum, & vanorum quondam ſunt aſpernati 178 179
Romanorum Imperatores vſque ad Hadrianum Cæſarem cur barbas per raſuram depoſuerint 699. 700
Romanis ad pompam quod munus gladiatorium appellabatur 422.423
Roſcia lege decoctorib. in Theat. locus ludibrii cauſa à priſcis quodam Romanis aſſignatus 400
Roſę præſtantis exiſtimationis ſunt Preneſtinę, & Campanæ, alii addidere Mileſiam, de roſis multa Plinius 1064
Roſarum Babylonicarum tanquam excellentium meminit Galenus ibid.
Rudiarii Suetonio dicti probatorum authorum ſententia, qui impetrata miſſione gladiatoria, rude donabantur 563
Erat autem rude virga lignea impolita ibid.
Rudiarii autem quare ætate iam graues, & quomodo rude donabantur à Prætore, vide ibid.
Rudiarii pectus cur ſpongiis muniebant 527
Rutrum quodnam fuerit inſtrumentũ, & à quo deriuatum 43
Cuius diminutiuum rutellum ibid.
Ruſſeas ſeu ruſſas tunicas militares, & Ducales Trebellius, & Vopiſcus non ſemel appellauere, quod huiuſmodi tum milites tum Duces vterentur nõ modo honoris cauſa, ſed ne ſanguis è vulnerib. in bello forte manans, veſtis colorem minime mutans, eos deterreret, vel hoſtib. vires adderet, & ferociam 904.905
Ruſtici animalia ſunt media inter bruta, & homines, plus rationis expertes quam rationis capaces, quod norunt illi qui malo ſuo genio acti cum illis conuerſari coguntur 944

S.

Sabbatharii dicti Iudęi, quia in Sabbatho, ne quidem cibum apparabant ita omni opere ſeruili vacantes 942.943
Sabini quando in Vrbem Romanam, & qua cum prerogatiua recepti 405 406
Sacerdotem ſingulo Deo aſſignare Romani ſolebant, quem Flaminem nũcupabant 269
Sacerdotes Ægyptios totum corpus raſiſſe, & depilaſſe religionis ob cultum ſuperſtitioſe 699.700
Sacerdotes Græcos Monomachiam exercere ſolitos ſcribit Galenus 226
Sacerdotia mulieres apud priſcos gentiles exercuiſſe nõ ambigendũ 1006
Hinc Pollio hic Calpurniam appellat vniuiram ſacerdotem ibid.
Sacra via quęnam fuerit apud veteres Romanos, quaue in vrbis parte collocata, cur ita appellata, qui authores claſſici eius pręcipue meminere 279
Sacram viam etiam vocitatam habuere Herodoti, & aliorum teſtimonio Athenienſes 1029
Sacrę res, quæ olim Romanis diceren tur & eſſent 1029
Sacrata lege dicta Caii Gracchi ſancitũ erat ne minores ſeptem & decem annis, maiores ſex & quadraginta militiæ adſcriberentur niſi aliqua vrgens neceſſitas maiores deligi cogeret 390
Sacratum caput pro execrato poſitum 5.6
Sacramentum militare duplex in hiſtorica lectione obſeruatur, & quodnam illud 751.752
Sacramentum militare quale erat remiſſiue 447.448
Sacramenti militaris formam licet apud Iuriſconſultos videre in l. 8. C. de leg. 754.755
Sacramento militari non adſtrictis licet in caſtris verſarentur, non licebat hoſtem laceſſere vel ferire 750
Sacroſanctum quidnam veteribus dictum & ſeq. 42
Et quæ fuerint iiſdem ſacroſancta ibid.
Saginarius equus dictus opinione authoris à ſagina, quod ſcilicet equis ſuis carne implendis, & ſaginandis milites equites ſcilicet ſtuderent, vt fortiores, & pulchriores haberent in vſum belli, & præſertim pugnæ, & prælii tempore 1025
Saginarius mulus in hunc ſenſum dixit

xit Seruius & Mula ſaginaria, & verbo ſagino, pro pinguem facio, non ſemel vſus eſt Columella, & potcum ſaginarium dixit Propertius ibidem
Sagmarium, vt habet communis lectio non ſagmarium legendum vt volunt Turnebus, & Rhodiginus iudicat, & quidem optime oculatiſſ. author 1025
Sagum veſtis ſtragulæ genus erat, propria autem magis ſignificatione veſtis eſt militaris 990
Sagum namque belli ſicut Toga pacis indicium Romanis erat ibid.
Sagum non ſolum militare erat indumentum, ſed erat Gallorum propriũ 991. 993
Et quidem Galli Trabeatis ſagis vtebãtur ibid.
Sagum Gallorum purpureum fuiſſe vnde colligendum 993
Sagulus fit a ſago; ſic Tacitus de Germanorum moribus Nudi (inquit) aut ſagulo ictes, nulla cultus iacta tio. 993
Sic de Zenobia Regina bellatrice Trebellius Pollio: Imperiali ſagulo perfuſo per humeros habitu. 991. 992
Sagarius æque, vt ſagulus à ſago deducitur, eſt autem ſagarius ſagorum venditor. 993
Sagaria item à ſago deriuatur, eſtque ſagorum negotiatio. ibid.
Sagochlamydes vocat author medium indumenti genus inter ſagum & chlamydem vtriuſque ſcilicet formam mixtam præſeferens. 1017
Sagmina ſunt quædam herbæ quas Legati Populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret. a.3
Sagmina Verbenas fuiſſe dictas tanquam ex ſacro loco deſumptas. ibid.
His coronabantur Fecialis, & Pater patratus fœdera facturi, vel bellum indicturi. ibid.
Salaris annua ſalaria ſeu municipales erogationes ſportulas dictas in iure ciuili obſeruamus. 783
Saliis trabeam togam aſſignauit Halicarnaſſæus, Liuius autem non trabeam, ſed pictam togam. 142. 143
Salpiſtæ de quibus Vopiſcus hic tubæ genus erat vt exiſtimat author, Cœlio aſſentiens, qui tubarum genera ſalpiſtica vocari docet. 1065
Salpiſtam etiam ſcripſit tubicinem eſſe doctiſſimus Turnebus ex Lexico veteri Aduerſ. lib. 28. c. 6 ibid.
Salpiſtæ autem erant tubæ, ſeu buccinæ in ſumma parte amplæ, & concauæ, in infima vero arctæ, qua de cauſa acutum & ſtridulum ſonabant. ibidem.
Ariſtophanis interpres docet à Græca voce σαλπιξ quod tuba eſt, lituum, buccina, deduci, vel a verbo Græco σαλπίζω quod eſt buccino. ibid.
Saltationis togatæ apud Romanos veteres quiſnam fuerit inuentor 434. 435
Salutis Deæ templum Romæ quare conſtitutum. 322. 323
Quinam eandem, vel vouerint, vel cõſtituerint. ibid. & p. ſeq.
Ab hoc templo Romæ, & via ſalutaris, vtpote contermina, & in Quirinali ager ſalutaris dicti, ibid. 324
Vnde, & ſalutis augurium. ibid.
Samarii erant qui ferramenta & arma ad nitorem fricabant tergebantque. 1025
Samiata ferramenta dicebantur acuta, & mucronata. 1023. 1024
Samium namque Nonii authoritate veteres pro acuto poſuere, & ſamiare, pro acuere, & quaſi ſamiæ teſtæ acumen inducere. ibidem.
Hinc teſtas ſamias conſtat ex Plinio acutiſſimas fuiſſe ſcribente Gallos ſacerdotes Matris Deum caſtrari ſolitos teſta vaſis ſamii. ibid.
Sambuca Gallis, Hiſpanis, & Italis, Arpa appellata. 77. 78
Sambuciſtriæ quænam dicerentur. 77. 78
Samios πολυγραμμάτους vocat Ariſtophanes in Babyloniis ob id quod ſeruili nota literali, vt plurimum eſſent inuſti, & ſtigmatizati. 819
Sandalia quid ſint; quid item ſandalarius vicus Romæ, cuiuſue vſus ſandaria ex ſacris, & profanis vide 46

Sanda-

Sandapila humile feretrum cadaueribus efferendis deſtinatum. 735
Vnde ſandapilarii dicti iſtius feretri aſportatores, veſpillones alias vocitari. ibid.
Hi, & Buſtuarii fuere ab Ammiano Marcellino vocitari. ibid.
Sangalis auis quænam fuerit antiquis ex Plinio.
Oſſifraga eidem Plinio fuit appellata. ibidem.
Quid de ea ſenſerit Ariſtoteles. ibidem.
Sangalis auis roſtrum cur ſacrum Liuius appellarit. 95.96
Sangalem auem atque Immuſſulum Augures Romani in magna quæſtione habuere olim Plinii eiuſdem authoritate. 94
Sangas Deus Romanis veteribus ſacer ob itinerantes. 95.96
Huius Ædes de Cœlo tactas ſcribit Liuius. ibid.
Sacellum eius P. Victor in ſeptima Vrbis regione ſtatuit.
Satisfacere quid loco hic adducto Suetonio, & ſatisfactio quomodo fieri ſolebat.
Saturnus claſſe prouectus à Iano in Italia hoſpitio ſuſceptus antiquorum ficta fabula. 504
Saturnalia Feſta Decembri menſe celebrabantur in quibus ludis, & conuiuiis operam dabant Romani. 637
Saturnalium feſtiuitate libertas ſeruis concedebatur, & cum libertis exæquabantur, vt ſeculi aurei quo Saturnus regnauit fieret imitatio. 631 632
Saturnalibus feriis Domini ſeruis conuiuium exhibebant ipſique ſeruorum officio fungebantur. 638.639
Saturnalia vnius tantum diei feſtum fuiſſe Liuius docet; huic Caligula, vt publicam lætitiam augeret, addidit in perpetuum vnum diem, vocauitque Iuuenalem. His Caius Cæſar duos adiunxit. 633
Satyricum Carmen cur Vallum Lucillianum Cic. Epiſt. 6. ad Atticum appellarit 120
Saxum Tarpeium ſeu rupes Tarpeia in Capitolio erat locus ex quo rei mortis, & noxii homines præcipitari ſolebant 237
Vide ibi multorum exempla, & authoritates. ibid.
Quæ pœna vt atrox nimium poſtea legibus ſublata fuit. ibid. 238 239
Seruam Centurionem Cæſar Dictator egregie de ſe meritum centum militibus æris donauit 127.128
Scambus is dicitur cui crura deprauata ſunt & curua. 760.761
Hinc conſtat Nonium Strabonem ſcambos vocaſſe. ibid.
Scarabæi quare fuerint Fullones vocari. 984
Scelerata via ita dicta Romanis, quod per eam Trecenti Fabii profecti eſſent, qui maxima cum calamitate necati fuere. 796
Schiomachia Græcis, Latinis vmbratilis pugna dicta, ad quid vtilis. 224.225
Scholæ militares, & aulicæ, quænam ſint & dicantur, ſub cuiuſue imperio exercebantur vide. 838
Vnde milites ſcholares vocatos legimus apud Iuriſtas Tit. C. de priuileg. ſcholar 839.840
Scholaſtici Iuriſperitis ſunt Aduocati, & cauſarum forenſium actores. 839
Scipio Maſſiniſſam Regem non triumpho, ſed triumphalibus ornamentis honeſtauit. 379.380
Scipionis liberis tutor ſenatus æs graue in dotis vicem contulit, inſigni moderationis eiuſdem exemplo ac teſtimonio. 12.13
Scombri piſces in Hiſpania, & præſertim in Inſula Herculis, quæ & ſcombria dicta copioſi, & pingues naſcebantur, ex quibus precioſiſſimum Garum conficiebatur. 953. 954
Scribendi mos apud veteres Romanos in tabulis ceratis quas pugillares vocabant. 284.285
Scribendi modos varios, & ocultis notis vide. 252.
Scuti, & clypei differentiam vide 455
Et in hoc Seruii errorem ab authore detectum. ibid.
Scutarii nomen multiplex, & varium apud Latinos ſcriptores. 455
Et quinam ſcutati milites dicerentur, ibidem.

Scyphi minoris erant capacitatis Caueo,& Cantharo bibitoriis poculis, quibus veteres, vt in ſacris ita & in conuiuiis frequenter vtebantur 1010
Scythæ domos nullas habebant, & ob id curribus,& vehiculis pro tectis vtebantur 913
Idcirco Cicero in Tuſculanis Currum ſcythicum tegmen appellauit ibid.
Crudeles fuiſſe Scythas, vel ex eo patet, vt peregrinos non ſolum omni vitæ cõmercio prohiberẽt, ſed etiam quod inhumanius eſt, imolarent,& mortuos deuorarent ibid.
Scytale quid ſit, variæ opiniones Columellæ,Plinii, Gellii, & aliorum 70
Et quomodo legendum genuine ſcytale an ſcutale ibid.
Sectores dicti, qui bona condemnatorum ſimul & ſemel auctionabantur. 172
Hi male paſſim audiebant,& peſſime à probis viris habebantur ibid.
Seculum pro longo tempore accipitur, & præſertim pro hominis ætate. pagina 324
Seculares ludi vnde ſic dicti 324
Seculares ludi centeſimo quoquo anno fieri apud veteres ſolebant. pagina 234
Quis huiuſmodi ludos Regib. exactis apud Romanos primus inſtituerit pag ead
Seculares Ludi quibus Diis Gentilium ſacri fuerint 327
Seculares ludi fuere, qui à prima origine ſingulis centum annis fiebant 993
Seculare Carmen Horatianum quare ſic appellatum 324
Segeſta Siciliæ oppidum ab Ænea fugiente à Troia conditum, vnde Segeſtani populi 159.& ſeq.
Sella Curulis Conſulum propria 708
Sellam Regiam à Traiano captam, quæ Patthorum erat Regum, quam Adrianus remittere promiſerat, Antoninus Pius repetitam à Rege, reddere pernegauit 651.652
Seleuco Regi ſocietatem, & amicitiam pollicitus eſt Claudius Imperator, ſi Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet, quod eos Romanæ gentis authores fuiſſe diceret 418
Semiamira Heliogabali mater, mulier ambitioſiſſima ſenatulum muliebre Romæ Inſtituit 1025
Senator,& Plebeius vnus idemque eſſe poterat, plebeius inquam origine familiæ ſenator vero ordine & delectu 392.393
Senatores,vt plurimum ex Patricia gente,Libertini vero ſemper Plebei 84. 85
Senatores Pedarii vocabantur, qui non à Cenſorib,in Senatum allecti eſſent 148.& ſeq.
Senatores quinam ſella curuli in ſenatum, & Curiam veherentur, qui itẽ pedibus in curiam ibant ibid.
Senatores Romulus Vrbis fundator authoritate Liuii primum centum creauit 342.343
Patres hi ab honore dicti, Patriciique eorum progenies appellari ibid.
Aucti deinde ab eodem Vrbe cum Sabinis, & Tacito communicata ad numeri duplicationem fuere ibid.
Tertio additi huic numero à Tarquinio Priſco alii centum, qui minorum fuere gentium appellati ibid.
Excreuere tandem temporibus ſuccedentibus vltra numerum trecentorum 344
Cæſaris ætate nongentos fuiſſe ſenatore, author eſt Dio ibid.
Augusti temporibus& millenarium numerum exceſſere, ibid. 344
Licet eos ad 309. redigere fuerit conatus 347
Patres Conſcripti deinde fuere appellati Regibus à Bruto exactis 342. 343
Senatores, & magiſtratus gerentes Italia abeſſe non potuiſſe Liuii authoritate comprobatur 650
Ita quidem vt vltra quinque vna die ſe ab vrbe abſentare non poſſent. ibi.
Vicinam tamen Siciliam illis libere patuiſſe, & qua de cauſa, vide ibidem.
Sexagenarii autem vltra annos quinq; exempti erant,& quod ii à Curia vacarent ibid.
Alias ſeſe ab Vrbe abſentandi cauſas, & Italia excedendi vide 651 652

Sena-

Senatores multos gratia & præmio effectos poſt Cæſaris Dictatoris necem ex Suetonio haud obſcure colligere licet 344
Senatorio ordini ob rei familiaris anguſtiam cedentes ſponte à Claudio Imperatore laudati 421
Senatorium Cenſum Tacito atteſtante Tiberius Cæſar iuuit, egentes vero Senatores loco cedere coegit 421
Senatus alius legitimus, alius indictus, 356.357
Legitimus dicebatur, qui lege vel more ſuper certis diebus habebatur; puta kalendis & Idibus: Indictus autem dicebatur, qui reliquis diebus menſium à magiſtratu cuiſid faciendi ius eſſet, vocatus cogeretur 356.537
Senatus haberi non poterat niſi prius auſpicato ſacrificioque facto 355
Nec diebus tetris nefaſtis cogi poterat ibid.
Senatum primo legiſſe Reges, mox Conſules primos, deinde Cenſores poſtremo Dictatorem Liuius author eſt 369
Imperatores vero vbi ad ſe ipſos Regiam Conſularem, Cenſoriam, & Dictatoriam poteſtatem aduocaſſent, & ipſi pro libitu Senatores conſtituebant ibid
Senatum conuocandi ius ordinarium penes eos ſemper fuit qui Reip. præeſſent 355
Et quinam illi enumerantur ibid.
Senatum vocandi ius Conſulum fuiſſe ex Liuio manifeſte patet 122
Quamuis & aliorum fuerit Magiſtratuum, vt Dictatorum, Prætorum, Tribunorum plebis, Interregis, Præfectorum vrbis Tribunorum militariū qui pro Conſulibus fuiſſent, Decemvirorumq; qui Cōſulare Imperium habebant ibid.
De ſingulis ſubiectas habes ibi authoritates
Senatum conuenire niſi in loco inaugurato, & conſecrato non licuiſſe ex Varronis & Gellii authoritate elicitur 354
Senatum Romanum ordinarie conuenire ſolitum in loco ſacro, & non profano ex Suetonio & Seruio in Virgilium colligitur 351 353
Aliquando in templo Iouis Capitolini coibat ibid.
Item in templo Iouis Statoris in radicibus Palatini ibid.
Sic & in Æde Concordiæ, quæ fuit in Cliuo Capitolino
Senatus tamen idem Romanus extra ordinem & ſolitum vocatus etiam in profanis locis cōueniebat 352.353
Senatum Octauianus Auguſtus ſemper venerabundus contra quod Cæſar dictator facere ſolebat, excepit memorabili moderationis exemplo 276.277
Eadem & maiori veneratione Tiberius Cæſar eundem eſt proſecutus ſeruire ſe ſenatui affetens, & ſenatores Dominos vocans ibid.
Idem venerationis obſequium eidem præſtitit Adrianus Cæſar ibid.
Senatu moti qui dicebantur, qui item in eum lecti 67.68
Senatu ob facinus amoti, à munere etiam iudicandi prohibebātur 344
Et quinam lege Iulia repetundarum ſe natu mouebantur ibid.
Munus autem amouendi ſenatu Cenſorium erat vigente Repub. 345 346
Senatu mototum cenſoris iudicio & ſententia plura vid. exēpla 345.346
Senatu licet moti quinam poterant ad magiſtratus adſpirare, quib. vero ſpes omnis eos adipiſcendi eſſet præcluſa 248.& ſeq.
Senatusconſulta ne arbitrio Conſulū ſolito eorum more ſupprimerentur, inſtitutum fuit à Valerio, & Horatio, Conſulib. vt in Æde Cereris ad Ædiles plebis deferrentur 356.357
Senatuſconſulta quædam tacita erant ita dicta, quod palam enunciare nūquam licebat 356. 357
Tacita etiam dicta Senatuſconſulta, quę cum fierent, non ſcribæ, nō ſerui publici non Cenſuales illis actibus intereſſent 358
Senacula, id eſt loca Senatui habendo deſtinata præcipue tria fuere apud veteres Romanos, Nicoſtrati authoritate: Vnus inter Capitolium & forum: Alter ad portam Capenam: Tertius in Æde Bellonæ 372

Seneca Neroni eloquentiæ magiſter da tus 170.171

Senes iam incuruos veteres Silicernios appellabant, quaſi ſepulchrorum ſuorum ſilices aſpicientes 207

Senſus vt tria in ſe habet, ſenſibile nimirum, virtutem ſenſibilem, & poteſtatis eiuſdem functionem, ita & intellectus tria complectitur, intelligibile videlicet, virtutem intelligentem, & eiuſdem virtutis circa intelligibile functionem: ſic pariter ipſa imaginatio tria continet, nempe imaginabile, virtutem imaginatiuam, & eiuſdem virtutis imaginatiuę circa imaginabile functionem 282

Sententiam ferendi in Senatu triplex modus veteri in Republica obſeruatus 149.150

Sepelire mortuos extra vrbem non ſolum Romanis olim mos fuit, ſed etiam Græcis 550

Sepeliri Cadauera extra vrbē mos erat antiquis, nec quēpiam intra vrbem ſepeliri fas erat niſi permiſſu S.P.Q.R. ob alicuius præclarum facinus Reipublicæ præſtitum 547

Pœnas Hadrianus Cęſar ſepulchrum facienti aliquod in Vrbe ſtatuit quadraginta aureorum ibid.

Aliorum Imperatorum edicta idipſum vetantia ibid.

Lex etiam 12. Tabularum erat Cicerone de legibus teſte huiuſmodi: Hominem mortuum in Vrbe ne ſepelito ibid.

Sepeliri tamen in Campo Martio Corpora magnatum, & principum virorum teſtes ſunt Appianus, & Herodianus 548.549

Iuliam prętarea Cęſaris filiam & Pompeii vxorem defunctam, quam in Albano ſepeliri iuſſerat magnus Pōpeius coactus eſt à plebe in Campum Martium efferre 548.549

Sepeliendi in agris morem fuiſſe veterum docet Liuius 547

Scipionem Affricanum in agro Linterni ſepultum in monumento ſibi ædificato ſuo iuſſu tradit Liuius 548.549

Sepulturas mortuorum Romæ fuiſſe potiſſimum in Vaticano ex quo in Vrbe ſepeliri cœpere defuncti pag. 000

Hinc locos Vaticani infames Tacitus vocauit ibid.

Sepite verborum ambagibus pro obſcurare apud Ciceronem 572.578

Septuoſe item pro obſcure ibid.

Septa loca erant in Campo Martio tabulatis incluſa in quibus Pop. Romanus ad ferenda ſuffragia conueniebat 571

Et varia vocis ſignificatio videatur ibidem & pag ſeq.

Serapis Deus Ægyptiorum à Romanis ſuſceptus mox repudiatus fuit 895

Serapim Deum Gens ante alios dedita ſuperſtitionibus Ægyptia officioſe colebat 895

Seria quod vaſis genus fuerit priſcis eiuſue molis, & capacitatis. 28. & ſeq.

Eiuſdem vſus 42

Seriola hine deriuatiue deductum ex Perſio

Sermonem ſinuoſum & flexuoſum, Laciniolum D. Hieronym. appellat. 626

Seruius Tullus Romanorum Rex ad Vrbem amplificandam duos colles addidit, Quirinalem ſcilicet & Viminalem 673

Seruii Tulli natiuitatis fabuloſa & ridicula hiſtoria 328

Seruii errorem grauem in re notiſſima vide 572

Seruii lapſus notatus ab authore in eo quod dixerit atrium ab atro denominatum 321

Seruus ſuo nomine quōdam vſucapere non poterat, quia ab alio ipſe poſſidebatur 83

Sic nec Libertinus quamuis libertatem adeptus, quia quaſi precario quæ habebat videbatur poſſidere ibid.

Seruū eſſe & ſeruorum vice haberi differunt 185.186

Seruum ſeruorum Dei primus omniū ſe inter Maximos Pontifices Gregorius nonus nominauit, quem poſtea ſucceſſores Pontifices imitati ſunt 454

Seruum etiam ſeſe appellauit Iuſtinianus Imperator in L. 1. de offic. Pręfec. Prætorio Africæ 454

Serui criminoſi quare μαστιγίαι, & στιγματίαι fuerint appellati 47.48


Ser-

Serui literati aliquando fuerunt appellati, eo quod literis inuſti eſſent 819
Hinc Plautus literatum ſeruum pro ſtigmatico dixit ibid.
Seruorum criminoſorum (quos Græci μαστίγια & στιγματίας nominãt) à flagellis & verberib. deducta ſunt nomina cõtumelioſa & probroſa 47.48
Seruis olim vetitum comam nutrire 259
Seruile ſupplicium quodnam Tacito fuerit 201.202
Seſtertium nummi genus duorum aſſiũ cum ſemiſſe valoris apud antiquos erat 515.516
Seſtertia cẽtum aureo nummo noſtrati æquiualent 250.251
Et Seſtertium idem quod nummus antiquis ibid
Seſtertii veſtimenti tariſſimus apud ſcriptores Latinos vſus 515.516
Quale fuerit veſtimenti genus coniectura tãtum explicare licet ibid.
Variorum allata opinione authoris vide ſententiam ibid.
Seſticula Suida authore Imperatoria quædam veſtis erat 515.516
Seueritatis adeo ſummę fuit in re militari Peſcennius Niger Imperator, vt omne argentum ſubmouerit ab vſu expeditionali, vaſiſq; vti ligneis milites coegerit 786
Seuirorum mentio apud authores pro batos rariſſima, quamuis Duumuirorum triumuirorum, & reliquorũ frequens mentio 881
Seuitales ludi quinam erant authoris opinione vide 882.883
Sica gladius eſt recuruus quo clam necabantur homines, qua vtentes ſicarii dicebantur doloſa homicidia patrãtes, & lege Cornelia de ſicariis lata puniebantur 341
Sigillum quid & vnde dictum 453 454
Sigillis in literis, & inſtrumentis obſignandis ſicut veteres, ita & noſtrates varii variis vſi fuere, & quibus 450 451
Ibidemque varia procerum Romanorum exempla referuntur & ſeq.
Sigillaris vicus Romæ erat, & cur ſic vocitatus 634.635
Sigillarii dies quinam eſſent Romanis quoue tine inſtituti, vnde, & ità dicti 634.635
Sigma menſę genus erat apud antiquos 949
Capiebat aũt octo vel ſex cõuiuas ibid.
Strauit huiuſmodi menſas croco Heliogabalus Imperator cum ſummos viros vocaſſet ad prandium, pro eorum dignitate dicens ſe fœnum exhibere ibidem
Signum & ſignatum pro ſigillo & ſigillato Latinis accipi, & dici clarum eſt ex Cicerone paſſim 636
Sic ſigillum & ſigillatum pro celatis operib. accipi obſeruamus ib. & ſeq.
Signa militaria, vel Teſſeras militares à Principibus viris Imperatoribus Regibuſq; varia variaſq; data, dataſque 885.886 & ſeq.
Signata pecunia antiquis variis notis, & quibus 502.503
Sigonii error notabilis detectus ab authore 118.119
Silentii Deum Harpocratem quem figurabant digito os prementem Sigalion ab Ægyptiis vocatum legitur apud Auſonium 1020
Silex lapidis duririem ſaxum eiuſdem magnitudinem eleganter denotat, 5.6
Silicetnium quid fuerit antiquis, & quinam dicti iiſdem ſilicernii 348
Siluano gentilitas priſca vt Numini porcum mactabat 4
Vt & multis aliis ſuis Diis Deabuſque Cereri Eleuſinæ Laribuſq; Deis ac Veneri eandem eadem ſuperſtitione ſacrificabat ibidem
Singlionum nomine quid intelligendum ſit, obſcurum eſt 1020
Singulares Equites quinam apud priſcos dicerentur 230
Qui item Auguſtales, & cur ſic dicti ibidem
Sinus ambitioſi & occulti apud Tacitum quomodo hoc loco accipiendi 197.198
Sociale bellum quinam populi Romanis intulerint olim enumerantur 304.305
Solidus, & aureus antiquis ſynonyma erant, ſicut & Romanus Denarius

eum Drachma Græcorum conueniebant 973.974
Soliferrium vnde dictum & quodnam teli genus fuerit 56
Solium & ſedem præcipue Regiam, & vas quo ad balnea vtimur ſignificar, 967
Solui militia honeſta miſſione apud veteres Romanos honorificum erat, 449
Sortis inſtrumenta ſortes dicebantur ex Tullio 28.29
Sortilegi quinam hodie dicantur 30
Spadones & pueri cur caluicie non tententur. 762
Sparum Haſtæ genus quo ruſtici olim armabantur Virgilii authoriate 56
De eius forma figuraue vide ibid.
Ignobile, & vile armorum genus fuit ibidem
Spartum Liuio funes nautici fuere ex ſparto confecti 31.32
Species pro mercib. variis accepit præſenti loco Vopiſcus, vt & apud Ammianum eſt videre 1036
Speculatores à ſpeculando dicti eo quod principis tutelæ inuigilantes vndique ſpecularentur, vt inſidiarum omne genus præcauerent 181
Frequentes erant non ſolum in Prætorianis militibus, ſed & in Legionib. ipſis ead.
An ab exploratoribus differant ſpeculatores ibid.
Dicebantur & ſpeculatores ii, quibus principes vtebantur ad damnatorum capita amputanda, vel alio pacto in reos lege agendum ibid.
Quales eſſent hoc loco ſpeculatores ſtipatores ſcilicet principis 189.190
Sphynge pro ſigillo literarum obſignatorio primum vſus fuit Auguſtus, poſt Alexandri Magni imagine, deinum ſuamet effigie ſigillare quævolebat in more habuit 450.451
Spolia Iuriſtis l. penult. ff. de bonis damnatorum appellantur panni quibus induebantur qui ad ſupplicium ducebantur 930.931
Spoliarium quis locus apud Romanos olim fuerit de quo Lampridius hic, minime hactenus declaratum ſcribit doctiſſimus author 930.931
Et eiuſdem vide opinionem non inualido nixam fundamento ibid.
Spongia ad inducendas vel potius delendas ſcripturas antiqui vtebantur, 526
Hinc in ſpongiam incumbere dicebantur quæ obliterata erant & inducta & ea quæ omnino diſplicuiſſent ibid.
Spongia delitiarum inſtrumentum antiquis erat 526
Spongiis inſtar ſe vti dicebat Veſpaſianus Imperator procuratorib. quos ad exigenda vectigalia rapaciſſimos promouebat, vt locupletiores factos mox condemnaret 526
Spongiarum varius apud antiquos vſus 526
Spongiis quare Rudiarii pectus muniebant 527
Spongiàs appellare conſueuit Demoſthenes multibibos ſeu bibilos homines non inelganter, & apposite ſatis 526
Spongias geſtare ſolitos Gladiarores ad vulnera exſiccanda ex Tertulliano docet Turnebus 527
Spongiare pro ſpongia extergere frequenter Apicius vſus 526
Sportæ vnde dicta, & vnde ſportellæ, ad quem vſum paratæ 780
Sportulæ quæ dicantur in Ducali Mantuani Sereniſſimi Ducis Cancellaria quibuſq; præſtari ſolitæ 783
Sportulæ, ſportæ aut ſportellæ conuiuis Imperatoriis dari conſuetæ quidnam fuerint 493.494
Sportularum frequentem faciunt mentionem antiqua marmora in vrbe ad huc proſtantia 783
Sportulas impartiri mos Romanis nobilibus tantum munere Imperatorio donatiui[ue] vice Martialis author eſt 781.782
Quamuis, & plebeis aliquando datas obſeruetur ibid.
Sportulas etiam nuptiales legimus donarium complectentes p. ead.
Largitiones militares Decurionibut fieri ſolitas & ſportulas dictas, Iuriſconſultorum traditione oſtenditur. ead.
Vt & pecunias illas quæ iudicibus vel viatoribus, id eſt executoribus litium

ac

ac negotiorum pro Salario dabantur 331
Sportulas appellatas obſeruamus 783
Sportulas Senatoribus loco cœnæ rectæ ab Auguſto dari conſuetæ Neronis iuſſu vtpote parcioris tenaciorisq; data author eſt in Nerone Suet. Tranq. 493.494
Sportulantes quinam eſſent Cypriano, 783
Squama carẽtium piſcium eſus Iudæis eſt interdictus 950.951
Stapedes ſeu ſtaffei au in militia equeſtri antiquitus alicuius fuerint vſus 595
Et paginis duabus ſeqq.
Statio quid ſit, quidue Statio Imperatoria Lampridio 926
Stationem à portu Iuriſconſulti diſtinguunt ſtationem portum non concluſum dicentes, locum autem concluſum portum vocantes 927.928
Stationem pro ſtatu & conditione quam dixit Lampridius hic Imperatoriam Suetonius in Vitellio Imperii maieſtatem vocauit 929
Stationem pro temporaria aliquando habitatione accipi apud Cic. videre eſt 927.928
Stationem relinquere militarem, vel aciem Suidas ſcribit apud Romanos capitale fuiſſe 927.928
Stationes communi appellatione loca in quibus milites ad tutelam vigilantes conſiſtebant 855.856
Vnde ſtationarii milites dicti huic muneri deſtinati. ibid.
Fuere & ſtationes munimenta particularia quibus pars aliqua exercitus cõtineretur. ibid.
Stationarii milites Paulo Iuriſconſ. dicti ſunt qui in portuum præſidium collocari ſolent 927.928
Statuam cur nõ haberet inter tot Patritios Cato Cenſorius interrogatus quid reſponderit ſciſcitanti 331
Statuæ illorum qui ob aliquod facinus damnati fuiſſent honore priuantur 331
Statuæ illuſtrium tam virorum quam fœminarum in funebri pompa circũ ferebantur 329.330
Statuarum apud Rhodios, Athenienſes Delphos, & ſignorum incredibilis quaſi quondam reperta multitudo 331
Statuarum multitudini cauſam apud veteres multitudo, & copia Deorum falſorum & numinum ſibi confictorum dedere 331
Statuis cur potiſſimum Romani abundarint 329.330
Statuis, & ſignis primus Vrbem repleuit Achaia deuicta exciſa Corintho L. Mummius 331.
Inuexere & ſigna multa ſtatuaſq; Luculli cæteriq; deinceps Duces & Imperatores Romani vniuerſa Græcia debellata ead.
Statuas non ſolum familiarum ſuarum Patritii & magnates Romani habuere, ſed etiam principum virorum, & Patronorum 329.330
Statuas Romani veteres multis olim decreuere, ſepulchra vero paucis 550
Statuas ſtulta ambitione hac noſtra tempeſtate antiquorum marmorum graui impenſa coëmentes ab authore notantur 331
Status à Lampridio loco hic adducto ſumitur pro ſtatu hominis & conditione vti apud Iuriſtas ſtatus perſonarũ conditionem ſignificat 927.928
Stellæ crinitæ apparitio mortem Veſpaſiani Imperatoris præceſſit 614
Stellatem agrum Campani partem cãpi fuiſſe Liuius author eſt 217
Quando à Romanis ſubactus ibid.
Diis quando immortalibus conſecratus ead. 217
Stellatura quid fuerit antiquis vide varias variorum opiniones & ſeq. 960
Stellaturæ nomine quid hic apud Lampridium intelligendum. & ſeq. 960
Stellaturas quod militibus conſtitiſſet duos Tribunos abſtuliſſe lapidibus obrui ab auxiliaribus iuſſit Peſcennius Niger Imperator 961.962
Stellionatus à Iuriſc. appellatur fraus omnis, crimen, dolus, atq; impoſtura 960
Stigmaticus ſeruus antiquis quiſnam dictus fuerit 10.51
Qui itẽ ſtigones iiſdem nominati. ib.
Stipendium à ſtipe dictum tradit in Originibus Iſidorus 786
Stipendium autem militare ex publico ſenatum decreuiſſe poſtquam tres exercitus opulentum oppidum Au-

cures

xures diripuiſſent maximo cum plebis gaudio conſtat 786
Stipendium diurnum militum apud priſcos Romanos erat Denarius aſſium decem 126
Stipendii modus certa regula cuiuis militi diſtribuendus Reipub. initio determinatus quare non fuerit 787 788
Aucto Imperio & P.R. Maieſtate certitudo ſtipendii inducta fuit. ibidem
Variatus tamen iſte modus pro imperantium placito, & voluntate 789
Stipendia à militibus Romanis perſolui ſolita ex pecunia collectitia cenſus diſtribuebantur 37
Stiua aratri pars eſt aliis Regula appellata; vnde dicta, 832 & ſeq.
Ab hac alieniſſimos eſſe dicunt qui dam Saracenos & Hunnos, vtpote qui raptu viuant, & incurſionibus non ſudore & labore. ibid.
Stragula veſtis ex authoris opinione quænam proprie dicenda 75.76
Stragula an veſtimenti genus ſit an vero lecti ſolum operimentum 74
Stragula à ſternendo dicta Varroni 75 76
Et quidnam Budæo ibid.
Strena quid ſit ex Sexto Pompeio, 575 577
Strena à ſtrenuitate dicta erroneè à Nonio Marcello ibid.
Strenæ à quibus dabantur & inter quos earum vſus obtinuerit 578
Srenæ in cuius memoriam priſcis olim Romanis conferri ſolitæ 576 577
Strenarum datio qua ratione prohibita Chriſtianis Pontificio iure 578
Srenarum loco miſſa dona Xenia proprie appellata, remiſſa vero Apophoreta vocitata 578
Strenarum vſus quando apud veteres Romanos inductus 576.577
Strenas exigunt inferiores à ſuperioribus circa Natalitia feſta Saluatoris inter Chriſtianos 578
Bonam manum dicunt, vel Mancium, ibidem
Idq; quod manu propria boni ominis cauſa dentur ibid.
Strepæ genus quoddam calciamenti vel crepidarum 596.597
Strigilis vſus Auguſto familiaris in balneo præſertim, iſtius vt beneficio pruritus ex impetigine exorti moleſtia leuaretur 511.512
Strophium dixit Nonius Marcellus aliorum authoritate faſciam breuem quę virginalem papillarum tumorem cohiberet 913
Sub particula teſte Donato, & Varrone temperamentum & diminutiuum ſignificat 1001.1002
Sic hoc loco ſubaquilo, ſubfuſco, ſubnigro
Subſellia pro ipſis iudicibus accepta nõnunquam apud Suetonium, vide 708
Subſellia etiam ipſum Indicium indicant, vel ſententiam ipſam denotant vel latam, vel ferendam Ciceronis authoritate 707
Subſelliorum propria acceptio in loco Suetonii hic allato 708 & ſeq.
Subſelliis non ſolum Iudices antiquitus iura dicentes vtebantur, ſed etiam teſtes, & accuſatores 707
Subſellia Ludis Romanis antea promiſcua omnibus ordinibus, poſtea diu diſcreta perduraſſe ſpectantibus Ælii Spartiani in Peſcenio Nigro locus eſt indicio ſat manifeſto, pagina 400. & ſequent.
Suffetes Carthaginenſium ſummus magiſtratus à quo ita dictus 709.710
Suffragium adimere quotupliciter conſiderari poſſit 117
Suffragium quinam apud Romanos ferere non poterant 118.119
Suffragii ferendi in Comitiis ius Coloniis, Municipiis & Præfecturis Italiæ à ſenatu Populoq; Romano decretum quondam vel conceſſum quomodo intelligendum in Liuii Hiſtoria 407
Suffragandi ius Cẽſores alicui adimere in ſua poſitũ habebant poteſtate 117
Suggeſtum altiori loco in Orcheſtra honoris maximi gratia conſtitutum, Cæſariq; dicatum 266
Suminata erat lactens porca ex cuius papillis ſumen conficitur 966
Suotaurilia ſacrificium ſuperſtitioſæ

Gen

Gentilitati ex ſue oue & tauro paratum 47.48
Supplicium filiorum Bruti qui cum Tarquiniis aduerſus Rempub. conſpirarant quale 794.795
Supplicii genus quale eſſet qui rei more maiorum plecterentur obſcurum reddit ſcribentium diuerſitas, 793 & pag ſeq.
Syllæ de Cæſare vaticinium euentu tandem comprobatum quo optimates ſæpius admonebat vt male præcinctum puerum cauerent 172
Synonyma an ſint vt voluit Alciatus in Nummaria re, Argentarius, Menſarius, Nummularius, Campſor, Trapezita,& Collybiſta 1047
Syranus homo doctus,& eruditus inique & crudeliter à Tiberio interemptus ob id ſolum quod Aſinio Gallo cuius implacabili odio contabeſcebat, amicus eſſet & familiaris 163
Syrma veſtis fuit fluxa & prolixa humum verrens ſeu cum cauda,quæ humo trahebatur, varii antiquitus vſi ſu t 1066
Solinus Taptobanæ Inſulæ Reges ſyrmate vſos teſtatur ibid.
Muliebre etiam erat indumentum teſte Seneca ibid.
Vtebantur & eo olim tibicines & fidicines ibid.
Fuit quoq; Sacerdotum veſtis ibid.
Tragœdorum autem propriiſſimam fuiſſe colligere licet tum ex Martiale Iuuenaleq; tum hoc Vopiſci loco,p. ead.& ſeq.
Syrorum vel Aſſyriorum Luxus & diſſolutio, 716

T

TABVLA antiquis teſtamenta dicebantur & tabulæ nouæ teſtamentum nouum priori ſcilicet expuncto & irrito 234.235
Tabulis Ceratis veteres Roma. ex more ſcribebant quas pugillares vocabant 413
Tabulis ceratis ſcribendi antiquiſſimus mos fuit, quæ & Codicilli & pugiles plurali numero vocabantur 234.235
Tabulas nouas vocabant Romani Legem quæ ferebatur de ære alieno plebi inuitis creditoribus relaxando, 233.234
Hæc lex Cic. teſte maximas ſæpe perturbationes Romæ peperit ibid.
Vnde Liuius rogationes de tabulis nouis,& de agro viritim diuidendo duas faces nouantibus res & Plebē in Optimates accendentibus iure dixit ibidem
Hinc etiam Seneca tabulas nouas appellat rem pernicioſiſſimam beneficiorum ibid.
Has Cæſar Dictator ne ſibi apud Optimates inuidiam pareret, & vt Plebi ſimul ſatiſfaceret tabularum nouarum publicationem à populo expectatam ſuppreſſit ibid.
Vide ibi multa & præclara de iiſdem in perniciem Reipub.cedentia
Tabularii olim dicti qui Ciuitatum aut Prouinciarum chartas tractabant 849
Vide ibi variam huius dictionis acceptionem
Tabularium autem erat locus in quo inſtrumenta, literæ, & tabulæ cæteræq; huiuſmodi publicæ ſcripturæ aſſeruanturpag ead. 849
Dicebatur & Tabularium Romanis Saturni templum in quo publicæ tabulæ cuſtodiebantur ibid.
Tabularium publicum locus dicitur in quo publicæ ſcripturæ cuſtodiuntur 99.100
Tabularii hinc dicti illi qui tabularum obſignationi inſeruiebant ibidem
Serui publici ob id appellationem ibidem
Huicq; conditioni ita erant addicti,& mancipati,vt non poſſent ad militiam aſpirare,& dignitatem 101
Vide multa notatu digna & præcipue quod ſerui non fuerint publici ibid.
Talentū antiquis duplex,nummarium vnum,ponderale alterum 12.13
Ponderale ſeptuaginta librarum fuiſſe tradit Seruius Plautina authoritate innixus ibid.
Talentum nummarium Hebræorū quale & quantum ex Budæo 1213
Talenti auri varia ad argentum proportio pro imperantium voluntate,

ac legis prȩſcripto taxata 250.251
Talentorum apud veteres grauiũ multiplicia pondera valore, & nomine valde differentia 12.13
Tarpeius mons idem qui Capitolinus à Tarpea virgine Veſtali Spurii Tarpei filia, quæ Tatio Sabinorũ Regi proditione arcem in Capitolio conſtitutam dedit, ibidemq; à Sabinis ſcutis obruta necata fuit 237
Tauto aſſimilati à ſuperſtitioſis Gentilibus Bacchus,& Iupiter 47.48
Et Neptunus Taureus dictus, ipſiuſq; feſtum Turia ibid. p.ſeq.
Sic Taurobolon dicta Diana, & Taurica 49
Tauros exagitatos phœniceo colore & rubicũdo irritari efferariq; ſcribunt Plutarch.& Seneca 47.48
Taurinia ludi Diis inferis conſecrati inſtituti fuere Tarquinio Superbo regnante quum magna in mulieres grauidas incidiſſet peſtilẽtia ob diuturnam Taurinæ carnis eſitationem 47.48
Taurina porta Romæ Eſquilina dicta à bouis capite quod ſupra eam erat inſculptum 47.48
Taurilia,& Taurii Ludi an idem fuerint ſubdubitat author 46.48
Taurobolium Ethnicis antiquis dictum ſacrificium taurorum 47.48
Tela Feſtus ab armis ſecernit poſito hoc diſcrimine, vt ſermonis proprietate tela ſint ea quibus procul prȩliamur, arma vero ab humeris dependentia: quamuis largiori ſignificatione telum pro quolibet armorum genere accipiatur 1013
Templum Hieroſolymitanum olim ab vrbe ipſa propriis mœnibus & munimentis ſeiunctum 207
Templa in honorem Auguſti ad æmulationem à populis Romano Imperio ſubiectis exædificata Tiberio imperante 134
Tempus accuſatori & reo cauſam agendi non ſemper idem antiquitus ſtrutum 142.143
Iudicis arbitrio relinquebatur,idq; pro perſonarũ, & criminũ qualitate ibi.
Tempus huiuſmodi incertum fuiſſe Cæſaris Tiberii facto in Germanici negotio & Piſonis, cõprobatur ibid.
Tenebroſum quare appellarit philoſophum Heraclitum Cicero variis in locis 528.529
Terra magna mater appellata remiſſiue
Terræ concuſſionẽ maxime metuebãt veteres Romani eaq; animaduerſa incerto numini ſacra faciebant Senatus intermiſſa coadunatione 816
Terram almam vocauere antiqui quod omnia aleret, & Deorum matrem quod omnia generaret 1069
Terræ motus ſpecies, & Græcas nomẽclaturas vid. 817.818
Termini agrorum lapides ſacri dicti 98
Terminalia ſacrificia Romanis erant quæ fiebãt Termino Deo ad oct.kalend.Martias ex Lactantio Diuin.Inſtit 103.104
Ternarius numerus in Magiſtratu nec deficiens nec abundans videtur 369
Teſſera militaris multiplex 189 190 & p.ſeq
Teſſera frumentaria quid ſit 161
Teſſera ſtellata frumentaria quid ibid.
Quibuſq; dari ſolita: eius defraudatæ pœna ibid.
Teſſera militaris pro ſtellatuta accepta 961.962
Quare autem hæc teſſera ſtellatura dicta ſit vide varias variorum ſententias ibid.
Teſſerę variæ variorum Principum in caſtris recenſitę 189.190
Teſſerarii in exercitu quinam dicerentur 189.190
Teſtamentum per æs & libram quomodo fieri dicatur 463.464
Teſtamento adoptatus M. Galli Senatoris fuit Tyberius Imperator 1029
Teſtamento heredes tres inſtituit ſororum Nepotes C.Cæſar Dictator, & quos,& quota ex parte Aſſis 283
Teſtamentorum genera numero tria erant antiquis,& quænam illa & ſeq 338.339
Teſtamentorum ſpecies varias,et multiplices etiam hoc vſitatas ſeculo, vide copioſe 340.
Teſtamẽtorum tabulas apud Veſtales virgines reponi ſolitas,vt ſuo tempore in lucem promerentur ex Suetonii loco vbi de Auguſti teſtamento agit,conſtat 548

Teſtamenta notis, quod eſt abbreuiatis dictionibus ſcribi cur olim vetitum *576
Theatralis legis Iuliæ author Auguſtus Octauianus fuit non Iulius Cęſar Dictator 400
Quid ea fuerit decretum ibid.
Themiſtocles ſummus ille apud Athenienſes vir, interrogatus aliquando quod Acroama, aut cuius vocem libentiſſime audiret, eius à quo ſua virtus optime prędicaretur intrepide & incunctanter reſpondit 497.498
Thenſæ ſacra ſunt vehicula quibus in ordine pompæ Diuinæ, & hoſtiarum ſimulacra Deorum vehebantur, 266
. vnde ita dictæ pag. ſeq.
Sunt etiam ea tegmina quib. hodie vtuntur principes in iis locis vbi ſedẽt & epulantur ibid. 267.268
Thermæ ſunt aquatum calidarum ſpõte naſcentium, Balnea vi ignis excalefactarum, Nymphęa aquę frigidæ, 919.920
Sed confunditur ſæpe hęc differentia
Thermę Romæ fuere celeberrimæ Agrippę in nona vrbis regione, Netoniſ in nona pariter regione, Veſpaſiani in octaua, & multorum aliorum Imperatorum 921
Thermæ, Balnea, & Nymphea, loca fuere lauationibus deſtinata, munditiarum, vel ſanitatis gratia, inter ſe tamen differentia 919.920
Thermatum licentia nimia ſępe Cenſorea lege coercita vt à promiſcuis balneis abſtineretur 922.923
Theſſalorum feſta Peloria vocitata eadem cũ Romanorum Saturnaliis 633
Thoranius mango fuit inſignis Auguſti tempore, & impudicus matrũfamilias & virginum denudatarum inſpector 743.744
Thraciæ ſitus, & confines Europę prouinciæ vbi Conſtantinopolis 220
Thraces homines feri, aſperi, hotridi, truces, ſed ad belli munia promptitudine ſingulari 622
Thraces feti, & agreſtes Myrmillonibus fortiſſimis gladiatoribus opponebantur 623
Thraces in pugna& amphitheatra lib. muneribus pręcipue parma vtebantur 623
Thracibus Tyrannos olim ad patranda ſcędes vſos cõſtat ex Heſychio 622
His nobile erat frontem notatam punctis prætuliſſe: vnde Thraciæ notæ prouerbialis locutio ibid.
Tiberius Cæſar iuuentutis ſuæ annos in Græcia apud Rhodios præſertim legitur egiſſe 555
Tiberii Cæſaris erga Senatum obſeruantia, & veneratio qualis, & quanta 276.277
Tiberii Cæſaris erga Propertium Celerem Prætorium virum veniam ordinis ob paupertatem petentem inſignis munificentia & liberalitas 421
Tiberii Cæſaris ſuſcepti erga Aſinium Gallum Conſularem virum implacabilis odii cauſæ enumerantur 163
Tiberii Cæſaris in Aſinium Gallũ Conſularem virum ſenem crudelitas 162
Tiberii turpis libido turpiſſimæq; deoſculationes 576.577
Titia lex diuerſa à Cincia quamuis eadem de cauſa latæ fuerint 707
Titia lega cautũ fuit vt patrocinia quæ tenuioribus præſtabãtur gratuita eſſent 705.706
Tituli à tu[n]do dicti quaſi tutuli quod libtis, fabticis, prædiis, factum autho ris ac fabricam tueantur 845
Pontificio iure tituli dicti certæ ſedes clericis attributæ, in quibus ſuum munus exercerent ead.
Tituli etiam dicuntur in Magiſtratibus per quos gradus, & dignitates eorum demonſtrantur ibid.
Titulos & dignitates à dominantium arbitrio pependiſſe olim, locus præſens ſat clare indicat 827
Toga virilis Romanis exterior veſtis erat, latuſclauus interior quorundam ſententia quamuis erroneę authoris cenſura 382.383
Toga virilis qua ætate à veteribus Romanis ſumebatur permiſſione legũ 290
Toga pinguis dicebatur, quæ multa lana conſtabat, & craſſa erat denſaq; frigori arcendo aptiſſima vrgẽtẽ bruma 524
Togæ deferendæ ius iis antiquitus con-

cedebatur quibus ius Ciuitatis Romanæ concedebatur 344.345
Togataq; Gallia hinc dicta quod huius iuris conceſſionê Romanorum beneficio nacta fuiſſet ibid. & ſeq.
Togam virilem ante legitimum tempus annorum 17. ſumpſit Octauius ſextodecimo ſuæ ætatis anno 381
Toga non vti Romano etiam dum in prouinciis eſſet, crimini olim datum fuit 434.435
Toga virili texura pretexta Patricii Romani Iuniores induebātur anno 24 ætatis 381
Togatos eſſe voluit, & Senatores, & Equites Adrianus Imperator in publicum procedentes, & ipſemet cum in Italia eſſet ſemper togatus proceſſit tanquam honorificentiori habitu indutus 417
Sic & Marcus Antoninus in Italiam veniês togam ipſe ſumpſit, & milites togatos eſſe iuſſit, nec vnquam ſagati ſub eo viſi ſunt ibid.
Togatos ſeruos, Senatores appellabat Romanos Heliogabalus Imperator Senatus Romani Senatorumq; maximus contemptor 278
Idem Senaculum in ſexta Vrbis regione ex mulieribus in colle Quirinali inſtituit ibid.
Togatæ ſaltationis apud Romanos veteres quiſnam inuêtor fuerit 434.435
Togatæ fabulæ dicebantur quæ Rom. more ſcribebātur, ſicut palliatæ quę iuxta Græcorum morem, quibus geſtandi pallium ita peculiare fuit ſicut Romanis induendi togam 434 435
Togatarii & togatarū actores & ſcriptores qui 436
Toparcas locorum Principes interpretandum nemini dubium eſſe debet, oſtendente id Græca Nomenclatura 1077
Tormenta bellica inſtrumenta appellat Plinius 47.48
Torrentius, & Turnebus viri alioquin inter recentiores doctiſſimi ab authore notari 602
Thoros quid, quid præterea torale, vel per Apocopen toral 858
Thoralium duo fuiſſe genera Paulus Iuriſconſultus author eſt 858
Trabea quale fuerit antiquis Romanis veſtimenti genus 141 & ſeq
Quare ita dicta 142.143
Trabea quinam potiſſimum apud veteres Romanos veſtiebantur 1 1
Equeſtris ordinis viri ea vtebantur, & antiqui Romanorum Reges ibid.
Vnde Romulus trabeatus Ouidio dictus ibidem
Trabea Regalis purpuræ mixtum habebat album quid: Sed quæ Diis erat conſecrata, ſola purpura conſtabat 991.992
Auguralis autem Trabea ex purpura, & cocco conſtabat ibid.
Trabea vt deſcripta ab Iſidoro quibuſq; viris attributa 141
Trabeam indumentum Regium fuiſſe docet Plinius 991.992
Trabeam non Romulo ſolum, ſed & Remo attribuit Papinianus in ſyinis 141
Seruio item Tullo Iuuenalis ibidem
Trabeam Conſularem fuiſſe veſtem teſtantur Halicarnaſſ. & Ammianus Marcellinus 141
Ducibus item eam, & Præfectis Prætorio tum exercituum principib. iidem authores eius vſum attribuere 142 143
Augurale illam indumentum extitiſſe Seruius author eſt ibi.
Trabea belli tempore Conſules præſertim vſos conſtat ex Auſonio 993
Traducere aliquem an ſit idem quod Græcis Catamidate vt adnotauit Budæus 1083
Et de loco illo Euangelii Ioſeph autem vir iuſtus nolens eam traducere, &c. improbat, & merito doctiſſimus author ibid.
Tragaſæum Ariſtophanes vocat male olentem quem & alibi tragemaſeum appellauit 866
Tragulæ dictionis varias ſignificationes acceptioneſq; vide 864.865
Tragularii etiam qui ſint & dicantur, 866
Traianum ſolus omnium Imperatorū in vrbe ſepultus fuit in foro quod ibi ædificauit, columna ibi poſita 548.549
Traianum Imperatorem à Nerua adoptatum illius nomē retinuiſſe quod pleriq;

pleriq; alii fecere, ex illius numiſmatibus clare patet 895
Tranſitorium forum idem quod Traianum à Domitiano quidem conſtrui cœptum à Traiano perfectum, & ampliatum fuit, vnde & Vlpii fori nomẽ adeptum 895
Dictum autem tranſitorium fuit quod ad tria pateret in eo tranſitus ibid.
Tranſuectio apud Rom. quæ Italis moſtra appellatur fiebat olim quum Equites ſolenuiter recenſerentur 385 386
Quis apud eoſdem tranſuectionem primus inſtituerit ibid.
Quo tempore anni ſolita fieri ibid.
Et in cuius facti memoriam ibid.
Equitum probationem hanc tranſuectionem Valer. Max. appellauit ibid.
Plutarcho quare Græca voce πομπὸς nominata ibid.
Quib. cæremonis Italis tranſuectio fieri conſueta, quo militum habitu, ornamentis, coronis, quaue militari pōpa 387
Qua de cauſa fuerit præcipue inſtituta ibidem
Quotuplex fuerit huiuſmodi tranſuectionis genus ibid
Quo fine poriſſimum fieri bis omni anno ab Equeſtri ordine conſueta ibi.
Pompa habentium equum publicum an bene fuerit ab Halicarnaſſęo vocitata ibid.
Trapezita, Argentarius, Collybiſta, Menſarius, & Nummularius authori aliquando ſunt Synonyma 287 288
Trazenæ puellæ ante nuptias derōſam comam templo Dearum inſerebant 698
Trebula antiquis Muſica dicta 572
Tribunal proprie Prætoris, ſubſellia minorum iudicum 702.703
Tribunatus plebis Magiſtratus erat principio ſoli plebi, plebeiſq; cōceſſus 391
Quamuis autem primis Reipub. temporibus Tribuni plebis plebei eſſēt, & ex plebe, & à plebe creati, nihilominus procedentibus temporibus, & patricios viros imo & conſulares Tribunos plebis factos obſeruamus ibidem 392.393
Tribunitia poteſtas ampliſſima apud veteres Romanos non immerito, & inconſulte ab ipſis Imperatorib. ſibi adſcripta non ad tempus ſolum, ſed perpetuo etiam dominatu 291.293
Tribunitiam poteſtatem Auguſtus ſibi vt perpetuam aſciuit, idq; ſummi faſtigii vocabulū reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen aſſumeret 392.393
Fuit & Tiberio collata ab eodem Auguſto Quinquennalis ibid.
Adrianum et hunc perpetuum habuiſſe magiſtratum Ælius ſcribit in ipſius vita Spartianus ibid.
Tribunus plebis vbi quis efficiebatur ſtatim & Senator erat & habebatur, plebeius licet origine eſſet 294.295
Tribunus militum minor annis teſtamento libertatem ſeruis legare nequaquam poterat, vetante Imperatoria lege 215
Plautias an Plotias leges dicamus parum refert, quamuis potius Plautiæ ſint dicendæ 215
Tribunus vacans quiſnam diceretur antiquis 835
Tribunum militarem parem Cenſor filius Senatu mouit, & quare 449
Tribuni ærarii non erant ex Senatorio vel Equeſtri ordine, ſed plebeio, ex Dione 233
Tribuni ærarii quare ſic dicti 233
Tribuni militū qua ætate & prudentia eſſe debeant 213 214
Tribuni militum apud Romanos olim & à quibus creari ſoliti 213.214
Tribuni militares maioris dignitatis erant Laticlauii dicti, minoris vero Anguſticlauii, & quare 382383
Tribuni plebis in Patrum inuidiam & aduerſus Patriciam poteſtatem per Populum Romanum creati fuere olim Liuio atteſtante 290
Comitiis centuriatis quando, & quinā creari cæpti ibid, & ſeq..
Ex plebeis primo creabantur, poſt eriā ex Conſularibus & Patriciis ibid.
Tribuni plebis eius erant apud veteres Romanos authoritatis, vt etiam Conſules pro libito in carceres conıici iuberent 291
Exempla & authoritates ibid.
Tribunorum plebis poteſtatem ab Imperatoribus ſumme experitam

& ſibi diuturnam vel perpetuam attributam, ſolus Nero maximis edictis coercuit, 392.393
Quamuis & id Syllam ante eum feciſſe multi authores atteſtentur ibid.
Tribunorum militarium duo genera Rutuli alii vel Rifuli, & Comitiati, 213.214
Tribunos ærarios à Iudicatura ab iis exerceri ſolita ablegauit Iul. Cæſ. Dictator, reſtituit tamen ſucceſſor Augustus 233
Tribunos alios laticlauios, alios anguſticlauios fuiſſe Romanis Suetonius author eſt in Othone 247.248
Tribunos militum Illuſtres ſenatorum filios ante ætatis annum 24. habiles fecit 213.214
Exemplum allatum adeſt Scipionis Africani ſuperioris & Probi adhuc imberbis poſtea Imperatoris ibid.
Tribus Romanorum aliæ Ruſticæ aliæ Vrbanæ, quarum Ruſticæ nobiliores Vrbanis & præſtantiores Plinii auctoritate 38.39
Tribu mouere quid fuerit apud veteres Romanos ibid.
Quid item moueri tribu 2.3
In Tribus quatuor Roma olim fuit diuiſa, quas pagos vocabant, in quibus habitantes pagani dicebantur, 318 319
Tribules Auguſti Scaptienſes & Fabiani Ruſticæ tribus, vt nobiliores habitæ Vrbanis 40.41
Tributum dictum quod à tribubus in publicum commodum ſecundum vniuſcuiuſq; cenſum conferebatur primis Reipub. temporib. 750
Tributorum duo apud Romanos genera erant, Perſonale nimirum & Reale, 750
Trinundinum quid ſit, & qua de cauſa quoue fine inſtitutum 968.969
Tripudium ſoliſtimum priſcæ Gentilitati ſuperſtitioſæ quid 22.23
Quid item terripauium & terripudium ex Cicerone ibid.
Triſtitia aliquando pro grauitate ſeueritateque Ciceroni vſurpata, vt & idem triſte frequenter graue & ſeuerum dicere aſſolet 168
Triuialis ſcientia Grammatica cur dicta 499
Triuiales Ludos, vel Ludios quos dixerit Suetonius difficultate non carere dicit author 499
Triuialia verba ea dixit Suetonius quæ inelegantia erant, & meram ſapiebant ruſticitatem 499
Triumphum apud Romanos olim ſummum fuiſſe honoris cumulum Scipio Africanus dicere ſolitus erat 376 377
Quibus Reipublicę temporibus is concedebatur & ob quam cauſam ibid.
Ex legibus præſcriptis aliquando petentib. negatum legitur paſſim in hiſtoriis 378
Idque iis potiſſimum qui licet meriti eum ob facta præclara eſſent, ea tamen ſine Magiſtratu geſſiſſent. ibidem
Quæ tamen poſtea lex abrogata in diſſuetudinem abiit, & triumphi petentibus decreti ac conceſſi ibid.
Exempla ſubiecta vide ibid. multiplicia. Et præclara multa pariter de triumpho, triumphantibuſque, & pag. ſeq.
Triumphos ſex genti Claudiæ Suetonius adſcripſit 551.552
Triumphalia ornamenta quænam dicebantur & erant antiquis 379.380
Triumphantium inſignia quænam antiquitus apud Romanos 570
Trium liberorum ex iuſto matrimonio natorum ſobolem habentes tam viri quam fœminæ quibus prærogatiuis & priuilegiis olim fruerentur 655.666
Licet aliud fuerit tres liberos habere, aliud ius trium liberorum, pagina 470
Triumuiri legendo Senatui à quo, & quando conſtituti 364.365
Triumuiri item alii multi quare creati ibid.
Troglodítus paſſer eſt omnium auiū excepto regulo minimus 281
Tropei, & Tropea qui quæue veteribus, 638.639
Tropei populi quidam de quibus in Claudio Cæſare Suetonius remiſſiue 216
Tropæa pluuiæ procelloſæ appellatæ. 216
Trophæa an Tropea ſcribi eidum Latine multiplici authoritate aſpirate ſcri-

ſcribendum probatur 216
Trulla vas ad alui excrementa exeipienda inuentum 60
Sumitur & pro vaſe potorio quorumdam opinione ibid.
Trulla aurea quotannis Alphonſo Regi Atagonio à Genuenſibus tributi nomine pendebatur 61.62
Eſt autem Trulla vas magnum & multæ capacitatis ibid.
Trulla præterea à Vitruuio appellatur inſtrumẽtum illud quo liniendis, & leuigãdis muris arenato, vel gypſato vtuntur cementarii, vulgo Cazzolam vocant 63
Truncus apud Latinos ſemper in malam partem accipitur 169
Tubi ſeu tubuli ſunt fictiles canales, vel ex alia materia variis vſibus accõmodati, præcipue vero ad aquam deducendam 849
Tabularius quis, quodue eius munus, & quam vile fuerit 846 & ſeq.
Tubiluſtrium quidnam fuerit antiquis Romanis 320
Tullus Hoſtilius tertius Roman. Rex 507
Tumba pro ſepulchro Latinis Italis, & Gallis 729
Tunicas Aſemas vnicolores expoſuit Egnatius, author autem rectius ſimplices, id eſt nullo opere exornatas interpretatur 972
Tunicatum fuiſſe apud Romanos nobili viro, & ſic in publicum prodire probroſum 311.312
Tunicatam Carthaginienſium iuuentutem non ſine probro vocauit Ennius 311.312
Turmæ equitum quidnam eſſent Romanis; quid item alæ, quiue vtriſque locus in Legionibus aſſignatus 384
Hinc Turmales turmarum equites dicti ibid.
Turnebi error craſſus ab authore detectus, 941
Tutor Prætorianus dictus, quod à Prætore Vrbis dari conſueuiſſet Vlpiano 888.889
Et Iulianus eidem dictus tutor qui ex lege Iulia & Titia dabatur mulieribus & pupillis in prouinciis à preſidibus ibid.
Tutores olim non à Conſulibus ſed à Tribunis & Prætore dari ſolitos, Liuius teſtatur 888.889
Tutelaris Prætor cur à Marco Antonino Philoſopho Imperatore fuerit particularis creatus 888.889
Tympanum erat antiquis Machinæ genus quoddam ex Lucretio, pag. 473 474
Vaſis item genus ex Plinio ibid. qui & Tympana quaſdam Margaritas appellauit ibid.
Et varias dictionis iſtius acceptiones, vide late ibid.
Tympanum tubam Cybeles non ineleganter Catullus appellauit, & quare 472
Et Cybeles Sacerdotes tympaniſtas vocauit de Dæmonio Socratis Apuleius ibid.
Tympanis concinere ſolitos in ſuis ſacris Iudæos ex Pentateucho colligere licet 472
Tyrrheni maris à Lucrino lacu ſeparationem aggere immenſo exædificato inter mirabilia opera, & ædificia à Romanis facta refert Plinius 296

V

VACATIO militaris quædam gratioſa perpetua, alia temporanea, particularis alia. 192. & ſequent.
Quædam ex Centurionum libitu, & permiſſione dabatur ibidem 193.194
Vacatio militaris honeſta quando, & quibus concedebatur 192
Perpetua quænam erat, & priuilegiata ibid.
Vallum primo caſu & vallus pro caſtrorum munimento accipitur 120
Vallum pro palo acceptum Virgilio, &. Liuio ibid
Vallum Lucillianum Cicero Epiſtol. 6 ad Atticum Satyricum carmen appellauit, & quare 120
Vanicien nullibi legi apud alios ſcriptores quã Appianũ aſſerit author 858
Vanitudinem vt pro vanitate dixit Plautus ita Marcellinus vaniciem dixit. ſententia authoris ibid.
Vaſa ex ſyncero auro quate non conficiebantur apud antiquos 740
Vaſa conclamare ſeu Sarcinas collige-

re,& impedimenta Carthaginēq; facere, pro ſynonimis, obſeruare hic licet 997
Quamuis hoc loco pro Schytarum fuga eleganter Trebellius Pollio vſus ſit Carthaginem facere ibid.
Vaſaria quænam dicerentur quibuſque ex publico concedebantur, 360.361. & ſeqq.
Vaticani loca cur à Tacito infamia appellata, cum antiquitus in eo monte & Circus Caii, & Neronis & Obeliſcus fuerint 399
Vatinius quidam à Senatu perpetuo carceri adiudicatus, quod ſiniſtræ manus digitos ſibi ne militaret bello Italico amputaſſet, publicatis eiuſdem bonis 221.222
Vatinius alter impudentiſſimæ vitæ à Cicerone ita exagitatus patefactis illius flagitiis, vt in ſummum Populi Romani odium fuerit perductus 221.222
Vnde prouerbio locus factus Vatinianum odium. i. implacabile, & capitale ibidem
Eiuſdem dum Tribunus eſſet plebis, lex lata in Cæſaris Dictatoris fauorē Reip. damnoſa, videatur p. ead. & ſeq.
Vatinium hunc Cæſar Dictator ad ſummos honores prouexit
De eius legibus latis in Cæſaris fauorem, vide 221.222
Eundem author eſt Macrobius in cœnis à populi in Ludis gladiatoriis lapidibus obrutum, pag. ead. 221.222
Vatinia familia Romæ nobilis multos tamen viros habuit improbos, & ſcelere contaminatos 219
Vatinia, lex de repetundis vna, de prouinciis altera, ambæ in perniciem publicæ libertatis latæ 220
Vectigal æternum inſtituit Aurelianus rebus quæ ex Ægypto Romam nauibus veherentur 1034.1035
Vectigalia noua quæ erant quibus Auguſtus ærarium militare conſtituit, & quotuplicia 449
Eiuſdemque Auguſti iuſſu Agrippæ abdicati, & relegati in inſulam pecunias in ærarium militare relatas authores ſunt Dion, & Zonaras 450 451
Venale licet proprie dicatur omne id quod venditioni expoſitum eſt, tamē aliquaudo etiam pro ignominia accipi ſolet 427
Vnde vrbs venalis in qua homines pretio non iure agant dicta à Saluſtio: Sic venalis iuriſdictio, iura regni venalia, fides venalis Ciceroni, & apud Iuriſtas venalis ſententia pagina 425
Venalitii, & venalitiarii, qui, & quibus dicantur 428.429
Venalitiæ familiæ quænam dictæ à Suetonio 425
Venatus, & gladiatorium munus dabant Duces ad belli procinctum præparati, qua de cauſa 223
Veneno occidere aliquem plus eſt quam gladio interimere 341
Et veneno necantes homines lege Cornelia de Sicariis lata puniebantur ibid.
Venenarii Iuriſconſultis, & aliis paſſim dicuntur ii, qui venena ad hominum perniciem miſcent 730
Venenaria Locuſta nomine famoſa, inſtigante Agrippina Claudium Cæſarem veneno necauit 731.732
Venetię. vt vrbs Italię ita Venetia prouincia ſeu Regio cuius incolę Veneti appellati 79
Veneti Gallię populi diuerſi ab illis qui ſinus Adriatici accolę ſunt ex Plinio 79
Veneti populi quinam, vnde dicti, quo Duce principeq; ſedes locarint in ea Italię parte, quę inter Alpes mari Adriatico adiacet 79
Venetorum Ducum mos in argenteo numiſmate natalis ſui die, vel ad principatum aſſumptionis Venetę nobilitati elargiendo vide 636
Venetę factioni an fauerit Auguſtus ſub dubio relinquit author pagina 316
Veneris in Adonidem ardentiſſimos amores deſcripſit 14 Metamorphoſeos Ouidius 937
Venerem antiquorum Deam multis nominibus appellatam apud ſcriptores obſeruamus, & quibus 936
Verbenas abuſiue appellari omnes herbas ſacratas, Laurum ſcilicet, O-

liuam & Myttũ author eſt Terentius in Andria ex Menandro pagina 2 3
Verbenarius dictus, qui verbenas in ſacris geſtabat 2.3
Ve. bero ſeruus quiſnam Latinis dicatur 47.48
Vercola ſacra, & Cericola quænam priſcis dicta, quoue fine inſtituta inductave 578
Verrium Flaccum ab Auguſto nepotibus ſuis præceptorem delectum, antiquitatis nimiæ, & obſoletę, vel Catonianę ſummum oſorem fuiſſe pręſumendum 530
Vernaculi ſignificatio propria loco Suetonii in Vitellio 762
Vernę quinam ſint & dicantur apud Iuriſconſultos 763
Vetſuales equi quinam Caſſiodoro ſint & Iuriſconſultis 1072.1073
Veſpaſiano pręſagium Imperii fuit, quod illo prandente canis manum in tricliniũ intulerit humanam; quia manus aliquando pro poteſtate ſumitur, vt patet ex illo Ouidii: An neſcis longas Regibus eſſe manus 911.912
Veſpillones veteribus viles cadauerum funetatores, quique ea efferebant 735
Veſtę Deç ſacrum dixit eſſe Decembrẽ Plutarchus, Saturno autem Macrobius 937
Veſtalis Claudię in patrem, vel vt alii volunt fratrem pietas 212
Veſtales virgines apud Romanos veteres ſumma prærogatiua in Vrbe ſepeliebantur 548.549
Veſtalium virginum origo cui adſcripta fuerit, quibus prærogatiuis ipſæ præ reliquis virginibus fruerentur, cui præcipue muneri dicatæ eſſent, qua veneratione colebantur, quaue eaſdem decebat eſſe vitæ innocentia, & ſanctitate quot numero principio eſſent, quot item poſtea; quibuſve nominibus appellatæ; multaque notatu digna de iiſdẽ vide 543
Veſtalium virginum apud veteres Romanos authoritas, & æſtimatio 212
Earũdẽ prærogatiuæ, & immunitates ib
Veſtalium violatores Ethnici veteres in foro ſub furca flagris cæſos necabant 212
Veſtales virgines à poteſtate parentum conſanguineorum, & tutorum reliquis omnibus apud Romanos mulieribus ſui iuris non exiſtẽtibus Numa Rex exemit 152.153
Veterani militia miſſi rurſus ad militiã inuiti non poterant niſi in ſummo Reipublicæ diſcrimine adigi 447 448
Veteranis militibus pro bene nauata in rebus bellicis opera, quę remuneratio data 192
Veterana mancipia quænam eſſent; & in quo differebant à Nouitiis 428 429
Qui item veteratores ibid.
Vexillo cœruleo Agrippam Octauianus quare potius voluerit donatum quã alterius coloris 314.315
Viatoris munus quodnam erat præcipuum 182.183
Viatores olim, qui Romanis, & num fuerint officio ſeiuncti an coniuncti Apparitoribus, Accenſis, Lictoribus Summotoribuſque 181
Hi omnes Apparitorum nomine comprehenſi fuere ibid.
Et quibus aliis nominibus inſigniti ibidem
Viatores vt proprii erant Tribunorum plebis, ita Lictores Conſulum, opinione Tiraquelli multæ lectionis viri, improbata tamen ab authore: Cum & aliorum fuerint magiſtratuũ & Senatus officiales 184
Erant e genere ſeruorum quorundam recentiorum opinione 185.186
Viatores fere omnes apud Romanos ex libertino genere fuiſſe non ſeruilis conditionis homines Ciceronis, & Taciti teſtimonio cõprobatur 185.186
Viatores ſeruos non fuiſſe, ſed Ciues Romanos contra recentiorum quorundam opinionem, author comprobat ſolidis Claſſicorum teſtimoniis, & clatiſſima rationum, & coniecturarum adductione 185.186
Vicenalia Conſtantini Nicomediæ acta & anno ſequenti Romæ edita ſcribit in Chronicis Euſebius 994.995
Viceſimæ plurimæ apud ſcriptores differentiæ obſeruantur 108
Sic viceſimæ hæreditatis, Legato-

rum, Portorii vectigalis inquã quod pendebatur pro exportatione rerum: Sic pariter viceſima rerum venalium manumiſſorum. &c ibid.
Viceſimarii exactores qui, quodue ipſorum munus apud Romanos 190
Vici, quid à caſtellis, & pagis differant Quidque ſint 149.150.& ſeq.
Vicorum in vrbe Romana olim exiſtētium aliquot nomina vide 1048 1049
Hodierna die qualiter vrbs in regiones partita ſit vide ibid.
Victimę in omnibus pene ſacris à veteri Gentilitate fœminei ſexus 4.
Vigintiuiratus, quinam eſſet veteribus Magiſtratus 1084.1085
Dignitas erat ante Quæſturam peti ſolita ibid.
Vinum pendens, quod Doleari vino opponitur eſt, quod nōdum in dolia collectum eſt, & in vuis nondum reſciſſis conſiſtit 1038. 1039
Vinum cantoribus valde prodeſſe Horatii, & Ouidii authoritate cōfirmatur 709.710
Vina fiſcalia dicebātur ea quæ ad fiſcum pertinebant 1074
Vinalia ſacra veteribus quænam dicta & quando celebrati ſolita 683.
Vide ibi Turnebi errorem obiter adnotatum
Vinatius quod eſt viniuendulus Græcis οἰνοπώλης dictus 683
Vinatii portorii, & criminis vinarii Cic. meminit in Orat. pro. Fonteio 683
Vinarii ſerui vino dediti, & ebrioſi vocati à Vlpiano 683
Vinarii Suetonio dicti viniuenduli 683
Vinatias lagenas quaſnam appellarit Horatius 683
Vinaria vaſa dicta ad vinum ſpectantia 683
Vir bonus apud Iuriſtas Iudicem ſignificat 84.85
Ab vxore dominum appellari conſueuiſſe Ethnicorum ſcriptis, & ſacrorum librorum authoritate comprobatur ibidem
Virilem togam ſumendi Patriciis in moribus ante legitimā ætatem nulliſiamque auſpicandi veniam dedit Octauianus Auguſtus 138
Hanc Antoninū Philoſophum Imperatorem quinto decimo ætatis ſuę anno ſumpſiſſe author eſt Iulius Capitolinus in ipſius vita ibid.
Virgis cædere morē prius in ſupplicio ſontium vſitatum, poſteritas in capitis amputationem & e Saxo præcipitium, pro quouis etiam magno ſcelere commutauit 794.795
Virgis vt cęderentur Hiſtriones Prætorum iuſſu Patrum ſententiis decretū 437.438
Virgineæ à patre Virgineo ob ſeruādam virginitatem propriis manibus Lanii cultro interemptæ peruetuſtū marmori inciſum adhuc viſitur in vrbe Epitaphium 10
Virginiam Auli filiam patriciā plebeio nuptam, Matronæ, quod è patriciis enupſiſſet, ſacris arcuerunt 84.85
Virgines olim cum Matrimonium iniuiſſent comę primitias Deabus conſecrabant 698
Viſceratio antiquis erat funebre epulū publice præſtari ſolitum populo in funeris elatione alicuius illuſtris defuncti 348
Exempla videto authoritatibus robora ta ibidem
Vita quam varie accipiatur apud ſcriptores vide 459.460
Vitellio Cęſari adeo odio fuere Mathematici, vt eos Italia tota voluerit expelli & ipſo etiam facto expelli mandarit 763
Vitellio Aricino Nemore delitioſo vbi Dianæ templum erat, deſidem vitam traduxiſſe author eſt Cornelius Tacitus 249
Vitis Centurialis à Macrobio appellata quod Centurionis munus eſſet delinquentes milites vite, non virgis caſtigare 222
Vite non virgis veteres Romani lege, & vſu ciues ſuos verberabant 125
Vitri conflatores excellentes in Ægypto reperiri vnde colligatur 1061
Vmbo media Clypei pars eminentior, vocata a Latinis 262
Accipitur aliquando pro toto Clypeo ibidem
Vmbini quinam nummi apud veteres Roma-

Romanos 505.506
Vmbratilis miles ab Ammiano dictus iners, imaginarius, ſiue oſtenſionalis 971
Vnctiones pretioſorum vnguentorum Syrorum more conuiuantes Romani præmittebant epulis delicatis non eũ leui nominis nota mollitiei & delitiei & delicatioris vitæ 716
Vnguenti nidore olidum adoleſcentem Præfectura donatum gratias agentē literis reuocatis Veſpaſianus præfectura priuauit 717.718
Vnguenta odorata & coronas inter Xenia in ſecundis menſis recenſet Valerius Maximus 716
Vnguenta ſeu olea huiuſmodi odorata antiqui roſaria vocabant 717.718
Vnguentorum ſcrinium inter cætera ad inueniſſe Alexandrum Darii caſtris expugnatis Plinius teſtis eſt 717 718
Vnguentorum luxus Romæ nimius deuicto Rege Antiocho Cenſoria nota ne venum proponerentur, inhibitus ibid. 717.718.
Vnguentorum odore Lucium Plotium à Triumuiris proſcriptum in Salernitana latebra ſummo cum dedecore proditum Plinius etiam author eſt ibid.
Vniuira dicta Pollioni Calpurnia, quod vno contenta viro ad ſecundas nuptias non conuolarit 1007.1008
Volſci Romanis initio naſcentis Reipublicæ plura oppida prope vrbem ademerunt 572
Volucer equus L. Veri Antonini ab eo ita præter rationē adamatus, vt ſimulachrum ei aureum fecerit & paſſis vuis nucleiſque in hordei vicem pauerit 630
Votaciſſimum vt notauit Capitolinus Clodium Albinum Imperatorem, ita bibaciſſimum helluonem deſcripſit Maximinũ pariter Imper. 641.& 908. 909
Voracitatem exceſſiuam, & vix credibilem Clodii Albini Imperatoris notat Capitolinus 907
Votum Cicero ſponſionem eſſe dixit qua Deo obligamur 14
Et votum pro re aliqua impetranda Diis faciens, vouere ſeu vota ſuſcipere, & nuncupare vota dicebatur ibid.
Voti reus quis dictus ibid.
Voti item damnatus quis
Vſu nuptiæ apud veteres Romanos quomodo contrahebantur 152.153
Quomodo item coemptione ibid.
Et qualiter confarreatione 154
Vſurarum apud antiquos partitiones, vide 868.869
Vſuras ſingulis menſibus exigere & rationes cum debitoribus inire antiquitus mos erat 87[illegible]
Vuæ Lauicanæ quare præ reliquis maxime ſint commendabiles Romanis vt & Baſilicæ Dyrrhachinis 908.909
Vulcanalia ſacra Auguſti menſe fiebant Vulcano conſecrata 240
Vulgaria vtrum Latine dici poſſit vide 896.897
Vulgariam quidem pro vulgarem Nænius, & Turpilius dixere, illæ vulgariam facilitatem, hic temeritatem vulgariam ibid.
Vlpianus Alexandri Imperatoris Conſiliarius, & Commenſalis eidem chariſſimus fuit, & quare 701
Vlpianus Seueri Cæſaris tempore Præfectus erat Prætorio, vt & Papinianus imperante eodem eadem dignitate functus eſt 749
Vultus & faciei differentiam vide 1003
Vxor iniuſta eſt, cum qua quidem matrimonĩuſit, ſed non ſolemniter celebratum 773
Vxorem Sempronius Sophus, eo quod ignorante ipſo ludos auſa fuerit ſpectare, repudio ablegatam à ſe ſeparauit perpetuo 780
Vxorem vir repudiare poteſt ſi Circenſibus, vel Theatralibus, vel Arenarum ludis, & ſpectaculis in illis locis in quibus hæc aſſolent celebrari, marito prohibente interfuerit 780

X.

XEnarchum Rhodium ob nimiam bibacitatem Metretam fuiſſe nũcupatum Athenæus author eſt 910
Xenia quænam dicta proprie, quæue Apophoreta 578
Xerxem togatum cur Pompeius magnus vocarit Lucullum 823

Xyſtarche, Gymnaſii Athletici princeps dicebatur, qui ſcilicet Xyſto præerat 433
Xyſtus, & Xyſtum apud Græcos æque, ac Latinos idem ſignificant porticus tectas vbi Athletæ per hyemem exercebantur 433
Xyſtus ita appellatus à relo ſeu haſtili quo vtebantur in ſe exercendo Athletæ, quod ξυσὸν Græci appellauere 433
Vnde Xyſtiu inter Crœſi donaria refert Herodotus ibid.
Xyſtis, & nomoribus ſua prætoria exornauit, & excoluit Auguſtus. 433
Xyſticum vſurpauit Suetonius, & ſubſtantiue, & adiectiue in Auguſto, & Galba 433
Xyſtici à xyſto dicti illi, qui per hyemē ſe in xyſtis exercebant 433
Xyſtici hi erant ex numero Athletarum, & qui Athleticas exercitationes agebant 434.435
Xyſticorum meminit in libro de ſpectaculis Tertullianus 434.435
Xyſticorum certamina opponit gladiatorum pugnis Suetonius 434.435
Hos erroneè Cœlius Rhodiginus inter ſe confundit ibid.
Xyſton veſtimenti genus erat viris æque ac fœminis commune 515.516

Z.

Zancha, quid vulgariter ſit Italis quidue Latinis Zinchion 1020
Zanchas veſtes Parthicas ex Imperatoris Veſtiario deſumptas, & Claudio miſſas interpretatur Turnebus vocem Parthicam eſſe zancham dicens 1020
Author vero calceorum ſpeciem eſſe autumat non improbabili ductus coniectura, quod (paria tria) textui inſeratur ibid.
Zaſii errorem in Catalogo legum antiquatum detectum ab authore vide 400
Zegoſtates Iuriſconſultis vocatur libripens, vel magiſter probandi nummos 1042.1043
Zenobia Regina bellicoſa admodum, & feroci fœmina in triumphum ducta nihil pompabilius Populo Romano vnquam viſum fuit 918
Vbi notandum Comparatiuum pompabilius varii alioquin vſus à Trebellio tamen Pollione vſurpatum ibid.
Zenobiæ Reginæ armigeræ, & bellicoſiſſimæ heroicus animus & forma ſpectabilis commendantur 1003
Zenobiam Reginam bellatricem Romanorum hoſtem Ciclade Regio veſtimento vſam Trebell. Pollio teſtis eſt 982.683
Zenobiam Reginam bellatricem Romanorum æmulam & Sagulo militari habitu indutam, cum antea Cyclade veſtitam dixiſſet Trebellius Pollio hic refert 991.992
Zeno eculeo tortus ab Hiarcho tyranno laxato eculeo aurem tyranni morſu corripuit Valerio Maximo teſte 843.844
Zenonis authoritate Ceraunceum gēmam legimus intus ſe ſtellam corruſcantem habere 944
Zeta locus erat perſimilis illis, qui frequentiſſimi ſunt in Germania quas ipſi Stuben, Itali Stuffas, Latini Hypocauſta appellare ſolent 959
Zetæ Heliocamini meminit Vlpianus 957.958
Zetæ diminutiuum zeticula habetur apud Plinium 651
De zeta lege plura apud Io. Mariam Cataneum in Commentario ad 2. li. Epiſtolarum Plinii 959
Zetas diætas interpretatur Turnebus hoc Lampridii loco 957.958
Sic zarthytum pro Diathito in Antonini Itinerario ibid.
Apud Cyprianum item zabolum pro Diabolo ibid.
Ex Rhodigini adnotatione Diętam etiam zietam dici, vide ibid
Sic apud Sanctos Patres Zacyntum pro Diacynto, & Zaconum pro Diacono vide ibid.
Zetarii apud Paulum Iuriſconſultum iidem qui Diætarii dicuntur 957.958
Zonam nouæ nuptæ qua circumcingebatur, maritus nuptiarum die diſſoluebat ceremonia nuptiali, vel ſponſalitia 937. & ſeq.
Zonam ſoluere itaque erat cum noua nupta

# INDEX.


nupta congredi, & rem veneream habere ibid. 938.939

Zona punica depoſita Latona peperit Apollinem, & Dianam. 938.939

Zonas militares ne aureis, vel argenteis nummis ſubfarcinatas haberent milites ſeueriſſime vetuit Peſcennius Niger Imperat. promulgato publice edicto 786

Zonulam rotundam dixit Suidas eſſe Strophium coronæ genus quoddam, quod apud antiquos Sacerdotea geſtare ſolebant 978.& ſeq.

Vnde & coronæ Strophia dictæ Plinii teſtimonio ibid.

Zonaras aureum veterum Romanorum ſtipendiis militum præcipue deſtinatum drachmatum fuiſſe quinque & viginti ex Dione probat 789

Zonaras, Dion Caſſius, & Suetonius, Ærarii militaris Romanorum veterum meminere 449

Zonaras magni Primicerii meminit quem Græci vocant, μεγάλυ πριμικήριον 821.822

Zotico nubens Heliogabalus Imperator laſciuiſſimus quem pronubum habuerit 937

Zuma Clariſſimi authoris ſententia erat vaſis ſeu patinæ genus, in quo panis menſæ inferretur, & apponeretur, vulgo Panietera vocant 1011. 1012.

Zuma doctiſſimo Turnebo eſt Trulla, hoc namque loco vice dictionis Zuma Trullas ſubſtituit, nec incommode, cum & Trulla vaſis potatarii ſit ſpecies ſat nota 1011.1012


FINIS.

[illegible] Google